Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In omnes apostolicas Epistolas, diui videlicet Pauli XIIII. et VII. canonicas, commentarii Heinrychi Bullingeri, ab ipso iam recogniti, & nonnullis in locis aucti. : Accessit operi index copiosus, accesserunt ad finem quoq[ue] duo libelli, alter de Testamento Dei unico & aeterno, alter uero de Vtraq[ue] in Christo natura.

https://hdl.handle.net/1874/428394

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Pl. II N°. 11

1911

16.
9.

V° 30.

Biblia et interpretes
Folio n°. 203.

euēire dico ſñ qcepm ſbſcēte q̄ mīcer̄ mal̄ do
mineuc̄ ſñō ſ alu ūlō vñ ꝓpiēe q̄ medīq̄ bñ.

Quicq̄ ſtūc ſ dēpſm hūc mal̄
cer̄ nō qapuīt ꝑ ſi'item · ſ cq̄ hu
mdal hūc mīcer̄ nō qapuīt Ex
tngui n · m eſ ſenue ſ cq̄ mīcer̄
hūc ſtcaſ mag̃ ſ aī ēnēr̄ nō qc̄.
ſndigē n · mīnīt cor̄ ſeū · cq̄ v
ex uēſ qpiez hūc mcdare hī grīam

Sī ypō audēm ſ̄ aug̃ ſ q̄ ꝑ
cuīdā loca trāſe ūl ꝑ pacēm q̄ vñ hus n aūpōi
tū cūſducēm ſ mḡ laco ꝓuēm ut diſpl mīſſū
qplēuer ſ ſ̄ mīcer̄ mīlcor̄ ſūc remūnē ꝓcēde q̄
ille mīl ſ nō acc̄ ſ uob uelīs ſ are ſ q̄qua
gregē uēſ ſ̄ ſbīūga reqr̄ ſ relīq̄ ſcīpſ aūt
loc̄ qm nūc exp̄ ſ v dī cq̄ qpiez hūc ex uēſ
hī grādiez ſ mmodāre q̄ ſ nō cū m vlēr ad
qapſ ſ dūc q̄ vlēnez euāc ſūlēs ex quib ſ ꝑ
duc q̄ ſūlienſ ſūc m manb q̄ cū oculeſ ūl ocu
bꝰ mīlīus ſ nō ꝓſpēnāc mrūdīb ꝑ palāz q̄
nō grādiez quā mascū pos ſ pacēm eſuēq̄
grādiez medīe cē qplēr ſ ſ ecedīe ſ grādiē
Quā ſ ꝑ ſ ūlīb mlīb q̄ mala hūc qplēm
mlue m ꝓmlēe mcdīb dīſ q̄uor ſūc dūc
ſ cū ſ ē hāſ ſ̄ nūcāmūd mlē nō de ſūb ꝑ
ſūb ſ ſ̄ ꝓcaſ octo ē mel mſ ſplicer̄ q̄ hc
exmḡlē ſ uſ qpāc ſ ex hūc quīere ſſpli
cāb q̄ ſ mīca dūc mīca ſrīcaſ ſ vlēnace
ſ mace dēpſm mce ora venīt ad oſ mulue
vēnēcū ex nēcē ſ ſcdſſā ſ vñ mlēr ſuīt
mlīer q̄ ſma nō ꝑāt ſ̄ ſoluāc ſ vuaſ ōrīus
vñ ſ ſ̄ ꝓcēr̄ pos ſ ꝓcīpe mcdīcū nō ēū valer
ſñō n · ille mīca pos ſ ꝓuerte ſ q̄ ſſpū ille
q̄ſcīt ſuſſā ſ Ex ſ vene q̄dēm ſ ꝓdc
ſ ſ̄ ſcēte ſ̄ ſ̄ ſ̄

N. 17. C.

IN OMNES APOSTOLICAS EPISTOLAS, DIVI VIDELICET PAVLI XIIII. ET VII. CANONICAS, COMMENTARII Heinrychi Bullingeri, ab ipso iam recogniti, & nonnullis in locis aucti.

ACCESSIT operi Index copiosus, accesserunt ad finem quoq; duo libelli, alter de Testamento dei unico & æterno, alter uero de Vtraq; in Christo natura.

Ex dom Bucelii

IESVS.

Hic est filius meus dilectus in quo placata est anima mea, ipsum audite.

Matthæi 17.

TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM FROSCHOVERum, Mense Martio, Anno M. D. XXXVII.

CHRISTIANO LECTO

RI HEINRYCHVS BVLLINGERVS

GRATIAM ET VITAE INNOCENTIAM A DEO patre per dominum Iesum Christum precatur.

PRIMVM illud testamur testatumq; tibi uolumus, Christiane Lector, non Leges nos, sed Commentarios scripsisse, qui sint expendendi non protinus habendi pro compertis aut diuinis oraculis. Ego enim ingenue fateor nihil humani esse alienũ ab hominibus, adeoq; nihil perinde humanũ esse atq; errare & hallucinari. Fateor ingenue solam scripturam Canonicam spiritu sancto inspiratã unicam certam absolutamq; esse ueritatis recteq; uiuẽdi & iudicandi regulam, quæ nec erret ipsa neq; quenquã in errorem abducat, ad quam sint expendenda & examinãda omnia omnium hominum scripta, dicta & facta. Proinde si cubi uideor ab hac in hoc opere nostro aberrasse, aut hãc negligẽtius & non pro dignitate iusta sancte & religiose satis tractasse, tantum abest ut mihi adhæreas uelim, ut ipse quoq; cupiam saniora melioraq; sequi. Vnde hęc tibi exhibeo saluo semper illibatoq; meliori & orthodoxo ecclesiæ Christi iudicio, nec aliud in præsenti à te postulo Lector q̃ æquitatem, ut scilicet iuxta Apostoli uerbum om̃ia quidẽ nostra probes, at non nisi optima deligas ac teneas, scripturasq; tandẽ nocturna diurnaq; manu uerses. Non inuidebo, gratulabor etiã utilitati tuæ, si quis alius dederit absolutiora, meliora, simpliciora, agam illi gratias si à nostris dissentiens exactioraq; proferens, amice me erudierit. Hoc enim uidetur esse pectoris Christiani, ut aliorũ scripta & dicta de sublimi despicere supercilij pharisaici, aut inexpensa damnare, uel conuitijs & calumnijs, deuotionibus & minis, flamma & ferro rem agere, furiosorum tyrannorum, non mitium theologorum est.

Hæc autem propter exemplum & experiẽtiam tantopere statim in initio operis urgeo. Video enim S. Augustinum orthodoxũ omnium iudicio scriptorem non semel hoc ipsum in operibus suis ursisse ardentius, at ipsa nostri sæculi experientia docuit q̃ parũ suis illis obtestationibus profecerit uir optimus, imò quanta cum ueræ religionis iactura superioris sæculi homines huius & aliorum bonorum uirorum Commentarijs abusi sint. Ille Epist. 3. ad Fortunatianũ Siccẽsem episcopum scribẽs, Neq;, inquit, quorũlibet disputationes quamuis catholicorum

& laudatorum hominũ, uelut ſcripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalua honorificẽtia quæ illis debetur hominibus ali quid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere, ſi fortè inuenerimus q̃ aliter ſenſerint q̃ ueritas habet, diuino adiutorio uel ab alijs intellecta uel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales uolo eſſe intellectores meorum. His paria tradit idem ille Epiſt. ad S. Hierony. 19. rurſus de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 3. At iſtis quid poterat dici planius & ſignificantius? Quis autem non fateatur abũde & ſibi & ueritati conſuluiſſe uirum ſanctiſſimum? Verũ quid in poſtremo hoc ſæculo noſtro factũ ſit nemo ignorat. Neglecta enim iacuit ſcriptura Canonica, recepta ſunt pro hac humana cõmenta, quæ ſuccedentibus temporibus magis atq; magis excoli cœperunt, & tantum non pro diuinis oraculis obtrudi eccleſię. Et moderatius quidẽ hæc facta ſunt proximis Auguſtini tempora ſequẽtibus ſæculis ad Bedã uſq; & Rabanũ. Suus enim honos ſcripturæ interim habebatur. Verſabatur tum quoq; ſcriptura diligẽtius. Atqui poſt hos prodiere Gratianus & Longobardus ueterũ authorum compilatores, qui proculdubio nõ malo animo, interim tamen magno cum ueritatis ſcripturarũ & bonorum authorũ detrimento, ex eccleſiaſticis ſcriptoribus conſarcinarunt de potiſſimis religionis noſtræ capitibus ſententias, quas ſtudioſi literarũ ſacrarũ hoc receperunt libentius, quo maior erat bonorũ librorũ raritas. Nã ſi qui authores euaſiſſent incendiũ illud Barbaricũ & Gothicam irruptionẽ, certè uel in bibliothecis Monaſteriorũ deliteſcebãt, paucis expoſiti, uel magno cum labore ſumptibuſq; longe maioribus tranſcribendi erant per librarios. Nondũ enim diuina illa ars quã uocant Impreſſoriã tum erat inuenta. Exiſtimabant igitur uel optimi quiq; theſaurũ ſibi ab illis eſſe oblatũ, in quo optima & ſelectiſſima uetuſtatis de religione noſtra habeant, unde iam de ipſis authoribus legendis parũ erant ſoliciti. Certè ſcripturarũ minor habebatur ratio, niſi quod Lyranus & Carrenſis quædã ad exemplũ ueterum ſcriptorẽ conati ſunt. Fuerunt interim alij qui omnem operã non cõtulere ad exponendas ſcripturas, ſed ad Longobardi ſententias explicãdas. Quis enim uno in pede ſtans uel nomina recenſeat Cõmentatorum in librum Magiſtri quartũ? Reperti ſunt alij rurſus qui ex Cõpilatoribus & Cõmentatorib. illis, Partes, Sũmas & Tractatus cõpoſuere uaſtiſſimos. Neq; uero uel hic ullus eſt nouãdi finis inuentus. Enati ſunt enim quidam mendicantes monachi ſuperioribus illis & audaciores & indoctiores, qui Sermones de Tempore, & Sanctis, & ad occaſionẽ quãlibet conſcripſere, atq; hos omniũ inſinuarunt animis. Si enim concionandũ erat, recurrebãt populi paſtores ad ſermones ſibi paratos, ediſcebant hos ad uerbum, nec aliter recitabant

eccleſiæ

ecclesiæ quàm didicerant. Qui eruditiores & magis industrij habeban tur, tractabãt ex Scoto uel Thoma quæstiones spinosas, adducebantq; acuta quædam ex Aristotele. Vtebãtur multi Postillis ineptissimis cer tè libris. Quid autem opus est uerbis? huc tandem res recidit ut inter Pastores populi inuenirentur qui nulla agnoscerent euangelia, præ= ter ea quæ uel ipsorum Postilla uel liber, ut uocant, Missalis haberet, imò inter trecentos non reperti sunt triginta qui ordinarie Biblia lege rint, nec mirum cum non defuerint qui ne Catalogum quidem recen= sere potuerint Canonicorum librorum. Quis uero hæc audiens & se= cum expendens non exclamet, O tempora, ô mores. Nihil finxi. Vera dicent narrasse quotquot bonam partem sacrificorũ nostri sæculi no= uerũt, imò illi ipsi, modo uerum fateri uolent, uera scripsisse me dicent. Atqui in has densissimas inscitiæ tenebras atramq; errorum caliginem adduxere nos humanæ illæ commentationes. Non quod errorum no strorum culpam in optime de omnibus sæculis meritos Patres uetustos transferã, sed in posterioris sæculi homines parum felices, qui illorum fidelibus abusi sunt laboribus. Ego enim libere cõfiteor scripturæ san= ctæ interpretationem ex ipsa sola esse petẽdam, ut ipsa interpres sit sui charitatis fideiq; regula moderãte. A quo interpretationis genere qua= tenus sancti Patres non discessere, eos non solum ut interpretes scriptu rę me recipere, sed ut organa dei dilecta uenerari. Metuẽs uero ne forte id abusu Commentariorũ nostrorũ posteris (absit uerbo inuidia) acci dat, quod prioribus usuuenisse uidemus, accuratius inculco quo loco hæc nostra haberi uelim. Scriptura Canonica semper & unice nobis spectanda est in omnibus ut absoluta ueritatis regula, hæc nusquã amit tenda, ex hac petenda religionis singula, ad hanc omnia examinanda, illa nunquam ponenda ex manibus. Quod si iuuandi studio ad hanc scribuntur Commentarij, habeantur ut indices, ut Mercuriales statuæ & uiæ duces, mox relinquẽdi ubi eò ueneris quò uolebas. Cupiunt au tem ueritatis studiosi in sensum penetrare genuinum scripturæ, & hac demum frui. Verum uidentur hæ primo aggressu arduæ & difficiles, statuuntur ergo à paulò exercitatioribus ceu uiæ duces Commentarij, certè ut illis solis fruaris illisq; adhæreas, hos autẽ relinquas postquam horum opera illas tibi feceris familiariores. Quis enim tam stultus oro & iners fuerit, ut cum præceptoris alicuius beneficio & elementorum introductione ad penetralia alicuius artis peruenerit, perpetuo uelit inhærere elementis & mirari præceptorem elementarium, interim ue= ro ipsa arte frui nolit? Rursus quis tam uæcors & ingratus est, ut arte aliqua imbutus dicat elemẽta esse inutilia, alijsq; eundem inuideat præ

ceptorem? Quin potius qui ſapiunt, nec elementis inhærent perpetuo, ſed per illa tranſeunt ad artem in qua exerceantur perpetuo, nec alijs inuident præceptores eoſdem. Quocirca ut nunquam probare potui tum Commentarios prolixiores à ſcriptura nimium auocãtes detinen tesq; in lacunis hominum turbidis, tum illorum ſtudia qui omne tem= pus in euoluendis Commentarijs inſumunt, ſcripturas ipſas raro aut perfunctoria tantum manu attingunt: ita illorum moroſitatem ſemper odi, qui quod didicerunt non omnino ſine bonorum uirorum inſtitu tione & commentarijs didicerunt, interim tamen in uniuerſum omnes omnium Commentarios damnant ceu inutiles & ſtudij theologici pe ſtes. Hi ſi ſaperent ſibijpſis nequaquam ita exciderent, ſed cogitarent modum in re qualibet eſſe optimum, eosq; Commentarios optimos eſſe, qui uiam ſternunt ad ſcripturas, non à ſcripturis abſtrahunt pro= pelluntq; ad inutiles & intricatas quæſtiones. Quod ſi iſti in hoc opus noſtrum dicere parant quod uolunt, ego certè conuitium nolo retalia= re conuitio. Si uero apud eos ulla ualet ratio, hoc tantum oro, ut prius noſtra legant quàm damnent, aut ut ipſi uel meliora ſcribant, uel me= lius conſulant fratribus ſtudioſis. Nunc enim ut hunc locum conclu= dam cum ſancto Auguſtino dico, Quemadmodum lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet am plius quàm catholicam fidem, ille ſe non amet amplius quàm catholi= cam ueritatem. Sicut illi dico, Noli meis literis quaſi ſcripturis Canoni= cis inſeruire, ſed in illis et quod non credebas cum inueneris incunctan ter crede, in iſtis autem quod certum non habebas, niſi certum intelle= ris noli firme retinere. Ita illi dico, Noli meas literas ex tua opinione uel contentione, ſed ex diuina lectione uel inconcuſſa ratione corrigere. Si quid in eis ueri comprehenderis exiſtendo non eſt meum, at intelli= gendo & amando & tuum ſit & meum. Si quid autem falſi conuiceris, errando fuerit meum, ſed iam cauendo nec tuum ſit nec meum.

Exponerem nunc cauſſas quibus perſuaſus hunc commentandi la borem ſuſcepi, niſi in ipſo opere has non ſemel attigiſſem. Certè deum habeo teſtem, quod ſtudio nõ libidine in hunc campum deſcenderim, hoc eſt quod promouendi in primis gloriam ueritatemq; Chriſti, dein de & iuuandi ſtudio hæc cœperim, non ut opes iſtas meas perexiguas oſtentarem, aut captarem auram popularem, aut aliorum ſcripta uel damnarem uel obſcurarem. Meretur autem gratiam, non odium, qui prodeſſe uoluit, & quod potuit fecit, licet non omnium ſatisfecerit ex= pectationi. Quis enim unus uidit omnia? aut quis neſcit & bonũ non= nunquã dormitare Homerum? Quod ſi hæc noſtra nihil proſunt, no=

lo ut

lo ut ulla ipſorum habeatur ratio. Malo enim priuatã facere iacturam, quàm author eſſe calamitatis publicæ.

Reſtat iam ut nonnihil etiam dicam de ratione Commentariorum noſtrorum, & quodnam conſilium in illis obſeruarim conſcribendis. Principio per integrum opus breuitati ſtudui, quamuis nõ raro etiam præter animi inſtitutum fuerim prolixior. Cæterum data opera ſtudioq́, non inertia ſtudui breuitati. Nolui enim Lectorem, quem ſcripturis legendis parabam, nimium noſtris enarrationibus grauare inuoluere remorari aut tenere. Deinde quanta potui diligentia curaui, ut bona fide recitarem tibi apoſtolorum uerba: qua quidem parte potiſſimum ſequutus ſum beatæ memoriæ D. Eraſmi Roterodami æditionem. Aliquoties uero hãc, pro mea tenuitate, cõtuli cum ueritate Græcanica, quoties uidelicet hæc uideretur uel planior uel euidentior. Admonui ſi quod uerbum inſolentius aut obſcurius uidebatur. Explicaui ſi quæ erant implicatiora. Sed & orationis ſalebras & hiatus, quantum potui, complanaui atq; oppleui. Annotaui ſi qui linguæ Hebrææ idiotiſmi aut orationis occurrerent ſchemata. Rurſus oſtendi quæ ſit orationis ſeries, quod filum, hoc eſt, quis ſcopus eorum quibus de diſſeritur, quæ ſententiarum & argumentorum inter ſeſe connexio, quò referenda ſint omnia, quid probent aut quid ſibi uelint. Simul autem his rationibus indagaui, & pro gratia mihi à domino data, aperui ſenſum apoſtolicorum uerborum. Hoc enim illud præcipuum eſſe uidebam quod ſtudioſi noſtri ſæculi quærerent in ſacrarum literarum interpretibus. Interim uero & locos communes illuſtriores certo conſilio indicaui, non tractaui. Iam quæ uidebãtur alieniora & nihil pertinentia ad nos, noſtris collata rebus & temporibus nobis uindicaui, & uelut peculiaria feci. Non raro oppugnaui hæreſes, errores & abuſus receptos in eccleſia. Id uero multis nominibus putaui mei eſſe officij. Semel em ſtatui ueritatem apoſtolicam aſſerere à mẽdacio, hoc autem quomodo potui niſi impugnaſſem mendacium? Detorſit locum aut ſententiam aliquam apoſtolicam ueterator ad defenſionem ſui erroris, non potuit ergo illa aſſeri, priſtinoq́ reſtitui candori, niſi detecta & cõfutata detorſione corruptioneq́. Sed et priſci ſacrarum literarum interpretes ad omnem propè occaſionem non modo ſui ſæculi, ſed ſuperioris quoq́ hæreſes, ritus Gentilitios, & errores philoſophorum perſequuntur, cædunt atq́ proculcant, idq́ maxima cum ueritatis gloria & eccleſiarum profectu eximio. Licet in hac re, ut alijs quoque, modus ſit optimus agendi magiſter. Neq́ enim quidã ex ueteribus damnãtur temere quod in hac fuerint nimij & plus ſatis acerbi. Alicubi deſcripſi eccleſiæ

noſtræ ritus,neq; id quidē ſine magnis cauſſis, quas intelliget quiſquis animo non maligno noſtra legerit. Cæterū ad hæc explicāda uſus ſum ſtilo ſimplici,ut uides,& agreſti. Lenocinia enim ac phaleras nihil moror. Satis eſſe credo ſi mētis cogitata exprimat oratio facilis. Oratio em̄ in hoc inſtituta & inuenta eſt ut mentis conceptū explicet. Porrò materiam ipſoſq; Commentarios ex ipſis ſumpſi literis apoſtolicis,has adhibui ſimpliciſſimis loquendi formis,ſed & ipſas inter ſeſe contuli. Plurima quoq; mutuatus ſum ex ſcriptorib. uetuſtis ac neotericis. Neq; hoc diſſimulaui. Plerunq; enim eorum poſui nomina, quorū uſus ſum explanationibus. Atq; hoc putaui eſſe bonæ fidei,ne quis furti reum agere poſſet, aut crederet quod non ſine fraude eorum qui me præceſſiſſent,inſtituiſſem me alienis decorare plumis. Interim facile cōtemno calumnias dicentium indecorum eſſe ut quilibet diſcerpat & polluat doctiſſimorum interpretum opera, præſtare uero ut his noſtris calcatis, iſtorum legantur integra uolumina,uel ut etiam his neglectis, ſola legatur Canonica ſcriptura, ne illis fortè plus æquo uideamur inniti. Neq; enim in hoc opere noſtro tantum aliorum expoſitiones recitamus,ſed in loco duntaxat, & cum ipſa res maxime poſcit ut recitemus. Neq; uero hæc noſtra huc tendunt ut Lectores abſtrahamus à lectione eccleſiaſticorum ſcriptorum, qui cupio ut ij quibus otium ſuppetit hos quoq; diligenter & ſobrie legant. Certe diuo Hieronymo ſcribente Commentarios ad prophetas hoc ipſum obijciebatur. Nam in Præfatione 2. libri in Micheam, Quod dicunt, inquit, Origenis me uolumina compilare,& contaminari non decere ueterum ſcripta, quod illi maledictum uehemens eſſe exiſtimant,eandem laudem ego maximam duco,cum illum imitari uolo quem cunctis prudentibus & uobis placere non dubito. Si enim criminis eſt Græcorum bene dicta transferre,accuſetur Ennius & Maro,Plautus, Cæcilius & Terentius, Tullius quoq; & cæteri eloquentes uiri, qui non ſolum uerſus ſed tota capita & longiſſimos libros & fabulas integras tranſtulerunt. Sed & Hilarius noſter furti reus ſit,quod in Pſalmos quadraginta ferme millia uerſuum ſupradicti Origenis ad ſenſum uerterit. Quorum omnium æmulari exopto negligētiam potius, quàm iſtorum obſcuram diligentiam. Tantum Hieronymus. Præterea nō ideo ueterum citamus dicta,quod horum ut ſcripturæ nitamur authoritati, ſed cum aduerſarij noſtri nobis obijciant ſcripturas nos pro noſtro arbitrio ad noſtras hæreſes nuper exortas detorquere,ueterū produximus teſtimonia,maxime in locis cōtrauerſis,quo aduerſarij noſtri uideant illa quæ dicimus nō nupera,non hæretica, ſed priſca eſſe & orthodoxa. Atq; hac ratione uolui

& ad=

& aduersarijs nostris inseruire, si forte & hos liceat lucrifacere Christo principi. Et sanè hanc rationem ualere apud illos qui errore non malitia doctrinæ euangelicæ contradicunt non semel testabatur sanctæ memoriæ mecœnas ille noster D. Vuolphgangus Ionerus quondam Capellæ Tigurinorum Abbas celeberrimus. Illis enim asserebat etiam se, satis aliâs superstitiosum & Papismo deditum, per initia innouatæ religionis ueræ, euictum, tandem repulso Papatu, doctrinæ euangelicæ dedisse manus. Nec uana erat ea uiri optimi deditio. Vocantem enim dominum constanter in confessione ueritatis sequutus pulcherrimam per mortem concessit ad dominum, qui hactenus fuerat pauperum pater & studiosorum patronus, misericors admodum in illos ut in hos liberalissimus, imò beneficus in omnes, sed & æqui bonique cultor obseruantissimus. Hæc uero hactenus, ne quid nimis, de Commentarijs nostris, & quid in ipsis obseruarim scribendis dicta sufficiant.

Postremo non est Lector quod hic expectes ullam commendationem doctrinæ Apostolicæ. Cum enim cœlestis diuina & maior sit quàm quæ ullum recipiat humanum testimonium, non uideo quorsum pertineat his immorari diutius. Hoc magis admonendum esse uidebatur, ut quisque apud se expendat, quo animo accedat ad lectionem literarum apostolicarum, cur accedat, aut quid inde expectet, aut cur illæ nobis datæ sint: non sanè ut de his garriamus in compitis, foro & conuiuijs, non ut ingenij acumen disputationibus philosophicis exerceamus in scholis & doctorum cœtu, neque uero ut hisce rem augeamus familiarem, sed datæ sunt in hoc ut essent commentarij beneficiorum dei, uiuendi regulæ & quæ adhortarẽtur ad pietatem uitæ colendam. Vnde facile licet æstimare, quo animo Lector pius ad has accedat, expurgatissimo nimirum, sancto & reuerenti, qui positis cupiditatibus terrenis & beluinis affectibus, non terrena, opes, honores, uoluptates, sed cœlestia, pietatem, iustitiam uitæque sanctimoniam spectet. Hæc enim ex Christiana philosophia expectanda sunt. Hæc non est contenta res docuisse sanctas, præceptaque uitæ pura tradidisse, nisi auditorem quoque habeat obsequentem qui illa uitæ exprimat sanctimonia. Hinc enim & Moses iubetur calceamẽta soluere de pedibus suis priusquam admittatur ad colloquium dei. Et dominus in Euãgelio, Beati, inquit, qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud. Non satis est, inquit, audisse, nisi etiam custodias. Nemo enim accendit lucernam, ut ponat eam subter lectum, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Equidem ita debet lucere lux nostra coram hominibus, ut uideant nostra bona opera, glorificentque patrem nostrum qui in cœlis est. Hæc inquam est uera Christi philosophia, ergo qui conuertuntur à

peccatis ſuis, Chriſto autẽ toto fidunt pectore, & iuſtitiæ perpetuò inuigilant, in hac uere philoſophãtur. Proinde quotquot recepiſtis euangelicam ueritatem, hæc ſpectate, in his toti eſte, huc omnia conſilia dirigite. Nam qui audit uerbum dei nec facit, ſimilis eſt homini qui ædificauit domum ſuam ſuper terram abſq; fundamento, in quam illiſus eſt fluuius, & continuo cecidit & facta eſt ruina domus illius magna. Qui autem nondum recepiſtis ueritatem euangelicam, ſed ipſam impugnatis adhuc, agè ad mentem redite, liuoreq; poſito expendite obſecro, qualis ſit doctrina noſtra, quæ ex ſcripturis Canonicis unum ſolum uerum uiuum & æternum deum in Chriſto prædicat per ſanctum ſpiritum, in hoc uno omne præſidium collocat, omnem ſpem, iuſtitiam & redemptionem, uitam, ſanctificationem, ſalutem & ſatisfactionem ſoli tribuit, quæ agnoſcit in Chriſto nobis datam eſſe omnem plenitudinem, hunc unum eſſe mediatorem, interceſſorem, ſacerdotem et hoſtiam ſemper duraturam ſatisq; efficacem ad expurgationem peccati totius mundi, quæ item uitæ innocentiam puritatemq; urget, ſcelera & errores perſequitur intentiſſime, denicq; quæ ſacramenta pure & ſancte tractat, orationemq; fidelem, charitatem & omnem diſciplinã commendat fideliter. Hæreſim autem omnem toto execramur animo. Ponentes itaq; paululum ferociam & inuidiam hæreſimq; intonandi libidinem, primum expendite hæc noſtra diligentius, deinde cogitate qualia ſint ſtudia ueſtra, quales in religione abuſus, & quanta ſcelera ueſtra. Inficiari hĩc nihil, diſſimulare poteſtis nihil. Vobis enim impune peſſimis eſſe licet, quibus interim dixerat dominus, Vos eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi. Vbi enim luxus uitæ, crapula, libido, ſcortatio, ſtupra & adulteria frequentiora ſunt quàm apud uos? Auaritia profecto apud uos tanta eſt, ut non maior ſit in ullo ordine aut genere mortalium. Nam omnia religionis apud uos uenalia ſunt. Nouiſtis enim quid in orbem Chriſtianum deſignaueritis, & adhuc deſignetis impudenti ueſtra Indulgentiarum nundinatione, Miſſarum item & ſacerdotiorum prædiuiti mercimonia, ut alia taceã huius generis infinita. Peſſima ſunt hæc, ſed longe abominabiliora ſequuntur. Nam deo ſummo optimo maximo quod ſuum eſt eripitis, idq; creaturis etiam reluctantibus obtruditis. Abducitis à doctrina euangelica ad commenta hominum. Veritatẽ perſequimini exilio, proſcriptionibus, ferro et flamma. Occiditis teſtes ueritatis fideles, qui & iuſtitiã Chriſti domini pure prædicant, & peccata ueſtra accuſantes uos inhortantur ad pœnitentiam. Quid quod opes eccleſiaſticas maxima cum pauperum fraude & ſtudiorum bonorum abolitione profunditis turpiſſime? Quod ſi hæc negare uultis, ipſa uos ueſtra redarguet conſcientia, imò & orbis totus,

omnisq;

omnisq; omnium bonorum consensus, ipsaq; suspiria sanctorum ferent contra uos testimonia. Satis est, satis effusum sanguinis, insurrexistis contra dominum abunde satis, superq; satis blasphemastis nomen sanctū eius. Quod superest redite ad mentem fratres charissimi, redite ad mentem. Credite dominum ista aliquando iudicaturū. Nolite confidere carni aut brachio alicui carneo. Nolite confidere in principibus in filijs hominū in quibus non est salus. In deo salus est uera. Ad hunc redite per Christū redemptorem totius mundi. Iudaicus populus euadere non nisi sanguine & signo agni potuit: ita cū uastari cœperit mundus & percuti quisquis in sanguine & signo Christi inuentus fuerit saluus euadet. Respicite itaq; dum tempus est ad ueram & æternam salutem, & quia iam finis mundi in proximo est, ad dominum deum mentes uestras dei timore cōuertite. Nec uos delectet in sæculo inter iustos & mites impotens ista & uana dominatio, cum & in agro inter cultas & fertiles segetes infelix lolium & steriles dominentur auenæ. Nec dicatis mala accidere quia idolum uestrum Romanum cum religione sua à nobis non colatur, sed sciatis esse hanc iræ dei censuram, ut qui beneficijs non intelligitur, uel plagis intelligatur. Deum uel sero quærite, quia iam pridem per prophetam præmonens hortatur & ait, Quærite dominum & uiuet anima uestra. Deum uel sero cognoscite, quia Christus aduenies hoc admonet docetq; dicens, Hæc est autem uita æterna, ut cognoscāt te solum uerū deum & quem misisti Iesum Christum. Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmiū uitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna irrogabit supplicia. Quāta tunc erit fidei gloria, quanta pœna perfidiæ cum iudicij dies uenerit? quanta lætitia credentium, quanta mœstitia perfidorum noluisse isthic prius credere, & ut credant iam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, & uiuacibus flammis uorax pœna, nec erit unde habere tormenta uel requiem possint aliquando uel finem. Seruantur cum corporibus suis animę infinitis cruciatibus ad dolorem, spectabitur illic à nobis semper qui hic nos spectauit ad tempus, & in persequutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus perpetua uisione pensabitur, secundum scripturæ sanctæ fidem dicentis, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt ad uisionem omni carni. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabūtur timore horribili, & mirabuntur de insperata salute, dicentes inter se, pœnitentes, & præ angustia animi gementes, Hi sunt quos aliquando derisimus, & in similitudinem improperij habuimus. Nos insensati uitam

Cyprianus.

illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios dei, & quomodo sors illorum inter sanctos est? Ergo errauimus à uia ueritatis & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis uia & perditionis, & ambulauimus solitudines difficiles, uiam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam umbra. Securitati igitur & uitę dum licet prouidete. Offerimus uobis animi & consilij nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, hortamur dũ facultas adest, dum adhuc aliquid de sæculo supereſt ad ueræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere. Credite ergo & uiuite, & qui nos ad tempus persequimini in æternum gaudete nobiscum.

COMMENTARIORVM H. BVLLINGERI
IN OMNES APOSTOLICAS EPISTOLAS, DIVI VIDELICET Pauli XIIII. & Canonicas VII. INDEX.

Aaronis uirga docendi notat officium 698
Aaronicum ſacerdotium immutandum quia imperfectum 687
Abel fide iuſtificatus 717
Ablatum an repetere liceat Chriſtiano 159
Abrahæ fides qualis fuerit 38.b.128
Abrahã fide iuſtificatus & obedientia 46. 718. 366
Abraham fidei Chriſtianæ typus & Chriſtianus 34
Abrogatio legis quomodo intelligenda. pagina 687
Abrahę fœdus cum deo quale & quibus articulis 44
Abrahæ operum expenſio & merita cum fide 39
Abrahæ ſemen mundi hæres quod fuerit deſignatum 45
Abraham qua ratione pater fidelium 41.46
Abſolutio qualis ſanctorum 410
Abſtinentia qualis epiſcopum deceat 593
Abſtinentia Chriſtiana à carnalib. b.29
Accedere ad deum quid b.24
Aculeus mortis exponitur 258
Adam & Chriſtus comparantur in cauſſa peccati & gratiæ 50
Adoleſcentulas fœminas quid deceat 626
Adoleſcentia cana non contemnenda 583
Adoleſcentia ſancte inſtituenda 575.576
Adorandus ſolus deus b.110
Aduentus Chriſti duo 704
Aduentum domini quid præcedet 527
Aduentus Chriſti ad iudicium 526
Adulationis graue malum 504
Aduocatus noſter Chriſtus in cœlo b.80
Adflictio duplex, pro iuſtitia, & ob ſcelera b.46.47
Afflictio ſanctorum exemplum eſt iudicij dei 524
Afflictionis ſanctorum utilitas 283
in Afflictionibus ſanctorum immota fides 283
Afflictiones huius uitæ incõparabiles beatitudini noſtræ 70
Afflictionum laudes in Chriſtianis 264
Afflictionũ genera à Paulo enumerata in ſanctis 76
Altare Chriſtianorum quale 729
Ambitionis crimine Paulus minime laborauit 345
Ambitio pſeudapoſtolorum 468
Ambulandum ſimiliter Chriſto b.82
Ambulare ſecundũ ſpiritum & ſecundum carnem quid 67
Amandi & iuuandi etiam incogniti de facie 481
Amicitia ſimulata qualis 99
Alacritas charitati adſit 99
Anus quid deceat 626
Anni quibus Iſraël peregrinatus in Aegypto ſupputantur 371
Anathema quid dicatur 345
Anathema maranatha quid ſit 262
Anathema Ieſum eſſe quis dicat 217
Anathema quid dicat Græcis & Hebręis 77
Animæ ſanctorum Chriſti ſanguine purgatæ à peccatis b.40
Animam eſſe immortalem b.44
Animas uiuere defunctorum omnes ſapientes probarunt 241
Anima qua ratione caro dicatur, licet ſit ſpiritus 65
Animus ſecundis rebus nõ efferẽdus 472
Animi uera ſecuritas 295
Animo duplices qui dicantur b.135
Animorum uera caſtificatio b.21
Animorum quales motus b.111
de Angelorum ordinibus 413
Angeli Chriſtum adorant ut deum 652
Angelis quomodo nõ deus pepcerit b.65
de Angelis parce & pure ſcriptura diſputat 654
Angeli quomodo ſpiritus dicantur 654
Angeli Chriſto minores & ſubiecti 657
Angelus quid ſit 654
Angeli quomodo flamma ignis ibid.
Angeli quomodo differant ignoratur 654
Apis deus Aegyptiorum 13
Antichriſti ingenium & regnum 535
Antichriſtus & antichriſti q dicantur b.86
Antichriſto unde tanta poteſtas & proſperitas 544
de Antichriſto uaticinium Danielis 540

Antichristi ortus 529
Antichristi & Christi antithesis 537
Antichristus effertur aduersus deum & cultum 538
Antichristus quando & quomodo reuelandus 541
Antichristi ruina & interitus 542
Antichristi regnum in potentia & mendacio 543
Antichristi signa uera & falsa ibid.
Anumines qui 557
Apostolorum qualia monimenta in scripturis b.59
Apostolus dicitur etiam Christus 662
Apostoli omnes parem acceperunt potestatem à Christo b. 4
Apostolica supellex Pauli 618
Apostoli nomen & officium 673
Apostolorum omnium una doctrina, & æqua potestas 356
Apostolicus si rex esse possit 102
Apostolicorum uaria studia 6
Apostoli à dño mittũtur & prohibentur 7
Apostoli docuerunt uiua uoce uel epistolis 546
Apostolorum nullum discrimen in ueritate 321
Apostoli qui dicantur 222
Apostolus Paulus uocatus à Christo resurgente & glorioso 341
Apostolorum quatuor genera ibid.
Apostoli ministri sunt euãgelici profectus. pagina 137
Apostoli dispensatores mysteriorũ dei 142
Apostolus in actione sua, suo nõ indulget arbitrio 4
Aquila Ponticus & Prisca uxor quales 118
Arrabo & pignus ut differant 411
Arrabonis significatio 268
Arabum dementator Mahumetes 489
Arabibus quare Paulus primum prædicauerit euangelium 349
Arrij hæresis b.63
Arca testamenti exponitur 697
Argumentum uarie dicitur 715
Aristotelis turgidum ingenium 1
Aristocratia qualis magistratus 101
Arma apostolorum quæ 314
Armatura & pugna Christiana 447.448
Artium moderatum studium necessarium esse theologo 135
Arrogantia exploditur 399
Athanasij sententia de imaginum pictura pro literis 15
Auaritia pestis maxima 598
Auaritia absit episcopis 504
Auaritia & anxia solicitudo desit pijs 470
Auaritia contraria fidei 593
Auaritia quid sit 18
Auaritia dicitur adulterium & idololatria. b.114
Audire deum nos quid sit b.105
Auditus quomodo in Eucharistia reficitur 210
Aurum ut igne probatur b.8
Auxilium diuinum adest ubi cessat humanum 332
Azyma synceritatis & ueritatis exponit 152

B

Baalim qui dicti Iudæis 13
Babylon quæ dicatur à Petro b.54
Bacchanalium rituum scelera 17
Balaam qui discipuli b.68
Baptismus per nubes signatus duo complectitur 188
Baptismi mysteriũ & institutũ quod sit 55
Baptismus noster Christus est in remissionem peccatorum b.41
Baptismata uaria apud ueteres ibid.
Baptismus abluit & regenerat 631
Baptizari in mortem Christi quid sit 55
Baptismus est circumcisio Christi 485
Baptismatum doctrinæ in ecclesia 678
Baptizabantur quidam post mortem præuenti morte 246
Baptizant gentes sepulta corpora 246
Baptismus successit circumcisioni 485
Baptizati fiunt peculium eius cuius nomine baptizantur 127
Baptismo præfertur euangelij uerbũ 128
Baptismo unde mundificatio 442
Barbarum quid dicatur 231
Barnabas eleemosynæ collector 309
in Bellis quæ iure culpentur uel admittantur 160
Bellũ ex caussis necessario instituitur ibid.
Bello etiam optimi opprimuntur 640
Belial quid Paulo dicatur 296
Benedicitur minor à præstantiore 686
Benedictio qualis intelligatur ibid.
Benedictio Abrahæ qualis intelligẽda 370
Benedictio fidei datur & promissis 367
Benedictionis uerbum quo in usu Paulo. pagina 405

Beneficentiam sequitur gratiarũactio 313
Benefaciendum omnibus 550
Benefaciendi quis modus 307
Beneficentia Pauli calumniata 335
Bernensium religio & constantia 498
Bertrami presbyteri quædam de mystico cibo patrum 190
Bestijs obijci habetur maximum supplicio rum 248
Biblia ut nominentur Vetus & Nouum testamentum 694
Bilingues qui 575
Bonum omne à solo deo est b.113
Bona dicuntur dona, non merita b.113

C

Cæsaris nomẽ ad Germanos translatũ.
Calendæ ludæorũ & gentiliũ 488 (535
Candelabrum septenarium in sancto 697
Canon Missæ qualis 563
Cantus ecclesiastici & prophani 441
Cantus ecclesiasticus nimius nostra ætate & maiorum 232
Caput ecclesiæ Christus 477.413
Caput uir uxoris, Christus ecclesiæ 442
Caput Christi deũ esse, & mulieris uirũ 199
Capitalia facinorosorum supplicia qualia, & quare 151
Capitum distinctio parui momenti in epistolis b. 89
Capitis uelamen seruitutis insigne 201
Carbones ignis coaceruari in caput 100
Carcer sanctorum ubi fuerit b.40
Carnis natiuitas non promouet sanctimoniam 78. 79
Carnis opera enumerata 395
Carne abstinentium hypocrisis 580
Caro Christi soror carnis nostræ 244
Caro non iustificatur ex operib. legis 361
Caro & sanguis regnum dei non possidebunt 254
Carnalibus dediti liberi esse nõ possunt 61
Carnis huius resurrectio qualis futura 255
Caro Christi qua ratione uiuifica 289
Caro Christi uera asseritur 658
Carnibus uesci licere 197
Carnales & spirituales qui sint 68
Caro & homo non idem 32
Carnem resipit omnis homo ibid.
Carnis nomine intelligitur totus homo 65
secundum Carnem ambulare quid dicatur 67
Carolus magnus plura largitur Papæ 533
Castitatis exẽpla non constituunt legẽ 167
Castitatis contra coniugium professio, malorum caussa multorum 165
Cauendum si & quomodo in ecclesia 230
Caussæ primę adscribendi effectus, potius quàm secundis 119
Cẽsum agere & census æstimatio quid 104
Cenchrea ubi & quale oppidum 118
Cephas quis & quare dictus 356
Ceremonijs sancti nihil tribuerunt b.11
Ceremoniarum ecclesiasticarũ libertas ex Augustino 212
Cerua Sertorij donum Dianæ 489
Charitatis præceptum uetus est b.82
Charitas consummatio legis b.45
Charitati non defit humilitas 99
Charitas dei ad homines amplificat b.98
Charitas pro deo sumitur diligente b.99
Charitatis exemplar Christus b. 93
Charitas ecclesiastica qualis docetur 99
Charitas amplissima donorum 227
Charitatis natura effectus & fructus enumerantur 225
Charitatis ueræ notæ quædam b.100
Charitas præfertur eloquentiæ 224
Charitas excellit prophetiam, scientiam, fidem ibid.
Charitatis regula omnia dirigantur b.110
Charitas uirtutum colophon 494
Charitatis exemplum Christus 457
Charitas gemina exigitur à fidelib. 555
Charitas scopus totius legis & scripturæ.
Charitas per fidem absoluitur 556 (554
Cherubim gloriæ supra arcam 69.8
Chirographum quare & quale lex est 486
Chloë si locus uel fœmina 126
Christus deus & homo euangelijs prædicatur 4
Christi duplex generatio 4. 5
Christi diuinitas probat triplici argumẽto
in Christo quomodo deitas 290 (5
Christus uerbum ab initio b.75
Christus quomodo filius dei consubstantialiter 290
Christo qui dicantur insiti 290
in Christo natura humana & diuina colligitur 341.b.100
Christo omnis debetur gloria 390
Christus omnis sapiẽtiæ colophon & thesaurus 481
Christus omnibus creaturis maior 424
Christus qua ratione caput ecclesiæ 432

Christus imago patris 578
Christus unius cum patre substantię 457
Christus uerus homo 458
Christi gloria & humiliatio 458
Christi cognitiõis magna est excellẽtia 466
Christus mediator solus 567
Christus etiam apostolus & legatus nominatur 662
Christus ut fidelis in actione dicitur 662
Christus Mosi præfertur 662
Christus & Moses inter se comparantur pagina 663
Christus hæres quomodo dicatur 647
Christus character substãtiæ paternæ 648
in Christo subsistere omnia 643
Christi diuinitatis testimonia 649
per Christum omnia condita 647
Christus leuitis omnibus maior 685
Christus unica psona, natura duplici b.42
Christus adoratur ab angelis, ergo de⁹ 652
Christus successores non habet 689
Christus quomodo splendor patris 647
Christus iustitia omnium sæculorũ b.14
Christus & Adam comparantur in causa peccati & gratiæ 50
Christum uenisse in carne quid b.97
Christi gloria uictoria & regnum b.16
Christus quare dicitur filius hominis b.16
de Christi passione & gloria testimonia pagina b.16
Christus patri coæqualis b.17
Christus cur pauper factus 305
Christus reconciliauit homines deo & inter se 421
Christo nobis p̃betur aditus ad patrẽ 421
Christus author iustitiæ & gratiæ 361
Christus unica salus & gloria fideliũ 402
Christus se tradidit p nobis oblationẽ 437
Christi sacerdotis officiũ intercedere 674
Christus orãs pro nobis quõ exaudit⁹ 675
Christus semel semetipsum obtulit 691
Christus sacerdos ꝑpetuus & cœlestis 692
Christ⁹ agn⁹ ab origine mũdi occisus b.20
Christus natus nouissimis tẽporibus b.21
Christus sacerdos nõ secundũ legem 687
Christus natus sub Romano imperio b.13
Christus à temporibus Adam semẽ & germen nominatus b.13
Christus angularis lapis in ædificio ecclesiæ 421
Christi cognitio in mysterio 423
Christus reconciliatio nostra 291
Christus propitiatio nostra b.81
Christus maledictum non maledictus 369
Christum esse uitam fidelium 341
Christi qualis unio cum ecclesia 444
Christus quomodo in cœna b.9
Christi uera caro & humanitas probatur pagina 658
Christus cur hominem assumpserit 659
Christus cur angelum non assumpsit 659
in Christo habetur redẽptio & exemplum pagina b.39
Christus omnibus saluator 410
Christus uerus de⁹ fundamẽtũ fideliũ 476
Christus quibus in ecclesia modis diuiditur 117
in Christo habentur omnia 278
Christum nosce quid b.81
Christus iustificat sine præsidio legis 467
Christus omnium omnia peccata delet 53
Christ⁹ cur dñs in scripturis appelletur 179
Christi exemplum proponitur 723
à Christo deficere quid sit 342
Christi mors est fidelium uita b.40
Christum pati oportuit 701
Christus testator & mediator 701
Christus pictus apud Galatas 364
Christus apud Galatas crucifixus 364
Christum ad inferna descendere b.43
in Christo nobis oñia donata à patre b 56
Christus dicitur ad dextram patris sedere dupliciter 206
Christi carnalis præsentia non est necessaria ecclesiæ 206
Christi corpus quomodo præsens sit ecclesiæ 206, 207
Christus nõ iterũ sacrificand⁹ in Missa 196
Christi ministeriũ gratia & cõdonatio 361
Christi pedibus oñia subiecta quid sit 246
Christus legis iustitia est 86
Christus p̃dicatur à synceris & impijs 454
Christi uictoria & triumphus 428
Christus qua ratione caput ecclesiæ 442
Christus qua ratione ubiq; 430
Christus donis suis implet omnia 430
Christus primogenitus prẽlatus omnibus creaturis 477
Christus caput ecclesiæ 477
Christum sedere ad dexteram patris 650
Christus Iudæis lapis est offensionis 85
Christũ implere oñia quõ accipiendũ 413
Christi contemptorum pœna 713
Christ⁹ orbis iudiciũ exercebit aliquãdo 24

Christus

Christus iudex quomodo adeundus 671
Christus intercedit pro peccatorib. ibi.
Christianæ religionis capita b. 12
Christiani etiã fiunt antichristiani b.86
Christiani plures in aula Neronis 473
Christianorum quales diuitiæ 599
Christiana libertas & seruitus docetur 59
Christiani filij dei b.90
Christianæ fidei quanta authoritas b.60
Christiani fuerunt ueteres, & ante Christi incarnationem 377
Christianorũ & gentiliũ studia diuersa 296
Christianus noua creatura 289
Christiani est quærere quod conducat & proximum ædificet 197
Christianus uiuit de spiritu Christi 195
Christiani à non Christianis non iudicandi in foro 158
Christianum nomen sanctis sufficit 127
Christiani non manent in peccato 69
Christianitas laudatur ab origine, uetustate & fine 134
Christianis oñib. cõmunis sit affectus 100
Christianorũ duplex nota, charitas & innocentia b.85
Christiani loco Iudæorũ populus dei b.27
Christiani qui sunt pie uiuunt b.82
Christiana religio ĩ mũdo male audit b.30
Ciborum libertas & delectus 581
Cibis sumẽdis gratiarũactio p̃mittẽda 581
Ciborum abstinentia superstitiosa 491.729
Cibi ad quid dati hominibus 491
Cibus per se neminem polluit 197
Cibum capere cũ pijs uel impijs quid 154
Cibus mysticus patrum ueteris testamenti & noui 188
Cibus moderatus & necessarius sit 163
Ciceronis iudicium de diuitijs 104
Circũcisionis loco successit baptismus 485
Circũcisio non necessaria ad iustificationẽ.
Circũcisio exterior & interior 485 (464
Circumcisio Christiana quæ 485
Circũcisus q̃modo fiat debitor totius legis
Circũcisionẽ Paulus nunq̃ p̃dicauit 393 (391
Circumcisio instituta ut sit sigillum iustitię fidei 40
Circũcisio quale fuerit fœderis signũ 44
Circumcisio quibus & ad quid bona 26
Circũcisio ut uertat in præputium 27
Clauium ecclesiasticorum potestas 315
Clerus qui dicantur b.51
Cœlibatus qualis cõmendãdus uel nõ 570
Cœlibatus impurus ustorum & pseudoreligiosorum 168
Cœlibatus laudatur ut felicior, matrimonium ut tutius 174
Cœnæ dominicæ restitutio 709
Cœna mystica q̃modo corrupta & quando 561
Cœna mystica qualis olim in ecclesia 562
Cœnæ contemptorum pœna 214
Cœna domini instituta ad rememorationem mortis Christi 212
Cœnæ domini usus non quo ad numerũ uel tempus præcipitur 212
in Cœna dñica non sit luxus 203
Cœna domini quomodo edenda ibi.
Cœna dominica propria non sit 204
Coinqnatio animæ & corporis qualis 298
Collecta unde dicta & quando 260
Colloqa praua bonos mores corrũpũt 438
Colloquium permulta potest in rebus humanis 248
Colendus deus docetur in spiritu 6
Cõmentaria non contemnẽda in sacris 2
Commentariorũ uarius finis & ratio 338
Commentatoris officia quæ 263
Commentariorum semper erit materies et usus 123
Commune Hebræis quod immundũ 110
Cõmunicare sacris dæmoniorũ non licet.
Comus deus ebriorum b.42. (195
Concordia signaculum Christianorũ 468
Concordia in ecclesia Christi 124
Concordia ecclesiastica promouenda 126
Concordiæ studiũ in ecclesia sanctum 456
Conculcare Christum 712
Confiteri multa significat b.96
Conformes qui & quomodo fiant filij dei electi 74
Coniugium Christianum in primis instituendum 441
Coniugij & uirginitatis collatio 175
Coniugum illicita separatio 168
Coniugiũ nouercarũ turpe etiã gentib. 148
Coniugalis congressus honorabilis 166
Coniunx beneuolentiã reddat debitã ibi.
Coniugij duplex causa ibi.
Connubium impar etiam non facile rumpatur b.34
Connubiũ quid & q̃ aliqñ incõmodũ 165
de Connubio Metelli Numidici sententia præclara ibid.
Conscientia bona nihil suauius b.39

Conſcientia cauteriata quæ 579
Conſcientia mali accuſatrix in iudicio 24
Conſtantia eccleſiæ neceſſaria in euangelica ſimplicitate 123
Conſtantia Pauli in uinculis 424
Conſtantia in pietate 725
Contentioſi qui dicantur, in peccato manentes 22
Continentia coniugum ex pacto 167
Conſubſtãtialis q̃modo patri ſit filius 648
Contemptibiles quomodo eligendi dicantur ad iudicandum 159
Contriſtant miniſtri eccleſiarũ plebes 300
Contumelioſi qui dicantur 19
Cor mundum duplicato opponitur 555
Corinthij dicuntur epiſtola Chriſti 274
Corinthiorũ 2. epiſtola ubi & quando ſcripta 272
Corinthiorum luxus & auaritia 123
Corinthiari quid dictum 162
Cornua duo Mahumet & Papa 535
Cornu paruũ q̃modo ſeſe erexerit 530
Corripiunt uere amantes 270
Correptionis modus 270
Corpus Chriſti quale aſſumptum à uerbo pagina 660
Corpus Chriſti quomodo præſens in pane ibidem
Corpus Chriſti glorificatum quoq; in loco eſt ibid.
Corpus noſtrũ quomodo tractandũ 512
Corporis Chriſti ueritas qualis 429
Corporum reſuſcitatio deo non impoſſibilis 469
Corporalis exercitatio ut profit 582
Corporũ immutatio qualis in reſurrectione 255
Corpus q̃d operaſ etiã mercede donabiſ.
Corpus animale & ſpirituale quod (256
dicatur 252.253
Corpus glorificatũ quod dicatur 253. 254
Corpus ſuũ unicuiq; animæ reparabiſ 250
Corporum reſuſcitatorum diſcrimen ibi.
Corporis dñi & ſanguinis reus q̃s dicaſ 214
Corpus Chriſti q̃modo pani uniatur 209
Corpus Chriſti quomodo præſens ſit eccleſiæ 207
Corpus Chriſti ſecũdum formam carnis non eſt ubiq; ex Auguſtino ibi. (207
Corpus eſt hic panis, ſymbolica eſt oratio.
Corpus Chriſti ſecundũ quendã modum dicitur ſacramentum corporis Chriſti, iuxta Auguſtinum 205
Corporis Chri & ſanguinis ueri ratio 206
Corpus & figura Chriſti relatiue 487
Corporis poteſtas in coniugibus 164
Corpus peccati & corporaliter inhabitare deum quid ſit 56
in Corpore noſtro quomodo deus glorificetur 165
Corpus ut Chriſti membrũ ſancte tractandum 163
Corpus dupliciter accipitur 164
Cultus dei uerus quomodo abſoluitur 502
Cultus dei rationalis quis ſit 96
Cultus nullus creaturarũ admittendus 16
Cupiditates deſtruunt pacẽ mentis b.133
Curioſitas fœda 589
Curioſitas nõ decet Chriſtianos, etiam in dogmatibus 596
Cura Pauli pro eccleſia, diſſimilis noſtris epiſcopis 328
Crediderunt ueteres futurũ quem nos preteritum credimus 189
Credentium paucitas unde 280
Cretenſium proprius propheta Epimenides 624
Cretenſes uanitatis arguuntur 624
Creta inſula idololatria corrupta 621
Crimina qualia et quomodo in eccleſia plectenda 148
Crux malũ domeſticũ neceſſariũ q̃tidianũ.
Cruce probantur fideles 507 (509
Crux à Chriſtianis baiulanda b.32
Crux ſanctorum & malorum b.8
Crucifigere ueterem hominem 56
Crux dicitur de crucifixo Chriſto prædicatio 128
Cruce aperitur ingens & uera ſapiẽtia 130

D

Daniel quare uir defideriorum b.13
Debitũ dicitur coniugalis congreſſus 166
Debita omnibus ſoluenda docentur 104
Dei ueri & unius multa apud gentiles nomina 12
Deus mortalis & immortalis apud Strabonem ibid.
Deum eſſe eſt prodeſſe mortalibus ibi.
Deus unus Iudæorum & gentium 37.567
Deus ſimul diſcitur eſſe bonus & iuſtus 83
Dei nomina adonai & elohim quid ſignificent 297
Deum multis appellarunt nominib. 482
Dei gloria & maieſtas deſcribitur 600

Dei unitas & trinitas oſtenditur 649
Deus natura unus & uerus 381
Dei cognitio à deo eſt in gẽtibus quoq; 10
Deus ſæpe & uarie locutus patribus 646
Deum ignorantes quidam quales 249
Deus nemini facit iniuriam 95
Deus adeſt in tribulationibus ſuorum 264
Dei oſores qui ſint 19
Dei cognitio uitia excindit 18
Deus externis ceremonijs nõ colẽdus 502
Deitas quomodo in Chriſto 290
Dei ſolius eſt uocatio, ſalus & iuſtificatio 81
Dei beneuolentia ſanctos conſolatur 75
Diuorum interceſſio uane iactatur 661
Diuorum cultus ſuperſtitio prohibita 330
Diuos non colendos 282
Deos multos ſi & quomodo gentes crediderint 12
Dijs nõ dæmonijs gentes offerre ſacra uolebant 195
Dijs ut & quare inſtituta ſimulachra 13
Diuis non ſupplicandum 264
Deorum triginta millia culta in orbe 12
Deos pudendos Romani coluerunt ibi.
Deferendum quidem infirmis, ſed nõ improbis 353
Deficere à Papa & à Canonica ſcriptura, non idem 540
Defectio qualis ante Chriſti aduentum ad iudicium 528
Delationes corripiendæ ſint certæ 116
Demas quis & quale quorumq; exemplũ. pagina 613
Democratia qualis magiſtratus 101
Dæmon pro diabolo accipit à Paulo 196
Dæmonas quos Apuleius dicat 12
Deſcendit ad inferos exponitur 35
Dextræ ſocietatis ut dentur 355
Dextera dei in ſacris dupliciter intelligitur pagina 206
ad Dexterã dei Chriſtus ſedere dicitur dupliciter ibid.
Diabolo calũniatori locus nõ dandus 435
Diabolus expugnatur ſobrietate & uigilia b.53
Diaconi in eccleſia qui dicti 223
Diaconia & miniſterium in eccleſia 98
Diaconi epiſcoporum miniſtri 575
Diaconi functio declarat epiſcopi dignitatem 577
Dialecticæ probationis duplex ductus 242
Digamiam ſanctuli damnant 167
Dilectio functionũ humanarũ amuſſis 105
Dilectio expungit indignationem 437
Diſciplina qualis in eccleſia ſit 150
Diſſidium peſtis eſt Euchariſtiæ 203
Diſſidia quæ in eccleſia Corinthiorũ 126
Diſputatores uitandi Chriſtianis 597
Diſputationum & quæſtionum quis fructus in eccleſia 596
Diſputationes theologicæ 556
Diuortium quale permiſſum à dño 168
Diuitũ officia humilitas, beneficentia &c.
Diuitum ſpes uana 601 (600
Diuites boni & mali b.119
Diuitiarũ priuatarũ ſtudiũ immoderatum
Diues qui ſapiens & ſolus 597 (b.133
Diuitiarum quis uſus 598
Diuitum uana conſilia ibid.
Diuitiæ inter difficilia computantur ibi.
Diuitiarum uerus uſus 472
Diuitiæ temperatæ ſint Chriſtianis 308
Diuitiæ ueræ & falſæ 294
Docendi muneri quis præficiendus b.130
Doctrina eccleſiaſtica dijudicetur à ſedentibus in eccleſia 236
Doctrina ſana tradenda in eccleſijs 553
Doctrinæ dæmoniorum 579
Doctrina ſana quomodo corrũpitur 602
Doctrinæ ſanæ ſumma colligitur 560
Doctrina hæretica quæ 632
Doctrina ſana quæ dicatur 557
Doctrina apoſtolorum ipſiſſimũ uerbum dei 506
Doctrina ueritatis ſemper & ubiq; ſibi ſimilis 147. 463
Doctrina Pauli ſana & uera 504
Doctrina apoſtolorũ non eſt humana 314
Doctrina ſæculi poſterioris qualis 522
Doctrinæ humilitas ſimplex, non contemnenda 122
Docti & boni liberaliter alendi in eccleſia. pagina 634.184
in Doctoratum pompaticum 431
Doctores quos Paulus dicat 222
Doctori adſit lenitas ac ſeueritas 147
Doctoris ueri ingenium 146
Doctorum nomina diſcipulos inflare non debent 122
in Doctore eccleſiaſtico qualis fidelitas exigatur 143
in Doctoribus etiã bonis nõ gloriandũ 127
Dogmata qualia anathemate ferienda 345
Doli nomine quid dicatur 18

Dominorum officium 446
Dominica tẽpla quando & unde dicta 259
Domini monẽtur officij ſui ad ſeruos 595
Doni ſui rationem quiſq; conſideret 167
Donorum diuerſitas non pariat diſcordiam 428
Dona dedit hominibus exponitur 429
Donatio regũ Francię & Conſtãtini dicta. 534
Dona dei in nobis ſuſcitãda 603
Dona dei dantur homini ut profit, non ut efferatur 217
Donis dei ad faſtum nõ abutendis 221,222
Donorum ſpiritus catalogus 218
Dona uaria diſpenſat deus in eccleſia 97
Dormiemus omnes, ſed nõ omnes immutabimur, exponitur 256

E

Ebrius peccans dupliciter puniẽdus 576
Ebrius & ebrioſus quis 153
Ebrietas fomes obſcœnitatis fugiẽda 440
contra Ebrietatem 519
Eccleſiæ nomen late patet 497
Eccleſiæ fundamentum & facies 422
Eccleſia Gentium & Iudæorum ſignificata in filijs Iſaac 79
Eccleſia una ex Iudæis & Gentib. 419,420
in Eccleſia homines ſunt ædificãdi, exhortandi & conſolandi 219
Eccleſiæ authoritas nõ eſt maior euãgelio. 283,288
Eccleſia una ueterũ & noſtra 349
Eccleſia creuit martyrum ſanguine 333
Eccleſia Chriſti qualis & quæ 663
Eccleſijs periclitãtib. q̃modo ſuccurrendũ. 577
Eccleſiam eſſe domum dei 147
Eccleſia columna ueritatis ibid.
Eccleſiæ nutritij principes ſint & reges 156
Eccleſiæ oneroſi multifariam 322
Eccleſiæ unius multa nomina 119
Eccleſiæ iudiciũ quatenus formidandũ 149
Eccleſiæ omnia ſubijciantur 142
Eccleſia uiſibilib. colligitur ſacramẽtis 189
Eccleſia qualis peccata puniẽdi poteſtatem habeat 150
Eccleſia ſanctificatorum numeroſa cõgregatio 124
Eccleſiæ conſentientis condonatio 272
Eccleſia uarie turbatur 528
Eccleſia qualis cõmiſſura & unitas 432
Eccleſiarum uariæ ceremoniæ 562
Eccleſia quid debeat uerbi miniſtris 520
Eccleſię potiſſimę uirtutes cõcordia & pax pagina 426
Eccleſiæ noſtræ eiſdem laborãt incommodis quibus priſcæ 122
Eccleſia uni deo per Chriſtum hæreat 138
Eccleſiæ & religionis ueræ unicum fundamentum 140
Eccleſiæ beatæ ſigna & felicis 510
Eccleſia una & populus ac uinea una b.28
Eccleſiaſticarum opum nouus abuſus 591
Eccleſiæ inutiles nutriendi cõmittunt 590
Eccleſiaſticæ facultates quomodo diſpenſandæ ibid.
Eccleſiaſtici cœtus ueterum quales 561
Eccleſiaſticum officiũ quale implendũ 200
Eccleſiaſtica mulcta qualis eſſe debeat 150
Edere Chriſtum quid ſit & bibere 190
de Electione dei caute loquendũ 405
Electio dei iuſta & ordinaria b.5
Elementa mundi quid 676
Eleemoſyna cito & largius donanda 311
Eleemoſyna committẽda fidelibus diſpenſatoribus 309
Eleemoſyna q̃modo & quando & quibus danda 259,305
Eleemoſyna detur de propꝛijs 306
Eleemoſyna Cõmunio dicitur à Paulo 116
Eleemoſyna qualis exerceat in eccleſia 98
Eleemoſynã ut petat à Rom. Paulus 115
Eloquentia qualis quærenda theologo 1
Enoch fide immortalitatem aſſecutus 717
Epiphanius Cypri cõtra imagines armat. 622
Epiſcopi quibus careant uitijs 14
Epiſcoporũ & paſtorũ munia uera 622,584
Epiſcoporum laborioſa functio 623
Epiſcopis non deſunt impoſtores ibid.
Epiſcopus exemplar ſit pietatis 627
Epiſcopi ad quid inſtituti 621
Epiſcoporum & presbyterorũ nomen ut differant 621
Epiſcopi q̃d in eccleſia p̃dicare debeãt 616
Epiſcopi futuri à puero inſtituant in ſacris 614
Epiſcoporũ exemplar Paulus 614. 615
Epiſcopi ſi laborare manibus debeant 584
in epiſcopi ordinatione tria neceſſaria 585
Epiſcoporum obiurgatio qualis 585
Epiſcopi doctrina qualis 583,557
Epiſcoporum zelus in ſuas eccleſias 319
Epiſcopi quales ſint milites 560
Epiſcopi quali ſint animo in ſuos 270
Epiſcopus ſit homo frugi 574
Epiſcopi mundana negligant 607
Epiſcoporum quale ſacramentum 599
Epiſcoporũ noſtri temporis ingeniũ 146

Euangelij ſumma & ſubſtantia b.23
Epiſcopi noſtri qualiter reformare poſſint abuſus 591
Epiſcopus ſit aptus ad docendum 573
Epiſcopus, presbyter, propheta, doctor, &c. confunduntur nominibus 431
Epiſcoporum iudicia & priuilegia 592
Epiſcoporum pernitioſa impunitas ibid.
ad Epiſcopatum quomodo uocandi 672
Epiſcoporum indigni nomine quidã 149
Epiſcopi q dominationes contẽnunt b.66
Epiſcoporum tyrannis & crudelitas ibid.
Epiſcoporum nomine luxus b.67
ad Epiſcopos exhortatio 149
Epiſcoporũ noſtri temporis eruditio b.51
Epiſcoporum pernitioſa auaritia b.50
Epiſcopis Romanis omnia uenalia b.11
Epiſcoporum ambitio ibid.
Epiſcopalis dignitas quid habeat b.49
Epiſcopi uox officij eſt, non dominij 673
Eccleſiam naſci ex uerbo ueritatis, nõ contra 146
Epiſcopos q̃s pudeat euangelij & crucis 8
Epiſcoporũ doctrina ſana ſit & ſobria 595
Epiſcopus uacet à ſtudio pecuniæ 597
Epiſcopus quomodo ſe gerat erga aduerſarios 611
Epiſcopi & familiæ eius deſcriptio 570
Epiſcopatus ſi & q̃modo appetendus 571
Epiſcopus q̃modo irreprehenſibilis ibid.
Epiſcopus unius uxoris uir exponit ibi.
Epiſcopus bigamus 572
Epiſcopi Germaniæ conſtantes contra Papam mala iubentem 572
Epiſcopus luxũ dãnet & hypocriſim ibi.
Epiſtolarum Pauli ordo ſecundũ tẽpus 123
Epiſtola ad Rom. liber euangeliũ explicãs 1
Epulæ ſacræ in cultu idolorũ fomẽta quoque erant aliorum criminum 191
Epulæ ſacræ Chriſtianorũ ad exemplum gentilium 202
Eruditum ſermonẽ quem Paulus dixerit & uitarit 128
Ethnicum & publicanum eſſe quid 151
Euangeliũ q̃modo ad nos perlatum 655
Euangelij ſumma in duobus 604
Euangelium mortuis prædicatũ eſſe b.40
Euãgelica prędicatio nõ fauet ſceleratis 513
Euangelium fructificat, etiam à malis prædicatum 454
in Euangelij fide perſeuerandum 479
Euãgelij prædicatio afflictiones parat 479
Euãgelium docet nos gratis iuſtificari per Chriſtum 476
Euangelio digne uiuere 455
Euangeliſtæ qui dicti 430
Euangelium confirmatur uinculis 452
Euangelij breuiſſima ſumma 239
Euangelium lege excellentius multo 374
Euangeliũ unum prædicauerunt ueri apoſtoli 320
Euangeliũ aliud quare dicatur à Paulo 343
Euangelium qui habere dicantur ibi.
Euangelica ueritas non comprobatur authoritate humana 349
Euangelium quare quibuſdam ſordeat 325
Euangelica ſimplicitas qualis 344
Euangelium detorquentes qui ibid.
Euangelio inhærendũ ſemel ſuſcepto ibi.
Euangelij collatio ad legalia 277 (346
Euangeliũ Paulus didicit Chriſto doctore
Euangeliũ uetus eſt doctrina & ueritas 342
Euangelij ex deo noua prædicatio 290
Euangelij odor ſuauis & grauis 273
Euangelio quatenus credendum 289
de Euangelio uiuant prædicatores, non diuitijs affluant 185
Euangelij prædicatoribus licet de euangelio uiuere 183
Euangelij prouẽtus nõ miniſtrorũ, ſed dei. 3
Euangelij ſimplex eſt prædicatio 128 (137
Euangeliũ nõ prędicaſ abſq; periculis 145
Euangelium q̃modo dicatur dei potẽtia 8
Euangelium quid priſcis & nunc nobis ſignificet 4
Euangelij uetuſtas & authoritas unde 4
Euãgeliũ, ppheticis ſcripturis declaratur 4
Euangeliũ qua ratione dicatur ſtultitia 130
Euangeliũ qd ſit, & quæ eius nobilitas 7
Euangeliũ in prophetis fundatum b.61
Euangelij optima explicatio in epiſtola ad Romanos 1
Euãgelij ſumma in duabus partibus ſita 2
Euangelij quanta authoritas 656
Euchariſtia iuxta modum à Chriſto inſtitutum celebranda 215
Euchariſtia memoria eſt redẽptiõis noſtrę. 3
Euchariſtia quatuor ſenſus hominis (209
in fidei obſequiũ pertrahuntur 210
Euchariſtia qua ratione ſignũ, ſymbolũ, figura, memoraculum &c. dicatur 208
Euchariſtia memoria eſt mortis dñi 204
Euchariſtia quid dicatur 202
Euchariſtia uerſa in cœnam ibid.

Eucharistiæ pestis dissidium est 203
Eucharistia olim celebrata in cœtibus assidue 200
Eucharistia ueteribus gratiarũactio 213
Exarchatus datus Pont. Romano 533
Excremẽta æstimãda omnia propter Christum 464
Excommunicatio qua uia & modo restituenda 151
Excommunicatio & exclusio qualiter agenda ex Augustino 157
Excõmunicationis abusus in ecclesia æuo nostro 148
Excõmunicatus quomodo tractãdus 151
Excommunicationis inferẽdæ authoritas penes quem 150
Excõmunicatio apud ueteres & unde hoc nomen ibid.
Exemplorũ promptuariũ confictum 617
Exemplũ malum in ecclesia pnicioſum 152
Exemplum Christi & sanctorum 607
Exempla quæ & quomodo imitanda 501
Exempla ueterum nobis imitãda proponuntur 188.193
Exẽpla castitatis non constituunt legẽ 167
Exemplũ uitæ nostræ Christus b.82.b.33
Exempla maiorum quanti habenda 664
Existentia omnium in deo 95
Expostulandũ non esse homini cũ deo 82

F

Fabulas amplectẽtur auersi à ueritate 616
Fabulæ Iudaicæ quæ dicantur 554.625
Fames sub Claudio Cæsare in Syria 115
Fascinare quid Latinis & Græcis 364
Fœminis nuptis interdictũ sandalijs 626
Fœmina proba domi resideat 627
Fermentum ut inficiat 392
Feruore spiritus ardeat in bono 99
Fides, spes, charitas eadem sunt ardens cor in domino 72
Fidem non meremur ex operibus nostris bonis b.126
de Fide & operibus August. sentẽtia b.122
Fidei uiuæ exemplum Rachab b.129
Fides uiua & uera quæ dicatur b.127
Fidem uanam qui habeant b.116
Fidem non ex nobis sed merũ dei donum esse b.124
Fidei quoq; opera dona dei esse non merita b.125
Fides non tam uerbis quàm factis profitenda b.121
Fides inanis refutatur, uera defendit b.121
Fides uera quos fructus proferat b.121
Fide constituimur filij dei b.19
Fidei summa capita 718
Fidei ueritas & certitudo b.10
Fidei in sanctis opera b.7
Fides operatur dilectionem b.9
Fides & religio antiquorum b.10
Fidei obiectum unicus deus 716
Fidei definitionis expositio 716
Fides uera est religio & sapientia 717
Fidei qualis natura b.9
Fidei certitudo purgat conscientias 711
Fidei aduersatur contentio & discordia 711
Fidei uirtus quid sit & quanta 715.47
Fides sui agnitionem sequitur 678
Fides uarie accipitur 547
Fides & oratio fulcra piorum 548
Fides necessaria est ad auditum sermonis dei 666
Fidei semper opera iunguntur 631
Fides in Christũ ab apostolis perfecte tradita 483
Fides & spes dona sunt dei 456
Fidei iustificatio lege antiquior 371
Fides prudenter iudicat de rebus 453
Fides & perseuerantia à domino 452
Fide iustificantur sancti iuxta prophetas quoq; 363
Fidei tribuitur benedictio, & dei promissis 367
ad Fidem si quis compellendus 156
ad Fidem neminẽ coẽgerunt apostoli 155
Fidei contẽplationẽ adiuuant sacramẽta 210
Fides spectatur à deo & ab hominib. 111
Fidei negotium in quo summatim constitit 67
Fidei tribuitur iustitia, confessioni salus 67
Fidei quale obiectum deus sit 46
Fides Abrahæ & nostra q̃modo augeẽ 48
Fidem uerã quæ sequantur bona 48
Fidem esse iustitiã testimonijs probatur 32
Fides à solo deo daẽ, & cordis cõfirmatio 41
Fide non operibus iustificari Origenis sententia 36
Fidem esse iustitiam 8
Fides uera ut ab opiniõe & sciẽtia differat 9
Fidei caput Iesum esse Messiam b.101
Fides sine pietate non iustificat b.115
Fidei ueræ nota quæ 391
Fidei insignis uirtus in patribus 722
Fiducia fidei uis in deum 49

Fidelium regenerator deus b.114
Fratrũ dilectio uitã affert & oſtendit b.93
Fides uera habet timorem dei b.19
Fideles electionẽ ſuam firmã efficiunt b.58
Fidelium quæ uota 610
Fideles non recuſant uiuere nec mori 455
Fidelis non ſine ſanctis operibus 254
Filius accepiſſe aliquid à patre dicitur 647
Filij dei quatenus ſunt credentes 377
Filij promiſſionis qui dicantur 79
Finẽ adfore quid ſit regnante Chriſto 245
Finis omnium imminet b. 44
Flagitioſi qui & quomodo cauendi 153
Fornicationem ſimplicem peccatũ eſſe 438
Fornicationem concomitantia ibid.
Fornicatio ſimilis plagio 164
Fortuna impiorum pios non moueat 161
Fratres falſi Paulo qui 327
Fratres qui dicti in eccleſia 153
Fratres Chriſtiani dicuntur 159
Fraterna charitas & dilectio differunt 99
Fructus ſpiritus exponuntur 397
Fructus illuſtres fidei & religiõis uerę. b.116
Fructus iuſtitiæ & peccatorum qui ſint 60
Functiones eccleſiaſticæ b. 45
Fundamenta fidei Chriſtianæ quæ 677
Fundamentum eccleſiæ quod ſit 149
Fundamento quid ſuperſtruendum ad eccleſiæ ædificium 140
Furtum quid, & ut uitandum 435

G

Galea ſalutis 448
Galatarũ epiſtola magnæ authoritatis 340
Galatarum epiſtola ubi ſcripta 340
Galatis ſcriptæ epiſtolæ occaſio 339.342
in Galatarum epiſtolam qui ſcripſerint antiquorum 337
Galatia quæ & urbes ipſius 341
Gaſtrimargiam Paulus deſcribit 162
Gaudia piorum & impiorum b.9
Gaudium ſanctum & prophanum 397
Genealogiæ Iudaicæ quales 554
Generoſa ingenia non degenerant 69
Generatio & regeneratio fidelium b.6
Gentiles non abſq; cognitione Chriſti 419
Gentes ſanctificatæ in Chriſto & ſacerdotes facti b.27
Gentes quare peccatores dicantur 360
Gentiliter uiuere in bonam partem 359
Gentilium teſtimonijs Paulus utitur 249
Gentiliũ mores & ceremoniæ fugiẽdæ 296
Gentes ſaluandæ per Chriſtũ docẽtur 113
Gentium qualis & ad quid ſit uocatio 3
Gentes benedici in ſemine Abrahæ exponitur 45.46
Gloriatio Iudæorum in lege qualis 25
Gentilibus non defuit lex, ſed naturæ 23
Gentium immũditiæ taxatæ ad Romanos pagina 17
Gentes ut conuincuntur impietatis 11
Gentes ſi lignum & lapidem adorarint 12
Gentibus ut ſe deus reuelauerit 10
Gentium ingratitudo & arrogantia ibid.
Germanus filius quis dicatur 553
Gladio quomodo magiſtratus utatur 103
Gloria uana fructus carnis 398
Glorificatio Chriſti noſtra eſt 412
Gloriatio omnis tollitur pijs & impijs 417
Gloriari de maiorũ uirtutibus ineptũ 326
Gloriandum quidem, ſed ſobrie & in domino 317
Gloriatio Pauli qualis fuerit 318
Gloriæ ſtudium procul ab epiſcopis 504
Gloriatio Pauli diſſimilis noſtris epiſcopis 327
Gloriari in quibus liceat 288
in Gloriam dei omnia fiant, & ad proximũ charitatem 198
Gloriatiõis pharmacũ eſt cognitio gratiæ. pagina 144
Gloria et honor qualis ſit iuſtitię pręmiũ 23
Gloriandum in ſola Chriſti cruce 36
Gloriandũ pio non in operibus, ſed in miſericordia dei 36
Gloria dei deſtitui homines 33
Glorioſi qui dicantur 19
Gratia agenda deo pro incremẽto uerbi 6
de Gratia dei diſſertatio 558
Gratia ſola per fidem iuſtificamur 416
Gratiarũactio ſacrificiũ Chriſtianorũ 708
Gratia nominat etiã ipſa uita æterna b.126
Gratia dei homines iuſtificari per fidẽ 358
Gratiam non inuacuum recipere 292
Gratia gratiam parit 72
ſub Gratia eſſe quid ſit 58
Gratiæ dei omnia adſcribenda, nõ noſtris uiribus 275
Gratia ſeruari ſola, merita tollit operũ 34
Gratiæ pignus Chriſtus eſt 35
Græcorũ eccleſia Latina diu florentior 642
Græci non recipiebant Apocalypſim 643
Græci qui dicantur Apoſtolo & Barbari 7
Gregorij Papæ ſententia de idololatria & ſimulachris 14

Gregorius ſeptimus optimus & peſſimus ſcribitur Papa 538

H

Habitare cum impijs ſi liceat pijs 154
Hebdomadæ ab urbe reſtituta ad eius excidium b. 14
Hebdomadæ ſeptuaginta apud Danielem quomodo accipiendæ b. 14
ad Hebræos epiſtolæ ſtilus qualis & unde pagina 644
ad Hebræos Pauli epiſtola quare & quibus ſuſpecta 642
Hebræi uetuſtiſſimi gentium 325
Hæreditatis auguſtum uocabulum 651
Hæreticos coercendos ne ſerpant ex Auguſtino 389
Hæreſis & hæreticus quid dicitur 396
Hæreſum attributa multa b. 63. 64
Hæreſes circa Chriſti duplicem naturam pagina 659 660
Hæretici utuntur teſtimonijs etiam ſacrorum librorum 642
Hæreticorum plectendorum moderamen pagina 633
Hæretici ſi coercendi & plectendi 632
Hermogenes duo 605
Hypocritarum genus apud gentiles 20
Hypocritæ homines inanes dicũtur b. 118
Hypocritæ labores fugiunt 514
Hiſpaniam ſi Paulus uenerit 115
Hoc eſt corpus meum, id eſt ſignum & figura corporis mei 207
Homo exterior & interior 284 b. 35
Homo uetus & nouus in uno homine pagina 362 434
Homo duplex ſpiritualis & carnalis 65
Hominẽ non iuſtificari ullis operibus 32
Homo uetus quis & quare dicatur 55
Homo conditus in adiutorium hominis pagina 201
Homo terrenus & cœleſtis quis dicitur 253
Humanum genus diſſoluitur comeſſatione, libidine, & inuidia 106
Humanitas aſſumpta à uerbo ut offerretur in cruce 661
Honor debetur fidelibus eccleſiæ 118
Honor duplex bene præſidẽtium presbyterorum 591
Hoſtis noſter diabolus 447
Hoſpitalitas commendatur 727
Hoſpitalitatis uirtus inter primas 573
Humilitas mater obedientiæ b. 52

I

Iacobus in cauſa fidei non pugnat cum Paulo. b. 121
Iacobi apoſtoli epiſtola cuius authoritatis pagina b. 103
Iacobus ſi duo uel tres b. 103
Iacobi epiſtola prodeſt ualde noſtris temporibus b. 109
Idololatria auaritia dicitur 438
Idololatria quid ſit iuxta Auguſtinũ 191
Idoleum quid dicatur 181
Idololatria Chriſtianorũ poſterioris temporis 13
Idolothytis ſi & quomodo ueſci liceat 197
Idolothyta non locanda inter indifferentia 177
Idololatriæ peccatum quale & quantum pagina 11
Ieſum eſſe filium dei mundi ſaluatorẽ probatur b. 103
Ignis uocabuli qualis uſus in ſcripturis pagina 140
Illuminat deus per Chriſtum credẽtes 280
Illuſores poſtremi temporis b. 70
Imago dei renouanda in nobis 434
Imagines non ſint Chriſtianis literarum loco 14
de Imaginum uſu diſputatio 532
Imagines ſanctorum ad cultum non proponendas 14
Imitatores ueri Chriſti & apoſtolorũ 500
Impatientiæ fomenta quæ 614
Impiorum felicitas & profectus b. 111
Impij ſi communione ſacramentorum fiant corpus Chriſti 194
Impij ſuo tempore à deo puniendi 254
Impietas & impij qui dicantur 9
Impurus per ſe nullus cibus 197
Innocentiam nõ finit deus fruſtra ſeruari pagina b. 66
ad Innocentiam uitæ exhortatio 151
Innocẽs à rumoribus malis non timet 143
Innocentem ſe prorſus nemo iactet 143
Incredulitatis fructus 664
Induere immortalitatẽ quomodo dictum pagina 258
Infantes baptizandos 170
Infantes ex fidelibus ſancti dicuntur 170
Infirmantur etiam ſancti 462
Iniquitas omnis in nobis, nulla in deo 82
Infirmorum habenda ratio 111
Infirmus ob fidei imbecillitatem quomodo

do ſuſcipiendus 107
Inuidia quæ dicatur 18
Inuiſibilis deus unde dicitur 360
Iniuſtitia hominum quomodo deum glorificet 29
Integritas apoſtolica in Paulo 299
Inteſtabiles qui 151
Inſidiæ impiorum non officiũt ſanctis 454
Ira Chriſtiani hominis qualis 435
Iſrael ſpiritualis & carnalis 403
Iſrael non reiectus in totum 89
Iſrael quomodo reſtituendus 94
Iudæi qua conditione electi b. 27
Iudæorum reiectio & uocatio Gentiũ 3
Iudæorum exitialis incredulitas 665
Iudæorum & Gentium diſcrimen 418
Iudaicam infirmitatem ad tempus tulerũt apoſtoli 38
Iudaicæ gentis qualis gloria 78
Iudæorum gloriatio ſuper Gentiles 25
Iudæus quis uere dicatur, nõ iuxta literam pagina 27
Iudæi quo Gentes præcellant 28
Iudæis minatur à prophetis exitium 84
Iudæorum ruinæ cauſa 85
Iudicium æternum ultimum fundamentum fidei 679
Iudiciũ diuini exitus 526
Iudicia dei imperſcrutabilia 95
Iudicium inter Chriſtianos de cibis & feſtis quale ſit 109
Iudicium dei iuſtum & tremendum 22
Iudicium domini certum, ſed ſuo tempore pagina 21
an Iudex eſſe poſſit Chriſtianus 160
Iudices ſint ſoli iuſti 160
Iudices eſſe poſſunt fideles 158
Iudicare mundum ſanctos quid ſit 158
Iudex iniuſtus deus eſſe non poteſt 29
Iurauerit cur deus 682
Iuramentum dare & accipere magiſtratus poteſt 682
Iuſiurandum quod dicatur 682
Iuriſiurandi maxima apud Gentes religio pagina 683
Iurandi modus in Paulo 77
Iuramentũ Ottonis Cæſaris Papæ factum pagina 535
Iuramento confirmare res dubias non illicitum 6
Iuſtificamur gratis per gratiam dei b. 123
Iuſtificare impiũ ſolius dei opus eſſe b. 128
Iuſtificatio ſi operibus tribuenda b. 122
Iuſtificamur non meritis noſtris, ſed dei gratia 630
Iuſtificationi ſufficit meritum Chriſti 463
Iuſtificari nõ poſſe hominem ex operibus legis 360
Iuſtificatio & iuſticari quid ſit 360
Iuſtitia dei de cruce patuit 132
Iuſtitia ex fide non lege 277
Iuſtificationis diuinæ ordo, & ratio diuini conſiliĳ 74
Iuſtitiam nullam eſſe in homine 30
Iuſtitia duplex legalis & fidei 86
Iuſtitia uera unde acquiritur, & quæ ſit 2
Iuſtitiam deus uoluit eſſe gratuitam 46
Iuſtitia duplex, dei & propria 86
Iuſtitia fidei credentium poſt Chriſtum & per Chriſtum 35

L

Labor manuum neceſſarius & ſanctus pagina 436
Laborare diſcant etiam nobilium filiĳ 549
Laborat Paulus propriĳs manibus 325. 548
non Laborans non edat 549
ad Labores cogẽdi inordinati ordines 549
Labor ſuadetur 548
Laborantibus uictus debetur 520
Laborandum omnibus contra uitia 514
Lac pro rudimentis accipitur 676
Lapis Chriſtus dicitur in fundamẽto fundatus b. 16
Lapis Chriſtus dicitur angularis, pretioſus, reprobatus & ſcandali b. 26
Lapis uiuus Chriſtus b. 24
Latini non recipiebant epiſtolam ad Hebræos 643
Lenitas eccleſiæ nimia obeſt 272
Leuitis maior eſt Chriſtus 685
ex Lege nemo iuſtificabitur, exponitur pagina b. 123
Legem totam offendere qui unam tranſgreditur b. 119
Lex factorum & lex fidei differunt b. 113
Lux quomodo deus dicatur b. 77
Legis abrogatio quomodo intelligenda pagina 687
à Lege liberari quid 688
Lex cur ſit data 683
Lex ordinata in manu interceſſoris 374

Lex quatenus bona 556
à Lege quomodo liberentur pij 557
Legis opera quæ dicantur 560
Lex umbra futurorum 486
Legis qualis abrogatio intelligenda 376
Lex teſtamento ut fulcrum appoſitum eſt. pagina 374
Lex includit omnes in Chriſtum 375
Lex pædagogus ad Chriſtum 376
Legi mortuum eſſe per legem, exponitur. pagina 362
à Legis execratione liberat ſolus Chriſtus 369
Lex peccata profert, non aufert 339
Lex robur peccati 258
Legum omnium conſummatio eſt dilectio 105
Legibus diuinis quanta debeatur reuerentia 169
Lex ſpiritus uitæ quid ſit 67
Legis non eſt imbecillitas, ſed carnis noſtræ 67
Lex pro peccato accipitur à Paulo 61
Legis iugum & gratia Chriſti conferuntur 61
Legis quis uſus ſit & officium 65
à Lege quomodo liberi ſint fideles 59
ſub Lege eſſe quomodo intelligendum 58
Legis nomine intelligitur omnis ſcriptura ſacra 31
Legis opera quæ dicantur ibidem
Lex fide ſtabilitur magis, non labefactatur 37
Legis naturalis mandatum apud omnes gentes 24
Legis origo unde 62
Lex qua ratione ſpiritualis dicatur 64
Leges bonæ ortæ ex malis moribus 62
Legis Moſaicæ initium & author ibid.
Legum omnium qualis mutatio, & qua ratione ibi.
Lex dei ſi & quomodo ſublata dicatur. pagina 62
Legem eſſe peccati regulam ibid.
Lege quomodo innoteſcat peccatum 63
Libertatis Chriſtianæ abuſus b.31
Liberi parentum ſimulachra 574
Libertas Chriſtiana ad quos pertineat. pagina 557
Liberi à cunis ſancte inſtituendi 445
Liberi exemplo & moribus formandi 445
Liberi arbitrij & prædeſtinationis diſputatio 564.565
Libertas Chriſtiana non eſt carnis, ſed ſpiritus 394
Liberi uere qui ſint 395
Liberi & pueri qui dicantur 378
Libertas Chriſtiana qualis 376
Libertatis abuſus ad luxum 162
Libertate non abutendum ad proximi detrimentum 181
Libertas Chriſtiana 278
Libertas licitis modis obtinenda non negligatur 172
Liberatio creaturæ à ſeruitute 71
Libertate fidei nõ intempeſtiue utendum. pagina 111
Libertas Chriſtiana quæ ſit, & quæ non 2
Liberorum officium ad parentes 444
Libertas non conuenit peccatis obnoxijs 61
Libertas Chriſtiana qualis 59
de Libero arbitrio ueterum pia ſententia 58
Linguæ uitia b.37
Linguæ quantæ uires b.130
Lingua igni comparatur b.131
Linguæ mala recenſentur ibid.
Lingua incoërcibile malum b.131
Lingua coërcenda diligenter b.132
Lingua mala uarie peſtilens 436
Lingua nota orandum in eccleſia 231
Linguarũ peritia non iactanda contra charitatem 226
Linguarum abuſus apud Corinthios 218
Linguarum peritia à ſpiritu ſancto 218
Linguæ ad quid diſcendæ 219
Litigare ob terrena turpe Chriſtianis 159
Litigare fideles ſub infidelibus non licet. pagina 158
Liturgiam noſtri Miſſam interpretantur. pagina 673
Liturgiam primi celebrarunt Petrus & Iacobus ibid.
Literæ miniſter quis ſit 275
Litera occidit, ſpiritus uiuificat, exponitur 276
Literæ uetuſtas quid ſit 62
Litera quomodo ſequenda 43
Litera ſignificat externam ſpeciem credentium 27
Loquutio quando figurata ſit uel non. pagina 208
Longanimitate dei non abutendum peccatoribus

catoribus 21
Lucro ſanctis eſt unus Chriſtus 465
Lucrum quibus celebratur ſententijs 161
Lumbos ſuccingi quid [illegible]

M

Mahumetis geſta Arabis uel Perſæ 530
Mahumetes dementator Arabum 489
Maledictio ſunt quotquot ſub lege ſunt. pagina 368
Mala imprecari malis filiceat 394
Maledictum Chriſtus ut ſit 369
Malignitatis nomine quid notetur 18
Malum nobis non dño imputandum 93
Malorum inuentores multi 19
Malitia quid Paulo dicatur 18
Malum in hominibus unde 16
Magiſtratus ſit ſubditus legibus 103
Magiſtratuum contẽptores hæretici b.66
Magiſtratus cur inſtitutus b.31
Magiſtri officium in eccleſia non temere arripiendum b.130
Magiſtratus utile donũ dei in mundo 633
Magiſtratui quid debeatur 629
Magiſtratui quatenus obediendum 101
Magiſtratus dei gloriam uindicare poteſt & debet 157
Magiſtratus tria genera 101
Magiſtratus includendus eccleſiæ, non excludendus 156
Magiſtratus ut rebelles compeſcat 101
Magiſtratus cur conſtituti & quid ſint 102
Manuum impoſitio eſt prophetiæ ipſum munus totum 678
Manus imponere epiſcopos 593
Manſuetudo ad infirmos 398
Martyrem facit cauſſa, non paſſio b.47
Maritorum officia ad uxores b.36
Matrimonialis caſtitas commendatur 728
Matrimonio grauatos conſolatur Paulus. pagina 174
Maſſilia clauſas portas habet otioſis 549
Mediator quid & quis & qualis 570.567
Mediator Chriſtus non Moſes eſſe poteſt 374
Melchiſedech quomodo abſq; patre & matre 685
Melchiſedech aſſimilatus filio dei 685
Melchiſedech ordo quis ſit ibid.
Melchiſedech Chriſtum ſignificat 684
Membra eccleſiæ Chriſti qui ſint 220
Memoriæ ſanctorum quomodo olim inſtitutæ 108
Mendacium non dicendum uel agendum. pagina 435
Mendicantes ualidi damnantur 549.550
Menenij Agrippæ parabola coram ſenatu 222
Mens quomodo renouatur 434
Menſa propoſitionis typus miniſtrorum uerbi 697
Menſa olim in eccleſijs ad quid poſita 562
ad Menſam domini accedendum pijs cum iubilo 215
Merita noſtra apud deum qua ratione cenſenda 23
Meritum quod dicitur noſtrum, grãtia eſt. pagina 460
Merita operum uendentes impie 39
Merita fidelium ſunt dei dona b.125
Mortuus Chriſtus eſt pro impijs ex charitate 49
Meſſiam eſſe Ieſum in primis credendum. b.101
Meſſias ad quæ tempora uenturus b.12
Millenariorum error cauendus 258
Milites Chriſti boni ſint epiſcopi 607
Militia qualis ſit epiſcoporum 560
Militis Chriſtiani arma quæ & qualia 448
Militum leges non illicitæ 169
Mineorum hæreſis quæ & Nazaræorum. pagina 2.276
Minei qui & Nazaræi 642
Miniſtri eccleſiarum cur contemptibiles. pagina 584
Miniſtri uerbi in eccleſia honorandi 520
Miniſterium fidele in uerbo ſacrificiũ deo gratum 461
Miniſtrorum dei quanta dignitas 291
Miniſter literæ quis dicatur 275
Miniſterio uerbi non nimis nec minus adſcribendum 139
Miniſterio eccleſiaſtico quæ ſint tribuenda 41.42
Miniſtri eccleſiæ comminiſtros non ſpernant 124
Miracula papatus 543
Miſſa non dicatur ſacrificium 704
Miſſa à quibus quando & quomodo inſtituta 673
Miſſarum uarietas antiqua in Italia & Gallia 563
Miſſæ Papiſticæ abuſus unde fluxerit ibi.
Miſeriæ humanæ indicia 282
Miſericordiæ præmia propoſita 311

Misericordia dei qualis ad homines, & ad quos 80
Misericordia mutuum præstanda b.120
de Mysteriis scriptura non sine tropis loquitur 189
Mysterium esse quod corpus Christi dicitur 211
Mysterium euangelij & gentilitatis 134
Mysteria magna iactantur à pseudapostolis 128
Modestia adsit fidelibus 470
Modestia uestium docetur sacra adeuntibus 199
Molles qui dicantur 161
Monarchia & regnum qualis magistratus. pagina 101
Monasteria sint studiosorum collegia 591
Monothelitarum hæresis 531
Montes dimoueri quid intelligendum 224
Mores posterioris sæculi 612
Morum corruptela ex malorum consortio 295
Mors sanctorum non deflenda 617
Mors uiolenta non parit piis ignominiam 604
Mortui quomodo lugendi 515
Mors Christianorum somnus est ibid.
Morientium & lugentium uera consolatio 517
Mortuorum cura nostra qualis & quando cœpta 518
Mortificationis descriptio 493
Mortem & uitam fideles non recusant. pagina 455
Mortuorum resurrectio probatur 241
Mortuis esse prædicatũ euangelium b.40
Mortuos non resurgere infert inconuenientia multa 242
Mortuorum resurrectionis certitudo 238
Mors ubi est tuus aculeus &c. exponitur. pagina 257
Mortem domini annunciare quid sit 213
Mors Christi absoluit etiam sanctos ueteris testamenti 35
Mortuum esse peccatum, est ipsum nõ imputari 63
Mortuis adesse sensum gentiles crediderũt pagina 247
Mortuorum resurrectio & iudicium b.44
Mosis ministerium lex & ira 361
Mosis & Christi collatio 663
Mulierum dignitas b.36
Mulierum officia 626,627.570
Mulieres domos suas obseruent 626
Mulierum optima disciplina 590.569
Mulieres non præficiendæ legibus uel reipublicæ 569
Mulier fons præuaricationis ibid.
Mulierum officia & salus 570
Mulierum ornamentum est silentium 576
Mulierum ornatus & habitus in ecclesia.
Mulierum qualis disciplina 569 (568
Mulier quare uelanda in cœtu 200
Mulierem contingere quid significet 165
Mulieres sileant in ecclesia 237
Multum dicitur pro omnibus non raro. pagina 52
Mundus odit filios dei b.90
Mundi nomen uarie significat 153
Mundi habitum præterire exponitur 174
Musica instrumenta ad quid inuenta 230
Murmurare iuxta Ambrosium 192
Murmur absit fidelibus 460

N

Naturalis lex quæ sit, & quomodo ex deo 24
Natum esse ex deo quid sit b.102
Natus ex deo uincit omnia ibid.
Nazaræorum hæresis quæ & Mineorũ 2. 642.276.339
Nazaræi turbatores ecclesiarum 343
Nazaræorum hæresis 276
Necessaria uitæ conferuntur à deo 473
Negotiatio fraude careat 512
Nero primas inter tyrannos 619
Noctem qui secum circumferant 1
Noë fide seruatus per arcam 718
Nomen domini quomodo in gẽtibus obscuratum 11
Nomina dei qua ratione significantia b.6
Nosce bona non sufficit, nisi opus sequatur 26
Numeri subita mutatio 399
Nuptiæ & uinum Christi & ecclesiæ 443

O

Obedire principum dictis b.30
Obedire nolentium pœna 550
Obediẽdum propter iram & propter conscientiam 103
Obsignare quid sit Paulo 116
Obedire fidei in nomine Christi in Gentibus 5

Obtrectatores qui dicantur 19
Obũbratio uicissitudinis nulla in deo b.114
Occulta non iudicanda ante tempus 143
Offerri & mori idem 703
Officia Christiana quæ 411
Officia diuersa necessaria in ecclesia dei 221
Oleum spiritus sancti uires significat 653
Omnibus omnia factus Paulus qua ratione 186
Omnia fidelibus donantur in Christo 125
Onesiphori laus 606
Onesimi commendatio 636.637
Opera bona dicuntur aliquando fides unde profluunt b.129
Opera fidei sequuntur iustificatũ, non præcedunt b.122
Opera fidei & bona, sunt dei dona b.125
Opera bona non separanda à fide, nec iustitiam dant 417
Opera nulla iustificant 363
Opera dei quomodo æstimanda 410
Operum dei nulla inuenitur ratio 82
Opera legis quæ Paulo dicantur 31.360
Opera cuius legis non iustificent sine gratia, exponitur 34
Operibus sanctis Christiani incumbunt. pagina 54
Opera uere bona b.34.681
Opera bona qualia agenda à fidelibus 57 492
Operibus qua ratione merces tribuitur 23
Opes ueræ Christianorum quæ sint 125
Optimum in re qualibet ambiendum 187
Optima non affectanda dum occasio ingeritur prolabendi in pessima 165
Oratio sanctorum non inanis 462
Oratio qualis esse debeat b.111
Oratione impetrat cœlestis uictoria b.44
Oratio cui offerenda 674
Oratio qualis & de quibus ad deũ 546.547
Oratio qualis esse debeat 567
Oratione pura litatur domino 568
Orationes piorum petere sanctum 449
Orandum quid & pro quibus 564
Oratio pugnantibus necessaria 449
Orationis perseuerantia necessaria 425
Orandus quis sit ibid.
Orare spiritu quid sit & mente 231
Oratio publica & priuata in ecclesijs 200
Oratorum eloquentiam excelluit piscatorum prædicatio 131
Oratio fidelium firmum est præsidium 117
Oratio sanctis olim & semper familiaris. pagina 117
Orationis neruus assiduitas est 99
Orandum pro animabus, quomodo intelligendum 101
Orationis quanta efficacia 73
Orationis dispositio & phrasis considerandа t
Orationibus deus commendandus est status ecclesiasticus 6
ad Originem dominicam & apostolicam traditionem reuertendum 204
Originale peccatum etiam in sanctorum prole 170
Ostium apertum esse exponitur 260
Otium mater artium malarum 514
Otium damnatur 548
Ottonis iuramentum Papæ delatum 535

P

Pactorum ruptores quale genus hominum 19
Patientiæ uirtutis laudes & merita b.110
Patientia orationibus impetranda ibid.
Patientiæ locus tractatur in epistola Petri. b.8
Patientiæ suadela 723
Patientiæ semen bonum pijs necessarium. pagina 292
Patientia in afflictionibus parit probationem 49
Pallij nomine quid Petrus intelligat b.35
Panes propositionis uerbum dei præfigurant 697
Panis sacramẽtalis & uinum Christus est. pagina 189
Panis est communio corporis Christi 194
Panis figurate Christi corpus existit 211
Panis symbolum signum & figura dicitur corporis Christi 208
Papæ ambitiosa maiestas 538
Papæ sanctiones qualiter habendæ 539
Papæ sanctionibus stet totus mundus, si dijs placet ibid.
Papa nec deus nec homo 539
Papa leges condit de imperatore deligendo 535
Papa quando dici cœptus caput ecclesiarũ omnium 533
Papæ plura largitur Carolus magnus 533
Papæ Pipinus dat quæ Cæsaris erant ibi.
Paradisus ubi 329

Paradisi quatuor flumina quomodo accipienda 329
in Paradisum raptum Paulum quid 330
Pater noster Cœnæ dominicæ fuit consecratio 562
Patrem non iudicare quenquam b.87
Patres ut filijs thesaurizent 334
Patres ecclesiarum sint doctores ibi.
Parentum & maiorũ exempla considerandа 603
Parentum officia ad liberos 445
Pascha Christianorum quale 152
Passio Christi perfectior quàm ut suppleri debeat 479
Pascere in ecclesia quid b.49
Pastoris boni & mali officia b.50
Pastoris boni exemplum Paulus 506
Pastorum quæ præmia b.52
Patriarchæ hospites in mundo ex fide 719
Pauli epistolæ commendatæ à Petro b.72
Paulus liberatus à præsentissima morte. pagina 619
Paulus si ab apostolis quiddam didicerit. pagina 644
Pauli cur nomen obmissum ad Hebræos. pagina 643
Paulus quomodo delegatus à deo 553
Pauli negotiũ & doctrina diuina sunt 503
Pauli humilitas in suo ministerio 424
Paulus ut peccata sua exaggerat 558
Paulus Petrum cur reprehenderit 356
Paulus abortiuus fœtus dicitur 240
Pauli labores præ apostolis alijs 321
Pauli qualis fuerit eruditio ibidem
Paulus non fuit onerosus ecclesijs 322
Paulus qua ratione Hierosolymam adierit tandem 352
Paulus sumptus refutauit duplici ratione. pagina 323
Pauli scripta suggillata 335
Paulus potens in Christo 336
Paulus uult prodesse ecclesiæ proprio damno ibid.
Paulo datus stimulus 331
Paulus uerus Christi apostolus 333
Pauli qualis uocatio 348
Paulus promissus in libro Geneseos ibi.
Paulus quanta pertulerit 326
Paulus sibi authoritatem apostolatus uendicat 182
Pauli uisiones de quibus gloriatur 328
Paulus qualẽ se euangelistã exhibuerit 145
Paulo si uxor fuerit 167. 470
Pauli dictio qualis sit in epistolis 244
Paulus quando & ubi mortuus 115
Paulinæ theologiæ nihil deesse 225
Pauli peregrinatio paucis describitur 114
Paulus stilum sermonis attemperauit ecclesijs 2
Paulus serio & in sua persona loquens queritur se contra legem cogitare & agere. pagina 66
Paulus & Saulus qualia nomina 4
Pauperes à deo electi b.118
Pauperum cura suscipienda pijs 260
Pacem cupiditates destruunt animi b.133
Pax imprecanda ecclesijs 551
Pax Christi præcipue permaneat 212
Pax Christiana quouscq; seruanda 100
Pax duplex, interna & externa 48
Peccatoribus saluandis uenit Christus 559
Peccatores peccant confugiendo ad diuos ibidem
Peccatum uarie deo b.90.91
Peccati nostri culpa deo non imputanda. b.112
Peccata Christus expurgat 700
Peccata mundi omnia delẽtur Christi passione b.78
Peccant omnes qui uiuunt b.79
Peccata remittunt eis qui confitentur ibi.
Peccant grauius qui scienter peccant b.69
Peccant fideles, sed non excidunt 680
Peccare uoluntarie quid 712
Peccata occulta manifesta fieri 594
Peccati duo genera præcedentia & sequentia ad iudicium ibid.
Peccatorum remissio Christi & dei opus. pagina 650
Peccatis alienis grauari 593
Peccatorum catalogus explicatur 557
Peccato obnoxium esse omne genus mortalium 9.30
Peccatum impietatis & iniustitiæ 9
Peccatum inferni uis 258
Peccatum dicitur hostia Christi pro peccato 67. 369
Peccatorum fructus qui sint 60
Peccatum non regnare in corpore mortali quid sit 57
Peccati ex lege agnitio 26
Peccare & peccato seruire non idem 56
Peccati primi hominis quales sequelæ in posteris 51

Peccatores fuerunt homines etiam ante legem 51
Peccatorum remiſſio eſt non imputari à domino 39
Peccati culpa deo non eſt imputanda 16
Pædagogus ad Chriſtum lex eſt 376
Pelagius Britto hæreticus b. 63
Peregrini ſunt Chriſtiani in mundo b. 29
Perfectum eſſe & iuſtitiam facere nõ idem pagina 159
Perfectus nemo in hac uita 466
Pergræcari quare dicatur 162
Peripſema quid ſignificet 146
Perſequutio iuſta & iniuſta 389
Perſeuerantia in bono neceſſaria 22
Perſeuerantia neceſſaria Chriſti confeſſoribus 665
Perſonarum reſpectus aduerſatur fidei & charitati b. 117
Perſonas recipere quid b. 118
Petrus cur ſcripſerit & quibus b. 54
Petrus an Romam uenerit b. 4
Petrus potiſſimum Iudæis ſuis ſcripſit b. 5
Petrus qua ratione princeps apoſtolorum dictus b. 4
Petrus typus unitatis eccleſiæ b. 4
Petrus ſi & quando Romam uenerit 119. 355
Petrus qua ratione reprehenſus uel peccarit 357
Petra qua ratione Chriſtus erat 188
Pharao quomodo induratus 80
Pharao exemplar potentiæ & bonitatis dei 81
Phœbe qualis miniſtra eccleſiæ 118
Phariſæi quomodo fine lege uiuunt 63
Philauti qui ſint 611
Philoſophia quatenus uitanda 483
Philoſophandi triplex ratio 484
Philoſophia uera eſt Chriſtiana doctrina pagina 408. 409
Philoſophi uirtutis ſpeciem non uirtutem exhibuerunt 131
Philoſophorum inanes diſputationes 128
Pictura non ſit laicorum ſcriptura 15
Pĩj liberantur à domino b. 65
Pietatis conſtantia & eius peſtes 725
ad Pietatis ſtudium exhortatio 628
Pietas quid ſit 581
Pietas certiſſimæ opes & mens ſua ſorte contenta 312
Pipinus opera Papæ rex fit Gallorum pagina 532
Placere omnibus per omnia quid ſit 198
Placere hominibus ſi debeat prædicator Euangelĩ 346
Plenitudo omnis in Chriſto 484
Pœnitentia lapſis non neganda b. 69. 679
Pœnitentia cum ſuis partibus 677
Pœnitentia uera cum ſuis attributis 301
Pœnitentia duplex atq; triſtitia 301
Pœnitentia quomodo in nomine Chriſti prædicanda 57
Pœnitentia ridiculum impijs b. 43
Pœna impiorum b. 43
Pœnas dei impĩj non euadent b. 71
Penula quid dicatur 618
Pontifex unus eccleſiæ ſuæ Chriſtus 690
Pontifex & mediator idem Chriſtus pagina 670
Potentia dei qua ratione dicatur Euangelium 8
Poteſtas tenebrarum quæ 476
Poteſtates qui in eccleſia dicantur 222
Poteſtas eccleſiaſtica ad ędificationem data pagina 316
Præcepta uitæ præcipua 512
Præcepta dei expreſſa & implicita 169
Præcepta dei gradus habent, non ſunt tantum conſilia 159
Preces neceſſariæ in eccleſia olim antelucanæ 563
Preces addendæ rebus arduis 526
Prædeſtinationis dei et liberi arbitrĩj diſputatio 564. 565
Prædeſtinationis uera ratio 406
Prædeſtinatorum fidelium quæ officia 406
Prædicatores ueritatis ut ſint colendi 383
Prædicatores fucati accuſantur 266
Prædicatio Pauli cum laude mixta & oratione 560
Prædicatio apoſtolorum uera & conſtans pagina 268
Prædicationis piæ et phariſaicæ diſcrimen pagina 145
Præiudicia & affectus abſint ab epiſcopis pagina 592
Præmiũ quod curſoribus proponitur 187
Præmium iuſtitiæ qualis ſit gloria 23
Præputĩj & circunciſionis qualis appellatio 418
Presbyteri qui uere dicantur b. 49. 673
Primatus ſi & qualis ſit in eccleſia 138
Primogenitus Chriſtus quare dicitur 652

Primogenitus quis Hebræis 476
Primitiæ ſanctæ quæ & quare dicantur 92
Princeps aëris quis dictus 414
Principijs obſtandum 392
Principum impiorum tempore corrupta ſunt omnia 155
Principes eccleſiaſtici boni ex pphetis præ dicti ibidem
Probare ſe quomodo Chriſtiani debeant ad domini menſam 214
Probare pro curare ſumptum 17
Prodigium & ſignum quid dicatur 656
Promiſſiones ueteribus factæ noſtræ ſunt in ſpiritu 666
Promiſſa dei non irritantur propter pecca ta Iudæorum 28
Prophanum quid dicatur 582
Prophetandi modus qualis in eccleſia tene atur 234
Prophetæ nobis quoq; Chriſtianis ſcripſe runt b.18
Propheta qui dicatur 674
Prophetandi munus nemo facile ſibi arri- piat 237
Prophetia examinanda ab eccleſia 234
Prophetia in donis eximium locum obti- net 228
Propheta quis Paulo dicatur 229
Prophetarum olim conditio noſtris com- parata 146
Prophetiæ donum quale in eccleſia 98
Propitiatorium noſtrum Chriſtus eſt b.81
Propitiatoriũ ſedes diuinæ maieſtatis 698
Prouincijs ſuas eſſe proprietates, ex Hiero nymo 364
Prouidentiæ dei ratio confirmat fideles 73
de Prouidentia dei religioſe loquendũ 74
Proximus neceſſario iuuandus quis ſit 307
Prudentia neceſſaria Chriſtianis 440
Pſeudoprophetæ nunquam defuerunt po pulis b.62
Pſeudoprophetarum deſcriptio 597.b.63
Pſeudoprophetarum mores 613
Pſeudapoſtolorum artes & ſtudia 488
Publicanum & ethnicum haberi in eccle- ſia quid 151
Pudicitia fœminarum ampla forma b.35
Puerilia quæ ſint & quatenus deponenda. pagina 232
Pueri baptizandi, quia de eccleſia ſunt 220
Pugna carnis & ſpiritus 395
Pugnantibus neceſſaria oratio 449
Puniendi poteſtas apud quem ſit in eccle- ſia 149
Purgatorium poſt hanc uitam non ſuper- eſſe 401
Purgatio criminum per quæ fiat 162

Q

Quæſtus ſummus, ſua ſorte contentum eſſe 597
Quæſtus eccleſiaſticus noſtri ſæculi b.69
Quæſtiones non decent Chriſtianos 596

R

Rachab exemplum uiuæ fidei b.129
Raptus Pauli in paradiſum 329
Recapitulari omnia in Chriſto 407
Redemptio noſtra quomodo Chriſtus di- citur 35
Redemit eccleſiam unus Chriſtus unice co lendus dominus 127
Regula fidei Chriſtianæ certa 403
Regula apoſtolorum fides & charitas 288
Religio uera faciat homines commodio- res 595
Religionis ueræ duæ notæ b.100
Religio uera & falſa quæ 502
Religionis capita, fides, ſpes & charitas 499
Religionem ueram duo confirmant 289
Religio una ueterum & noſtra 193
Religionem non probat diuturnitas 21
Religionis neglectæ pœna 215
Religionis ueræ gradus & falſæ 11
Religio non deſerenda pro uitando diuor tio 171
Reliquiæ ueræ ſanctorum quæ ſint b.59
Renaſcentia ſpiritualis & cœleſtis b.22
Requies triplex aſſignata 667
Reſurgere & ſurgere differunt 242
Reſurrectio Chriſti includit totum myſte- rium b.6
Reſurrectio mortuorum ſpes noſtra 678
Reſurrectio mortuorum ſpes martyrum fuit 247
Reſurrectio mortuorum bifariam exponi tur 609
Reſurrectionis tempus, modus & ordo 518
Reſurrectionis futuræ hiſtoria 516
Reſurrectionem negant luxui deuoti 248
Reſurrectio impiorum mors uerius dici- tur 244
Reſurgemus quemadmodum Chriſtus re- ſurrexit

surrexit 245
Resurrectio non tantum animarum, sed & corporum probatur 243
Resurrectio nostra Christus est ibid.
Resurgentium primitiæ Christus est 244
Resurrectio Christi certo credenda Christianis 241
Resurrectionis mortuorum certitudo 238
Resurrectionis corporis Christi probationes 239
Resurrectionem generalem quid sequuturum 257
Resuscitati corporis natura & gloria 251
Resurgere corpus spirituale, exponitur 252
Resuscitatorum corporum discrimen 250
Resurrectura corpora qualia erunt 249
Resurget idem corpus quod sepultũ, sed non eiusdem modi 250
Resurrectionis corporũ articulum tractauit Augustinus de Ciuitate dei, & Tertullianus 254
Resurrectio mortuorum quo modo consummabitur 255
Rhetorum præcepta desumpta ex naturali ordine dicendi, non contra 1
Rex sanctorum deus 360
Reges ecclesiæ sint nutritij 156
Reges gentium pontifices quoq; fuerunt & sacerdotes 684
Regibus & principibus quid orandũ 564
Regnum Christi æternum, quia dei 653
Regnum Christi non carnale b.13
Regnum dei non hæreditabũt caro & sanguis 254
Romanorum epistolæ Pauli scopus quis 2
Romana ecclesia quando & à quibus edocta 2
Romanum imperium transfertur ad Francos 534
Romani Pontifices damnant Cæsares 532
Romani pontifices Gallorum reges implorant ibi.
Romani pontificis electio qualis cœpta 351
Romanus episcopus monarchiã ambit 530
Romanorum crudelior monarchia 529
Romani regni diuisio, & ab eo defectio 529
Romanorum primi prædicatores euangelici 119
Romanis missa epistola quando scripta, & quare inter epistolas prima 116

S

Sabbatum Iudæorum triplex 667
Sabbati feriæ quatenus ceremoniales sint, pagina 108
Sabbatum translatum in diem dominicum 108
Sabbatum ex sabbato exponitur ibi.
Sacerdotiũ perpetuum quod dicatur 690
Sacerdotium regale quale b.27
Sacerdotes & sacrificia uera b.24
Sacerdotes sunt omnes Christiani b.25
Sacerdotis summi conditiones 690
Sacerdotij Christi & Leuitici collatio 689
Sacerdotes olim qui episcopi 673
Sacerdotij nomen sanctum 622
Sacerdotij Leuitici nomine quid intelligitur 687
Sacerdotis uocabulũ quale in ecclesia 673
Sacerdotis uocatio & officia 671
Salem quæ dicta, & ubi 684
Salus in Christo unica b. 26
Salute qui excludantur 468
Salutem nostram operari non est in nostra facultate 458
Saluandus nemo merito suo 409
Sancti in cœlis nõ nobis patrocinant b.80
Sanctorum memoriæ quomodo olim institutæ 108
Sancta quæ dicebantur & sancta sanctorum 697
Sancti dolent, gaudent & infirmant 462
Sancti qui Paulo dicantur 404
Sancti sæpe à pessimis extinguuntur 640
Sanctus erit in cœlo sancto illustrior 251
Sancti quatenus imitandi 198
Sanctorũ anxia expectatio de uita beata 71
Sancti qui uere uel falso dicantur 5
Sanctorum communio quid dicatur 5
Sanctimonia uera per species & affinia b.21
Sanctimonia Christianorum b.19
Sanctificatio uera spiritus quæ b.5
Sanctimonia uera timor dei & innocentiæ studium 298
Sanctificati dicuntur lustrati & purgati, pagina 124
Sanctificatio inuisibilis fit sine uisibili non raro 42
Sanguinis effusione fit peccatorum remissio 702
Sacrum Christianorum perpetuum & spirituale 213
in Sacris ecclesiasticis tria celebrata fuerunt, Oratio, Prophetia, & Eucharistia 199

Sacris prophanis homini Christiano cõmunicare non licet 179
Sacris prophanis sese Christiani abstrahant 194
Sacris peregrinis non participandum 124
Sacra Christianorum non spurcanda ibi.
Sacrorum gentilium qualis olim ritus 177
ad Sacram eruditionem necessaria esse artes & linguas 135
Sacra gentium conspurcata 17
Sacra scriptura ordinem dicendi non negligit 1
Sacra scriptura non caret ornamentis eloquentiæ suæ 1
Sacrarium dicitur tota religio & ipse deus. pagina 195
Sacrilegium uarie intelligitur 26
Sacrificio laudis & gratiarumactionis colitur deus b.113
Sacrificium laudis b.28
Sacrificia ueterum inutilia 699.704
Sacrificiũ unicum Christi perpetuum 700
Sacrificium Christi solum sufficit 703
Sacrificium pro peccatis unicum Christus est 695
Sacrificium deo gratissimum noui populi laus est b.6
Sacrificia Christianorum quæ 708.729
Sacrificium quomodo dicatur Eucharistia 708
Sacrificorum ordo nullus in ecclesia 672
Sacrificium Christianorum uerum est gratiarumactio 213.405
Sacramenta si conferant gratiam 699
Sacramẽta uisibilia non contemnenda ibi.
Sacramenta non euacuanda 631
Sacramenta sunt testimonia rei gestæ 210
Sacramenta analogiã duplicẽ habent ibi.
Sacramenta auxilium afferre fidei ibi.
Sacramentis uisibilibus colligit ecclesia 189
Sacramenta æquant nouos ueteribus 188
in Sacramentis spectanda cœlestia & terrena 205
Sacramentalis unio quomodo intelligenda ibid.
Sacramentis colligimur in corpus Christi uel ecclesiam 194
Sacramenta quomodo figilla dicantur siue testimonia rerum diuinarum 44
Sacramenta quomodo suscipienda secundum Canones Niceni Concilij 44
Sacramenta quomodo fidem dent uel confirment 42
Sacramentorum uirtus & ratio quomodo intelligenda 41
Sacramentum unde dicatur 43
Sacramentum constituitur signo uisibili et signato inuisibili ibid.
Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ quomodo secundum Augustinum & Chrysostomum intelligenda 43
Sanationum gratia quare in ecclesia 223
Sapere ad sobrietatem quid sit 97
Sapientia uera unde haurienda 8
Sapientia uera & cœlestis per dei spiritum reuelatur 135
Sapientia omnis humana perdenda, probatur 129
Sapientiam suam deus orbi prodidit per res conditas, magis autem per euangelium 130
Sapientia mundi ut sit apud deum stultitia 12
Sapientia uera & falsa docetur b.132
Sapientia uera per Christum 407
Sapiens solus deus est 560
Sapientia uera & falsa quæ dicatur 178
Satanæ tradi quid sit 151
Satanas qui dicatur 120
Sapientia cœlestis & philosophia quæ sit. pagina 408
Scandalum quid & quomodo corrigendum 148
Scelera arguenda eorum quibus cum uiuimus 439
Scelerum & delictorum tria genera 142
Sceptrum Iudæorum quando & per quos auferendum b.12
Scientia sine iustitia quid 640
Scientia uera & sobria qualis 596
Scientia per interualla increscit 227
Scientiæ suæ nemo temere nitatur 193
Scientia sine charitate quid pariat 181
Scientia inflat, charitas ædificat, exponitur 178
Schismatici qui & quomodo uitandi 120
Scholæ Christianorum quales 575
Scopo aberrãt uaniloqui theologastri 556
Scortator peccat in Christi & proprium corpus 164
Scortatio non tam uitanda quàm fugienda ibidem
Scortatio quid dicatur 18.163
Scripturis adhærendum sacris b.70

Scriptura canonica quomodo legenda uel intelligenda b.61
Scripturis ſacris Chriſtianiſmus diſcat b.38
Scripturæ authoritatibus confirmãda dogmata eccleſiaſtica 652
Scripturarum ſacrarũ ordo eruditus 668
Scriptura tradit plene pietatis doctrinam. pagina 615
Scriptura ſacra ad quid utilis ibid.
Scripturis ſacris inſtituendi epiſcopi à puericia ibid.
Scripturæ totius quis ſcopus 555
Scripta perperam intitulata olim 528
Scripturas probandi lydius lapis 523
Scripta uaria eccleſiaſticorum 522
Scriptura præteritis utitur pro futuris 415
Scriptura ſacra à nemine iudicanda 235
Scriptura ſacra ampliſſimus ingeniorum campus 338
Scriptura Canonica cynoſurę loco habenda ibid.
Scripturæ finis & clauis Chriſtus eſt 278
ad Scripturas ſacras minus apti 141
Scriptura ſacra quare nobis præſcripta 112
Scripturæ ſacræ difficultas unde ſit 1
Sarracenorum ortus 530
Sarracenorum irruptiones 531
Sara fide fœcundatur 719
Sara mater omnium fœminarum ſanctarum b.35
Saram ſignificare Ieruſalem cœleſtem 387
Satisfactio pro peccatis Chriſtus eſt b.33
Saulis ſacra quomodo deus ſuſceperit 196
Sæculi noſtri lapſus quales & unde b.57
Sæcula à Chriſto eſſe condita 653
Sæculum qua ratione bonũ uel malum 342
Sæculum ultimum quod dicatur 193
Sedere ad dexteram patris 412,650
Sedere ſuper ſedes duodecim exponit 158
Segregari eſt ex multis euocari 4
Semen quale ſeminatur & ſurgat 250
Senes ut ſint uigilantes & ſobrij 625
Senectutis qualis profectus 227
Senioribus quibus honor debeatur b.52
Sepis interſtitium quid ſit 420
Sepeliri eſt alicubi mundo renunciare 55
Sermo non prodeſt ſine fide 666
Serpentes igniti quales dipſades 192
Sertorij cerua 489
Seruorum duo genera 594
de Seruis præceptio Pauli 594
Serui dominorũ Chriſtianorũ quales 595
Seruitus qualis & unde exortus 445
Serui qui dicti uel habiti 446
Seruorum officia ibid.
Seruiendum non ad oculum, ſed ſimpliciter ibid.
Seruitus ſi abhĳcienda & quomodo licita. pagina 171
Seruitus corporis ſpiritus ſeruituti nõ obeſt ibid.
Seruitus animorum fœda 172
Seruit domino rex ut homo & ut rex 156
Seruitus Chriſtiana qualis 59
Seruus Chriſti ut Paulus fuerit 3
Si iurandi particula Hebræis 248
Silentium ornamentum mulierum 576
in Similibus & parabolis duo ſpectanda. pagina 219
Signa antichriſti uera & falſa 543
Signa pendent à uoluntate dei 462
Signa ſortiuntur rerum nomina 205
Signorum quæ ſit ratio etiam ſacrorum. pagina 43
Sigillum iuſtitiæ fidei circumciſio inſtituta 40
Simplicitati iungenda ſapientia 120
Simpliciter dicta in ſacris non implicanda 1
Simulachrum unde dictum 296
Simulachrum ubi eſt, ibi religio non eſt. pagina 296
Simulachrum deo ſtatuere turpiſſimum. pagina 297
Simulachra cauenda, quomodo intelligendum b.106
Simulachrorum cultus prorſus fugiẽdus. pagina 193
Simulachrorum defenſiones priſcis & noſtris temporibus 180,181
Simulachra cuius gratia tẽplis noſtris illata ſint 196
Simulachrorum cultores quomodo uitandi 153
Sophiſtarum trici cauendi 482
Spes in dominum ut non fallat fidelem 49
Spei obiectum deus 653
Spe ſeruantur homines 72
Spes non eſt ſine patientia ibi.
Spiritum ſanctum conferri quomodo intelligatur 603
Spiritus ſanctus contriſtatur turpiloquio. pagina 436
Spiritu ſancto obſignari quid ibid.

Spiritus ſancti doctrinæ ſcopus Chriſtus eſt 135
Spiritus ſanctus datur per fidem, non per opera 365
Spiritus ſanctus deus tertia in diuinis perſona 380
Spiritus & melancholia non idem b.88
Spiritus qua ratione doctor fidelium ibi.
Spiritus unus in prophetis & apoſtolis loquutus b.11
Spirituum probatio in eccleſia neceſſaria. pagina b.96
Spiritum ſubminiſtrare quid ſit 365
Spiritus iudex traditionum humanarũ 136
Spiritum non extinguendũ exponitur 522
Sacrificuli & miſſarij eccleſiæ non neceſſarij 223
Spiritus dei circa ſcripturas tractandas prodit ſe facile ut q̃d ueritas eſt iudicetur 237
Spiritũ dei non eſſe creaturã, ſed deum 135
Spiritus dupliciter accipitur pro deo & anima 70
de Spiritu & litera 275
Spiritus ueridici & mendacis ſtudia diuerſa 217
Spiritus ſeruitutis & libertatis in hominibus 69
Spiritum intercedere pro nobis gemitibus 73
Spirituale corpus quod ſit 253
Stadium in quo currimus mũdus eſt, ſcopus immortalitas 467
Stimulus Paulo datus 331
Studiorum ſcopus quis ſit 409
Subſtantia fidei qualis 715
Sufficientia Chriſtianorum qualis 598
Superindui quid ſit 286
Surſum corda in Cœna dominica acclamatum 562
Suſurrones qui dicantur 19

T

Tabernacula ſanctorum iucunda 285
Tabernaculũ Moſaicũ unũ, non duo 696
Templum dei uerum b.24
Templa dei fidelium corda 730
Templum dei fideles dici 141
Tẽpli dei prophanatores pſeudapoſtoli 141
Temporis iactura non contemnenda 401
Temporũ diſcrimen quo ad fidei prædicationem & diſciplinã eccleſiaſticam 155
Temporis elgans circumſtantia 40
Theologi Ariſtotelici 554
Theſaurus noſter per Chriſtũ qualis 424
Theſaurus animæ Chriſtus 125
Theſauri cœleſtes omnes in Chriſto 111
Tentare deum homines, quomodo accipiendum b.112
Tentationes poſſe uincere bonitatis eſt diuinæ 193
Tentationes piorum quales deus permittit ibid.
Tentare deum & Chriſtum idem 192
Tertullianus quando uixerit 605
Teſtamenti ueteris & noui unus ſpiritus & populus b.10
Teſtamẽti ueteris & noui unde appellationes obortæ b.11
Teſtamẽtum dei & hominum minime reſcindendum 370
Teſtamentum quid iuxta Vlpianum ibi.
Teſtamentum quid dicatur 693
Teſtamentum unicum ſempiternum & incommutabile 694
Teſtamentum nouum & uetus 693
Teſtamenta duo & unum 386
Teſtamentum non eſt ſubuerſum per legem 373
Teſtamentum nouum quid & quare dicatur 695
Teſtamentum nouum quomodo ſit pocu lum, & panis fructus 211
Teſtudinem pede premit Venus 626
Teſtudinis apologus ibid.
Tigurinæ eccleſiæ ritus in doctrina eccleſiaſtica 235
Timor & honor cui debeantur 105
Timotheus abſtemius 593
Timothei laus 461.509
Timotheus qualis Pauli diſcipulus 147
Tyrannicæ poteſtati ſi & quomodo obediendum 102
Titulis arrogãtibus non utunt̃ ſancti b.109
Traditiones humanæ duplices b.30
Traditiones patrum uanæ b.20
in Traditiones Iudaicas & hominum præcepta 490
Traditiones humanas & uerbum dei miſcentes 402
Traditiones humanæ Paulo quæ dicantur 347
Tradere deum gentes ad peccandum, ut intelligendum 15
Transfiguratio domini expoſita b. 60
Trinitatis unio ubi probetur b.103

Trinitas dei & unitas oſtenditur 649
in Trinitate quales perſonarũ gradus 648
Trinitatis myſterium oſtenditur 217
Trinitatis myſterium colligitur 162
Tropheum unde dictum & quale 487
Triſtitia ad uitam & ad mortem 301
Triumphus uictoriarum in Chriſto 486
Turbas qui moueant in eccleſia 343
Thuribulum & ara quid 697

V

Valentini hæreſis b.63
Vaſorum in eccleſia differentia & uſus 610
Vectigal quid & uectigales 104
Verbi dei qualis uirtus 669
Verborum monſtra apud hæreticos 554
Veritas non deſerenda in tentationibus pagina b.3
Verbi miniſterium in quem uſum inſtitutum 553
Verbi miniſtri cõmendentur eccleſijs 462
Verbum uitæ quomodo uiſum b.76
Verbum audiendum eſt & faciendũ b.115
Verbum dei audire cum fructu quid b.116
Verbum in ſcripturis b.75
Verbi miniſtris debentur neceſſaria uitæ pagina 400
Verbi miniſtrorum poteſtas 315
Verbi miniſtris quid debeatur 261
Verbi miniſtri ſancte conuerſentur 292
Verbum dei non eſſe alligatum 608
Verbi dei ſucceſſus in tentationibus 281
Verbo externo non nimium tribuendũ 133
Verborum qualis uis in ſacramẽtis ex Auguſtino 42
Velum ſuper faciem Moſis 277
Verbi dei quanta certitudo 268
Veritatis confeſſio eſt nominis diuini ſanctificatio b.33
Veritas perſtat contra opiniones 610
Veritas ſemper oppugnata & uictrix b.29
Veritati puræ adhærendum 712
Veritas per ſe felix & immortalis uincit ſemper 639
Veritatem deſerunt hypocritæ 605
Veritas quomodo accipitur b.87
Veritatis primæ ſumma 578
Veritas tutiſſima nauis 561
Veritatis perſequutorum mores 507
Veritas Euangelica ſemper uicit & uincet pagina b.23
Veritas propter ſeipſam diligenda & recipienda 344
Veritas præſtantior quàm perſona 356
Veritas conſtanter ſeruanda 267
Veritatis ſermo & rhetorũ perſuaſio comparantur 133
Vera quæ ſunt ſimplicia ſunt, non erudite compoſita 129
Verſutia quæ Paulo dicatur 18
Veſtitus honeſtus non negligendus b.34
Via ad cœlos per Chriſtum aperta 711
Victoria ſanctorum ex gratia non meritis pagina 258
Viduarum iuniorum officia 589
Viduarũ inopia quomodo ſubleuãda 590
Viduæ quomodo inſtituendæ 536
Viduæ quomodo honorandæ & alendæ pagina 586
Viduæ ueræ quæ ſint 587
in Viduas deſertrices minæ 587
Viduæ Chriſtianæ ætas & uita 588
Viduæ iuniores ne ſcandalo ſint eccleſiæ pagina 589
Vigiliæ ſacræ in orationibus 449
Vincula ſanctorum commendant & promouent Euangelium 458
Vinum quibus & quatenus bibendũ 573
Vinolentia qualis morbus b.42
in Viro qualis imago dei 201
Virum decet authoritas ſuper fœminã 201
Virginitas qua parte melior & commodior 173
Virginitatis & coniugij collatio 175
Virtutum gradatio b.57
Virtus ut in infirmitate perficiatur 332
Viſiones Pauli quales & quando factæ pagina 329
Vitæ noſtræ breuitas & miſeria ex Seneca pagina b. 8
Vita æterna quomodo tribuatur noſtris meritis 417
Vita impiorum qualis & qui gradus eiuſdem 433
Vitæ ſanctæ deſcriptio 434
Vita fidelium Chriſtus eſt, non opus, lex, meritum 362
Vitam abſcondi noſtram in Chriſto b.7
ad Vitæ innocentiam exhortatio 291
Vita fidelium mors Chriſti b.40
Vitam dare quomodo intelligitur b.105
Vita æterna quomodo tribuatur operibus bonis b.126
Viſus quomodo in Euchariſtia paſcitur pagina 210

Vnctio ſpiritus ſanctus dicitur b.87
Vnum exponitur à quibuſdam pro præcipuo 52
Vnitatem commendãt hominibus rerum unitates 427
Vnũ omnes in Chriſto eſſe declaratur 220
Vniuerſalis epiſcopus eccleſiarum non nominandus 531
Vocabula uera rerum pridem amiſſa b.118
Vocatione ſua quiſq; contentus ſit 221
in Vocatione ſua manere quomodo accipiendum 172
Vocatio dei cuius ſit 80
Vocationes ad euangelium duæ indicantur 131
Voluntas deſtinata reputatur pro opere. pagina b.91
Velle dei æquiſſimum 81
Vota monaſtica prohibenda 589
Vota noſtra deus ſuperat ſua liberalitate. pagina 426
Vri quid dicatur poſt Ambroſium 167
Vrbes primariæ optime inſtituendæ 501
Vxor diui Pauli 470
Vxores Chriſtianæ ut ſint diligendæ 512
Vxores miniſtrorum eccleſiæ & uerbi dei quales 576
Vxores ad quid conditæ b.36
Vxor ne ſeparetur à uiro 168
Vxores ſecum circũducebant apoſtoli 183
ab Vxore infideli an Chriſtianus diuerter epoſſit 169
Vxoris ſanctæ filij ſancti ſunt, etiam patre non fideli 170
Vxoris ſanctæ maritus quo dicatur ſanctificatus ibidem
Vxore commodius caretur dum calamitates ingruunt 165

Z

Zelus pſeudapoſtolorum 384
Zelus bonus & malus 384
Zelotypus eſt deus b.134
Zelus epiſcoporum ſanctorum in ſuas eccleſias 319
Zelus duplex ex opinione carnis & ex fide procedens 85
Zelo abſit temeritas 99
Zelotypia quæ dicatur 319
Zelotypus etiam Chriſtus eſt ibi.
Zerah & Phares gemelli quid ſignificent. pagina 420
Zodiaci ſigna pro dijs adorata 13

FINIS.

Folio 442. linea 11. Sic inquam eſt Chriſtus, lege, Sic inquam eſt maritus. Folio 529. linea 7. Sicut ex Trogo Pompei, lege Sicut ex Trogo Pompeio. Alia uero his ſimilia erratula opido pauca ipſe per te reſtitues Lector.

EPISTOLARVM OMNIVM CATALOGVS, ET
qua ſingulæ pagella exordium ſumant.

VOLVMEN PRIVS.

Ad Romanos	Pagina 3
1. Corinthios	124
2. Corinthios	264
Galatas	340
Epheſios	404
Philippenſes	451
Coloſſenſes	474
1. Theſſalonicenſes	499
2. Theſſalo.	524
1. Timotheum	553
2. Timotheum	602
Titum	620
Philemonem	635
Hebræos	646

VOLVMEN POSTERIVS.

1. Petri	Pagina 4
2. Petri	56
1. Ioannis	75
Iacobi	109
2. Ioannis	142
3. Ioannis	145
Iudæ	147
De Teſtamẽto dei æterno lib.	154
De Vtraq; in Chriſto natura	171

IN SANCTISSIMAM

PAVLI AD ROMANOS EPISTOLAM,

HEINRYCHI BVLLINGERI AD BERCHTOLdum Hallerum Bernenſis eccleſiæ Eccleſiaſten, Præfatio.

SOLENT OPTIMAE QVAEQVE RES BERCHTOLDE DOctiſſime, obſcuritatis & difficultatis opinione ſtudioſorum offendere mentes, ut animum uel abdicent, uel deſperatione imbuti attactiq; non magno animi ardore accedant: cum reuera in omnibus diſciplinis honeſtis, maxime in literis ſacris, ea ſint expoſitiſſima, quæ optima. Nam fieri non poteſt ut ex ipſo deo, qui ueritas & limpidiſſima lux eſt aliquid proficiſcatur obſcuri. Obſcuritas enim omnis & diuinarum rerum difficultas è nobis, hoc eſt ex ſocordia noſtra, deinde ex idiomatum & ſchematum neglectu, poſtremo ex non obſeruato orationis contextu enaſcitur. Nam ſocordia noſtra facit, ut ſegnius diuinæ ſapientiæ fores pulſemus. Atqui ſi cui deerat intelligentia, iuxta apoſtoli uerbum, à deo ſine intermiſſione petenda erat. Sed ſchematum & linguarum neglectu fit, ut ſimpliciſſimæ aliàs locutionum formulæ perplexæ imò & portentoſæ uideantur. Ea enim in re nemo ſatis explicauerit, quàm ſuperſtitioſe nonnunquam nodum quæramus in ſcirpo. Cæterum ſi non teneatur orationis filium, nihil mirum eſt, ſi & prophetarum & apoſtolorum imò Rhetorum quoq; diſertiſſimorum ſcripta miſcellaneæ quædam & phanaticorum hominum uideantur eſſe commenta, ad quorum ſenſum nemo penetrare poſſit. Equidem epiſtola Pauli ad Romanos locupletiſſimum huius rei teſtimonium eſt. Cum enim Chriſtianorum ſchola, ea nihil unquam habuerit melius, nihil terſius, ſimplicius quoq; & purius nihil: quippe qua omnis Euangelij uirtus, non tam copioſe quàm perſpicue expoſita ſit, eò tamen difficultatis opinione prorſus aſcititia, peruenit, ut ſint qui eam non legant, neq; à quoquam hominum recte intelligi poſſe credant. Quaſi uero ſpiritus ſanctus mundo Bœotica quædam propoſuerit ænigmata. Atqui hanc, in re clariſſima, obſcuritatem & deſperationem, ſua ſibi culpa, inertia, & neglectu conſciuerunt homines. Rectiſſime enim ille: Noctem (inquit) iſtam tecum circumfers. Vociferaris ſpinoſum eſſe authorem, ſed tui pedes ſpinas habent, non locus: caligas in ſole, & lux ipſa tuis oculis noctuinis pro caligine eſt. Nam cui obſecro ueriſimile uideatur apoſtolum, qui omnibus, maxime uero rudibus cum manibus, quod dici ſolet, tum pedibus & uoce & ſtilo prodeſſe uoluit, Ariſtotelico, id eſt, ſubdolo uerſipelli & inuido turgidum fuiſſe ingenio? Is enim Alexandro Macedoni ſuccenſenti quod ἀκροαματικοὺς libros ædidiſſet, reſcripſit, Illos quidem æditos eſſe & non æditos, Neminem enim niſi qui ſe audiſſet intellecturum. Quin potius certiſſimum eſt apoſtolum Paulum ſermonis characterem eccleſijs attemperaſſe, ut debitor erat eruditorum & rudium: ipſum itaque docte & clare, ſed ſuo more & idiomate ſcripſiſſe. Id etiamſi nobis nunc quidem nouum ſit, erat tamen illis ſæculis notiſſimum, adeoq; dicendi genus omnino eccleſiaſticum & protritum.

Difficultas ſcripturæ.

Iſta autem tecum Berchtolde chariſſime copioſius commentamur propter eos qui nos in ſacris inepte rhetoricari ac grãmaticari quiritantur, quoties obſeruato orationis contextu, excuſſis quoq; locutionum generibus ſacra ad communem loquendi rationem exigimus exponimusq;: homines prorſus præpoſteri, qui ſi quid lucis adferatur eorum obſcuris mentibus, tricas quàm plana, ſcopas diſſolutas quàm colligatas, malunt. Simplicitatem enim in ſacris reſpuunt, & peruerſa quadam opinione concepta neminem uerè theologicari credunt, niſi qui ſimpliciter dicta multis & uarijs ſenſibus laceret atq; miro quodam modo implicet: de religione item tam ſpinoſe & intricate differat, ut ne ipſe quidem ſeſe intelligat, addẽ & quidlibet quolibet in loco ſpargat. Hæc ineptia, ille demum attonitæ mentis impetus, illis eſt illuminatus & ſimplicitatis ſpiritus. Aiunt nos in ſacris rhetoricari oratorumq; inquirere canones, nimirum ξύμφυτον μύρον. Sed nõ uident ſuperſtitioſi, loquendi rationem & conſuetudinem non eſſe petitam ex rhetorum præceptis, ſed præcepta ex diligenter obſeruato naturali dicendi more. Id enim ſi uiderent, mox intelligerent eos qui in ſacris contextum obſeruant orationis, non Canones obſeruare, ſed natiuum loquendi morem: ſine quo nemo fœliciter in authoribus cum prophanis tum ſacris uerſabitur. Neq; uero primi hæc in ſacris obſeruamus, aut obſeruanda eſſe tradimus. Nam & D. Hieronymus plurima huius generis in enarratione prophetarum tradidit. Scripſit & Aurelius Auguſtinus, theologorum ex uetuſtis eminẽtiſſimus Locutionum lib. Idem de Doct. Chriſt. lib. 4. cap. 6. Poſſem (inquit) ſi uacaret omnes uirtutes & ornamenta eloquentiæ in ſacris oſtendere literis, &c. Verum nos non quærimus phaleras, pigmenta, Demoſtheni cam aut Tullianam eloquentiam, ſed puram ac luculentam ſimplicitatem, minimeq; à communi ſed munda loquendi conſuetudine differentem. Iſtam ego mi Berchtolde hoc meo cõmentario ſtudioſorum oculis craſſa, quod aiunt, Minerua expono, ne quid ſit quod ab authore ſanctiſſimo & opere optimo nec minus neceſſario candidatos ſyncerioris Theologiæ abſterreat. Nec ignoro cum uete-

Oratiõis diſpoſitio & phraſis.

rum tum recenſiorum non pauca in hanc extare commentaria, quæ hoc noſtro tantum abeſt ut contemnamus, ut magis illorum opera ſicubi neceſſarium ſit utamur. Turpiſſimum enim adoleſcentibus imprimis cornicum configere oculos. Interim quis oro ſingulos prophetare prohibeat? Scripſerunt illi eruditis, ego rudibus & mediocribus. Varia inſtrumenta habet in eccleſia ſua omnipotens, quibus ad gloriam nominis ſui & eccleſiæ ſuæ inſtitutionem utitur. Varia ſunt & ſpiritus ſancti dona. Nemini enim omnia, ſed ad ædificationem omnibus contulit omnia Deus.

Igitur ad gloriam nominis dei & eccleſiæ ſuæ profectum, eccleſiæ hæc noſtra propono iudicanda, quibus ſchemata & contextum orationis, non minimam obſcuritatis cauſam ſimpliciſſime indico, cum gratiarum actione ceſſurus, ſi alteri melius quippiam fuerit reuelatum. Hæc autem qualiacunq; tibi Berchtolde dedico, ut mecum calumniatorum excipias iacula, qui huius mei operis maxima fuiſti cauſa. Interea quod facis in negotio domini perge, ut qui primus inclytæ Berneñ. urbi uerbum domini annunciaſti, bonum certamen in finem uſq; decertes. Ego uero hypotypoſin ſiue Argumentum totius epiſtolæ paucis nunc ſubijciam.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

Occaſio. ROMANORVM eccleſia, quæ ex Iudæis & Gentibus conſtabat, egregie erat in fide Chriſti imbuta, doctoribus Andronico, Iunia, & Narciſco, uel quod alijs placet apoſtolo Petro, qui Romam ſecundo Claudij Cæſaris anno appulerit. Vtcunq; uero ea res habeat, certe Romana eccleſia eo tempore quo ei hæc à Paulo ſcribebantur recte fuit in uera fide inſtituta. Iccirco conſentaneum eſt apoſtolum nulla ab errore reducendi opinione hanc ſcripſiſſe: recta enim ambulabat, ſed pia cura. Obturbabat enim eccleſias

Nazaræi. Dei Mineorum hæreſis, quos uulgo Nazaræos nuncupant, uerſutiſſimum genus hominum, qui (ut inquit Hieron.) ueteris legis obſeruantiam Euangelicæ gratiæ aptabant, & ea prorſus de Chriſto dicebant & credebant quæ nos, ſed uni non omnia tribuebant ut nos, quin magis legalibus & operum meritis. Hos itaq; ut nullibi non acriter impugnabat apoſtolus euangelicæ gratiæ acerrimus propugnator, ita hic quoq; ſua ſponte

Scopus. iſtos ueluti præueniens ueritatemq; ab iſtorum repurgans ſordibus, Romanis hac epiſtola tradit, iuſtitiam non deberi uel legalibus uel operum meritis, ſed fidei Chriſtianæ. Hic autem ſermonis characterem ſic attemperat, ut ſimul & ſummam fidei ac doctrinæ Chriſtianæ percenſeat, interim & Iudaicum deprimat ſupercilium, illud quoq; è medio tollat diſſidium, quod inter Iudæos & Gentes indies maximis gliſcebat auctibus. Docte itaq; clare & copioſe totum hoc negotium ſic tractat.

De uera iuſtitia. Initio propoſita expoſitione præfigit ſcopum totius cauſæ, Iuſtum ex fide uiuere. Hunc protinus expolit diſtributione quadam docens cum Gentes tum Iudæos quin & omne mortalium genus peccato eſſe obnoxium, iuſtitiam itaq; non eſſe hominis corrupti & peccatoris, ſed dei potius miſerentis eamq; credenti gratia conferentis. Illud porrò copioſe admodum primis exponit capitibus. Hoc uero quod fides ſit iuſtitia, ceu noua confirmatione in fine 3. & per initia 4. cap. aſtruit. Sed in fine huius digreditur & Fidem ueram, exemplo fidei Abrahæ & cognatis ſeu conſequentibus fidem, deſcribit. Et iterum ne quid cuiquam deeſſet, denuo totam cauſam contentione quadam demonſtratiua ob oculos reuocat, ut quisq; uel cernere poſſit ab homine nihil niſi

Summa euã gelij. peccatum, at à deo per Chriſtum ſolum, omnem proficiſci iuſtitiam. Atq; hæc quidem quæ quinq; iſtis primis dixi tractata capitibus prima & potiſſima continent euangelij myſteria, peccatorum uidelicet remiſſionem & uitam per Chriſtum reſtitutam.

Quæ autem ſequuntur uſq; ad cap. 9. ueluti ſubſidium ſatisfactio ſiue declaratio ſunt ſuperiorum. Cum enim illa uni Chriſto fideiq; in eum tribuerint omnia, & mens humana craſſa ſit, ideoq; mox ex iſtis colligat per fidei libertatem licere omnia, ſed & opera bona eſſe fruſtranea, inutilem quoq; legem, utraq; hæc præocupatione quadam diluit, & in ſexto quidem cap. multis argumentis demonſtrat, fidelem hominem fidei uirtute, ſtudere pietati, innocentiam colere, & uere bona opera ſectari. Neq; enim libertatem Chriſtianam eſſe peccandi licentiam, ſed peccatorum uerius abnegationem & ſanctimoniæ cultum. Id quod & ſimilitudine quadam uenuſta in 7. cap. initio declarat. Nam ſequentibus commonſtrat legem non eſſe inutilem ſed ſanctam & bonam. In octauo autem redit ad id, unde in 6. & per initia 7. erat digreſſus. Docet enim quatenus liberi ſimus, ſed & ad uitæ hortatur ſanctimoniam, quod & in illo cœperat: hic uero amplius exhortationi conſolationem iungit commodiſſimam. Neq; enim humana imbecillitas citra exiguam operam affectiones illas carni congenitas premit, uincit & conficit. Et hæc quidem altera pars eſt euangelij qua peccatorum adeoq; carnis (ut aiunt) mortificatio ſiue ſancta pœnitentia continetur, quæ quidem aliud nihil eſt quàm perpetua uitæ per fidem in integritate cuſtodia. Habes itaq; hiſce 8. capitibus potiſſimam euangelij ſummam, de qua in euangelio ſecundum Lucam ſic legimus dixiſſe dominum: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum

pati,

pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes, &c. Hæc autem prima huius epistolæ pars est.

Secunda continet negotium reiectionis Iudaicæ & uocationis Gentium. Nam absoluto negotio Euangelici mysterij, ut erat Iudæorum & Gentium debitor, utrisq; mederi cupiens Iudæorum primo arrogantiam deprimit. Hi enim de genere patribus & electione sua gloriantes populum dei liberum se esse iactabant, & hoc minus etiam suscipiebant euangelij prædicationem. Istud ergo obstaculum scripturis remouet, ijsdem & reiectionem eorum comprobat, caussamq; huius subnectit, quod nimium suæ fidant iustitiæ, monens ut iustitiæ Christi se subdant per fidem: aliâs enim perituros, id quod etiam prophetæ prædixerint. Et hæc quidem agit in capite 9. & 10. Porrò ne istud reiectionis negotium miseros animis prorsus consternaret, ansam quoq; Gentibus satis aliâs ferocientibus Iudæos penitus contemnendi suppeditaret, in 11 consolationem instituit ac mitigationem, docens reliquias iuxta prophetarum uaticinia saluandas. Interim Gentes quoq; monet prioris uitæ meminerint, unde emerserint, qualésue olim fuerint, idololatræ nimirum & hostes dei, nunc uero fide amici dei & testamenti participes facti sint, unde fide nunc quidem stent, fieri ergo posse ut perfidia recidant, & Iudaica gens resumatur: modeste itaq; de se sentiant, neminem uero contemnant. Siquidem iudicia dei ut noua & mirabilia, sic inscrutabilia esse. Et hanc quidem uoluimus alteram esse huius epistolæ partem, qua nimirum uides maximum mysterium à maximo apostolo esse retectum: tametsi enim aliud instituisse egisséue uideatur, explicauit tamen istud arcanum quod Gentes quoq; ad promissiones testamenta & populum dei pertineant, atq; illi demum filij dei sint, non qui secundum carnem, sed qui secundum spiritum nati sunt. Id quod à maximis etiam in religione uiris adeo fuit absconditũ, ut ni cœlesti oraculo cõmonitus fuisset apostolus Petrus, ægre Cæsaream iuisset ad Cornelium.

Reiectio Iudæorum, & uocatio Gentium.

At tertia pars absoluitur quinq; postremis capitibus. Hæc uaria est de uarijs rebus ceu locis quibusdam communibus conscripta, lepide quidem & clare. Eleganter enim disserit de Christianorum sacrificijs & oblationibus, De officio hominis Christiani, De magistratu & iure gladij, De ciborum & dierum delectu, De scandalo, Deq; alijs quibusdam rebus scitu opido quàm necessarijs, quæ quidem Argumenti breuitas satis aliâs uiolata recensere non admittit.

Paræneses.

Porrò orationis genus si illam spectes demonstrationem qua docet fidem esse iustitiam, non legem, non merita, si inquam institutum Pauli summarium generatim spectes, Demonstratiuum fuerit. At si expendas accusationem qua inter initia & Iudæos & Gentes peccati coarguit, uel illud pensites quod in 6. & 8. hortatur & consolatur, illud sanè Iudiciale fuerit, hoc Deliberatiuum. Sed ita fieri solet ut præcipuum aliquod dicendi genus reliqua in se contineat, imò sine reliquis absolui nequeat.

Genus orationis.

Dictio autem uel stilus huius epistolæ conuenit rebus. Nam grauis est, non utiq; obscurus, sed decorus & maiestatis plenus, à qua perspicuitatem nemo unquam separauit. Perspicue ergo & solide scribit Apostolus modo meminerimus sacris assuetissimum pectus sic Græce loquutum ut Hebræum interim, utpote ad Gamalielis pedes institutum, dissimulare non potuerit. Sed audiamus tandem ipsum loquentem.

Dictio.

INSCRIPTIO.

CAP. I.

PAVLVS seruus Iesu Christi, uocatus apostolus, segregatus in euangelium dei,

Qui epistolas scribunt auspicari solent ab inscriptionibus. Sic enim M. Cicero solet, M. Tull. Cicero Aulo Trebonio S.D. Item Plinius, Plinius Sabino suo S.D. Idem facit & Paulus noster, sed aliquanto copiosius. Nam cum paucissimis scribere potuerat, Paulus apostolus omnibus Romæ Christum profitentibus, gratiam opto & pacem, maluit tamen omnia copiosissime diffundere, certe ut inscriptio insinuationis suppleret locum. Siquidem in hac cum ex persona sua, tum ex ipsa re, Euangelij scilicet nobilitate, auditorum sibi animos conciliat atq; deuincit. Ne quid enim esset quod sua offenderet persona, officiũ & uocationẽ suam proponit, seruum se esse dei, itaq; se ea quæ dei nõ quæ sua erant quæsturũ. Id uero inde potissimũ conijci posse, quod quæcũq; nunc agat non sua sponte agat, sed dei missione. Se enim à deo in hoc ordinatum, ut euangelij mysteria toti exponeret orbi. De qua re pluribus leges Act. 9. & 13. Hæc autem ad sensum. Iam sunt nõ pauci qui multis de nomine Pauli disputant, quæ nos quia notissima sunt, transimus. Certe Saulum dictum pu-

Paulus.

tauerim ad morem Hebraicum. Paulum uero ad morem uel Græcanicum quorum erat apostolus, uel Romanum quorum erat ciuis. Seruus autem est quia deo dicatus & ueluti dei peculium est. Sed & seruire suos uoluit dominus, non dominari Matth. 19. & Lucæ 22. Vocatus apostolus) More Hebraico quibus uocari pro esse ponitur. D. Io. Oecolampadius, Vocatus (inquit) nobilis dicitur, teste Hesich. ut uocatus hic sit dignitatis nomen non participium. Sicut in conuiuijs uocatos dicimus eos propter quos instituta sunt conuiuia, alios autem quos propter illos uocamus, umbras. Apostolus autem non quiuis dicitur nuncius, sed legatus & ueluti orator, qui conceptis uerbis certa quædam nunciet. Rectissime enim Tertull. in Præscriptionibus hæreticorũ, Nobis uero (inquit) nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit: apostolos domini habemus authores, qui nec ipsi quicquã ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerũt. Segregatus, ἀφορισμένος, id est delectus. Nam ἀφορίζειν est certo designare & cum iudicio deligere. Allusit autem ad celebrem illam electionem seu uocationem, cum quis ex multis euocatur. Nemo enim nisi uocatus id muneris sibi arrogabit. Hebræ. 5. Erasmus putat ad pharisaicam sectam allusum, ut quemadmodum in ea ob insignem uitæ sanctimoniam & excellentem doctrinam semotus à uulgo uidebatur: sic nunc maxime in Euangelica administratione fuerit separatus. Porrò Euangelium uox huius significationis noua, nouæ rei est indita. Vetusti enim τὰ εὐαγγέλια uocarũt præmium quod dabatur fausta nuncianti, *ein bottenbrot*. Sic Cicero ad Atticum, O suaues epistolas quibus euangelium deberi fateor. Sed aduentus Christi in mundum effecit, ut euangelium nobis iam nihil aliud dicatur quàm beatitudo, fœlicitas, & illud ipsum lætum nuncium quod pater per filij mortem in gratiam redijt cum uniuerso genere mortalium. Poterat & alicui pro ipso Christo usurpatũ uideri. Dixit autem Paulus se segregatum in Euangelium dei idiomate Hebraico, pro eo quod est delectum in hoc ut annunciet Euangelium dei. Et pondus quidem habet quod non simpliciter dicit, Segregatus in euangelium, sed in euangelium dei, sui negotij authorem & scopum dicẽs deum: id quod & prophetæ toties repetita particula Dicit dominus inculcarunt.

Apostolus.

Euangelium.

quod ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ex semine Dauid, secundum carnem: qui declaratus est esse filius dei, in potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri,

Euãgelij fontes.

Nunc ipsa re, de qua apud eos dicturus erat, benevolos & attentos reddit auditores. Etenim ne euangelij prædicatio ueluti nupera & noua contemneretur, uetustatem & authoritatem eius retro ex prophetarum oraculis repetit. Addit prẽterea dignitatem, Esse enim prædicationem istam de Christo Iesu uero deo & homine. Omnia autem obiter & ueluti per transcennam in initio conspicienda proponit, progressu uero de singulis copiosius disserit. Hinc uero nos discimus id quod Petrus apostolus posteriori epistola primo cap. dixit Euangelium roborari propheticis scripturis, imò ex ijs esse petitũ. Paulus enim coram Agrippa caussam suam defendens, Iudæi (inquit) captum occidere tentauerunt, sed auxiliante deo in hunc usq; diem saluus permansi testificans cum paruo tum magno, nihil aliud dicens, q̃ ea quæ prophetæ prædixerant futura esse & Moses, an passurus fuerit Christus, &c. Act. 26. Huc & illud pertinet quod Euangelicarum rerum scriptores omnia sua scripturis firmarunt. Neq; scripturis quibusuis, sed scripturis sanctis, hoc est spiritu sancto inspiratis, qui loquutus est per prophetas in unam sanctam & apostolicam ecclesiam. Cæterum scopus Euangelij est Christus Iesus salus mundi. Hic cum una sit persona, duabus tamen constat naturis, humana & diuina. Secundum humanam factus dicitur. Nam persona in diuinis filij totum uerumq; (peccato excepto) hominem assumpsit, eumq; ex semine Dauidis assumpsit, quod Matthæus atq; Lucas, uterq; in 1. cap. ex prophetarum oraculis satis fuse tradiderunt. Paulus hoc loco, Secundum carnẽ, posuit pro eo quod est, quantũ attinet hominem, ex genere Dauidis natus est:

Christus deus & homo.

eſt: Quod uero deum attinet ex patre genitus eſt ante ſæcula. Diuinã porrò naturam declarauit, hoc eſt, ueluti certiſſimis argumentis exhibuit orbi, nempe potentia, ſpiritu & reſurrectione. Id enim poteſt ὁρισθέντος. Nam ὁρίζω eſt definio uel certis limitibus & terminis circũſcribo. Tribus ergo argumentis diuinitatem Chriſti aſtruit euangelium, Potentia ſignorũ. De his enim in Euangelio ſecundũ Ioan. Si (inquit dñs) uerbis meis non creditis, operibus ſaltem credite, Ioan. 5. 10. Spiritu ſancto, at hũc ad normã ſermonis Hebraici ſpiritũ ſanctificantẽ appellitat: de q̃ multa ſunt in eodem ſecundũ Ioan. euangelio teſtimonia, cap. 1. 15. & 16. Huc pertinet & illud quod in Canonica ſua Ioannes dicit, Et ſpiritus eſt qui teſtificatur. Tertiũ autem diuinitatis Chriſti argumẽtum eſt reſurrectio. Nam Thomas hac intellecta Chriſto acclamat, Dñs meus & deus meus. Porrò quòd hic locus multos torſit, hinc factum eſt quod non uiderunt in potentia, ſecundũ ſpiritum, ex reſurrectione, Idiomate communi poſitũ eſſe pro per potentiã ſpiritum & reſurrectionem. D. Chryſoſtomus ad ſuperiora refert, quaſi Paulus dixerit ſe ſegregatũ eſſe, ſed ſecundum ſpiritũ ſanctificationis, idq̃ poſt reſurrectionem dñi. Alij particulã ſecundum ſpiritũ ſanctificantem, ad ſuperiora ſic referunt, quaſi putarit dominũ noſtrum diuinam ſuam naturam declaraſſe potentia, potentiã uero iſtam adminiſtraſſe ſecundum ſpiritũ ſanctificantem, hoc eſt, per diuinam naturã. Sed prior ſenſus uidetur eſſe ſimplicior & magis genuinus. At poſtrema uerba, Ieſu Chriſti domini noſtri, collocant alij in ter initia: ſic enim legunt, Quod ante promiſerat in ſcripturis ſanctis de filio ſuo Ieſu Chriſto domino noſtro. Ego nihil temere mutare uolui. Video enim iſtis uerbis totam ſententiam hyperbato quodam concludi.

per quem accepimus gratiã & apoſtolatũ, ut obediatur fidei in omnibus gẽtibus ſuper nomine eius, in q̃bus eſtis et uos uocati Ieſu Chriſti:

Redit & exponit quomodo, & à quo, item cuius rei gratia uocatus ſit. Vocatus inquã ſit per Chriſtũ dominũ, qui eius miſertus, ex perſecutore fecerit prædicatorem. 1. Tim. 1. Plura Galat. 1. In hoc autem uocauit ut obediatur fidei in omnibus gentibus, hoc eſt ut electi ex omnibus Gentibus fideles reddantur. Eſt enim ſchema quoddam. Et fidem poſuit pro religione. Porrò religio fundatur ſuper nomine eius, id eſt in ipſius Chriſti potentiã uirtutemq̃. Nomen enim dei uirtus & maieſtas dei eſt. Porrò omnis religio quæ extra Chriſtum eſt & in deo non fulcitur, ſuperſtitio uerius quàm religio eſt. Poſt iſta uero omnia tandem abſoluitur ſenſus hactenus ſuſpẽſus, Omnibus qui ſunt Romæ, &c. Dixit autem uocatos Chriſti, pro Chriſtianis, eo ſchemate, quo de ſuperius. *Scopus uocationis.*

omnibus qui ſunt Romæ, dilectis dei, uocatis ſanctis, Gratia uobis & pax à deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto.

Hæc enim illa Epiſtolaris inſcriptio eſt, in qua ſanctos uocat fideles ſanguine Chriſti luſtratos, & ad ſanctimoniã uitæ uocatos. Vulgus hodie ſanctos putat, qui re uera diui ſunt. Hinc in ſymbolo neſcit quid ueteres uoluerint, cum Eccleſię per interpretationem adiecerunt, Sanctorũ communionem. Nam cum hi cœtũ intellexerunt fidelium, illi de diuis quædam cõmentantur. Fidelibus ergo imprecatur gratiã, hoc eſt diuinũ fauorem, ex quo exiſtit conſcientiarũ pax, quę quidem omnia non niſi à deo per Ieſum Chriſtum conferuntur. Dei autẽ nomen maieſtatemq̃ temperat blanda patris appellatione. Rurſus ne quis eſſet qui ob incarnationẽ Chriſti, deum uel diuiſum putaret, uel Chriſtum deo minorem cogitaret, ipſum uocat dominũ. Idem enim eſt omniũ rerum dominum, & omnipotentẽ deum eſſe. Porrò hæc ſalutandi formula ueluti peculiaris uidetur fuiſſe Paulo, qui hactenus mira arte in auditorum irrepſit animos. Nunc enim maiori fiducia quædam quæ in hanc quoq; rem ſpectare uidebantur, exponit. *Sancti.* *Deus pater.*

EXPOSITIO.

Primũ quidem gratias ago deo meo per Ieſum Chriſtũ ſuper omnibus uobis, quòd fides ueſtra annunciatur in uniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in euãgelio filij eius, quod

ſine intermiſſione memoriã ueſtri faciam ſemper in orationibus meis, obſecrans ſi tandẽ aliquo modo proſperum iter cõtingat, uolente deo, ad uos ueniendi. Deſydero enim uidere uos, ut aliquod impartiar uobis donum ſpirituale ad confirmandum uos, id eſt, ut communem capiam conſolationẽ in uobis per mutuam fidem ueſtrã ſimul & meam.

Expoſitio eſt & cõmodus ingreſſus ad rem quã animo cœpit. Exponit enim illis animi ſui promptitudinẽ, quidue eum ad ſcribendũ impulerit, & quod in primis cupiat ijs euangeliũ prædicare. Plurimũ autem laudis commiſcet, ſed & liberalis eſt in offerendis beneficijs, quod ijs duabus rebus humanæ mentes plurimũ commoueantur. Atq; hæc quidem ad eum uſq; locũ tractat, quo ſtatum rei collocat. Et hæc de conſilio & ſtructura orationis delibaſſe ſufficiat. Neq; enim animus huc ſpectat, ut nunc de Expoſitione ad plenũ diſſeram, de qua copioſiſſime Rod. in 2. Nos reliqua perſtringemus. Et à gratulatione quidem, pro more ſuo, narrationẽ init, gratulans Romanis diuitem dei cognitionem obtigiſſe, ſed & gratias deo ea pro re agit, quod gratias deo pro incremento uerbi agendas eſſe uniuerſa ſuadeat ſcriptura. Gratias autem agit per Ieſum Chriſtũ, quod nihil deo gratũ ſit, niſi quod illius auſpicijs cœptũ, aut per illum ſit oblatũ, quem deus & mediatorem & pontificẽ cõſtituit omniũ. Hinc ad Heb. 13. Per ipſum (inquit) offerimus hoſtiam laudis ſemper deo. Hunc deum cõmunem aliâs ſuum deũ appellitat Paulus, nõ quod alijs eundem inuideat, ſed quod unico zelo in eum exardeat. Fidem aũt poſuit pro religione, ut cum nos dicimus Iudaica, uel Chriſtiana, uel Turcica fides. Porrò annũcia re aliquoties eſt laudare, ut cum Corinthijs ſcribit, Quotieſcunq; de hoc pane ederitis, & poculo biberitis, mortem dñi annunciabitis, id eſt, laudabitis. Ita ueriſimile eſt inter fideles de Romanorũ fide non citra maximã laudem in toto orbe, id eſt longe lateq;, habitam fuiſſe mentionẽ. Cæterũ ne quid commentitij uideretur cõminiſci, per conteſtationem ſubiungit, Teſtis em̃ mihi eſt deus) Licet em̃ iureiurãdo, ſi fic exigat gloria dei, ueritatis negotiũ & charitas proximi, res dubias confirmare. Aliâs enim optimi quiq; uiri peccaſſent, qui creberrime ad nomen dñi iurarunt, ὀυκ μὴν ἐπ' ἀδίκῳ, uerum ut Ieremias ait, in ueritate, iudicio & iuſtitia. Hic uero obiter intertexit egregiũ dogma, deũ non eſſe colendũ rebus corporeis, ſed ſpiritu. Hunc enim opponit externis quibuſuis. Deus em̃ ſpiritus eſt: ſicut & Chriſtus docuit Ioan. 4. Quod aũt ſubijcit, In euãgelio filij eius, idem pollet ac ſi dixiſſet, Secundũ doctrinã & authoritatem euangelij filij dei. Siquidem euangelium fulgore ſuo omnes umbras typicas diſcutit, & in ſpiritũ omnem cultũ dei diſponit. Iccirco enim dñs carne terras reliquit, & uicariam uim ſpiritũ ſanctum miſit. Eſt & aliud in primis obſeruandũ & pio pectori probe penſitandũ, quod perpetuis precibus Romanorũ eccleſiam deo cõmendat apoſtolus. Idem enim omnibus apoſtolicis uiris, et uerbi dei miniſtris imitandũ, ut eccleſiarum ſalutẽ non interruptis, ardentibusq; à deo precibus expetant. Quando in hoc unice intentos fuiſſe uideamus etiã ſanctos dei prophetas, Ieremiã in primis, qui aliâs Paulo per omnia ſimilis, in hoc quoq; quod Paulus itineris proſperitatem deo tribuit, ipſe quoq; illi in 10. cap. iſtis uerbis ſubſcribit, Equidem ſcio domine quod non eſt hominis ut uias ſuas dirigat, neq; ut greſſus ſuos perficiat. Paria prorſus legis & in epiſtola Iaco. cap. 4. Porrò ne quis lucri gratia iſtud itineris conceptum ſuſpicaretur, mox ſuppingit, Deſidero enim uidere uos, non utiq; mei quæſtus gratia, ut nummos extorqueã, aut rapinam à uobis agam, ſed ut doni aliquid ſpiritualis conferam: & ut rectius me intelligatis, Cupio uos in ſana fide confirmare. Quod interim & ipſum ſic nolim intelligi, quaſi fidei nomine uobis cupiam dominari, ſed ut cõmunem de uobis conſolationẽ animiq; gaudium capiã, nempe cum uos me de mea, ego uiciſſim uos de ueſtra fide audierim diſſerentes. Siquidẽ mutua collatio & exhortatio plurimũ corroborat pectus humanũ. Hic interim contemplare mihi, Chriſtiane Lector, quid uiros deceat apoſtolicos, & q̃ diſſimilis ratio ſit noſtrorũ (ut dici uolunt) apoſtolicorum. Hi enim nihil aliud q̃ exigunt, ſua quærunt, dominium fidei prætextu exercent, atq; utinam dominium non etiam tyrannidem exercerent, præterea & dona ſpiritualia

Cultus dei.

In auaritiã prorum eccleſiæ.

tualia & functionem euangelij non aſpernarentur & opprimerent. Sed ſtat ſua cuiq; (ut ille aiebat) dies breue & ineuitabile tẽpus. Dominus enim in iudiciũ ueniet, & omnem iniquitatem pro merito puniet. Tu uero huc referes 2. cap. prioris ad Theſſ. & 5. prioris epiſtolæ Petri, & quod Paulus 2. Cor. 1. cap. ſcribit. Non quod dominemur uobis nomine fidei, ſed adiutores ſumus gaudij ueſtri. Nam fide ſtatis.

Nolo autem uos ignorare fratres quod ſæpe propoſueram uenire ad uos, ſed præpeditus ſum uſq; adhuc, ut aliquem fructum haberem etiam inter uos, ſicut & inter cæteras Gentes.

Præoccupatio eſt. Nam ne quis obijceret, Si tua tam prompta erga nos uolũtas fuit, qui oro factum eſt, quo minus ueneris hactenus? Reſpondet enim, Alijs atq; alijs præpeditus negotijs, maxime quod alijs me Gentibus doctorem miſit dominus, quod anxie uolui, pro animi ſententia perficere non potui. Vellem equidem ſi per nutum domini liceret fructum quoq; aliquem & inter uos, ſicut inter cæteras Gentes, haberem. Quo nimirum alluſit ad agriculturam, allegoria tracta à parabola domini de ſemine propoſita: quò nimirum & in tertio capite prioris ad Corinthios reſpexit, cum dixit, Etenim nos ſumus agricolæ, uos autem agricultura dei. Diſcimus autem ex hoc loco apoſtolos à deo mitti & prohiberi. Sunt enim indigni quidam, quos Veritas non dignatur alloquio. Quos autem uocat, ad ſanctimoniam uocat: hi ſi ſeipſos fecerint indignos, protinus aufertur ab eis regnum dei, & datur genti facienti fructum eius. *Miſſio.*

Græcis ſimul ac Barbaris, eruditis pariter ac rudibus debitor ſum, ita quantum in me eſt, paratus ſum uobis quoq; qui Romæ eſtis euangelium prædicare.

Iſtis iam propius, & quod dici ſolet, pede plumbeo, ad ſuum delabitur inſtitutũ. Hoc enim dicit, Quid uero multis? Dominus communem me omnium Gentium uoluit eſſe Apoſtolum: iccirco cum occaſio ad uos ueniendi non ſuppetat, eo utar conſilio quod ad manum eſt, ſcripto enim uobiſcum de uera commẽtabor iuſtitia, adeoq; illud quod mihi à deo concreditum eſt euangelium, ut hoc omnibus prædicem Gentibus, uobis quoq; qui Romæ eſtis pro uirili annunciabo. Vnde iam liquido claret Euangelij ſummam, ut ab Apoſtolo prædicata eſt (id quod Pontificios peſſime habet) plene hac epiſtola eſſe perſcriptam. Nam & ſi per omnia non annumeret hiſtoriam, quæ aliàs ſatis multis à quatuor illis expoſita eſt, attamen quod nucleum uim ſeu fructum rerum Chriſti attinet, uiuaciſſime ac propriſſime omnia expreſſit. Et Græcos quidem in hac promiſcue omnes Gentes uocat, eo quod Græci olim late imperitarent, & eorum lingua etiamnum pleræq; Gentes uterentur. Barbaros autem uocabant Romani omnes Gentes exteras. *Hæc tandem uera eſt epiſtolæ occaſio: de qua & in argumento.*

Non enim pudet me Euangelij Chriſti, ſiquidem potentia dei eſt, ad ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco: Iuſtitia enim dei per illud patefit ex fide in fidem. Sicuti ſcriptum eſt, Iuſtus aũt ex fide uiuet. STATVS.

Cæterum quo maiori authoritate omnia proponerentur, neq; aduerſarij quicquam temere poſſent ceu ludicrum & leuiculum contemnere, ſtatum cauſſæ ſuę, qui & totius euangelij, quod ſe prædicaturum dixit, ſcopus eſt, non citra maximã euangelij laudem collocare pergit, ſcripturis interim rebusq; magnificis omnia ſic exornans, ut nihil uel moroſum offendere poſſit. Protinus enim breui, ſed graui deſcriptione præmittit quid ſit euangeliũ, Potentia nimirum dei ad ſalutẽ omni credenti. Quem uero non caperent hæc tam grandia, ſiue quis rerum pretiũ nobilitatémue, ſiue utilitatem ſpectet? Proinde haud iniuria adiecit, Non enim me pudet euangelij Chriſti. Stolidiſſimus enim ille fuerit, quem optimarũ ſimul & incomparabiliũ pudeat rerum. Eſt, fateor, ſermo crucis qui buſdã ſtultitia, quibuſdã uero ſcandalũ, ſed ijs interim ſtultitia eſt qui pereũt, qui prę animi ſtultitia & cæcitate neſciunt quæ uera ſit ſapientia. Sunt pręterea hodie q̃s ob cruces, *Euangeliũ quid ſit, & quæ eius nobilitas.*

ueritatis ſimplicitatem, & mundi deſpectum, pigeat Euangelij Chriſti: ſed illi propius apud ſe expenderent illud quod ueritatis os dixit, Quem mei puduerit & mei euangelij, eius & me pudebit cum in iudiciũ uenero. Sapientiſſime ergo conſuluit Timotheo ſuo Apoſtolus cũ dixit, Ne itaq; pudeat te teſtimonij domini noſtri, neq; te pudeat mei, qui ſum uinctus illius, ſed eſto particeps afflictionũ euangelij iuxta potentiam dei, &c. 2. Timoth. 1. Hæc aũt omnia ita neſciunt Pontifices, Epiſcopi, & proceres eccleſiaſtici, ut nulli æque. Hos pudet euangelij Chriſti, adeoq; pudet, ut alijs id prædicantibus ſe minis, ferro & flamma opponant. Egregij, ſi dijs placet, apoſtolici uiri. Sed uideamus quo ſenſu dixerit Euangeliũ eſſe uirtutem ſiue potentiã dei. Virtus itaq; dei, δύναμις θεοῦ, potẽtia dei eſt, robur, maieſtas, ueritas, iuſtitia, miſericordia, adeoq; brachiũ illud dei ipſe filius Ieſus Chriſtus dñs noſter, per quem declarauit pater potentiã, ueritatem & iuſtitiam, deniq; & miſericordiã ſuam mundo. Euangeliũ itaq; illa eſt cœleſtis denunciatio, quæ nobis potentiam dei Ieſum Chriſtum prædicat, in quo deus orbi omnem plenitudinem exhibuit, ut quiſquis illi fidit, non pereat, ſed habeat uitam æternã. Nullus eſt hoc loco perſonarũ reſpectus, quiſquis crediderit Romanus ſiue ludæus, Græcus ſiue Barbarus ſit, uitam æternã habebit: quanq̃ ob patres & promiſſiones eam ſalutem primo ludæis nunciari oportuerit. Illò enim reſpexit Apoſtolus cum dixit, Iudæo primum: cæterum mox ſubiecit, Et Græco. Nam in ſua uenit, & ſui eum non receperunt, quotquot ergo receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri, &c. Ioan. 1. Ad expoſitionem huius facit illud quod ſequitur, Iuſtitia enim dei per illud patefit, quod etiamſi cauſſa luculentior ſit, cur ipſum euangelij non pudeat, utpote quod ex eo diſcatur quæ ſit uera ſapientia & iuſtitia, eſt tamen nihilominus expoſitio quędam. Id enim quod antea Potentiam dei dixit, idem nunc apertius Iuſtitiam dei nominat: quaſi dicat, Illa uero de dei potentia prædicatio, non modo de maieſtate illa dei tremenda omnipotenti & ineffabili, ſed magis de iuſtitia dei eſt inſtituta, id eſt, de eo quomodo homo apud deum iuſtus reddatur. Neq; enim iuſtitia hoc loco accipi poteſt pro diſtricto dei iudicio, hoc eſt pro eo quod de noxijs ſumit ſupplicio, uel pro ea perfectione qua deus ipſe natura iuſtus eſt, & ſi ea omnia euangelio quoq; doceantur, uerum hic de iuſtificãdi modo peculiariter loquitur, quod inquam Euangeliũ iuſtificãdi rationem tradat. Porrò Chriſtus Ieſus factus eſt nobis à deo ſapiẽtia, ſanctificatio, redemptio & iuſtitia. Itaq; euangeliũ iuſtitiam dei Ieſum Chriſtum prædicat, qui noſtra fit iuſtitia, ſi in eum uere credamus: hinc Apoſtolus ſubiunxit, Ex fide in fidem. De qua ſententia multi multa eaq; uaria tradiderũt. Sunt enim qui ſic exponãt, Ex fide informi, in fidem formatam. Alij uero, Ex fide in fidem, hoc eſt, ubicunq; fuerint fideles. Alij, Ex fide ſcilicet patribus adumbrata, in fidem euãgelicam. Sunt præterea qui ad augmentum fidei referant. Quid ſi Pleonaſmon dictionis admiſſum dicamus? ut ſit ſenſus, Et hæc iuſtitia non eſt niſi ſolida & uera fides, uel, Et hæc iuſtitia dei nõ niſi per ſanam fidem uobiſcum cõmunicatur. Parí enim ſchemate legimus Ioannẽ dixiſſe, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiã pro gratia, id eſt abſolutiſſimam gratiam & condonationem. Heluetij quoq; id ſchematis ſic exprimimus, *&weñ rächt für rächt gadt*, id eſt, ſi ipſiſſima ſeruetur iuſtitia iam uicero. Aut certe Mataſtaſis erit in dictione fides: ut primo loco fides ſit fiducia Chriſtiani animi: porrò ſecundo loco ueritas & conſtantia dei. Nam אמת Hebræis & ueritatem & fidem ſignificat: ſicut et Latinis fides multoties uſurpatur pro dictorum conſtantia. Et Paulus πιστὸς (ait) ὁ θεὸς: & πιστὸς ὁ λόγος, quod interpres partim fidelis deus, partim uero uerax ſiue certus ſermo tranſtulit. Hac autem ſignificatione hic erit Pauli ſenſus, Iuſtitia qua uerè coram deo iuſti efficimur exiſtit ex fide quæ innititur & fulcitur fide, id eſt, promiſſionibus dei firmis & certiſſimis. Atq; hic demũ ipſiſſimus eſt huius epiſtolæ ſtatus, fidem ueram eſſe iuſtitiam: quæ res ne cuiquã uideretur durior, eam prophetica confirmat ſentẽtia, ex 2. Abacuck cap. prolata, ibi enim legimus, Iuſtus autẽ in fide ſua uiuet. Quo nimirũ teſtatus eſt uitam fideliũ fore fidem. Nam ut corpus ſine anima cadauer uerius q̃ corpus eſt: ſic iuſtus ſine fide hypocrita uerius eſt q̃ iuſtus. In ſumma, hic eſt totius euãgelij huius quoq; epiſtolæ ſcopus unicus, FIDES EST IVSTITIA. Hæc ipſa eſt etiam Chriſtianorum ſapientia.

Vide unde uera ſapientia ſit haurienda.

Ex fide in fidẽ.

Scopus euangelij Chriſti.

sapientia,quæ non discitur è philosophorum libris, sed spiritus sancti oraculis, ex ipso inquam Iesu Christi euangelio.Hic tamen in primis obseruandum, quod Ioannes Oecolampadius obseruandum esse monuit,Iustitiã fidei nostræ,si exacte loquaris, non ita tribui,quasi operi nostro:hoc enim foret abuti fide,si inquã fide mea uidear fidere,quasi dignum aliquid in me sit quod deus remuneret:sed ideo tribui iustitiam fidei,quod fides totum tribuat diuinæ miserationi. Idem monuit plurimũ distare inter opinionem, scientiam & fidem. Opinionem enim dubiam esse, quæ rebus non assentiatur firmiter, sed nunc hoc,nunc illud sentiat. Scientiam uero certiorem quidem esse,utpote quæ certis constet argumentis, & quibus contradici nequeat, sed nihil salutis in se contineat. Hinc esse qui fidem nũcupent historicam. At fidem ipsam uiuam esse certam efficacem: utpote quæ uerbo dei nitatur, ex deo oriatur,& in deum fundetur,substantia rerum æternarum. De qua nos in 11. cap. ad Hebr. Hactenus enim de epistolæ huius statu: nunc uidebimus quomodo ad hunc statum retulerit omnia.

Quomodo tribuatur fidei iustitia.

PRIMA EPISTOLAE PARS.

QVemadmodum non multis ante diebus epistolam Pauli ad Hebræos perspicuitatis gratia in tres partes diuisimus:ita hanc quoq; epistolam in partes secamus, principio ut memoriam iuuemus Lectorũ: deinde ut minus confusa & turbata sit tractatio. Prima autem hac parte exhibemus tibi illas duas euangelij potissimas partes,quod omnes homines sint peccatores: & quod solius fidei sit iustitia,non operũ uel meritorum. Atqui fidem illam nihilominus feracem esse bonorum operum. De qua re copiosius in argumento. Certe posteaquam statum negotij sui constituit, fidem esse iustitiam,mox illum confirmare pergit,& conuincit sequẽtibus, omne genus mortalium peccato esse obnoxium: nimirum in hoc, ut necessitate quadam cõcomitari uideremus fidei uel misericordię dei esse omnem iustitiã,non hominis,in quo nihil nisi peccatum. Itaq; à natura hominis siue peccati ueluti à contrario argumentationem init: & initio quidem ne omnia confunderet,Gentes peccati conuincit, deinde Iudæos. Nam ex his constabat nõ modo Romanorum ecclesia,sed & omne genus hominum. Atq; ad hunc modum arguit spiritus sanctus, ministerio Pauli, mundum de peccato, sicuti futurum prædixerat dominus, Ioan. 16.

QVOD OMNES GENTES SINT PECCATORES.

Equidem in prędicando euangelio eundem prorsus modum secuti sunt Ioannes Baptista & dominus Iesus,ab increpatione scelerum auspicantes. Clamabant enim, Pœnitentiam agite:ita & Paulus orditur.

Retegitur enim ira dei è cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum,

Id est,eodem euangelio cœlitus nunciato,aperitur siue reuelatur,ut iustitia ita uindicta quoq; dei, nempe quod deus toti orbi succenseat propter peccata. Nam & Ioannes in Canonica,In hoc (inquit) apparuit filius dei,ut dissoluat opera diaboli. Itaq; Euãgelica prædicatione accusantur etiã scelera & impietates hominũ. Et Paulus per ἀσέβειαν hoc est impietatem,intellexit omnem superstitionem & religionem falsam, per ἀδικίαν uero,hoc est per iniustitiã,omnem iniquitatem,omnia scelera atq; peccata, quæ falsam religionem sequũtur. Ergo peccatum ueluti in duas species diuisit,in impietatem & iniustitiam,atq; iuxta hanc partitionem Gentes primo conuincit peruersæ religionis,deinde facinorum publicæq; iniustitiæ. Interim uero & enallagen uerbis subesse crediderim,ut impietatem & iniustitiã posuerit pro impijs & iniustis. Protinus enim subiũgit:

Euangeliũ accusat peccata.

qui ueritatem in iniustitia detinẽt: propterea quod illud dei cognobile illis manifestum est. Deus enim illis manifestauit,

Quibus sanè sese exponit,& primum illud membrũ peccati explanat, quænã illa impietas, quiue illi impij sint, illi nimirũ qui ueritatẽ sua illa cognata uel ascititia iniustitia

Impietas.

detinẽt obfuſcant & remorantur adeoq; opprimunt. Illis aũt cœlitus imminet, niſi conuertantur, diuina uindicta. Veritas aũt apoſtolo ipſe deus eſt & religio uera, ſicut iniuſtitia ſuperſtitio. Gentes ergo ueram religionem ſua ſuperſtitione adulterarũt. Et ne quid ancipitis aut obſcuri uerbis ſubeſſet, per interpretationem addit, Propterea quod illud dei cognobile illis manifeſtum eſt. Id eſt, quod ueritatem à Gentibus corruptam dico, propterea dico, quod γνωστὸν, id eſt illud dei cognobile, nimirum quod de deo ſciri et cognoſci poteſt, quantum deniq; homini ſat eſt, illis manifeſtũ eſt. Deus enim illis manifeſtauit, id quod addit, ne quis humanæ naturæ nimium tribueret. Sed & modũ quo ſe illis manifeſtauit mox deſcribit.

Etenim inuiſibilia eius, ipſaq; æterna eius potentia ac diuinitas intelliguntur ex creatione mundi, nempe ſi expendantur opera eius:

Quomodo ſe deus reuelarit Gentibus.

Non (inquit) ſcripturis & oraculis ſeſe deus Gentibus, quemadmodum Iudæis, manifeſtauit, ſed uniuerſa illa mundi mole, beneficijs, mirabilibus rebusq; conditis & uiſibilibus, quibus inuiſibilia, hoc eſt ſeipſum qui inuiſibilis eſt, ueluti ob oculos ſtatuere, & æternam ſuam potentiã & diuinitatem ineffabilem declarare uoluit. Ea enim omnia in ijs intelliguntur, nempe ſi opera dei exacto iudicio penſitentur. Deus enim per ſe omnium rerum eſt ſubſiſtentia, omnipotens, ſummus, uerus, æternus, bonus, ſapiens & iuſtus. Cæterum harum rerum certiſſimum argumentum eſt moles mundi, quæ in deo ſubſiſtit, potentia & ſapientia eius condita eſt, iuſtitia & ueritate regitur, bonitate uero & pulcherrima eſt & utiliſſima: quæ ſanè non poſſet niſi æternus, omnipotens & uere ſummus eſſet. Recte ergo propheta, unde hæc Paulina uidẽtur deſumpta, Cœli (inquit) enarrant gloriam dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Idcirco quod ad ueritatem uerámue religionem & ad dei cognitionem attinet, quantum humanæ menti ſat eſt, nihil latuit Gentes: ſiquidẽ deus ſeſe illis manifeſtauit rebus uiſibilibus. Ex quibus nos primo intelligimus quid ad Hebræos 11. cap. uoluerit Paulus, cum dixit fidem argumẽtum eſſe rerum non apparentium: nimirum deprehenſionem æterni certamq; fidutiam in deum inuiſibilem. Deinde uero colligimus ne Gentibus quidem defuiſſe deum, ueritatẽ, & religionem ueram, ſi modo ea uti uoluiſſent. Nam & in Actis cap. 14. & 17. non diſſimilia prorſus his prædicauit Apoſtolus. Videmus item nõ uulgarem dei rerumq; diuinarum cognitionem in quibuſdam Gentilibus nõ omnino peſſimæ fidei hominibus fuiſſe. Verum ea in hiſtorijs & philoſophorum libris copioſe exponuntur. Certe ut ex multis unum proferam, unus Seneca plus ſyncerioris theologiæ poſteritati reliquit, quàm omnes ferè omnium ſcholaſticorum libri.

ut iam ſint ipſi inexcuſabiles, eo quod cum deum cognouerint, non ut deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, ſed uani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum.

Propoſita autem dei bonitate, qua nihil inter Gentes quoq; omiſſum, quod ad cognitionem dei pertinere uidebatur, nũc urget eas & infert, Ideoq; impietatis ſcelus nulla excuſatione poteſtis eluere. Conſtat enim nunc quod per dei reuelationem agnoueritis deum, ipſum tamen dei loco non habueritis, neq; iuſtam illi dederitis gloriam, itaq; ueritatem eius detinueritis in mendacio. Cæterum iſtud peccatum maxime amplificat, expoſitis cognatis quibuſdam, cuiuſmodi eſt ingratitudo uitiorum peſſimum & arrogantia quæ naſcitur ex ignorantia rerum ſacrarum. Hæc inquam omnia tum maxime pullulant, cum menti rationiue noſtræ nimium innitimur. Eſt enim fallaciſſimum rationis iudicium, & impietatum feraciſſimum, quo nemo ad ueram ueræ religionis cognitionem deuenire poteſt. Nam Chriſtus in Euãgelio, Si oculus (inquit) tuus prauus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen quod eſt in nobis tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? Rectiſſime itaq; & elegantiſſime ſcripſit Apoſtolus, Gentes

Non aſſequuti quod uoluerũt.

dei manifeſtationem contempſerunt, itaq; ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, id eſt ſuperuacanei & uani facti uel fruſtrati ſunt, in illis ſuis diſceptationibus ſiue ratiocinationibus. Significat enim διαλογισμὸς cogitationem non quamuis, ſed quæ ſuis con

ſtat

ſtat neruis, cuiuſmodi ſolent eſſe ratiocinationes ſapientum & diſputationes philoſophorum, quæ ex probabilibus neceſſaria ferè concludunt. Qualia ferè ſunt & ea quæ pontificij extra ſcripturas pro religione ſua aſſerenda proferunt. Iſtis aũt didicimus quibus gradibus & incrementis creſcat uera religio. Primo enim ueritatem ſuam manifeſtat nobis deus, non modo oraculis diuinorum hominum, ſed & pulchritudine & opificio rerum creatarum: hinc uero ſi accedat cœleſtis mens emanat dei diuinarumq; rerum ſancta cognitio. Deinde uero qui deum cognouere, deo omnem gloriam tribuũt, hunc adorant, hunc inuocant, hunc unice colunt, illi deniq; grati ſunt, quod tanta uirtus ipſum uidelicet numen miſerũ hominem ex nihilo conditum, & in mundum hunc omni ornatu comptiſſimũ ceu in regiam introductũ, in hac alat, protegat, foueat, inſuper etiam immortalitate donet. Hinc naſcitur amor dei & uoluntatis eius, ut lex eius auro uideatur nobilior & melle dulcior. Contra uero ijſdem penè incremẽtis aſſurgit humana impietas. Nam ut reuelationẽ dei omnem aſpernatur, ita dictamini rationis unice innititur, diuina negligit, & carnalia quædam ſibi cudit, his omnem gloriam tribuit, iſtis mordicus adhæret. Sed audiamus Apoſtolum iſta omnia copioſius exponẽtem, & ſeſe interpretantem. *Gradus ueræ et falſæ religionis.*

Cum ſe crederẽt ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, & mutauerũt gloriam incorruptibilis dei per aſſimulationem imaginis corruptibilis hominis & uolatilium & quadrupedum & reptilium.

Planiſſime nunc explicat quomodo ueritatẽ detinuerint in iniuſtitia, quomodo item deum non glorificauerint, ſed uani facti ſint: nimirũ cum ſe crederent eſſe ſapiẽtes, utpote qui ſe ratiocinationibus ſuis uerũ & iuſtum inueniſſe exiſtimarent, id quod ſtulta philoſophorum capita, in primis uero idololatræ ſibi arrogabant, tum maxime ſtulti facti ſunt, ipſaq; re inſignem animi ſtultitiam prodiderunt. Nam mutauerunt gloriam incorruptibilis dei, & quantum in ipſis fuit inedicibilem maieſtatẽ eius adulterarũt. Quaſi uero illud omnium rerum principiũ, ſummum bonum & eſſentia uniuerſitatis ipſiſſima, miſerrimi hominis effigie, uel animantium quæ infra hominem ſunt ſpecie poſſit effigiari uel repræſentari: qua re nihil ſtultius potuit uel cogitari quidem. Sic autẽ conuicit Gentes ſummus ille Chriſti Apoſtolus impietatis, quodq; ira dei merito aduerſus tantam deſæuiat impietatem. Ad iram enim dei declarandã pertinent conſequentia illa nepharia ſcelera, de quibus paulò poſt. Hic uero plurima obſeruãda ſunt. Primo diſcimus omnem mundi ſapientiam, ſtultitiam eſſe coram deo. Nam propheta apud Paulum in Corinthijs dicit, Dñs nouit cogitationes ſapientũ quod ſint uanæ. Deinde uero fuerũt qui gloriam dei interpretati ſunt ipſum deum eſſe glorioſum, ineffabilem & æternũ: ſed uidetur Apoſtolus ad illud propheticum reſpexiſſe, quod apud Iſaiam in 42. dicit dominus, Ego dominus hoc eſt nomen meum, Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. Ideoq; gloriam dei mutauerunt Gentes, id eſt, ad unum non omnia retulerunt, ſed quæ ſoli deo debebantur, omnipotẽtia uidelicet, prouidentia, adoratio, inuocatio, cultus & timor, alijs quoq; cõmunicarunt, qua mutatione nomen dei, quod homines quidem attinet, obſcurarunt. Per ſe enim gloria dei neq; imminui neq; obſcurari poteſt. Hæc autem in genere, ſpeciatim uero mox exprimit quomodo mutarint, certe ſimilitudine imaginis, quæ locutio id pollet quaſi tu dicas per aſſimulationem imaginis: quo nos utpote planiori uti maluimus. *Sapientia mundi.*

Ergo duo ſunt in idololatria conſyderanda. Prius quod ipſa deo non omnia, ut conueniebat, tribuit, qui idololatriæ fons eſt: per hoc enim gloriam eius cõmutamus. Poſterius quod uel inuiſibilẽ illam uim uiſibili ſpecie aut ſimulachro exprimit, & illi nomen dei tribuit: uel uiſibilem aliquam creaturam inſenſibili & longe inferiori figura ſtatuit, eamq; pro more colit. Qua in re multis nominibus peccatur. Primo, quod immenſum illud bonum miſerrimo homini ſimile putamus: quam dementiã multis accuſat Iſaias in 40. cap. Hinc q̃d mentes noſtras non ſoli deo in omnibus dedicamus. Rurſus quod incommunicabile nomen dei alijs tribuimus, & quod non ſoli deo ſeruimus unicũm *Idololatriæ peccatum.*

ue colimus uti conueniebat ſpiritu & ueritate. Quid quod ligno & lapidi nomen dei tri buimus, non citra ſummã blaſphemiam? Et Gentes quidem ſic peccarunt, quod nos ex ſcriptoribus, ut omnia intelligantur melius, paulò altius repetemus.

Gentiũ de Deo & Dijs opinio.

Sunt qui à Gentibus & Iudæorum idololatris lignum & lapides credant adoratos, quod & ſi à craſſioribus factitatum eſſe negare non poſſumus, ita longe auguſtiora de deo & diuis eorumq; ſimulachris probabimus eſſe diſputata. Nemo enim qui uel Gentium monimenta attigit, neſcit Gentes plures quidem deos cõfeſſas, interim tamen non niſi unum omnium rerum opificem uere ſummum credidiſſe, adeò ut ſint qui palàm fateantur plura quidem eſſe nomina, Deum tamen unum. Hinc & Naturã, de qua multis Plinius, & Fatum, cuius multa eſt mentio apud Homerum, & cui ſubĳciuntur dĳ reliqui omnes, nihil aliud eſſe quàm deum interpretantur. Notiſſima eſt Macrobĳ ſuper hac re in Saturnalibus diſputatio, qui ad unicum Solis numen omnes deos referre conatus eſt. Iam & in libro de Myſterĳs apud Cœlium Iamlichus, Opifex (inquit) intellectus qui & ueritatis eſt dominus, atq; ſapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potẽtiam traducit in lucem, Amum Aegyptiaca lingua uocatur: quatenus autem fine mendacio peregit omnia, & artificioſe ſimul cum ueritate Phtha nuncupatur. Græci uero hunc Vulcanum nominant, artificioſum duntaxat conſyderantes: quatenus uero eſt effector bonorum, appellatur Oſiris, aliasq; denominationes habet propter potentias actionesq; differentes. Ita & Platonici ſummã ſedem tribuunt Dĳs immortalibus, quorum parens princepsq; is ſit, quem rerum cõditorem opificemq; ueneramur maieſtatis amplitudine ultra mundana ſanctum & humano ſermone inenarrabilem, ſed ne mente quidem apprehenſibilem: quiſquis eſt is (inquiunt) aut quantuſcunq; unus eſt, uerus, bonus, ueritas una bona, bonitas una uera. Cæteri non tam Dĳ quàm miniſtri. Item Strabo lib. 17. refert Aegyptios quoſdam duplicem feciſſe deum, immortalem qui omnium ſit conditor, & mortalem, qui ex beneficĳs collatis pro cuiuſuis placito & nomine celebretur, & munere colatur. Nam antiquitas Eraſmo teſte, nihil aliud exiſtimabat deum quàm prodeſſe mortalibus. Vnde frugum, uini, legum authores, & quicunq; ad uitæ commoditatem aliquid attuliſſent eos pro dĳs habebat antiquitas, adeo ut & beluas quaſdam pro numinibus colueritt: uelut apud Aegyptios ciconiam, quod ſerpentes arcere conficereq; credatur. Quin & authore Prodico Chio corpora quædam inanima pro dĳs habita ſunt, ueluti ſol, luna, aqua, terra, quod ad uitam conducere uiderentur. Plinius quoq;, Hic eſt uetuſtiſſimus (inquit) referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus aſcribant. Quippe & omnia nomina deorum, ex hominum nata ſunt meritis. Plura huius generis uidere eſt apud Ciceronem in libris de Natura deorum. Hactenus enim retuli Gentium ſententiam de Deo, & unde deorum nata ſit pluralitas, certe ex beneficĳs & officĳs. Nam poſtquã in obliuionem uenit ſapientia, omnipotentia & prouidentia dei, protinus diuina adminiſtratio in plures diſtribui cœpit. Huic enim committebatur cura ignis, illi cura maris, alteri cuiuſpiam terræ. Cœpere & menſibus præfici Dĳ nominati, & artibus & morbis, & omnibus ſingulisq; membris, imò & actionibus humanis abiectiſſimis, adeo ut Oenomaus tradiderit triginta millia deorum in orbe terrarum fuiſſe culta, quod & ipſum uates aſſeruit Heſiodus. Et Romani in primis coluere deos pudendos. Quis enim neſcit deum Sterculium, Cloacinum, Pauorem, Palloremq;, Rubiginem ac Febrem, Fornacem, & his ſtultiores ac turpiores cum deos tum deas, Mutinum uidelicet Virginenſem, Subigum, Premam, Iugatinum, Domiducum, Domitium Manturnam, Partundam, & Priapum? Horret animus dicere, ſed oportet ueritatem dicere. Iſtorum ſtultitia & Dæmonas inuenit, quos Apuleius animalia ingenio rationabilia & animo paſſiua, corpore uero aëria, tempore æterna dixit. Eſſe eñ illos quibus nos perturbationibus adfectos: quos Romani ueteres Medioxumos nuncuparũt, quod ueluti interceſſores, deo minores hominum autem natura ſint maiores: qui concepta à nobis uota ad deum deferant, & illinc nobis diuina munera ueluti μεσῖται conferant.

Dei appellatio.

Pluralitas deorum.

Simulachra.

Conſtituta autem ad hunc modum deorum innumera turba, innumera quoq; cœperunt

perunt ſtatui ſimulachra ad eorum effigiata figuram, quæ de deo aliquo ſtulta ſibi finge bat mens, quem uel in cœlis eſſe, uel à deo in hoc conſtitutum, credebat. Quicquid ergo diuini honoris in templo, ad aram uel ſimulachrum ſiue Iunonis, ſiue Iſidis, ſiue Ciconiæ à Gentibus exhibebatur, non ligno idolóue exhibebatur, ſed ei qui repræſentabatur idolo, qui in cœlis uel ab officijs dei eſſe credebatur. Neq; enim diuis quicquam priuatim tribuebant, ſed ueluti ſummi dei miniſtris, mediatoribus, & propter uirtutes ad hoc muneris & honoris conſtitutis. Prodigia itaq; & ſigna quæ ad ſtatuas fiebãt, ijs tanquam ſecundæ cauſſæ, deo autẽ ſummo ueluti primariæ tribuebant. Huius potiſſimum nomine illas colebant & uenerabantur. Et Iudæi quidem (de quibus propheta in Pſal. 105. Commixti (inquit) inter Gentes didicerunt opera eorum, & coluerunt ſimulachra ipſorum) ad hunc modum ſeruierunt Baalim, hoc eſt, omnigenis idolis Gentium. Videntur enim Hebræi iſta uoce indifferenter uti pro omnibus Gentiũ idolis, hoc potiſſimum nomine, quod Bel ſiue Baal, ſiue malis Latine loqui, Belus, primus apud Aſſyrios fuerit, cui ſtatua eſt conſecrata, à quo ritu deinceps in uulgus idololatria irrepſit: ut nũc à capite totum idololatriæ denominetur corpus. Ad hunc modum illi ipſi coluerunt omnem militiam cœli, hoc eſt, ſtellas, ſiue poëticos illos in aſtra relatos deos, in primis uero ſigna Zodiaci, quod ijs aliquid diuinæ uirtutis uideretur à deo datum. Idem non uitulo alicui erexerunt ſtatuam in deſerto, ſed deo cœli, qui eduxerat ex Aegypto. Clamabant enim, Hi ſunt dij tui qui eduxerunt te de terra Aegypti: ſed & Aaron non dicebat, Cras ſolennitas uituli eſt, ſed, Cras ſolennitas domini eſt. Deos autem uocarũt unicum illum deum numero pro more ſuo pluratiuo. Nomine quidem & figura ſiue corpore caret deus uerus, qui ſpiritus eſt: ergo nomen & figuram deo affinxerunt ex eo quod in Aegypto didicerant. Colit autem Aegyptus Tauri aſtrum, quod Apin uocant, ergo ad iſtius imitationem tauri quoq; formam affinxerunt deo, multis nominibus peccantes, quod Tauro & idolo ex auro & argento nomen dei incommunicabile communicarũt, & quod deum inuiſibilem & incorruptibilem, ſpecie quadrupedis effigiarũt, illoq; ipſo deum colere uoluerunt, quod dominus prohibuerat, dicens, Non facies tibi ſculptile, neq; ullam ſimilitudinem. Non adorabis eam neq; coles. Vnde & in Pſal. 105. dicit propheta, Fecerunt quoq; uitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt, id eſt prodiderunt gloriam ſuam imagine uituli fœnum comedentis, & obliti ſunt dei ſeruatoris ſui, &c. Samaritæ quoq;, Gentes imitati, deum quidem timebant, ſed nihilominus (ut ſcriptura ait) idolis ſuis ſeruiebant. 4. Reg. 17.

Iudæorum idololatria.

Et hæc quidem paulò altius de peccato idololatriæ: nunc ut per digreſſionem pauca quoq; de errore noſtrorum temporum quædam referam, non arbitror Pontificiam religionem de diuorum & ſimulachrorum cultu præcipientem quicquam diſtare à Gentilitia ſuperſtitione. Siquidem & ipſi deum humana ſpecie, incorruptibilem, figura corruptibilis hominis expreſſimus. Nec patrocinatur nobis aſſumpta in deũ humana natura, quæ non in aliud quàm pretium redemptionis aſſumpta eſt, quo perſoluto ipſam terris abſtulit, & in cœlis collocauit, ſpiritum cõtra miſit, & omnem rem in ſpiritualem cultum diſpoſuit: ſed redeamus ad diuos. Sciunt & noſtri quod & Gentes profitebantur, unum quidem eſſe deum ſummum & omnipotentem, ex quo & per quem ſint omnia, qui ſolus agat in omnibus omnia, & iccirco ſolus ſit colendus. Cæterũ mox ſui obliti, nihilominus deum hunc per diuos operari, itaq; ipſum in illis colendum & adorandum eſſe contendunt. Aiunt enim meritis ſuis diuos maxima & eximia à deo impetraſſe, ea & curare & per diſpenſationem cultoribus ſuis impartiri. Illos ergo abſentes ſimulachris ſibi ob oculos ſtatuunt, illa rebus externis & corporeis colunt. Non quod ſimulachris mutis quicquam honoris tanquam ligno & lapidi exhibeãt, ſed tanquam ſigno diui alicuius in cœlo cum deo conregnantis. Idem prorſus, ſicut auditum eſt, de ſua ſuperſtitione prodebant Gentiles: ut nunc ouum ab ouo non magis diſcernere poſſis, q̃ Chriſtianorum ſuperſtitionem à Gentili. De qua re nos olim peculiarem quendam librum ſcripſimus. Certe nemo poſthac dubitauerit cum par ſit utrorumq; idololatria, et Gentium hic à Paulo ſit confutata, quin & Chriſtianorum ijſdem uerbis ſit profligata.

Chriſtianorum idololatria.

Et adhuc audent noſtri nobis obiicere Patres & eccleſiæ oblongam conſuetudinẽ, Gregorium in primis magnum, cuius uerba cum non omnino noſtro inſtituto ſint contraria, uerbotim appendam, reſponſurus ad ea quoq; quæ nobis aduerſa uidentur. Gregorij itaq; uerba ad Serenum epiſcopũ Maſſilieñ. Par. 10. epiſtola 4. ſic habent: Perlatum ad nos fuerat quod inconſiderato zelo ſuccenſus ſanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione ne adorari debuiſſent, cõfregeris. Equidem quod eas adorari uetuiſſes omnino laudamus, fregiſſe uero reprehendimus. Dic frater à quo factum ſacerdote auditum eſt, quod tu feciſti? Si non aliud, uel illud debuit reuocare, quod deſpectis aliis fratribus, ſolum te ſanctum & ſapientem eſſe credidiſti. Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturam hiſtoriæ quod fit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura hoc idiotis pictura præſtat cernentibus. Quia in ipſa ignorantes uident quid ſequi debeant. In ipſa legunt qui literas neſciunt. Vnde & præcipue Gentibus pro lectione pictura eſt. Frangi ergo non debuit, quod non adorãdum in eccleſiis, ſed ad inſtruendum ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et quæ ſequuntur. Hactenus enim Gregorij uerba bona fide recitauimus, quibus tria mihi uidentur propoſita. Primum, imagines ſanctorũ non ad cultum eſſe proponendas. Quod ſi proponantur, omni modo reluctandũ. Id quod uehementer pugnat cum religione Pontificia, in qua diuorum ſimulachra ſupra quam conueniat, & maiori ardore, q̃ apud Gentes unquã coluntur. Interim nemo ex Pontificiis eſt, qui hoc ex Gregorio obiiciat, & manifeſtæ idololatriæ reclamet. Auaritia enim & compendium quod ex idololatria non ſine fraude capitur, omnes excæcauit. Secundum quod proponitur illud eſt, quod tanto animi æſtu Serenum interrogat: Dic frater, à quo factum ſacerdote auditum eſt quod tu feciſti? Id uero neminem offendere debet. Si enim Gregorius per ſacerdotes intelligit ſanctos dei homines, diuinos, prophetas & uiros apoſtolicos, quantam deus bone turbam producere liceret? Prodeat autẽ unus è multis Epiphanius Salaminæ Cypri epiſcopus, cuius geſta qui cognoſcere uelit, legat Sozomenum. Ille autem in epiſtola quadam ad Ioan. Hieroſolymitanum epiſcopum, interprete D. Hieronymo, ſic ſcripſit, Præterea quod audiui quoſdam murmurare cõtra me, quia quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum qui uocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more eccleſiaſtico facerem, & ueniſſem ad uillam quę dicitur Anablatha, uidiſſemq; ibi præteriens ardentem lucernam & interrogaſſem quis locus eſſet? didiciſſemq; eſſe eccleſiam, & intraſſem ut orarem, inueni ibi uelum pendẽs in foribus eiuſdem eccleſiæ tinctum atq; depictum, habens IMAGINEM, QVASI CHRISTI VEL SANCTI CVIVSDAM, Non enim ſatis memini cuius imago fuerit: cum ergo hoc uidiſſem in eccleſia Chriſti CONTRA AVTHORITATEM ſcripturarum, hominis pendere imaginem, SCIDI illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, ut pauperem mortuũ eo obuoluerent & efferrent. Illiq; contra murmurantes dixerunt, ſi ſcindere uoluerat iuſtum erat ut aliud daret uelum atq; mutaret. Quod cum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico me miſſurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quęro optimum uelum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor ut iubeas presbyteros eiuſdem loci ſuſcipere uelum à latore, quod à nobis miſſum eſt, et deinceps præcipere IN ECCLESIA CHRISTI iſtiuſmodi uela, quæ CONTRA RELIGIONEM NOSTRAM ueniunt, non appendi. Decet enim honeſtatem tuam, hanc magis habere ſolicitudinem, ut ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt. Hæc ex tertio D. Hieronymi tomo. Putamus autem Gregorio egregiũ iconoclaſten, neq; eruditione, neq; pietate uulgarem, ſed prorſus apoſtolicum uirum eſſe obiectum, qui palàm dicit ſanctorum imagines in eccleſia Chriſti contra religionem noſtram, & contra ſcripturarũ authoritatem, maximo populi dei offendiculo ſtatui. Nec id quidem dictum eſſe ſatis putauit, ſed inuentas abſtulit atq; diſcerpſit. Reſtat ergo nunc tertium illud, quod Gregorius imagines literarũ loco in eccleſiis retinere nititur. Id enim nunc diſſoluendum eſt. Cæterum ne aliquid piaculi in magni nominis uirum uidear cõmittere, duos maximi nominis Doctores eccleſiaſticos inter

Gregorij ſententia de ſimulachris excuſſa.

Simulachra ad cultum.

Epiphanij epiſcopi ſententia ex D. Hierony.

Hominis emphaſim habet.

Offendiculum tollendum, 1. Theſſal. 5.

Gõzenſtürmer.

ſeſe

ſeſe committam, Gregorium ſcilicet magnum, & Athanaſium & ipſum magnum. Hic enim aduerſus Gentes in hæc uerba ſcripſit, Philoſophi Gentium, & qui apud eos eruditi dicuntur, cum urgeri à nobis cœperint, non negant hominum & mutorum animalium formas atq; effigies eſſe, qui apud eos uidentur dñ, uerum hanc afferunt rationem, iccirco ſe illas imagines fingere, ut per eas ſibi deus reſpondeat & reueletur, non poſſe enim inuiſibilem aliter noſce, q̃ per huiuſmodi ſigna atq; teletas. Alij ſapientiora his & altiora ſe dicere arbitrantes, aiunt, ideo hæc fingi atq; formari, ut per ea cœleſtes inuocentur, & appareant angeli atq; uirtutes, ſicq; apparentes uerã illis dei inſinuent notionem. ESSE ENIM EA HOMINIBVS VELVTI LITERAS, quæ relegentes poſſint per eam, quæ ex illis inſinuatur cœleſtium ſpirituum reuelationem, & dei intelligentiam conſequi. Ita qui dem illi perquàm ſanè fabuloſe, neq; enim rationabiliter dicunt. Nam ut eos percontemur ſub iudicio ueritatis. Dicant quæſo, quo pacto per hæc aut reſpondet aut noſcitur deus? Vtrum per circumpoſitam illis materiam, an per inductam materiæ formã? Nam ſiquidem ob materiam, quæ iam formæ neceſſitas, ut non prius etiam quàm iſta fingerentur, per omnem prorſus materiam apparuerit deus? Fruſtra uero templa quoq; iſti fabricati ſunt, includentes intrinſecus unum uel lapidem uel lignum aut quamlibet auri particulam, cum hiſce ſubſtãtijs terra omnis plena ſit. Porrò ſi ſuperducta effigies apparitionis diuinæ cauſſa eſt, quid iam auro cæteraq; materia opus eſt, ac non magis per ipſa uera animalia, quorum formæ ſimulachra ſunt, deus reuelatur? Nam clarius profecto dei gloria, iuxta eorum rationem innoteſceret, ſi potius per animata rationabilia & irrationabilia, quàm inanimata & immobilia manifeſtaretur. Quibus in rebus MAXIMAM IMPIETATEM in perniciem ſuam operãtur, &c. Hactenus Athanaſij uerba ad ſcripſimus, quibus maximũ robur adderetur, ſi ea quoq; ſuper hac re adſcriberem, quæ Lactantius uetuſtiſſimus eccleſiæ ſcriptor non uno loco aduerſus Gentes dixit. Id tantummodo de noſtro, ſed ex ſcriptura ſancta adijcimus, Gloriam uerbi domini non minus quàm gloriam nominis eius mutari, prodiq;, ſi ſic pergamus inſtitutionem in religione, & cognitionem rerum diuinarum inani picturæ aut mutis tribuere ſimulachris. Nam dominus dicit Deut. 6. Verba quæ ego præcipio tibi erunt in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulãs in itinere, dormiens atq; conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribesq; ea in limine & oſtijs domus tuæ. Non nego aliquem eſſe uſum picturæ, præſertim in mathematicis & demonſtrandis rebus, at in templo nullus earum uſus eſt. Et Abacuck propheta, Væ (inquit) qui dicit ligno Euigila, & lapidi inſenſibili Excitare, iſtúdne doceret? Sed redeamus ad Paulum noſtrum.

An pictura ſit laicorũ ſcriptura. Athan. ſententia.

Vide ipſiſſima Gregorij uerba.

Quapropter tradidit illos deus per cupiditates cordium ſuorum, in immunditiam, ut ignominia afficiãt corpora ſua inter ſe mutuo, quotquot commutarunt ueritatem eius mendacio, & uenerati ſunt colueruntq; creaturã plus q̃ creatorem qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Ex contemptu dei enaſcuntur omnis generis ſcelera atq; peccata, de quibus Gentes nunc accuſat. Hactenus enim impietatis falſæue religionis cõuicit, nunc iniuſtitiæ quoque redarguit. Ad Theſſalonicenſes quidem idem ſcripſit, Non uocauit nos deus immunditiæ cauſſa, ſed ad ſanctificationem. Hæc enim eſt uolũtas dei ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore, non cum affectu concupiſcentiæ. Porrò Gentes manifeſtationem & uocationem illam dei neglexerunt, imò prodiderunt. Tradidit ergo eas deus in cupiditates cordium ſuorum. Atqui tradendi uerbum peccatorem culpa non liberat, quaſi dominus tradendo peccet, homo tradenti obtemperãs, culpa uacet. Bonus enim ſimul & iuſtus eſt dominus, peccare non poteſt, neq; ulla apud eum iniquitas eſt, quemadmodum & nulla apud eum perſonarum acceptio eſt. Aperit ergo ſe ex æquo oñibus, ſicut iam audiuimus, quod ſe Gentibus manifeſtarit: hic ubi obuiam ueritatem auerſarẽtur, ipſæ ſua culpa perierunt. Cum enim lucem fugimus, in tenebris maneamus oportet: ut

Tradendi uerbum quomodo uſurpetur.

nunc omnis culpa non dei, ſed noſtra ſit. Facit ille quod facere debuit: nos uero ex congenito malo tenebras quàm lucem malumus. Hinc iuſto iudicio tradit nos nobiſipſis, id eſt, permittit nos noſtro iudicio, ut uĩs noſtris ingrediamur, tunc uero ambulamus in tenebris. Porrò qui in tenebris ambulat dicẽte domino, neſcit quò uadat. Nam ſi oculus noſter luſcus ſit, neceſſarium eſt totum corpus tenebricoſum eſſe. Malum itaq; non à natura dei, (quamuis non negemus deum omnium eſſe authorem, denicq; & malum ipſum quadam ratione à deo eſſe) ſed à natura noſtra proficiſcitur. Bonum condiderat hominem deus. Quicquid enim creauerat bonum erat. Homo autem ſua inobedientia malacq; cupiditate ſuperatus in bonitate non perſtitit, ſed ſuapte culpa excidit: unde nũc omnis mali ſemina. Et uinum per ſe quidem bonũ eſt, noſtro uitio malum fit. Hinc propheta Oſeas, Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Et Iacobus apoſtolus, Deus ut malis tentari non poteſt, ita nec ipſe quenquam tentat, imò unuſquiſq; tentatur dum à propria concupiſcentia abſtrahitur & ineſcatur. Deinde uero poſteaquam ea concupiſcentia concepit, parit peccatum: peccatum uero patratũ, progignit mortem. Ideoq; morimur non dei boni culpa, ſed noſtro malo uitio. Si nunc iſtis conferas alios ſcripturæ locos, & obſerues morem ſcripturæ quomodo de hoc negotio loquatur, comperies deum neminem tradidiſſe, nullamq; Gentem puniuiſſe, niſi prius ei ſeſe prorſus manifeſtarit, imò nihil omiſerit, quod modo ad ſalutem ſpectare uidebatur. Etenim ſic non modo cum Pharaone, ſed cum Hieroſolymorũ quoq; urbe egit. Cæterum ubi illi obuium deum declinarent & auerſarentur, ipſis ſeſe ſubtraxit. Quod ſi auferas ex orbe Solem, nihil niſi craſſiſſimæ remanent tenebræ. Ita ablato à nobis deo, traditi ſumus iniquitati. Atqui propria ingratitudo & inobedientia tradidit nos. Quod eñ ſeſe deus ſubtrahit, æquitatis & iuſtitię eſt, ad eum modum punientis ingratitudinẽ noſtram. Ideoq; probe penſitandum quod Apoſtolus hoc loco non ſimpliciter dicit, Deus tradidit eos in concupiſcentias, ſed cũ conditione & ſuppacta cauſſa, Tradidit, ſed eò tradidit, quod ueritatem eius mendacio commutarunt, id eſt, prodiderunt. Ergo priuſquam traderentur uiderunt quid uerum, iuſtum & æquum: at cum uidere nollent (iuſtitiam enim dei ſua adulterarunt iniuſtitia, hoc eſt, ueram religionem falſa uitiarunt) ipſos ſibĩpſis, hoc eſt, cæco rationis iudicio, ueluti tortori & cæco duci cõmiſit, cuius auſpicĩis tandem tam fœda patrarunt. Nemo igitur poſthac deo peccati ſui culpam imputet, ſed ſibĩpſi & corruptæ naturæ. Interim uero non exiſtimet ſui arbitrĩ ſuarũmue uiriũ eſſe uelle uel poſſe bonũ, deus enim ut unicus fons & author boni, ſic is eſt, qui, iuxta Apoſtoli uerbum, agit in nobis ut uelimus & efficiamus pro bono animi propoſito. Non enim ſumus idonei ex NOBISIPSIS cogitare quicquam tanquam ex nobis: ſed omnis idoneitas noſtra ex deo eſt. Non enim aliud quàm malũ ex nobis eſt. Hic uero ne illud quidem præteruendum, quod omnis creaturarũ cultus qualiſcunq; tandem fit tollitur, deũ enim adorabis (ut habet lex & uerbum Chriſti) & illi ſoli ſeruies. Gentes uero etiam creaturis ſeruierunt, imò plus coluerunt & ſeruierunt creaturæ q̃ creatori. Videas & in noſtris templis non modo diuos coli, ſed ĩſdem plus exhiberi cultus q̃ deo ipſi, qui tamen ſolus colendus & laudandus erat in ſæcula. Annotauit hoc loco D. Ioannes Oecolampad. Præpoſitionem παρὰ nõ tam ſuper ſignificare q̃ præter. Nam & nos paulò ante probauimus Gentes agnouiſſe ſummum deum, ſed præter eum etiam alios coluiſſe. Atqui deus zelotypus eſt, ſolusq; coli uult & adorari. Peccant igitur uel hodie quicunq; ſeruiunt creaturis uita functis, ſiue cultu latriæ, duliæ, ſiue hyperduliæ. Hoc enim commenti affinxere ueritati ſordidæ monachorum greges. Cæterum ueritas clamat, Non ſint tibi aliĩ diĩ, PRAETER me. Ego dominus, gloriam meam alteri non dabo, &c.

Iacobi 1.
Philip. 2.
2. Cor. 3.
Cultus creaturarum.
Exod. 20.
2. Cor. 11.
Vel ſupra uel una mecum.

Quamobrẽ tradidit eos deus in cupiditates ignominiæ. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem uſum in eum qui eſt præter naturam. Similiterq; & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerũt in appetentiam ſui, alius in alium, maſculi in maſculos fœditatem perpetrantes, & præmium quod oportuit erroris ſui in ſeſe recipientes.

Cupidita

Cupiditates ignominiæ ex more Hebraico pro contumeliosis & dedecorosis posuit adfectibus. De ἀτιμία uide Budæum in Com. linguæ Græcæ. Iam uero redit & expressius immunditiam Gentium taxat. Prius enim audiuimus illas ignominia affeciſſe corpora ſua: nũc autem ediſſerit, quæ illa fuerit ignominia. Et loquitur de fœdiſſima pathicorum & catamytorũ libidine: contra quam & apud iſtorum poëtas ſeueriter dicta comperias. Quemadmodum uero iſta fœditas omnibus ſæculis deteſtabilis, ita apud Græcos & Romanos nimium uſitata fuit: atq; utinam uel hodie nepharij ſceleris ſuſpicione careret. Sodoma olim facta eſt publicum & perpetuum totius orbis exemplum, quo diſcimus quantum dominus id flagitij oderit. Quod ſi diuinare licet, iam ego Paulum hic magis locutum crediderim de obſcœnitate Sacrorum Gentilium, quàm de plebeia iſta fœditate, & ſi non negem de iſta quoq; intelligi poſſe: ſed quadrãtius illud eſt. Hactenus enim de ſuperſtitione diſſeruit, nunc de fructu eius ſcribit. Quaſi dixerit, Gentes uera religione neglecta, ſua potius ſecutæ ſunt cõſilia, idola & ſacra, iccirco iuſto dei iudicio inuentis, & ſacris ſuis relictæ ſunt, quæ poſtea eas prorſus dedecorarũt. Nam Auguſtinus de Ciuitate dei lib. 6. cap. 9. & iterum lib. 7. cap. 21. & 26. tam turpia & nephanda refert de Priapi faſcino, deq; turpitudine ſacrorum Liberi patris, & Cybeles, quam alij Berecinthiam ſiue matrem deorum magnam uocarũt, ut nemo ſine ſtupore poſſit legere, quod tam nephanda ſcelera apud iſtos deorum cœperint dici myſteria. T. Liuius decade 4. libro 9. copioſe admodum ſtupenda quædam refert de abominandis Bacchanalium ſceleribus, & inter reliqua ſic ait Hiſpalam dixiſſe, Principio ſacrarium id fœminarum fuiſſe, nec quenquam uirum eo admitti ſolitum. Deinde uero uiros acceſſiſſe & nocturnum ſacrum ex diurno factum, ex quo in promiſcuo ſacra ſint, & permixti uiri fœminis & noctis licentia acceſſerit, nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermiſſum. Plura uirorum inter ſeſe, quàm fœminarum eſſe ſtupra. Si qui minus patientes dedecoris ſint, & pigriores ad facinus pro uictimis immolari nihil nephas ducere. Hanc ſummam inter eos religionem eſſe, &c. His iam proprijſſime ſequens ſubiungitur ſententia, Et præmiũ quod oportuit erroris ſui recipientes. Hoc eſt, Et hanc ueluti condignam ſuis moribus, ſuaq; religione mercedem receperũt. Veritatem enim contempſerunt, ſuperſtitionem magis adamarunt, igitur ſuperſtitione ſua defœdati ſunt. Nam quemadmodum ipſi gloriam dei mutauerunt, ita ſacra eorum in cauſſa fuerunt, quod ipſorum quoq; gloria ſit mutata. Brutis enim deteriores facti ſunt, quæ naturalem uſum cuſtodiunt, pudoremq; aliquem, ut apud Plinium eſt, inſitum habent. Hæc autem probe expendant quidã quibus hodie adeo cordi eſt, non modo idololatria, ſed & immundus ille cœlibatus & impius monachiſmus, ne fortaſſis & ipſi idololatriæ dignas luant pœnas, atq; honorabile inter omnes coniugiũ execrantes in nepharia prolabantur ſcelera. Moneo imò ſuadeo quod honeſtum eſt, quiſq; rem apud ſe expendat, & ſi donum caſtitatis habet, fruatur, ſin ſecus, conſilium domini non aſpernetur. Satius eſt contrahere matrimonium quàm uri. Nemo ſe decipiat, neq; ſcortatores, neq; adulteri, neq; abominanda iſta patrantes ſcelera regnum dei poſſidebunt. Nullibi inſtituit dominus monachatum: nullibi prohibuit matrimonium, Iſtud autem per os Pauli prodidit, Ob fornicationem uitandam quiſq; ſuam uxorem habeat, & quæq; ſuum maritum. Et iterum, Honorabile eſt inter omnes connubium, & cubile impollutum, ſcortatores autem & adulteros iudicabit deus.

Turpitudo ſacrorũ Gentiliũ.

O ſcelus.

Et quemadmodum non probauerunt illum deum habere in notitia, ita tradidit eos deus in reprobã mentẽ, ut facerẽt quæ non cõueniebat.

Vehementia eſt in repetitione.

Tertio iam infert quantũ mali det contemptus dei. Eſt autem ſchema in uerbis. Probare enim poſuit pro curare, & rei alicui diligẽter incumbere. Item deum in notitia non habere, dixit pro eo quod eſt, deum præ oculis (ſicuti nos dicimus) non habere, uel illius cognitionem ſiue manifeſtationem non ſuſcipere uel nihili pendere. Nam prius audiuimus, Quod de deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt illis. Atqui iſtam manifeſtationem dei pro dignitate non ſuſceperant, utpote qui ſe ad creaturas & idolorum cultum conuerterant. Itaq; uerborum ſenſus erit, cum Gentes dei cognitionem ſibi manifeſta-

tam nihili reputarent, neq; illis cordi eſſet ſuas res ad dei uoluntatem componere, deus iuſto iudicio eas in reprobam mentem tradidit, ut bonum (iuxta Iſaiæ uerbũ) dicerent malum, & malum bonum, qua tandem eò peruenere ut indigna hominibus patrarint. Id quod copioſiſſima hac coaceruatione exponit ac dicit:

Das inenn übel anſtůnd.

Quippe qui impleti ſint omni iniuſtitia, ſcortatione, uerſutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, ſuſurrones, obtrectatores, dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, ſtupidi, pactorũ haud quaquam tenaces, alieni à charitatis affectu, fœdifragi, immiſericordes.

In genere ergo & per catalogũ omnia hominum ſcelera accuſat, quæ nõ niſi ex ignorantia dei ſiue perfidia enaſcuntur. Nam quemadmodũ fides omnis iuſtitiæ fons & origo eſt: ſic incredulitas omnis iniuſtitiæ & iniquitatis feraciſſima materia eſt. Ergo dei cognitionem prædicare nihil aliud eſt quàm uitia excindere, ſceleribusq; uiam præcludere. Contra, dei cognitionem non unice inculcare, eſt peccata plãtare, & omni iniquitati uiam ſternere. Proinde ueri ueritatis prædicatores ad uitia non cõniuent, ſed ea euangelio Chriſti impugnant, & pro uirili excindũt. Venit enim filius dei ut opera diaboli diſſoluat, principem mundi iudicet, omnem contra uero iuſtitiam doceat. Porrò hoc loco iniuſtitia ueluti genus eſt ad ſubiectas ſpecies. Deniq; ſupra audiuimus iram dei cœlitus corripere impietatem & iniuſtitiã: hæc quæ ſit partim expoſita eſt ſuperioribus, partim hiſce, ueluti enumeratione quadam, declaratur. Animaduertẽdum eſt illud, quod nulla erga eos ciuilitate utitur. Non enim iniuſtos dixit, ſed oñi iniuſtitia repletos. Iam ſequitur, Scortatione. πόρνεία fornicatio, omnem in ſe luxum continet, maxime tamen libidinem, adulterium uidelicet, ſcortationem, ſiue malis ſimplicem fornicationem, quam quidã nepotes & meretricij homines peccatũ eſſe negant, item laſciuiam, obſcenitatem, ſcurrilitatem, & omnem incontinentiam. 1. Theſſ. 4. Ephe. 5. Verſutiam quam alij uerterunt nequitiam, ego retulerim ad auaritiam, ut ſit illa lucrandi aſtutia, ex impoſturis & uerſutijs conſtans, πονηρός enim improbũ & malitioſum ſignificat, quod Hebræis רבירל, Germanis *ein beſchißner krämer*. Solet enim mercatorum grex ſutelis, fucis, technis & uerſutijs plerunq; agere. Alij aliter interpretarunt. Auaritia autem in ſe habet uſuram omnesq; furti & impoſturæ ſpecies. πλεονεξία enim dicta eſt à πλέον ἔχειν, hoc eſt, à plus habendo, cum quis fraudatis cæteris, plus occupat quàm iure ſibi decidat. Vide Budæum in Com. linguæ Græcę, & Lucam in 12. Malitia κακία refertur ad animum degenerem & corruptum, in quo nihil niſi lædendi comperias libidinem. Cicero uitioſitatẽ dixit, Boßheit. Porrò quid interſit inter odium & inuidiam, non minus erudite quàm eleganter expoſuit Plutarchus. Inuidiæ elegantem deſcriptionẽ inuenias apud Ouid. Metamorph. 2. lib. Ex hac ſolet exiſtere Cædes, quæ peccatum non eſt, ſi ſit ex iuſtitia, propter ſcelera, fiatq; ab ijs à quibus fieri debet. Quod ſi enaſcatur ex adfectu aliquo malo, uel uindicandi libidine, uel habendi cupiditate, in latrocinij nonnunquã abit titulum. De hac plura in lege tabularũ, & Matth. 5. Contentioſi uero ſunt illi importuni obiurgatores, litigioſi & rixantes, qui ob quamuis rem altercantur, *die håderigen vñ zångkiſchen kybigen menſchen*. Græcis dicuntur ἐριστικοὶ, qui ob contendẽdi ſtudium intractabiles ſunt. Solet hic morbus maximas excitare turbas & rebus optimis plurimum incommodare. Vide Iacobi tertio. Hic quoq; crediderim ſeditioſos & ſeditiones perſtringi, quæ plerũq; à contentioſis excitãtur hominibus. Cæterum Labeo, Dolum (inquit) malum dicimus eſſe omnem calliditatem, fallaciam, & machinationem ad circumueniendum. Ergo mendacium & omnis generis artes hypocriticas doli nomine intellexit, *allerley fälſchs*. κακοήθεια quam alij malignitatem interpretantur, re uera morum eſt aſperitas & difficultas, & opponitur benignitati. Germanis *hårwy*. Homines enim præduros & difficiles nominamus *hårw*. Huius contrarium eſt *gůtig vnd milt*. Alij exponunt de malis & corruptis moribus, quibus leues quidam ſimpliciores offendunt. Eſt qui malis affectibus præditos ſignificari putet, qui inepte gaudent & triſtantur, timent & ſperant quæ non oportet.

Scortatio.

Verſutia.

Auaritia.

Malitia.

Inuidia.

Cædes.

Ἔρις.

Dolus.

Aſperitas.

Et

Et ſuſurrones ſunt qui in aurem obſtrepunt, & occulta maledicentia aut diſſentionem moliuntur, aut odium alicuius rei inducere uolunt, *Ozentrager*. Turpiſſimum genus hominum, quod omnibus ſæculis & apud omnes Gentes peſſime ſemper audijt. Obtrectatores uero paulò liberiores ſunt, ſed illis nihilo meliores. Nam & ſi impudẽtia pro caci omnia quæ uolunt dicant, attamen famæ bonorum hominum derogant, *Bzaller*, *Herolden vnd verlünder*. De his Eraſmus in Lingua ſua opuſculo ut eleganti ſic noſtris ſæculis opido neceſſario. Idem in Annotat. Detrahit (inquit) qui minuit laudem alicuius. Obtrectat ſiue obloquitur qui male prædicat de alio. Dei oſores ſunt, quibus deus eſt inuiſus, id eſt, qui deum ueritatem, & omnia diuina odiunt & perſequuntur, *Gottsfygend*. Rectiſſime ergo uertit D. Cæcilius Cyprianus, à deo abhorrentes, tales nimirum quales propheta pingit, qui dicunt, Recede à nobis, ſcientiam uiarum tuarum nolumus. D. Ioannes Oecol. Dei oſores (inquit) ſunt qui oderunt dona dei in proximis, ſicut Cain in Abel ægre ferebat acceptum ſacrificium. Qui uero expoſuerũt dei oſores eſſe quos deus odiat, metalepſin ſubeſſe crediderunt. Neminem enim niſi impiũ deus inuiſum habet, Pſal. 5. Contumelioſos uocant Græci ὑβριςὰς, quaſi quis dicat iniuriatores & feroces, qui per uim opprimunt inopes. Contra iſtud ſcelus multo ardentius inuexerunt prophetæ, quàm contra ullũ aliud. Hebræi id flagitij uocarunt חמס. Heluetij uero huiuſmodi nuncupant, *Freueler, die mengklich zwingend vnd bezwaltigend*. Quales erant Sodomitæ, & in libro Iudicum Gabaonitæ. Eſt apud quoſdam & grex Catilinæ, & manipulus Clodianæ factionis, prorſus huius farinæ conſcelerati homines, qui & elati ſunt, hoc eſt ſuperbi, qui ultra cæteros ſeſe efferunt, & alios omnes contemnũt, imò nihil niſi quod ipſi fecerint probant, reliquorum operam contemnunt & irrident. Hos Hebræi appellant לצים, Germani *Die ſtoltzen übermütigen lätzen lüt*. His affines ſunt Glorioſi. Solet enim elatus eſſe glorioſus. Et Lauren. Valla, Glorioſus (inquit) affectionem ſignificat. At Corn. Fronto, Gloriator (inquit) non habet cauſſam gloriandi, & tamen gloriatur. Talis eſt miles ille Terentianus. Tales ſunt quotquot plura (ut ait Vlpianus) promittunt q̃ præſtare poſſunt, uani homines, *rümſeler*. Præterea recenſentur & malorum inuentores, qui non contenti malis quibus indies polluuntur, inſuper & noua quædam comminiſcuntur: imò inuenias quædam naturæ monſtra, qui præmia ijs ſtatuerũt, qui noua tormenta uel nouas uoluptates inuenirent. Illud eñ Phalaris, hoc Sardanapalus feciſſe legitur. Quid referam de ſuperbiæ faſtus luxuſq; & pomparũ miniſtris, qui ſubinde nouas ueſtium facies inueniunt? Quid de mercatoribus in malis tricis, fucis & impoſturis inuenientibus opido q̃ ſagacibus? Quid dicam de iuriſperitis quibuſdã, apud quos nullum ius, ſed ſumma eſt iniuria? Nam plana implicant, clara obſcurant, ſimpliciaq; peruertunt, ut actio longius prorogetur, & hoc etiam fit ſumptuoſior. De aulicis & nobiliũ quorundã inuentis nunc nihil referam. Totus enim orbis non neſcit q̃ ſint prudentes in nouis tributis & uectigalibus inueniẽdis & colligendis. Hoc ipſum & Eraſmus accuſauit in Chiliadibus adagio A mortuo tributũ petere. At illi qui parẽtibus, uel ijs qui parentũ loco ſunt, immorigeri ſunt, non modo diuina, ſed humana quoq; lege damnati ſunt. Stupidos uocauit ἀσωφέτους, quaſi tu dicas amentes & ſenſu carẽtes: breuiter, ij ſunt, qui hominem exuerũt, neq; ullũ peccati uel boni ſenſum habent, ſed obbrutuerunt, lapidibus & ligno ſimiles facti, *vnuernünfftig oder vyhiſche menſchen*. Iam uero σωθῆκαι Græcis conuenta dicuntur ſiue contractus, qui certis ſolent coire conditionibus, cuiuſmodi ſunt emptiones, uenditiones, locationes. Qui ergo in iſtis fidem pactam non præſtãt, pactorũ haud quaquam tenaces ſunt: quales noſtra ſæcula plurimos habent, qui aut depoſita negant, aut mutuo data concoquunt, aut locationem ueluti peculiũ poſſidere uolunt, idq; prætextu quodam Chriſtianę charitatis: cum re uera fures ſint & impoſtores. Et apud Stoicos affectibus carere ſumma laus eſt. Idẽ apud hypocritas Catabaptiſtas, ſed Paulus uitio uertit, ſi quis alienus ſit ab affectione. Nam στοργὴ adfectus ille humanus pietatis & charitatis eſt, quo parentes tanguntur erga liberos, uxor erga maritum, & frater erga fratrem, & uiciſſim hic erga illum. Itaq; ἄστοργοι uocantur (teſte Eraſmo) qui eò proceſſerũt in uitijs, ut ad hos quoq; communes affectus & ad ipſum naturę ſenſum obſurduerint.

Suſurrones.

Obtrectatores.

Dei oſores.

Contumelioſi.

Elati.

Glorioſi.

Malorum inuentores.

Parentibus immorigeri.

Stupidi.

Pactorum ruptores.

Sine affectu.

Fœdifragi. Eiusmodi homines Heluetij nuncupamus, *vnmenschen*. Fœdera uero apud Gentes quoque sacrosancta fuerunt. Apud eas enim capitale erat fœdus fregisse. Itaq; Christianis maximo uitio uerti debet, si ij qui sapientiores esse debebant, incredulis sint deteriores, mendaces, & fœdifragi. At ijdem prius prudenter excutiunt cum quibus fœdera pangant. Siquidem Deut. 7. scriptum est, Non inibis cum impijs fœdus, neq; sociabis cum eis coniugia. Paria Paulus scripsit in 2. ad Corinth. 6. cap. συνδικὴν sodalitatem quoq; significat, ut intelligas intractabiles, sibi uiuentes, erga neminem iure necessitudinis utentes. Est qui ἀσπόνδους irreconciliabiles interpretatus sit, qui uidelicet semel offensi in gra-

Immisericordes tiam redire nolint, & si ipsi priores offendere cœperint. Immisericordes autem uocauit, qui φιλαυτίᾳ cæcati, sua in omnibus & apud omnes quærunt, & nulla commiseratione tanguntur, adeò ut iuxta prouerbium, Quisquis uel aliquid possidet, hostis iudicetur, tantum abest ut cuiusquam miseria tantillum permoueantur. Tales feris multo sunt truculentiores, quas uideas nonnunquam & misericordia affici. Voluit autem Apostolus hoc Catalogo omnis generis flagitia comprehendere, ijsdemq; Gentium animos ueluti obruere. Rectissime enim Erasmus in Annot. Hic συναθροισμὸς, id est congeries uerbo-

Hæc in Græcis est, Latinus reddere nõ potuit. rum (inquit) & ἀσύνθετον mire facit ad orationis impetum & uehementiam. Et πρόσοδος uoluptatem, non solum ad iucunditatem facit, uerumetiam ad odium & inculcationem rei molestæ: ueluti si dicas de manifesto mendacio, Hoc neq; scriptũ neq; pictũ est usquam.

Hi cum iustitiam dei cognorint, hanc uidelicet, quod qui talia agunt digni sint morte, non modo ipsa faciunt, sed præterea complacentiam quoq; in ijs habent qui faciunt.

Veluti postliminio rediens amolitur quod obijci potuerat, sed & peccatum eorum sic aggrauat, ut sese eo prorsus liberare nequeant. Nam ne quis ignorantiam prætexeret, Nesciuimus nos istis homini agnatis peccare morbis, præuenit & ait, Hi omnes qui ea quæ recensuimus patrarunt, non ignorarunt deum ut omnipotentem, sic iustum quoque esse & mali ultorem. Hoc enim omnium dictat diuinitus insita ratio. Interim uero (iam enim peccatum amplificat) non modo non destiterunt à peccando, sed non satis esse putarunt si ipsi ista patrassent nisi & alios improbitati studentes iuuissent, illorumq; sceleratissimi mores summe placuissent. Inuenias enim homines conscelleratos, qui & alios ad flagitia inuitant, & ex nulla re maiorem uoluptatem, quàm ex improbitate aliorum capiant. Hodie peccatoribus assentiuntur, qui uitia ex officio punire deberent, sed ad condonandum facillimi, unde & patroni uerius scelerum, quàm patriæ patres nuncupandi sunt. Et sanè peccatis aliorum assentiri, etiamsi ipse non facias, tamen flagitium est nephandum. Annotandum & illud δικαίωμα quod hic uerterunt iustitiam, alibi exponi iudicium, ueluti si tu dicas morem iuris siue iustitiæ, quem aliquis in iure exercendo sequatur.

CAP. II. Præterea inexcusabilis es ô homo quisquis es qui iudicas. Nam hoc ipso quod alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim facis tu quæ iudicas.

Sunt qui διὸ illationis putent notam, & legant Propterea: ego continuationis putauerim esse particulam. Hactenus enim aduersus eas Gentes caussam egit quæ in manifestarijs uiuebant flagitijs, apud neminem non damnabiles: nunc aduersus eos quoq; disputat, qui apud Gentes sanctimoniæ speciem præ se ferebant, sed re uera improbissimi erant. Habuerunt enim & Gentes suos hypocritas, quale hominum genus Philosophi fuerunt hypocriticum malum. Hi enim de uirtutibus, iustitia, æquitate, temperantia & terrenarum cõtemptu, splendide disputabant: præterea & in uitia acerrime inuehebantur, & uoce & stilo stomachantes ita corrumpi studio scelerum mortales, itaq; sancte in speciem & palàm, sed domi suæ turpissime uiuebant. Non enim rapiebant, sed fraudabant: non scortabantur, sed libidine interim distendebantur. Id quod & Lucian. apud Græcos in Nigrino, Icaromenippo & Conuiuio Lapitico festiue admodũ suggillauit. Hos ergo hypocritas & Gentium monachos hoc loco protrahit Paulus, & peccatores esse

esse probat. Clamabant illi, Displicent scelera, accusamus peccata, ad uirtutẽ animamus omnes. Paulus enim iudicandi uerbo hoc loco usus est pro accusandi, protrahendi, cul pandiue nomine. Et uelut ex abrupto se illis obiicit & ait: Sed ne uos quidem à peccato alieni estis, qui alienorum morum acerrimi censores estis. Nam & ipsi peccatores estis. Probat, Quisquis aliũ accusat, hoc ipso sese accusat, si modo id faciat quod accusat. Philosophi autem hypocritæ id ipsum quod damnabant faciebãt. Proinde hoc ipso quod alios accusabant, seipsos damnabant, suo sese iugulantes gladio. Habes egregium antistrephon & nexum indissolubilem.

Scimus autem quod iudicium dei est secundum ueritatem aduersus eos qui talia agunt. Cogitas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu effugies iudicium dei?

Negabant illi se tales esse, quales Paulus uideri uolebat: itaq; iterum peccati eos conuincit. Alij aũt hunc locum sic exponunt. Facile se quis excusat coram hominibus, seq; pro iusto & innocente uenditat. Siquidẽ homo ab externis iudicat, & hic facile fallitur, cæterum deum nemo neq; latere neq; fallere potest, qui corda intuetur & renes scrutatur. Huius itaq; iudiciũ uerum est. Ego uero crediderim hypocritas hic ut & alibi apud prophetas pro sua grandiloquẽtia, diuinam allegasse iustitiam, quæ tam sceleratos iam olim uindicta sua oppressisset, si modo ita haberet res, sicut Paulus habere dicebat. Proinde respondet Paulus, & ait, Nec est quod iactetis scelerum impunitatem, quasi iusti sitis, quod hactenus diuina ira peccantes non oppresserit. Certo enim punit dominus peccata, sed suo tempore. Iudicium ergo posuit pro uindicta. Et secundum ueritatem dixit idiotismo Hebraico, pro eo quod est, uere: ita sensus erit, Iudicium dei est secundum ueritatem, id est, deus re uera puniet. Id autem figura quadam, quam rhetores Græci ἀνακοίνωσιν, nostri communicationem uocarunt, comprobat. Iterum enim à proprio ipsorum iudicio pendet: quasi dicat, Vos ipsi dicitis illos pœnas deo daturos ultori, qui talia faciunt, qualia uos facitis, qui ergo fit ut ipsi uobisipsis simile iudiciũ non statuatis? An in aliena caussa oculatiores sumus quàm in propria? Certe si alios punit qui hoc ipsum quod uos facitis faciunt, uos quoq; iudicium, id est uindictam dei, non effugietis. Proinde peccatores estis, non excusante uos quod uindicta hactenus dilata sit. *Aduersus hypocritas.*

Aut diuitias bonitatis illius & tolerantiæ longanimitatisq; contemnis, ignorans quod illa dei bonitas ad pœnitentiam te inuitat? sed iuxta duritiã tuam & cor pœnitere nescium colligis tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei.

Rursus ne longanimitate dei abuterentur, ac dicerent, Si itaq; malũ non finit impunitum, nos uero mali sumus, cur dissimulauit hactenus? Certe magno argumento est illa diuturna impunitas nos non esse tales, quales dicis Paule. His iam ueluti benignus aliquis creditor debitori suo debitũ neganti, eo q̃d multo iam tempore debitũ non poposcerit, respondet, An hanc pro benignitate moraq; gratiã refers, ut nunc mihi neges debitũ, q̃d tui misertus, istud repetere distulerim hactenus? Etẽ Paulus orationẽ interrogatione uehemẽter incẽdit: quasi diceret, Qua tandẽ fronte longanimitatẽ optimi dei in defensionem impietatis uestræ audetis inducere? quasi uero flagitijs uestris faueat, quod multa hactenus erga uos benignitate usus sit. Non ideo pœnã distulit, quod uestri mores placeant, quin potius longanimitate illa sua ad resipiscentiã inuitare uoluit. Quẽadmodum enim deus iniquitatẽ non uult, sic neq; peccatoris mortẽ uult, sed magis ut conuertatur & uiuat. Nemo ergo posthac abutatur tolerantia dei, quasi recta ambulet, quod hactenus impune in errore ambularit. Iustitia & uoluntas dei spectãda est, non multitudo, non consuetudo, non diuturnitas. Nam & Lactan. author est Gentes potissimũ obuertisse diuturnitatẽ & impunitatẽ errori suo. Iis enim ceu infallibilibus argumẽtis constare putabant, religionẽ in qua agebant uerã esse. Neq; enim uerisimile esse deũ id sceleris tam diu dissimulare potuisse. Idem adducit & Symachus aduersus religionẽ nostram apud Ambrosiũ & Aurel. Prudentiũ. Iudicent ergo ex nostris quidam q̃ uani sint quum *De longanimitate dei.* *Abusus longanimitatis.*

pro superstitione sua nihil aliud habent quod opponant, nisi illud ipsum quod Gentes. Quasi uero illæ non plura etiam annorum millia in idololatria sua errauerint. Quin potius expendimus quod sequitur, Sed iuxta duritiam tuam, &c. Allusit enim ad obstinatam mentem quæ à proposito nullis potest auocari rationibus, Metaphora tracta à præduro siue silice siue robore: quanquam & σκληρὸς dicatur de crasso, rudi, aspero & intractabili, quem nos uocamus, *grob vnndvnghandsam*. Subditur enim quæ sit illa duritia, cor uidelicet ἀμετανόητον impœnitibile, hoc est, quod resipiscere & mutari nolit, sed malit in cœpta pergere uia. Sed quis est fructus huius non equidem constantiæ, sed pertinaciæ? θησαυρίζεις σεαυτῷ, id est thesaurizas & recõdis (ab ijs tracta metaphora qui thesaurum congerũt) tibijpsi iram, id est uindictam, quæ uelut è thesauro tum proferetur cum tempestiuum & deo uisum fuerit pertinaciã istam tuam punire. Videtur autem Apostolus respexisse ad illam apud Gentes celebratissimam sententiam, Lento quidem gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, sed tarditatem grauitate supplicij compensat. Est & apud Plutarchum liber elegans de ijs conscriptus, qui tarde puniuntur à numine. Alij uero annotarunt Hebraismum illum Diuitias bonitatis, positum pro ui & ingenti copia benignitatis, seu abundanti copia. Et χρηστότητα bonitatem uel potius benignitatem esse, dum quis usui omnium expositus est. Sic enim finiunt eam philosophi, Benignitas est uirtus sua sponte ad benefaciendum expositа. Patientia autem simplex est malorum tolerantia. Sed longanimitas expectationem & diuturnitatem patientiæ addit, *das einer nitt vflüpffig vnd vfbindig wirt*. Et quia dixerat, Et reuelationis iusti iudicij dei, nunc subiungit,

Val. Max. lib. 1. capite 2.

Qui redditurus est unicuicq; secundũ opera sua, his quidem qui perseuerantes in benefaciẽdo gloriam & honorem & incorruptionẽ quærunt, uitam æternam: ijs uero qui sunt contentiosi & ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitiæ, uentura est indignatio, & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis malum perpetrantis, Iudæi primum simul & Græci. Gloria uero & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum simul & Græco.

De iusto dei iudicio.

Nunc enim à speciali ad generale delabitur, & breui quadam digressiuncula, quæ maxime ad rem præsentem facere uidebatur, demonstrat, apud deum esse mali scelerumq; mulctam, sicut & boni uirtutumq; præmium. Primo autem in genere proponit iustum aliquando reuelandum esse dei iudicium, iustum inquam quod unicuiq; suum tribuat, neq; hominum more corruptum sit. Protinus ergo sequitur, Qui reddet unicuiq; secundum sua opera. Sed & hoc ipsum distributione mox copiosius exponit, His quidem qui perseuerant, &c. Perseuerantia enim in bono nisi adsit, nullius pensi fuerit quod cœperis. Pergendum in iustitia. Qui enim perseuerauerit in finem usq;, hic saluus erit. Quod si quæras quibus nam in rebus potissimum sit perseuerandum: & quid in primis facere conueniat: audi consilium Pauli & quærito gloriam, honorem & immortalitatem siue incorruptionem. Hic autem locutus est Paulus more uulgi quod gloriæ & honoris nomine intelligit quicquid honestum, uerum, iustum & purum est. Sic Heluetij dicunt, *Er lâbt loblich vnd eerlich*. Id est, sancte & iuste. Sed ἀφθαρσίαν, hoc est, incorruptionẽ & immortalitatem quærunt, qui contemptis istis terrenis & corruptibilibus bonis, uera bona uirtutes & cœlestia malunt. Itaq; qui sancte, pie, sobrie & iuste uixerint, & in pietate perseuerauerint æterna uita donabuntur. Contra uero damnabuntur qui contentiosi fuerint.

Contentiosi.

Sunt autem contentiosi quotquot superbia elati & pertinacia impexi à prauo animi instituto ne latum quidem culmum discedunt, sed semper in promptu habent quod dicant, obijciant, peruertant, conuicijsq; uelitent. Sic enim & Paulus exponit quum dicit, Qui ueritati non obtemperant, sed iniustitiæ obtemperant. Tales inquam contentiosi sunt. Hi peccata sua non agnoscunt, ergo deo peccatum suum non confitentur, iccirco manet peccatum. Voluit ergo Apostolus istis finem imponere contentionibus, quibus Gentes se subinde purgare uolebant. Quasi dixerit: Quid uero uerbis opus? peccatores estis.

eſtis. Quid adhuc cõtenditis? ſatis peccatũ eſt aliâs, ut nunc nõ conueniat contentioſam pertinaciam aceruo peccatorum ſatis aliâs ſuperq; grandi imponere. Nam qui contentioſi fuerint miſere peribunt. Id quod horribili uerborum turba ex Sophoniæ 1. capite deſumpta figurat dicẽs, Ventura eſt indignatio, & ira, & tribulatio, & anxietas, non modo aduerſus unam atq; alterã Gentem, ſed aduerſus omnem quoq; animã hominis, id eſt, aduerſus oñes homines uiuẽtes qui malũ perpetrãt. Nulla hic eſt Gentiũ diſtinctio, ſiue Iudæus ſiue Gentilis ſit, ſi peccarit, peribit. Iſtis antitheſi quadam opponit contrarium membrum, Gloria uero & honor, &c. Vbi gloriæ & honoris uoce uſus eſt pro omni eo quod celebre, iucundum, cœleſte & æternum eſt: ut & conſcientiarum animíue tranquillitate nihil melius, ſuauius & nobilius eſt. Atq; hoc iuſtitiæ præmium eſt. Hic locus iam exigeret ut fuſius de Præmio & operum merito diſſererem, niſi id apud ueteres D. Auguſtinus copioſe admodum abſoluiſſet: & noſtro tempore multi cum eruditione tum pietate pręclari uiri idem præoccupaſſent. Paucis ergo. Quemadmodum nemo hactenus niſi impñſſimus quiſq; negauit malum ex nobis eſſe eiq; malo damnationem iuſto dei iudicio deberi, ita nemo negauit uirtuti ſuum præmium eſſe. Cæterum id hoc loco adiectum, id præmiñ uirtutibus non noſtrarum uirium, ſed benignitatis & gratiæ diuinæ reſpectu deberi. Omnis enim uirtus noſtra non ex nobis, ſed ex deo eſt. Ergo cum præmium uirtuti debeatur, id quidem gratiæ nõ noſtro reſpectu fit. Siquidem gratiam confert dominus ut credamus, hic fides non eſt otioſa, ſed operatur, quicquid ergo fit fidei uirtute fit, adeo ut nunc caput ſemper redeat ad circulum. Ergo cum ſcriptura operibus mercedem tribuit, id humano more facit, quid enim remuneras bone deus (ut inquit Auguſtinus) niſi tuũ opus? Cum enim tu efficis in nobis & uelle & perficere, quid obſecro relinquitur quod nobis uindicemus? Cæterum cum homines partim incitentur promiſſis ad bonum opus, partim tam benigni ac liberales ſint, ut eis, quos beneficio affecerunt, dicant, Ego iſtud tibi debui, tu bene meritus es, ne ſe abñciat in mendicantium numerum qui beneficium accepit. Vult enim qui alium amat cauere ne is deiecto ſit animo: iam deus quoq; quos amat, multo magis erigit ſua liberalitate, non ad cõtemptum ſuum, ſed ad cultum & obſeruantiam: & quæ ipſe per nos facit, nobis tribuit, & uelut noſtra remunerat, cum illius ſit non tantum quicquid operamur, ſed etiam quicquid ſumus ac uiuimus. Deinde ſolet deus loqui cum hominibus hominũ uerbis atq; more. Cum ergo homines ñs dent qui ſunt bene meriti, & quæ dantur merita appellantur, iam deus ſua quoq; dona mercedem aut præmium appellat. Nemo ergo negat præmiñ aut mercedis nomen in ſacris inueniri, ſed ipſa pietas poſtulat ut loco liberalis doni uſurpetur. Quid enim obſecro mereatur, qui per gratiam eſt, & per gratiam habet quicquid poſſidet? Hæc ex ſancti hominis cuiuſdam monumentis. Pergimus in Paulo.

Quomodo ſcriptura loquatur de præmio.

H. Zwingl. ad regẽ Chriſt.

Non enim eſt perſonarum reſpectus apud deum. Quicunq; enim ſine lege peccauerunt, ſine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

Redit unde fuerat digreſſus, & ne quis elaberetur & peccatorem ſe eſſe negaret, quod legem non habuerit ſcriptam. Poſtea enim audiemus, Vbi non eſt lex, ibi nec præuaricatio, præoccupat & dicit, Nec eſt ut quiſquam ſibi placeat quod uel Gentilis uel Iudæus ſit. Nullum enim apud deum perſonarum diſcrimen eſt, ſed in quacũq; Gente (id quod & Petrus dixit Acto. 10.) qui benefecerit recipiet: contra qui male fecerit inueniet. Qui enim ſine lege peccarunt, ſine lege peribunt. Quod quidem non ideo dixit quod putaret Gentes nullam habuiſſe legem: naturæ enim legem habuerunt, ſed ſcriptam non habuerunt: atq; ita ſe peccato liberare non potuerunt, ac ſine lege peccauerunt: id quod paulò poſt copioſius exponet. Porrò Iudæi legẽ habuerunt, ergo peccatores ſunt. Nam peccati per legem conuincuntur. Imò ne & hi legem accepiſſe & audiſſe ſatis eſſe ducerent, ſtatim ſubiungit.

Non enim qui audiunt legem iuſti ſunt apud deum, ſed qui legem faciunt iuſti habebuntur.

Nemo autem Iudæorum, imò nullus hominum legem ſeruat, ergo nemo iuſtus eſt apud deum, ſed omnes peccatores ſumus. Huc ſpectauit cõſilium Pauli, & non eò quò nonnulli trahunt contendentes noſtræ iuſtitiæ ſalutem deberi. Quibus etiam iſta diui Ambroſij explanatio poteſt obijci. Non hi (inquit) ſunt iuſti qui audiunt legem, ſed qui credunt in Chriſtum quem promiſit lex, hi faciunt legem: ita & Gentes incircumciſæ ſeruant legem.

Nam cum Gentes quæ legem non habent, natura quæ legis ſunt faciunt, eæ legem non habentes, ſibijpſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis,

Epanaphora eſt. Nam ne quis ad iſtam ſubſiſteret ſententiam quam iamiam protulerat, Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: exponit nunc quomodo ſine lege peccauerint, interim tamen lege non caruerint, & loquitur de lege Naturæ, de qua uaria eſt apud eruditos concertatio: ego hæc paucula ſtudioſis ac ſimplicioribus ſufficere crediderim. Chriſtus Ieſus apud Matthæum in 7. author eſt, hac ſententia, Quod tibi fieri uelis, id feceris & alteri, contineri quicquid uſpiam in lege & prophetis ſit traditum. Cæterum cum ea ſentẽtia omnium mentibus inſculpta ſit, non dubitauerim eam dici & eſſe legem naturæ: ſic equidem dictã, non quod ex corrupta hominis natura exiſtat, aut per eam res tanta præſtetur: niſi enim deus corda noſtra tangat, nemo alteri fecerit quod ſibi fieri uelit: naturæ ergo lex dicitur quæ à deo nobis omnibus ueluti natura inſita uidetur. Et quid oro Natura aliud eſt quàm perpetua operatio & diſpoſitio dei? Hæc tradit Numen eſſe colendum, uirtuti operam dandam, neminem lædendum, omnibus beneſaciendum, & quæ his ſimilia ſunt, quæ utiq; ex deo, non noſtra natura ſunt. Nam in primo capite audiuimus, Siquidem deus reuelauit ſe illis. Sed & hoc loco palàm audimus, Opus legis ſcriptum in cordibus Gentium. Quis uero niſi unicus ille deus in corda hominũ ſcribit? Ergo ſi quid iuſti eſt in lege Naturæ, id quidem ex deo eſt. Ideoq; ſicuti uiſibilibus rebus ſeſe Gentibus aperuit deus, ita dictamen quodpiã inſeruit cordibus, non utiq; corruptionem & procliuitatem ad peccandum, ſed lumen quodpiam, cuius radijs & ipſæ quid uerum, iuſtum uel æquum ſit, cernere poſſint. Iſtud uero cum occluſis oculis declinarint, & ad carnis affectiones inclinarint magis, nihil habẽt quod peccato prætexere poſſint. Sunt itaq; Gentes peccatores. Diſputauit Auguſtinus huius generis quædam erudite libro octogintatriũ quæſtionum, quæſt. 31. quem cui uacat legat. Hiſce iam ad hunc modum probe expenſis expoſitiſſima erunt Pauli uerba, quæ ſic habent, Nam cum Gentes quæ legem non habent, ſcriptam uidelicet uel Moſaicam, natura interim, inſtinctu, uirtuteq; dei quæ legis ſunt fecerint (Legis enim eſt dilectio dei & proximi, quam iſte naturæ uelut inſculpſit,) eæ inquam cum legem ſcriptam nõ habuerint, ipſæ ſibijpſis loco legis ſunt. Quomodo? Sequitur, Qui, hoc eſt quippe qui oſtendunt, id eſt, teſtantur & ſentiunt opus legis, id eſt, ſummam legis, quæ eſt, Quod tibi uis fieri, feceris etiam alteri, inſculptum, non in tabulas, ſed in corda. Deus enim qui corda & renes ſcrutatur, inſculpſit. Porrò quod inſculpſerit probatur futuro iudicio ad hunc modum.

De lege naturæ paucula.

Simul atteſtante illorum conſcientia & cogitationibus, inſuper inter ſeſe accuſantibus aut etiam excuſantibus, in eo die cum iudicabit dominus occulta hominum iuxta euangelium meum per Ieſum Chriſtum.

Quod autẽ deus quid uerum quid falſum ſit cordibus noſtris inſculpſerit, & ſi nunc quidem diſſimulemus & neſcire uelimus, aderit tamen dies, quo occulta hominum detegetur hypocriſis: tunc ipſa mali conſcientia ſponte accuſabit impietatis & iniuſtitiæ mentem hypocriticam: rurſus cuiuſuis probi hominis mens ſibi nullius mali conſcia, excuſabit ſeſe. Quo fit ut neceſſitate quadam cõſequatur ſenſum quendam boni maliq; humanis inſitum eſſe pectoribus. Porrò ne quis iudicium ueluti fabulam aſpernaretur, ab authoritate argumentans ſubiungit, Iuxta euangelium meum per Ieſum Chriſtum, id eſt, Certum eſt quod refero. Orbem enim iudicabit deus per Ieſum Chriſtũ, id quod euangelica prædicatione, quæ ſcripturis fulcitur propheticis, latius traditur. Hinc uero facile

Conſcientia hominis.

facile coniectamus unde illa singularis eruditio & spectata quorundã inter Gentes probitas fuerit, nimirum à deo unde omne bonum manat. Proinde si quid honesti, ueri & iusti apud Gentiles inuenias, id totum diuinæ ascribas sapientiæ, neq; uero prorsus contemnas, quod non ut contemnatur, sed magis ut probetur & discatur à deo per istos proditum est.

QVOD OMNES IVDAEI SINT PECCATORES.

Hactenus uero euidentissime conuicit quod omnes Gentes sint peccatores, ereptis fusisq; omnibus quibus ipsæ fidebant præfidijs: nunc pergit eadem ratione & aduersus Iudæos scribere. Eripit enim illis quoq; omnia quibus fidebant, docetq; ipsos esse peccatores. Principio autem splendide recenset ea quibus cæteris meliores uideri uolebant, deinde eadem confutat, illis ipsis ueluti antistrepho conuincens eos cæteris hominibus esse peiores.

Iam uero tu quidem Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatem, ac probas eximia, institutus ex lege, confidisq; teipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac ueritatis per legem.

Istis autem magna uerborum grauitate congerie & incremento recensuit gloriationem gentis superciliosissimæ, quodam modo istorum grandiloquentiam ceu mimesi referens. Primo enim gloriabãtur se sanctis prognatos esse parentibus, inde & nomen sortitos. Nam יהודים Iudæi dicebantur, hoc est cõfitentes seu fideles. ידה enim & laudare gratias agere seu confiteri est. De hoc in Gen. & Ioan. 8. Deinde subdit Acquiescis in lege) Id quod alij exponunt, frequens es in lectione uel auditu legis. Sed uideri uolebant qui non modo non reclamarẽt legi, sicut Gentes quæ scripturam contemnebant, sed qui securi sint in lege, utpote qui summa cum oblectatione nihil non fecerint quod ea facere iusserit. Hoc enim potest uerbum ἐπαναπαύεσθ, quod non modo significat acquiescere sed & oblectari: & alludsum uidetur ad Psal. 1. Gloriaris in deo) καυχάομαι significat & gloriari & confidere. Cæterum eò respexit, quod se dei populũ esse iactarent. Gen. 17. Ioan. 8. Nosti uolũtatem) τὸ θέλημα illam dei uoluntatem, uidelicet quid uelit, aut quid nolit. Nec hoc tantũ, uerum probas quoq; eximia, hoc est iactas te uidere posse quid in re quauis sit præstabilius: utpote institutus ex lege, id est, à cunis teneris ue ungui culis solide in lege dei imbutus. Id enim potest κατηχεῖσθαι. Proinde confidis te esse ducem cæcorum, & lumen in tenebris uersantium, Quod peculiariter de legisperitis & pharisæis intelligi debet. Sunt autem uenustæ metaphoræ illustriores antitheti redditæ, quibus & Christus in euangelio secundũ Lucam cap. 6. usus est. Eruditorem insipientium, doctorem imperitorum) Hæc duo membra inter se differunt. Prius enim est παιδευτὴν ἀφρόνων. Hic & si παιδευτὴς is dicatur qui instituit & castigat, castigatorẽ tamen uerti debere poscit & sequens membrum & sequens dictio ἀφρόνων, qua non intellexit insipientes qui simpliciter & natura insipientes sunt, sed qui malitiose insipientes sunt, qui uidelicet ea quæ intelligunt malitia quadam uel intelligere nolunt, uel prorsus negligunt: his uero debetur castigatio siue correctio grauior. Posterius est διδάσκαλον νηπίων significans institutorem siue doctorem imperitorum, eorum uidelicet qui indocti, sed minime malitiosi sunt. νήπιος enim cum ad animum potius quàm ad ætatem refertur significat ingenio rerumq; usu parum callentem. Habentem formam) μόρφωσις exemplar siue deformatio siue formula est rei cuiuspiam, ad quam artifices opera sua exprimunt. Tales ergo tantosq; illi se se in rerum diuinarum cognitione uitæq; pietate uideri uolebant, ut homines cæteri omnes ab his ceu uiuis exemplis discere quid uerum sit possent. Et hæc quidem de supercilio Iudaico: nunc sequitur confutatio. Leoninum enim detrahit, & arrogantissimum genus hominum prorsus merita perfundit ignominia, dicens,

Gloriatio Iudaï ca.

Ipsus igitur ille qui alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulterium committis: qui execraris simulachra, sacrilegium admittis: qui de lege gloriaris, per præuaricationem legis deum dehonestas. Nam nomen dei propter uos male audit inter gentes, quemadmodum scriptum est.

Ex lege peccati agnitio.

Paucis Iudaicã gloriationem miro modo subuertit, retorquens illam in ipsorummet confusionem. Doces equidem (inquit) quod iustum est & uerum, sed tu nihilo minus mendax & iniustus es. Alios enim doces, teipsum non doces. At hoc turpe est doctori, si culpa redarguat ipsum: & hoc turpius, quo melius probitatẽ didicit. Et Christus apud Lucam, Quid autem uides (inquit) festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, nõ animaduertis? &c. Paucula itaq; hæc opposuit magnificis istis uerbis: quasi dicat, Versaris quidem in lege, nosti uoluntatem dei, probas eximia, dux es cæcorum, lumen, doctor, & castigator insipientium, formulam quoq; instituendi habes, breuiter nihil tibi deest, quod ad plenam ueritatis cognitionem pertinet: sed quid amplius? hoc unum tibi deest sine quo cætera languent, imò sine quo nulla cognitio quicquam prodest, morum immutatio, & uitæ ad ea quæ cognoueris institutio. Multa quidem nostis, splendide de lege disputatis, sed nihil interim facitis. Id quod aliquot subiectis cõprobat membris. Nam ex traditione legis strenue clamitatis, Non furaberis, Non adulterabis, Neq; simulachra habebis. Sancta hęc quidem & bona est prædicatio, sed uita uestra ei uelut ex diametro repugnat. Etenim fures & adulteri estis, nec idololatræ modo, sed & sacrilegi. Ipsa igitur lex, qua uos sancti uultis uideri, magis cõtra uos est, & peccati conuincit. Et sanè facile crediderim multos inter Iudæos fuisse qui palàm neq; furti neq; adulterij fuerint rei, at non crediderim propterea ipsos furti & adulterij crimine uacasse. Nam legislator non modo ipsum flagitium lege coërcere uoluit, sed & ipsam concupiscentem cohibere mentem. Sic enim ipse Christus dominus quædam legis capita exposuit apud Matth. in 5. Proinde non poterant se Iudæi ullo legis patrocinio à peccato repurgare, quin potius hoc magis implicabantur, quo magis eluctabãtur. Idola quoque ex præcepto decalogi execrabantur, & merito, interim uero à sacrilegio non abhorrebant. Intellexit autem per sacrilegium blasphemiam & omne id quo gloriam dei maxime prodimus, forsan & furtum rerum deo consecratarum. Haud enim absreementes & uendentes templo expulit dominus. Et ἱεροσυλία peculatus est & sacrilegium, nempe cum res deo dedicatas deprædor, aut in alios usus distraho quàm pietas suadet. Quo uitio hodie obnoxij sunt qui uiuum dei templum, pauperes, spoliant, manufactum uero ornant: rursus qui simulachra execrantur quidem, sed ecclesiæ bonis abutuntur. Istis ergo tam pudendis recte subiũxit Apostolus, Tantum uero abest quod ex lege aliquam laudem indipiscatis, ut ipsa lex uerius ex uobis uestraq; malitia fit dehonestata. Etenim cum uos legis cultores uideri uelitis, interim impijssime uiuatis, certè illa uestra impietas redundat in ignominiam legis. Aiunt enim increduli, Hæc illa istorum egregia religio. Ita fit ut & dei nomen male audiat inter Gentes, quod ipsum etiam prophetę maioribus uestris imputarunt, Isaias in primis in 52. deinde & Ezechiel in 36. Et hisce quidem legis gloriationem Iudæis è manibus extorsit, sed & per ipsam legem peccatores esse ostẽdit sequentibus eripit & circumcisionis fiduciam.

Sacrilegium.

Et circumcisio quidem prodest, si legem seruaris. Quod si transgressor legis fueris, circumcisio tua in præputium uersa est.

Circumcisio.

Alterum quo se ultra cæteros homines efferebant Iudæi, Circumcisio, quæ maximo apud eos in pretio erat, utpote quam & ad beate uiuendum salutemq; consequendam putabant esse necessariam. Posteaquam ergo alterum cui maxime fidebant, legem, è manibus ipsorum extorsissent, dicere poterãt, Si sic habet negotium, nimirum Gentibus nihilo sumus præstantiores, unde & abiecta ceu inutilis iacebit circumcisio. Si enim omnes pares aut peccatores sumus, quid opus erat circumcisione, quæ Gentem piam discerneret

ſcerneret ab impia? Reſpondet Apoſtolus, Nemo accuſat circũcifionem, quæ per ſe quidem bona eſt & utilis: hoc autem dico quod uobis eſt inutilis. Nam legem circumcifionis non ſeruatis, proinde Gentibus nihilo meliores eſtis, utrinq; peccatores & impij. Quid enim profuerit ſignum quidem rei alicuius accepiſſe, at ipſam rem interim neglexiſſe? Circumcifio enim ſignum eſt, & fœderis quidem ſignum. Fœdus autem iſtud ſuas leges, id eſt, ſuas conditiones ſuaq; capita habet, quæ ſi non ſeruaris, nihil profuerit circumcifio. Cæterum nemini ignotam eſſe credo circũcifionis ſiue fœderis illius legem. Extat enim Gen. 17. ubi dominus dicit, Ero deus tuus & ſeminis tui poſt te. Tu uero ambula coram me, & eſto integer. Porrò Iudæi hanc legem non ſeruarũt. Non enim deum toto corde dilexerunt, neq; ad placitum eius ambularũt, ergo circumcifio non profuit, quin potius circumcifio (quæ iam uſurpatur pro prærogatiua & laude circumciſorum) uerſa eſt in præputium, adeo ut circumciſus carne nihilo præſtãtior ſit gentili incircumciſo, hoc eſt, peccatore.

Si igitur præputium iuſtificationes legis ſeruauerit, nónne præputium illius pro circumciſione imputabitur? & iudicabit quod eſt ex natura prꝛputium, ſi legem ſeruauerit, te qui per literam & circumcifionem tranſgreſſor es legis?

Antitheſi quadam ſuperiora illuſtrat. Nec ulla eſt in uerbis difficultas, modo ea quæ iam diximus non excidant. Iterum enim iuſtificationes legis uocauit iuſta, *die rechty*, & conditiones fœderis. Deinde ut in Galatis cap. 2. ſic hoc loco per enallagen rem pro perſona uſurpat, præputium uidelicet pro Gentibus præputium habentibus. Quò & illud ſpectat quod ex natura præputium, pro natura prognatis Gentibus ad differentiam Iudæorum eorũ dixit, qui ueluti natura Iudæi & non ex Gentibus (ut ad Galatas ſcribit) peccatores, re uera tamen Gentibus nihilo iuſtiores erant. Iam uero literam poſuit pro fuco & externa ſpecie. Eo quod litera legis ſemper aliquid uitæ ſpiritus & abſtruſi recon ditioriſue ſenſus habeat: adeò ut hinc cœperit litera dici quicquid externum uel ceremoniale eſt. Iſtis autem ad hunc modum probe expenſis, expoſitiſſimus erit uerborum Pauli ſenſus, nempe hic, Pari ratione ſi gentilis conditiones fœderis cuſtodierit, quid obſecro prohiberet, quo minus tanti æſtimaretur quanti æſtimari uult circumciſus? imò & ſi incircumciſus ſit, tamen propter religionem ueram præputium atq; Gentile nomen illi non imputabitur, ſed ita uerius reputabitur quaſi ſit circumciſus, &c. Deinde uero iudicare poſuit pro accuſare, conuincere & damnare: ſicut & Matth. 12. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, &c. Te qui per literam) Quod alij ſic exponunt, Te iudicabit qui fidis literæ legis & circumcifionis notæ. Sed ſimplicior ſenſus eſt, Iudicabit te qui per legem ſcriptam, & circumcifionis notam conuinci potes, quod tranſgreſſor ſis legis. *Litera.*

Non enim is qui in manifeſto Iudæus ſit, Iudæus eſt: nec ea quæ in manifeſto ſit carnis circũciſio circumciſio eſt: ſed qui in occulto Iudæus fuerit is Iudæus eſt, & circumciſio cordis circũciſio eſt, quæ ſpiritu conſtat non litera, cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex deo.

Clarior eſt prædiſputatorum cauſſæ redditio, qua membris inter ſeſe commiſſis ſermonem mira uenuſtate uarietateq; figurat, Iudaicamq; reſtinguit gloriationem. Nihil (inquit) uobis patrocinabitur ſanctum Iudaicum nomen. Non enim omnes qui Iudæi dicuntur ſtatim ſunt quod audiunt. Iudæus enim eſt qui deum cõfitetur, ei fidit & gratias agit. Qui ergo corde crediderit, deumq; confeſſus fuerit, eidemq; fuerit gratus, is uerus erit Iudæus. De qua re pluribus Ioan. 8. & Rom. 9. Et circumcifio carnis nulla fuerit niſi acceſſerit circumcifio cordis. Ea ſpiritu conſtat, non litera. Per literam autem intelligit ritum externum, per ſpiritum uero mentis circumcifionem. De qua legis apud Moſen in Deuteronomio capite 10. & 30. apud Ieremiam quoq; in capite 4. Porrò cui maius otium fuerit contendat cum Luciferianis noſtris, qui hiſce Pauli uerbis inſtructi, iuſtitiam tribuũt operibus. Certè quibus tantillum animi & pietatis eſt, uident Paulum uti *Iudæus.*

conditionalibus,uident item quò Pauli ſpectet conſilium, non eò quò illi detorquent, ſed eò ut humanam demoliatur ſuperbiam, maxime uero Iudaicum deprimat ſupercilium:id quod commodius facere non potuit, quàm ſi ipſos Gentibus æquipararet. Imò ne quis uerbis ſuis abuteretur,in calce adiecit, Cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex deo. Quaſi dicat,Cordetenus Iudæum & circumciſum eſſe non eſt naturæ aut uiriũ humanarum beneficium, ſed dei, qui in ſuis operatur iuſtitiam. Ita ſcriptũ legimus, Quid habes quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? 1. Cor. 4. Ita tandem corruit uniuerſa Iudæorum iuſtitia, ſuperbia, & iactantia.

CAP. III. Quid ergo habet in quo præcellat Iudæus? aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Nam primũ quidem illud, quod illis commiſſa ſunt oracula dei.

Quo præcellãt Iudæi.

Initio capitis tertij reſpondet obiectionibus quibuſdam, idq; digreſſione quadam. Protinus autem in iuſtum redit tramitem & probat, Quod omnes homines ſint peccatores. Obiectionibus autem occaſionem dediſſe uidetur, quod Gentibus penè æquiparaſſet Iudæos. Hi enim iam dicere poterãt, Si nulla eſt neq; Iudaici nominis neq; circumciſionis gloria, præterea & lege conſtituimur peccatores, quid opus erat nos circumcidi, & circumciſione ueluti ſeparari à Gentibus cæteris, ſi illis nihil nullâue in parte præſtamus? Reſpondet Apoſtolus, Præſtamus equidem & nihil præſtamus. Nam ſi animi ſpectemus genium utrinq; peccatores ſumus. De quo poſtea. At ſi externa quædam & adminiſtrationem beneficiaq; dei attendamus, iam plurimum præcellunt Iudæi. In Deut. enim dicit Moſes, Cum domini dei tui ſit cœlum & terra, tantum patribus tuis agglutinatus eſt & amauit eos, elegitq; ſemen eorũ poſt eos, id eſt nos de cunctis Gentibus. Præterea propheta Pſalm. 147. Annunciat, inquit, uerba ſua Iacob, ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraël. Id uero non fecit ullæ aliâs Genti, & iudicia non cognouerunt. De hoc ad Roma. 9. Horum (inquit) eſt legis cõſtitutio cultus & promiſſiones. Et per λόγια oracula omnino intellexit promiſſiones, quemadmodum & ſequens comprobat obiectio.

Quid enim etſi quidam fuerint increduli? Num incredulitas illorum fidem dei faciet irritam? Abſit. Imò ſit deus uerax, omnis autem homo mendax: quemadmodũ ſcriptum eſt, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Iſtis ad Gentium obiectionem reſpondet, quæ obijciebant, Sed quid profuerunt promiſſiones illis, quibus uerbum domini ſtultitia erat? Reſpondet, Nihilominus non potuit illorum incredulitas factum infectum reddere, & ut deus non præſtaret quod promiſerat. Promiſerat autem filium patribus: ſed & futurum dixerat, ut è Zion exiret lex, & uerbum domini de Ieruſalem. Proinde filium Iudæis miſit, & euangelij negotium ex Hieroſolymorum urbe in uniuerſam terram traduxit. Hoc ergo ſemel factũ eſſe nemo inficiari poteſt, ut iam hac in re præcellant Iudæi, utcunq; fuerint increduli. Hic genuinus eſt uerborum ſenſus. Ad uehementiam autem orationis facit, quod per interrogationem & ſubiectionem extulit ſententiam. Ad robur, quod gemina ſcripturæ authoritate confirmauit. Prior ſumpta eſt ex Pſalmo 115. qua ad communem reſpexit uulgi morem. Quaſi dicat, Iam uero etſi Iudæi fuerint increduli, nihil noui factum eſt, cum ita res habeant humanæ ut ſolus deus uerax ſit, omnis autem homo mendax. Poſterior petita eſt ex Pſalmo 54. cuius ſenſus eſt, Etſi cum deo contendant plurimi, ipſe tamen in negotijs ſuis uerax, æquus & iuſtus eſt. Iſtis ergo teſtimonijs probauit Fidem, id eſt ueritatem dei beneficia & fidelitatem perſtare immotam, utut nos deficiamus, quod quidẽ nobis, non deo detrimentum affert. Videtur autem poſterius teſtimonium pia quadam catachreſi deflexum. De quo commentarij breuitas plura conantem dicere cohibet, maxime cum hæc ab Apoſtolo non niſi obiter quoq; & per digreſſionem perſtringantur.

Quod ſi iniuſtitia noſtra dei iuſtitiam commendat & fulcit, quid dicemus?

cemus? Num iniustus deus qui inducit iram? (Humano more loquor) Absit. Nam quo modo iudicaret deus mundũ? Si enim ueritas dei per meum excelluit mendacium, in gloriam ipsius, quid & ipse posthac ceu peccator iudicor? & non (*rectius sentirent*) sicut male audimus, & quidã nos tradere aiunt, quod facienda sint mala, ut ueniant bona, quorum damnatio iusta est.

De infallibili dei ueritate & iustitia.

Quia uero plurimi ex præcitatis scripturæ locis ansam calumniandi & bene dicta pervertendi sumere poterant, id protinus hac ipsa digressiũcula dissoluit. Et principio non ex sua sed aduersariorum loquitur sentẽtia. Hinc etiam adiecit, Humano more loquor, id est, Hoc uero non ex mea, sed impiorum sententia dico. Nam ĩj sic obĵciebant, Audiuimus quod mendacium nostrum manifeste prodat solum deum esse ueracem. Audiuimus item prophetam dicentem, Tibi peccaui, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris: unde iam necessario cõsequitur quod iniustitia nostra deum offendere non possit, propterea quod ea plurimum faciat ad gloriam eius illustrandã. Nisi enim peccatores & mendaces essemus, nõ adeo clare eluceret quod solus deus iustus est & uerax, neq; esset in quod suam exerceret misericordiam. Vnde nunc secundario consequitur, deum, si pergat ob peccata inducere iram, id est uindictã (ira enim accipitur pro uindicta) inferre iniustum esse, quippe qui benefacta condemnet. Atqui non hoc consilio adduxerat prophetica testimonia Paulus, sed tantum ad probandam dei ueritatem, cæterum illi (hic uide quid sit consilium authoris obseruare) simpliciter & bene dicta sua malitia detorquebãt ad institutum aliud. Proinde paucis respondet Paulus, & prorsus negat id concomitari. Neq; enim deum iniustum esse posse, neq; iniustitiam nostram illius iustitiam fulcire. Videãt ergo quid doceant qui tam incircumspecte, imò temere de dei prouidentia quiduis effutiunt. Certè Paulus hoc loco probat iustitiam dei non commendari, uel laudari, uel illustriorem reddi (hæc enim omnia significat uerbum συνιστάνω) nostra iniustitia: probat autem per iustum dei iudicium, dicens, Nam quomodo iudicaret deus mundum? Intellexit autem per mundum homines qui in mundo sunt impĳ, 1. Ioan. 5. Videtur autem eius argumenti duplex esse sensus. Prior, Si nostra iniustitia dei commendaret iustitiam, adeoq; peccatum amplius non esset peccatum, iam frustra omnis scriptura toties minaretur iudicium aut supplicium de impĳs fore sumendum. Posterior, Si sic ut putatis haberet res, iam nullo opus esset iudicio, cum posthac nemo iniustus esset, & ex æquo salutem consequeremur omnes. Vel hic erit sensus. Vos putatis deum iniustum: sed erratis. Nam oportet omnem uerum iudicem iustum esse. Deus autem iudex uerus est, ergo iniustus iudex esse non potest. Orbem enim iudicabit in iustitia. Ad expositionem & robur horum faciunt & sequentia. Nam ueluti causæ redditio sequitur, Si enim ueritas dei, id est fidelitas (hinc conĵce quid superius uocarit fidem, nimirũ quod Hebræi אמת, Germani *triŭw*) in gloriam eius per meum cedit mendacium, non potero damnari à iudice iusto. Damnat autẽ mendaces omnes & iniustos: ergo mendacium & iniustitia nostra in gloriam dei non cedunt. Istis firmis & dilucidis aliâs ueluti per absurdum adiungit, Quod si hæc nostra esset sententia, cur non illi recte sentirent, qui tamen re uera blasphemant & dicunt, Faciamus mala ut ueniãt bona: imò falso quoq; de nobis prædicant, nos eius nepharĳ dogmatis authores & doctores esse. Cæterum iam ueluti iusto epiphonemate concludit, Quorum damnatio iusta est. Hæc in transcursu inseruit Apostolus. Quod autẽ Paulo contigit, id hodie omnibus ferè syn ceræ gratiæ prædicatoribus usu uenit. Interim uero omni studio aduigilandũ ut circumspecte de dei loquamur misericordia atq; prouidentia, ne uidelicet impĳs ullam uel blasphemandi gratiã, uel excusandi peccata, uel in deum detorquendi, ansam subministremus. Hactenus autem per digressionem ostensum est Iudæos aliqua parte præcellere, nihil obstante eorum perfidia. Deum enim fidelem esse, qui ex gratia Iudaicã Gentem ceu peculiũ elegerit ex omnibus Gentibus, eidemq; tanta exhibuerit quanta aliâs nemini.

An deus iniustus.

QVOD OMNES HOMINES SINT PECCATORES.

Iſtis autem ad hunc modum abſolutis redit, & tandem utrancꝫ Gentem iungit, probans utrancꝫ imò omne genus mortalium peccato eſſe obnoxium: ſic enim ſcribit,

Quid igitur? præcellimus eos? Nullo modo. Prius enim cauſſis redditis oſtendimus & Iudæos & Græcos omnes peccato obnoxios eſſe,

Sic autem ueluti illatione ſuperiorem diſputationem concludit. Veluti cum nos poſt longam expoſitionem de animæ ingenio & immortalitatis ratione tandem ſubñcimus, Hactenus uero copioſe ſatis probauimus animam hominis eſſe immortalem. Nam primo capite, & per initia ſecundi diſputauit aduerſus Gentes, in reſidua uero 2. capitis parte, aduerſus Iudæos.

ſicut ſcriptum eſt, Non eſt iuſtus ne unus quidem, non eſt qui intelligat, non eſt qui requirat deum. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonitatem, non eſt uſcꝫ ad unum.

Apoſtoli ſcripturis agunt.

Satis quidem perſpicue demonſtrauit & Gentes & Iudæos eſſe peccatores, unde liquido conſequitur omne genus hominum peccato eſſe obnoxium, cum omnes homines uel Iudęi eſſent uel Gentiles, nihilominus ſcripturarum teſtimoniis negotium ſolidum aliâs maiori adhuc robore munit, illiſcꝫ oñia ſic eripit homini, ut nihil prorſus habeat quod obtendat. Ergo quæ hactenus argumẽtis egit, eadem nunc ſcripturis ceu pronunciatis illuſtrat atcꝫ confirmat, In homine uidelicet nullam eſſe iuſtitiam. Cæterum teſtimonium ex uariis locis eſt contextum. Siquidem teſtimoniorũ ui, ueluti turba, reluctantes adobruit. Et præſentia quidem ſumpta ſunt ex Pſalmo 13. in quo idem agit propheta quod hoc loco Paulus, Omnes homines eſſe peccatores. Senſum uero ueluti bonus interpres retulit, uerba non appendit, magis ſecutus LXX. æditionem quàm Hebraicam ueritatem. Id quod excutiendum diligẽti commendo lectori. Mihi equidem ſufficit apoſtolica authoritas. Nam per apoſtolorum ora ſonat nobis Ieſus Chriſtus dei ſapientia. Quod ad præſentis diſputationis ſtatum attinet, in primis obſeruandæ ſunt incluſiuæ iſtæ particulę & loquutiones emphaticæ, Non eſt iuſtus, NE VNVS QVIDEM, Non eſt qui bonum faciat, non eſt uſcꝫ ad VNVM. Quibus uerbis adeo irretimur omnes, ut nullus noſtrum poſſit elabi. Porrò ad amplificationem & expoſitionem negotij faciunt adiuncta membra, Non eſt qui intelligat, Nam cum cæcum ſit rationis noſtræ iudicium, nemo noſtrum ea quæ dei ſunt intelligit, 1. Corinth. 2. Hinc uero nullus etiã deum requirit, ſed adfectus noſtros ſequimur. Recte enim ſubdit, Omnes deflexerũt, ceu à recta uia in deuia iniuſtitiæ, Iſaiæ 53. Breuiter, ſimul inutiles facti ſumus, Nemo noſtrũ quicquam iuſti, ueri uel boni exercet. Omnes enim opus dei uel prorſus negligimus, uel negligenter facimus: ergo omnes maledicti ſumus.

Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum uſi ſunt, uenenum aſpidum ſub labijs eorum.

Hoc teſtimonium deſumptum eſt ex Pſal. 5. Sed poſtremum membrum ex Pſal. 139. Superiori autem teſtimonio ex 13. Pſalmo deſumpto, oſtendit omnia hominũ facta eſſe corrupta atcꝫ peccata: hoc uero oſtendit & mentem & uoluntatẽ prorſus eſſe impuram. Prophetæ uerba ſic habent, Non eſt in ore eorum ueritas, cor eorum uanum eſt. Siue ut Hebræus habet, Intima eorũ putredo. Cui iam commode ſubnectitur, Sepulchrũ apertum guttur eorũ: alluſit enim & ad hominem qui tetrum anhelitũ ex corruptis ſpirat extis, & ad cadauer quod è ſepulchro intolerabilẽ ſpirat odorem. Tranſtulit aũt metaphoram à corpore ad animũ. Nam iſtis ueluti coloribus ob oculos ponere uoluit, hominẽ prorſus eſſe corruptũ mente & animo. Cæterũ qualis mens talis & oratio. Hinc ſubditur, Linguis ſuis ad dolũ uſi ſunt, quo notatur hypocriſis & decipiẽdi ars & adulãdi ſtudium. Vtrunꝫ enim Hebræi legunt, Lingua ſua lingunt, uel, adulãtur, metaphora ſumpta à canibus. Quod hominum genus panem oſtentat altera, altera lapidem tenet. Hinc adijcitur, Venenum aſpidum in labijs eorum. Quo notauit calumniandi & obtrectandi

ſtudium,

ſtudium. Propheta enim Exacuerunt (inquit) linguam ſuam uelut ſerpentes, uenenum aſpidum ſub labijs eorum. Vide Plinium in 8. cap. 23. & Linguam Eraſmi.

Quorum os execratione & amarulentia plenum eſt.

Faciunt hæc ad expoſitionem ſuperiorum. Videtur autem alluſum ad hæc 9. Pſal. uerba, Cuius os maledictione plenum eſt & amaritudine, & dolo, ſub lingua eius labor & dolor. Loquitur propheta de impijs qui ſi quid loquuntur aut crudele, aut calumnia, minę, ſcurrilitas, uerſutia, obſcœnitas aut mendacium eſt. Paulus id nobis omnibus accommodat quatenus nondum renati ſumus.

Veloces pedes illorum, ad effundendum ſanguinem. Contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt.

Iſta ex Iſaiæ 59. ca. petita, et negotio præſenti ſupra modũ ſunt accomoda. Illo eñ capite uehementer accuſat propheta genus humanum, et inter reliqua, Pedes autem ipſorum (inquit) ad malum currunt, & ad effundendum innocentem ſanguinem properant. Conſilia eorum conſilia ſunt nepharia. Vaſtitatem & pernitiem quoquo uerſum ſecum trahunt: at pacis iter non cognoſcunt, &c.

Non eſt timor dei coram oculis eorum.

Hac ſententia quæ Pſal. 35. eſt concludit totum hoc negotium: quaſi dicat, Quid autem pluribus opus? nullus eſt apud homines timoris dei ueræq; religionis reſpectus. Quemadmodum ergo initium ſapientiæ eſt timor domini, ita & initium omnis inſipientiæ & praui eſt contemptus dei. Cæterum omnes homines natura ſunt dei contemptores, ergo praui etiam & ad omne opus bonum reprobi. Hæc autem eſt illa noſtra iuſtitia, & uis rationis noſtræ, quæ ſic ſemper, ſi dijs placet, ad optima deprecatur.

Scimus autem quod quæcunq; lex dicit, ijs qui in lege ſunt dicat, ut omne os obduretur, & obnoxius fiat totus mundus deo.

Iudæi ut elaberentur, de gentibus iſta, deq; impiorũ cœtu dicebant intelligenda: nõ de electo dei populo. Nam peccati crimen non minori altercatione diluere nitebantur, quàm uel hodie nonnulli hypocritæ ſolent, qui iſtas prophetarum uniuerſales ſententias ſynekdocha uolunt eludere. Atqui Paulus, Scimus (inquit) quod quæcunq; lex dicit, &c. Per legem autem hoc in loco intellexit omnem ſcripturam ſanctam. Sic enim ſolent Hebræi ſuum תורה uſurpare. Neq; uero in lege, ſed prophetis inuenias ſuperiora teſtimonia. Itaq; ſenſus erit. Quæcunq; ſcriptura loquitur ad eos maxime loquitur quibus data eſt. Data eſt autem Iudæis, ergo de ipſis maxime intelligenda quæ ſuperius citata ſunt. Nam & ſi fateantur ſe deum noſce, factis tamen negant. Iam uero & illud ſequitur quod iſtorum diluit ſynekdocham, Vt omne os obduretur. Scriptura enim omnis, in primis uero præcitata, ſemel uoluit altercationibus iſtis finẽ imponere, ut nemo poſthac eſſet qui ſe peccatorem negare auderet. Quid enim apertius quàm quod dixit, Non eſt iuſtus, ne unus quidem? Hiſce ergo uerbis pauciſſimis uoluit deus OMNE os obdurare, obſtruere uel obſepire, adeò ut nemo poſthac uel mutire audeat. προαγνύω enim & ſepio & munio eſt. Sequitur nunc quod apertius eſt, Et TOTVS MVNDVS deo fiat ὑπόδικος, id eſt, reus & ad pœnam obligatus. Δίκη enim & crimen ſignificat & pœnam. Itaq; uoluit ſcriptura omnes concludere ſub peccatum, adeoq; & ſub damnationem ut omnium miſereretur dominus. Hinc Ioannes, Si dixerimus (inquit) quod peccatũ non habemus nos ipſos ſeducimus, &c. 1. Ioan. 1.

Iccirco ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu eius. Per legem enim agnitio peccati.

Hic quædã explananda ſunt priuſquam ad authoris conſilium deſcendamus. Principio Opera legis uocauit Paulus quæcunq; fiunt ab homine ad præſcriptum ſiue mandatũ legis. Porrò lege non modo traduntur ceremoniæ quædã, ſed & iuſtitiã præcipitur colamus, deũ ante oñia, & proximũ, ficut nosmetipſos diligamus. Atqui cũ natura corruptiſſima ſit, adeò ut fide renouata feces oleat & ad ingeniũ redeat, ea nunq; præſtamus *Opera legis quid?*

quæ deus lege præcepit. Videmus enim in sanctissimis quoq; hominibus φιλαυτίαν agere, imò & imperitare nonnunquã ut id maxime faciant quod nolint. Hinc est quod maximo in uerbis delectu adhibito, non dixit, Iccirco ex operibus legis non iustificabitur

Caro. ullus homo, sed potius non iustificabitur ulla caro. Etsi enim non nesciã iuxta proprietatem sermonis Hebraici idem esse hominem & carnem, utpote qui ex parte totum appellitent: attamen quemadmodũ M. Fronto apud Gellium in XIII. plurimum interesse putat inter hominem & mortalem, sic ego uideo hic multo concinnius positum esse carnis, quàm hominis uocabulum. Hoc enim augustius est, illud autẽ pressius & abiectius, & ueluti miseram sortem hominis in memoriã reuocans. Sic enim habet scriptura, Cogitatio humani cordis mala est à pueritia sua. Et iterum, Non permanebit aut disceptabit spiritus meus cum homine eo quod sit caro. Iam uero si caro est, quid mirum si carnem subinde resipiat, & ideo ex operibus legis non iustificetur: maxime autem in conspectu dei. Nam apud homines quidem iustitiã simulare possumus, sed ideo non sumus iusti coram deo. Hic cum sit ignis consumens, nihil apud incoinquinatum & lucem puram habitare nisi purum potest. Dixit enim, Perfecti estote, quia & ego perfectus sum. Cæterum eò non potest caro penetrare, proinde ex operibus legis non iustificabitur ulla caro in conspectu eius. Istis autem excussis ad confiliũ authoris descendimus. Postea quam igitur copiosissimis demonstrasset hominis naturam esse corruptam, & iccirco omne genus mortalium peccato obnoxium, iam tandem capulum rei petit, & illud hic inducit, cuius gratia superiora disputauit, omnia sic moderans, ut etiam ad sequentem caussam transitum sternat. Quasi dicat, Ex istis uero omnibus nunc patere arbitramur, quod homo nullis meritis uel operibus siue ex lege naturæ, siue ex lege dei factis, iustificari possit. Nam caro est. Id quod fusissime hactenus tractauit. Secũdo. Quia per legem

Lex. est agnitio peccati. Hinc enim forma Enthimematis sequitur, Ergo ex lege non est iustitia. Nam in Galatis cap. 3. extat locus huius interpres qui sic habet, Si data esset lex ut uiuificaret: sanè ex lege esset iustitia: sed conclusit lex omnia sub peccatum, ut promissio (id est salus & iustitia) daretur ex fide Iesu Christi credentibus. Plura de lege in cap. 7.

QVOD FIDES SIT IVSTITIA.

Hactenus de Peccato, nũc de Iustitia. Sic enim Christus dixit futurum, ut spiritus sanctus arguat mundum de Peccato quod non crediderint in deum, & de Iustitia quod ad

Epilogus superiorũ & aptatio. patrem iuerit filius. Nam hucusq; satis coarguit infidelitatem & fructus incredulitatis scelera Paulus, ostendẽs nihil solidi, æqui, ueri uel iusti esse in homine, ideo & filium iræ & iusto dei iudicio damnatũ esse. Hoc ipsum & nobis quoq; dictum putemus, qui idola coluimus, naturæ legem uiolauimus, contra conscientias nostras maxima flagitia designauimus, ut de hypocrisi nihil referam. Imò dum Christiano nomine insigniti iustitiam syncerius colere debebamus segnius omnia perfecimus, nedum prorsus negleximus. Neq; uero Christiani sunt qui hoc nominis adepti sunt, sed qui fide & puritate uitæ sanctimoniam exprimunt. Nihil prodest baptismus literæ, nisi & corda à malo sint purgata. Sed & Euangelium dei audisse est iudicium fibi ipsi auxisse, nisi uita doctrinę respondeat. Seruus enim sciens uoluntatem domini & non faciens, uapulabit plagis multis. Verum homines sumus caro & sanguis ad malũ procliues, ut tanta præstare nequeamus, quanta pura lex dei exigit: ergo in nobis quidem tanta uirtus non est, ut iustificemur coram deo, coram hominibus iusti uideri possumus, sed deus corda intuetur. Hic

De iustificatione copiosius disputatum in 2. cap. ad Gal. uero corrupta sunt omnia, & fœtenti sepulchro simillima. Vnde ergo iustificabimur? Certe non ex nobis, non ex lege, non ex operibus. Quid enim aliud est homo quàm mali cupido malorumq; larna? ut si nunc in hac tam corrupta carne quicquam quæ fieris iustitiæ, nihilo prudentius feceris quàm si gemmas in cloacis ceu conchis colligere tentes. Igitur amota iam omni uana spe iustitiæ, ostendit quæ uera sit iustitia, uulneratisq; conscientijs emplastrum euangelicum imponit, ac dicit:

Nunc uero absq; lege iustitia dei manifestata est, comprobata legis & prophetarum testimonio, iustitia inquam dei per fidem Iesu Christi

in

in omnes & ſuper omnes credentes.

Nunc particula non eſt nota tẽporis,ſed connectit magis & infert. Quaſi dicat,Dum ergo negotium humani generis & legis ſic habeat, nunc ſanè conſequens eſt ex deo per fidem eſſe iuſtitiam. Abſq; lege) Hic ſanè lex pro lege ſcripta accipi non poteſt: ſed per Metalepſim ponitur pro opere aut merito. Comprobata μαρτυρομένη teſtificata, confirmataq; teſtimonio Legis ſcriptæ & prophetarum. Quomodo uero probet ipſa lex iuſtiam non deberi merito noſtro aut operibus,ſed fidei,ipſe Paulus fuſiſſime tradidit in 3. capite ad Galatas.Prophetarum autem teſtimonia hæc ſunt. Abacuck,Iuſtus(inquit)in fide ſua uiuet. Dauid quoq; in Odis, Ne introëas in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis uiuens.Item dominus apud Iſaiam in 43. Ego ſum (ait) ego ſum ipſe qui delebo iniquitates tuas PROPTER ME, & peccatorum tuorum non recordabor. Memora mihi, contendemus enim ſimul, & narra ſi quid habes quo iuſtificeris.Pater tuus primus peccauit,&c. Ad quem modum & Ezechiel.Non propter uos ego faciam,ait dominus,notum fit uobis.Ipſe deniq; deus apud Iſaiam in 45. capite clamat & dicit,Ego deus iuſtus & ſaluator,præter quem nemo. Conuertimini igitur ad me,& ſalui eritis omnes fines terræ,quoniam ego ſum deus & nullus alius,&c. Huc refer caput eiuſdem 53.& 55.Ieremias quoq; in 23.Ecce tempus ueniet,ait dominus, & excitabo Dauid iuſtum germen,quod regnabit.In tempore eius ſaluabitur Iuda,et Iſraël habitabit ſecure,& hoc eſt nomen quo ipſum appellabũt,Dominus iuſtitiæ noſtræ, id eſt, qui eſt iuſtitia noſtra. Vnde nimirũ mutuauit Paulus illam ſuam in Corinthijs ſententiam,Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à deo,iuſtitiaq; & ſanctificatio & redẽptio, &c. Huc pertinent iſtius prophetæ capita 31. & 33. Danielis quoq; nonum, ut ex multis pauciſſima annotem.Iam ſequitur in Paulo per expoſitiuam repetitionem,Iuſtitia inquam dei per fidem Ieſu Chriſti. ἡ enim particula quæ uero ſignificat hoc loco inquam ualet. Nam dixerat,Nunc uero abſq; lege iuſtitia dei manifeſtata eſt.Quia uero interpoſuerat quædam teſtimonia, redit & exponit quæ ſit illa iuſtitia quæ coram deo ualeat, nimirum iuſtitia fidei: hoc eſt Chriſti agni immaculati, qui per fidem nobiſcum omnia communicat. In omnes & ſuper omnes credentes) Pleonaſmos eſt. Qua figura exprimere uoluit,hanc ſalutem prorſus ad omnes pertinere credentes,nemine excluſo. Hinc etiam ſequitur.

Teſtimonia de iuſtitia fidei.

1.Cor.1.

Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt ac deſtituuntur gloria dei.

Breuis eſt & expoſitio & ſuccincta cauſſę redditio ſiue probatio. Dixit neminẽ ab hac iuſtitia & ſalute excluſum eſſe. Id iam probat. Non enim eſt diſtinctio. Dixit præterea, eam iuſtitiam non eſſe meriti noſtri,ſed gratiæ,nec quenquam aliter quàm fide iuſtificari,cauſſam ergo addit, Non eſt diſtinctio, OMNES peccauerunt: ergo omnes ex gratia ſaluabuntur.Sic enim repetit,& mira breuitate coartat ſuperiorem cauſſam,qua omnes homines peccati conuicit:imò adhuc grauius ſubijcit,Ac deſtituuntur gloria dei. Nam gloria dei illa eſt integritas, ſanctimonia & perfectio quã deus in homine ueluti omnium creaturarũ principe, ad imaginem atq; gloriam dei deformata habere debebat. Sed omnes deſtituũtur,id eſt,carent hac gloria. Iccirco Germanus interpres optime uertit, *vnd manglend der eeren die Gott an vns haben ſolt.* Bonum enim condiderat deus hominem, ſed ſuo uitio corruptus poſthac non niſi ſe ſuaq; quærit. Id uero hoc loco in primis admirandum,quod Paulus ſtatum negotij nullibi deſerit,ſed eum ueluti ad cynoſuram nauigans,ſubinde reſpicit, atq; hic tandem eundem copioſiſſime omnibus excuſſis circumſtantijs exponit.Sequitur enim.

Dei gloria egere.

Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

Eraſmus per comparationem ac ſubiectionem hæc ſic concinnauit belliſſime. Sicut communis eſt omnium morbus,& omnes pariter huc reciderunt,ut apud deum de ſua iuſtitia gloriari non poſſint, ita eodem è fonte petenda cunctis iuſtificatio, quæ quidem haud rependitur ceu debita merces obſeruatæ legis Moſaicæ, ſiue etiam naturæ,

SED GRATIS DONATVR beneficẽtia diuina. Hæc ille. Obſeruabis ergo particulam GRATIS, quæ ſuam ſibi affixam habet expoſitionem, Per gratiã. Gratia autem meritum operum noſtrorum prorſus tollit. Nam ad Roma. 11. Si (inquit Paulus) per gratiam ſaluæ factæ reliquiæ, iam non ex operibus. &c. Et ad Ephe. cap. 2. Gratia enim eſtis ſeruati per fidem idq; non ex uobis, dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Et ad Titum, Non ex operibus quæ ſunt in iuſtitia, quæ faciebamus nos, ſed ſecundum MISERICORDIAM ſaluos nos fecit. Item in Euangelio dominus, Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus, Lucæ 17. Et iterum in 7. Dum non haberent unde redderent donauit utriſq;. Hæc ſi quidam ſyncero expenderent animo ſanè in dubium non uerterẽt quod re uera ſimpliciſſimum erat, Apoſtolum uidelicet in hac & reliquis epiſtolis loqui de omnibus operibus, quæ ab homine in hac uita fiunt, ut in ſolidum omnis gloria, iuſtitiæ & uitæ unius ſit filij dei Ieſu Chriſti, de quo Ioannes apoſtolus, Deus dedit nobis uitam, & hæc uita eſt in filio eius. Qui filium habet, uitam habet: qui hunc non habet, uitam nõ habet. Ipſe enim de ſeſe teſtatur in Euangelio, Ego ſum uia, ueritas & uita, Nemo uenit ad patrẽ niſi per me. At illi contendunt Paulum de operibus legis ceremonialibus locutum. Quaſi uero illa nemo unquã potuerit ſeruare. Legem autem nemo potuit ſeruare, id quod ipſe Petrus Acto. 15. & Paulus ad Romanos 7. & 8. probauit: ergo ceremonialia non tantum intellexit. Quid quod iamiam audiuimus? Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Cauſſa. Per legem enim agnitio peccati. Per quam uero legem? Ceremoniarũ? An non potius per legem moralem? Nimirum. Vide Roman. 7. Tametſi enim hoſtiæ offerentes peccati redarguebant, ut eſt ad Hebræos 9. & 10. nihilominus ipſe Paulus ſuam de lege ſententiam quod per eam ſit peccati cognitio magis retulit ad legem moralem: ita ad Galatas quoq;. Proinde gratis iuſtificamur, & non ex operibus, ſiue ceremoniarum, ſiue legum moralium. Nam quod alij alia uia elabi conantes inter opera legis & opera gratiæ diſtinguunt, nihil aliud quàm uerba nectunt. Illis quidem iuſtitiam non tribuũt, quod ex lege uiribusq; ſint noſtris: his uero tribuunt, quia ex fide fiant. Quaſi uero fides carnem abſorbeat, & hominem in ſpiritum prorſus tranſmutet. Senſerunt autem ſanctiſſimi carnis affectiones: quo fit ut nulla iuſtitia humana ualeat coram deo. Nam hic ignis conſumens eſt. Hinc etiam Paulus, Viuo ego, iam non EGO, ſed uiuit in me Chriſtus. Vitam aũt quã nunc uiuo, in carne per FIDEM VIVO filij dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Non aſpernor gratiã dei. Nam ſi per legẽ eſt iuſtitia, iam Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Præterea ſi iuſtitia eſſet ex operibus fidei, quid gloriari prohiberet? aut quomodo donũ dei poſthac dici poſſet? Quin igitur miſſis iſtis argutijs Paulo credimus clariſſime dicenti, Gratia eſtis ſeruati per fidem, idq; non ex VOBIS, Dei DONVM eſt, nõ ex operibus, NE QVIS GLORIETVR. Quid quod in 4. cap. audiemus, Si Abraham ex operibus iuſtificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud deum. Ex quibus obſecro operibus? An ne ex operibus legis? Sed lex poſt annos demum quadringentos & triginta acceſſit. Abrahã ergo cum ſit fidei Chriſtianæ typus, adeoq; & Chriſtianus uerus, operibus autem ſuis non ſit iuſtificatus, conſequitur tandẽ quod nulla opera qualiacunq; tandem ſint, hominem iuſtificent: conſequitur item quod Paulus non modo loquatur de legalibus, ſed omnibus quæ fiunt ab homine operibus. Cæterum ſi lubrici iſti homines per opera gratiæ uel fidei, ipſam intelligunt gratiam, ſentientes gratiam gratiæ nihil derogare, quid nobiſcum contendunt? Cur non omnes potius ſimplicitati & perſpicuitati ſtudemus? & ſemel omnem gloriã deo tribuimus? Meminerimus chariſſimi ueritatis orationem eſſe ſimplicem.

De quibus operibus Paulus loquatur.

per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit deus propitiatorium per fidem in ſanguine eius,

Chriſtus gratiæ pignus.

Exponitur quæ ſit illa gratia per quam gratis ſimus iuſtificati, nimirum gratuitus ille dei fauor quo erga hominem familiariſſime adfectus iamiam pereũtem, prorſus perire noluit, ſed filiũ in orbẽ miſit, ut is captiuos uinculis ſuis liberaret, et pollutos corporis ſui

hoſtia

hostia expiaret. Igitur iustitia contigit nobis munere fauoris & gratiæ diuinæ, idq; beneficio redemptionis per Christum præstitæ. Nam in Christo, idiomate Hebraico, dixit pro eo quod est, per Christum. ἀπολύτρωσιν uero uocarunt Græci redemptionem captiui, persoluto pro capite illius pretio, quam Galli appellitant, *rainson*, pretiũ scilicet ipsum & satis factionem redemptionis. Mendaces ergo ac blasphemi sunt quicunq; satisfactiones nostras iactant. Christus est satisfactio nostra. Voluit autem deus filij sui redemptionem esse perpetuam. Hinc sequitur, Quem proposuit deus propitiatorium, alludens ad tabernaculi Mosaici propitiatorium sentiensq; filium dei esse, & fore omnium credentium salutem unicam, Acto. 4. Heb. 10. De qua re annotauimus quædam in 2. cap. primæ Ioannis Canonicę. Sic autem proposuit ut credamus in sanguine eius, id est, ut fidamus illi propter mortem eius, quæ maximo orbi argumento est deum homini benignũ esse, utpote qui ne proprio quidẽ pepercerit filio, sed pro nobis tradiderit illũ, ut eius cruore ceu immaculati agni sanguine mundati, seruaremur ab ira, Exo. 12. 1. Pet. 1. D. Ioan. Oecol. ἱλαστήριον dicitur (inquit) ficut χαριστήριον donum quod ad propitiandum datur.

ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præteritorũ peccatorum, quæ deus tolerauit,

Filum orationis siue dictio & breuitas sensum reddunt obscurum. Liberius ergo sententiam per periphrasim fic reddere licebit, Iccirco autem proposuit nobis deus filium suum propitiationem pro peccatis nostris, ut iustitiam suam nobis ostenderet, id est, se fidelem & ueracem esse comprobaret (iustitia enim hoc loco, ut in Psalmis sæpe, pro ueritate dei ponitur) iustitiã inquam dico, propter quam uel per quam factum est, ut commissa uel priusquam filius nasceretur patrata peccata remiserit. Illa enim non propterea tulit quod uel nesciret uel probaret, sed destinato tempore unica filij hostia perlitare uellet. Hinc patet Christi mortem etiam sanctos ueteris testamenti absoluisse: id quod Petrus in priori epistola, articulus quoq; fidei, Descendit ad inferos, satis coarguit. Sentit enim mortem Christi, defunctis quoq; profuisse. Nam de uirtute mortis Christi, ceu de persona loquitur Petrus. Et inferos dixit, nõ utiq; supplicij & damnatorum locum, sed demortuos, quos nos & inferos dicimus, ut uiuos superos.

denicq; ad ostendendam iustitiam suam in præsenti tempore, in hoc, ut sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu.

Non modo (inquit) filium misit ut ueterum expurgaret peccata, ipsisq; fidem seruaret & promissis staret: sed & nobis, qui post Christi tempora in ecclesiam cõgregamur, „
ostendere uoluit, quæ posthac usq; ad finem mundi futura esset Christianorum iustitia, „
nempe nulla alia quàm fidei iustitia. Fide enim intelligimus quod solus deus iustus, sanctus & uerax sit, nos omnes peccatores: iccirco iustitiam nõ nisi à deo proficisci, qui eos iustificet, qui omnem fiduciam in ipsum per filium collocent. Similia prorsus legimus ipsum dominum tradidisse apud Ioan. in cap. 3. 6. 10. & 17. Hic enim clarissime dicit, Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te SOLVM deum uerum, & quem misisti (obserua quanta missionis uoce comprehendat) Iesum Christum. Ista uero omnia Christiano Lectori diligentius expendenda, uersanda, iterumq; uersanda propono. Sola enim sufficiunt ad subuertẽdam omnem Pontificiorum peruersam doctrinam. Hactenus enim statum suum copiosissima expolitione excussis omnibus circumstantijs ornauit, exposuitq;. Fidem uidelicet in Christũ, id est, ipsum Christum Iesum dei filium, cui fidimus, ueram esse pij hominis iustitiam. Nunc uero ueluti Celeuma κοινὸν ἐπινίκιον canens lætè subiungit. *Vide.*

Vbi igitur gloriatio? Excusa est. Per quam legem? Operum? Non, imò per legem fidei.

Hoc autem dicit, Istis autẽ omnibus ἡ καύχησις, id est, fiducia carnalis & gloriatio conuulsa iacet, conuulsa inquam fidei, non operum robore. Illa enim humiliat, & omnem gloriam deo tribuit: hæc uero mentem magis efferunt atque inflant. Hæc autem per *Omnis confringitur gloriatio.*

Interrogationem efferre maluit, ut orationi ſua ineſſet uita & uis: quæ aliâs obſcura eſt propter figuram dicendi. Nam Per quam legem? dixit pro eo quod eſt per quam rationem uel per quem modum? Sic enim & Germani dicimus, *mit was fügen wyß vnd maaß?* Víderi poterat & uerbis ineſſe Catachreſis, hoc eſt abuſio, ut per legem fidei, ipſam intellexerit fidem: quemadmodum & in 8. huius cap. legem ſpiritus uitæ poſuit pro ſpiritu uíuificante. Aut certe Mimeſis eſt, qualis & illa in Euangelio, Hoc eſt opus dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Nam uoce operis reſpexit ad illorum quæſtionem qua interrogabãt, Quid faciemus, ut operemur opera dei? D. Ioannes Oecolampadius ſic exponit. Dicit uſq; adeo iuſtificationem nõ ſitam in operibus noſtris, ut de nullo etiam minimo gloriari liceat. Vnde qui opera habet, non habet quod opponat coram deo ei qui opera non habet. Fidei uis eſt excludere gloriationem, & dare iuſtificationem, operum uero facere non ad iuſtificationem, ſed ad gloriationem. Fides enim innititur diuinæ miſericordiæ, opera autem ad hominem referuntur. Et quia omnes iuſtitiæ uel opera noſtra ſicut pannus mulieris menſtruatæ, non eſt quod gloriemur in operibus. Hæc ille.

Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis.

Scopus & ſumma omnium.

Summã cauſſę repetit & infert id quod hactenus copioſa diſputatione tractauit, nempe iuſtitiam ueram & Chriſtianam non inniti operibus, ſed fidei tantum. Et ſane λογιζόμεθα οὖν illationis eſt: Quaſi dixerit, Ex iſtis autem colligimus & cõcludimus tandem, quod fidei, non operum ſit iuſtitia. Nam & Theophylactus interpretatur συλλογιζόμεθα. Eſt autem συλλογίζεσθαι diſcurſu & ratiocinatione uel ratione ſubducta, imò (ut noſtri aiunt) ex præmiſſis aliquid colligere. Author commentariorum in Romanos quæ Hierony. circumferuntur titulo expoſuit, Certi ſumus & iudicamus. Hic uero ne quid in re tam ſeria de noſtro aſſuamus, uel adſectibus noſtris indulſiſſe uideamur, adſcribimus uetuſtiſſimi & eruditiſſimi Origenis ſuper hac re explanationẽ, ex tertio commentariorum libro in epiſtolam ad Romanos, uel propter eos maxime, qui uel hoc dogmatis, SOLA fide iuſtificari hominem, nuper domi noſtræ natũ, uel Paulum de legalibus non etiam gratiæ adeoq; omnibus quæ ab homine fiunt operibus locutũ contendunt. Origenis autem expoſitio hæc eſt,

Origenis ſententia de fide & operibus.

Apoſtolus hiſce uerbis, Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis, dicit SVFFICERE SOLIVS FIDEI iuſtificationem, ita ut credens quis tantummodo, iuſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum. Quod ſi exemplum requiramus quis ſine operibus ſola fide iuſtificatus ſit, ſufficere arbitror illum latronem,

Lucæ 23.

qui cum Chriſto crucifixus clamauit ei de cruce, Domine Ieſu memento mei cum ueneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam deſcribitur boni operis eius in Euãgelio, ſed pro hac ſola fide ait ei Ieſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Per fidem ergo iuſtificatus eſt hic latro ſine operibus legis. Quia ſuper hoc dominus non requiſiuit quid prius operatus eſſet, nec expectauit quid operis cum credidiſſet expleret, ſed ſola confeſſione iuſtificatũ comitemq; ſibi paradiſum ingreſſurus aſſumpſit. Sed & ad mu-

Lucæ 7.

lierem quæ in Euangelio ſecundum Lucam refertur, ex nullo legis opere, ſed pro ſola fide ad eam ait, Remittũtur tibi peccata tua. Et iterum, Fides tua te ſaluam fecit, uade in pace. Sed & in multis euangelij locis hoc ſermone uſum legimus ſeruatorem, ut credentis cauſſam dicat eſſe ſalutis eius. Et paulò poſt iterum ſcribit, Phariſæus etiam in Euange-

Lucæ 18.

lio ſecundum Lucam multa iactauit, & fortaſſis uere: ſed ſecundum domini ſententiam iactantię morbo corruptus, non deſcendit iuſtificatus de templo. Ea ergo gloriatio quæ ueniebat ex operibus legis, nihil utilis erat, quia non habebat humilitatem crucis Chriſti: in qua qui gloriatur audi quid dicat, Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini

Galat. 6.

noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vides Apoſto-

Vides eum loqui de omnibus operibus.

lum non gloriantem ſuper iuſtitia ſua, neq; ſuper caſtitate, neq; ſuper ſapientia, neq; ſuper cæteris uirtutibus aut actibus ſuis, ſed apertiſſime pronunciantem & dicentem, Qui

2. Cor. 1.

gloriatur, in domino glorietur: & ſic excluſa eſt gloriatio. Quis enim recte uel ſuper caſti-

Matth. 5.

tate ſua gloriabitur, cum ſcriptum legat, Si quis aſpexerit mulierem ad concupiſcẽdum

Prouer. 20.

eam, iam mœchatus eſt cum ea in corde ſuo? Vnde & propheta dicit, Quomodo gloriabitur

bitur quis caſtum ſe habere cor? Aut quis gloriabitur ſuper ſapientia, cum dictū audiat, Quæ ſtulta ſunt mundi elegit deus, ut confundat ſapientes? Quis autem uel ſuper iuſtitia ſua gloriabitur, cum audiat deum per prophetam dicentem, Quia omnis iuſtitia noſtra ſicut pannus mulieris menſtruatæ? Sola igitur iuſta gloriatio eſt in fide crucis Chriſti, quæ excludit omnem illam gloriationem quæ deſcēdit ex operibus legis. Ex quibus omnibus claret quod recte arbitratur Apoſtolus iuſtificari hominē per fidem ſine operibus legis. Sed fortaſſis hæc aliquis audiens reſoluatur, & bene agendi negligentiam capiat, ſiquidem ad iuſtificandum ſola fides ſufficiat. Ad quem dicimus, Quia poſt iuſtificationem ſi iniuſte quis agat ſine dubio iuſtificationis gratiam ſpreuit. Neq; ad hoc quis accipit ueniam peccatorum, ut rurſus ſibi putet peccandi licentiam datam. Indulgentia nanq; non futurorum, ſed præteritorum criminum datur. Hęc omnia ex Origenis commentario ad interpretationem diui Hieronymi.

1. Cor. 1.

Iſaiæ 64.

Occupatio.

CONFIRMATIO QVOD FIDES IVSTIFICET, NON OPERA.

Etſi ea quoq; quæ primis cap. de peccato diſputata ſunt, ad confirmationem eius faciant, quod fides abſq; uiribus aut operibus noſtris iuſtificet, quia tamen ijſdem magis confutauit aduerſariorum obiecta, & ueluti per manus in hunc ſtatum auditores induxit, conſequentibus nihil niſi conſtitutum ſtatum fulcit & roborat, conſequentia Confirmationis uice ſuppacta putamus. In hac obſeruandum quomodo omnia argumenta ad ſtatum referantur, huncq; expoliant, firment, & exponant.

An Iudæorum deus tantum? An non & Gentium? Certe & Gentium: quandoquidem unus deus qui iuſtificabit circumciſionem ex fide & præputium per fidem.

Vnus deus Iudæorū & Gentium.

A natura dei probat fide iuſtificari omnes homines qui iuſtificantur. Natura autem dei eſt ſeruare & benefacere. Hic cum omnium ſit conditor, Gentium quoq; deus eſt: ergo & Gentibus benefacit easq; ſeruat: non utiq; per legem, ceremonias, aut circumciſionem quam non habebant, ergo per fidem ex gratia. Lege nunc orationem diui Petri in Act. 15. cap. & habebis huius loci interpretationem. Et per circumciſionem intellige Iudæos, per præputium ipſas Gentes, ut in cap. 2. indicatum eſt. Porrò hinc talis enaſcitur obiectio. Si una eademq; eſt ratio iuſtificandi Gentilium & Iudęorum, nimirum lex ipſa omnisq; abolita eſt ſcriptura. Si enim deus uoluit & Iudæos & Gentes unica fide abſoluere, quid opus erat legem condere? Hoc enim eſt quod ſequitur.

Legem igitur irritam facimus per fidem? Abſit, imò legē ſtabilimus.

Lex cōfirmata.

Elegāter & breuiter (ut omnia aliās) Eraſmus hanc reſponſionē iſtis expoſuit, Adeò non abolemus legem aut labefactamus, ut eam etiā confirmemus, ſtabiliamusq;, id prædicantes factum, quod lex futurum promiſerat, eumq; nunciantes in quem ceu ſcopum ſumma legis ſpectabat, &c. Nam cum alibi legamus, Perfectio legis Chriſtus ad iuſtificationem omni credenti. Hic uero fides in eum diligentiſſime tradatur, profecto lex fide magis ſtabilitur quàm labefactatur.

CAP. IIII.

Quid ergo dicemus Abraham patrem noſtrum inueniſſe ſecundum carnem?

Exemplū Abrahæ.

Iam uero miro ingenio in Iudæos retorquet quod ipſi pro operum iuſtificatione defendenda obijciebant, Abrahamum ex circumciſione meritis bonisq; iuſtificatum eſſe operibus. Paulus enim eodem Abrahæ exemplo præoccupato id circūſtantijs excuſſis, & omni exornationis genere, utpote per expolitionē, ſententijs, teſtimonijs, contrarijs, idq; genus ornamētis alijs adhibitis, tam docte, neruoſe & elegāter pertractat, ut quiſq; uerū fateri uel inuitus cogatur, quod ſolius fidei uel gratiæ ſit iuſtitia, non meriti ullius. Ex præſtructis ergo ſic infert, Quid ergo dicemus aliud q̄ quod etiam pater noſter Abraham ſecundum carnem nihil meruit? Nam hunc genuinum ſenſum eſſe conuincit conſequens cauſſalis γάρ, Nam ſi Abraham, &c. Non enim illa obijcientis, ſed ſua perſona locutus eſt. Solent autem ſententiæ quæ pendent ſenſu, ex præcedētibus nonnunquam

esse eccliticæ. Et particulam Secundum carnem, alij non ad inueniendi uerbum sed ad Abraham retulerunt: Quasi Paulus senserit Abraham secundum fidem Gentiũ esse patrem, sed secundum carnem Iudæorum. Cæterum Græca ueritas inueniendi uerbo iungit: & ei iungendam poscunt consequentia. Sequitur enim, Nam si ex operibus iustificatus est Abraham, &c. Quod enim hic dicit ex operibus, illud ipsum ibi dixit Secundũ carnem. Nam Hebræis quoq; carnis uox omne externũ & uisibile imò ipsum opus adeoq; totum hominem significat. Quo & illud facit, quod inueniendi uerbum non usurpat in significatione protrita, sed pro merendi uocabulo, εὑρέθη enim apud Græcos, authore Budæo, & mereri & adipisci & impetrare significat. Itaq; sensus est. Quid ergo posthac aliud dicere possumus, q̃ quod Abrahã pater noster nullo merito externóue opere quic quã meruerit? Iam em̃ quadrantissime subiungitur caussa ueluti summæ iã computatæ.

Nam si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod glorietur, at non apud deum.

Vides enim quo respexerit, & quod hæc ex eo intulit quod in .cap. dixit, Vbi ergo gloriatio? Nunc em̃ sequitur. Cum itaq; omnis excluſa sit per fidem: iam sequitur quod ne Abrahã quidem operibus confidere aut de merito quicquã gloriari possit. Fides em̃ omnia diuinæ tribuit gratiæ. Hinc Paulus, Non habet quod apud deum uel de deo glorietur. Nã si suopte merito & suis operibus potest iustificari, iam non est quod iustitiam acceptã referat diuinæ benignitati. Est qui uerba remotius abstrahat & sic exponat, Hac argumentatione nolo derogare Abrahæ apud homines propter opera eius: fateor eum esse glorioſum apud homines, uerum nunc sublimiora tractamus, nempe quis laudatus sit apud deum. Sed uidetur adhuc respexisse ad superiora, & ad fidei uim gratięq; diuinę beneficentiam.

Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abraham deo, et imputatum est ei ad iustitiam.

Caussam suam nunc etiam scripturæ testimonio exornat confirmatq;, quod ex Geneſis cap. .. transumpsit. Duo autem habes in eo testimonio quæ propius consyderanda sunt. Prius, Abrahã credidit deo. Posterius, Id illi pro iustitia imputatum. Porrò cum dicit, Abraham credidit deo, non hoc tantum dicere uoluit, quod Abraham dei uerbis ceu expositæ fidem habuerit historiæ assenseritq; : sed quod se deo uero commiserit & sese totũ illi crediderit. Id quod nos sic efferremus, *Er hat sich ann Gott verlaſſen vnd sich im vertrawt*. Quæ sanè fidei uirtus est, omnibus uisibilibus desertis sese totum inuisibili & æterno bono cõmittere, uere, sponte, liberaliter, in spe et integro corde. Est em̃ fides substantia rerum sperandarum deprehensio non apparentiũ. Deo itaq; offerenti & ex gratuita beneficentia pollicenti, Noli timere Abraham, ego protector tuus & merces tua magna nimis, concredidit sese Abrahã, & illud ipsum illi pro iustitia imputatum est. Sed audiamus iam apostolum de hoc posteriori membro pulcherrime differentem ac dicentem:

Ei uero qui operatur merces nõ imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam.

Validißimo impetu operum iustitiã frangit.

Occasiõe ergo ex præcitato testimonio Mosis desumpta simul & testimoniũ clarius exponit & insolubilia quædam argumẽta pro re sua nectit. Nam imputationis nomine mira arte decerpto, per allusionẽ & opposita, rem agit, negotiũ omne in geminam cõcludens sententiam. Opposita enim sunt Operari & non operari, Merces & gratia, Debitum & imputatio. Hæc autem simul consistere nequeunt. Nam si iustitia gratis confertur, certè merito nostro non debetur. Gratia enim & meritum pugnant. Rursus. Quandoquidem deus iustitiam imputat, eam profecto non debet. Quæ enim debemus ea non imputamus. Iccirco fidei, hoc est, gratiæ, non meriti, hoc est, operum est iustitia. Non enim uoluit hoc loco Paulus dicere fidem esse sine operibus, sed respexit ad similitudinem. Alludit enim ad eos qui manuariã exercent & æquam laboribus suis mercedem

dem recipiunt, ceu debitum. Quo etiam Christus in Euangelio secundum Matthæum respexit, ubi paterfamilias mercedem quidem reddit laborãtibus, est enim uirtuti suum præmium, sed non secundum laborem & debitum, sed ex pacto & gratia reddit. Quia salus munus est gratuitum nõ meritum. Hinc & subiungit, Non facio tibi iniuriam. Nón ne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum est, & abi, Volo autem huic nouissimo dare sicut tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? &c. Operantem ergo dixit Paulus non utiq; fidelem, in quo fides per charitatem efficax est, sed allusionis gratia mercenariũ, qui operi innititur & mereri uult. Iam ergo sensus erit. Hactenus constat Abrahæ patri nostro & credentium typo unico iustitiam esse imputatam: dispiciamus nunc quid possit imputandi uerbũ. Iam exponit gemina sententia subiecta, quæ & Dilemmatis speciẽ habet, Ei uero qui operatur, &c. Ex qua nos ad hunc modũ colligimus. Cuicunq; aliquid imputatur, id sanè illi ex gratia imputatur, & non debetur ex debito. Atq; hoc quidẽ manifestius est quàm ulla probatione asserendũ sit. Huic subiũge: Atqui Abrahæ imputata est fides ad iustitiã. Probatur testimonio præcitato scripturæ. Iam necessario sequitur, Ergo Abrahã ex fide uel gratia nõ ex merito ceu debito iustificatus est. Ad hæc respondeant obsecro qui Meritũ defendunt, qui item inter opera legis & gratię non in hoc distinguunt, ut uni deo per Christũ omnis cedat gloria, sed ut uerba nectant & nodũ in scyrpo quęrant. Sanctissimus ille uir dei Abraham sanctis suis operibus non est iustificatus, quæ interim & apostolo ad Hebræos teste nõ sine fide fecit. Nam è patria migrauit, oñia quæ carni gratissima sunt ad uocationem dei deseruit, deo sese credidit, caput suum periculis obiecit, patiẽtia certauit, constantia uicit. Lothum quoq; unà cum oppressis uitæ & rerũ discrimine armis subleuauit, hospitalitate angelos suscepit, filium immo auit proprium, imò nihil non fecit quod facere debuit, & adhuc tamen per opera sua uere bona non fuit iustificatus, neq; uero & operibus illis suis quicquã credidit: & non pudet hodie uentris quædã mancipia orbi merita sua, bonaq;, si dijs placet, opera obtrudere & maximo pretio uẽdere. Quasi uero is qui plus debet q̃ possidet munificus esse possit. Plus debent isti quàm uel soluendo sint, interim larga manu merita quædam effundunt, Scilicet. An uero monachicũ institutum, ciborũ & uestium delectus, balatus (ut sic dicam) templicus, otium iners, & ceremoniarum diligens custodia maioris æstimationis sunt, quàm opera Abrahæ, non inertia quidẽ illa & inutilia, sed fidei & charitatis nobilissima testimonia? Hisce uero nihil meruit, neq; ijs iustificatus fuit, & uestra illa iustificarent? Resipiscite obsecro, & seruite domino in ueritate, fide & iustitia: superstitionem & hypocrisin deserite. Nam dominus propediem in iudicium ueniet.

Matthæi 20.

Aduersus Pontificios et monachos.

Fumiuendi.

Ad eum modum loquitur etiam Dauid de beatificatione hominis cui deus imputat iustitiam absq; operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputabit dominus peccatum.

Ad maiorem negotij & lucem & euidentiam inducit etiam Dauidis super hac re ex Psal. 32. sententiã, testimoniumq; nempe quod is quoq; sentiat homini ex bonitate dei, non operũ merito imputari iustitiam. Non eñ dicit fidem esse fine operibus, uel fidelem nihil boni operari, sed hominibus iustitiam nullo operũ respectu imputari, sed tantũ ex gratia. Aliâs dixisset, Beatus qui non habet peccatũ, uel cui sunt multa opera bona. Nũc autẽ dixit, Beatus cui remittitur peccatũ. Solemus autẽ remittere ijs qui aliâs nõ sunt soluendo. Item, Beatus cui obtegitur peccatũ. Quod autẽ tegitur nõ apparet, nõ quod non fit, sed quod contectũ fit. Hinc sequitur, Cui non imputat peccatum dominus is beatus est. Nam alibi idem propheta, Si iniquitates (inquit) obseruaueris uel imputaueris domine quis sustinebit? Ergo peccatorũ remissio, quæ iustificatio est, nõ est meriti, sed gratiæ. Hæc expendant qui Satisfactionibus & Indulgentijs totũ orbem decipiunt atq; deglubunt. Sed paucis. Sic cedit nobis iustitia ut peccatorum remissio. Quid enim aliud est iustificatio quàm peccatorum remissio? Atqui remissio peccatorum imputatur. Id quod

Remißio peccatorum.

prophetę uerbis claret: Proinde & iuſtitia imputatur. De imputatione uero ſatis dictum eſt in ſuperioribus.

Beatificatio igitur hæc in præputium tantum an & in circũciſionem deuenit? Dicimus enim quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo ergo imputata eſt? cum eſſet in circumciſione, an cum eſſet in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.

Expoſitiue per regreſſum.

Hunc locum alĩ ſic exponunt, quaſi ſit occupatio. Iudæos enim obĩcere dicunt: Etiamſi hæc ita habent, tamen beatificatio non Gentibus, ſed Iudæis tantum debetur. Iccir co reſpondere Paulum, atq; probare quod ſalus hæc ex æquo tum ad Iudæos tum Gentes quoq; pertineat. Sed uidemus Paulum in propoſito perſtare. Dixerat enim, Abrahæ fidem, non opera, imputatã eſſe pro iuſtitia: idem ergo temporis quoq; ratione excuſſa dilucidius proponit. Elegans autem & firma eſt temporis circumſtantia: utpote quæ & inter decẽ uoces generales & locos dialecticos ſit relata. Deinde enallage quoq; uocum obſeruanda erit. Vſurpauit enim rem pro perſona, præputium uidelicet & circumcifionem pro Abrahamo præputium habente & circumciſo. Nam quod non de alio quàm ipſo Abrahamo intelligi debeant, conuincit quod ſequitur, Dicimus enim quod imputata, &c. γαρ enim Cauſſalis eſt, ad ſuperiora reſpiciens: quaſi dicat, Hactenus quidem ſatis conſtat fidem Abrahæ pro iuſtitia imputatam: nunc uero perueſtigemus etiã quando imputata ſit, ante uel poſt circumciſionem? uel cuius rei reſpectu? Vtroq; enim referri poteſt πῶς ὃυν ἐλογίσθη, Sed reſpondet iam, Non in circumciſione, ſed in præputio. Igitur cum iuſtificatus ſit priuſquam circumciſus, claret quod iuſtitia illi non propter circumciſionem, ſed per fidem imputata ſit.

Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ fuerat in præputio,

De circumciſione.

Hanc ego crediderim eſſe anthypophoram, ſed & antiſtrephon. Anthypophoram quidem quod Iudæi obĩciebant, Si ante circũciſionem abſolute iuſtus erat, quid opus circumciſione? Hic iam per antiſtrephon reſpondet, circumciſionem in eos retorquens ſuoq; inſtituto accommodans. Credidit (inquit) Abraham cum nondum eſſet circumciſus, & ex eo iuſtificatus eſt: tandem uero acceſſit circumciſio, non quæ iuſtificaret, ſed ſignaculum eſſet iuſtitiæ fidei, hoc eſt, quæ ueluti teſtimonium ſacramentumq; eius rei eſſet quod fidei ſit iuſtitia. Non enim duntaxat dixit, Accepit ſignum circumciſionis, ſed addidit Signaculum, id eſt, ut ſignaculum eſſet, σφραγίδα, inquam τῆ δικαιοσύνης τῆ πίστεως. Vocauit autem σφραγίδα, notam impreſſam adeoq; ſigillum. Solemus enim fidei cauſſa obſignare quod certum et indubitatum eſſe uolumus, ſed & ſigillo fidem damus, & ſtipulationi præſcriptæ noſmet ueluti obſtringimus. Sentit ergo Paulus circumciſione ueluti ſigillo deũ obſignare uoluiſſe, quod fidei & nullius alterius rei ſit iuſtificatio: denicq; eos qui circumciſionem acceperint, ueluti ſacramento deo eſſe obuinctos, quod in nulla alia re, quàm in deo per fidem iuſtitiam quærere debeant. Id enim poteſt uerborum emphaſis, quod non modo dixit Signaculum iuſtitiæ, ſed addidit, Signaculum iuſtitiæ fidei, hoc eſt, quod fides ſit iuſtitia. Sic inquam in Iudeos retorſit ualidiſſime, quod ipſi ad defendendam operum iuſtitiam obĩciebant. Ad lucem & robur huius faciunt iam ea quæ ſequuntur.

ut eſſet pater omnium credẽtium per præputium, uidelicet ut etiam ipſis imputaretur iuſtitia, ſimul & pater circũciſionis eſſet, non eorum modo qui ex circumciſis ſunt, ſed & eorum qui ingrederẽtur ueſtigĩjs fidei, quæ erat in præputio patris noſtri Abrahæ.

Abraham pater credentium.

Cauſſam enim aſſignat cur Abraham primo ſit iuſtificatus, deinde uero circumciſus: nimirum ut ex eo liqueret & Iudæos & Gentes fide fore iuſtificandos. Primo enim quum ante ipſam circumciſionem & legem iuſtificatus ſit ex eo quod deo fideret, certum

tum Gentibus argumentum præstitit fore,ut & ipsæ iustificentur si credant, imò ex fide duntaxat,non ex circumcisione fore iustificãdas. Secundo.Addita est circumcisio, sed ut signaculum.Præuidit enim deus Iudaicam Gentem fore pertinacissimam, ideoq; circumcisionem Abrahæ dedit,ut hac ueluti sacramento adacti posteri eius omnem gloriam fidei tribuerent.Imò priusquam circumcideretur laudem iustitiæ adeptus est, qua re deus omnem carnalem gloriationem euacuare,& illud in primis uoluit ostẽdere, quod ad exemplum Abrahæ deo sit fidendum,modo quis iustificationem indipisci uelit.Vnde nos iam conijcimus illos demum ueros esse filios Abrahæ, qui fide & factis Abrahæ fidem & facta referunt,non illos qui carnaliter ab hoc nati sunt. Hic enim uidemus Patris uocabulum non usurpari pro eo qui genuit, sed pro exemplari secundũ quod mores nostros instituimus. Sic inquam omnium credentium pater est. Iam ergo sic licebit colligere.Exemplo Abrahæ uniuersa iustificandi ratio est expositа,ut hac cognita noueris quomodo iustificentur omnes mortales. Est enim populi dei pater,id est, speculum & exemplar.Cæterum Abraham neq; ex circumcisione, neq; ullis iustificatus est operibus,sed fide sola.Proinde cæteri quoq; mortales non ex operibus, sed fide duntaxat iustificabuntur.Hoc autem ueluti ariete ualidissimo concussa iacet istorũ opinio, qui Paulum aiunt,uel de legalibus tantum, uel ceremonialibus, non autem de operibus gratiæ loquutum.Nam Abraham fuit pater omnium credentium,&c. Ioan.8. Luc.19. Galat.3.

Fœcundus est præterea hic locus è quo nonnulli id dogmatis transumpsere,quod signa externa interiorem hominis fidem fulciant,confirment,imò & conferãt.Equidem si Apostolus dixisset circumcisionem esse signaculũ fidei,sanè uideri poterat id inde consequi:nunc uero cum expressis expositisq; uerbis dicat, Circumcisio est signaculum iustitiæ fidei,quis est qui nõ uideat quàm alienum sit à Pauli instituto,quod illi assuunt de suo?nisi hoc quod dicunt finant commoda & pia interpretatione exponi. Fidem re uera confert nemo nisi solus deus per spiritum sanctum, qui & uera est fidelium obsignatio,sine qua neq; uerbum ipsum dei,neq; sacramenta ullam habẽt uim.Nam sacramentis multi participant,qui tamen fide carent:id quod Simonis Magi,Iudæ quoq; Iscariotis,eorumq; demonstrari potest testimonio qui sibi iudicium edunt & bibunt. Rursus inueniuntur fidem habuisse,caruisse autem sacramẽtis. Similiter multis prædicatur uerbum dei,qui tamen non credunt.Notissima enim est illa euangelica sentẽtia,Multi sunt uocati,pauci uero electi.Vnde colligitur fidem neq; per sacramenta,neq; per uerbum & prædicationem hominis dari,aut illam per hæc confirmari. Quò sequentia testimonia pertinere uidentur. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Est scriptum in prophetis:Et erunt omnes docti à deo. Item, Caro & sanguis nõ reuelauit tibi,sed pater meus qui in cœlis est.Et iterum, Qui confirmat nos & unxit nos deus est, qui etiam obsignauit nos,deditq; arrham spiritus in cordibus nostris.Rursus,Non qui plantat est aliquid,neq; qui rigat,sed qui dat incrementum deus. Ita sanè deuoluuntur omnia ad impulsorem primum authoremq; omnium rerum deum uiuum, cui merito omnis cedit gloria semper. *De ratione sacramentorum.* *Solus deus dat fidem & cõfirmat corda.* Act.8. Lucæ 22. 1.Cor.11. Matth.20. Ioan.6. Isaiæ 54. Matth.16. 2.Cor.1. 1.Cor.3.

Quod autem scriptura medijs siue instrumentis,uel ijs qui utuntur instrumentis, & per quæ diuinæ res fiunt,ea tribuit frequentius quæ dei proprie sunt & per deum fiunt, per communicationem & tropum quendam fit. Non enim tollimus hac assertione nostra ministerium uerbi ut inutile & superuacaneũ. Agnoscimus enim hæc sacra scripturæ testimonia,Fides ex auditu est,auditus autem per uerbum dei.Item, Ego uos in Christo per euangelium genui.Et iterum, Christus dilexit ecclesiam,& semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mũdatam lauacro aquæ per uerbum.Cui haud absimile est quod in Actib.apostolicis ait Ananias ad Paulum, Surge & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Iesu. Agnoscimus Corneliũ fidem habuisse in deum priusquam audisset Petri de Christo prædicationem,attamen reiectũ esse ad Petrum,à quo uerbum uitæ audiat. Agnoscimus eundem accepisse spiritum sanctum priusquam sacro abluerẽtur baptismate,attamen hoc non ideo respuisse. Virtute itaq; dei omnipotentis credunt & purgantur sancti,qui interim sanctificationẽ externam & institutionem domini non *Quomodo sacramenta fidem dent & confirment.* Roma.10. 1.Cor.4. Ephe.5. Act.22. Act.10.

contemnunt, ideoq; confitemur deum ipsum uere & proprie docere, intus fidem dare, confirmare & sanctificare in corde inuisibiliter, uerbum autem & sacramenta foris uisibiliter. Quo nomine ministri uerbi appellantur à Paulo cooperarij dei, utpote per quos ille peccata remittit, homines ad se conuertit, consolatur & iudicat. Huc enim pertinent consequentia scripturæ testimonia, Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Item, Mitto te ad Gentes, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad deum uiuum, ut accipiant remissionem peccatorum, &c. Ita scribitur & de Baptista domini, Ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Heliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, & paret domino plebem perfectam. Et iterum, Si inquit Paulus prophetetis omnes, ingrediatur autem indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt. Quibus testimonijs audimus magna & diuina tribui ministerio ecclesiastico, uerum ea omnia ita sunt intelligẽda, ut uirtus & efficacia omnis domino soli ministerium ministris tantum tribuatur. Certissimum enim est hanc uirtutem diuinã nulli omnino creaturæ alligari, sed libera dei dignatione dispensari ijs quibus, quantum & quando & per quos ipse dominus uult. Certissimum item est, omnia ea quæ sub sensum ueniunt, hoc est, aures percellunt, & oculos perstringunt, nihil efficere per se, nisi interior & diuina uis accedat quæ hominis pectus transuerberet, capiat, teneat, trãsformet. Hoc ipsum de hoc negotio disputauit etiã doctissimus & pijssimus ecclesiæ doctor Aurel. Augusti. cuius nunc bina ascribo testimonia, quæ fortassis annotasse sufficeret, si omnibus essent Augustini codices.

1. Cor. 3.
Ioan. 20.
Act. 22.
Lucæ 1.
1. Cor. 14.

Augusti. testimonia de ui uerbi & sacramentorum.

Prius testimonium extat Tractatu in Ioan. 26. in cap. Ioan. 6. & est huiusmodi, Oñes regni illius homines docibiles dei erunt, non ab hominibus audiẽt: & si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruscat, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinsecus annunciantes? Quid facio modo ego cum loquor? Strepitum uerborum ingero auribus uestris. Nisi ergo reuelet ille qui intus est quid dico aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator. Qui plantat & qui rigat extrinsecus operatur, hoc facimus nos: sed neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus, hoc est, erunt omnes docibiles dei.

Verbum.

Sacramenta.

Posterius habetur Quæst. lib. 3. in Leuit. quæst. 83. & negotium ac efficaciã sacramentorum explicat, quemadmodũ superius expositum uim uerbi. Est autẽ huiusmodi, Aduertendum est quoties dicit, Ego dñs qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cum etiam hoc Mosi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moses sanctificat, & dñs? Non enim Moses pro dño, sed Moses uisibilibus sacramentis per ministeriũ suum, dñs autem inuisibili gratia per spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam uisibilium sacramẽtorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ uisibilia sacramẽta quid prosunt? Hactenus uero recẽsui Augustini testimonia. Sequitur autem in eodem loco, quod huc quoq; pertinet, ac disputationi nostræ clarissimam infert lucem.

De uisibili et in uisibili sanctificatione, an hæc siue illa prosit.

Merito, inquit Augusti. quæritur, utrum etiam ista inuisibilis sanctificatio sine uisibilibus sacramentis pariter nihil prosit. Quod uticq; absurdũ est. Tolerabilius enim quisq; dixerit, sine illis istam non esse quàm si fuerit non prodesse, cum in ista sit omnis utilitas eorum, sed etiam hoc quod sine illis ista esse non possit, quomodo recte dicatur intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni Mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit, sed quibus ista inuisibilis quoniã affuit profuit, etiam uisibilia sacramenta perceperant similiter baptizati. Nec tamen Moses qui uisibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificijs uel oleo sanctificatus ostenditur, inuisibiliter uero sanctificatum negare quis audeat, cuius tanta gratia præminebat. Hoc & de Ioanne Baptista dici potest, prius enim baptizator quàm baptizatus apparuit. Vnde eum sanctificatum nequaquam negare possumus, id tamen in eo factum uisibiliter non inuenimus antequam ad ministerium baptizandi ueniret. Hoc & de latrone illo cui secum crucifixo dominus ait, Hodie mecũ eris in paradiso. Neq; enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse

fuisse atq; profuisse fine uisibilibus sacramentis, quæ pro temporum diuersitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modo sint: uisibilem uero sanctificationẽ quæ fieret per uisibilia sacramenta fine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentũ uisibile contemnendũ est. Nam contẽptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius & qui cum eo erant, cũ iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen, nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat. Hæc omnia Augustini sunt.

De ratione signorum.

Paulus quoq; in præsenti duabus usus uocibus, mirã lucem negotio sacramẽtorum intulit. Prior est σημεῖον, quod nos uel notã uel repræsentationẽ, uestigium, & ut apud Fabium est indicium dicere possumus, uulgus non inepte exposuit signũ. Signum uero finit S. Augusti. lib. de Doct. Christ. 2. cap. 1. rem quæ præter speciem quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cogitationẽ uenire: ut uiso fumo ignem subesse cognoscimus. Hoc ipsum dicitur & Sacramentum, à sacrando nomen habens, significans rem sacratiorem, quã similitudine quadam refert. Græci homines σύμβολον dixere, quod in arcanis priscorum mysteriis tantũ uisebatur. Verbi gratia, In sacris Bacchi gerebatur cribrum, quo significabatur ebrios esse futiles. S. Augusti. finiuit Sacramentũ esse sacræ rei signũ, & inuisibilis gratiæ uisibile signũ, item uisibile uerbũ. Nam Sacramentũ constitutur ex duobus, ex signo uisibili & re significata inuisibili: siue, ut Irenæi uerbis utar, ex re terrena & cœlesti. Verbi gratia, in Baptismo uisibile & terrenum est aqua, inuisibile & res cœlestis est, regeneratio & adoptio in cœtum filiorum dei. In Eucharistia uisibile & terrenum est panis & uinum, inuisibilis & cœlestis res est ipsum corpus & sanguis domini traditum et effusus pro nobis, adeoq; uera corporis Christi & sanguinis communio, & per hunc parta salus ac peccatorum condonatio. Hæ uero res ab ipso nobis domino gratis conferuntur, recipiuntur autem in anima per fidem, at sacramentis ut signis uisibilibus repræsentantur offeruntur q; sensibus, idq; propter imbecillitatẽ nostram. Pulchre enim sacer Chrysosto. Homel. in Matth. 83. Si tu, inquit, incorporeus esses, nuda tibi hæc omnia tradidisset signa: quia autem corpori coniũcta est anima tua, in rebus sensibilibus ea quæ mente percipiuntur tradidit. Proinde sancti animum suum non intendunt in rem propositam & terrenam, sed hunc eleuant à uisibilibus ad inuisibilia, hoc est cœlestia. Egregie enim S. Augustinus lib. de Doct. Christ. 3. cap. 9. de Sacramentis loquens Christianorum, Pauca inquit pro multis, eaq; factu facillima, & intellectu augustissima & obseruatione castissima ipse dominus & apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi sacramẽtum, & celebratio corporis & sanguinis domini. Quæ unusquisq; cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate ueneretur. Vt autem literã sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, seruilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari, male uagantis erroris est. Cæterum quid in hoc Augustini testimonio sit literam sequi, item quid sit carnalis seruitus, siue seruilis infirmitas, præterea spiritualis libertas, cõiicere licebit ex consequentibus uerbis lib. eodem cap. 5. Principio cauendum est, ait, ne figuratã loquutionem ad literã accipias. Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, Litera occidit, spiritus autẽ uiuificat. Cum enim figurate dictũ sic accipitur, tanq; proprie dictum sit, carnaliter sapitis. Neq; ulla mors animæ congruẽtius appellatur, q; cum id etiam quod in ea bestias antecellit, hoc est intelligentia, carni subiicitur, sequendo literã. Qui enim sequitur literam, translata uerba ficut propria tenet, neq; illud q̃d proprio uerbo significatur refert ad aliã significationẽ: sed si Sabbatũ audierit, uerbi gratia, nõ intelligit nisi unũ diem de septem qui continuo uolumine repetũtur. Et cum audierit Sacrificiũ, non excedit cogitatione illud quod fieri de uictimis pecorũ terrenisq; fructibus solet. Ea demũ est misera bilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturã corpoream oculũ mentis ad hauriendũ æternum lumen leuare non posse. Et rursus cap. 8. lib. eiusdẽ, Christiana libertas inquit eos quos inuenit sub signis utilibus tanquam proprie inuentos interpretatis signis quibus subditi erant, eleuatos ad eas res quarum illa signa sunt liberauit. Ex quibus Augustini uerbis colligimus eos uenerari spirituali libertate sacramenta,

Sacramentum.

Sacramẽtum ex duobus constitui tur.

Quare uisibilia sacramenta?

A uisibilibus ad inuisibilia mens eleuanda.

Literam sequi.

Carnalis seruitus.

Spiritualis libertas.

qui neq; literæ inhærent, neq; res uisibiles & elementares, ut aquam, uinum & panem, ceu in ipsas res transmutata colunt, sed per illa admoniti in ea efferuntur quæ per hæc re

Canones de sacramentis Nicæni Consilij.

præsentantur. Hoc ipsum hoc modo præscribunt Canones sacri Niceni consilij duo, quorum alter de sancto Baptismo, alter de diuina mensa siue mysterio corporis & sanguinis Christi conscriptus est. Prior hic est, Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus consyderandum est. Aquam uides? νόησον τὸν ἐν τοῖς ὕδασιν κρυπτόμενον τοῦ θεοῦ λόγον, id est, Considera in aquis uelut in arcano absconsam esse diuinam uim. Nos enim spiritu sancto & igni baptizari tradunt sacra eloquia, &c. Posterior hic est. Iterum etiã hic in diuina mensa ne HVMILITER INTENTI SIMVS ad propositum

Contemplatio fidei.

panem & poculũ, sed EXALTATA MENTE FIDE CONSIDEREMVS, situm esse in sancta illa mensa agnum dei tollentem peccata mundi, qui non uictimarum more à sacerdotibus sacrificatur, & pretiosum illius corpus & sanguinem uere sumentes nos credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Nam propter hoc neq; multũ accipimus,

Non est cibus corporalis.

sed parum, ut sciamus quod hæc non satietati, sed sanctimoniæ seruiant. Atq; hæc quidem de altera uocula qua hoc loco utitur Apostolus.

Sacramenta sigilla siue testimonia rerum diuinarum.

Posterior est σφραγίς, quæ figillum significat: σφραγίζειν enim est obsignare, & quodam modo cõfirmare. Et figillum testimonij & fidei gratia imprimitur. Imitatur autem diuina bonitas hominum morem, apud quos fœdera, testamẽta, promissiones aut contractus non tantum uerbis transiguntur, sed confirmantur etiam aliquo modo scriptis tabulis & obsignatis. Deus enim agit nobiscum uerbis præcipue siue promissionibus, quibus addit & signa ueluti uisibilia uerba & rei gestæ adeoq; beneficentiæ suæ, ueluti testimonia quædam. Verbis enim & signis testatur, quod nobis bene uelit, deinde obstringit se nobis & nos sibi, fidem nostram exercet, & nostri nos admonet officij. Nam signa

Gene. 17.

quid initiatos deceat referunt etiam. Verbi gratia, Init cum Abrahamo & posteris eius fœdus omnipotens, pactus se deum & seminis eius futurũ, largiturumq; abundantissime quæ ad necessitatem & ueram pertinent felicitatem. Præterea ab Abrahamo & posteris integritatẽ, fidem pietatemq; stipulatus est. Huic uero conuentioni quæ uerbis transacta est, adiecit signum uisibile Circumcisionem, quo & conuentionem istam beneuolentiamq; suam attestaretur & referret uisibiliter, & se nobis, & nos sibi obstringeret, fidem nostram exerceret, nosq; nostri moneret officij. Ideoq; ipsum signum nomine donat fœderis, quod uisibiliter totam fœderis rationem referret. Circũcisionem enim appellat fœdus. Deinde obstringebat suos signo, ne quem alienum colerent deum, in deo Abrahami omne præsidium uitæ collocarent, ab hoc per fidem sperarent salutem, & ut signo ita puritate quoq; uitæ ab alijs Gentibus essent separati, hoc est, ut ceruicem non indurarent, cordaq;, os, aures, denicq; omnes circũciderent animi affectus. Ita enim Apo

Coloss. 2.

stolus ad Colossenses appellauit baptismum circumcisionem Christi, & in præsenti eandem appellat signaculum iustitiæ fidei. Equidem ad eundem modũ habet & Baptismi ratio. Bene uult nobis deus, adoptat ergo gratis in filios per Iesum Christum, per hunc purgat & regenerat nos in spiritu sancto. Id quanquam in anima hominis inuisibiliter fiat, adhibetur tamen uisibile signaculum Baptismi, hoc est, tinguntur in nomen patris, & filij, & spiritus sancti quotquot diuinæ promissionis sunt participes. Ista uero ceremonia diuina prodit suam beneuolentiã fidelibus, & obstringit se baptizatis dominus, consecratq; illos sibi, offerens illis gratiæ suæ symbolum siue testimonium, diuinaq; actione admonens, adeoq; obligans initiatos, ut in nemine summam felicitatis constituant, nisi in se uno solo uero uiuo & æterno deo. Itaq; fit Baptismus quemadmodum & Circumcisio signaculũ iustitiæ fidei. Refert idem quid initiatos deceat, uita noua. Ergo quoties administratur Baptisma sanctũ, toties tabula & sigillum æterni fœderis profertur, exercetur fides omnium, monentur officij sui omnes, audiunt & uident diuinæ gratiæ testimoniũ omnes. Ita habet & Eucharistiæ negotiũ, de quo alibi disputatur copiosius.

Argumẽta à sacramentis petita.

Certe ab hac sacramentorum ratione sæpe transumpserunt argumẽta, quibus & docuerũt, & nos officij nostri monuerũt, adeoq; & exhortati sunt sanctos, apostoli: quem admodum hoc loco ex circumcisionis obligatione conuicit fidem esse iustitiam, eò uidelicet

delicet quod circumcisio sit signaculum, hoc est, obligatio iustitiæ fidei. Hic autē necesse est sacramentum prodat, qui alibi quàm per fidem iustitiam quærit. Sic in 1. ad Corinthios 10. cap. obligatione Cœnæ dominicæ confutat istorum errorem, qui idolothytis uescebantur. Hoc enim prodebāt sacramentum illud quo ipsos sibi dominus membra fecerat, & in unum ecclesiæ corpus obstrinxerat: nunc enim de idolorum quoq; sacris participantes etiam satanæ membra fiebant. Obligatione item baptismi probabit in 6. huius capite, quod fideles innocentiæ studere debeant. Sic & typum agni paschalis tractauit in 1. Cor. 5. cap. Hæc uero per digressionem.

Non enim per legem promissio contigit Abrahæ aut semini eius, ipsum hæredem fore mundi, sed per iustitiam fidei.

Hactenus in genere ostendit Abrahamum nullis operibus iustificatum, quibus ante circumcisionem claruit, imò ne circumcisione quidem, sed sola fide: nunc uero ne quis operibus legis iustificatum suspicaretur hoc ipsum significantissime confutat, & probat fide tantum iustificatum. Et summam hisce duntaxat proponit, argumēta mox subiungit. Semen autē Abrahæ sunt, quotquot credunt, id quod iam audiuimus. Et promissio Abrahæ de dominio totius mundi hæreditate consequendo facta, carnaliter nunquam est impleta, neq; implebitur unquam, spiritualiter uero per Christum completa est, qui omnium Gentium salus factus, exaltatus, omnes ad se traxit. Author Cōment. in epist. ad Romanos, qui circūferuntur Hierony. titulo, hęc ita expositit, Siue ut in semine eius, quod est Christus, benedicerentur omnes Gentes, quæ illi in hæreditatē à patre sunt datæ. Siue ut cum eo recumbant Gentes in regno cœlorum. Et certè omnium simplicissimus sensus fuerit, si dicamus Paulum de ea promissione locutum, quæ extat Gene. 22. & citatur à Paulo in Galat. 3. In semine tuo benedicētur omnes Gentes. Huic eñ promissio ni credidit, futurū scilicet ut nasceretur aliquando q futurus esset totius orbis hæres, &c. *Lege non iustificatū Abraham.*

Si enim ij qui ex lege sunt, hæredes sunt, exinanita est fides & soluta est promissio. Lex enim iram operatur. Nam ubi non est lex, ibi nec transgressio.

Hæredes sunt qui Christi hæreditatis & animæ salutis unicæ participes sunt. Sed ex lege sunt qui per legem iustificari uolunt & operibus nituntur. Hæc ergo illa argumenta sunt, quæ superiori summæ adhibētur. Probat enim uarijs argumentis Abrahamū non ex lege, sed ex fide iustificatum. Ergo ex hæreditatis uocabulo tale quippiam colligere licet. Quæ hæreditate obueniunt, gratis obueniunt. Nam filij à parentibus hæreditatem non emunt. Obuenit autem iustitia hæreditate, ergo gratis etiam. Huc iam pertinent illa duo absurda. Primū, Si legi deberetur iustitia, iam fides euacuata esset. Lex enim nititur merito, fides gratiæ. Vel, Fides operibus certo non poterit fidere unq̄, ac acquiescere in illis, quandoquidem nunq̄ fit, ut hominis animus certò cōfidat se legi satisfeciſſe. Subit ergo hæsitatio demum & desperatio, qua exinanitur fides. Secundum, Soluta frustranea q̄ esset & promissio. Collapsa eñ fide, simul & promissio euacuata est. Præterea frustra promittitur quod uel ipsi habemus uel præstare possumus. Sic ad Galat. 3. Si ex lege est hæreditas, iam non est ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionem donauit deus, ergo non per legem. Hæc uelut ex pugnātibus: Sequentia petita sunt ex contrarijs officijs, ipsaq̄ ui legis. Iustitia pacat, Lex terret, ergo non iustificat. Quod enim iustificat pacat. Adijcitur sententia caussalis. Nam ubi non est lex, ibi nec transgressio. Hac enim probatur quod lex iram operetur. De quo in cap. 7. Ex quibus omnibus id quoq; discimus quod promissiones dei fide sunt suscipiendæ. Discimus item quæ sit uis legis: & q̄d omnes operum & meriti defensores fidem euacuant, & promissiones dei soluunt.

Iccirco ex fide datur hæreditas ut secundum gratiam, in hoc ut firma sit promissio uniuerso semini, nō ei modo qui ex lege, sed ei quoq; qui est ex fide Abrahæ.

Conclusio siue illatio est huius disputationis, nempe quod gratuito iustificētur Iudæi *Conclusio.*

atq; Gentes. Atqui ex proximo hæreditatem posuit pro salute siue iustitia: ut sit sensus, Igitur per fidem cõfertur iustitia. Iam ne quid ambigui superesset adiecit, ἵνα κατὰ χάριν, id est, ut secũdum gratiam, hoc est, ut gratuitum donum sit. Ineſt enim uerbis χάρισμα. Est & alia causa cur iustitiam uoluerit esse gratuitam, nempe ut firma sit promissio, quæ interim euacuaretur, si mereremur iustitiam operibus. Adde quod tum ne Gentibus quidem iustitia conferri posset. Nam si circumcisioni & legi ea deberetur, Gentes quæ ijs carent excluſæ essent: quod si à benedictione excluſæ essent, quomodo impleretur promissio dei, In semine tuo benedicentur omnes Gentes? Iccirco ut firma esset promissio uniuerso semini cum ex Iudæis tum Gentibus coalito, fide & non operibus uoluit mũdum iustificare deus. Atq; ita uides illationi egregias affixas esse causas. Alij hæc eò retulerũt quod sola fides in deum animam tranquillat, opera uero non item. Nouit enim conscientia omnia opera nostra aliquid habere uitij, ambigit ergo an ea quæ fecit, sufficiant. Proinde cum in rebus humanis unica petra firmitas q; sit ipse deus: nihil enim in creaturis firmum. Sola autem fide percipiatur deus: consequẽs est sola fide firmam fore promissionem. Hæc de conclusione, in qua admirabili ingenio paucis omnia cõplexus est, gratuito uidelicet nos iustificari per fidem, non per opera nostra, aut circũcisionem, aut carnalem prærogatiuam: omnes enim credentes filios dei & Abrahæ esse, Ioan. 1.

Gene. 13. & 17. qui est pater omnium nostrum: sicut scriptum est, Patrem multarum Gentium constitui te, coram deo cui credidit.

Hæc non tam ad præcedentia pertinent quàm ad consequentia uiam sternunt. Nam si intelligamus κατέναντι οὗ ἐπίστευσε θεοῦ, ad exemplum dei cui credidit, ut eruditi quique exponunt: iam pertinent & ad superiorum confirmationem. Nam sensus erit, Quemadmodum deus non est alicuius Gentis deus tantum, sed omnium ex æquo Gentium: sic Abraham non Iudæorum modo, sed omnium credentiũ pater est. His iam adde ut sensus perficiatur. Promissio autem Abrahæ & semini eius cõtigit, ergo & Gentibus, quia & ipsæ sunt semen Abrahæ: qui per fidem iustificatus est, unde consequens est omne semen Abrahæ fide iustificari. Si uero κατέναντι τοῦ θεοῦ intelligamus coram deo, uel respectu dei, ut Hebræi loquuntur, iam & ad consequentia sternunt uiam. Nam sensus erit, Et pater quidem multarum Gentium futurus erat, non sui, sed dei respectu. Abraham enim effœtis erat uiribus, deus autem uitæ restituit mortuos, &c. ut Paulus hæc, Coram deo, ueluti expositionis gratia de suo adiecerit: quasi dixerit, Idq; dei respectu factum est cui credidit. Nam sicut credidit, sic ei etiam usu uenit. Quia enim hactenus docuit sola fide iustificatum esse Abrahamum, nunc pergit illam præclaram Abrahæ fidem exactissime per digressionem describere, ut sciremus quæ nam fides in Abrahamo fuerit, quæ nobis imitãda sit. Primo ergo paucis adumbrat quæ uis dei: deinde quomodo se illi crediderit Abraham.

DIGRESSIO.

qui uitæ restituit mortuos, & uocat ea quæ non sunt tanquam sint.

De uera fide. Obiectũ fidei deus est. Deus ergo qualis sit prædicandus est, ut homines illi tuto possint fidere. Duo ergo maxima in deo sunt uita & omnipotentia. Ipse enim cum uita sit omnium, omnia quoq; ex nihilo condidit, condita admirabili prouidentia conseruat: quæ cum Abraham fide intelligeret, non erat quod anxie secum disceptaret quomodo effœtum corpus restitui fœcundum q; reddi posset. Deinde cernebat oculis fidei sine omni negotio deum posse ex impia Gente pijssimam efficere: quo & Baptista respexisse uidetur qui dixit, Dico uobis quod possit deus facere, ut ex lapidibus his filij surgãt ipsi Abrahæ. Sed cur non audimus Paulum ipsum sese exponentem?

Qui præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarũ gentium, iuxta id quod dictum est, Sic erit semen tuum.

Hæc est illa præclara Abrahæ fides. Cõtra spem (inquit) sub spe uel in spe, hoc est, spei sese credidit. In humanis nihil erat quod sperare: at in deo nihil non sperabat: ipse enim spes omnium rerum sufficientia & copiæ cornu est. Et nonnulla quidem exemplaria habent ἐπ' ἐλπίδι in spe uel sub spe: pleraq; uero ἐλπίδι ἐπίστευσεν spei concredidit: sed in

idem

idem recidit. Dicimus enim ſub ſpe pro ipſæ ſpei. Et ſpei quidem uocabulo uti maluit q̃ fidei, auguſtius em̃ illud quàm hoc, utpote quod & credulitati poteſt aptari. Eraſmus, Eſt autem iucunda (inquit) contrariorum inter ſe relatio: quaſi dicas, Sperabat in rebus deſperatis: & cum ſpes non eſſet, tamen ſperabat, ſibi diffidens, deo fidens. Locus autem citatus extat Gene. 15. Subinde uero non loquitur tantum de promiſſione carnali Iſaac, ſed magis de ſpirituali in Chriſto domino completa. Nunquam enim innumerabiles fuerunt Iudæi, niſi per euangelij prædicationem, alijs atq; alijs ab ortu & occaſu acceden tibus, & cum Abraham recumbentibus, Matth. 8.

Et non infirmatus fide haud reputauit ſuũ ipſius corpus iamiã emor tuum, quod uidelicet circiter centum annos natus eſſet, nec emortuam Saræ uuluam.

Singula clarius enucleat, & ob oculos ſtatuit. Solet autem carnalis affectus uiſibilibus circumſtãtijs propius excuſſis plerunq; deficere. Id quod illorum querela ſatis coarguit, quorum meminit ſacra hiſtoria Numeri 14. & 13. Horum nihil inuenias in Abrahamo, qui carnales ſuggeſtiones fide oppreſſit. Neq; enim emortuum, id eſt, effœtũ ſuum cor pus uel uxoris ſenium ad concipiendum minime poſthac idoneum, tanti reputauit, ut omnipotentiæ dei anteferret: iam ſequitur quod ſenſum abſoluit,

Sed ad promiſſionem dei non hæſitabat per incredulitatem, ſed ro buſtus factus eſt fide, tribuens gloriam deo, certa perſuaſione cõcepta, quod is qui promiſerat, idem & præſtare poterat.

Conditiones ſa næ fidei.

Mira eſt in oppoſitione iucunditas, & mirabilior in rerum tractatione utilitas. Hinc enim diſcimus quæ ſint ueræ fidei conditiones & officia. Primo fides non hæſitat, diſpu dicat & contendit, ſed promittenti firmo ſimplicíq; accedit animo. Prius dixit, Non re putauit: hic dicit, Non hæſitauit. Græca uehementiora ſunt, εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, quaſi tu dicas: Verum incredulitate in promiſſionem dei contenden do aut hæſitando non peccauit. Pulcherrima uero eſt hæſitantis animi deſcriptio apud Maronem, qui de Aenea ſuo, magno curarum (inquit) fluctuat æſtu:

Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partes q̃ rapit uarias, perq; omnia uerſat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat late loca, iamq; ſub auras
Erigitur, ſummiq; ferit laquearia tecti.

Huc refer & ſententiam Iacobi ex cap. 1. Qui hæſitat mari ſimilis eſt, nec quicquã ſe im petraturum putet. Deinde quia conſtans eſt fides, ſubinde gliſcit & auctibus creſcit, ſeipſa indies ualidior. Reſpondet autem robur fidei ei, quod ſupra audiuimus, Non infirmatus fide. Tertium quod fidei proprium eſt, illud eſt, quod gloriam deo tribuit, illum uerum, uiuum, omnipotentem credit, illum inuocat, adorat & colit, & præter illum neminẽ, quæ unica dei gloria eſt. Quarto certa eſt & indubitata. Id enim poteſt uerbũ πληροφορηθεὶς: quaſi dicas, Certa perſuaſione accepta. Hinc ad Hebr. 11. fidem ſubſtãtiam eſſe dixit. Innititur enim rei certæ, ſicut ſequitur, Quod promiſit deus, præſtare poteſt. Huic enim iunge, Promiſit autem Abrahamum patrem futurum multitudinis, ergo præſtare potuit: unde iam factum, ut ſenio & impotentia carnis poſthabita ſe totum deo credide rit. Quibus ergo iam placet q̃d Apoſto. dixit fidẽ non hæſitare, ſed ſolido ſimplicíq; pe ctore rei pollicitę incũbere, placeat & illud quod nõ quiduis ex omnipotẽtia dei colligit, ſed cũ conditione dicit, Quod promiſit, id præſtare poteſt. Nã & propheta, Omnia (inquit) quęcũq; uoluit fecit. Obſeruemus ergo q̃d uelle præcedit facere, promittere ipſum præſtare. Rectiſſime em̃ Tertull. aduer. Praxeã, Non aũt (inquit) quia omnia poteſt face re deus, ideoq; credendũ eſt illum feciſſe, etiã q̃d non fecerit, ſed an fecerit requirẽdum.

De omnipotẽtia dei.

Erit enim aliquid deo difficile, id ſcilicet quodcunq; non fecerit: non quia non potuerit,
„ ſed quia noluerit. Dei enim poſſe, uelle eſt, & non poſſe, nolle: quod autē uoluit & potuit
„ & oſtendit, &c.

Quapropter imputatum eſt illi etiam ad iuſtitiam.

Nuſpiam ueluti bonus nauclerus cynoſurā uel ſcopum amittit, ubiq; redit. Hic enim nunc denuo infert, Talis autē fides, nempe tam ſolida & incorrupta, reputata eſt illi pro iuſtitia. Et ne quis hiſce auditis obijceret, Quid uero mea retulerit, quid Abrahæ pro iuſtitia imputatum ſit; præuenit Anthypophora & dicit,

Neq; uero propter illum tantum hæc ſcripta ſunt quod illi ſic imputata ſit, ſed etiam propter nos, quibus imputabitur, ſi modo credamus in eum qui excitauit Ieſum dominum noſtrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt ppter iuſtificationē noſtri.

Vſus ſcripturæ ſanctæ. Non uoluit (inquit) ſpiritus ſanctus tantū oſtendere ſcripturis quomodo Abraham duntaxat ſit iuſtificatus: quin potius, quomodo omne genus mortalium iuſtificari poſſit. Eſt enim Abraham pater & exemplar omnium credētium. Quid uero ad hæc dicent qui Paulum contendunt loqui de eorum operibus, qui ſub lege & non ſunt ſub gratia? Vnam enim eandemq; audimus eſſe iuſtificādi uiam ueterū uidelicet & noſtrum. Abraham autem etſi fidelis atq; in gratia eſſet, nullis tamen meritis, ſed fide duntaxat iuſtificatus eſt: quocirca neceſſe eſt ut etiam omnes Chriſtiani nulla alia re quàm fide uel gratia iuſtificentur. Audiuimus præterea obiectum fidei Abrahæ fuiſſe deum uiuificantē mortuos. Idem & nobis proponitur, ut credamus in eum qui filium ſuum Ieſum à mortuis excitauit. Abrahæ fides aucta eſt dum uaria diuinæ bonitatis argumenta indies accederent. Gliſcit & noſtra, quoties perpendimus, quod filium ſuum pro nobis tradidit, in quo & omnem plenitudinem donauit. Hic morti traditus eſt, ut hoſtia corporis ſui peccata noſtra expiaret: & reſurrexit à mortuis, ut hoc ipſo cōprobaret mortem abolitam, uitam reſtitutam, & ueram iuſtitiam orbi eſſe partam, 1. Corinth. 1. & 15. Deniq; ut intelligeremus nobis quoq; in uitæ nouitate ambulandū. Talis ergo debet eſſe fides noſtra, & proculdubio ex gratia nobis quoq; pro iuſtitia imputabitur.

CAP. V. Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus apud deum per dominū noſtrum Ieſum Chriſtū, per quem & aditum nacti ſumus fide in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ dei.

Conſequentia fidem. Ex conſequētibus & fructibus uel officijs uel effectibus fidei, ipſam clarius ponit ob oculos, docens ex fide exiſtere conſcientias tranquillas, ſecuritatem & liberum ad deum aditum, patientiam, conſtantiam, ſpem atq; gaudium. Principio qui fide iuſtificati ſunt pacem habent. Nam qui ederit ex hoc pane (inquit dominus) non eſuriet in æternum. Quid enim deſiderare poſſit, qui Chriſtum, in quo omnis plenitudo eſt, poſſidet? Proin

Pax. de pacato animo eſt qui credit. Qui uero non credit, is nullam pacem habet. Nullis autem rebus niſi fide tantum tranquillitas animorum paratur: hinc ſignanter addidit, Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Sunt qui in ceremonijs & conſtitutionibus humanis pacem quærant, ſed à pumice aquam poſtulant. Habet & illud ſuam emphaſim, quod ait, Pacem habemus apud deū. Nam Ioan. 16. legimus, Hæc loquutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis: in mundo afflictionem habebitis. Item, Non ueni pacem mittere, ſed gladium. Et iterum dicit dominus, Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Recte ergo diſtinxerunt qui duplicem eſſe pacem tradiderunt, externam uidelicet & internam. De interna quæ animi eſt tranquillitas hic loquimur. Externa uero in duplici quoq; eſt differentia. Eſt enim bonorum conſenſus & concordia, ſancta quædam pax, cuius frequens eſt in ſacris mentio, quam ſi quis uiolarit, filij dei nomine indignus cenſebitur. Scriptum eſt enim, Beati pacifici, quoniam ipſi filij dei uocabūtur. Rurſus eſt quædam impiorum ſecuritas, quæ uoluptates amat, ueritatis nomine nihil pati uult, uerū omne id colit, quod ſua gaudia interturbat,

terturbat,imò & iuſtitiam & ueritatem hoc nomine perſequitur, ne huius quicquã uio letur. Et hæc illa impia pax eſt,quam ſe dominus ſuis daturum negat,imò quę & omnes pios perſequitur, qui tamen cum deo & ſanctis pacem habent. Deinde exoritur ex fide fiducia quædam,ut libere deum adeamus. Siquidem fides docet patrem filiȝ morte placatum eſſe illumq; humano generi bene uelle:ergo qui credit, deum libere adit in quibuſcunq; neceſſitatibus. Hanc fidei uim obſcurauit nobis Pontificia religio, quæ nobis tetra quædam de diuorum interceſſione obtruſit. Piȝ ſtant in gratia dei,& certo norunt uota ſua patri propter Chriſtum eſſe gratiſſima. Poſtremo fides certa eſt, adeoq; certa, ut etiam glorietur ſiue gaudeat de uita æterna. Nam ſuo more Gloriamur ſub ſpe gloriæ dei, dixit pro eo quod eſt, gloriamur de glorioſa ſpe dei,uita uidelicet æterna quam à deo expectamus. *Fiducia.*

Nec id ſolum,uerum gloriamur etiam ſuper afflictionibus, ſcientes quod afflictio patientiam pariat,patientia uero probationem, probatio autem ſpem,ſpes autem non pudefacit, quod dilectio dei effuſa ſit in cordibus noſtris,per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Καυχώμεθα, gaudemus potius quàm gloriamur. Ex fide autem manat & patientia,& probatio,& ſpes,& dei dilectio. Eſt enim uirtutum quædam inter ſe connexio,ut uidere eſt etiam in epiſtola diui Petri poſteriore cap. 1. Paulus hoc loco orationem Gradatione figurat. Multa eaq; lectu digniſſima ſcripſit de patientia inclytus dei martyr Cyprianus ad imitationẽ magiſtri ſui Tertulliani uiri grauiſſimi. Et diuus Petrus, Ne quis (inquit) ueſtrum affligatur ut homicida, aut fur, aut facinoroſus. Porrò qui affligũtur & patientia uincunt, iȝ ceu aurum in igne probantur, quod adeò non perit, ut ſubinde reddatur purius. Malis enim exercitati ipſa re diſcunt diuino auxilio nihil eſſe præſentius,unde & poſtea deo tam benigno firmius adhærent & in malis durant, expectantes illius opem, qui nunquam non eruit inuocantes ſe. Hæc autem illa ſpes eſt,quæ non fallit. Nam pro pheta dicit, Omnis qui crediderit ei,non confundetur. His omnibus adȝcitur cauſſa efficiens ſpiritus ſanctus,qui copioſiſſime in pectora noſtra effudit dilectionẽ dei, quæ quidem facile aſperrima quæq; & inſuperabilia ſuperat, quod amanti nihil ſit difficile. Aut hic erit ſenſus. Iccirco credentes confundi non poſſunt, quod per ſpiritus ſancti inſtinctum didicerunt maximam illam dei erga humanum genus dilectionem,qua ſe tradidit pro nobis, ſicut nunc ſequitur. *Patientia.* *Spes.*

Chriſtus enim cum adhuc eſſemus infirmi, ſecundũ tempus pro impȝs mortuus eſt. Nam uix pro iuſto quiſquã morietur. Siquidem pro bono forſan aliquis etiam mori ſuſtinet. Commendat ergo ſuam charitatem erga nos deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Sumpta occaſione per comparationem amplificat beneficium per Chriſtum humano generi præſtitum. Solent enim apoſtoli pro ſuo officio ubicunq; ſe obtulerit dicendi commoditas differere de beneficio dei nobis in filio præſtito. Faciebat præterea hæc tractatio ad euidentiam primariȝ negotiȝ, ad quod iam paulatim redit, oſtendens nos gratuito iuſtificandos. Quia igitur de dilectione dei dixerat, copioſiora per epanaphorã & exegeſim ſubiũgit, Chriſtus enim cum adhuc eſſemus, &c. Agnoſcis nimirũ cauſſalem Enim. Commode autem annotauit Eraſmus, Secundum tempus, uel ad præcedẽtia uel conſequentia referri poſſe. Si ergo referatur (inquit) ad infirmos, mitigat quod dictum eſt, quaſi infirmitas illorum tempori ſit imputanda, quo nondum apparuerat euangeliȝ gratia. Sin referatur ad mortuus eſt, intelliges illum idoneo tempore & à patre præſcripto mortem oppetiȝſſe. Occubuit ergo pro impȝs Chriſtus: quod quidem plurimũ derogat illis qui uel ſuis meritis prouocatum credere poterant filium, uel deũ hominis pro peccatis hoſtias ſuſcepturũ. Quomodo enim mereatur quid impius? uel quorſum opus erat filium innocentem morti tradere, ſi noſtra placare poterãt opera? His iungitur iam *Dilectio dei.*

gratiæ diuinæ amplificatio. Nam per collationem subiungit, Nam uix pro iusto, &c. Iustum autem & bonum per heterosin rem iustam & bonam significat. Origenes utroq; modo edisserit pro iusto uiro & iusta caussa. Iam sequitur illatio, Cõmendat ergo suam charitatem erga nos deus, &c. Nam particula ἔτι poscentibus omnibus circumstantijs, per ergo siue inquam uel aliam similem exponenda est. Paria legis in 1. Ioan. 4. cap.

Multo igitur magis iustificati nunc per sanguinem eius seruabimur per eum ab ira. Si enim cum inimici essemus recõciliati fuimus deo per mortem filij eius, multo magis recõciliati seruabimur per uitam ipsius.

Quorsum uero hæc? Eò pertinent, ut sentiamus spem nequaquã afficere pudore, sed tantam esse gratiæ uim, tantam meriti Christi potentiam, ut plenissime credentes conseruet. Verba plana sunt. Quibus manifestum fit nos nulla alia re mũdari, quàm sanguine Christi: id quod fusissime tractauit idẽ Apostolus in epistola ad Hebræos. Ira deniq; hoc loco iterum sumitur pro uindicta & damnatione. Et omnium sententia constat uitam morte præstantiorem esse. Iam si morte potuit diuinum orbi placare numen, certe uita sua multo magis credentes seruare potest. Nam ad Hebr. 7. legimus, Christus perpetuum habet sacerdotium: unde & eos plene potest saluare qui per ipsum adeunt deum, semper enim uiuit in hoc, ut interpellet pro illis.

Non solum aũt hoc, uerumetiam gloriantes in deo per dominum nostrum Iesum Christũ, per quem nunc recõciliationem assecuti sumus.

Hæc non modo amplificationis gratiæ diuinæ, sed & clausulæ speciem habere uidentur: quasi dicat, Hinc uero liquet cur tantopere gloriemur exultemusq;. Siquidẽ per domini nostri Iesu Christi reconciliationem tantopere confirmati sumus, ut etiam de ipso deo possimus gloriari, illum ipsum deum nostrum esse, &c.

Propterea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac propter peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit quandoquidem omnes peccauerunt.

REDITVS. Hic tandem fit ad summã caussæ reditus à digressione qua hucusq; de uera fide disseruit. At ipsum orationis filum quod de cõmendatione beneficij gratuiti iam contextum est, pulchre hanc sibi sequentem connectit tractationem, qua Paulus ueluti de nouo omne negotium peccati gratiæ & iustificationis ob oculos reuocans, altius omnia ceu ab ouo, quod dici solet, ordiens, indicat quæ sint uires humanæ, unde peccatũ, qui eius effectus, unde gratia, uita & iustificatio: quæ omnia ut uegetiora & perspicatiora essent, uelut hypotyposi quadam perq; contentionem demonstratiuam Adamum & Christum Iesum commissos, auditoribus spectãdos uiuacissime proponit, ab illo deducens peccatum & mortem, ab hoc uero gratiam & uitam: certe in hoc ne quisquam posthac suis uiribus, meritis aut operibus iustificationẽ uel uitam tribueret, sed solæ gratiæ per fidem, qui huius caussæ status est primarius. Et omnia ad statũ rerum referenda esse authorum argumenta censent eruditissimi quiq;. Ergo particula διὰ τοῦτο Propterea, uel connexionis est particula, uel non ad præcedentia uerba tantum, uelut nota illationis, referenda erit, sed ad generalem totius caussæ sensum: quasi dicat, Iam uero quod redemptioni per Christum præstitæ omnem gloriam iustificationis tribuimus, homini contra prorsus adimimus, haud temere fit, Nam ab homine nihil nisi peccatum est, &c. Præterea disputatum est hoc loco ab eruditis de absoluta huius loci sententia, & quomodo ea possit restitui. Nam hoc membrum, quemadmodum per unum hominem, &c. nõ habet quod ex æquo respondet. Est ergo qui sic absoluat, ut sit sensus, Quapropter ficut per unũ hominem peccatum in mundum intrauit, ita & per unum hominem intrauit mors: ut intelligamus utrunq; nobis ab Adam esse profectum. Vt quemadmodum ille peccauit, & ob peccatum in mortem incidit, sic nos quoq; peccantes in mortem incidimus. Origenes duas refert opiniones, quarum prior non magni momenti esse uidetur, Apostolum uidelicet studio quodam hanc partem imperfectã reliquisse, ne audientes à solo deo per Christum

Fontes peccati & gratiæ.

Christum proficiſci uitam redderentur ſegniores. Poſterior magis genuina eſt. Vult em̃ alteram partem in poſterioribus eſſe redditam, licet interuallo longiore, nempe illic, At non ut peccatum ita & donũ. Cæterum inuenias in ſacris innumera Anapodata, non illa quidem incuria aut inſcitia ſcriptorum admiſſa, ſed data opera neq; citra laudem. Breuitati em̃ ſtudentes, per ſeſe aliâs aperta, diligenti reliquerunt auditori reſtituenda. Quid enim uel hoc loco facilius fuerit quàm aſcriptum hoc membrum, oppoſito ad hunc modum reddere. Sic per unum hominẽ gratia ſiue peccatorum remiſſio in mundũ introijt, & propter gratiam uita, &c. Iam uero curioſius de peccato diſputare nihil aliud fuerit q̃ actum agere. Quid enim dici poſſet de hoc, quod non dixiſſent multoties noſtri æui homines eruditiſſimi, quorũ opera omnium teruntur manibus? Quid quod Auguſtinus aduerſus Pelagianos hoc negotij diligentiſſime uoluit reuoluitq; Quod ſi tu horũ omniũ fontẽ accedere malis lege. 3. cap. Gene. inde enim tranſumpſit quęcunq; hoc loco de peccato & morte ſcripſit Apoſtolus. Ego certe crediderim Apoſtolũ peccati nomine & hæreditariam ad peccandum procliuitatẽ, quam recte alij uocarunt originale peccatum, & uniuerſam hominis corruptionem comprehendiſſe. Quid enim aliud poſt ſe trahit propenſio ad peccandum quàm ipſam omnium malorum lernam cæcitatem, amorem ſui, odium dei & proximi, faſtidium rerum ſpiritualium & ſtudium rerũ carnaliũ? Hinc uero mors ermergit. Quia ſtipendium peccati mors: non utiq; corporea, quæ & ipſa ex peccato eſt, ſed animę. Dixit enim dominus, Quacunq; die ederis ex hoc ligno morieris. Edit autem, ergo mortuus eſt: non utiq; corporaliter, ergo iuxta animam: quanquam & ſuo tempore mors quoq; corporea ſequeretur. Breuiter, huc ſpectauit conſiliũ Pauli, ut cauſſas peccati ab homine duceret, imò & uniuerſum genus humanũ ſub mortem concluderet, in hoc ut uitã non niſi ex unico ſperaremus Chriſto. Licebit ergo ſic argumentari. Omnes peccatores mortui ſunt. Omnes homines peccatores ſunt. Ergo omnes homines mortui ſunt. Proinde qui uitam in homine quærit ὄνου πόκας ζητεῖ. Obſeruandæ autem ſunt iſtæ uniuerſales, Omnes peccauimus, In omnes homines mors peruaſit. Obſeruandum præterea quod peccatum & mors, id quod & in 1. cap. annotatum, ab homine, non à deo ceu authore primario proficiſcuntur, &c.

Peccatum.

Aſini lanas quærit.

Vſq; ad legem enim peccatum erat in mũdo: porrò peccatum non imputatur lege nõ exiſtente: imò regnauit mors ab Adam uſq; ad Moſen in eos quoq; qui non peccarant in ſimilitudine præuaricationis Adam, qui typus erat futuri.

Planioribus uerbis exponit ſeſe. Dixerat, Omnes peccauimus. Subijcit ergo eius confirmationem. Nam ad legem uſq; peccatum erat in mundo. Proinde omnes quotquot ante legem fuerunt homines Adamo prognati, ſancti etiã patriarchæ & prophetæ, peccatores fuerunt. Quod autem à multis peccatum forſan minus agnitum, inde factũ ait, quod peccatum non imputatur ubi non eſt lex. Per legem enim peccati agnitio. Atqui imputandi uerbum peccatores culpa non liberat. Nam & ſi homo non reputet, inde tamen non conſequitur quod deus non reputet, qui tum quidem legem naturæ pectoribus hominũ inſculpſerat. Quid quod ipſe dominus ante legem latam ad Caim dicebat, Sanguis fratris tui clamat ad me? Sed & ipſe Caim clamabat, Maius eſt peccatũ meũ quàm ut ueniam aſſequi queam: quod equidem minime dixiſſet ſi peccatũ ante legem non fuiſſet reputatum à deo. Hinc liquet apoſtolum id hominum reſpectu, imò & per comparationem dixiſſe. Idem enim illud peccatum quod ante legem reuera peccatum erat, lege accedente ſpectabile magis factum uidetur: quemadmodum & in 7. cap. audiemus. Quin ipſe Paulus hoc loco protinus adiecit, regnaſſe mortem ab Adam uſque ad Moſen, id eſt, à mundi exordio uſque ad legem latam. Cum autem mors peccati pœna ſit. Mors uero non modo inuaſerit omnes ante legem homines, ſed & imperium in eos quoq; habuerit, conſequens eſt omnes iſtos fuiſſe peccatores, ipſumq; peccatũ fuiſſe reputatũ. Nam ubi mors eſt, ibi & peccati imputatio. Iam & ſi (ait) poſteri Adæ non pecca-

Etiam illi peccatores qui ante legem.

rint illud ipſum peccatum quod protoplaſtes peccauit (id enim poteſt locutio Peccare in ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, de qua & in Comment. ad Hebr. 5. cap.) attamen ab eo ueluti contagio uitiati, omnes quæ ſua ſunt quærunt, ſeſe adamant, diuina uero negligũt. Siquidem illud quod natum eſt ex carne caro eſt. Atqui affectus carnis mors eſt. Proinde omnes ante & poſt Moſen mortales, quotquot item ab Adamo nati ſunt & adhuc naſcentur, ex natura filij mortis ſunt. Habes iam quid ex uniuerſo mortalium genere exiſtat, peccatum uidelicet & mors. In fine adiecit particulam quæ & ſuperioribus reſpondet, & conſequẽtibus anſam planiora copioſioraq; de hac re dicendi præbet. Nam cum dicit Adamum geſſiſſe typum τοῦ μέλλοντος, id eſt, futuri & expectati Meſſiæ, pauciſſimis uerbis ſuperiori membro alterũ iugum coniunxit: quaſi dicat, Quemadmodum per unum hominem peccatum & mors in omnes homines, qui uel ante uel poſt legem fuerunt, propagata ſunt: ſic uita quoq; & gratia non uni ætati aut certis hominibus, ſed omnibus in orbe credentibus conferuntur, neq; per alium quàm per unicũ Ieſum Chriſtum. Iam eadem illa ſententia commodam ſequentibus præbuit anſam.

Chriſtus ueterũ quoq; unica ſalus.

At non ut peccatum, ita & donum. Nam ſi unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia dei & donum per gratiam quæ fuit unius hominis Ieſu Chriſti in multos exuberauit.

Eſt enim hæc anthypophora ad pręeuntem ſententiam: quaſi dicat, Cæterum nemo intellexerit ab Adam ita proficiſci donum ut peccatum audiuimus profectũ: ſed eò ſpectat typus, quod ſolius Chriſti iuſtificatio ſit. Si enim unus ille Adam delicto ſuo totam neci dedit multitudinem, potuit & unius Chriſti Ieſu gratia omnem mortuorum multitudinem reſtituere uitæ. Eſt enim gratia dei peccatis noſtris & maior & efficacior. Proinde quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ſic per Chriſtũ omnes uiuificabuntur. Pulchra autem Antitheſi opponit peccato gratiam, & morti donum. Eſt autem gratia fauor dei erga nos gratuitus beneuolẽtiaq; numinis gratuita. Donum uero liberalis delictorum condonatio, quæ exiſtit ex diuina gratia, & confertur per Ieſum Chriſtum, qui & ipſe cum gratia tum donũ dei cognominatur. Nam Ioan. 4. Si noſces (inquit ad Samaritidem Chriſtus) donum dei, id eſt, illud munificum dei beneficiũ, quod orbi præſtitit me exhibito (ſequitur enim per expoſitionem, Et quis ſit qui tecum loquitur: quaſi dicat, Ipſe qui tecum loquor ſum illud dei donum) equidem à me petiſſes aquam ac refrigerium. Porrò ne quem uel illud offendat quod Paulus οἱ πολλοὶ multi inquam dicere maluit, quàm πάντες, id eſt omnes, quo tamen hactenus uſus eſt, annotandum & hoc, illud aliud quiddã ſonare Græcis q̃ Latinis, apud quos multi duntaxat paucis opponuntur, apud illos uero populi ſignificat multitudinem, atq; id fermè quod Latinis uulgus: unde & Origenes frequẽter πολλοὺς ἀντὶ παντῶν multos inquam pro omnibus expoſuit, imò ſic exponendũ eſſe indicat locus Matth. 20. qui perhibet Chriſtum impendiſſe animam ſuam λύτρον ἀντὶ πολλῶν redemptionẽ pro multis, hoc eſt pro omnibus fidelibus. Hanc enim emphaſim interim habere uidetur, quod infideles excludit. Etſi enim pro omnibus mortuus ſit, fidelibus tamen prodeſt duntaxat paſſionis meritũ. Obſeruanda item & illa particula Multo magis, quæ plurimũ conſolatur conſcientias afflictas, longe præferens diuinã gratiam peccato & morti. Chriſtus enim efficacior fuit in abrogandis ĩs, q̃ Adam in propagandis. Sed & illud expendendũ quod tam anxie urget uocabulum VNVS, quo iugulauit omnia omniũ hominum merita. Sunt tamen qui hoc loco ſophiſtices præfidio elabi conantes dicant, Vnum aliquoties uſurpari pro præcipuo: proinde præcipuã eſſe Chriſti iuſtitiã, deinde noſtram quoq; non prorſus contemnendã. Sic etiam unũ eſſe mediatorem, hoc eſt præcipuum ipſum uidelicet Chriſtũ, ita & diuos nihilominus interceſſores eſſe poſſe. Neq; eñ ſcribi ſolũ Chriſtũ eſſe mediatorem, ſed unũ. Cæterũ hoc ipſo ignorantiã ſuam produnt miſeri, quaſi uero unus non uſurpetur pro ſolus, maxime in hiſce locis in quibus circũſtantiæ id plus ſatis conuincũt. Quod ſi hoc peruerſiſſimorũ hominum commentũ recipiamus, fateri cogemur præcipuũ quidẽ eſſe deum cœli, interim uero alios quoq; deos non aſpernandos. Nam Paulus non modo dixit

Donum.

Multi uocula quomodo uſurpetur.

Vnus uel unicus & ſolus.

dixit unus est mediator, sed etiam, Vnus est deus: & deinde subiunxit, Et unus est mediator. Rectius ergo sentit Noui test. interpres, qui hanc eandem sententiam, οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰμὴ εἷς ὁ θεὸς, in Matthæo quidem uertit, Nemo bonus nisi unus deus: in Luca uero, Nemo bonus nisi solus deus. Proinde illi λογομαχίαν exercent, nos τὴν ἀλήθειαν. Habet & illud suam emphasim quod ait, Hominis Iesu Christi. Hoc enim ad nomen Adæ alludit, quod hominem significat, & mysterium, imò pretium incarnationis Christi refricat. Sic illud etiam suam habet ἔμφασιν quod non dixit, In multos deuenit, sed exuberauit, copiam significans absolutamq; & nulla prorsus parte deficientem redemptionem, quæ & in infantes originali labe infectos, & ideo iræ filios deriuatur, nisi maior sit Adæ in perdendo uis, quàm Christi in seruando.

Et non sicut per unū qui peccauit donum. Etenim iudiciū ex uno ad condemnationem, donum autem ex multis delictis in iustificationem.

Christus non unum tātum, sed omnia peccata deleuit.

Alia est Christi & Adæ comparatio, satis quidem difficilis & obscura, propter sententiarum breuitatem, loquēdi quoq; morem & anantapodaton, sed ijs incommodis medebitur quiuis per se, qui hęc nostra audierit. Primo in genere proponit apostolus aliud quoq; esse, in quo Christo cum Adam non cōueniat: illud uidelicet, quod donum non pari modo collatum sit, ut peccatum. Secundo adiungitur iam huius expositio per subiectam caussam uel sententiam. Nam unicum peccatum Adæ mortem, id est, condemnationem orbi induxit. Sed Christus non unum tantum peccatum condonauit, sed uniuersam peccatorum multitudinem expunxit, iustitiamq; absolutam & æternam induxit. Errant itaq; turpissime quotquot aiunt Christum uel pro originali uel ueterum peccatis tantum, perlitasse. Nam & Ioannes alibi, Sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato, nec nos tantummodo, sed & totum mūdum. Vocauit autem Apostolus κρῖμα, iudicium, crimen uel culpam, *ein schuld*, uel certe condemnatio est. χάρισμα uero, quod prius δωρεὰν dixit, nihil aliud est, quàm gratuitū beneficium. Significat enim χαρίζομαι largior siue gratis dono.

Etenim si per unius delictum mors regnauit per unum, multo magis qui exuberantiam gratiæ & doni iustitiæ accipiunt in uita regnabunt per unum Iesum Christum.

Planius nil dici potest.

Αἰτιολογία est comparationis præcedentis. Petita est autem à minori ad maius: quasi quis dicat, Si mortis tanta uis est, quantam putas uitæ futuram? Iterum enim peccato & morti opponit gratiam & uitam siue iustitiam. Cæterum abundantiam gratiæ dixit pro exuberanti gratia, idiotismo Hebraico: Doni autem iustitiæ dixit, quod ipsa iustitia donum sit. Omnia autem planissima sunt. Et sanè oportuit ea esse aperta, quæ futura erant fidei nostræ capita.

Itaq; sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per unius iustificationem in omnes homines ad iustificationem uitæ.

Sartienda est sententia ad hunc modum, Sicut cōdemnatio propter unius peccatum in omnes deuenit uel propagata est, ita & iustificatio uitæ in omnes qui credunt per unius Christi iustificationē deriuata est. Iam enim ex dissimilibus eluctatus, recta uerbisq; clarissimis Adæ Christum committit, indicans quid ab utroq; acceperimus. Ad huius collationis sensum facit & consequens comparatio.

Quemadmodū enim per inobedientiam unius hominis peccatores cōstituti fuimus multi, ita per obedientiā unius iusti constituent multi. οἱ πολλοί.

Inobedientia quidem siue incredulitas illud ipsum peccatum est, de quo loquimur, In credulitas enim inexhausta est mali materies. Atqui id mali morbi uel incendij restinxit obediētia sua dominus, de qua pluribus ad Philip. 2. Hæc autem est illa egregia Pauli demonstratiua contentio, qua, ni prorsus stupidi sis ingenij, didicisti unius hoc est solius

Christi esse iustitiam quam nobis ex gratia communicat, & non propter merita aũt ope
Vnicum apostolorũ institutum. ra nostra. Didicisti item q̃ nobilis & efficax sit mors siue redemptio Christi, & quàm late pateat: quæ omnia iam penitius inspicienda pio Lectori relinquo.

Lex autem subintrauit, ut abũdaret delictum. Vbi uero exuberauit peccatum, magis exuberauit & gratia, ut quemadmodum regnarat peccatum in morte, sic & gratia regnaret per iustitiam ad uitam æternam per Iesum Christum.

Lex peccatum non propulit. Ista pertinent ad expositionẽ superiorũ. Audiuimus enim peccatum fuisse in mundo ab Adam usq; ad Mosen. Iam uero ne quis putaret lata lege peccatũ esse sublatũ, hæc suppingit & ait, Tempore uero destinato accessit lex, non ea quidem quæ peccatũ expurgaret: sed magis augeret. Per legem enim agnitio peccati. Attamen hoc ipsum (inquit) ad decus gratiæ suæ splendoremq; misericordiæ instituit dñs. Hoc enim confert lex, ut per ipsam clarior & euidentior sit dei erga nos beneficentia. Quo magis enim eminet & sæuit peccatũ hoc magis elucet eius beneficiũ qui à peccato liberauit, &c. Et quamuis iam sæpius de lege cœpisset disserere, iustam tamen tractationem ad 7. usq; cap. differt. Illud autem in primis suo conuenit instituto quod dicit, νόμος δὲ παρεισῆλθεν: quasi dicas, Lex uero obiter irrepsit, nimirũ peccato quod tum in mũdo erat, neq; cõcusso neq; sublato.

Epilogus. Ista uero habuimus, amice Lector, de prima euãgelij parte, quæ est iustificatio uel peccatorum remissio, quæ non nisi per Iesum Christum confertur credentibus, eo potissimum nomine, quod ille solus sit iustus & sanctus, nos contra omnes corrupti & natura peccatores, & iccirco mortui & damnati. Iustificamur igitur omnes gratis sine merito & operibus nostris, sed per fidem tantum quæ est in dominum Iesum, cui sit laus & gratiarumactio semper.

QVOD BONIS OPERIBVS EXERCEANTVR FIDELES.

Occasio sequentium. Duo sunt quæ carnales parumq; in rebus spiritualibus exercitati Caussæ hactenus actæ opponunt. Primum, Si bona opera nihil conferunt ad iustificationem, neq; quicquam merentur qui bona opera faciunt, nimirum nequicquam etiam prosunt: indulgebimus igitur genio, quandoquidem satis erit si credamus, imò profuerit etiam si peccemus: ita enim abundabit gratia. Secundum, Si ne lege quidem paratur iustitia, sed ea potius peccatum augetur, iam necessario consequitur legem non modo inutilem esse, sed etiam malam, utpote quæ malum ipsum per se quidem satis amplum, amplius etiam efficit. Eadem illa obijciũtur nobis & hodie, ab ijs maxime, qui nihil boni iustiue operis uel unquam fecerũt, uel etiamdum facere uolunt, cum sint abominabiles, uerbi dei hostes, crudeles, immorigeri & ad omne opus bonum reprobi. Istis ergo respondet consequentibus, initio docens fidelem hominem innocẽtiæ studere: deinde legem dei bonam esse ac utilem. De priori primo disserit, ijsdemq; orbẽ arguit, iuxta uerbũ Christi, de iudicio.

CAP. VI.

Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo post hac uiuemus in eodem?

Officium credentis. Obiectionem calumniatorũ initio ipse ex fine 5. cap. producit, deinde confutat. Recte enim aiunt prudentis doctoris esse ita tradere iustitiã, ne interim iniustitiæ aperiatur fenestra. Confutatio autem petita est ex effectu fidei & natura hominis Christiani. Fides enim uera iugulat carnis affectus. Eadem efficit Christianum, qui nunc per fidem ueluti natura immutata, pristinæ uitæ congenitisq; defunctus moribus nouã uitam uiuit, quã nisi quis uixerit, Christianus non erit. Nunc ergo interrogatione uehementiorẽ reddit orationem Apostolus, ac dicit, An uero quisquam tam demens, ut tam impia de pio credat? Minime gentium id ex fide cõsequitur quod obijcitis. Tam enim impossibile est ut fidelis in peccatis maneat, quàm impossibile est ut mortuus uel edat uel disputet. Peccamus equidem Christiani, sed in peccatis non manemus. Nam Christianorũ uita est perpetua pœnitentia, luctа & uitę custodia. In hac enim iam quidem succũbimus, mox uero iterũ eluctamur. Alij hęc sic exponũt, ut dicant inuersionẽ factã hanc, Imò ideo iustificati

estis

estis ut bene operemini. Vt si quis hoc modo argumentetur, Labor non prodest ægroto: ergo etiam curatus nihil agam. Respondendum erit per inuersionem ex caussa finali, Imò ideo curatus es, ut deinceps labores, &c.

An ignoratis quod quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo ipsi sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Dixit Christianos omnes peccato esse mortuos, atq; uelut ex officio, studere innocentiæ, idem iam & baptismi mysterio excusso clarius retractat, suoq; more orationem interrogatione figurat. Totum uero negotium in hanc contrahi potest ratiocinationem, Quicunq; baptizantur in Christum Iesum, in mortem eius baptizantur. Cæterũ omnes credentes baptizantur in Christum Iesum: ergo omnes Christiani baptizantur in mortem Christi. Iam omnis uis argumenti in eo latet, quod in mortem Christi baptizamur, hoc si nouerimus quid sit, simul & cognouimus quæ sit mẽs Pauli, et quod baptismi mysterium, quæ eius obligatio. Est ergo in Christum uel in mortem eius baptizari nihil aliud quàm initiari ac astringi ad id, quod pristinæ uitæ mori atq; nouã in fide per Christum debeamus uiuere. Sequitur enim in ipsissimis Pauli uerbis expositio, Consepulti ergo ipsi sumus per baptismum in mortẽ, ut quemadmodum ille resurrexit à mortuis, ita etiam nos nouam uiuamus uitam. Quæ sanè ἀλληγορικῶς per similitudinem dicuntur. Nemo enim illi corporaliter cõsepelitur, sed mente duntaxat, tum uidelicet cum mundo renũciat. Illa uero gloria non est humanarum uirium, sed cœlitus inspiratæ uirtutis. Nam & Christus per gloriam patris, id est, per diuinam naturam resurrexit. Paulus ergo ab obligatione sacramenti baptismi sic argumentatus est, Omnes baptizati obligantur ad nouitatẽ uel innocentiam uitæ, proinde in peccato non manent fideles. Hinc iam facile fuerit uidere quod sit baptismi institutum uel mysterium. Principio enim constringit nos sub cultum religionemq; unius dei patris filij & spiritus sancti: deinde ad innocentiam, ut sancte & pie in hoc mundo uiuamus. In primis autem conueniebat huic instituto & aquæ elementum, quo maculas eluimus purgamusq;, & aspersio uel immersio, quo cõsignamus. Sed de hac re aliâs alij copiosissima ædiderunt commentaria, nos quædã in 4. huius epistolæ caput, &c. Habes & alios locos Pauli huic ancillantes ad Col. 2. atque 3. ad Ephes. quoq; cap. 4. & alibi, imò quæ sequuntur, singula clarissime exponũt.

De baptismo quædam.

Si enim insititi facti sumus illi per similitudinem mortis eius, igitur & resurrectionis erimus.

Confirmatio est superiorum. Traxit autem metaphorã ipsamq; argumenti uim ab agricultura atq; natura insitorum surculorum, qui succum eius trunci imbibunt, cui inseruntur. Dicit ergo Paulus, Si morti Christi sumus insiti, nimirum & resurrectionis erimus. Id est, Si Christo, ceu palmites uiti, sumus insiti, nimirum Christi spiritu uegetamur atq; ad nouam uitam, quę resurrectione significata est, animamur. Hunc autem esse genuinum sensum conuincunt sequentia.

Illud scientes, quod uetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut euacuetur corpus peccati, ne post hac seruiamus peccato.

Τοῦτο γινώσκοντες, Formula loquendi est apud Paulum, ueluti si nos dicamus, Isto uero hoc uoluimus. Vel, Ista autem similitudine hoc diximus. Est ergo expositionis nota. Iam enim sese exponit Paulus, et ait, Quod autẽ de sepultura et resurrectione, de insitione & morte hactenus dixi, sic debetis intelligere quod Christianorum sit ueterem hominem iugulare. Vocauit autem ueterem hominem illum nobis à primo parente geniũ inditum atq; congenitum, ad uirtutes quidem segnem, sed ad uitia promptissimum. De quo clariora habes ad Ephe. 4. Ille ergo uetus homo noster, id est ipsa cõcupiscentia, crucifigenda est, hoc est fidei claua indies pulsanda cõminuendaq; ne loris disruptis, effuso

Vetus homo. *Matthæi 16.* *Gala. 5.*

cursu in uitiorum procurrat campũ, ibiq; per omnis generis flagitia grassetur. Hue pertinet & illud, Vt euacuetur corpus peccati. Hoc enim exponitur quid sit crucifigere uetere hominem, nimirum euacuare atq; exhaurire temperãtia, uigiliis, ieiuniis, precibus,
Corpus peccati. atq; uirtutum studio, constantia & patientia, corpus peccati, id est, nosmetipsos qui nihil sumus nisi concupiscentia & peccatum merum. σῶμα, id nobis quoq; usitatum est. Dicimus enim, *der lybhafftig tüfel*, Corpus diaboli, pro ipsomet diabolo. *Der tüfel selbs.* Sic ad Colosſ. 2. In Christo (inquit Paulus) habitat omnis plenitudo dei σωματικῶς corporaliter, id est, re uera, non imaginarie, sed ipse deus. Aliâs enim neq; diabolus neq; deus, qui spiritus est, corpus sunt, & si Tertullianus angelis ac deo corpus indiderit, sed sui generis. Sequitur & aliud membrum, quod superius & fulcit & explicat, Ne posthac seruiamus peccato: ergo qui peccato cupiditatiue suæ amplius non seruit, sed iustitiæ uiuit, is corpus peccati aboleuit. Aliud est autem peccare, & aliud peccato seruire, quemadmodum longe aliud est peccare quàm in peccato manere. Nam omnes sancti peccant, quia homines sunt: sed in peccato non manent, & peccato non seruiunt. Quæ si probe teneas, multum difficultatis in scripturarum compugnantia superasti. Seruiunt autem peccatis qui carne superati genio indulgent, neq; à malo suo resipiscunt, sed in uia peccatorum & impietatis infixi, dolere desierunt, ut est in Ephesiis Pauli.

1. Ioan. 1.
1. Ioan. 5.

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.

Eadem generali confirmat sententia. Est enim hæc γνώμη καθολική, Qui mortuus est, à peccato iustificatus est. Hanc aliã allusionem ad uere mortuos habere putant. Mortuus enim omnino non peccat, imò peccare non potest. Ita & qui natus est ex deo non peccat. Sunt qui exponant per hanc saluatoris sententiam, Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lauet, sed mundus est totus, Ioannis 13. Sanè Paulus perstitit in allegoria, ac dicit eum demum esse uere fidelem & fide iustificatum, qui concupiscentiam & carnis affectum (ut aiunt) mortificarit, non eum qui multa de fide iactitet, impie interim uiuat, Iacobi secundo.

Quod si mortui sumus cum Christo, credimus q; et uiuemus cũ illo.

A præmio. At carni humanæ prẽmodum acerbum & difficile est, si semetipsam uel præmere, uel deserere, uel negligere debet, gemit ergo, anhelat, & in omnes formas se uertit, si uspiam aperiatur elabẽdi fenestra. Amaris itaq; dulcia, ueluti bonus medicus, miscet Apostolus, & obiter indicat, illam hominis mortem, felicissima & nunquam interitura compensandam fore uita. Sed & iustitia æquitasq; dei posc it, ut quos habuerit passionis consortes, eosdem etiam gaudii & felicitatis habeat participes.

Scientes quod Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominat. Nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel, quod autẽ uiuit, uiuit deo. Ita & uos reputate uosipsos mortuos quidem esse peccato, uiuẽtes autem deo per Christum Iesum dominum nostrum.

Summa. Retexit & in summam conijcit omnia, ut hactenus tractata & euidentiora & clariora sint. Porrò apostolico more splẽdidius & liberius de gloria ac merito Christi loquitur. Illum peccato fuisse mortuum, id est, propter peccatum. Nam iuxta Isaiæ prophetæ uaticinium, nullus erat in ore eius dolus. Sed & Latini dicimus Curium & Deciũ reipublicæ mortuos, id est, commodo uel propter utilitatem reipublicæ. Semel autem mortuus est, hoc est, semel immolatus est. Vnica enim hostia absoluit sanctificatos in perpetuum. De qua re multis disseruimus Comment. in Hebræ. Pauli ædito. Cæterũ amplius non moritur, neq; mors illi dominabitur, in æternum enim regnabit, sed & mortem confecit, qui est resurrectio & uita omniũ fidelium. Hæc de libertate apostolica & studio propagandi gloriam Christi. Nunc quod attinet uiuendi exemplum & pœnitẽtiam, ipsum inquam propositum nostrum, quid obsecro potuit clarius dici, q̃ quod dixit, Ita & uos reputate uosipsos peccato quidem mortuos, deo aũt uiuentes? Ergo à Christo Iesu non

tantum

tantum uita confertur hominibus, ſed & exemplum bene uiuendi pœnitendiq;. Impia Pontificis religio propoſuit nobis neſcio quos Monachorum patres ſuperſtitionũ ante ſignanos moribus imitandos. At ipſa ueritas Chriſtum Ieſum lucem mundi deiq; ſapientiam proponit. Neq; ſuperuacaneũ eſt quod adiũcitur, Per Ieſum Chriſtũ dominum noſtrum. Voluit enim hoc ipſo confutare illorũ arrogantiam qui nihil non ſuis tribuebant uiribus. In Galatis uitam (inquit) quã nunc uiuo in carne per fidem uiuo filiũ dei, &c. Hæc autem ad obiectionem impiorũ, qui iccirco quiduis licere putant quod unicæ fidei tribuimus iuſtitiam. Ex ĩis uero omnibus colligimus quomodo pœnitentia in nomine Ieſu Chriſti prædicari poſſit, nimirũ ad præſens Pauli exemplũ. Colligimus item quæ ſint officia eorum qui iuſtificati ſunt, quiq; fidei effectus, nimirũ innocentia quę eſt uitæ per mortificationẽ carnis cuſtodia, uirtutisq; ſtudium ardentiſſimũ. Quicunq; ergo in hoc ſtadio currunt fideles ſunt, qui uero id certaminis detrectant hypocritæ ſunt. Huc iam pertinet huius epiſtolæ caput 12. Iacobi quoq; apoſtoli locus in cap. 2. imò quicquid uſpiam in ſcripturis traditur de bonis operibus. Nam nemo noſtrũ unquam negauit bona opera, imò huc ſpectant omnia noſtra cõfilia, ut à peccatis auocemus homines, ad innocentię & uirtutũ inuitemus ſtudia. Interim uero cauemus ne per doctrinam noſtrã blaſphemetur diuina gratia, ne operibus id tribuat, quod gratiæ ſeu fidei eſt, atq; ita crucem Chriſti euacuemus. Fatemur ergo fidem ſine operibus mortuã eſſe, opera uero fidei fructus: ſed iuſtitiam non illorũ, ſed huius eſſe. Neq; uero quælibet etiam opera probamus, ſed ea duntaxat, quæ ex fide & charitate ſunt. Scimus enim dixiſſe dominũ, Fruſtra me colunt humanis traditionibus. Paulũ quoq;, Corporalis exercitatio parum habet utilitatis, at pietas ad omnia utilis eſt. Et iterũ, Omne quod non eſt ex fide peccatũ eſt. Item, Si omnes opes meas pauperibus impartiar, charitatẽ uero non habeam, nihil utilitatis capio. Vnde nos omnia Monachorum, Nonnarum, Sacrificorũ, omnium inquam impoſtorũ & hypocritarũ opera nihil utilitatis habere credimus, niſi quod inertiſſimorum (hominũ an aqualiculorũ dicam neſcio) ingluuiem farciunt, otiũ libidinem & gulam fouent. Atq; cum hęc dicimus, illi nos bonis operibus infeſtos eſſe clamitant, iam non agentes dei, ſed uentris ſui negotium. Vident enim uerſuti quò res ſuæ ſint perueniturę, ſi uulgus ſenſerit ueram uere bonorũ operum rationem. Sed redimus.

Pœnitentia.

Sententia de bonis operibus.

Ne regnet igitur peccatum in mortali ueſtro corpore, ad obediendum ei in concupiſcentiis ipſius. Neq; accõmodetis membra ueſtra arma iniuſtitiæ peccato, ſed accõmodetis uoſipſos deo, uelut ex mortuis uiuentes & membra ueſtra arma iuſtitiæ deo.

A genere didactico iam deflectit ad deliberatiuum: nunc enim hortatur ad uitæ innocentiam: quanquam ĩiſdem primis illis uerbis & prædiſputata claudat & ſequentiũ ſummam præmittat. In genere enim dicit, Ne regnet peccatũ in mortali ueſtro corpore. Vbi ſingula nobis excutienda, nempe quod peccatũ illud ipſum congenitum malum dixit, ipſam inquam concupiſcentiã, quæ ſi teneat imperium in quæuis ſcelera propellit. Deinde corpori noſtro epitheton non citra emphaſim addidit. Nam mortale uocauit, ueluti miſeræ ſortis noſtræ cõmonens, ut fragilitate permoti propria minus innitamur rei fallaciſſimæ minimeq; duraturæ. Sed & illud expendendũ quod non dixit, Ne ſit peccatũ in corpore ueſtro, ſed Ne regnet peccatũ in corpore ueſtro. Nemo eñ uel ſanctorũ eſt ſine concupiſcentia & peccato: uerũ nemo ſanctorũ peccato & concupiſcentiæ permittit imperium. Id enim hoc ipſum eſt quod per expoſitionẽ ſequitur, Ad obediendũ ei, nempe peccato, in concupiſcentiis ipſius uidelicet corporis uel peccati. Iccirco in illis non regnat peccatum, qui &ſi cupiditate & malo, hoc eſt peccato non careant, attamen genio non indulgent, ſed tumultuantes & in flagitia erumpere geſtientes affectus fide & temperantia cohibent opprimuntq;. Ad explicationem & ſubſidium huius facit iam & ſequens ſententia. Neq; accommodetis membra ueſtra, &c. Nam adiecta eſt ad illuſtrandum ſuperiorem. Cæterũ quod in illa corpus mortale dixit, id in hac mẽbra uocat. Sed mẽbra concinnius adhibebãtur armis. Arma uero inſtrumenta ſunt. Alluſit eñ ad rem

Cohortatio ad innocentiam.

Militia eſt uita hominis ſuper terra. Iob.

militarem, à corpore ad animum tranſiens, monensq; ne membra noſtra militiæ ſatanicæ impendamus. Finge enim nũc peccatum eſſe imperatorem aliquem, qui membris noſtris, hoc eſt nobiſipſis, animi corporisq; uiribus in militia iniquitatis abuti cupiat, ſtipendium offerat, inq; militiam ſuam alliciat. Hic ergo ſuadet Paulus ſolicitantem repellamus, uniq; deo fideliter militemus. Sequitur enim contrarium membrum, Sed accommodetis uoſipſos deo, ut membra ueſtra huic in iuſtitia militẽt. Huic interſerit Epicherema, Velut ex mortuis uiuentes. Id eſt, ſicut eos decet qui priſtinæ mortui uitæ nouam uiuere debent. Tam etenim turpe eſt Chriſtianum membra baptiſmo tincta ſcelerum militiæ tradere, quàm ad hoſtium caſtra amicis proditis & deſertis trãsfugere. Alĩ ſic exponunt quaſi uoluerit monere ut cum magno gaudio magnaq; alacritate nos offeramus deo tanquam ĩ qui carcere ſoluti uel à morte ſuſcitati ſunt, atq; ita alluſerit ad caput Ezech. 37. Porrò uenuſtus & copioſus eſt locus de militia ſpirituali & armis ſpiritualibus, de quibus cum multi tum ueterum tum noſtrorum plurima ædiderint, præſtat tamen quod Paulus hoc loco item ad Roma. 13. & in Epheſ. cap. 6. conſcripſit. Sunt & alia multa eius generis in hiſtoria ſacra & prophetis, quæ nos ſigillatim annumerare ac pro dignitate tractare non poſſumus, utpote qui non ſcribimus uel Declamationes uel Locos communes, ſed Commentariũ. Quiſq; pro ingenio eccleſiæ ſuæ ab his occaſionem accipiens congerat quod & utiliſſimum & commodiſſimum uideatur.

Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

Virtus et robur fidei.

Honeſto iungit facile. Sub honeſti enim locum ea partim pertinent quæ audiuimus. At cum rerum utiliſſimarum ſimul & honeſtiſſimarũ difficultatis opinione pleriq; terreamur, Apoſtolus id quidem præoccupat & ait, Neq; uero periculũ eſt ne nolentes peccatum uincat, uel tanta uirtute polleat, ut irruenti ac contra nos pugnanti reſiſtere non ualeamus. Imò longe præualemus. Quandoquidem amplius non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Hoc eſt fide in dominũ Ieſum percepta tales poſthac non ſumus, quales eramus cum in lege, id eſt, priſtina uita ageremus: nunc em̃ noui homines facti omnia poſſumus per eum qui nos ſpiritu ſuo cõfortat, & in hanc uocauit gratiam. Nam ſub lege eſſe nihil aliud eſt quàm eam uitam agere quam agũt qui adhuc ſub lege ſunt pauidi, attoniti, uiribus ſuis innitentes interim nihil agentes. Vel ſub lege eſſe, eſt ſub peccati dominio eſſe, ut lex accipiatur pro peccato quod lege indicãte cognoſcitur. Contra ſub gratia eſſe, eſt à peccato liberatum & nouum hominem factum eſſe, auxilium dei ſentire, & à ſpiritu ſancto agi. Quæ ſi expenderent quidam homines nequam, non dicerent, Ego huic peccato reſiſtere non poſſum. Hoc autem ipſo produnt ſe nullam habere fidem. Quotquot enim ſub gratia ſumus fideles, omnia poſſumus, equidem non noſtra uirtute, ſed per ſpiritum ſanctum, qui operatur in credentibus omnia bona. Vnde nimirum

De libero arbitrio ſentẽtia ueterum.

uiri quidam & eruditione & uetuſtate inſignes dogma ſuum de Libero arbitrio ſumpſere. Eſt enim Canon in Definitionibus eccleſiaſticis à re preſenti non omnino abludens, hic, Quod nemo niſi per Chriſtum libero bene utatur arbitrio: idem magiſter in epiſtola ad Mileuentanum conſilium data prędicat, dicens, Aduerte tandem ò prauiſſimarum mentium doctrina, quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur in præuaricationem præſumptione incideret. Nec ex hac potuit erui, niſi ei prouidentia regenerationis, ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti domini reformaſſet aduentus. Et paulò poſt, Ita deus in cordibus hominum, atq; in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omnisq; motus bonæ uoluntatis ex deo ſit, quia PER ILLVM ALIQVID BONI POSSVMVS, SINE QVO NIHIL POSSVMVS. Et plura alia huius generis quæ ſequũtur. Ex quibus conĩjcimus ueterũ opinionem de Libero arbit. longe pientiorem fuiſſe, q̃ nunc ſit ſcholaſticorum prorſus impia ſententia.

Quid igitur? Peccabimus quòd non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. An neſcitis quod cui accõmodatis uoſipſos ſeruos ad obediendum eius ſerui eſtis cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obediẽtiæ

ad

ad iuſtitiam? Gratia autem deo quod fuiſtis quidē ſerui peccati, ſed obe diſtis ex animo in eam in quam traducti eſtis doctrinæ formam. Liberati ergo à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.

Rara admirabili cp diligentia cauet ne uſpiam impingat lector uel anſam calumniandi arripiat. Quia ergo dixerat, Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia, ueritus ne quis conſilio eius minus expenſo peccādi licentiam arbitraretur abrogata lege ſuppeditatam, clarius iam oſtendit quatenus à lege ſimus liberi, & quid ſit eſſe ſub gratia ſine lege. Cæterū uniuerſum negotiū hoc ſyllogiſmo abſoluit, Eius ſerui eſtis cui obeditis, Obediſtis autem iuſtitiæ: ergo ſerui eſtis iuſtitiæ. Sic inquam ab oppoſitis per relatiuā rationem argumentatur. Nam ſeruitus opponitur libertati ſiue licētiæ, ſicut iuſtitia peccato. Sed ſeruitus & obedientia relatiuorum formam habent, niſi quis connexa malit. Sunt autem Loci à repugnantibus & connexis elegantes ſimul & firmi. Eſt etiam lepos & ſingularis gratia in alluſione, quæ ueluti orationis ſtella eſt. Allufit enim ad corporalem ſeruitutē. Præterea copioſe admodū propoſitiones ſyllogiſmi expoſuit. Principio autem obiectionem ueluti indignabundus excutit, ac dicit, Nequaquam. Deinde orationem interrogatione figurat, & ſyllogiſmum uelut cauſſam ſubiungit. Huius maior propoſitio eſt, Cuicunq; uos traditis ad obediendum, eius ſerui eſtis. Adiicitur diſtributiua expoſitio, qua & præmium & pœna exponitur. Siue peccato, cuius ſtipendiū mors eſt: ſiue gratiæ, cuius officium iuſtitia, & finis uita æterna eſt. Iam ſequitur minor propoſitio, Vos autem obediſtis iuſtitiæ. Eam uero longe aliis uerbis effert. Gratia (inquit) deo, id eſt laus & gratiarūactio ſit deo, quod fuiſtis quidem ſerui peccati. At quæ fuerunt (ut prouerbiū habet) iam non ſunt: ſed obediſtis ex animo, id eſt, uere. Hypocriſim enim odit deus: obediſtis inquam, id eſt conſenſiſtis in eam doctrinæ formam, in quam eſtis traducti. In quam obſecro? certe in euangelicam quæ tradit pœnitentiam uitæ cp innocentiam. Euangelium enim non tradit peccati licentiam, quod multi putant, ſed ſanctimoniā & puritatem. Sequitur nunc ſua ſponte illatio, ἐλευθερωθέντες δὲ, κατὰ ἐλευθερωθέντες ὅυμ. Liberati uero, pro liberati ergo, &c. Hinc uero liquet quid ſit ſine lege eſſe, nimirum à peccato liberatum, et ſub gratia, id eſt, iuſtitiæ dedicatum eſſe. Nec p aliud eſt Chriſtiana libertas, de qua nonnulli curioſius diſputantes eò recidunt, ut putent legem ablatam, ſcripturas abolitas, & nihil non admiſſum: obliti proculdubio ſententiæ apoſtolicæ ad Galatas prolatæ, In libertatem uocati eſtis, tantū ne libertatem in occaſionem detis carni, ſed per charitatem ſeruite uobis inuicem. Cui non abſimilis eſt & illa Petri, Tanquam liberi, & non ueluti prætextum habentes malitiæ liberalem, ſed tanquam ſerui dei. Sed de Abrogatione Legis pluſcula in Comment. ad Hebræos Pauli in cap. 7.

Quomodo à lege liberi ſimus.

Ioan. 8.

Libertas Chriſtiana.

Gal. 5.

1. Pet. 2.

Humanū quiddam dico propter infirmitatem carnis ueſtræ: quemadmodum enim præbuiſtis membra ueſtra ſerua immunditiæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatē, ſic & nunc præbete membra ueſtra ſerua iuſtitiæ ad ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ.

Alij hunc locum ſic expoſuerunt, quaſi Paulus dixerit, Cum poſſim multa à uobis exigere (quid enim nō debemus Chriſto pro nobis paſſo?) ſpectans tamen imbecillitatem ueſtram, hortor tantum, ut ſi iuſtitiæ non plus ſeruire uelitis, ſaltem ei tantum ſeruiatis, quantum antea peccato ſeruiſtis. Cæterū eandem rem dicit quam ſuperius, ſed per comparationem, à pari argumentum ducens, interim & contrarios effectus per ſimilitudinem quandam iungens. Dicit enim, Iam uero finge mihi duos eſſe dominos, alterum Peccatum, Iuſtitiam uero alterum: deinde te quidem priori deſerto adhæſiſſe poſteriori. At cum illi diuerſa à ſuis exigant miniſteria, ille quidem ut indulgeamus genio, de libidine trāſeamus in luxum, & omnis generis ſpurcitijs corpora noſtra contaminemus, hic uero ut ſobrietati ſtudeamus, & de uirtute migremus in uirtutē, & ſanctimoniæ incūbamus uitę: an non ipſa res iam clamitat ita iuſtitiæ nūc ſeruiendū ſanctimonia & puritate

Seruitus Chriſtiana.

uitæ, ut peccato olim ſeruiuimus in immunditia & uitiorũ cõſcelerata turba? His ſubiungitur γνώμη, Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ, id eſt, iuſtitiam negligebatis. Igitur ex contrario, Serui facti iuſtitiæ, liberi erimus à peccato. Recte enim dicitur eandem eſſe contrariorũ diſciplinam. De ſanctificatione plura in epiſtola ad Epheſios, & in 1. ad Theſſ. cap. 4. Ex iis autem quæ diximus claret iſtam ſentẽtiam, Humanũ quiddam dico propter infirmitatem carnis ueſtræ, expoſitiuã eſſe formulam: quaſi tu dicas, Scio carnem ueſtram, hoc eſt animi ſenſum ad res diuinas percipiendum paulò eſſe tardiorem, iccirco humanũ quiddam uobis dicam, id eſt, rudius & explanatius uobiſcum loquar, nonnihil humani & priſtinæ uitæ intermiſcens, ut uel ex anteactis & carnali ſer-
Ioan. 3. uitute ſpiritualem clarius intelligatis. Sic ipſe dominus Nicodemum rebus carnalibus in ſpiritualia uoluit inducere myſteria, &c.

Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors: nunc uero liberati à peccato, ſerui autem deo facti, habetis fructum ueſtrum in ſanctificationem, finem autem uitam æternam.

Fructus peccati & iuſtitiæ. Iam & ab utilitate & inutilitate uel fœditate rerum carnalium ad innocentiã uitæ trahit, & miro quodam modo utriuſq; cum peccati tum iuſtitiæ finem ac præmia inter ſeſe confert, huius extollens, illius uero deprimens, breuibuſq; omnia. Dicite (inquit) obſecro quodnam præmium priſtinæ uitæ reportaueritis? An non ipſa peccata ſecũ ſuum adferunt ſupplicium, dum hominem ita conſpurcant, ut nunc poſtquam refipuiſtis uelut à uitiorum temulentia inſaniaq;, pudeat uos ueſtri, animus quoq; à cogitatione priſtinarum uoluptatum abhorreat? Quò nimirum & illud ſummi Græciæ oratoris Demoſthenis referri poteſt, quod à Laide nobili Corinthiorum ſcorto pretium corporis licitatus, magno autem æſtimanti & decem denarium millia poſcenti, reſpondit, Ego uero pœnitere tanti non emo. Author A. Gellius in 1. noct. Attic. lib. cap. 8. Præterea quod finis ſcelerum ueluti condignum præmium mors atq; damnatio ſit, ex illa patefit Epulo-
Lucæ 16. nis & mendici tragœdia, quam dominus in Euangelio mirabili euidentia ſpectandam propoſuit. Virtutes autem per ſe quidem pulchræ & appetibiles, non modo in hac uita plurimum iucunditatis & commodi habent, ſed & in futuro ſæculo æternis donabũtur gaudiis. Imò qui moderate uiuunt, & rationem ſobrietatis ualetudinisq; habent, multo commodius & ſuauius hic quoq; uiuunt, quàm ij quibus luxus, crapula, & omnis generis intemperãtia cordi eſt. Ex ea enim ſunt corporũ & animorum morbi, aliaq; quæ à Plinio recenſentur mala Natur. hiſt. lib. 14. cap. 22. Quod ſi quis ſimiles ex Sacris, ex Seneca quoq;, & aliis ſcriptoribus ſententias congerat, hunc locum mire illuſtrabit.

Etenim obſonia peccati mors, donũ autem dei uita æterna per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum.

γνώμη eſt, qua ſuperiora confirmat. Porrò perſiſtit adhuc in ſuperiori metaphora à militia & Imperatoribus ducta. Milites enim cibis (ut ſcribit Eraſmus) alliciebantur ac donariis, ut hominum genus omnium longe uiliſſimum, quippe quod cibi uentriſq; cauſſa uitam habet uenalem. Hinc Ambroſius ſignificãtius reddidit mercedem uel quæſtum. Quod ergo prius finem uocauit, id hoc loco uocat obſonium, *Lyſerig*, ſtipendium. Nam τέλος non modo finis, ſed & ſalarium, uectigal & emolumentum eſt. Cæterum uiliſſimo obſonij ſalario opponitur ingenuum τὸ χάρισμα, id eſt donum, nempe æterna uita, quæ non obtingit nobis noſtro merito aut noſtra uirtute, ſed ex gratia per Chriſtũ Ieſum dominum noſtrum. Atq; hæc particula commode ſubijcitur exhortationi ad innocentiam. Voluit enim ea cauere ne quis pietatis & innocentiæ ſtudio iuſtificationem tribueret. Hactenus uero Suaſorios locos Honeſtum Facile atq; Vtile tractauit doctiſſime. Quod autem ſequitur, & ſi diſtinctione capitis à præcedẽtibus uideatur ſeparatum, cohæret tamen.

CAP. VII. An ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quod lex tantiſper

tiſper dominetur homini, quo ad ea uixerit. Nam maritata mulier alligatur lege marito uiuenti: quod ſi moriatur uir, liberata eſt à lege uiri. Proinde uiuente uiro, adultera iudicabitur ſi ſe iunxerit alteri uiro: ſin autem mortuus fuerit uir, liberata eſt à lege, ut non ſit adultera, ſi iuncta fuerit alteri uiro.

Similitudine enim clarius exponit quod hactenus obſcurius tractauerat, nempe quo modo uel quatenus ſine lege, hoc eſt liberi ſimus, aut quorũ ſit ea libertas, & quodnam libertinorum ingenium. Porrò ſimilitudo ſumpta eſt ex lege, propter eos qui ex Iudaiſmo ad Chriſti religionem conuerſi ſcripturis potiſſimũ credebant. Præterea ſacris ſcriptoribus receptiſſimũ eſt, ut ſimilitudinibus res alioqui obſcuras illuſtrent, & faſtidium lectorum leuent. Summa uero huius in hoc conſiſtit. Peccato uelut imperioſo & tetro marito copulati ſumus, hoc nondum extincto à lege nõ ſumus liberi. Qui uero carnem cum ſuis crucifixerunt adfectibus, ij peccato ſunt mortui, ut iam etiam à lege ſint liberi, adeoq; & Chriſto nubere poſſint, qui iſtam peccati deterrimam beluam confecit, ut eius conſortio ſiue tyrannide liberati mortales, ipſi Chriſto benigno & pulcherrimo copulentur ſponſo. Hæc eſt omnium perioche. Negotium autem de diuortio alijs excutiendum relinquo. Non enim huc ſpectauit cõſilium Pauli, ſed ſimilitudine ab ea re tantum ducta, ſuum inſtitutum uoluit illuſtrare. Neq; uero neceſſariũ eſt ut per omnia quadrent parabolæ. Nam ſatis eſt ſi id oculis exponant, cuius docendi gratia adhibentur. Audiamus ergo ipſum Paulum, quantum ſuo ſatis erat inſtituto, ſimile rei præſenti aptantem ac dicentem, *Libertas.*

Ita uos quoq; fratres mei, mortificati eſtis legi, per corpus Chriſti, ut iungeremur alteri, nimirum ei qui ex mortuis ſurrexit, ut fructificemus Deo.

Senſus ſatis eſt apertus ex ſuperioribus. Lex enim ille maritus eſt qui dominatur, imò qui damnat. Per legem autem nolim intelligas uoluntatem dei, ſed id quod legis indicio agnoſcitur, peccatum. Hoc enim beneficio mortis Chriſti extinctum iacet. Nihil enim aliud intellexit per corpus Chriſti, quàm illud quod & Chriſtus Ioan. 6. Et panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. Claret igitur ex hac ſimilitudine quomodo ſine lege & ſub gratia ſimus, item quid ſit à lege liberatũ eſſe, nimirum damnationi legis amplius non ſuccumbere, & à peccato liberatum eſſe, non tamen ne ſit, ſed ne imputetur. Voluit nos deus ſponſam filio ſuo tradere, ut huic fructificemus. Per ſtat enim in alluſione. Nam ſicut uxor maritũ noua prole parẽtem facit, ita ſponſa Chriſti nouum fœtũ, omnis generis uirtutes, Chriſto ſponſo gignit. Niſi igitur peccato mortui, & Chriſto in innocenti uita copulati fuerimus, certè liberi nequaquam dicemur. *Coniugiũ Chriſti & eccleſiæ.*

Cum enim eſſemus in carne, affectus peccatorũ, qui ſunt per legem, uigebant in membris noſtris ad fructificandum morti: nunc autem liberati ſumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut ſeruiamus per nouitatem ſpiritus, & non per uetuſtatem literæ.

Cauſſa & declaratio ſuperiorum ſunt. Iterum enim utraq; confert, & diuerſos oſtendit utriuſq; effectus. Cum eſſemus (inquit) in carne, tum quidem uigebant affectus peccatorum in membris, ut inde omnis generis ſcelera æterna morte digna pullularẽt. Hæc autem altera pars eſt, conditio & genius tetrici & illepidi illius prioris mariti. Iam uero ſequitur, à pari ratione uitæ priſtinæ, ſed longe alio effectu. At nunc cum non amplius ſumus ſub carne & iugo legis, gratia ſeruatoris redempti, certe ipſa res clamitat nũc deo ſeruiendum in ſpiritu & ſynceritate uitæ. Hæc ergo eſt pars altera, genius ſponſæ Chriſti mariti lepidiſſimi. Ex quibus omnibus iterum ſatis liquet quinam à lege liberi ſint, & quid ſit Chriſtiana libertas. Sed diligentius expendemus ſingula Pauli uerba. In carne eſſe idem eſt quod ſub peccato uel ſub lege eſſe, agi uidelicet impetu carnis & ſecundum

carnis genium uiuere. Huic etiam ſubiecit affectus, παθήματα, quos & morbos & cupiditates carnis dicere poſſumus. Hæ ſunt per legem, id eſt, legis indicio agnoſcũtur, & uigent, ἐνεργεῖτο, id eſt ſecreto agunt & uim quandã habent, *Syregend vnd offnend ſich, truckend herfür*. Nam occulta uis dicitur ἐνέργεια, uelut in ſemine deprehenditur, & uis mentis in homine eſt. In membris noſtris) id eſt, in nobiſipſis. Ad fructificandum morti) id eſt, cuius fructificatio mortem meretur. Mortui ei) Particula ei uel ad carnem uel ad legem potius refertur. Porrò nouitas ſpiritus, eſt reſtituta per ſpiritum ſanctum mens, quæ in innocentia uitæ ambulat & ſpiritu deum colit. Vetuſtas uero literæ, eſt corruptus hominis animus à primo parente inſitus, qui ſubinde nititur externis & ad hypocriſin procliuior eſt. Sed de litera & ſpiritu nonnulla in 2. capite annotata ſunt. Tandem uero hoc de libertate negotio ad 8. uſq; caput ſuſpenſo, de Lege diſputationem incipit.

DE LEGE.

Siquidem in initio 6. cap. recitatum eſt quid impij ex eo colligant quod toties iam de lege auditum, ex lege non eſſe iuſtitiam, ſed magis peccatorum agnitionem, iram ac condemnationẽ: unde ipſa re iam adigebatur, ut ſemel iſtorũ reſponderet calumnijs, oſtenderetq; quid ſit lex, quare lata, quis eius effectus, quæ uis & officia.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit, ſed peccatum non cognoui niſi per legem.

Origo legum. M. Tull. Cicero, Platonis cuius 12. extant de legibus libri, lector diligẽtiſſimus, de origine Legum, pro Sextio, Quodam tempore (inquit) homines nondum neq; naturali neque ciuili iure deſcripto fuſi per agros atq; diſperſi uagabãtur, tantũq; habebant quantum manu ac uiribus per cædem eripere potuiſſent. Qui uero ingenio & uirtute præſtiterunt, genus indocile unum in locum congregauerũt, eosq; ex feritate illa ad iuſtitiam & manſuetudinem tranſtulerunt. Inde uero lex reſpublica domusq; cœpere. Quapropter rectiſſime ſentiunt qui dicunt, Bonas leges è malis ortas eſſe moribus. Certè non alia occaſione & lex dei ſcripta, quam uocamus Moſaicam, lata eſt. Etenim degenerantibus Iſraëlitis, & conuictu Aegyptiorum deprauatis, adeò ut iam neſcirent quid iuſtitia, uel quid peccatum, improbitate eorum permotus dominus, lege lata, errorum nebulas excutere uoluit. Tulit legem, eamq; inſcripſit tabulis lapideis, quando inertia & mentis humanæ cæcitas naturæ legem in corde inſculptam negligeret aut ſentire nollet. Scripta enim lege, ueluti teſtibus ad conſpectum productis, inſculptam aſſerere renouareq; uoluit. Nam ut leges humanæ, quæ aliâs æque ſunt, ex naturali lege ceu fonte effluunt, ſic diuinæ ad eam reparandam, & à humanæ corruptionis aſperginibus repurgandam latæ ſunt. Interim uero negari non poteſt in his quædam pro temporum & perſonarum

Ratio diuinæ legis. ratione conſtituta eſſe, cuiuſmodi eſt maxima ceremoniarũ, & magna ciuiliũ, ſiue, quod alij malunt, Iudicialium pars. Illa enim pro tempore uel mutata uel prorſus ſublata ſunt. Sed quod mentem legis, pietatem uidelicet, fidem, innocentiam & charitatem attinet, nihil unquam ſublatum eſt, cum ne eius mutari quicquam poſſit. Et Paulus hoc in loco de morali (ut uocant) maxime loquitur, idipſum de ea prædicãs, quod nos paulò ante diximus, in hoc latam ut ueri boniq; aperiret uiam, & ut huius indicio pateret quæ co-

Conſiliũ legis. ram deo ſit uera iuſtitia & unde oriatur, non utiq; ex homine, ſed deo. Iccirco ipſa quid peccatum, & quod in homine nihil niſi peccatum ſit oſtendit. Id quod Apoſtolus pauciſſimis abſoluit cum dicit, Peccatum non cognoui niſi per legem. Ex quibus iam liquet legem ipſam non in hoc latam eſſe, ut iuſtificaret, ſed ut peccatũ quod intra humani pectoris latebras hypocriſi & impudẽtia uallatũ & abſtruſum iacebat erueret apricaretq;. Deinde cõſtat legem non eſſe aliud quàm peccati regulam qua ceu indagine quid ſit indagatur, & quale ſit expenditur. Quæ finitio (ſi modo id nominis meretur) ex cauſſis eſt, & legi per ſynekdocham aptatur. Sunt enim & alij legis effectus: cæterum ille eſt potiſſimus, quod noſtrum attinet negotium.

Nam concupiſcentiam non nouiſſem, niſi lex dixiſſet, Non concupiſces.

piſces. Peccatum uero occaſione per præceptum accepta, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.

Iam uero ſubdit Canoni ſuum exemplũ. Finge enim hanc in hac re eſſe generalem regulam, Per legem agnoſcitur peccatum. Cæterum ut hanc rectius intelligamus, additur nunc paradigma ex ipſa lege ſumptum. Nam concupiſcentiam (inquit) non nouiſſem, intellige peccatum eſſe, niſi conſulta lege, quæ cum præcipiat, Non concupiſces, uidi concupiſcentiam eſſe peccatum. Ita per legem agnoui peccatum. His uero clariſſimis aliâs adñcitur & modus quomodo agnoſcatur. Sic, Peccatũ per præceptum ſiue legem accepit occaſionem, & ita κατειργάσατο, id eſt operatum eſt (ut referas ad peccatum) in me omnem concupiſcentiam. Alĩ exponunt genuit in me omnem concupiſcentiam. Alĩ uero excitauit. H. Zuinglius acerrimi in ſacris iudicĩ uir, dimenſum eſt expoſuit, fiue, effecit, per oſtenſionem ſiue explorationem. Per gnomonem enim ſiue regulam conſtat corpora rerũ menſurari qualia & quanta ſint. Iccirco & peccatum quale ſit lege ceu Lydia regula explorari: ita ut nunc uerbis inſit Proſopopœia, id eſt fictio perſonæ. Finge enim peccatum, id eſt corruptam hominis naturam & luem ſiue ſentinam illam humanam, eſſe perſonam quampiam incuruam & diſtortam, atram quidem illam & fuliginoſam, quæ tamen ſe atram & adeò turpem eſſe neſciat. Rurſus finge legem eſſe regulam quandam ſiue perpendiculum aut ſi malis ſpeculum quodpiam, quod iam arripiat peccatum & ſeſe & metiatur & contempletur in lege, atq; hoc modo intelligat, quàm ſit ipſi curta ſupellex, aut quale ſit, incuruum nimirum & fuliginoſum. Hoc eſt, lege patefit totum hominem non modo concupiſcentiæ obnoxium, ſed et ipſam eſſe concupiſcentiam. Id enim pollet quod dixit, Dimenſum eſt in me omnẽ concupiſcentiam. Alĩ ſic exponunt, Dum omnia experiri uoluit, id tandem effecit, quod intellexi omnẽ hominum concupiſcentiam eſſe peccatum.

Quomodo per legem innoteſcat peccatum.

Sine lege enim peccatum erat mortuum. Ego autẽ uiuebam quondam ſine lege: ueniente autẽ mandato peccatum reuixit, ego uero mortuus ſum.

Clarius exponit quod dixerat ſe neſciuiſſe concupiſcentiã eſſe peccatũ. Nam ſine lege (inquit) peccatũ erat mortuum. Mortuũ autem uocauit non id quod nõ eſt, ſed id potius quod cum ſit, tamẽ quale ſit nondũ intelligitur. Nam in 5. cap. audiuimus peccatum in mũdo uſq; ad legem fuiſſe, porrò peccatũ, lege non exiſtente, non imputari. Igitur q̃d ibi dixit non Imputari, idipſum hoc loco dicit Mortuũ eſſe. Sed quid anxĩ ſumus cum ipſe Apoſtolus ſe ſtatuat exemplum, ut rectius & facilius de ardua re diſputantẽ intelligamus? Me (inquit) uobis exemplum facio. Ego uiuebam aliquando ſine lege, uel cũ per ætatem etiã legis nomen ignorarẽ, uel cum adhuc phariſæũ agerem, neſciens lege oñes hominis uires exigi: tum quidem eximie mihi placebam, iuſtum & ſanctũ me eſſe reputabam. Veniente autẽ mandato, id eſt cognita ui legis, iam reuixit peccatum, id eſt concupiſcentia hypocriſis & lues intra pectoris mei latebras deliteſcens, detecta iam, qualis reuera corã deo erat, apparuit, ſed & mihĩpſi cognitũ eſt, id cũ uidiſſem animaduerti me iræ mortiſq; eſſe filiũ. Quicqd eñ in me aſpiciebã concupiſcẽtia carnis erat, oculorũ, manuũ, uẽtris, & iñenſus quidã uitę faſtus: unde nihil niſi uitæ deſpatio mihi naſci potuit.

Et repertum eſt mandatum quod inſtitutum erat ad uitam mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit.

Occupatione præuenit, ne quis mortis culpam reĩciat in legem. Lex (inquit) ad uitam non ad mortem inſtituta eſt, & tamen ad mortem mihi ceſſit. Qui enim primũ condidit legem dominus, in hoc condidit, ut ea nobis æternam ſuam uoluntatem manifeſtaret ac exponeret, quid iuſtum, quid iniquum, quid mors uel quid uita ſit, & quomodo homo uitæ reſtitui poſſit. Verum hoc mihi ceſſit ad mortem: non equidẽ legis, ſed meo

uitio. Nam peccatum (id quod ſuperius audiuimus) per præceptũ accepit occaſionem explorandi probandiq; ſe, & ita quidem decepit me, id eſt, deceptum me eſſe oſtendit. Si quidem non exacte cognitis uiribus meis ſanctimoniam & iuſtitiam mihi arrogabam, cæterũ dum lege ſingula explorarem exactius, ſenſi me mea opinione deluſum. Ἠπάτησέ με enim uel decepit me, uel à uia abduxit, aut ab inſtituto retraxit me, uerti poteſt. Quid igitur? Et per illud occidit, hoc eſt, occiſum me eſſe oſtendit. Peccatum uero occidit, non lex, quæ tantum mortis index eſt.

Itaq; lex ipſa quidem ſancta, & præceptum ſanctum, & iuſtum, & bonum.

Lex ſancta & bona.

Hęc uero ipſiſſima eſt prędiſputatorum illatio, & reſponſio ad calumnias impiorum, de quibus in initio capitis ſexti. Ipſa igitur lex dei non damnat, non occidit, non terret, ſed peccatum noſtrum quod per legem dei in lucem protrahitur, damnat, occidit & terret. Lex ipſa per ſe quidem ſancta & amabilis, iucunda, ſuauis & optima. Cæterum ipſe Apoſtolus ſingula latius exponit & ſubdit,

Ergo quod bonum erat mihi factum eſt mors? Abſit, ſed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fieret ſupra modum peccans peccatum per præceptum.

Nulla (inquit) parte legem accuſamus uel damnamus, ſed peccatum quo ſcilicet apparet, id eſt cognoſceretur eſſe peccatum per bonum, id eſt per legem, quam hic bonum uocat, operatum eſt mihi mortem, ut ſic peccatum (quod ſcilicet nondum cognoſcebatur, cum lex non eſſet cognita) ſupra modũ fieret peccator, hoc eſt, ut magnitudo & immanitas peccati patefieret, per legem ſiue mandatum. Hæc ex interpretatione Zuingliana, qua nulla alia ſimplicior & magis genuina in hunc locũ extat. Idem, Huiuſmodi ergo locutiones (inquit) Lex damnat, Lex peccati reum facit, non aliter ſunt ueræ quàm ſi quis lumen deformium hominum cœtui inferat, atq; illi dicant, Ne importato lucernam, ea enim nos omnes deformes reddet. Hic certè lux deformes eos facere nequit, ſed ſpectabilem reddit deformitatẽ, Sic non magis damnat hic lex, quàm iſthic lux: ſed proditur ad legem humana fœditas.

Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum uẽditus ſub peccatum.

Pugna carnis et ſpiritus.

Maiori nunc euidentia demonſtrat quæ ſit uis legis, idq; per compugnantiam carnis & ſpiritus, quam graphice depingit. In hac uero ceu ſpeculo propoſito uidemus q̃ imbecilles & ad iuſtificationem conſequendam inutiles ſint uires humanæ, item quàm ſancta & bona ſit lex: rurſus, quàm prophana & impia ſit caro noſtra, ſubinde monitis dei ſanctiſſimis reclamãs, uel in ſanctiſſimis quoq; hominibus. Pergit ergo ſe in hac pugna (uti cœperat) exemplum ſtatuere, & ait, Scimus quod lex ſpiritualis eſt. Huic iam ueluti ex diametro opponit, ego uero carnalis ſum. Porrò emphaſim habet uerbũ Scimus. Deinde legem non ideo ſpiritualem uocat quod ex parte typica ſit, & allegorias habeat, ſed quod ſpiritum, non ſpeciem, iuſtitiam & ſanctimoniam ex corde, non hypocriſim aut externa tantũ opera exigat. Id uero inde liquet quod mox adiungitur, Ego uero carnalis ſum, hoc eſt prophanus, abhorrẽs à ſpiritualibus, diuinis ſeu cœleſtibus, carni prorſus deditus. Sequitur enim, Venditus ſub peccatum. Habet autem euidentiã & gratiam allufio, quæ ad eos facta eſt, qui ſua inertia nobili libertate exciderunt, ſerui uero facti, iam immani tyranno alicui mancipati uenditiq; ſunt, ut ei pro uoto obedire cogantur, etiam nolentes, & miſeram ſortem ſuam indies lugentes.

Quod enim ago non probo. Non enim quod uolo hoc facio, ſed quod odi hoc ago. Si uero quod non uolo hoc facio, conſentio legi quod bona ſit: nunc autem non iam ego perpetro illud, ſed inhabitans in me peccatum.

Probat

Probat se uenditum esse sub peccatũ, quo simul & hoc clarius ob oculos statuit quod lex bona sit, sed uires humanæ prorsus ad iustitiam consequendam nullæ, ad malitiam promptissimæ. Finge itaq; in eodem homine duplicem esse uirtutem siue uoluntatem, spiritualem uidelicet & carnalem: ut nunc idem ille homo iuxta carnalem nuncupetur Caro uel carnalis uel uetus homo, constãs animo siue mente & carne: iuxta spiritualem uero adfectũ dicatur spiritus, cœlestis uel certe nouus homo. Iam uero si hisce probe expensis in manus sumas collationem Paulinam, omnia erunt expositissima. Nam quod id agit, quod tamen odit uel nõ probat uel non uult, illud quidem ueteri uel externo homini tribuendum, hoc uero nouo uel interno, qui odit affectus carnis: atq; hoc ipso probat quod lex quæ affectus carnis prohibet, bona & sancta sit: omnis igitur culpa corruptæ naturæ sit, non legis. Huc enim pertinet quod dicit, Nunc autem non iam ego perpetro illud, perpetro inquam legis instinctu, sed peccati impulsu. *Duplex homo.*

Scio enim quod non habitet in me, id est in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, sed quod bonum perficiam, non reperio. Non enim quod uolo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Porrò quod si nolo hoc facio, iam non ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum.

Hæc pertinent ad expositionem & confirmationem superiorum. Dixerat culpã non legi, sed nobis ipsis, hoc est, habitanti in nobis peccato imputari: iam ergo exponit quod nam illud inhabitans peccatum sit, nimirum corrupta hominis natura, quæ ab ipsis incunabulis ad malum prona est. Dicit igitur, Ipsa enim re experior quod in me, ut carne, nihil boni, æqui, iusti, uel sancti sit. Carnem enim Hebraico more posuit pro toto homine, qui sanè non constat cruda carne tantum, sed carne simul & anima. Hinc significantius in Corinthijs, Animalis (inquit) homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Animalem autem ab anima dixit. Nam Græce scripsit ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος, Anima igitur & ipsa caro est, quod scilicet affectus, non ipsam substãtiam attinet. Aliãs enim spiritus est. At ipsa caro per se quidem nihil cogitat aut agit, sed omnia animæ imperio gerit. Tolle enim ex carne animam, & operationem omnem sustulisti. Significat ergo caro hoc in loco totum hominem. Quò & illud pertinet quod 6. Gene. cap. legimus, Non permanebit aut disceptabit spiritus meus cum homine, quia caro est. Et in 8. Cogitatio uel consilium humani cordis malum est à pueritia sua. Iam sequitur ipsa experientia & rei ocularis demonstratio. Nam uelle (inquit) adest mihi. Dum enim lex dei sancta præcipit, lubens amplecterer secũdum internum hominem: sed si carnem quoq; meam consulam, iam nihil reperio quod ad boni iustiq; studium prouehere possit. Caro enim carnalia cogitat, & spiritum uocantem non audit. Hinc fit ut bonum quod spiritus mallet negligam, malum uero quod fides odit eligam. Huius uero culpam quis obsecro legi imputabit? Certè quod nollem, legis & diuini spiritus instinctu nollem: quod autẽ id quod nolo nihilominus ago, non impulsu legis, sed ui peccati in me habitantis ago. Atq; ita pulchre id repetijt, cuius gratia ista interseruit. Prius enim audiuimus, Nunc autem nõ iam ego perpetro illud, &c. Hæc enim hactenus interposuit, ut illud de inhabitante peccato, & quod lex bona sit, omniq; culpa uacet, rectius intelligeremus. *Caro pro toto homine.*

Reperio igitur per legem uolenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit.

Catastrophe est. Quis ergo (dicas) usus legis? quæ uis? quodnam eius officium? Ex prædisputatis consequitur (inquit) quod lex nolentes uolentes conuincat, quod peccatores simus, & nullæ ad bonũ sint uires humanæ. Præcipit enim lex dei iusta, æqua, sancta & bona, deum ante omnia diligamus, innocentiæ studeamus, ne concupiscamus, proximo ne noceamus, sed ipsum amemus ut nosmetipsos. Quibus rebus quid oro nobilius, pretiosius, melius? Imò ipse homo rerum nobilitate illectus, præcipientem audire contendit, sed ubi paulò penitius sanctum negotium expẽdit, uidet quanta sit rerum

humanarum miseria, mentem uidelicet humanam ad cœlestia ista torpere, cæterum ad fœdissimos carnis morbos sua sponte propendere, imò hisce adeo affectum esse, ut cœlestia prorsus fastidiat.

Delectat enim me lex dei secundum internum hominem, sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantẽ legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

Caussa & enarratio superiorum est, satis aliâs perspicua, quippe quæ & superioribus omnibus lucem addere possit. Videmus enim Paulum in seipso (est autem cõmune exemplum) duos finxisse homines internum & externum. Secundum internũ hominem, id est, secundum spiritum & fidem delectat me lex dei. Nam & propheta in Psal. 18. dicit, Lex dei desyderabilis super aurum & super obrisum multum, & dulcior super mel & fauum. Sed sentio, id est, experior aliam legem, normam uel uim in membris meis, hoc est in meipso, hæc repugnat legi mentis meæ, id est fidei & spiritui sancto, quo per gratiam mentem meam imbuit dominus. Ea ergo uis quę in corpore meo agit liberum esse non finit, sed sub imperium peccati abstrahit, ut aliquoties contra mentem ac fidem meam deteriora sequar.

O miserum me, quis eripiet me ex hoc corpore morti obnoxio?

Cupio dissolui, & esse cũ Christo.

Exclamatione aggrauat negotium. Exclamant autem unà cum Paulo sancti dei omnes, infelicem istam captiuitatem lugentes, imò quo quisq; sanctior, hoc crebrius & ardentius clamat, dolens de insanabili humani cordis miseria, qua subinde ab optimis ad pessima abstrahimur. Nam mortis corpus uocat corpus obnoxiũ adfectibus peccandi.

Gratias ago deo per Iesum Christum dominum nostrum.

Subiectio est: quasi dicat, Gratias ago deo quod is sua misericordia à morte æterna redemit, idq; per Iesum Christum dominum nostrum. Etenim quod lex præstare non poterat, hoc deus filio misso præstitit.

Itaq; idem ego mente quidẽ seruio legi dei, carne uero legi peccati.

Epiphonema est, quod totam disputationem in summam collectam ob oculos reuocat. Quasi dicat, Hoc præstat lex, de qua hactenus disputauimus, quod per eam quales sumus cognoscimus, nimirum peccatores & perditi, qui ex natura & genio nostro non aliud quàm peccare possumus, adeo ut etiã renati per fidem natura recurrat, & spiritui contumaciter obstrepat. Tantũ abest ut ex nobisipsis, hoc est, meritis & iustitijs nostris iustificatio proficiscatur. Neq; enim de impijs loquimur, sed de sanctis. Illi nanq; mente & spiritu legi dei seruiunt: interim uero hominem non exuerũt, itaq; carnem etiam sentiunt, imò & legi peccati subsunt. Huc ergo inducit lex dei, ut uel nostra miseria & proprio sensu conuicti cogamur fateri, solius gratiæ esse iustificationem. Quid uero ad hæc respondebunt qui operibus gratiæ tribuunt iustificationem? Nimirum dicent hæc Paulum non in sua, sed ascititia persona loquutum. Verum ea opinio ipsis Pauli uerbis refellitur. Quin & D. Hierony. ad Rusticum, Vas electionis (inquit) in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, ut quod non uult hoc agere compellatur, & quasi uim patiẽs uociferatur & dicit, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et tu arbitraris absq; lapsu & uulnere posse trãsire, nisi omni custodia seruaueris cor tuum? Et quæ sequuntur. Rectissime ergo hinc colligunt doctores ecclesiastici, Omnia sanctorum opera etiam bona aliquid habere uitij. Deinde uero Liberũ hominis arbitrium prorsus esse nullum. Hieronymus enim in hoc Ieremiæ, Scio domine quia non est hominis uia eius, nec uiri est ut ambulet & dirigat gressus suos, Erubescant (inquit) noui prædicatores, qui aiunt unumquenq; suo arbitrio regi: cum & hic propheta dicat, Non est hominis uia eius, &c. Hactenus uero de lege differuit copiosissime. Nam in Galatis hæc omnia breuissimis in 3. cap. complexus, in 5. cap. reliqua sic perstrinxit, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur,

Paulus in sua persona locutus.

Sanctorũ opera & Liberũ arbitrium.

aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis eadem faciatis. Quod si spiritu ducimini non estis sub lege. Et epistola ad Galatas huius est epitome.

Nulla igitur nunc condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. CAP. VIII.

Iam uero iterum in manus sumit quod in medio 7. capitis, donec de lege satis disputasset, suspenderat, differens de officio Christiani hominis, de libertate quoq; & quatenus liberi simus. Ergo quod hactenus dixit, Esse sine lege, id iam significantius dicit, Esse sine condēnatione. Vt sit sensus, Hactenus lege didicimus quales simus: iam etsi satis intellexerimus hominē sine peccato esse nō posse, percepimus tamē & peccati remediū, fidem in Christū: unde nunc cōstat & si peccatū in carne nostra ceu fomes lateat, tamen non condemnet, si modo in Christo, hoc est, Christiani simus. Sunt autem in Christo, qui iuxta spiritum non iuxta carnem uersantur. Porrò secundum carnem ambulare, est totum carnis imperio subditum & à spiritu dei alienum esse. At secundum spiritum uersari, est monitis fidei obtemperare, & carni ferocienti frenum imponere. *Redit ad intermissam tractationē, quod fideles bonis operibus exerceātur.*

Nam lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à lege peccati & mortis.

Caussa est cur fideles à condemnationis terrore liberati sint. Lex spiritus uitæ per Christum liberauit nos à peccato & morte. Significāter aūt peccato iunxit mortē. Etēm nemo à peccato liberatur ne sit aut nō sentiatur, sed ne imputetur uel occidere possit. Et spiritum uitalem propter antithesim uocauit legem spiritus uitæ. Est autē uiuificans illa fidei uis, imò ipse dei spiritus, quo donati, scimus quæ per Christum nobis donata sint, uita, redemptio, & sanctificatio. *Vis Christi agens in nobis.*

Quod enim impossibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnē, hoc deus proprio filio misso in similitudine carnis peccatricis, præstitit, ac per peccatum condemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum.

Per occasionē & pro more apostolico describit etiam redemptionis modum. Dum (inquit) nos non essemus soluendo, filium pro nobis redemptionem exposuit, ut eius morte liberaremur ab æterna morte. Verba autem Apostoli prædum sunt efficacia elegantia & propria, proinde exactius expendenda. Principio dicit legem nō potuisse iustitiam uel salutē conferre: sed ne quis arbitraretur legis authoritatem istis labefactatam, protinus addit, Eò quod infirmabatur per carnē: quasi dicat, Ea autē imbecillitas nō est legi diuinæ imputanda, sed carni nostræ: quæ corrupta, id præstare nō potuit, quod sanctissima dei lex postulauit. In deo nulla est infirmitas, ergo in lege eius nulla quoq; imbecillitas. At homine nihil est uel imbecillius uel impotētius. Igitur cum per infirmitatem nostram, prorsus iustificari non possemus, misit deus filium suum carne indutū, nobis per omnia, excepto peccato, similem. De quo ad Hebr. 5. Hic autem proprius & genuinus, id est, naturalis est filius dei, quo & charitas dei nobis cōmendatur. Hic inquā condemnauit peccatū, id est lustrauit peccatū, effecitq; ne damnare posthac posset quenquā credentiū, idq; effecit per peccatum, id est per carnem suā peccatrici (ut audiuimus) simile. Nam particula Per carnē, per interpretationē subiicitur: et explicat nobis quid intelexerit per peccatum, nimirū hostiam corporis Christi pro peccatis mundi oblatam. Sæpissime enim in scripturis comperias peccatum usurpari per Metonymiā pro eo quod peccatum expiat, hostia. Sic Exodi 29. & Numeri 19. legimus, Ipsa enim (uacca rufa) est peccatum: pro quo D. Hieronymus reposuit, Quia pro peccato uacca combusta est. Et Oseæ 4. Peccata populi mei comedent sacerdotes, &c. Sed ab hoc sensu abhorrent illi qui nituntur particula περὶ quæ significet de: & iccirco legunt, De peccato *Quomodo redemptū genus humanum.* *Peccatum pro hostia peccati.*

condemnauit peccatum. Cæterum frequentiſſima eſt præpoſitionum in ſacris catachreſis, quod altera uſurpatur pro altera. Quod ſi omnino ſtatueris ſenſu poſthabito, unico inhærere uocabulo, iam hic erit uerborum ſenſus, Filius dei damnauit morbum, quod tantum ſcelerum in nobis excitauit: damnauit autem ſua carne. Hic περὶ excellentiam ſignificat. Intelligimus enim ex uno peccato ſiue morbo innumeram ſcelerum emerſiſſe turbam, quam Chriſtus morte ſua profligarit. Vel, De particula accipitur pro propter uel ob: ut in Euangelio Ioan. Quis arguet me de peccato, hoc eſt, ob uel propter peccatũ. Et ſic ſenſus erit, Damnauit peccatum propter peccatum, nempe ne prorſus hominem perdat. Sed prior ille ſenſus ſimplicior & magis genuinus eſt. Porrò finis horum omnium ſequitur, Vt iuſtitia legis quam nemo facere poterat, eius opera in nobis impleatur. Quod enim ipſe unquam uel fecit uel tulit, nobis tulit: unde et eius iuſtitia noſtra iuſtitia eſt, ſi modo non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulauerimus. Sic enim pulchre redit ut de officio hominis Chriſtiani ſcribat, & de uera Chriſtianorum libertate. Sequitur ergo.

Nam qui carnales ſunt, quæ carnis ſunt ſentiunt: at qui ſpirituales, quæ ſpiritus.

Carnales & ſpirituales.

Antitheſi committit carnales & ſpirituales, ut ex ipſa rerum diſſimilitudine appareat ſpirituales uere eſſe liberos, & fideles ex officio, imò ex genio & natura fidei, innocentiæ ſtudere. Sunt autem carnales qui prorſus à ſpiritu dei alieni totos ſeſe imperio carnis regendos tradidere. Contra uero ſpirituales ſunt qui etſi à carne cõtagione ue peccati non ſint liberi, imperium tamen carni non committunt, ſed omnia ad fidei lucernam diſponunt. Ergo qui carnales ſunt prorſus carnaliter adfecti ſunt. Cõtra qui ſpirituales ſunt, ſpiritui obtemperant, carnemq; pro uirili calcaribus fidei cohercent.

Nã affectus carnis mors eſt. Affectus uero ſpiritus uita & pax. Propterea quod affectus carnis inimicitia eſt aduerſus deum. Nam legi dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Qui ergo in carne ſunt deo placere non poſſunt.

Ex effectis per aliam quandam antitheſim probat inſtitutum ſuum, Fideles uidelicet ex officio innocẽtiæ ſtudere. Ex carnali (inquit) affectione nihil niſi mors animæ exiſtit: at ex affectione ſpiritus uita: oportet igitur fideles ambulare uerſariq; non equidẽ ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Niſi quis in fide mortem magis quàm uitam quærat. Iam uero quod affectus carnis mors ſit, exponit ſubſequentibus. Affectus enim carnis inimicitia eſt aduerſus deum, id eſt, inimicatur rebus diuinis & legem dei ex animo odit. Sequitur enim, Legi dei non ſubditur, imò ne poteſt quidem. Corruptior enim mens humana quàm quæ uelit aut poſſit bonum, ad malum prona omni tempore. His iam euidenter infert, Ergo qui in carne ſunt, id eſt, per ſpiritum renati non ſunt, aut certè imperium carni permittunt, deo placere non poſſunt. Hæc de ſententia Pauli. Qui uero locos communes obſeruant, habent hic quod annotent, apertiſſimam uidelicet ſententiam, Quod homo legi dei non poſſit obedire. Quod affectus humanus cum deo ex diametro pugnet. Quod qui in carne ſunt deo placere non poſſint, &c. Et φρόνημα (ne quem uel inſolita uox remoretur) ſignificat animi affectionem, ſenſum, curam ac cogitationẽ, *die art, das fürnemmen vnd angeben.* Terent. ſenſum dixit, Illius ſenſum pulchre calleo.

Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſiquidem ſpiritus dei habitat in uobis. Quod ſi quis ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius.

Apoſtrophe eſt ad fideles blanda admodum, alliciens ad innocentiam, aperta ſatis. Nam ex ſuperioribus didicimus illos ſpiritum Chriſti habere, qui credũt ſe Chriſti ſanguine luſtratos & monitis diuini ſpiritus obtemperant. Recte ergo per antitheſim contrariam iungit ſententiam, Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Etenim ſancti dei ſpiritu uelut obſignati, & à carnalibus huius mundi ſeparati ſunt. Illud quoq; obſeruãdum quod ſpiritum permixtim iam Chriſti, iam uero dei ſpiritum uocauit: inde enim

de enim nos colligimus Christum esse deum, sed & ipsum spiritum sanctum unũ deum esse cum patre & filio.

Porrò si Christus in uobis est corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustificationem.

Catastrophe est, cuius hic est sensus. Ex istis uero liquet quod qui Christiani sunt liberi sunt. Licet enim corpus circumferamus quod propter inhabitans peccatum mortuum sit, tamen propter iustitiam fidei per spiritum sanctũ non imputabitur peccatum, iccirco uiuemus. *Vita fideliũ per fidem.*

Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, is qui excitauit Christũ ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis.

Hæc autem adhibentur probationis & expositionis loco. Vult enim ostendere quod spiritus dei possit illud uiuificare corpus quod indies per peccatum concidit. Cæterum id quidem probat ex effectu sancti spiritus siue ab anteactis eius: sic, Si spiritus dei potuit corpus Christi mortuum à morte excitare, sanè idem ille spiritus poterit etiam credentes uiuificare licet per peccatum moriantur indies. Sed tamen ea conditione, ut non uiuamus secundum carnem, sed carni mortui simus. *Responsio ad quæstio. An in peccato manebimus.*

Proinde fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Nam si secundum carnem uixeritis moriemini: si uero spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis.

Repetit statum rei, quem posuerat in 6. interim multa de officio Christiani hominis, & libertate eius disputauit: nunc uero genere suasorio ad hæc, hoc est, uitæ innocentiam inuitat. Scopus est. Christiani non secundum carnem, sed secundum spiritum uiuunt. Hunc copiosissime tractauit huc usq; Et in 6. quidem capite cohortationem immiscere cœperat, eandem & hic immiscet. Nam quod mortem hic minatur & uitam pollicetur, ab utilitate suadet, à pœna & præmio pro more argumentans.

Etenim quicunq; spiritu dei ducuntur, hi sunt filij dei.

A dignitate Christianorum, & natura filiorum dei. Omnes enim Christiani sunt filij dei. Omnes filij dei ducuntur spiritu dei, ergo secundum spiritum non secundum carnem uiuunt. Et sanè generosa ingenia rationem sui generis habent, ne uspiam degenerent, aut ignominia nobilitatem suam commaculent. Iccirco & Christiani rationem habent sui nominis & dignitatis, ne impia uita nobilem contaminent uocationem.

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem spiritus contestatur spiritui nostro quod simus filij dei.

Quod hæc in hoc inserta sint ut probent credentes esse filios dei, satis coarguit quod dixit, Spiritum dei contestari, id est confirmare & testimonium præbere spiritui nostro, id est menti siue conscientiæ nostræ, quod simus filij dei. Non enim spiritum seruorum, sed adoptatorũ accepimus. Est autem seruilis spiritus mens mala, dura, & intractabilis, quæ nõ pudore uel monitis uel amore recti boniq;, sed minis & terrore cohercetur. Est enim seruorum genus illiberale & improbum, prouerbijs quoq; notatum, Seruorum ciuitas. De cœtu enim improborum hominum, mendacium, furacium aut ignobilium dicebatur. Ita in barbaros seruilique ingenio homines quadrabat Phrygem non nisi uerberibus meliorem reddi. Cum contra generosus animus (ut ait Seneca) rectius ducatur q̃ trahatur. Quò nimirum & illa Flacci aurea profecto sententia pertinere uidetur, *De spiritu seruitutis & libertatis.*

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Oderunt peccare boni uirtutis amore.

Filij ergo uel familias uel qui natura filij non sunt, sed per adoptionem in locũ filiorum successerunt, ingenui sunt, liberi & alacres, ultroq; faciunt quod parenti gratum esse sen

tiunt. Ita & generosa ingenia ultro ad uirtutes contendunt à uitijs uero abhorrent. Alacrem itaq; spiritum cum acceperitis (inquit) alacres etiam, ueterno excusso, estote. Et potest id argumenti in suasorijs ad locum à facili referri. Nec caret mysterio quod adoptiui filij dei dicimur. Nam natura sumus filij iræ, Ephes. 2. At deus nostri misertus per naturalem siue proprium filium nos redemit, & spiritu suo sancto corda nostra confirmauit, quod nunc de benignitate dei certi, numen illud supernum supremumq; patris nomine appellamus. Reliquit autem uocem Hebræam אב, imò Syram potius אבא quo significaret (ut Erasmus ait) peculiare quiddam esse in ipso uocabulo, quod & patres libenter audiunt, & pueri primum sonare discunt, ἀττὰ. Quod autem præterea addidit ὁ πατὴρ patris inquam uocabulum, uel ad interpretationē peregrini uocabuli adiectum, uel quod uero propius, ex more Hebraico factum est. Hi enim κατ' ἀναδίπλωσιν eadem uoces iterant emphasis uel ὠιτάσεως gratia. Significat ergo conduplicatione ista Pater pater ardorem pectoris Christiani. Qui enim euangelio dei credunt, non clamant, Sancte Martine ora pro nobis, quia peccatores sumus, & ad dei thronum accedere non audemus, sed cum filio prodigo clamant, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus, sed memento tu mei per Iesum Christum filium tuum, qui ita nos orare docuit, Pater noster qui es in cœlis, &c. Iam uero quod alij multis hic de Timore seruili & filiali disputarunt, ipsi uiderint. Lubens enim ac uolens ijs istas relinquo argutias, contentus simplicitate mea. Neq; em̃ aliud in hisce rebus uidere possum, quàm quod Paulus à seruis & filijs familias metaphoram traxerit, eamq; suo negotio per allegoriam accommodarit. Imò sic malo grammaticalis (ut aiũt) esse theologus, quàm cum quibusdã subtilis & seraphicus haberi moralizator. Huc fortassis & illud pertinet quod alij de duobus in homine spiritibus stupenda quædam tradiderunt. Hic enim ipsa diuini sermonis simplicitas flagitat, spiritum primo loco usurpari pro sancti spiritus dono & confirmatione: secundo autem loco pro anima siue mente humana, quam ille donis suis ditat, ducit & afficit.

Videnum ignoremus an in gratia simus.

Lucæ 15.

Quod si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes aũt Christi. Siquidē simul cum eo patimur, ut & unà cũ illo glorificemur.

CONSOLATIO.

Persistit adhuc in allusione ad filios familias, qui parentum hæredes sunt. Cæterum hic occasione sumpta ad consolationem deflectit. Nam (ut in argumento epistolæ monuimus) caro præmodum ringitur dum uidet quid ipsi ex imperio spiritus immineat. Dolent præterea sancti omnes, & in media pugna nonnunquam subsistunt ac de fuga consultant. Superantur enim malorum magnitudine, cui impar est humana imbecillitas. Igitur Apostolus productos iam aliquousq; in aciem & laborem pugnę expertos detrectantesq;, saucios quoq; & iamiam deficientes, solatur exemplo Christi. Hic enim huius pugnæ antesignanus est. Hæredes (inqt) sumus æternæ uitæ: sed si ea uia ad eam contendamus qua Christum dominum ijsse uidemus. At Christum pati oportuit, & ita ingredi in regnum patris: ergo & nobis patiendũ ut ad promissam uitæ hæreditatem pertingamus. Patimur autem dum carnem nostram crucifigimus, Gal. 5. Hebr. 12.

Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos.

Afflictiones huius uitæ.

Occupatio est. Nam ne quis diceret, Ergon' patientia mea salutem consequi potero? præuenit & ait, Non ea sententia sum ut credam afflictionibus nostris posse parari iustitiam: quæ per Christi obedientiam nobis parta est: sed huc spectat animi mei consilium ut quisq; apud se in ipsa pugna negotium sic secum expendat, Licet nonnihil in hac uita patiendũ sit, futuræ tamen uitæ gloria maior est, quàm ea sit miseria, quã breui momento experimur. Plurimũ autem consolationis ex eo accipimus, quod miseriam nostram non diuturnam, & præmium intelligimus fore amplissimum. Sunt qui istis Pauli uerbis, ceu nimbo, purgatorij ignem, profecto fabulosum, asserant extinctum. Et sanè iam olim extinctus est, nisi credamus peccata nostra ulla alia re quàm Christi sanguine expurgari, Hebræ. nono.

Etenim

Etenim creatura anxie expectat reuelationem filiorum dei. Quippe uanitati ſubiacet creatura, non uolens, ſed per eum qui ſpei ſubiecit, quod ipſa creatura liberetur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei.

Locus hic difficillimus facillimus erit ſi didiceris creaturam hoc loco poni pro ipſo homine omnium creaturarũ principe. Nam & Marci 16. dicit dominus, Prędicate Euangelium omni creaturæ, id eſt, omnibus hominibus. Deinde ἀποκαραδοκίαν nõ ſimplicem eſſe expectationem, ſed anxiam & uehementem: ueluti cum ex corde ſummoq; deſyderio aliquid expectamus. Iam uero uanitas non ſonat hic (ut ſic loqui liceat) mendacitatem, ſed potius fruſtrationem. Verbi cauſſa, dum aliquis in neruum cõiectus, priſtinam libertatem, gaudia, epulas, & uoluptates anxie quidem ſecum rememorat, imò & deſyderat, interim uero nihil aſſequitur, ſed præter animi ſui ſententiã in uinculis agere eſurire & algere cogitur, donec Regi uiſum ſit miſerum liberare. Nunc ad ſenſum apoſtoli deſcendimus, qui dixerat inenarrabilem ac incomparabilem fore æternæ ſiue futuræ uitæ gloriam. Id enim iam probat per anxiam illam omnium ſanctorum ſuper hac terra expectationem. Hi enim omnibus mundi uoluptatibus poſthabitis, per ignes & uaria tormenta ad uitam contendunt futuram. Id quod minime facerent homines aliâs ſapientiſſimi, niſi æterna ac cœleſtia terreſtribus longe præſtarent. Atq; ita tacite quidem & in tranſcurſu oſtendit cœleſtia longe præcellere terrenis: iccirco & futuram gloriam omnium maximam adeoq; incomparabilem fore. Nam quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus diligentibus ſe. At uero nemini obſcurum eſſe credo quod Reuelationem filiorum dei poſuit pro ipſa æterna uita, 1. Ioan. 3. Rurſus quia dixerat ſanctos expectare, expectationis cauſſam ſubiũcit, Quippe uanitati ſubiacet creatura, &c. Homo equidem mallet hiſce malis ærumnis & afflictionibus carere & gaudio perfrui æterno. Nam alibi clamitat idem Apoſtolus, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto: cæterũ deus qui nihil non ſapienter diſpoſuit, uoluit hominem in hac lucta aliquouſq; exerceri, fruſtrari, inter ſpem & metum fluctuare. Quæ uero illa ſpes? quod ipſe homo aliquãdo corruptibilitatem exuat, & immortalitatẽ induat. Nam libertatem gloriæ filiorum dei dixit pro glorioſa liberatione qua liberabuntur omnes filij dei. Hæc enim liberatio eſt illa præſignis hæreditas corporum reſurrectio & uita æterna, de qua ſuperius, & in 1. ad Corinth. 15. & Philippen. 3. item in 1. Theſſalon. cap. 4. copioſiſſime diſputatur. Quemadmodum enim Chriſtus reſurrexit, ita etiam nos reſurgemus. Siquidem cohæredes Chriſti ſumus.

Amplitudo æternæ uitæ.

1. Cor. 15.

Philip. 2.

Scimus enim quod omnis creatura congemiſcit, ſimulq; nobiſcum parturit uſq; adhuc.

Iterum conſolationẽ inſtituit. Recte autem aiebat ille, Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum. Multo enim miſerabiliores nos eſſe cõquerimur, ſi ſoli in periculo uerſemur. Paulus ergo quod dixiſſet, Creatura ſubiacet uanitati non uolens, addit, Experti enim ſumus quod omnes homines, qui modo ratione utuntur, & non prorſus obbruerunt, miſerabiliter gemũt, imò more parturientiũ anguntur ὠδῖνα, id eſt, quàm diu nunc, id eſt, quoad hic uiuunt. Nam in 2. ad Corinth. 5. cap. Nam in hoc gemimus (inquit) domicilio noſtro quod è cœlo eſt ſuperindui deſyderãtes, &c. Quid ſi alluſiſſet ad illam ſaluatoris ſimilitudinem Ioan. 16. Mulier cum parit? &c.

Sancti quoq; angũtur.

Non ſolum autem hoc, ſed & ipſi qui primitias ſpiritus habemus, & noſipſi in nobiſipſis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri.

Amplificat à perſona apoſtolorum, qui primum accepere ſpiritum ſanctum neq; nulgari more. Porrò ſi illi angũtur & gemunt, quid mirũ ſi & noſipſi gemimus? Expectant & illi adoptionem (uide quomodo ſubinde ad ſuperiora redeat) quid ergo mirũ ſi etiam nos ſpei ſumus ſubditi? Per adoptionem uero intellexit redemptionem corporis.

Siquidẽ ſpe ſeruati ſumus: porrò ſpes ſi uideatur non eſt ſpes. Quod enim quis uidet cur idem ſperet? ſi uero quod non uidemus ſperamus, id per patientiam expectamus.

Επαναφορὰ ſiue relatio eſt. Nam dixerat deum ſubdidiſſe credẽtes ſpei: iam ergo ex natura ſpei conſolatur decertantes. Dicit autem, Spes eſt earum rerum quæ non uidentur. Vos autem eſtis ſpe ſaluati: ergo ſalus longanimitate & patientia expectanda erit: neque deſperandum ſi alia ob oculos uerſentur quàm expectaueramus. Interim uide Lector candide quanto delectu, quantáue uerborum uirtute ſcripſerit omnia. Principio enim ut certitudinem ſalutis notaret, commode & ſuo loco heterofi uſus eſt. Nam nemo dum hic uiuit ſaluus eſt: attamen dicit, Spe ſeruati ſumus. Spes enim futura facit præſentia & incerta aliâs, certiſſima. Deinde ſpem ſecũdo loco per metonymiam uel metalepſim poſuit pro re ſperata. Videndi autem uerbum pro ſentiendi. Viſibilia enim uoco quæ ſenſibus percipiuntur, & iam nunc in præſentiarum habentur. Iam ſequitur elegãtiſſima ſententia ex contrarijs compoſita, & per interrogationem figurata. Quod enim quis uidet, cur idem ſperet? Spes enim eſt rerum abſentium. Rectiſſime ergo infert, Si uero id ſperamus quod non uidemus, & ſalutem redemptionemq; ſperamus, certe hæc non niſi patientia expectanda erunt. Proinde toleranda aduerſa, durãdum in periculis, nullibi ceſſandũ. Et Plutarchus author eſt in libello de ratione uictus, uulgatũ apud ueteres fuiſſe prouerbium, Spes ſeruat afflictos. Nota eſt & Naſonis non omnino inelegans ſentẽtia,

Spes bona dat uires animum quoq; ſpes bona firmat,
Viuere ſpe uidi, qui moriturus erat.

Nec minus elegans eſt & illa Græcorum, Ανὴρ ἀτυχῶν, σώζεται τὰῖς ἐλπίσι, id eſt, Spes ſeruat hominem, rebus in duris bona. Et ſpes quidem ſine patientia nulla eſt. Hinc ad Hebræos 10. Patientia nobis opus eſt (inquit Apoſtolus) ut uoluntate dei perfecta, reportemus promiſſionem. Nam quod fides certo uidet ac intelligit, id ſpes longanimitate expectat: imò & pro perſeuerantia ponitur, & pro fide nonnunquam accipitur, ut & hæc pro illa. Siquidem ad Hebræ. 11. finiuit, Fidem eſſe rerum ſperandarũ. Et ad Epheſ. Gratia ſalui facti eſtis (inquit) idq; per fidem. Hic uero, Spe ſalui facti eſtis. Proinde ſi uerum fateri uolumus de fide & ſpe, imò & charitate, eadem prorſus ſunt, niſi quod incrementa unæ rei alia atq; alia indunt nomina. Hinc ad Corinthios, Nunc autem (ait) manet fides, ſpes & charitas, tria hæc, ſed maxima in his charitas. Nam tria hæc cõplectitur una pietas & religio uera, neq; aliud ſunt quàm ardens in domino cor. Verum natura præcedit fides per quam cognoſcimus cui innitamur. Sequitur autem ſpes, qua iam in cognita re duramus, idq; in ipſa expectamus quod fide expectandum didicimus. At charitas, id eſt amor dei, colophon eſt, & extendit ſe ad proximum quoq;, unde omnium latiſſime patet. Itaq; uides unam atq; eandem rem eſſe, quæ ex effectu & incremento uaria indipiſcitur nomina. Eadẽ enim fides, iam ſpes, mox uero charitas appellatur, quæ tamen una eſt pietas. Quod ſi libet Charitum uel Gratiarum imagine præſens negotiũ expende. Tradiderunt enim Gentilium uates tres eſſe Gratias, ſed ita connexas ut una uideatur, alteraq; trahat alteram. Quò fortaſſis pertinet illud Sophoclis χάρις χάριν γὰρ ὄστις ἤκτισ' ἄει. Illud quoq; apud Latinos celebratiſſimum prouerbium, Gratia gratiam parit. Hæc copioſius propter eos tractamus, qui rerum diuinarũ ignari clamitant, Spe ſeruati ſumus, ergo non fide: item charitati debetur iuſtitia, ergo non fidei tantũ. Quaſi uero Paulus ſecum pugnarit cum ſcripſit, Conſummatio legis charitas. Et alibi, Perfectio legis Chriſtus ad iuſtificationem omni credenti: ſed redimus. Paulus iſtis omnibus fideles cõſolari uoluit: quaſi dicat, Dominus ſubiecit nos ſpei, noluit in terris ac carne agentibus abſolutam conferre felicitatem, ſed ſpem iniĳcere, fore ut ĳ aliquando æterna beatitudine perfruantur qui legitime hic certauerint, & carnis impetus fregerint.

Nodus fidei, ſpei & charitatis.

1. Cor. 13.

Gratiæ.

1. Timoth. 1.

Roma. 10.

Conſimiliter autem & ſpiritus auxiliatur infirmitatibus noſtris. Siquidem hoc ipſum quid oraturi ſimus, ut oportet, nõ nouimus: uerum

ipſe

ipſe ſpiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ille uero qui ſcrutatur corda, nouit quis ſit affectus ſpiritus, quoniam ſecũdum deum intercedit pro ſanctis.

Iam ab efficacia orationis fideles conſolatur. At fideli oratione nihil eſt efficacius. Iacobus enim, Multum (ait) ualet deprecatio iuſti aſſidua. Et per ſpiritum alij intellexerũt ſpiritum ſanctum: ſed ex ſuperioribus & huius loci circumſtantia ſatis liquet, ſpiritum hoc loco uſurpari à Paulo, pro fideli hominis mente, pro ipſa inquam fide, uel ſi ita libet pro homine interiore, qui à ſpiritu dei bono inſtitutus carni repugnat, ut in 7. cap. audiuimus. Hic ergo ſpiritus inceſſanter dolet de imbecillitate noſtra. Quæ uero illa? Hæc ſanè quod adeò omni præſidio deſtituti ſumus ſecundũ carnem, ut etiam neſciamus quibus opus præſidijs, quid ſit optandum, aut quomodo. Solet enim caro plerunq; uel crucem deprecari, uel peſtifera aliqua, opes, honores, uoluptates, & id genus alia poſtulare, quæ poſtea in noſtrum uergerent exitium, ſi à deo pro uotis noſtris conferrẽtur. Hic ergo emicat ſpiritus & ὑπερεντυγχάνει, quod interpres aliquando uertit poſtulat, aliquando interpellat aut intercedit. Eſt autem quoties quis conuenit aliquem ſuper negotio alterius, uelut ſi quis adeat principem commendaturus cauſſam amici. Germani dicimus, *Er verbeſſert vnd handlet jm ſin ſach.* Ad ardorem & fidelitatem agendi explicãdam facit illud, quod ait, Gemitibus inenarrabilibus. Quiſq; enim apud ſe, ſi modo recte credidit, ſentit, quanto dolore afficiatur ſpiritus ſuus bonus, quum ſubinde experiri cogitur quod iuxta inſitum genium ea ſolummodo cupere & precari geſtit, quæ amor ſui & male ſuada caro iubet ſuggeritq;. Sed audi quod præmodũ ſoletur, Numen illud ſupernũ quod corda & renes, id eſt, cogitationes & cupiditates noſtras non neſcit, etiam hanc affectionem, hunc ſenſum, hoc conſilium, preces inquam, & interceſſionem animi pij, nouit, uidet, & audit. Audit inquam, ὅτι, id eſt, quod hic ſpiritus ſecundum deum, id eſt, ad deum clamat pro ſanctis, id eſt, ſanctificatis pro ipſis fidelibus, ſeipſis ſcilicet. Vel, intellige hãc particulam, Quoniam ſecundum deum clamat pro ſanctis, cauſſam eſſe cur norit, id eſt, exaudiat gemitus: nimirum quod interceſſio pro ſanctis, id eſt, ſeipſis, ſit ſecundũ deum, id eſt, ſecundum dei uoluntatem, pia & ſancta, quam pro iuſtitia & bonitate ſua non ſuſcipere non poſſit. Alij aliud ſequuntur, ſed hęc ſimpliciora & magis genuina uidentur. Breuiter, Audet homo pro ſua ſtultitia, & ut ſui ſtudioſus eſt, à deo nonnunquam petere quæ æquum non eſt ipſum dare, uel hominem accipere. Hic ergo ſudat fides, dolens de pertinaci ſtultitia carnis, gemit, obſecrat, ueniãq; petit. At deus qui ſe inuocantes non deſerit, æqua poſtulatione permotus, cõfert quod poſtulabatur, & ſanctis ſubſidium ad expugnandam carnem cœlitus mittit.

Auxiliũ ab oratione.

Scimus autem quod diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui iuxta propoſitum uocati ſunt.

Hic conſolatur per diuinam prouidentiam, indicans quo conſilio ſancti malis exercentur, & ait, Nec eſt quod in tantis malis formidemus ne malorũ ui uicti deficiamus, cũ illud ſciamus (obſerua emphaſim) certiſſimumq; habeamus, quod quicquid malorum pijs acciderit, non citra numinis prouidentiam accidat, imò in hoc accidat ut in bonum cedat. Eſt autem frequens uſus loci à Prouidentia ſuperni numinis, pro confirmatione fidelium. Sic eteñ & Chriſtus ſuos conſolatus apud Matth. in 10. dixit, Veſtri pili omnes numerati ſunt: quocirca ne metuatis eos. Et in 6. cap. eximẽs impiam rerum temporalium curam, Quis ex uobis (inquit) ſolicite cogitando poteſt ad ſtaturam ſuam unum addere cubitum? Et omnino frequens eſt hic locus in ſacris, in prophetis maxime, ſed & nullus plus conſolationis habet. Illud uero auguſtum eſt quod diligentibus & non credentibus dixit. Dilectio enim quodam modo abſolutam in ſe comprehendit pietatem, cum credentis uox humilior ſit. Diligentibus ergo, hoc eſt pijs uereq; religioſis omnia cooperantur in bonum. Omnia autem dixit cum conditione quadam, nimirũ hac, quæ in electum uel diligentem deum cadere poſſunt. Nam ſynekdocha eſt. Cadũt autem in electos afflictio, miſeria, tentatio & infirmitas cum animi tum corporis: at in eundẽ non

Locus à dei prouidentia.

cadit impietas aut peccati perſeuerantia. Recte enim alibi idem Apoſtolus, Omnia quidem (ait) pura puris: porrò pollutis & infidelibus nihil eſt purũ, ſed polluta eſt illorum mens & conſcientia. Porrò ad expoſitionem eius qui nam deum diligant, uel quibus omnia in bonum cedant, pertinet quod ſequitur, Qui iuxta propoſitum uocati ſunt: hoc eſt, hi deum uere diligunt & ijs omnia in bonum cedunt, qui iuxta propoſitum uocati ſunt. προθεσιν autem, hoc eſt, propoſitum quidam ſanctorum uocarunt liberam dei uoluntatem & electionem, qua apud ſe ſecũdum iuſtitiam & æquitatem decernit, nullis ad hoc ipſum uel meritis uel bonis operibus mouentibus. Sed illud re uera dei conſilium eſt, quo ſibi propoſuit credentes filio ſuo efficere cõformes. Sic enim in Epheſijs clarius ſcribit, Elegit nos in Chriſto antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo per charitatem, qui prædeſtinauit nos ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, in ſeſe, iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, &c. Obſeruabis autem quàm religioſe & conceptis uerbis de Prouidentia loquatur q̃ ſtudioſe caueat ne deum truculẽtiæ inſimulet, uel peccati uel lapſus noſtri culpam ipſi impingat, aut impijs peccandi anſam ſubminiſtret: ſed de eo propoſito ſignificãter loquatur, quo ſibi ab æterno propoſuit nos in filio & per crucem ſaluare. Igitur ne oro plus ſapere uelimus quàm fidei regula præſcribit: néue aliò trahamus uerba q̃ ipſe flagitat contextus.

Hæc ex ſequentibus clariora.

Quoniam quos præſciuerat eoſdem & præfiniuit cõformes imaginis filij ſui, ut ipſe ſit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos prædefinierat, eoſdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.

Paucis & per tranſcurſum, quando ita ſeſe obtulerat occaſio, rationem conſilij diuini ordinemq; iuſtificationis pingit, ad hunc ferè modum. Primo libera dei uolũtate eligit nos: eligit autem in filio, nempe ut per filium nos abſoluat, & per ueſtigia filij ducat. Hic propoſiti ſcopus eſt, ut iamiam ex Epheſijs didicimus. Deinde quos ſic præfiniuit ſiue prædeſtinauit in filio, eos etiam uocat, non modo externo (ut aiunt) uerbo, ſed & interno, Nam multi ſunt uocati, ſed pauci electi. Etſi enim toti mundo prædicetur euangelium, pauciſſimi tamen ei credunt. Quos ergo deus prædeſtinauit, eorum corda etiam ſpiritu ſuo imbuit, eoſdem gratia ſua iuſtificat per fidem: tandem uero & immortalitate donat. Hic iuſtificationis ordo eſt. Sed quid hæc ad præſens inſtitutum faciunt? Multum, ſi modo concinne ſtatui aptes. Nunc enim per gradationem quandam explicat quomodo diligentibus deum, ſecundum dei propoſitum, omnia, etiam aduerſa illa, in bonũ cedant, *προώρισε.* ſic, Quos ab æterno præſciuit, eoſdem etiam hic ceu terminis præfixis ducit, nec in aliud, quàm ut conformes fiant imagini filij ſui. Atqui filius per crucem & afflictiones uarias intrauit in regnum patris: dum ergo affliguntur credentes, ipſa quidem afflictio in bonum cedit. Nam ſancti hoc propoſito conſilioq; dei affliguntur, ut conformes fiant imagini filij ſui. Ex quo loco conijcimus quò ſpectet dei propoſitum, & quodnam ſit illud dei propoſitum, item quos iuxta propoſitum ſuum uocet, eos nimirum quos per tribulationes ad gaudia ducit. Hoc enim illius eſt propoſitum, ut in filio ſaluet, & ad exemplum eius ducat. Hinc primogenitus caput (in quo hæreditas) ac ueluti dux, exemplum ac ὁ ἀρχηγὸς dicitur fratrum, hoc eſt fideliũ. Nam Petrus, Chriſtus (ait) paſſus pro nobis, reliquit nobis exemplum, ut inſequeremur ueſtigia eius. His iunguntur etiam gradus, quibus ad hoc peruenitur, ſed & afflictionum fructus, glorificatio. Nam quos uocauit & ad ſe traxit, ad crucem quoq; uocatione ſua affixit, eos etiam per fidem iuſtificauit: & quos iuſtificauit, eos etiam glorificauit. Sic enim per præteritum, propter certitudinẽ de futura gloria æternæ uitæ & reſurrectionis, loquitur: quæ quidem afflictionum dolores aſperrimos aliâs præmodum lenit mitigatq;. *1. Pet. 2.*

Quid ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos?

Cataſtrophe eſt. Hoc enim dicit. Cum ergo afflictionum propoſitiq; dei argumento conſtet nos eſſe dei, deum contra noſtrum, utpote qui & affligẽdo proſit, nihil eſt quod in hoc

in hoc orbe & tanta malorum turba timeamus ne nos fuſi ſuccumbamus. Si enim omnipotens à fidelium ſtat partibus, nemo eſt neq; ullum infortunium erit, quod fidelibus nocere poſſit. Paria legimus apud Iſaiam in 51. & in Pſalm. 27. Sed & ipſe Chriſtus apud Matthæũ prædixit ne ipſas quidem inferi portas aduerſum eccleſiam præualituras. Hæc habui ſimplicia (ni fallor) de ſimplici huius loci ſenſu. Nec ignoro quantum in hoc campo ſudarint egregia uirorum ingenia, quàm abſtruſa hinc eruerint myſteria, quæ cum omnium terantur manibus, non eſt quod Iliada poſt Homerum ſcribere pergam. Quin & animi mei conſilium non huc ſpectat, ut omnium excutiam ſententias, ſed ut Pauli ſenſum q̃ breuibus ad ſtatum redigam expendamq; p, idq; quàm fieri poteſt ſimpliciſſime, ſineq; uerborum & rerum (quod dici ſolet) Mæandris. Pergimus ergo in Paulo.

Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poſſet ut cum eodem non omnia etiam tradiderit nobis?

Ne quis obiiceret Fortaſſis ipſe minus propitium habeo deum: unde enim conſtat quod ille ſit à partibus noſtris? Præoccupat & miſere fluctuantem cõfirmat mentem, dicens, Per hoc patet quod ille deus ſummus, noſter ſit nobisq; bene uelit, quod filiũ illũ ſibi coæqualẽ pro nobis expenderit. Cęterum omnia ſunt emphatica patheticaq;. Nam genium habet quod dicit filium propriũ. Retro enim in typo legimus Abrahæ dictum, Tolle filium tuum unigenitũ quem diligis Iſaac, iſtuc animi tui gaudium, ac uade in Moream, atq; ibi offer eum in holocauſtum. Deinde quod dicit, Non pepercit, multo auguſtius eſt, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet, Proprium filium nobis donauit. Illud enim præſcribit ineffabilem dei erga nos charitatem, qua affectus ne chariſſimo quidem & innocentiſſimo ſuo, noſtri cauſſa, pepercit, ſed pro nobis omnibus, unũ inquam pro oĩbus, et Iudęis & Gentibus, pro omnibus inquã ſęculis, ętatibus, hominũq; generibus tradidit. Tradidit autẽ in mortẽ crucis turpiſſimã, ut nihil ſuperſit quod ille nõ impoſuiſſet, uel hic uolens ac lubens ſuſcepiſſet, ſi quid amplius fuiſſet noſtri cauſſa faciundum, Phil. 2. Proinde cum filiũ nobis impenderit in quo ſunt omnia (Colloſ. 2.) nónne conſequitur eo nobis donato ſimul donata eſſe omnia quæ ſunt filij, cuius nos cohæredes? Nónne iam certiſſimũ eſt hunc deum noſtrum eſſe, qui tanto arrabone ſe nobis deuinxerit, charitatemq; ſuã nobis tanto argumento declararit? Aut quid negabit nobis, poſteaquam eum nobis impendit, quo non eſt aliud pretioſius in cœlo & in terra? O profundas diuinæ bonitatis diuitias, Quis hæc ſatis digne expenderit?

Beneuolentia dei conſolatur.

Verborum ponderus.

Quis intẽtabit crimina aduerſus electos dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò qui et excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis.

Idem dicit quod ſupra, ſed copioſius & cum ſingulari euidentia. Habet enim repetitio rerum, occultam uim. Cõſolatur ergo & dicit, Nec periculum eſt, ut hũc benignum erga nos animum opera calumniatoris mutet. Quis enim auſit accuſationem inſtituere aduerſus eos q̃s deus ille uere optimue maximus iuſtificauit ac iam pro ſuis ducit? Hic nulla erit nobis timenda damnatio, quis enim abſolutos damnaret? Quod autem abſoluti ſimus hinc liquet quod Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, nec mortuus tantũ, ſed & exuſcitatus: quo oſtendit peccatum unà cum morte proſus eſſe deiectum: niſi enim euiciſſet peccatum iam præualuiſſet mors, & peccati pœna: hac autem extincta ſuſtulit & peccatum, ut nunc nemo credentes damnare poſſit ob peccata. Sed & ad dexteram patris iam reſidet, non modo de inferis peccato & morte triumphans, ſed & intercedens pro nobis. Indies enim peccamus miſeri, cum etiam iuſtus in die ſepties cadat, ergo perpetua opus hoſtia, opus eſt & interceſſore qui apud deum cauſſam noſtram agat. Vnde & Ioannes, Si quis peccauerit (inquit) aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Ergo non eſt quod fideles damnationem propter peccatum timeant, modo ipſi frenum non permittant & à fide deficiãt.

Confirmantur afflictæ mentes

Hebr. 7. 10.

Quis nos ſeparabit à dilectione dei? afflictio ne? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculū? an gladius? quemadmodum ſcriptū eſt, Propter te morti tradimur tota die, habiti ſumus ueluti oues mactationi deſtinatæ.

Tandem concluſionem infert: Quaſi dicat, Quia ergo ſpes non confundit, ſpiritus pro nobis intercedit, aduerſaq; ipſa à dei propoſito conſilioq; proficiſcuntur: denicq; cū deus diligat nos, atq; filium pro nobis tradiderit, & in hoc uocarit ut conformes efficeremur imagini, hoc eſt, exemplo filij eius, iam hoc inde cōſequitur quod in omnibus uincemus afflictionibus. Et poſtremū hoc, afflictionum uidelicet genera, copioſiſſima enumeratione diuitiisq; rerum copia & uerborum lenocinio etiam ad miraculum uſq; proſequi uoluit. Nulla enim uirtus oratoria eſt, quam ille hic non intendat. Videas enim hic iunctas plurimas ſimul figuras, ἀδιάτου, congeriem, interrogationem & alias plures. Quid quod ueluti ſubito raptus affectu, in hanc exclamationem, ueluti celeuma canens, & iam in portum irruens, erumpit? Facit & illud non modo ad expolitionem quod teſtimonium ex Pſal. 43. producit, ſed etiam ad commouendum adfectum. Mira enim eſt illa ab ouibus ducta ſimilitudo, & nonnihil referens nobis Chriſti domini archetypum.

Iſaiæ 53. Actо. 8. Nam de hoc Iſaias, Tanquam ouis (inquit) ad occiſionem ductus eſt, &c.

Verū in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi perſuaſum habeo, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectiōe dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro.

Hæc ſubiectionis ſpeciem habent & ſenſum abſoluūt, Credentes longe in omnibus uincere afflictionibus, attamen non ſua, ſed dei uirtute. Nam ad Philip. Omnia poſſum (inquit) in eo qui me confortat. Quæ autem ſequuntur certitudinem & firmitatem ſpei credentium indicant. Nam & ſi cadant, nullatenus tamen excidūt, Heb. 6. 1. Ioan. 2. Enumeratio uero iſta huc pertinet, quod nihil ſit in orbe, quod credentes à fide poſſit abſtrahere. Sic enim legimus Petrum, roganti domino, num & apoſtoli recedere uellent? reſpondiſſe, Quò ibimus domine? Verba uitæ æternæ tu habes: imò nos credimus & cognouimus, quod tu es Chriſtus filius dei uiui, Ioan. 6. Hęc autem eſt illa præſignis Chriſtianorum conſtantia, Martyrum uirtus, de qua & Chriſtum dixiſſe legimus, In patientia ueſtra poſſidebitis animas ueſtras. Item, Qui perſeuerauerit in finem uſq;, hic ſaluus erit. Hæc de conſolatione ſatis iam ſunt (ni fallor) perſpicua.

Epilogus. Porrò hæc eſt huius epiſtolæ pars prima, in qua feliciſſime abſoluit ſummam doctrinæ euangelicæ, de qua in argumento epiſtolæ, quātum ſatis eſt, diſſeruimus. Quid enim multis opus eſt? Vidiſti Lector quod facili orationis figura nec minus graui, omne id de Peccato, Iuſtitia & Iudicio expoſuit, quod de ijs dici uel potuit uel Chriſtianum ſcire neceſſum ſit. At hæc illa ipſa ſunt rerum capita, de quibus in Euangelio audimus diſcipulis dixiſſe dominum, Cum uenerit ſpiritus ſanctus, ille inducet uos in omnem ueritatem, & ſuggeret quæcunq; dixi uobis. Arguet autem mundum de Peccato, de Iuſtitia, & de Iudicio. De peccato quidem, quia non credūt in me. De iuſtitia uero, quia ad patrem uado, & poſthac non uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iu-

Locus Ioan. 16. excuſſus. dicatus eſt. Quod quid aliud eſt quàm ſi dixiſſet? Spiritus ſanctus ſummā doctrinæ meæ quæ partim ob imbecillitatem, partim ob ignauiam excidit, uobis in memoriā reducet, indicabitq; quale ſit futurum regnum meum, aut qualis eſſe debeat per orbem prædicatio ueſtra de me. Quod ſi ſumma rerum capita requiratis, hæc ſunt, Spiritus ſanctus ueſtra opera ac prædicatione demonſtrabit orbi, imò & impiū mundum conuincet, quod

Ioan. 4. 12. 2. Cor. 5. omnes homines ſint peccatores, iuſtificētur autem gratis per redemptionē Chriſti, qui uerum cultum, ſublata carne, tranſtulerit in ſpiritū. Proin & hortabitur (inquit) ut uita

priſtina

priſtina poſita, ſatanæ quem ille deuicit, non ſeruiamus, ſed ambulemus in nouitate uitæ. His ſi iam conferas hæc octo Pauli capita, dices ea uerbi dominici eſſe commentaria. Nam tribus primis capitibus peccati conuicit homines, maxime his impietatem, id eſt, incredulitatem opprobrans, ex hac enim ceu fonte manãt omnia peccata. At in fine tertij capitis & per conſequẽtia duo 4. & 5. perſpicue docuit iuſtitiam eſſe fidei, quæ quidem fides fit in Chriſtum Ieſum, qui in Ioanne dicitur iuiſſe ad patrem. Cæterum hac locutionis forma, Quia uado ad patrem, comprehendimus incarnationem, mortem & glorificationem, imò totum Chriſti negotium. Ergo in redemptione eius eſt iuſtitia et uita: ſicut copioſiſſime traditum eſt in 5. Poſtrema uero capita 6. 7. & 8. docent uitæ innocentiam, nempe ut eiectum deuictumq; huius mundi principem impugnantes caueamus ne reſumptis uiribus ſub peccatum coniectos noſtri dominetur. Atq; hæc quidem omnia nihil profuerit cognouiſſe, niſi & uitam noſtram totam ad ipſa componamus. Beati enim illi pronunciantur à domino, qui audiunt uerbum dei, & cuſtodiunt illud. Iam uero aggredimur (utinã ſecundo ſpiritus ſancti afflatu) ſecundã huius epiſtolæ partem.

SECVNDA EPISTOLAE PARS.

NOua tractatio eſt quæ ſequitur, & tamen à ſuperiore non prorſus diuulſa. Differit enim De uocatione Gentium, & reiectione Iudæorum. Non enim crediderim ipſum niſi per occaſionem, idq; opido paucis de electione & prædeſtinatione diſputare. Cauſſa autem inſtituti huius non una eſſe uidetur. Siquidem maxima erat inter Iudæos & Gentes ſimulatio, his quidem fidei nomine ſatis ferociẽtibus, illis uero odioſius repugnantibus. Suæ enim iuſtitię confiſi, atq; de deo gloriantes, has ceu prophanas & à deo, lege ac teſtamentis alieniſſimas execrabãtur. Peccabatur autem utrinq; : at utriuſq; gentis ſtudioſus erat Paulus. Abſoluta ergo generali euangelij prędicatione, ad hoc diſſidium componẽdum deſcendit, & ſcripturis uocationem Gentium probat: huic ex oppoſito opponit Iudæorum reiectionem eadem ſcripturarum authoritate confirmatam: oſtendit præterea reiectionis cauſſam quod nimiũ ſuæ fidant iuſtitiæ. Hic ergo totus in hoc eſt, ut à falſa ſui fiducia excuſſos, ſub fidei iugũ mittat, atq; hac parte hæc cum ſuperioribus coaleſcunt. Cæterum ipſa rerum tractatione ſingula ſeſe aperient.

CAP. IX.

Veritatem dico per Ieſum Chriſtum, non mentior, atteſtante ſimul conſcientia mea, per ſpiritum ſanctum, quod dolor mihi ſit magnus, & aſſiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ,

Obteſtatio.

Ab obteſtatione graui grauem auſpicatur cauſſam. Quia enim plurimũ haberet odij, & nomen Pauli, tanquam hoſtis populi Iudaici, apud Iudæos peſſime audiret, obteſtatione ab inuidia ſeſe expurgat: quaſi dicat, Quod autem poſthac de Gentium uocatione & repudio gentis Iudaicæ dicã, deum teſtor, quod nulla inuidia aut affectu malo dicam. Nam tantum abeſt ut me Iudaici populi lapſus oblectet, ut magis animum iugi dolore diſcruciet conficiatq;, imò & mei capitis periculo animæq; diſpendio illorum ſalutem redimere cuperem ſi liceret. His accedit & illud epicherema quod Iudæos uocat cognatos ſuos. Quis uero oderit carnẽ ſuam? Erat enim ipſe Paulus Iſraëlites, ut de ſeſe in Corinthijs & Philippenſibus refert. Illud aũt habet peculiarem uim quod tanta uerborum congerie utitur. Non ſatis erat dixiſſe, Veritatẽ dico, addit cõteſtationem, Per Chriſtum Ieſum. Vbi ergo nunc ſunt Catabaptiſtarum betacea contra legitimũ iuſiurãdum tela? Nec hoc contentus, addit contrarium, Non mentior. Id uero conteſtatione alia iterum obſignat, Atteſtante mihi ſimul conſciẽtia mea. Et ne quis hanc contemneret, ſpiritum ſanctũ quoq; uocat in teſtem. Iam & illud nõ mediocrẽ habet in re preſenti gratiã quod ex abrupto incipit, & truncato orationis genere utitur. Hoc enim tum data opera uti ſolemus, cum de re dicturi ſumus, quam ſi liceret ſilentio tranſire mallemus. Necq; ſine amplificatione effert animi ſui dolorem. De uoce Anathematis multa eaq; lectu & iucunda

Iuramentum.

Anathema.

& digna ſcripſit Budæus in Com. ling. Græcæ. D. Hierony. ait Iudæis hanc peculiarem eſſe, & extremam deteſtationem ſignificare. Idem ad Algaſiam quæſt. 9. putat anathema hic accipi pro occiſione corporali: uerum ipſa Pauli uerba reclamant, dicit enim, Optarim anathema eſſe à Chriſto. Nam particula, à Chriſto, conuincit eum loqui de ſalutis diſpendio: quaſi dicat, Optarim abdicari à Chriſto, relegari, reiici, uel alienum eſſe. Etenim homines ſacri, quorum capita diis inferis deuota erant, dicti ſunt ἀναθέματα. Nos dicimus *verbandt, verſchickt, verſtoſſen, enterbt, verflücht.* Apud Hebræos ab exterminio nomen habet חרם, quaſi dicas excidium & παναλεθρία, aut ſi malis internitio, noſtri excommunicationem dixere. In Galatis poſuit eandem uocem pro deuoto & execrabili, Illud (inquit) deuotum ſit & execrabile. Ex hoc autem loco diſce quanto animi affectu, ardore & ſtudio erga plebem ſuam affecti eſſe debeant proceres eccleſiaſtici. Maxime cum etiã Moſen dixiſſe legamus, Aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro uitæ, Exo. 32. Hodie tyrannis & iniquitas regnat, quod charitate extincta nihil ſuperſit humanitatis.

quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones, quorũ ſunt patres & ĩj ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſæcula, Amen.

Gloria gentis Iudaicæ.

Nominatim etiam recenſet Iudæorum gloriam, ut inſtitutum ſuum plus gratiæ minus haberet inuidiæq́, cum ipſimet Iudæi ſentirent Paulum iuſtæ ipſorum gloriæ nihil derogatum uelle. Porrò per adoptionem intellexit electionem illam dei liberã, qua ceu peculium ex omnibus uocati lectiq́ ſunt Gentibus. De quo Exodi 19. & Deute. 7. ac 32. Per gloriam Hebræi diuinitatem dei iuxta arcam fœderis intelligũt. Quid ſi triumphos, uictorias & regnũ intelligamus, quæ maxima eſt inter mortales gloria? Teſtamenta ſunt tabulæ teſtamenti & fœdera, aliâs enim iam olim didicimus unicum tantũ eſſe teſtamentum. Quæ autem ſequitur legislatio ad omnes leges & mores pertinet. Cultus λατρεία, eſt cultiſſimum illud ſacerdotium, eſt & exterior & ceremonialis illa religio, ad certũ permiſſa tempus. At promiſſiones magnæ illis ac uariæ fuerunt. Patrum quoq; magna eſt gloria, ſi nullo alio nomine, profecto hoc in primis, quod ex ipſis Meſſias, quantum uidelicet hominem attinet, natus eſt, dictus Abrahæ & Dauidis filius, qui re uera dei filius erat, deus uerus & ſuper omnia benedictus. Quo loco tam clare, ut nullo alio æque, cognoſcimus duas in uno Chriſto eſſe naturas, diuinam puto & humanam. Verum nunc ad aliud accelerandum. Nulla enim luce opus habent, quæ per ſe ſatis ſunt perſpicua.

Non autem hoc dico quod exciderit ſermo dei.

Commode iam hiſce uerbis ceu tranſitionis formula, ad negotium ſuum tranſit. At quæ (inquit) hactenus de inclyta gentis Iudaicæ gloria dixi, nemo ſic interpretetur, quaſi ſentiam propterea uerbum domini quod de uocatione Gentium, & reiectione Iudæorum firmum & frequens eſt, excidiſſe & irritum factum eſſe. Iam ſequitur quod ſenſum abſoluit.

Non enim omnes qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël: neq; quia ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes filij, ſed per Iſaac nominabitur tibi ſemen. Hoc eſt, non qui filij carnis, ĩ filij dei, ſed qui ſunt filij promiſſionis recẽſentur in ſemen. Promiſſionis enim ſermo hic eſt, In tempore hoc ueniam & erit Saræ filius.

Contra carnalem natiuitatem.

Iudæi enim carnali natiuitati nimium confiſi & promiſſionibus prophetarum finiſtre intellectis freti, minis prophetarum de repudiatione ſua & Gentiũ uocatione non credebant, imò populum dei externis illis metiebantur: hinc neq; ipſas quidem Gentes credidêrunt ad populum dei pertinere, neq; ipſi carne præmodum inflati, euangelio, quod in propheticis ſcripturis fundabatur, credebant. Paulus ergo fidelis domini ſeruus ubi uidiſſet quid miſeros remoraretur, remoras hoc loco tollit omnes, & ait, Erra-

tis, ô

tis, ò fratres, erratis. Fallimini enim dum neminem putatis intra dei populum recenseri posse, nisi qui ex semine sit Abrahæ carnaliter natus. Imò fallimini dum uosmetipsos creditis esse Abrahæ filios. Probo. Illi demum sunt ueri filij familias, filij inquam dei & Abrahæ, qui promissionis filij sunt. Probo duplici ex Gene. 21. & 18. petito testimonio. Nam in Isaac (dicit dominus) uocabitur tibi semen. Id est, Illi habebuntur filij qui more Isaac fuerint nati. Sed Isaac per promissionem natus est. Nam scriptum est, In tempore hoc ueniam & erit Saræ filius, Saræ inquam, quæ iam per ætatem sterilem omnino parere defierat: ergo constat promissionis filios, ueros esse Abrahæ filios. His iam adde, Sed Gentes etsi non possint carnales esse Abrahæ filij, poterunt tamen promissionis esse filij: ergo & de populo dei. Rursus. Vos Iudæi non estis promissionis filij. Non enim creditis in eum quem misit uobis deus: ergo non estis populus dei. Hic uides tam uocationem Gentium, quàm Iudæorum repudium esse assertum: deniq; istis contusam iacere carnalem Iudæorum gloriationem, ut iam cogantur, nisi prorsus perire uelint se filios dei dedere. Nam promissionis filij sunt qui credunt. Hoc enim postulat Relatiuorum ratio. Promissio nanq; fidem poscit.

Non solum autem hoc, sed & Rebecca ex uno conceperat Isaac patre nostro, nondum enim natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent neque mali, ut secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est illi, Maior seruiet minori. Sicut scriptum est, Iacob dilexi Esau autem odio habui.

Sunt qui hunc locum superioribus sic affigant, Hoc autem mysterij non modo in Sara, quin etiam in Rebecca euenit. Sed (Non solum autem hoc) uidetur cohesionis esse formula, ueluti si dicam, Magna sunt quæ dixi, sed maiora sunt quæ sequũtur: ita & Paulus, Accedit (inquit) ad hoc, ueluti firmius quippiam. Alio enim scripturæ testimonio eoq; longe euidentissimo Iudaicam confringit gloriationem, eodem asserit Vocationem Gentium, & ad fidem Christi (aliud interim agens) Iudæos trahit: qui non modo natalibus, sed & meritis suis nitebantur, & ijs populum dei metiebantur, ideoq; & Gentes contemnebant. At Paulus exemplo ex 25. Gene. cap. producto, sic arguit, Si natiuitas aliquid ad pietatem facit, aut ex semine Abrahæ carnaliter natum esse, populo dei (ut existimatis) inserit, qui obsecro factum est, ut Esau quoque non minus fuerit pius, quàm Iacob? aut Idumæi qui Esau patre nati sunt, nomen Seminis Abrahæ non habuerint? Nullum enim discrimen inter eos (si natales spectes) inuenias: cum ex eodem patre concepti eademq; matre sint prognati. Id etenim uoluit hoc superstitioso fermè locutionis genere ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, quasi tu dicas, Ex uno concubitum habens. Constat ergo quod carnalis natiuitas ad pietatem nihil conferat, sed uocatio dei. Rursus, Si opera uel merita iustificarent uel populo dei inserirent, iam deus non pronunciasset de Iacob & Esau priusquam boni quippiam aut mali fecissent. Iam autem pronunciauit, & illum quidem adoptauit, hunc uero abdicauit. Id uero duplici testimonio ceu à Pronunciatis probat. Alterum enim Mosis est, Malachiæ alterum: proinde opera uel merita populo dei non inserunt: sed gratia, uocatio, ac libera dei uoluntas. In summa. Qui uocantur à deo hi sunt dei & Abrahæ filij, hæredes uitæ & populus dei. Iam uero ordine subiungeret, Sed Gentes uocatæ sunt, ergo populus dei sunt. Quia uero obiectionibus calumniatorum respondendum uidebatur subsumptionem hanc aliquousque differt. Nam post aliquot uersus rediens, Quos & uocauit (inquit) nimirum nos, &c. interim uero digreditur in causſam huic negotio admodum seruientem. Priusquam tamen hinc moueamus id in primis admonendum uidetur, quod per Esau carnalis ille populus Israeliticus typo est significatus: per Iacob autem Gentium ecclesia. Siquidem scriptum est, Duæ Gentes in utero tuo, & duo populi ex uentre tuo diuidentur. Igitur maiorem, hoc est seniorem ac primogenitum, ueterem, inquam, Iudæorum synagogam odio habuit, neglexit, & abdicauit deus. Minorem autem, id est

Contra merita pro gratia.

Obserua.

iuniorem & natu posteriorem, humilem & contemptam Gentium ecclesiam dilexit, uocauit & fouit. At quid oro potuit super hac re afferri quadrantius ac proprium magis? Hoc certè uoluit deus ostendere quod in sua potestate sit uiuificare & occidere, adoptare & repudiare, secundũ uocationem, propositum & liberam electionem. Elegit aũt quos uult: imò quos uelit & sibi eligere proposuerit, hoc exemplo demonstrauit, nempe Gentes. Proinde certa est Vocatio Gentium, qua etiam constat salutem solius esse gratiæ, & nullius meriti, rumpantur ut ilia Codro. Nunc ad obiectionẽ descendimus diluendam.

Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud deũ? Absit. Nam Mosi dicit, Miserebor cuiuscunq; misereor, & commiserabor quemcunq; commiseror. Itaq; non uolentis est neq; currentis, sed miserentis dei.

Quod deus in electiõe iustus.

Pro more suo ipse quod obñci potuit recenset. Est aũt hic obiectionis sensus. Si Esau nihil mali egit, neq; Iacob boni quippiam, quandoquidem nondum nati erant, ut uel mereri (quod aiunt) uel demereri possent, interim tamen deus hunc dilexit, illum uero odio habuit: necessario consequitur quod deus sit iniustus, utpote qui non unicuiq; secundum opera sua tribuat. Sed absit (inquit Paulus) ut hæc de deo cogitemus, qui ipsissima est iustitia, apud quem nullus est personarũ respectus, qui citra meritum humanum hominum miseretur. Atq; ad hanc rem demonstrandã producit locum egregium ex 33. cap. 2. lib. Moseos. Petit Moses ut gloriã suam ipsi ostẽdat dñs. Hic uero respondet dñs: Ego transire faciam omnem bonitatẽ meam in conspectu tuo, & nominabo in nomine dei corã te, id est, tam spectro quodam q̃ nominibus dei quæ sit gloria mea ostendã tibi. Cæterum ne quis hanc reuelationẽ mirificam merito tribueret Mosis, addit, Miserebor cui misereboꝛ: id est, non te quidem aut merita tua respicio, sed in quemlibet ero beneficus, denicq; in quemuis cõmouebor uisceribus. Hanc interpretationẽ inuenire est apud Augustꝝ, quocq;, qui Quæst. lib. in Exodũ 2. quæst. 154. ad hunc modũ scribit, Illis uerbis prohibuit hominem ueluti de propriarũ uirtutum meritis gloriari, ut qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim ait, Miserebor talibus uel talibus, sed cui misericors fuero, ut neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiã tantæ uocationis meruisse demonstraret. Hæc Augusti. Ideocq; Paulus in præsenti statim subnectit, Itaq; non est uolentis neq; currentis, sed dei miserentis. Id est. Colligimus ergo salutem, iustitiam & uocationẽ dei non esse nostrarũ uirium, sed bonitatis ac gratiæ diuinæ. Et per Velle quidem ac currere omnia hominũ consilia, oñes conatus & uirtutes omnes intellexit. Proinde cum salus nostra non à meritis nostris pendeat, sed à gratia & bonitate dei, consequens est quod nulla sit apud deum iniustitia, qui Iacobum quidem dilexit, Esaum uero odio habuit.

Dicit enim scriptura Pharaoni, In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra. Itaq; cui uult miseretur, quem autem uult indurat.

Iterum ostendit salutem ac uocationem dei non esse uel uolentis uel currentis, sed dei miserentis. Id autem facit alio scripturæ testimonio, & Pharaonis exemplo petito ex 9. capite Exod. Ad illum mittuntur à domino legati Moses & Aaron cum huiusmodi mandatis, Dimitte populũ meum ut seruiant mihi, alioqui etiam nunc mitto omnes plagas meas in cor tuum, & in seruos tuos, & in populũ tuum, ut scias quod non sit similis mei in omni terra. Iam enim extendi manum meam ut percutiã te & populum tuũ peste, & eliminaberis de terra. Et sanè feci te manere (siue, seruaui te) ut ostendam tibi potẽtiam meam, & ut celebrent nomen meum in omni terra. Quod autem post tantas minas ad finem orationis apponit, Et profecto in hoc feci te stare, &c. correctione pathetica animi exprimit affectum. Quasi dicat, Peperci tibi hactenus & castigaui moderatius, iam uero nisi mutaueris animum, manum meam extendi ut te percutiam, & quantum uideo non seruaui te hactenus in bonum tuum. Hactenus enim longanimitate mea ad pœnitentiam inuitare uolui, tu uero illa abuteris. Ego quidem uolo seruare te, tu uis perire.

Quomodo deus indurarit Pharaonem.

Itaq;

Itaq; cogor in te meam exercere potẽtiam quando bonitate mea apud te proficio nihil. Verum ex illa mea ſeueritate id redibit ad poſteros utilitatis, ut iſti perpetuo ſint celebraturi nomen, id eſt bonitatem, longanimitatem & iuſtitiam meam. Nam in Pharaone uelut in compendio uim ſuam oſtendit deus. Huius uero exemplũ toti orbi proponit ſpectandum. Ipſe quidem Pharaonem condiderat ad bonum. Certe ex mera gratia reuocat illum ab erroribus, nihil omittens quod ad lucrandum ipſum attinet: pollicetur enim, minatur, fignisq; cor durum emollire ſatagit, ſed repudiat conſilium domini Pharao. Hinc uero iratus dominus indurauit cor eius. Hoc etẽ flagitat diuina iuſtitia, ut potenti ſeducantur errore qui ueritatem audire recuſant, magisq; proprij animi figmentis ob ſequũtur. 2. Theſſ. 2. Roma. 1. Cæterum quod protinus ab initio legationis dominus ait, Ego indurabo cor eius, nec dimittet populum meum, hanc habet ſententiam, Ego uero quid futurum ſit ſcio, & ex euentu iudico. Equidem benigne tractabo hominem, & longanimitate mea conabor lucrari illum, uerũ ipſe abutetur longanimitate illa mea, fietq; ut propter eius malitiam illa ipſa mea bonitate ipſum fim induraturus. Eſt igitur dei bonitas cauſſa ſine qua non (ut more ſcholaſtico loquar) ſed non eſt cauſſa efficiens. Nam deus non fecit malum ſeu indurationem illam in corde Pharaonis, interim uero malum illud & induratio non fuit ſine deo. Quia enim hic longanimis erat, inde Pharao ſubinde durior & ſceleratior fiebat. Atqui nõ ideo lõganimis erat deus ut Pharao indureſceret, ſed ut malis permolitus deo obediret. Id quod haud temere tot uerbis inculco. Scio enim q̃ irreuerenter quidam de hac diſputẽt induratione, omnem ſcilicet peccati & damnationis culpam à ſe & ſuo uitio ad deum & in iuſtiſſimam prouidẽtiam eius reiicientes. Nobiſcum ſentit & Aurelius Auguſti. Quæſt. lib. in Exodum 2. quæſt. 18. 24. & 32. Vt autem ad Paulum redeamus. Oſtendit hoc Pharaonis exemplo Apoſtolus, quod uocatio, ſalus & iuſtificatio ſolius dei ſit, nõ meriti ullius: rurſus quod perditio prorſus ſit noſtra. Gratiam enim dei meretur nemo: imò cum in peccatis & maximis ſceleribus uerſaretur Pharao, ad pœnitentiam reuocauit eum bonitas diuina, quæ & longanimitate ipſum patienter ac diu pertulit. Ipſe autem uitio proprio repellit conſilium domini, & malitia cordis propria meretur, ut indurationem ſubinde duriorem incurrat. Hinc infert Apoſtolus, Itaq; cui uult miſeretur, & quem uult indurat. Solius ergo dei eſt ſaluare & miſereri, eiuſdem eſt & punire. Saluat autem gratuito quos ſaluat, per Chriſti uidelicet meritũ. Perdit item iuſte & propter peccata & impietatem quos damnat. Velle enim dei non eſt tyrannica quædam & herilis licentia, de qua poëta, Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas. Sed dei uoluntas iuſtiſſima & æquiſſima eſt, quæ omnes quos ſaluat, ex miſericordia ſaluat, neminem autem indebite damnat. Atqui ex peruerſo huius illationis ſenſu texitur iam alia quæſtio, hæc uidelicet,

Ex illo, & per illũ, & in illum omnia.

Velle dei æquiſſimum eſt.

Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam uolũtati illius quis reſiſtit? Atqui ô homo tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes deo? Num dicet figmẽtum ei qui finxit, Cur me finxiſti ad hunc modum? An non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uero in ignominiam?

Obiectionis hæc eſt ſententia. Si ſic habet negotium, quid ergo amplius habet deus quo me accuſet? Si me indurat, cur obſecro damnat? An uero quiſquam illi reſiſtere poteſt? Vel, Si nos non poſſumus iuſtificari noſtris meritis, ſed ſalus ab illius pendet miſericordia, quare itaq; non omnium ex æquo miſeretur. Certum eſt enim damnari quoſdam. Vel, Si deus indurat & emollit quos uult, quid ergo conqueritur de humano genere? cur tam acerbe cũ populo ſuo per prophetas expoſtulat, quod perfide egerint deum & iuſtitiam dereliquerint? quare non potius omnibus ex æquo gratiam confert & attrahit. Si enim iſte uoluerit & attraxerit, iam nemo non illius uolũtati obtemperabit, nemo eſt qui reſiſtere poſſit. Ad hæc reſpondet, Atqui ô homo tu quis es, &c. In quem locum Philippus Melanchthon, Nihil (inquit) reſpondet ad hanc obiectionem, ſed repudiat eam uelut indignam. Hanc figuram uocant ἀποδιωξιν, cum argumento difficili reſpon-

Quod deus culpa uacet, & accuſari nõ poßit.

dere nolumus: & ut uideamur cõfilio præterire, reiicimus tanquam intempestiuum, aut indignum. Ita hic Paulus significat indignam esse obiectionem: ait nos non debere expostulare cum deo, quia deo liceat uti creaturis pro arbitrio. Addit de luto & figulo similitudinem, ut fiat clarior ratio repudiatæ obiectionis, uidelicet quod nihil debeat nobis deus, quare non debeamus ipsum accusare, & tanq̃ in ius uocare. Hactenus ille. Cæterũ uidetur Apostolus in prophetis exercitatissimus, responsionem hanc petiisse ex prophetarum oraculis, quæ ubi accuratius expenderimus, facile intelligemus quis sit sensus responsionis huius. Isaias ergo posteaq̃ multis disputasset de libertate per Cyrum Israëlitis restituenda, quibus tamen nugator aliquis obiicere potuisset, Quæ hæc rerum uicissitudo? quare non cohibuit deus Gentis suæ intemperantiam & impietatem? Sic enim factum esset, ut neq; Hierosolyma destructa, neq; populus in Babylonem abductus, neq; nunc Cyro liberatore opus fuisset: præuenit istud propheta, & dicit, Væ disceptãti cum authore suo, testa cum figulo scilicet. Num enim lutũ figulo suo dicit, Quid facis? opus tuum ad nihilum. Væ qui dicit patri, Cur generabis? & matri, Cur parturies? quasi dicat, Potuisset quidem deus hoc quod obiicitis præstitisse: uerum noluit, quia non sic placuit. Quod si tu iam obstrepas, & factum eius accuses, nihilo prudẽtius aut melius facis quàm si lutum disceptet cum figulo, aut filia cum matre expostulet quod non filiũ se generauerit. Est & alius locus apud Ieremiam in 18. qui magis huc quadrat. Nam in eo capite non modo de omnipotentia dei disserit, sed & de eo quod iuste & cum æquitate omnia dispenset. Principio ergo paradigmate quodam figuli adumbrat dei potentiã. Nam ut figulo liberum est fingere uas uel ad honorem, uel ad ignominiam, hoc est, uel in honestos uel sordidos usus: ita & deo liberum est hanc quidem Gentem adoptare, illam uero abdicare. Sequitur nunc specialius quippiam, Iudæos autem ex omnium Gentiũ turba selegit deus, extulit, & ueluti pretiosissimum uas omnibus ornamẽtis decorauit: iam uero quia deo sic uidetur iterũ abiicit, nec aliter cõtundit eos q̃ solet figulus uas aliquod Samium omni arte & diligentia fictum atterere. Non est igitur quod de gloria & electione multum glorieris, ô domus Israël. Vos enim estis in manu mea (ait dominus) ut lutum est in manu figuli. Pulchre autem in istis fit luti mentio. Nam deus hominem de limo terræ condidit, &c. Hæc de potentia: nunc de iustitia & æquitate dei, quod nihil temere faciat. Ostendit enim prophetæ deus, quomodo res suas gerat. Subito (ait) ut super Gentem aliquam excidium statuero, nuncio per seruos meos prophetas, ut exitij causas tollant, id si fiat nõ habet in quod animaduertat dei uindicta. Sin minus, deus culpa uacat, & suo uitio interit gens illa. Interim uero deus natura sua non excidit, nec animi sui constantia mutatur, sed sententia, quæ secundum misericordiam & iustitiam administratur. Non enim deus est iniquitatem uolens, nec qui morte peccatoris delectetur, sed magis cupit ut ille hic cõuertatur & uiuat. Ergo nostrũ non est curiosius indagare quid ille ante conditum mundũ statuerit: porrò si ille nunciarit nobis quid statuerit, iam nobis citra omnem controuersiam suscipiendũ est nuncium, implorandũ illius auxilium. Huc ergo alluſit Paulus breuibus istis occasionem maiora cogitandi suppeditans. Quasi dicat, Nostrũ non est responsare & obmurmurare creatori. Lutũ non responsat figulo pro arbitrio suo fingenti aliud quidẽ uas in honorẽ, in ignominiã aliud, idq̃ ex massa eadem. Multo minus obmurmuramus nos deo, qui non pro arbitrio, sed pro iustitia & æquitate horũ quidem miseretur, alios uero indurat. E luto quidẽ finxit nos dñs, sed animum & rationem indidit corpori, idem regenerat, spiritũ donat, uerbo docet, facultates confert. Dum igitur homo ista uel negligit prorsus, uel non excolit diligenter, merito cõqueritur & irascitur dominus, merito damnat ingratos & perfidos, immerito autem conqueruntur perfidi de iniquitate domini, apud quem nulla est iniquitas. Ex deo salus est, ex nobis autem perditio. Hæc nos breuibus & simplicibus exponere uoluimus, cui cordi est altiora dei scrutari mysteria, aut causas administrationis dei indagare, ab alijs (si quos inuenit) petat. Ego enim didici omnia iudicia dei in iustitia ac ueritate esse constituta, & modum administrationis, & causas cur hunc trahat, alium repudiet esse iustissimas. Quanquam & cum Solomone mortalium sapientissimo confitear humiliter,

Isa. 29. 45.

Ieremiæ locus excussus.

Gene. 2.

Tale est illud in Euangelio, Ierusalẽ Ierusalem, quoties uolui te cõgregare, &c

militer, Intellexi quod omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ sub sole fiunt. Et quanto plus laborauerit homo ad quærendum, tanto minus inueniat. Vnde & alibi scite scriptum legimus, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, uidere oculis tuis. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in uanitate detinuit sensus illorum. *Eccles. 3.*

Siquidem deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, protulit in multa longanimitate uasa iræ apparata ad interitum, & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.

Origenes putat orationem alioqui incõpositiorem componi posse ad hũc modum, Volens deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinet in multa patientia uasa iræ, apta in perditionẽ, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ. Ioannes Oecolam. conclusionem esse putat à minori ductam hoc sensu, Si lutum nõ habet quod obiiciat figulo, multo minus habebit creatura quod obiiciat deo. Equidem uidentur hæc superioribus expositionis gratia appingi. Nam audiuimus figulum habere potestatem luti, ut ex eodem aliud quidem uas fingat in usus mundos, aliud in usus immundos: sequitur ergo nunc expositio quis figulus, quæ uasa honoris uel ignominiæ, quodnam in his fingendis figuli consilium. Figulus autem deus est, Lutum homines sum us, Vasa honorifica pii, Ignominiosa impii sunt. Iam uero consilium dei in fingendis uocandisq; hominibus huc spectat, ut per eos argumenta cũ iræ tum misericordiæ suæ exhibeat. Quoties ergo uult ostendere quanta sit potentia sua, quantum malos odiat, q̃ seuere in impios animaduertat, iam diuitis instar regis profert (ἤνεγκεν enim protulit significat) uasa iræ, hoc est, homines deuotos & ad interitũ apparatos. Propter insignem autem dei longanimitatem (ut in 2. cap. annotatum) hactenus plus quàm contumaciter contemptam, ad interitum non citra suam culpam, destinati sunt. Quoties autem uoluit ostendere misericordiam suam, iam protulit (debet enim hoc uerbi κατασκεύασμα repeti) uasa misericordiæ, hoc est, homines pios, quos misericordia sua ad se traxit: itaq; aperit sese hominibus ex æquo diuina bonitas et iustitia per prędestinationis negotiũ, ut deum simul & bonum & iustum intelligamus. Exemplis forsan hæc clariora fient, Pharaonis uidelicet, Senacherib, Nabuchadnezaris, Iudæ ac aliorũ, item Abrahæ, Dauidis, Iosiæ, Petri, Latronis euangelici & similium. Porrò allusio ad uarii generis uasa copiosius & perspicacius tractatur in 2. ad Timoth. cap. 2. Hactenus autem de hac digressiuncula quæ summæ caussæ, uocationi uidelicet Gentium, hoc plurimum commodat, quod nemo posthac deum in ius uocare potest, Cur immundam Gentem uocarit? Cur istas non citius è pollutione fœda liberarit? Sic eñ illi uisum est, qui nihil temere facit, nec cuiquam irrogat iniuriam. Repudiat idem Gentem suam & nihil peccat, quia omnes uiæ eius iustitia & ueritas. Iam redit.

quos etiam uocauit nos, non solum ex Iudæis, uerumetiam ex Gentibus, quemadmodum & Osee dicit, Vocabo populum qui meus non erat populum meum, & eam quæ dilecta non erat dilectam. Et erit in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filii dei uiuentis.

Omnia in hoc authore grauia sunt et solida. Nihil enim hiat, sed omnia commissuris pulchre compacta stant. Finge enim ea quæ ad duas illas obiectiones responsa sunt, per parenthesim esse inserta, & apostolum nunc redire, & cœptam ratiocinationem pro uocatione Gentium absoluere. Dixerat neq; natales neque merita quicquam conferre, ut quis recenseatur in populo dei, sed uniuersum id esse gratuiti beneficij & uocationis diuinę. Quos enim uocarit deus, eos esse dei. Id autem probauit exemplo Iacob & Esau ex *Absoluitur sensus.*

Gene.cap.25.Iam ergo ſubſumẽdum erat, Gentes autem uocauit,ergo dei ſunt: ſed aliò tum oratione abductus, hic tandem ſubſumit,atq; ita ut nihilominus ipſa etiam orationis uerborumq; cohæreat ſeries.Nam pronomen Quos,etiam ad uaſa miſericordiæ refertur.Ergo dicit & Gentes eſſe uocatas.At quia id apud Iudæos in dubio erat,protinus id Oſee teſtimonio confirmat.In eo autẽ teſtimonio,quod ſenſum attinet, nulla eſt difficultas,maxime ſi ei 2.cap.ad Epheſ.adhibeas.Eodem conuincitur eandem eſſe ueterum & noſtram eccleſiam.Vna enim uinea eſt,ſed alij atq; alij in eam uocantur coloni.Quid quod hoc ipſo teſtimonio probat, quod ij ueri filij dei ſint,qui à deo uocantur? De quo in initio huius capitis.

Matth. 8.20,21.

Iſaias uero clamat ſuper Iſraël, Si fuerit numerus filiorum Iſraël,ſicut arena maris,tamen reliquiæ duntaxat ſaluæ erunt. Verbum enim conſumans & abbreuians in iuſtitia:quoniam uerbum abbreuiatum faciet dominus ſuper terram. Et quemadmodũ prius dixerat Iſaias, Niſi dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen,ut Sodoma facti fuiſſemus, & Gomorræ aſſimulati fuiſſemus.

Minatur Iudæis exitium.

Iam ex contrario ponit teſtimonia de reiectione Iudęorum,ne illi ſuis rebus nimium fiderent, Chriſtum contemnerent,ſed magis Chriſtum in fide ſuſciperent. Illi ſe omnibus anteferebant gentibus,utpote quos deus elegiſſet ſolosq; dilexiſſet ſemper. Hinc intuto ſe eſſe & excidere non poſſe credebant. Verum ſecus habet res.Niſi enim conuertamini (inquit) ad Chriſtum,iam excidiſtis ac perijſtis.Quod ſi mihi non creditis,ſaltem Iſaiæ ueſtro credite,qui palàm de reiectione ueſtra prophetans aſſerit pauciſſimos ex uobis ſaluandos,idq; incredulitatis ueſtræ culpa.Audite obſecro quid dicat in cap.10.Licet copia & numero ipſas ſuperetis Libycas arenas,attamen pauciſſimi ex uobis ſaluabuntur.Pauciſſimi enim credent.Iam ne quis de fide dictorum dubitaret,addit confirmationem,Atq; id certo quidem eueniet. Statuit enim dominus qui iuſtitia eſt impietatem ueſtram(ut & apud Danielem eſt)excindere & conſumare. Germani diceremus de indubitato excidio, *Kurtzumb,man wirt kurtz endtſchafft mit üch machen.* Alij expoſuerunt de ſalutis & iuſtitiæ negotio,quod in breuem ſummam coarctatum euangelio prædicatur, nempe, Omnis qui nomen domini inuocauerit ſaluus erit. At Iſaias re uera de liberatione Aſſyriaca locutus eſt. Pauciſſimi enim tunc ſeruati effugerunt cruentas Senacherib manus: uerum qui liberabatur populus,opidò perpuſillus, totus erat religioni deditus, adeoq; & iuſtitia affluens.Proinde Paulus hoc teſtimoniũ ſuo negotio,per ſimilitudinem,pulcherrime aptauit:ut & poſterius quod ex 1. cap. ſumpſit,in quo propheta mores ſui ſæculi accuſat,qui adeò ſint corrupti ut uix unus & alter reperiatur qui iuſtitiæ faueat. Ergo niſi (inqt) aliquos nobis deus præſeruaſſet à corruptione,ſimiles facti fuiſſemus Pentapoli,quę ideo perijt quod in ea non potuerint uel decem inueniri iuſti.Ab hoc Paulus occaſionem ſumens ad inſtitutum ſuum detorquet.Sunt qui per ſemen intelligant apoſtolos, qui ſemen uerbi dei per totum orbem diſſeminarunt: atqui ego paucitatem credentium crediderim ſignificatam.Eſt enim μείωσις in uoce Semen.

Acciſi illi prorſus in omni iuſtitia abſoluti facti ſunt.

Quid igitur dicimus? quod Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ eſt ex fide: contra uero Iſraël qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit.

Status huius diſputationis.

Recitatiue ſiue pronũciatiue ſubiectio Quod Gentes,&c.non interrogatiue pronuncianda eſt: quaſi dixiſſet, Quid ergo aliud poſthac dicere poſſumus, quàm quod Gentes in gratiam receptæ ſunt,at Iudaicus populus repudiatus? Nunc enim clariſſimis uerbis ſummã rei ex prædiſputatis infert.Nam Iudæos incredulitatis cauſſa repudiari,Gentes uero uocatas eſſe, huius diſputationis ſcopus eſt. Et hę quidem cum ſcripta carerent lege de iuſtitia gloriari non poterãt, interim iuſtitiam aſſequuti ſunt,non utiq; legalem, ſed iuſtitiam fidei.Iudæi de lege gloriabantur, at neq; legem factis exprimere neq; per legem iuſtificari poterant.

Propter

Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi: quemadmodum ſcriptum eſt, Ecce pono in Zion lapidem offendiculi & petram offenſionis, & omnis qui credit in eo non pudefiet.

Cauſſa eſt ſuperiorum, ac cauſſa ruinæ Iudæorum. Quia enim propriæ innituntur iuſtitiæ, fidem reſpuunt, & iccirco à deo excidunt. Hæc ſatisfacere poterant menti aliâs non contentioſæ, ſed maluit Paulus omnia ſua & ſcripturis firmare, & copioſius diffundere. Ideo iterum citat ex Iſaię prophetia teſtimonium, quod è duobus locis 8. nimirum & 28. cap. eſt cõtextum. In hoc petra ſiue lapis angularis Chriſtus eſt, qui alijs quidem in ruinam eſt (ut inquit in Euangelio Simeon) alijs in reſurrectionem. Nam illis qui credunt petra refugij & iuſtitia & ſempiternum gaudium eſt. Illis uero qui non credunt lapis offendiculi. Iam ut lapides per ſe quidem neminem offendunt, ſed quiſquis impingit ſua culpa uel propter cæcitatem, uel propter temeritatem impingit. Sic ipſe Chriſtus omnes ad ſe uocat, neminem repellit, omnibus ex æquo requiem promittit: qui ergo ab hac gratia excidunt, ſua culpa excidunt, ut Iudæi. Hinc exquiſitiſſime paraphraſtes ait, Iſaias uaticinatus eſt euenturũ, ut Chriſtus quem lex ſeruatorem promiſerat Iudæis ob incredulitatẽ fieret occaſio ruinæ, atq; idem lapis qui pijs erat futurus ſolido tutoq; præfidio iſtis uerteretur in perniciem, dum in illum malunt impingere reluctãtes, quàm in eo conquieſcere credentes. Et quæ ſequuntur. Hinc uero liquet quod deus ſe illis benignum præſtat, qui morbum ſuum agnoſcentes ſeſe deo ſubmittũt. Contra uero ijs iratus eſt, qui ſuæ freti iuſtitiæ, fidei ſe non cõmittunt. Atq; huc iam pertinet parabola euangelica de phariſæo & publicano: illaq; Chriſti ſentẽtia apud Ioan. in 9. In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant, &c.

Elegans eſt cap. 28. & huic cauſſæ impẽſe accõmodum.

Lucæ 18.

Fratres, propenſa quidem uoluntas cordis mei, & deprecatio quæ fit ad deum pro Iſraël eſt ad ſalutem. CAP. X.

Iterum ut in initio cap. 9. præmollit & indicat ſe nihil per inuidiam dixiſſe aduerſus Iudæos. Dicit enim ſe ex animo illis bene uelle, ſed & pro ipſorum ſalute conſtanter ad dominum orare. Quod quidem & nobis exemplum eſſe debet, ne cuiuſquam gratia ueritatis quicquam præmamus, interim uero docere, hortari, precari ac deprecari non deſinamus, 2. Timoth. 2.

Teſtimonium enim illis perhibeo quod zelum dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

Pertinent & hæc ad lenimen & præmollitionem. Hoc enim dicit, Quod autem iſtos odiſſe non poſſum, quod pro illorũ ſalute interpello, in cauſſa eſt, quod libere de ijs aſſererе auſim eos magno legis ſtudio ardentiq; dei zelo agi: ſed hoc interim fatendum eſt, omnia hæc ab ipſis citra iudicium fieri. Diſcimus ergo duplicem eſſe zelum. Alterũ qui dem qui ex opinione quadam uana aut certe non exactius expenſa, nihil diſtat à quouis carnali affectu, amore, odio, inuidiáue. Habent enim & hæc ſuum ſtudium ardoremq;. Talis autem zelus eorum eſt qui putant ſe latrocinio ſanctorũ deo præſtare cultum. Talis & apoſtoli Pauli perſequentis eccleſiam dei, fuit. Talis omnino omnium eorum uel hodie eſt, qui Pontificia religione infecti, cœlum terræ miſcent. Neq; enim hæc ſine zelo facere poſſent quidam quæ faciunt, ſed citra ſcientiam, iudiciũ ueramq; fidem omnia faciunt. Iudicium enim ex fide ac uerbo domini paratur. Heluetij ſententiam habemus, quæ huic Paulinæ quodã modo reſpondet, *Er meints wol vnd gůt, aber nit wyßlich.* Alius porrò zelus eſt ex fide uera, quæ ſapiẽtia & iudicio ſpiritus moderatur. Nihil enim aliud eſt quàm ardor & uiua agendi uis in homine per ſpiritũ dei ſanctum. Qualis in Moſe, Petro, Helia, alijſq; uiris dei præclaris fuit. Quemadmodum uero hic zelus uita eſt ueræ religionis: ita peruerſus ille zelus & è carnali opinione natus anima eſt tyrannidis & pertinaciæ, unde & culpa non liberat eum qui ſtulto ac impio agitur zelo. Non enim quid facias diſpiciendum, ſed quàm bene & recte facias. Quid quod ipſum uerbũ domini præ-

De duplici zelo et bonâ intentione.

dicatum eiuſmodi ſtudia accuſat, ut nunc pertinax ille nihil habeat quo ſe excuſet? Breuiter, Omnis zelus qui fide & ſcientia iuſta nō moderatur, ſiue Iudaicus ſit, ſiue Gentilis, Pontificius ſiue Catabaptiſticus, malus eſt. Nam omne quod non eſt ex fide, peccatū eſt: at fides non eſt opinio, ſed ex deo ſubſtantia, per auditum: auditus autem per uerbū dei. Iccirco Apoſtolus, Chriſtus (inquit) uocauit me, qui prius eram blaſphemus & perſecutor & uiolentus. Atq; idem ad Philippenſes, Si quiſquam (ait) alius uidetur fidutiam habere in carne, ego magis habeo, qui ex zelo perſecutus ſum eccleſiam, & ſecundum iuſtiam legis factus ſum irreprehenſibilis, &c.

Nit alles das gůter meinung beſchicht iſt gůt. 2. Timoth. 1.

Nam ignorantes dei iuſtitiam, & propriam iuſtitiam quærētes conſtituere, iuſtitiæ dei non fuerunt ſubditi.

Duplex iuſtitia.

Vides nunc peruerſi zeli ſemina & fructus. Sic enim ad inſtitutum ſuum pulchre delabitur. Cœperat in calce 9. cap. cauſſas ruinæ Iudaicæ meminiſſe. Dixerat potiſſimā eſſe quod legis iuſtitiam ſectantes, ad fidei iuſtitiam non perueniant: unde iam quiuis facile poterat intelligere quod duplicem eſſe iuſtitiam crederet Apoſtolus. Qua re permotus, ut omnia clariora eſſent, differit hoc loco obiter quidem & per excurſum de duplici iuſtitia: deinde iterum redit ad tractationem repudij. Quemadmodum uero paulò ante iuſtitiam aliam quidem fidei, aliam uero legis fecit: ita nūc aliam quidem uocat propriam, aliam uero dei iuſtitiam. Propria autem eſt quam nobis ipſi fingimus, uel ex ſcripturis ſiniſtre intellectis, uel ex aliorum exemplis hypocriſiq;, uel ex opinione quapiam carnali & intentione (ut aiunt) bona, ſed ſtulta & ſcripturis aduerſa. Hæc autem non modo iuſtitiæ nomine indigna eſt, ſed & ſumma iniuſtitia eſt. A uera enim prohibet, & in hypocriſi retinet. Quid enim uel hodie tot hominum myriades, tot monachorum chiliades ab euangelica prædicatione æque retrahit, atq; illa propria ac commentitia iuſtitia? Illam deſerere ac contemnere, contrà uero dei iuſtitiam amplecti, illis eſt pietatem auerſari, & hæreſim amplecti. Sed quæ nam eſt dei iuſtitia? Chriſtus. Sequitur enim.

Fons legum & iuſtitiæ humanæ eſt ignoratio dei.

Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtificationem omni credenti.

Iuſtitia (inquit) dei fides eſt in Chriſtū leſum, qui legem impleuit, & nos patri reconciliauit. Ergo omnis qui credit in eum iuſtus eſt: ut per prima huius epiſtolæ capita ſatis copioſe proſecuti ſumus. Annotauit hoc loco Eraſmus, quod in primis ſcire conuenit τέλος, quod nos finem expoſuimus, hoc loco cōſummationem ac perfectionem ſonare, non interitum. Græci enim quod abſolutum & omnibus quæ ſolent requiri perfectum eſt τέλειον appellant. Chriſtus itaq; ſumma eſt legis. Lex enim omnia concludit ſub peccatum, ut gratia ſeruatoris liberemur à peccato.

Moſes enim ſcribit de iuſtitia quæ eſt ex lege, quod qui fecerit ea homo, uiuet per illa.

Iuſtitia legis.

Hæc de legali iuſtitia ex ipſo legislatore Moſe profert. Hic in Leuitico capite 18. Cuſtodite (inquit) leges meas atq; iudicia, quæ qui fecerit homo, uiuet in eis. At lex ipſa duplici ratione fit. Primo æqua quædā ac iuſta præcipit, nempe, Ne falſum dicamus teſtimoniū, Ne rapiamus, Ne adulteremus, aut quenquam occidamus: quæ quidem faciunt qui externo opere legem non uiolant, & ſi ab affectibus non ſint liberi. Tales per legem uiuūt. Non enim occiduntur aut puniūtur, ſed lege nomen etiam iuſtorū ſibi corā hominibus comparant. Et hæc quidē legalis dicitur iuſtitia, quę interim apud deum non eſt iuſtitia. Secundo enim cohibet lex etiam hominis adfectus, iubet ne concupiſcamus: atq; ita legem nemo noſtrum facere poteſt, imò ipſa hac ratione ſub peccatū coniicit, ut fateri cogamur nullam in nobis eſſe iuſtitiam. Hic autem aperit ſe iuſtitia dei ſiue fidei.

Quæ autē ex fide eſt iuſtitia, ea ſic loquitur, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcēdet in cœlum? Hoc eſt Chriſtum ex alto deducere. Aut quis deſcēdet in abyſſum? Hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te uerbum eſt in ore tuo & in corde tuo.

Vel

Vel prosopopœia est, quæ fidei tribuit sermonem. Vel enallage rerũ ac personarum, ut iustitiam fidei intelligamus positam esse pro iustificato per fidem. Huius ratiocinatione ac cõsilijs, ceu hypotyposi ac dialogismo, quæ demonstrationis formæ sunt uiuacissimæ, ostendit quæ sit natura alterius istius iustitiæ, nempe dei uel fidei. Alludit autem ad uerba Mosis quæ Deut. 30. ad hunc modum habent, Mandatũ hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, Quis nostrũ ualet ad cœlum conscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atq; opere compleamus? nec trans mare positum ut causseris ac dicas, Quis è nobis poterit trans fretare mare & illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire ac facere id quod præceptũ est? sed intra te est sermo ualde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Quibus uerbis propheta ostendere uoluit negotium uerbi dei ac pietatis esse expositum ac certũ, nec in externis sed animi pietate situm. Proinde non necessum ut eius peruerstigandæ ac assequendæ gratia, cum Pythagora ad uates Memphiticos, cũ Platone Aegyptũ, & cum Apollonio Thyaneo perlustratis Persis, Albanis, Schytis Massagetisq; ad Brachmanas usq; contendamus, neq; cum Philosophorum quorundã grege metaphysica quædam ac supernaturalia ad phrenesim usq; speculemur. In promptu enim & in paucissima dilectionis dei ac proximi capita uniuersam religionis philosophiã esse astrictã. Ad quem modum & Paulus per analogiam indicat & ueram iustitiam non nisi in animi pietate hoc est fide sitam esse: non in externis: ipsam quoq; absolutam esse & certam, sed & minime curiosam uel ambiguam. Id autem sufficienti diuisione commonstrat. Non eleuatur in cœlum, neq; deprimitur ad inferos: id est, nihil curiosius rimatur, nihil ambigit, sed in Christo omnem plenitudinem esse nouit. Signa è cœlo non petit, ubi credit residere saluatorem & intercessorem suum: neq; ab inferis ueritatẽ discit, nouit enim Christum à mortuis resurrexisse, ueritatem docuisse omnem, adeoq; & immortalitatis specimen præstitisse. Huic uni fidit anima, satiata eius gratia. Alij uero hunc locum aliter interpretarunt, uerum hunc esse sensum simplicissimum conuincunt consequentia. *Iustitia fidei.*

Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo dominũ Iesum, & credideris in corde tuo quod deus illum excitarit ex mortuis saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Hoc totum (inquit) de negotio fidei dictum intelligi uolo, quod negotium si quis in summam coartet, hæc est, Deus misit filium suum in mundum, qui crucifixus peccata nostra abluit, & ex mortuis exuscitatus uitam certò restituit. Hoc quicunq; uero integroq; corde credit, & ore fatetur, saluatur. Atq; ad hunc modũ salus prope est in ore & corde cuiusuis. Hæc fidei constantia ac certitudo est, unde sursum deorsumq; nõ uoluitur, sed tranquilla apud se, fruitur pane cœlesti, à quo quicũq; aluntur non esuriũt in æternum. Ioan. 6. Sed de hac fidei uirtute satis dictũ in cap. huius epistolæ 3. 4. ac 5. Porrò emphasim habet, quod Iesum confitemur dominum. Nam deum fatemur, & cum Thoma clamamus, Dominus meus & deus meus. Et de resurrectione nemo mirabitur cur hoc loco in primis inculcata sit, qui modo legerit 15. prioris ad Corinth. Iam uero sequitur γνώμη, Corde creditur ad iustitiam, ore aũt fit confessio ad salutẽ. Et cum cordis mentio fit integritas & animi synceritas requiritur, hypocrisis excluditur. Confessio aũt ponitur pro fide expressa pro laude & gratiarumactione. Notissima præterea sunt quæ Christus de Confessione dixit apud Matth. in 10. & Ioan. Apost. in 1. Can. cap. 4. Nec est ut multum disputemus cur Apostolus separatim fidei iustitiam, confessioni uero tribuerit salutem: id enim ex orationis figura factum est, quę de una re loquimur ac si plures sint. Deniq; quia hac sententia geminam fidei uirtutem, nempe quod syncera sit & confitea tur, notasset, uoluit & singulis quod responderet opponere. Ergo fiduciæ animi tribuit iustitiam, sed confessioni oris salutem. Atqui hæc inter se mutuo conuertuntur & sese ceu per manus trahũt. Nemo enim saluatur nisi iustus sit: sic nemo etiam confitetur nisi iustus sit: & omnis qui iustus est & ex corde credit, ore confitetur, &c. *Summa fidei.*

Dicit enim ſcriptura, Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim eſt diſtinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem dominus omnium, diues in omnes inuocantes ſe. Quiſquis enim inuocauerit nomen domini, ſaluus erit.

Scripturis nunc confirmat ſuperiora quæ aliâs ſatis erant firma. Iiſdem & Iudæos ad fidem trahit, & uocationem Gentium immiſcet, ut ad repudium Iudæorum aliquando redeat. Prius teſtimonium ſumptum eſt ex 28. cap. Iſaiæ, & docet fidem non legem eſſe ueram iuſtitiã. Nam fides non pudefacit: lex autem territat & confundit. Deinde & particulam omnis ſuo accommodat inſtituto, & addit, Nullam eſſe diſtinctionem inter Iudæum & Gentilem. Hunc enim non minus quàm illum fore ſaluandum modo credat. Sed & ipſum deum non unius tantum gentis eſſe deum, ſed omnium. Diues enim eſt (ait) erga omnes eos qui inuocant ipſum. Huic iam & poſterius ex 2. Ioëlis ſubiungit teſtimonium, quod & ipſum uniuerſale eſt, & ita habet, Omnis qui inuocauerit nomen domini ſaluus erit. Hinc uero occaſionem ſumens ſequentem appendit gradationem.

Quomodo igitur inuocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei de quo non audierunt? Quomodo autem audient abſq; prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi miſſi fuerint? ſicut ſcriptum eſt, Quàm ſpecioſi pedes annunciantiũ pacem, annunciantium bona.

Miniſterium uerbi.

Hiſce uero non tantum exponit iuſtificationis ſiue uocationis modum, ſed in propoſito ſuo perſeuerans docet Iudæos ſua perire ac repelli culpa, quod deũ toties uocantem, tot prophetas mittentem aſpernarint. Illa ipſa gradatione probauit & Gentiũ uocationem. Quãdoquidem enim per fidem decreuerat deus omne mortalium genus ſeruare, & fides non poſſit haberi rei incognitę, oportuit & Gentibus prædicari euangelium: ita enim futurum prædixerat Iſaias in 52. Fore aliquando ut felici nuncio pax fit annuncianda eccleſiæ. Hoc conſilio & Iudæis nunciata eſt ueritas, ut iam deus nihil omiſerit quod ad illorum ſalutem pertinere uidebatur. Hæc ſumma eſt omnium. Paulus omnia copioſius perſequitur. Loci autem communes hi ſunt. Miniſterium uerbi, etiam externum, in eccleſia dei eſſe neceſſariũ. Quod & hiſtoria Cornelij Centurionis, ex 10. Act. cap. probatur. Quod ad hoc miniſterium nemo niſi uocatus accedere debet. Quod clarius exponitur in 5. cap. ad Hebræos. Quod is tantum inuocandus ſit, cui fidendum eſt. Cum autem uni duntaxat deo ſit fidendum, conſequitur, quod nullæ creaturæ ſint inuocandæ. Imò inuocandi uerbum cum fidendi uerbo conuertitur.

At non omnes obedierunt euãgelio, Iſaias enim dicit, Domine quis credidit auditui noſtro?

Sed quid obſecro profecit, quod nihil eorũ omiſit quæ ad ſalutem ſpectare uidebantur? quod prophetas & apoſtolos miſit? quod euangelij prædicationem audierunt? Nihil profecit. Pauci enim crediderunt, non modo ex Iudæis, ſed & Gentibus. Sed illud ipſum Iſaias futurum prædixit in cap. 53. Præuidit enim Chriſtum Gentibus fore ſtultitiam ac riſum, Iudæis uero ſcandalum.

Ergo fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum dei.

Repetit ſcopum ut commode inferat Iudæos ſua culpa meritoq; eſſe abdicatos. Citauerat prophetam dicentem, Domine quis credat auditui noſtro? ei iam infert, Vt ut tergiuerſemini tandem id iam cõſtat, non tantum ex ſuperiori ſorite aut gradatione, ſed ex præſenti uaticinio prophetæ, quod fides, pietas ſiue religio diſcatur ex uerbo domini. Iam uero cum illud abunde ſatis per prophetas ſit prædicatum, non habetis quod peccato ueſtro prætexatis. Sed hic ſenſus conſequentibus tandem abſoluitur. Nemo autem huius loci authoritate nixus, exiſtimet externã uerbi dei prædicationẽ poſſe cõferre fidẽ.

Notiſſima

Notissima enim est Christi sentẽtia, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et Pauli, Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum deus. *Ioan. 6.* *1. Corinth. 3.*

Sed dico, An non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum uerba eorum.

Quod si quis tam impudens fuerit, ut se id audisse negare uelit: is mendacij & temeritatis conuincetur per Dauidem Psal. 18. canentem, In omnem terrã exiuit sonus eorum, &c. Quo & illud obiter prædixit fore ut etiam Gentibus prædicaretur euangelium.

Sed dico, nunquid non cognouit Israël?

Illatio est. Hoc enim dicit, Non autem dico quod non audierit Israël, sed hoc potius dico, quod omnino cognouerit. Hoc enim potest uerborum structura. Iam propter ecliptin inferas licebit, Verum uidentibus oculis uidere & cognoscere noluit Israël, iccirco sua culpa meritoq; repudiatus, & alia gens uocata est.

Principio Moses dicit, Ego ad æmulationẽ prouocabo uos per gentem, quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo uos. Deinde Isaias sumpta fidutia, dicit, Inuentus fui his qui me non quærebant, conspicuus factus sum his qui de me non interrogabant. Aduersus Israël autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. *Libere & confidẽter pronunciauit.*

Tandem subiũgit utriusq; rei cum uocationis Gentium, tum reiectionis Iudæorum clarissima duorum insignium prophetarum testimonia, eaq; sic producit, ut Gentes simul de bona dei erga ipsas uoluntate confirmet, & Iudæos ad fidem inuitet. Huc enim pertinet primum illud Mosis ex 32. Deute. desumptum testimoniũ, quo discimus deum in hoc uocasse Gentes, ut Iudæos prouocaret ad æmulationem, non utiq; ut illis hanc salutem inuiderent tantum, sed ut illorum exemplo permoti & ipsi ad dominum redirent. In pueris hoc uidere est. Si enim adamatum hactenus corripiat & abijciat parens, alium uero minus dilectum complectatur, inuidet ille huic hanc felicitatem, & mox recipit se in sinum patris, ueniam petit, complectitur ac ueneratur. Posterius testimonium bipertitum est. Prima uocationem Gentium habet. Secunda reiectionem Iudæorum. Vtræq; ex 65. cap. translatæ sunt. Et Gentes quidem non quærebant deum in lege, neq; ipsum curabant quicquam, Ephes. 2. Porrò Israëlitis ab eo die quo elegit, & ex Aegypto duxit se patrem præstitit: uerum ipsi post prauitatem (ut prophetæ aiunt) cordis sui amb ularũt, hinc etiam repudiati sunt. Plura huius generis inuenias apud Isaiam in cap. 65. Et hactenus de uocatione Gentium, & reiectione Iudæorũ, & quod merito sint reiecti.

CAP. XI.

Dico igitur, Num repulit deus populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abrahæ, tribus Beniamin. Nõ repulit deus populum suum quem præsciuit.

CONSOLATIO.

Hic instituit consolationem, ne Iudæi plus nimio territi prorsus desperarẽt, si uel hac ratione aliquos lucrifacere posset. Quæ enim hucusq; scripsit de reiectione Iudæorum, nõ in hoc scripsit ut exacerbaret, sed magis ut lucraretur, & falsam spem excuteret. Nam sicut medicina potiones habet amaras: sic & euangeliũ suam habet acerbitatem, sed non nimiam. Vnde Apostolus euangelij dei nobilissimus præco tam bene cultam hoc loco Consolationem instituit. Huius scopus est. Non repulit deus populũ suum quem præsciuit. Huic mox addit rationem consolatoriã à suo exemplo ductam, Si totus Israël esset abiectus, iam ego non essem Apostolus, qui & ipse Israëlita sum, natus ex tribu Beniamin: ergo cum me non reiecit deus, imò ex persecutore prædicatorem uerbi sui fecit, plane nemini ex uobis desperandum erit. Sic in 1. ad Timoth. 1. cap. clarius de se prædicat, Gratiam habeo Christo qui me uocauit ad hoc ministeriũ, qui prius eram blasphemus & persecutor & uiolentus, sed misericordiam adeptus sum. Exuberauit enim supra modum gratia domini nostri cum fide & dilectione, &c. Signanter autem dicit, Quem præ-

ſciuit. Hoc enim comminuere uoluit & operum merita & carnalem illam natalium gloriationem, omnem uero gloriam diuinæ gratiæ adſcribere. Equidem præſciti ſoli deo per fidem nituntur.

An neſcitis de Helia quid dicat ſcriptura? quomodo interpellat apud deum aduerſus Iſraël, dicens: Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſubruerunt, & ego relictus fui ſolus, & inſidiãtur uitæ meæ. Sed quid dicit ei diuinum reſponſum? Reliqui mihi ipſi ſeptem millia uirorum, qui non inflexerũt genu ipſi Baal. Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt.

Aliud exemplum ex 3. lib. Reg. cap. 19. producit, ut probet Iſraëlem non penitus eſſe repudiatum, ſed reliquias præſcitas, quæ ſaluentur. Aptatur autem per ὁμοίωσιν, quam Cicero collationem uertit, ad hunc modum, Quemadmodum Heliæ temporibus non in uniuerſum omnem abiecerat populum Iſraeliticum, ſed ex innumerabili illa impiorum & idololatrarum turba aliquem numerum, nec illum quidem exiguum delegit, qui non ſeruiuit diis Gentium. Sic hoc tempore benignitate ſua quoſdam Iudaici generis ſeruauit, quos gratia ſaluet: non obſtante quorundã crudeli pertinacia, qua & dominum Ieſum occiderunt, apoſtolos illius trucidarunt, & innocenti fidelium ſanguine ſe commaculârunt totos. Eò enim pertinet quod prior ſimilitudinis pars ex ſcriptura tam copioſe eſt expoſita. Cætera breuitatis gratia tranſeo, qui uelit legat erudita quædam & ad ſacra intelligenda præmodũ neceſſaria de Baal, quem in 1. capite Belum eſſe diximus, apud Cœlium lect. antiq. lib. 1. cap. 5. Illud autem annotandũ uidetur electionem gratiæ iuxta proprietatem ſermonis Hebraici dici pro electione gratuita.

Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus: quandoquidem gratia iam non eſt gratia. Quod ſi ex operibus, non iam eſt gratia: quãdoquidem opus iam non eſt opus.

Gratia & meritum pugnant. Non tam oſtendit Iudæos non eſſe reiectos, q̃ eos qui electi ſunt, non merito, ſed gratia dei eſſe electos ſeruatoſq; id q̃ enthymemate quodã demonſtrat, quod ex diſiunctiuis conſtructum tale eſt, Si iuſtificamur aut eligimur merito, iam non ex gratia. Nam ſi ex gratia eſt electio & iuſtificatio, certe non eſt ex merito, ſed iuſtificamur ex gratia, ergo non ex merito. Licebit & ſic cõſtruere, Aut ex gratia iuſtificamur, aut ex meritis: ſed non iuſtificamur ex meritis, ergo ex gratia. Poterat & Dilemma, & bipertitũ enthymema uideri: utcunq; uero hæc habeant, hoc conſtat quod ſalus ſit gratiæ, non operum aut meritorum noſtrorum. Nam gratia & meritum ſibi ex diametro repugnant. Quid uero reſpondent ad hæc noſtrorũ temporũ Pelagiani, qui nihil non tribuũt uiribus humanis?

Quid igitur? quod quærit Iſraël hoc nõ aſſecutus eſt, ſed electio conſecuta eſt, reliqui uero excæcati ſunt.

Cæcitas. Rurſus ne plus nimio erigerent criſtas Iudęi natura ſupercilioſum hominum genus, iterum redit ad reiectionis locos: & ſicut in fine cap. 9. ita hic quoq; infert, Quid ergo aliud poſſumus dicere, quàm quod electi, hoc eſt, fideles qui ex gratia uocantur, ſalutem conſequũtur, cæteri uero non item, propterea quod operibus nitantur. Nam operibus non paratur iuſtitia, imò ex operum fiducia exiſtit mentis cæcitas. Qui enim propriam ſibi fingunt iuſtitiam, iuſtitiæ dei non obediunt.

Sicut ſcriptum eſt, Dedit eis deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut non audiant, uſq; ad hodiernum diem. Et Dauid dicit, Vertatur menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum, & in retaliationem ipſis. Obtenebrentur oculi eorum ut non uideant, & tergum illorum ſemper incurua.

Copia. Propoſita propheticis confirmat teſtimoniis. Et primum ex Iſaiæ 6. cap. ſumptũ per ſimilitu-

similitudinem suo aptat negotio, sed & sensum magis quàm uerba recensetꝫ quasi dicat, Quemadmodum olim prophetarum sæculis Iudæi simpliciter dicta & omnium sensibus exposita, data opera intelligere nolebant, imò & miraculis apertissimis omniumq; sententia probatis reclamabãt: ita hodie quoq; fit, ut intellectã euangelij ueritatẽ repudient, & signis certissimis ceu ludicris obstrepant. Secundũ testimoniũ ex Psal. 68. petitum hunc habet sensum, Quemadmodum filiũ tuũ aceto potarunt, ita uicissim fiet ut mensa eorum ipsis uertatur in laqueum, id est, cibus & omnia eorum præsidia uertãtur ipsis in exitium. Siquidem dum omnia in tuto esse crederent, fusi, capti, & in exilium abducti sunt. Fefellerunt enim eos omnia consilia: atq; ita dorsum eorum incuruauit perpetuo: quod quidem de oppressione & seruitute dicitur irrecuperabili, qualem & Daniel in 9. futuram prædixit. Quod si quis miratur quid sit spiritus κατανύξεως, hoc est compunctionis, is legat finem 7. cap. Actorum, & uidebit eo significari mentem quæ ueritati nõ modo obstrepit, sed & misere mordetur & pungitur, *ein häßiger, vnrůwiger, pinlicher, vnnd verkerter geyst.* *Spiritus compunctionis.*

Dico igitur: Num ideo impegerunt, ut conciderent? Absit, Sed per lapsum illorum salus contigit Gentibus in hoc ut eos ad æmulandum prouocaret. Quod si lapsus illorũ diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum, diuitiæ Gentium, quanto magis plenitudo illorum.

Iam iterũ redit ad consolationẽ quã initio propter Iudæos cœperat. Et orationẽ Anthypophora figurat, dicens, Hæc autẽ nolim sic intelligi quasi prorsus conciderint omnes, nulla resurgendi spe relicta, sed ad tempus populũ suũ loco mouere uoluit, ut interim & Gentes uocaret, sed & harũ fide, nihilominus ad fidẽ (ut in 10. cap. ex Mosis testimonio declaratũ est) Iudæos incitaret, extimularetq;. Hic ergo in laudẽ Iudaicæ gentis quædam subijcit, primo ut desperatas ac deiectas illorum mentes erigeret, & spem salutis aliquam adderet, deinde & Gentium aduersus Iudæos arrogantiam, contumatiam, & contemptũ tolleret è medio. Huc autem pertinet illud elegans Epicherema, Quod si lapsus illorum, &c. In hoc per lapsum intellexit diminutionẽ, hoc est quod quidã ex eis propter incredulitatem reiecti sunt Iudæi. Per mundũ autẽ Gentes. Sic enim membra orationis inter se collata sese exponunt. Et plenitudinẽ pleriq; aiunt esse cõsummationẽ omnium eorũ quos sibi Deus elegit ex Iudæis: ut sit sensus, Si lapsus Iudæorũ mundũ ditauit, quanto magis ditabitur mundus, cum Gentiũ fide prouocati Iudæi, etiã accedent? Cæterum uidetur Plenitudo ex oppositio diminutioni esse obiecta: ut argumentum sit à Comparatis: quasi dicat, Videte obsecro, ò Gentes, quanta fit Iudaicæ Gentis nobilitas atq; gloria, cuius etiã peccatũ fiue lapsus profuit orbi. Iam si lapsus profuit, & diminutio tantũ tulit utilitatis, quid cõmodi existimatis plenitudo attulisset, hoc est, si per incredulitatẽ non fuissent diminuti atq; reiecti? Tale enim argumentũ esse uidetur, quale illud Athenien. imperatoris Timothei, in cuius inuidiã dum nonnulli pinxissent fortunã ad rete cogentem urbes, illo iuxta dormiente, respondit authore Plutarcho, Si huiusmodi urbes capio dormiens, quid me facturum arbitramini si uigilaro?

Vobis enim dico Gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium, ministerium meum illustro, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos reddam nonnullos ex illis.

Ἀποστολὴ est ad Gentes, qua & Apostoli consilium aperitur. Dicit enim, Quandoquidem dominus me Gentiũ uoluit esse Apostolum, uestri caussa hæc potissimũ scribo, ut uel sic meũ agam negotiũ. Hisce enim ab arrogantia uos retrahere, sed & Iudæos cognatos meos ad æmulandum fidem uestram uolui extimulare. Latet autem uis quædam in dictionibus Illustrare & Caro mea. Nam illud & officio satisfacere est, & officium siue ministerium amplificare. Satisfacit officio dum Gentes docet, sed amplificat dum Iudæos prouocat. Hoc enim magis ex necessitudine quadam & fauore gentis suæ facit, quàm ex officio: itaq; Iudæos carnem suam, id est, cognatos suos uocauit.

Nam ſi reiectio illorum eſt reconciliatio mundi, quid erit aſſumptio aliud, quàm uita ex mortuis?

Repetitio eſt ſuperioris argumenti pro gloria gentis Iudaicæ, & humiliatione Gentium: quaſi dicat, Si iam conſtat, quod abiectio Iudæorum ad tempus facta, hoc profuit, quod mundus, id eſt Gentes reconciliatæ, id eſt, aſſumptæ ſunt, quid aliud dicere poſſumus, quàm quod uos Gentes ueluti illorum morte ac reiectione ſitis ad uitam uocati? Si uero ex morte eorum tanta manat utilitas, quid ex uita, ſi in ea perſtitiſſent, putatis exiſtere potuiſſe? Et ſi uos Gentes ex morte illorum potuiſtis ad uitam uocari, quanto facilius ipſimet poterunt uitæ reſtitui? Philippus Melanchthon eximiæ eruditionis uir Ironiam eſſe putat, ut abſurditatem ſignificarit Paulus: quaſi dicat, Abſurdum eſſet ſentire, quod abiectio Iudæorum profuiſſet. Id enim perinde eſſet, ac ſi quis diceret mortem prodeſſe. Idem & in ſuperioribus Inuerſionem factam eſſe credit. Sed teritur omnium manibus illius Diſpoſitio, ut nunc pluribus non ſit opus. Pius lector eligat quod ſimpliciſſimum & inſtituto Pauli propius eſſe uideatur.

Quod ſi primitiæ ſanctæ, ſancta eſt & maſſa. Et ſi radix ſancta, ſancti erunt & rami.

Ἀπαρχὴν τὴν ζύμην exponit Theophylactus, hoc eſt, quod nos primitias, ille fermentum dixit: & ita ſenſus erit, Si fermentum ſanctum eſt, oportet totam etiam maſſam quæ fermento imbuta eſt ſanctam eſſe. Nam fermentum totam conſperſionem acidam efficit. Cæterum magis probari uideo eruditis, ſi per ἀπαρχὴν ipſum intelligamus frumentum, unde ſumitur conſperſio. Quod ſi bonum ſit frumentum, bonus etiam erit panis. At hoc frumentum dixit Primitias quod optima quæq; numini ſolebant dicari. Ad ſacra enim allusit, de quibus Moſes Exodi 25. & Numeri 15. Cum ueneritis (inquit) in terram quam dabo uobis, & comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias domino de cibis ueſtris. Porrò qui hæc feciſſet, reliquis frugibus omnibus ut ſanctificatis uti poterat. Huc iam allusit Paulus, & dicit Iſraëlē non prorſus eſſe contemnendum propter patres. Verifimile enim eſſe ut ex pijs naſcantur pij. Quò etiam alia pertinet de radice & ramis ſimilitudo. Iudæi enim generis ac ſtirpis authorem habent Abraham, cuius fides deo probata eſt. Neq; uero dubitarim hiſce omnibus allusiſſe Apoſtolum ad illud Iſaiæ in 65. Quoniam ſi inueniatur granum in botro, & dicatur, Ne diſſipes illud, quoniam ſanctum eſt, ſic faciam propter ſeruos meos, ut non diſperdam totum.

Quod ſi nonnulli rami defracti ſunt, tu uero cum eſſes oleaſter, inſitus fuiſti illis, & conſors radicis & pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduerſus ramos: quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.

Cataſtrophe eſt. Nunc enim palàm edicit quò illa omnia ſpectent quæ hactenus dixit, nimirum huc, ne Gentes ob uocationem ſuam & repudium Iſraëlis, Iſraëlitas contemnere pergant. Perſtat autem in allegoria cœpta. Nam rami defracti, ſunt Iſraëlitæ repulſi. Oleaſtri uero Gentes ſunt. Sed olea teſtamentū eſt ſiue fides ac uocatio ſanctorum, Pinguedo gratia dei, & gloria ſanctorum. Iudæi ergo ſanctis nati patribus teſtamento uelut natura ſunt inſiti. At Gentes idololatris prognatę, ceu oleaſtri, oleæ ſunt inſitę præter naturam. Quod ſi iam aduerſus Iudæos arrogantia efferuntur & inſoleſcunt, meminiſſe debebant, quod non ex Gentibus, ſed Iudæis ſalus orta ſit. Neq; uero Iudæi Gentium religioni ſunt inſerti, ſed Gentes patrum & Abrahæ fidei ſunt inſitæ. De olea, oleaſtro, & inſitione plura apud authores rei ruſticæ Catonem, Varronem & Columellam.

Dices igitur, Defracti ſunt rami, ut ego inſererer. Bene dicis, per incredulitatem defracti ſunt, tu uero fide conſtitiſti. Ne efferaris animo, ſed timeas. Nam ſi deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat.

More

More ſuo aduerſariorum obiectionem producit, atq; protinus eandem diluit. Dicere poterat Gentilis aliquis, quod maximam Gentium rationem habeat deus inde patet quod dilectum quondam populum Gentium cauſſa repudiauit. Proinde licet rami aliquando ſancti fuerint, nunc tamen non ſunt ſancti, ſed reiecti, infrugiferi, neglecti atq; aridi, adeo ut ipſorum gloria prorſus interierit. Huic obiectioni ex Cauſſarum loco ita reſpondet, ut ſimul deum iuſtum eſſe doceat, & Gentium ſupercilium deprimat. Principio autem per conceſſionem, Negare (inquit) non poſſum quod obijcitis. Iudæi enim abdicati ſunt, uos in locum eorum adoptati: ſed hoc interim adijciendum, id ſanè nulla dei uel morositate, uel iniuſtitia deſignatum, ſed illorum perfidia. Ex quo loco diſcimus nobiſipſis, non deo omnipotenti peccata ac damnationem eſſe imputandam. Deinde ex contrario per rationem æqualem Gentibus opponit, Si uero incredulitas cauſſa eſt abdicationis Iudæorum, certe fides atq; gratia dei cauſſa eſt adoptionis Gentium. Iam uero addit quod ſenſum abſoluit, μὴ ὑψηλοφρόνει, id eſt, ne altum ſapias, hoc eſt, ne tibi placeas, ne efferaris animo, ſed timeas. Sequitur ratio per Comparationem à maiori ducta, Si deus naturalibus ramis, &c. Perſtat enim in allegoria, quæ notior nunc eſt quàm multis opus ſit. Dicit enim, Si Iudæis è ſanctis patribus natis, peculio ſuo, non pepercit, multo minus tibi Gentili prophano parcet, ſi modeſtiæ oblitus timere deſieris. Pari argumentatione legimus & Petrum, 2. Pet. 2. fuiſſe uſum.

Cui malũ ſit imputandum.

Ecce igitur bonitatem dei ac ſeueritatem: in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem: in te uero bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. Aliâs enim & tu excideris, & illi rurſum, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur.

Obiter inſerit dogma egregium, nempe quod in negotio prouidentiæ, imò uocationis Gentium, & reiectionis Iudæorum non id quod plerique faciunt, diſcendum ſit, arrogantia & aliorũ contemptus, ſed quod deus benignus ſit & ſeuerus. Benignus erga credentes, Seuerus erga incredulos. Eſt autem Bonitas ſiue benignitas animi propenſio ad bene merendum de quopiam, quam (ut Eraſmus ait) non inepte uerteris indulgẽtiam. Huic opponit ἀποτομίαν, quæ ad uerbum ſonat reſectionem, ea eſt quoties res ad uiuum exigitur, quam & rigorem dicas licebit. Specialius autem eſt quod ſequitur, Aliâs enim & tu excideris, &c. Siquidem ἀποτομὴ eſt ad Gentes pro Iudæis. Pugnat hic locus aduerſus Marcionitas & horum magiſtrum Cerdonem, qui duo initia & duos deos dixerũt, alium quidem bonum, alium uero malum. Item aduerſus eos qui ſentiũt deũ mala non uindicare, aut deum mali authorem eſſe: quod tametſi quodam modo uerũ ſit, prudentius tamen de cauſſis iudicandum, & de iudicijs dei purius diſputandum eſt.

Verus huius diſputationis uſus.

Poteſt enim deus denuo inſerere illos. Etenim ſi tu ex naturali exectus es oleaſtro, & præter naturam inſitus es in ueram oleam, quanto magis hi qui naturales ſunt inſerentur propriæ oleæ?

Dixerat Iudæos iterum inſerendos eſſe, modo increduli eſſe deſinant: idem iam à ſacili commonſtrat & ait, Poteſt enim deus illos denuo inſerere. Huic iam rationem ſubiungit ductam à comparatis, hoc ſenſu, Si Gentilis prophanus ex prophanis natus parentibus ceu ex oleaſtro deſectus præter naturam oleæ inſitus eſt, & in populum dei aſciſtus: multo facilius Iudæi è ſanctis orti patribus reſtitui poſſunt, ut natiuæ oleæ, è qua deſecti ſunt, inſerantur, atq; in populo dei recenſeantur.

Non enim uolo uos ignorare fratres myſterium hoc (ne ſcilicet ſitis apud uoſmetipſos elati animo) quod excæcatio ex parte Iſraëli accidit, donec plenitudo Gentium ingreſſa fuerit, & ſic totus Iſraël ſaluus erit: ſicut ſcriptum eſt, Egredietur ex Zion liberator, & auertet impietates à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentũ, cum abſtulero peccata ipſorum.

Et tunc, uel tũc enim.

Quod hactenus ſub inuolucro per ſimilitudines tradidit, idẽ nũc aptiſſime exponit, &

ſcripturis confirmat: & adhibentur hæc ſuperioribus expoſitionis & confirmationis uice. Nam principium huius loci, Nolo enim ignorare uos, expoſitionis eſt formula. Sed & per Myſterium aliud nihil intellexit, quàm hoc ſuum præſens inſtitutum, hactenus obſcurius tractatum, nempe quod Iſraël tandem ſit reſtituendus. Id porrò eius rei gratia hic inſerit, ne Gentes nimium inſoleſcerent, aut Iudæi prorſus deſperarent. Reſtitutionem autem hanc cõprobat Iſaiæ teſtimonio ex 59. capite petito, quod apertũ eſt. Sed & ipſe Paulus ei teſtimonio protinus aliud ex 31. capite Ieremiæ ſubdit, in hoc ne quis aliud de hac liberatione ſomniaret, quàm ipſa poſtulat res. Multi enim carnalia quædam opes, uictorias, regnum, carnalem metropolim Hieroſolymam, præſcriptam terrã Chanaan, prouincias, pacem in hiſce terris abſolutam, & neſcio quid ſtultitiæ ſomniant, ſed nihil horum ueritas. Clamat enim, Aderit liberator, ſed qui ab iniquitatibus liberet, qui peccata condonet, conferat iuſtitiam, ſaluet per fidem, adeoq; & in hac uita uoluptatibus cõtemptis, ducat ad gaudia per crucem & ſuipſius mortificationem. Mutabit deus mentem Iudæorum, ut mundana ſperare deſinant, eumq; iam obuijs ulnis recipiant, quem hactenus alium expectantes, repulerunt. Non mittet nouum liberatorem, ſed ſemel miſſum Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, illis reddet amabilem, dulcem & iucundum, ut poſthac non uelint aut deſyderent alium Meſſiam, imò & doleant de priſtina illa ſua & maiorum pertinacia & ingratitudine. Hæc ſana eſt de Reſtitutione Iſraëlis doctrina, de qua nonnulli non ſatis circumſpecte quædam garriunt pluſquam futilia. Meminerimus Meſſiæ regnum ſpiritus eſſe regnum.

Quomodo Iſrael ſit reſtituendus.

Totus Iſraël ſynekdocha.

Secundum euangelium quidem inimici propter uos, ſecundum electionem autem dilecti propter patres. Nam dona quidem & uocatio dei eiuſmodi ſunt, ut eorum illum pœnitere non poſſit.

Sententia eſt, cum ſua confirmatione, quæ omnia commode iungũtur ſuperioribus teſtimonijs. Eſt autem ſenſus, Si ſpectetis euangelium cui recalcitrant Iudæi, item ſi conferantur Gentibus iam nunc euangelio obedientibus hoſtes dei & abdicati eſſe uidentur. At ſi æſtimentur ex patribus & rebus ſuis priſcis ex promiſſionibus, & quod hanc gentem ex omnibus delegit, iam nemo uel ſuſpicari poteſt illos prorſus eſſe reiectos. Ad huius confirmationem facit dei conſtãtia & immutabilitas. Non enim poteſt deum uocationis, promiſſionis ac facti ſui pœnitere. Promiſit autem maxima quæq; huic genti: ergo non reſcindet, aut prorſus abijciet.

Habẽt promiſſiones ergo & electos.

Quemadmodum enim & uos quondam increduli fuiſtis deo, nunc autem miſericordiam eſtis conſecuti per illorum incredulitatem: ſic & iſti nũc increduli facti ſunt ex eo quod uos miſericordiam eſtis adepti, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

Porrò ne Gentes obijcerent, Sed Iudæi non crediderunt promiſſionibus, ergo nihil proſunt eis promiſſiones: anticipat & ex ratione pari per ſimilitudinem oſtendit, quod illorum incredulitas poſſit reſtitui. Si enim Gentium impietas miſericordia potuit mutari in melius, uiciſſim poterit & Iudaica perfidia purgari. Quæ omnia in hoc dicuntur, ut neutri alteris exprobrent, ſed utriq; alteris gratulentur parẽ experti miſericordiam.

Cõcluſit enim deus omnes ſub incredulitatẽ, ut omniũ miſereretur.

Epiphonema eſt, in quod totum colligitur negotium, nempe cum Gentes tum Iudæos nullo meriti reſpectu, ſed ſola uocari, iuſtificari & ſaluari dei miſericordia. Et ne iterum ex uerbo Concluſit, contentio de conſilio & admniſtratione dei oriretur, protinus ſubiungit:

O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius. Quis enĩ cognouit mentem domini? Aut quis illi fuit à conſilijs?

Exclamatione

Exclamatione enim ac admiratione rerum diuinarum claudit difficilem de Vocatione Gentium, repudio & resumptione Iudæorum disputationem. In qua temeritas humana causas rerum diuinarum curiosius rimatur, nempe, cur deus Iudæos à lapsu non præseruarit, uel Gentes ab idololatria non retraxerit citius, cur denique omne mortalium genus in peccatum prolabi permiserit. Atqui Paulus rerum difficultate superatus exclamat, O profundas diuitias sapientiæ & cognitionis dei. Sentiens & cognitionem dei rarum donũ esse, si cui contingat moderata & iusta: & sapientiã dei qua omnia gubernat & moderatur abyssum esse (ut propheta ait) multam, in qua peruestiganda humana imbecillitas citius deficiat, q̃ pro uoto proficiat, oportet. Ad expositionẽ uero horũ faciunt consequentia, quæ palàm perhibent iudicia dñi, nempe quod sic uel sic, hoc aut alio modo agat, esse inscrutabilia, utpote, quæ neq; scrutari conueniat, neq; perrimari possint. Item uias, hoc est instituta animiq; cõsilia eius esse imperuestigabiles, non tam quod peruestigari curiosius non debeãt, q̃ quod à nobis inueniri non possint. Quæ uero sequuntur sumpta sunt ex Isaiæ cap. 40. ubi sic legimus scriptum, Quis instituit mentem domini, aut quis adfuit ei consilio ut eum docuerit? Quem consuluit ut se erudiret, ac uiam iudicij doceret? ut se scientiam doceret, & iter intelligentiæ declararet? Cæterum cognoui mus mentem domini quantum conuenit ac satis est, quantumq; scire refert, 1. Cor. 2. At quantum dei attinet consilium & administrationem qua hoc illo modo, aliud alio modo administrat, illud demum nos latere uoluit: nõ modo quod nunc quidem scire non conueniat, sed quod imbecillitas nostra eò pertingere peruenireq; non possit.

Iudicia dei esse inscrutabilia.

Ioan. 15.

Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia: ipsi gloria in sæcula, Amen.

Hæc ostendunt in deo non modo Sapientiam ac Potentiam esse, sed etiam iustitiã & æquitatem. Expostulamus equidem cum deo cur hoc aut illud non faciat uel tribuat nobis, imò & iniquum esse nugari audemus, si iuxta animi nostri sentẽtiam nostris non respondeat uotis. Sed Paulus, Quid uero (inquit) summo deo dedisti aut concredidisti? q̃d obsecro tibi debet? Profecto si quidpiam apud illum deposueras, iure poteras repetere: sin minus, non est quod conqueraris. Tantum uero abest ut huic quicquam unquã contulerimus, ut ex ipso uerius ceu fonte ac mari, imò materia prima, omnia existãt: nec existant tantum, sed & per ipsum constent & conseruẽtur, imò & in ipso ceu perfectihabia quadam seu ὡτελέχθα subsistant τὰ πάντα ist hæc inquam quæ subsistunt omnia. Origenes hunc locum sic exponit, Quod dicit ex ipso, hoc ipsum quod sumus indicat. Per ipsum autem, quod per eius prouidentiam dispensamur in uita. In ipso uero quod perfectio omnium & finis in ipso erit, tunc cum erit deus omnia in omnibus. Zuinglius hũc locũ in lib. de Prouidentia tractans, Scio (inquit) postremũ hoc membrũ, In ipso, Græcis legi εἰς ἀυτόμ, hoc est, In ipsum potius, q̃ In ipso. Sed conatum est diuinũ pectus tam uehementer actiua locutione omniũ in deo existentiæ ueritatem enunciare: & non tam perhibere quod in deum omnia ordinata sint, q̃ quod in ipso & ad ipsum, hoc est iuxta eius præsentem uim, & in ipsa uirtute eius exiſtant: ut εἰς ἀυτόμ positum sit pro ἐν ἀυτῷ ἢ ἀυτὶ τοῦ ἀυτῷ, hoc est, in ipsum, pro In ipso & apud ipsum. Id quod priscus ille interpres, non Hercle ubiq; dormiens, uidit, cum In ipso transtulit. Ex deo igitur tanquã fonte, ac, si phas est sic loqui, materia uniuersa emergunt ut sint. Per dei uirtutem uniuersa exiſtunt, uiuunt & operantur. Imò in ipso qui præsens ubiq; est, & iuxta ipsum qui omnium esse, existere ac uiuere est, omnia sunt. Hæc ille. Quæ cum ita habeant, nullam hinc laudis portionẽ homo sibi arrogare potest. Omnia enim unius dei sunt. Cui uni ob id omnis honor & gloria debetur, nõ homini, qui quicquid habet accepit. Breuiter, Summus ille deus noster, deus uerax est, iustus, bonus & æquus, nemini irrogat iniuriã: sapiens est, nihil temere facit: omnipotens est, uocat quos uult & quando sibi uisum fuerit. Neq; nos habemus quod in eo culpemus: neq; uero conuenit ut eius quicquã curiosius peruestigemus, nisi q̃d ille nos scire uoluerit & annũciarit, id demũ nobis summo animi ardore summaq; amplexandũ est diligẽtia. Igitur cũ filiũ suum in mundũ miserit, ut eius

Deus nemini fit iniuriam.

Act. 17.

Epilogus.

redemptione uiuerent non modo Iudæi, sed & Gentes, iam ipsa pietas suadet ut omnibus altercationibus è medio sublatis, amplius non inquiramus, cur hoc aut illud uel egerit, uel non citius, uel hoc & non alio modo egerit, sed supplices deo accidamus, filium eius fide suscipiamus, unanimi corde gratiam illius agnoscentes, quod illius sit omnis salus, gloria & iustitia semper. Et hæc quidem in alterã huius epistolæ partẽ habuimus.

TERTIA EPISTOLAE PARS.

HActenus de summa religionis satis disputatum: subijcit ergo nunc uaria quædam de uarijs rebus præcepta, quæ Philippus Melanchthon iuxta uitæ rationem non inepte partitus est. Vt enim (inquit) alia est priuata uita, alia publica, seu, ut philosophi uocãt, politica. Ita duplicia hic præcepta sunt. Nam in 12. cap. recitat præcepta magis ad priuatam uitam pertinentia. Sequens caput ad politicam uitam pertinet. Docet enim nos de magistratu. Cap. 14. de scandalis admonet, ne offendamus libertate nostra imbecilles fratres. In reliquis capitibus duobus pollicetur, ut fit in epistolis, officiũ suum Romanis, & salutationes ascribit. Est & illud in primis obseruãdum, quod tum demum præcepta de moribus bonisq; ponit operibus, ubi prius rationem fidei & iustificationis probe absoluisset. Vnde etiã nos discimus quomodo docere oporteat. Qui uero ab operibus auspicantur, currui bouem (ut prouerbio fertur) trahendum appingunt.

CAP. XII. Obsecro ergo uos fratres per miserationes dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam deo, rationalem cultum uestrum.

De sacrificijs Christianorum. Quandoquidem uero ab orbe condito non minima semper de uera sacrificandi ratione concertatio habita est, ipsaq; pietas suadeat omnino aliquid esse sacrificandum, & Iudæi Mosaica contenderent esse immolanda sacrificia, Gentes quoq; non nihil suis niterentur & adhærescerent sacris, primo loco paucis quidem, sed euidentissimis differit de uero ac iusto Christianorum sacrificio: imò ad hoc immolandum hortatur omnes qui Christo dedere nomina. Cæterũ apostolico more id facit. Siquidem non iurgatur, non minatur, sed prẽfigni lenitate, Obsecro uos (inquit) per miserationes dei. Quem autem hæc non commouent, nescio si alia re moueri possit. Obsecro autẽ ut uosmetipsos immoletis, hoc est ut affectus corporeos iuguletis. Siquidem deus non uult mortuas pecudes, sed hostiam uiuam, ipsum inquam hominem, sanctum, id est, sanctificatum & à sceleribus repurgatum, purum & qui uni placere studeat. Is autem rationalis cultus est, illi gratus, fide constans & spiritu, non sanguine aut auro aut alia quapiam re externa. Deus enim spiritus est, & spiritu coli uult. Sed de hac re copiosissime disputauimus in 10. & 13. cap. Pauli ad Hebr. Sanè hoc loco repelluntur omnia hominum inuenta sacrificia & anathemata, contra uero traditur uitæ puritas & sanctimonia.

Malach. 1.

Et ne accommodetis uos ad figuram sæculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas dei, quod bonum, acceptum & perfectum.

De uero dei cultu. Affiguntur hæc expositionis loco. Nam renouari mente & sese ad figuram sæculi huius non accõmodare, est semetipsum sanctam deo immolare hostiam. Cæterum accommodare se ad figuram huius sæculi, figurate pro eo dixit quod est impiam uitam uiuere, & mundanis concupiscentijs per omnia obsequi. Nam Ioan. in 1. cap. 2. docet mundum aliud nihil esse quàm omnis mali omniumq; scelerum lernam. Germani hoc schematis felicius reddimus, *jr föllend üch der wält nit glych gstalten.* Porrò de renouatione mentis plura audiuimus in cap. 6. cui hæc omnia subfidij uice adijciuntur. Hæc autem animi renouatio tanto debet fieri ardore, ut quotidiano docti exercitio tandẽ discernere possimus, quid deus uelit, quodnam illud bonum & rectum sit, quid illi placeat, & quæ sit illa absoluta felicitas. D. Augustinus ad superiora retulit hoc sensu. Exhibeamus corpora nostra, non ut nostris pareamus cupiditatibus, sed uoluntati diuinæ. Id si fiat, sacrificiũ erit bonum,

bonum,placitum & legitimum deo. Atq; huic ſententiæ adminiculatur articulus præmodum emphaticus τ̀ ἀγαθὸν,&c. Quod ſi ſchema ſubeſſe intelligamus, ueluti cũ nos dicimus,Scire cuperem quodnam illud bonum, *welches das recht wâre*, iam ſenſus erit, Si autem renouauerimus mentem noſtram,iam fecerimus quod ille uult, quod illi placet, τὸ τέλεον,hoc eſt quod perfectum eſt. Dicuntur autem τέλεα, proprie in quibus nihil poſſis deſyderare eorum quæ ad ſacri rationem ac ritum religionis pertinent. Habent ergo hic apertam reſponſionem illi qui ſubinde quiritantur, Facerem me Hercle, ſi modo doctus ſcirem quid facere præſtaret,aut quid deo placeret. Si uero Paulinæ diffidũt theologiæ,audiant Iacobum fratrem domini pronunciantem, Religio pura & immaculata apud deum & patrem hæc eſt,inuiſere orphanos, & uiduas in afflictione ſua, & immaculatũ ſeipſum ſeruare à mundo. Proinde ſi ſapitis, Ceremonias & ſtulta iſta hominum inuenta deſerite,& ueræ pietati ſtudete.

Dico enim per gratiam quę data eſt mihi cuilibet uerſanti inter uos, ne plus ſapere uelit q̃ oportet ſapere,ſed ſapiat ad ſobrietatem, quiſq; ut ſibi deus menſuram fidei impartitus eſt.

Coniunctio Enim non eſt rationalis, ſed connectit tantum ſententias, niſi quis uelit moderatã ſapientiam uel ad renouationem mentis,uel ad uoluntatẽ dei referre: utrunq; autem liberum erit. Quod ſi hæc æſtimes ex conſequentibus, iam aduerſus arrogãtiam quorundam ſciolorum dicta uidentur pro concordia eccleſiæ. Habet autem arrogantia comites hæreſim & inuidiam,quas cum extinctas cuperet,ad arrogantiã conficiendam procedit,& ait, Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, &c. Dico autem dixit pro iubeo ſiue moneo,quemadmodũ & Latini Iubet ſaluare,& Dicit ſalutem,uſurpant. Porrò ne uel arrogãter uideretur eis præcipere,uel citra authoritatem admonere,addit, Per gratiam quæ data eſt mihi. Iam ſequitur quod impetratum impenſe cupit, Ne quis ueſtrum plus ſapere uelit quàm oportet. Quid ergo? Sapiat ad ſobrietatem. Sed quid eſt ſapere ad ſobrietatem? Ad menſuram fidei ſapere: Fides enim quæ cœlitus confertur,uera & ſolida eſt ſapientia. Ad quam ſi hodie exigeremus negotium Baptiſmi, Euchariſtiæ & Idolorum,iam non eſſent hodie in Germania contentiones. Simplex & expoſita eſt fidei regula ſiue menſura,uel capitibus ſymboli ueteris fidei comprehenſa, quod & Tertullianus in Præſcrip. hæreticorum teſtatur,ſed nos contendere,eruditionem, imò affectationẽ oſtentare malumus, quàm ſynceritati & ſimplicitati ſtudere: obliti non tantum huius Paulinæ,ſed & protritæ Comici ſententiæ,Ne quid nimis. Eſt enim in re quauis modus quidam,ſunt certi rerum fines,quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Fides regula rerum gerẽdarũ.

Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra uero omnia non eundem habent actum: ſic multi unum corpus ſumus in Chriſto,ſigillatim autem alij aliorum membra:

Similitudine corporis & membrorum ab arrogantia abſterret,ad cõcordiam uocat, hæreſim q̃p,hoc eſt ſectas diſcutit. Cæterum hæc ſimilitudo cum planius tum euidentius tractatur ab ipſo Apoſtolo in 1.ad Corinth.cap.12.& in Ephe.cap.4.Breuiter,Eccleſia ſidelium unum corpus eſt in Chriſto,non plura, colit ergo concordiam, & mutuis officijs ſeſe iuuat & ornat.

Concordia.

ſed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria:

Atqui quod eccleſiam (ait)unum corpus eſſe diximus, non conſequitur quod iccirco una duntaxat ſit omnium membrorum operatio. Operatio quidem omnium finem habet unum, nempe,ut ad iuſtam menſurã excreſcat eccleſia, & in fide ac iuſtitia floreat, ſed officia interim uaria ſunt. Varia enim & dona ſunt quæ deus iuxta animi ſui conſilium & beneplacitũ diſpenſat. Nemo ergo alij debet inuidere quod uel eruditio maior, uel ſapientia & rerum gerendarum felicitas celebrior contigerit. Rurſus nemo ob dona ſibi collata efferri aliosq; cõtemnere aut etiam ſchiſmata fouere, & ſeſe pro eccleſiæ principe aut dictatore gerere debet: ſed magis curare ut omnia in cõcordiam redacta iuſtam,

Dona diuerſa.

omnes glorificent deum unanimi & ſyncero corde. Atq; hoc ipſum eſt longe efficaciſſimum aduerſus arrogantiam, inuidiam ac hæreſes antidotum, quod utinam quidã tam paratis animis reciperent, quàm ad inuidendum atq; conturbãdum eccleſiarum pacem ſunt idonei ac procliues. Inuenias hodie inuidum ac turbulentum hominum genus, quod diuerſitate donorum & miniſterioru non expenſa, propterea ad ruſticandũ aut coriariam exercendam omnes indifferenter aſtringendos putat, quod eccleſia unum dicatur corpus, cuius & ipſi cum ſint membra, arbitrantur omnia alia membra ipſis ſimilia & æqualia eſſe debere. Inde uero emergit, quod magiſtratum contemnunt, miniſtros uerbi & conuicijs & contumelijs proſcindunt, neminiq; debitum honorem deferunt. Non enim uidere uolunt in corpore unico non tantum manus, uentrem ac pedes eſſe, ſed & oculos, aures & linguam, quæ licet ſint imbecillia, & à laboribus iſtis operoſis ac craſſis aliena, ab his tamen mẽbris quæ laboribus externis dicata ſunt, impenſe diligũtur, quemadmodum & illa ſuo etiam officio ſumma cum diligentia & fidelitate fungũtur. Proinde quiuis ſuæ uocationis memor omnẽ deberet impẽdere operã, ut Spartam, quã nactus eſſet, hanc & ornaret. Id uero quomodo cõmode præſtari poſſit, iam ſequit.

Cur hodie nemini ſuus deferatur honor.

Siue prophetiam, iuxta proportionem fidei: ſiue miniſterium in miniſtratione, ſiue qui docet in doctrina, ſiue qui exhortatur in exhortatione, qui impartit in ſimplicitate, qui præeſt in diligẽtia, qui miſeretur in hilaritate.

Iam enim recenſet uaria illa à deo iniuncta munia, & tradit quomodo digne adminiſtrari poſſint. Sunt autem illa quę recenſentur Prophetia, Diaconia, Doctrina, Præfectura, Communicatio, partim dona, partim officia. Quod ſi alicui ex his aliquod cõtigerit, ueluti prophetia, hoc eſt, dos explicãdi arcanas literas, iam anniti debet, ut interpretatio κατὰ τὴν ἀναλογίαν, iuxta analogiam ſiue proportionem fidei collimata ſit, hoc eſt, ut fidei conſona ſit. Nam Analogia fidei certiſſima regula eſt, qua deprehendimus legitima an illegitima ſit expoſitio noſtra. De prophetia plura in 1. Cor. 14. Audiuimus & paulò ante pios non plus ſapere quàm fidei præſcribat ratio. Diaconia quam miniſterium dicimus, late patet. Nã & ad ſtudijs addictos ſacris, & ad miniſtros uerbi & ſacramentorum referri poteſt, & ad eos qui curam agunt pauperum eccleſiæ. Id quod non modo ex 6. Act. cap. & 1. Timoth. 3. cap. ſed & ex conſequentibus oſtendi poteſt. Sequitur enim Doctrina & Exhortatio. Vtraq; autem ſub miniſteriũ referri poſſunt. Et breuitas quidem orationis & idiotiſmus linguæ obſcuritatem inducunt, adeo ut eclipticæ uideantur ſententiæ, Qui miniſtrat in adminiſtratione, Et cæteræ. Verũ hoc ipſum pollent quaſi Germanus dicat, *&wilt du ye dienen, ſo dien das es dienet ſye.* Hoc eſt, Si omnino miniſtrandum eſt, aut ad miniſterium uoceris, iam omni diligentia miniſtra, nihil eorum intermittẽs quæ ad miniſterium pertinere uidentur. Simili prorſus locutionis genere dicitur, Doceat in doctrina, Exhortetur in exhortatione: id eſt, ita doceat & hortetur, ut pietas ſuadet, & ut decet Chriſtianã eſſe doctrinam. De qua & apoſtolus Petrus, Si quis loquitur (inquit) loquatur ut eloquia dei. Si uero quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat deus. Nam & Chriſtus alibi, Si (ait) oculus tuus lux eſt, totum corpus lucidum erit. Iam qui pauperum operibus præfectus eſt, aut cui contigerunt ſplendidæ opes, is negotium agat ſimpliciter, hoc eſt, citra fraudem, ſumma cum diligentia & fide: aut largiatur ijs quibus opus eſt, non ad gloriam uel ad uerſutiam ſpe meliora conſequendi, ſed ſimpliciter & citra omnem dolum malum. Porrò ſi qui præſunt, ut aut munere aliofungantur eccleſiaſtico, aut magiſtratu præmineãt, omnia impigre cum ſumma diligentia adminiſtrent. De qua re & Ioſaphat in 2. Paralip. 19. Moſes quoq; Exodi 18. & Dauid in Odis. Quod ſi quis miſericordiæ aut commiſerationis dono fuerit donatus, meminerit hilarem datorem probari deo. Quadrat huc Prouerbium ξενίων δὲ τε θυμὸς ἄριστος, id eſt, Munerum autem animus optimus. Item egregium hoc Senecæ dictum, in 2. de Benefic. libro, Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit.

Prophetia.

Diaconia.

Quam uirtutem fides non affectus ſuppeditat.

Dilectio

Dilectio sit nō simulata, Sitis odio prosequentes quod malum est, adhærentes ei quod bonum est: per fraternam charitatem ad mutuo ad uos diligendos propensi: honore alius alium præcedentes: studio non pigri: spiritu feruentes: tempori seruientes: spe gaudentes: in afflictione patientes: precationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.

Iam & Charitatē legis consumationem præcipit, quod sine hac non modo ea quæ disputauimus sed omnia Christianorum opera flaccescant. Atqui copiose ei affigit affinia sua & concomitantia, quę nos oīa leui manu perstringemus. 1 In amicitias maxima cadit simulatio. Sunt enim qui ex animo odiunt, simulant tamē se amare, uel quia timēt, uel quia sua quærūt. Qui timēt omniū crudelissimi efficiūtur hostes, ubi per infortuniū tuū ipsis quod libet licet. At qui sua quęrūt in amicitijs tempore felici nihil nō pol licentur, at infelici adeo omniū obliuiscūtur, ut iures tibi cum illis nullū unq̄ interceſſisse cōmertium. Tales sunt apud Plutarchū muscę quę ęstate magno examine culinas stipāt, at hyeme prorsus recedūt. Sunt & assentatores qui in Gnatonismo exercitatissimi, non admonēt, sed plausu quodā Comico omnia etiā turpissima quæq; excipiūt. Sed extat elegans apud Plutarchū liber, quo docet, quo pacto possis adulatorē ab amico dignoscere. Paulus certè ut istis Charitatis affectionibus ac morbis antidotū pararet, præcipit ut Dilectio sit ἀνυπόκριτος, id est, sine fuco & hypocrisi, uera & syncera quæ simulandi ac dissimulandi iuxta sit ignara. 2 Vbi uero dei dilectio ac proximi amor est, ibi & mali odiū, & libera correctio, ibi & boni studiū & stimuli ad bonum. Fortassis huc quadrabunt ea quæ in 1. Pet. 4. cap. extant ex Psalmis. 3 φιλαδελφία, id est fraterna charitas longe est ardentior & maior quàm sit ἡ ἀγάπη, id est dilectio: ergo illa ad huius expositionem et amplificationem subiicitur. Deniq; uetustas uocauit Christianos fratres: proinde fraterna charitas iam erit Christiana charitas ad exemplum Christi domini formata. De qua apud Ioan. in 15. legimus, Maiorē dilectionem hac nemo habet, &c. Huc facit & dictio φιλόσοργος, id est, ad amandum propensus, cuius contrarium est ἄσοργος, de quo in cap. 1. diximus. 4 Charitas de præcellentia dignitatis non certat, sed humilis est, & per hanc quemlibet se (ut Paulus Phili. 2. ait) præstantiorē putat. Id quod & Christus in euangelio per parabolam eius, qui in infimo accumbit loco, adumbrauit. Alij per τιμήν, id est, honorem, intellexere subsidium. 5 In charitate est etiam singularis sollicitudo & alacritas: qualem uidemus in Patriarchis, Regibus & Prophetis fuisse uetustis. Sed & ipse dominus in euangelio secundum Lucam cap. 9. desidiam, torporem, & moram improbat. 6 Huc pertinet & agendi ardor, ut spiritu simus feruentes. Torpere enim carnis est, at spiritus agilis & uiuida res est. Et certe feruemus spiritu, cum sæculo frigemus. 7 Neq; uero protinus omnis zelus probandus est. Temerarij enim nonnunquam sumus. Charitas ergo infallibilis & certa uiuendi regula opportunitatem spectat, ut quoduis suo agat tempore & loco. Plura de Opportunitate Eras. in Adag. 8 Dilectio non nisi in futuris gaudet. Spes enim est rerū inuisibilium. Caro terrenis & perituris nititur. 9 Charitas non est sine patientia. Durū patientia frangit. 10 Orat, & sine intermissione quidem, Lucæ 18. Mat. 7. Nam assiduitas orationis neruus est. Sed assiduos reddit charitas. 11 Communicat sanctis necessaria. 12 Hospitalitatem quoq; eximie colit. De his plura Hebr. 13. & Matth. 25. Hæc autem sunt uere bona opera quæ & deus præcepit & per dilectionem Christianā pręstantur. Pontificij his neglectis Ceremonias, imò & constitutiones humanas res nihili, nonnunq̄ uero & superstitiones et impietatem inculcāt. Sed oportebat egregios istos piscatores non nisi in aēre piscari.

De Dilectione.

Benedicite persequentibus uos, benedicite & nolite maledicere.

Hæc non tantum ad Dilectionis sed & patientiæ uim explicandam pertinent. Et benedicere aliquoties est laudare, hic significat bene loqui uel bene precari. Neq; enim iubet ut laudetur insectator, sed ut ei bene precemur, & uerbis benignis admoneamus er-

De hac re plura Augustin. epistola. ad Marcel.

roris. Maledicere uero est deuouere & execrari. Sūpta sunt hæc ex doctrina Christi Matthæi 5. imò & ab exemplo eius, de quo Petrus 1. Pet. 2.

Gaudete cum gaudentibus & flete cum flentibus, eodem animo alij in alios affecti, non alta sapientes, sed humilibus uos accommodantes.

Idem hic præcipitur quod & ad Hebr. 13. & ad Philip. 2. Vult autem Apostolus omnibus Christianis affectum esse communem. Membra quidem humani corporis sic uidemus erga se affecta esse, ut uno dolente doleāt & cætera. Hinc Paulus iubet gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quod dilucidius exponens, addit, Eodem animo alius in alium affecti. Quod tum fiet, cum non alta quisq; cogitarit, sed humilibus se accommodarit. Dominus enim præcepit, Quicunq; uoluerit magnus inter uos fieri, fit uester minister, Matth. 8. & 20.

Ne sitis arrogantes apud uosmetipsos, neq; cuiquam malum pro malo reddatis, prouide parantes honesta in conspectu omniū hominum, quantū fieri potest, & quantū in uobis est, cum oīibus hominibus in pace uiuentes, nō uosipsos ulciscētes dilecti, quin potius date locū iræ.

Vindicta. Iam & aduersus uindicandi cupiditatem differit, & ab arrogantia incipit. Nam arrogantia ad uindicandū incitat, dum quisq; se meliorem putat, quàm ut alteri cedat. Quid igitur agendum? Studendum ut honeste uiuamus inter homines, ne uspiam malis ansam uel calumniandi uel nocendi præbeamus, atq; ita quantum fieri potest, & quantum in nobis est cum omnibus hominibus in pace uiuamus. Cæterum si id quidem per impiorum artes ac tyrannidem non licebit, agè uindictam permittamus iusto iudici. Neq; uero mysterio caret quod dixit, Quantum fieri potest. Si enim deserta ueritate cum impijs paciscaris, errasti. Hoc enim fieri non potest, nec fieri debet. Neq; pax terrena ueritati cœlesti præferenda. Rursus cum dicit, Quantum in uobis est, obiter idem monet quod & Christus, In mundo afflictionem fore, at nostrum esse anniti ne merito aut nostra culpa affligamur. Quod quidem apostolus Petrus in 4. cap. epistolæ suæ latius pertractat.

Gene. 14. 4. Reg. 18. Nisi malis exemplis sanctorum Abrahæ & Ezechiæ interpretari, qui quantum fieri potuit & quantum in ipsis fuit, pacem maluissent, cæterum cum non liceret propter hostium improbitatem, ultro & præter meritum bella inferentium, charitate armati pro suis pugnarunt. Est & illud annotandū quod locum iræ dare, est cedere instituto quo te uindicare instituueras, ut dei ira, id est uindicta locum habeat.

Scriptum est enim, Mihi ultio, ego rependam, dicit dominus. Si igitur esurierit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius.

Prædisputata confirmat sacris testimonijs. Prius sumptum est ex Deute. 32. cap. & posterius ex 25. Prouer. cap. Quod autem propheta dixit, Hoc si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius, bifariam potest intelligi. Vel, quod accumulata beneficia illi occasio futura sint maioris & grauioris mali. Vel, quod beneficijs adobrutus hostis & ueluti incensus amore, resipiscat, & ex hoste amicus fiat. Si priorem sensum qui huc magis quadrat amplectaris, iam per carbones uindictam intellexit. Eo enim loquendi genere utimur & Heluetij, cū de aliquo magno malo alicui adornato dicimus, Er *hat jm dglůt vff dfliß trochen.* Nam carbones ignis idiomate Hebraico dixit pro ignitis carbonibus, quos nos dicimus brunas. Porrò si posteriorem sensum suscipias, iam per carbones intellexit ingens beneficium, quo animus impij ad mutuum incenditur amorem.

Ne uincaris à malo, imò uince bono malum.

Epiphonema est ad superiorem de Innocentia disputationem. Potest autem malum cum ad hominem tum ad ipsam rem siue iniuriam referri. Quanquam magis uideatur ad ipsam referri rem. Vincitur autem à malo, qui iniuria affectus de uindicta cogitat. Sed uincit malum bono, qui malefacta compensat benefactis.

DE MA-

DE MAGISTRATV.

Iam uero haud immerito quis obiecerit, Si malum bono penſandũ eſt, me Hercle uitia merebuntur præmium, imò præmij ſpe illectus nebulonum quiſq; iniuriam intrepide inferet, peribitq; innoxius. Commode ergo in conſequenti 13. cap. differit de magiſtratu: quaſi dicat, Quanquam tuarum partium ſit cauſſam tuam non ulciſci, dominus tamen humani cordis malitiam non neſciens, ferociam, uim & cõtumelias, magiſtratu ordinato, à mortalium genere uoluit prohibere. Quo fit ut Chriſtiana patientia, quæ iubet ne malo reſiſtamus, magiſtratum non tollat. Fuit enim & apoſtolorum temporibus hominum genus noſtro per omnia ſimile, quod ſe Chriſtianæ religionis priuilegio & Magiſtratu, & Tributis, & Vectigalibus exemptum eſſe crederet. Hoc ergo diligentius docuit in præſentiarum Paulus Magiſtratui eſſe obediendum, tributa quoq;, uectigalia & omnia debita eſſe ſoluenda.

Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. CAP. XIII.

Principio ſummam huius negotij præfigit, Quiſq; ſuo obediat magiſtratui. Deinde uero cauſſas ſubdit, & quid illum uiciſſim deceat oſtẽdit. Dixit autem omnis anima pro omni homine, more Hebraico, quo & carnem alterã hominis partem poſitam legimus pro toto homine. Vſi ſunt & priſci Germani hoc locutionis genere. Siquidem in uetuſtis fundationum (quas uocant) inſtrumentis, legimus, *vnd diſe ſöllend Gott dienen, vnd für die Chriſtglöubigen ſeelen bitten.* Hoc eſt, Hi uero in hoc conſtituti ſunt ut deo ſeruiant, & pro Chriſtianis hominibus orent. Id quod plurimi non uidentes, arbitrãtur nonnihil ſubfidij purgatorio ſuo igni ex uetuſtate illa accedere. Quando uero homo non poteſt conſtare niſi ex anima & corpore, uiciſſim non poteſt tranquillitas aut hominis ſalus conſtare niſi duplici magiſtratu, quem & populo ſuo uidemus inſtituiſſe dominũ. Leuitas enim inſtituit & Iudices. Cæterum nos non ſumus meliores patribus noſtris, imò uidemus in eccleſia quoq; uiſibili hac noſtra, plurimos agere contumaces ac perduelles, qui ut fidem iuſtam non habent, ita nullius faciunt ſi centies extra eccleſiam eijciantur, imò tum demum atrocius ſæuire & nocere pergunt. Quocirca neceſſarius eſt nobis quoque magiſtratus, qui has publicas publicæ trãquillitatis, imò & generis humani peſtes compeſcat. Neq; eſt ut quiſquam propterea tumultuetur quod regi ſed optimatibus ſubſit, quaſi nemini niſi regi ſit obediendum. Paulus enim in pluratiuo numero extulit ſententiam, & dixit, Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſit ſubdita. Proinde nihil refert tulerit rex an dux, comes an conſul ſit qui præeſt, & publicam tranquillitatem defendit. Tradunt autem ſcriptores rerum tria eſſe magiſtratus genera, quibus & tria opponunt uitia. Primum aiunt Monarchiam eſſe, quam nos Regnum uocare poſſumus, uidelicet cum unus rerum ſummæ præfectus ad iuſtitiæ & æquitatis normam omnia moderatur. Si enim æquitate neglecta pro animi libidine omnia geſſerit, iam regnum euaſit in Tyrannidem. Tyrannis enim, quam uim aut uiolentiam dicere licebit, uitium eſt Monarchiæ. Secundum genus eſt Ariſtocratia, hoc eſt Optimatum potentatus, ubi delecti & omnium prudentiſſimi & ſanctiſſimi uiri certo numero cõſtituti populo præſunt. Qui ſi degenerent & republica poſthabita, priuata quærãt compendia, imperium quoq; ſibi malis artibus parent, Olygarchæ dicuntur. Olygarchia enim Ariſtocratiæ opponitur, & paucorum potentatus eſt. Et illa quidem ex tyrannide nata eſt. Dum enim uiderent mortales, non ſatis tutum eſſe rerum ſummam uni committere uiro, pluribus permittenda uidebatur. Sic enim Ariſtocratia eſt enata. At cum illi etiam in Olygarchas degenerarent, placuit tandem omnem potentiam reipublicæ deferre. Tertium enim genus eſt Democratia, quam populi regimen aut rempublicam poſſumus appellare, ubi ſcilicet imperium apud uniuerſum populum eſt. Hic enim omnes honores & functiones per ſuffragia conferebat quibus uidebatur. Hoc plerunq; abit in Syſtremma, hoc eſt ſeditionem & conſpirationem. Dum nemo patitur ſe cogi in ordinem, ſed quiſq; publicam poteſtatem ſibi de integro uẽdicat, eo quod populi pars ſit. Hæc autem ſunt magiſtratuum genera cum ſuis degeneribus uitijs. Siue ergo Rex ſit, ſiue optimates, ſiue reſpublicę ſint, ſubditi eſſe debemus.

Synekdoche.

Tria magiſtratus genera.

Non enim est potestas nisi à deo, quæ ergo potestates sunt, à deo ordinatę sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibijpsis iudicium accipient.

Caussa est cur magistratui obediendum sit, quia Magistratus ordinatio dei est. Ordinationi autem dei obediendum est, ergo & magistratui obediendum est. Huc iam & pœna proposita ceu per gradus impellit, & ex contrario sic arguit, Qui magistratui resistit, deo resistit. Qui autem deo resistit punitur: ergo qui magistratui resistit, punitur. Hoc enim est iudicium accipere, nempe uindictæ obnoxium esse. Hæc de sententia. Iam uero plurima sunt quę hic quæri solent. Cum enim Paulus diserte dicat, Non est potestas nisi à deo, num & impiorum principum potestas à deo sit? Prorsus. Verum ea potestas sic à deo est, ut grādo, pruinæ cæteræq; humani generis calamitates, quæ propter peccata infliguntur iusto dei iudicio, à deo sunt. Id quod in Nabuchodonozore apud Ieremiam, & in Senacherib Assyriorum rege apud Isaiam uidere est. Imò ipse dominus, Dabo (inquit) pueros, ut sint principes uestri, & illusores ac effœminati dominabuntur uobis. Quod si (ais) illi idololatriam & alias impietatis species prȩcipiant, num dei ordinationi resisto, cum illorum præceptis resisto? Minime. Nam Petrus in Actis, Oportet (inquit) deo plus seruire quàm hominibus. Sed & magistratus in corpora & res corporeas, maxime quæ ad publicam tranquillitatem & æquitatem pertinēt, imperium habet, non in animas aut religionem, imò ipse religioni subditus est, si sanus est. In qua si aberret, & alios quoq; in errorem cogere uelit, non magistratus, sed impij & uiolenti uice fungitur. Ferenda igitur crux, imperium uero detrectandum erit, sicuti Danielem unà cum socijs fecisse legimus. At si corpus tantū præmat illæsa fide ac anima, iam ferenda iniuria quo adusq; deo uisum sit, qui interim non dormitabit, modo à peccatis conuersi auxilium ac liberationem eius indefessis precibus postulemus. Non eripient te artes malæ, non liberabunt seditiones, sed pœnitentia & oratio. Illa porrò intricabunt te perplexius: hæc uero liberabunt & certius & citius. Id quod & Iudaicæ res sub Aegyptio, Chananæo & Babylonio rege satis afflictæ, abunde docebunt. Hoc consilio uoluit etiā Petrus duris quoque obediri principibus. Quod si qui mihi hoc loco Gedeones, Sansones aut Moses obiiciant, non displicet. Displiceret autem si affectibus suis euicti siue seducti uerius, Theodas, Caphedonas uel Iudas Galilæos agere pergerent. Debet enim is qui exemplo nititur Mosis, Gedeonis ac Sansonis, eam habere uocationem, tam deniq; certam functionem à deo impositam, quam indubitatam ac firmam illorum fuisse uidemus. Quo si carent, cessent obsecro tumultuari, & expectent dominum, cui dum uisum fuerit misereri, nemo poterit resistere. Non est enim consilium, nulla fortitudo contra dominum. Porrò quod quidam hinc colligunt primatum Pontificis Romani iure diuino statui, fallun tur. Nam dominus dixit, Reges populorum dominantur eis, Vos autem non sic. Proinde apostolicus, rex esse nō potest. Si enim rex est, apostolicus non est. Iam uero si sic contendas potestatem Pontificis Romani, non quantum Pontifex, sed quantum magistratus est, à deo esse, haud leuiore offensa admiserim, quàm potestatem Antiochi & Pharaonis & Herodis à deo esse credo. Oportuit & prophetias impleri, in primis Petri uaticinium, 2. Petri 2.

De impia & tyrannica potestate.

Act. 5.

Quod si liber fieri potes, magis utere.

Nam principes non sunt terrori bene agētibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? quod bonū est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum.

Audiuimus magistratum esse à deo, quo si magistratu fungentes efferantur, audiant nunc cur constituti sint, & quid sint. Nam hæ quæstiones superiori probe respondent. Hæc enim docet, unde sint, nempe à deo, iam sequitur sua sponte, quod ad res diuinas quoq; consecrati sint, hoc est, cur sint & quid sint. Sic enim conuenit ut & dominis præscribatur quid factu opus sit. Sunt male sani quidam qui nihil subditis q̄ obedientiā inculcāt, equidem non male, imò peroptime, interim uero & dominis sua quoq; inculcanda erant ut utriq; sui meminerint officij. Principes (inquit) non in hoc cōstituti sunt, ut bonos,

Cur magistratus sit.

bonos, iuſtos, & innoxios puniant & diuexent, ſed ut malos & nocentes prohibeant. Turpiſſimum ergo eſt & omni ſupplicio dei digniſſimum, ſi illi qui Chriſtianæ fidei antesignani uideri uolũt eos, qui recta incedunt & à ſceleribus abhorrent, ob neglectas ceremonias, aut etiam humanas traditiones, capitis afficiant ſupplicio. Breuiter. Oportet principem uirũ eſſe bonum, iuſtũ, ſanctum. Exodi 18. cap. Num. 27. Deut. 1, 16, 17. 2. Paral. 19. cap. Pſalmo 72. Item Pſal. 82. & 101. Quod ſi iniuſtus ſit, iam populo ſuo (ut Propheta ait) eſt loco rugientis Leonis & urſi eſurientis, qui tamen in perditione iſta ſua tandem perdetur. Hic uero iterum detorquet orationem ad ſubditos & ait, Si autem cupias magiſtratum non timere, iuſtitiam & æquitatem cole, & habebis laudem ab ipſo. Quod uel de defenſione dictum eſt, uel alluſione ad cõſuetudinem Græcorum & Romanorũ, qua illi, qui aliquid patraſſent facinoris egregij, aut priuatim aut publice laudabantur. Hinc uero iterum ad magiſtratũ deflectit, & cauſſam ſuperioris ſententiæ reddit, dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Cui in omnem prorſus modum reſpondet Plutarchus in opuſculo, quo docet in principe requiri doctrinam. Nam principes dicit eſſe miniſtros dei ad curam ac ſalutem hominum, uti bona quæ illis largitur, partim diſtribuant, partim ſeruent.

Prouer. 28.

Quid ſit magiſtratus.

Quod ſi feceris id quod malum eſt, time. Nõ enim fruſtra gladium geſtat. Nam dei miniſter eſt, ultor ad iram, ei qui quod malũ eſt, fecerit.

Eandem rem adhuc clarius per contrariũ effert. Denuo autem uidemus quodnam ſit Magiſtratus officium. Non fruſtra (inquit) gerit gladium, ſed ut nocentes feriat. Si ergo fis innocens, non eſt quod magiſtratum uerearis. Alluſit autem ad Gentium conſuetudinem, qua magiſtratui etiam Romano & uirgæ & ſecures præferebantur. Sed & gladius uindictæ nota ſiue inſigne eſt. Et plurima erant ueteribus inſignia, quæ regũ ac magiſtratuum animos ſui monebant officij. Cæterum cum magiſtratus gladio utitur, uel conſceleratos, quos uocãt maleficos, feriendo, uel arreptis armis iniuſtã uim à ſuis propulſando, hoc ipſo inquã dei miniſter eſt, ultor ad irã, hoc eſt, qui omnino (eſt enim pleonaſmos) uindicare & ſupplicium de ijs ſumere debet qui nocentes ſunt. Nam & in lege præcepit dominus dicens, Ne ſequaris turbam ad faciendũ malum, neq; in iudicio plurimorum acquieſcas ſententiæ ut à uero deuies. Pauperis quoq; non miſereberis in iudicio. Inſontem autem & iuſtum non occides. Maleficum uero non patieris uiuere. Exodi 22, & 23. Leuit. 19. & 20. Quo ſimul & hoc diſcimus hunc locũ Pauli non pugnare cum lege domini. In hac enim prohibetur priuata uindicta, prohibetur ira, & ne quem cædamus innoxium. Paulus ergo gladium priuato adimit, uindictam prohibet, & nocentes cædere iubet. Plura uero de hac re cum apud ueteres tum apud noſtros, in primis autem apud Auguſtinũ aduer. Manichæos diſputata ſunt. Duo certe ſunt potiſſima magiſtratus officia. Prius ut tueatur bonos & prouehat iuſtitiam. Poſterius ut prohibeat malos, hos tollat & iniuſtitiam deſtruat.

Gladij uſus.

Non occides. Matthæi 5.

Quapropter oportet eſſe ſubditos, nõ ſolum propter iram, uerum etiam propter conſcientiam,

Illatio eſt, Colligit enim neceſſario obediendũ eſſe, non modo propter iram, id eſt uindictam, ut hanc declinemus ne in inobedientes animaduertatur, ſed & propter conſcientiam, id eſt, eò quod conſcientia noſtra, ipſa pietas, imò & cõmunis ſenſus ſuadeat obediendum eſſe. Eſt enim magiſtratus à deo & inſigne dei beneficium hominibus præſtitum. Quocirca ſine conſcientiæ periculo fieri non poteſt, ut magiſtratui repugnemus: niſi prorſus impia præceperit: tum enim deo magis obedire oportet, quàm hominibus. Meminiſſe autem debent Principes & Magiſtratus, quod & ipſi Principem & Magiſtratum habeant, deum: cui niſi obediant, uindicem aliquando ſentiant. Nemo enim ſe ideo credat magiſtratu & legibus carere, quod alijs præfectus ſit & leges condat: imò hoc magis obſtrictus eſt, quiſquis alijs imperitat. Egregie enim Plutarchus in eo quem paulò ante citauimus libello, in hanc ſententiam ſcripſit, Quis igitur imperabit principi? Nempe lex omniũ regina & mortaliũ & immortaliũ, ut ait Pindarus:

Magiſtratus quoque ſit ſubditus.

non iſta quidem lex foris in libris aut ligneis ſcripta tabulis, ſed uiua illi inſita ratio ſemper conuiuēs ac familiaris principi, nec unquam animū ſuo ductu ſua moderatione deſtituens. Nam Perſarum rex unum habebat cubicularium, cui hoc negotij mandatum erat, ut diluculo ingreſſus illi diceret, Surge rex, atq; ea cura negotia quæ te curare uoluit Meſoromaſdes. At erudito prudentiq; principi intus in animo adeſt, qui ſemper idem dictet & iubeat, &c. His confer ea quoq; quæ in ſacris de Solomone traduntur, 3. Reg. 3.

Propter hoc enim et uectigalia ſoluitis. Nam miniſtri dei ſunt in hoc ipſum incumbentes.

Vide an fidei priuilegio nihil debeas.

Hac ex cauſſa (inquit) quod publicam tranquillitatem curant, & publicum gerunt officium, bonos tuentur, malos feriunt, hac inquam cauſſa, quod miniſtri dei ſunt, & uobis inuigilant, dependitis φόρους, id eſt uectigal & emolumentum. Nam φέρειν eſt pendere: inde φόρος penſitatio & emolumentum, & φορὰ collatio, Roma. 6. & cenſus, Luc. 20. Quod enim alij κλῆσιν, hoc eſt cenſum dixere, id Lucas uocauit φόρον, dicens, Licet nobis tributum dare Cæſari? Eſt autem Cenſus æſtimatio rerum & bonorum, ſecundum quam tributa pendebātur. Vnde cenſum agere eſt recenſere hominum facultates. Vſurpauit ergo Paulus hac uoce φόρους pro pretio, ſalario, tributo aut emolumento, quo & magiſtratus & reipublicæ opera conſeruantur. Cuiuſmodi apud nos eſt, *die ſtiür, der zoll, das gleyt, vmbgelt*, &c. Plura de hac re 1. Reg. 8.

Reddite igitur omnibus quod debetur, cui tributū, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Omnia debita eſſe ſoluēda.

A ſpeciali delabitur ad generale, docens non modo magiſtratui dandū eſſe quod debetur, ſed omnibus quoq; hominibus. Breuibus autem multa complectitur. Principio enim in genere dicit, Reddite igitur omnibus τὰς ὀφειλάς, quaſi tu dicas omnis generis debita. Deinde per enumerationem quædam recenſet, nempe tributum, uectigal, timorem & honorem. De tributo iam diximus. τελῶ autē penſito eſt, unde τέλος uectigal: ſicut τὰ φέρεμ, φόρος. Inde uero & τελῶναι uectigales, quos nos dicimus publicanos, qui uidelicet rebus ad publicum ſpectātibus, ære certo redemptis, priuatim utebantur, malisq; artibus miſeram plebem aggrauabant. Vnde & pro uſurarijs ponuntur in Euangelio. Proinde ſi Germana lingua proprie publicanos interpreteris, non dices *zoller*, ſed *wůcherer*. Nam Vectigales, hoc eſt, qui ad telonia deſident, & magiſtratui debitum colligunt, non peccant. Siquidem diuus Ioannes Baptiſta rogantibus publicanis quid facere conueniret reſpondit, Ne ultra & plus extra hoc quod ordinatum uobis exigeritis. Conſtat autem & decimam & undecimam, & uigeſimam redditauum omnium, præcipue rei frumentariæ à Romanis eſſe collectam. Et Latinæ linguæ ſcriptores, Vectigal (inquiunt) eſt prouentus, cum ex priuato tum ex publico, idq; ex omni prædio. Vt nūc certum ſit illis fuiſſe Vectigal quod nobis ſunt cenſus & redditus, non tantum magiſtratus debitum. Nam & Cicero Parad. 6. O dij immortales (ait) non intelligunt homines quàm magnū uectigal ſit parſimonia. Venio enim iam ad ſumptuoſos, relinquo iſtum quæſtuoſum. Capit ille ex ſuis prædijs ſexcenta ſeſtertia, ego centena ex meis. Illi aurata tecta in illis, & ſola marmorea, ea facienti, & ſigna, tabulas, ſupellectilem & ueſtem infinite concupiſcenti, non modo ad fructum ille ſumptus eſt, ſed etiam ad fœnus, exiguus. Ex meo tenui uectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Intelexiſti autem ex hoc teſtimonio quomodo ueteres uſi ſint nomine Vectigal. Et ſanè uerſimile eſt hoc ipſum intellexiſſe Paulum hoc loco per uectigal, quod è Cicerone didicimus. Nam ſi debitum magiſtratus, hoc eſt, quod magiſtratui debetur intellexiſſet, iam eandem rem bis dixiſſet. Tributa enim magiſtratui deberi audiuimus, ijſdemq; omnis generis debita, quæ magiſtratui debentur, intelligi. Ergo per Vectigal ea potiſſimum debita intellexit quæ nos redditus, aut emolumenta, aut prouentus cuiuſcunq; tandē fundi aut negotiationis, nuncupamus. Vbi nunc uidere eſt, quanta ſit Catabaptiſtarum inſcitia & temeritas. Siquidem non tantum non intelligunt quid in Euangelio publicani ſint, uerum nulla in re magis tumultuantur quàm in redditibus, quos ſuperſtitioſe ad-

Vectigal.

Catabaptiſtæ.

modum

modum uel nullo iure deberi, uel nullo iure recipi posse, contendunt. Sed ualeant male sani homines. Timorem autem, id est religionem debemus deo. Debemus & pietatem parentibus. Debemus nonnihil & benefactoribus. At τιμὴ, hoc est honor, etiã pretium & pœna est, *lon, schuld, straaff, bůß*. Ioannes Oecolampadius, Tributa (inquit) pendent possessores & incolæ terræ. Vectigalia negotiatores. Timorem habemus dominis. Honorem uero alijs dignitatem gerentibus. Origenes duo illa, hoc est tributũ & uectigal Cæsari, id est terrenæ potestati deberi dicit. Timorem uero & honorem deo. Quia deus solus timor noster esse debet, atq; illi soli seruire debemus. Breuiter, Paulus uoluit Christianos esse inculpabiles, & tales, qui omnibus quod decet præstent. Ita Petrus quoque, Omnes honorate, (ait) fraternitatem diligite, deum timete, regem honorate. *Timor & Honor.*

Nemini quicquam debeatis, nisi hoc ut inuicem diligatis.

Abrumpit disputationem de debito inexplicabilem alioqui, si quis singula persequi uelit. Omnia autem ad Charitatem refert: quasi dicat, Quid uero opus fuerit multa scribere de debito, de cõtractibus, de locatione & mutuo, & hisce id genus alijs rebus? Charitas sit istorum omnium regula. Non enim poterant apostoli singulis urbibus, prouincijs & regnis nouas in rebus externis aut ciuilibus condere leges: ergo omnia quidem ista iubent ad charitatis regulam explorare. Hæc de sensu. At de structura huius sententiæ monuit Erasmus incertum esse an ὀφείλετε sit indicandi an imperandi modo, debetis an debete, dictum. Posse tamen sic accipi, Soluite unicuiq; quod debetis, quo soluto, desijstis debere. At sola charitas nõ definat deberi, sed semper persoluat, & nihilominus semper debeatur, ut non sit finis benemerẽdi. Quid si intelligamus Mimesi mixtam esse Antiphrasim? Erant enim inter initia ecclesiæ, quales hodie habemus plurimos, qui dicerent se religionis nomine liberos esse, nec cuiquam quicquam debere. Ad illorum ergo sermonem alludẽs, per Mimesim dicit, Sanè nemini quicquam debetis: cui mox per Antiphrasim nectit, Nisi ut inuicem diligatis: quasi dicat, Si charitas, quę religione Christiana unice præcipitur, iubet nemini quicquam debere, sanè nemini quicquam debetis. Tale locutionis genus est & illud apud nos, *Er ist niemants nůt schuldig dann den lüten*, id est, nemini non debet. *Dilectio omniũ functionum & legum humanarum amußis.*

Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimoniũ dices, Non concupisces, & si quod aliud præceptũ in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio malum proximo non operatur. Consummatio itaq; legis est Dilectio.

Exemplis docet quod omnium functionum humanarũ amussis sit dilectio, & quod is qui diligat, hoc est Christianus omnibus seruiat. Præfigit autem paradigmatis sententiam hanc, Qui diligit alterum, legem expleuit. Vbi de lege non ita loquitur, ut in superioribus de ea disputauimus. Sic enim nemo potest legem implere. Loquitur ergo hoc loco potissimum de externa uitæ honestate, quam non tantũ lex dei, sed & ius Gentium & Ciuiles leges excolunt. Præcipiunt istæ cõplurima de Sponsalibus, contractibus, contra iniuriã & cædem. De testibus & similibus rebus. Eadem præcipiuntur etiam lege dei. Id quod præscriptis patet exemplis ex Exodi 20. cap. desumptis. Iam sequitur institutum Pauli. Sed dilectio omnia in se comprehendit. Id quod ex Euangelio sumpsisse uidetur. Eadem enim legimus & Christum docuisse Matth. 7. & 22. Proinde commode hisce subiungitur generalis illa sententia, Dilectio proximo malum non operatur. Quod si proximo non nocet qui diligit, & leges constitutæ sunt ne quis noceat: cõsequitur quod finis & consummatio legum sit dilectio. Quo deinceps fit ut post dilectionem traditã non necessum fuerit apostolis operosas condere leges, quod dilectio quasuis cuiusuis Gentis leges iustificare (ut aiunt) & à nociuis poterat repurgare. Imò nisi adsit in rebus omnibus temperamentum Dilectio, nullæ possunt leges condi quæ omni parte sint absolutæ.

Et hoc scientes tempus, quia hora est iam à somno expergisci. Nunc

enim propius adest nobis salus, quàm tum cũ credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquauit.

Exhortatio extemporaria.

Quandoquidem de magistratu & iusta obedientia, quid item magistratui, imò omnibus debeatur hominibus differens, eò delapsus est Apostolus, ut & de Dilectione quædam inseruerit, quæ malũ proximo non faciat, occasione sumpta deflectit ad genus suasorium, & hortatur omnes ad innocentiã uitæ, ut ueritate percepta, non modo ab omni iniuria, sed & ab omni impuritate uitæ sibi temperẽt. Vtitur autem sermone symbolico siue allegorico. Euigilare enim est oculos & mentem recipere. Nox autem est uita impia & sæculum impurum. In hac dormiũt qui impure & in cæcitate cordis uiuunt. Dies autem gratię tempus est & uita syncerior. Sic eñ clarius semetipsum explicat in 1. ad Thessal. 5. cap. Contextus uero magis cõnectitur sententia q̃ uerbis: quasi quis dicat, Atq; hęc quidem nobis præstanda sunt, nempe ut proximos diligamus, ac nemini inferamus iniuriam. Maxime cum ipsa opportunitas suadeat tandẽ ab impia uita esse resipiscendum. Argu. uero à tempore petitum est. Quò & illud pertinet quod sequitur, Nũc enim dum lux euangelij splendet, salus propius est, quàm tum cum nondũ crederemus. Certe obuiam salutem nemo sanus contemnit. Ad expositionem uero huius facit illud, Nox progressa est, dies appropinquauit. Sic enim salus propior est, quod nunc gratia prędicatur, quam prius nesciebamus.

Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquam in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus ac lasciuijs, non in contentione & æmulatione, sed induamini dominum Iesum Christum: & carnis curam ne feceritis ad desideria.

Perstat in allegoria, sed clarius exponit quid ipsa effectum cupiat, certè ut innocentiæ studeamus. Hic enim palàm audimus quid sit nox, quid dies, quæ opera tenebrarũ, quæ lucis, quid in die ambulare, quid in nocte, denicq; quid sit Christo militare, & quid carni. Habes pręterea horum omnium clarissimum Commentarium in Ephe. cap. 4. & 5. Hoc annotandum quod tria recensuit genera Apostolus, quibus potissimum dissoluitur genus humanum, Comessationem, Libidinem & Inuidiam. Cuiq; comitem adiunxit, ut hoc melius intelligeremus quid haberet aut post se traheret quæq;. De Como temulentiæ deo plurima Philostratus in Imaginibus. Contra ebrietatẽ Plinius & Seneca. Contra scortationem & lasciuiam Paulus 1. Cor. 6. Ephes. 5. Contra contentionem Iacobus in 3. Porrò æmulationem pellit charitas. Sequitur clausula, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας, id est, Hoc uero quod caro prouidet, ni mirũ ut genio indulgeamus, ne obsecro feceritis. Neq; enim absolute iubet, ut nullam curã seu rationem habeamus ualetudinis nostræ, sed ne malesuadæ carni assentiamur. Atq; hæc quidem non huius tantum, sed & 12. cap. conclusio est.

Tribus maxime dissoluitur mundus.

DE CIBORVM DELECTV ET SCANDALO.

Hoc autem negotium commode subnectitur 12. & 13. cap. in quibus de una fide deq; concordia & dilectione plurima disputata sunt. Cum itaq; maxima esset inter Iudæos & Gentes ad Christum conuersos, de ciborum delectu, & ratione sabbatorum, hoc est, festorum cõcertatio: illis suam superstitionẽ defendentibus, hisce uero fortiter impugnantibus ac libertate sua satis libere utentibus, utroſq; eodem charitatis moderamine componit, & cuiq; parti quid ipsam deceat, & in quo peccet, præscribit, adhortans ut sibi ab offendiculo caueant, charitate uero inuicem seruiant.

CAP. XIIII. Eum uero qui fide infirmus est suscipite, non ad dijudicationes disceptationum.

Initio autem pro more suo rerum summam & propositionem negotij sui proponit, quæ est, Infirmũ suscipite. Infirmus aũt est qui ob fidei imbecillitatem facile offenditur, si alius

si alius robore fidei suffultus libertate sua utatur. Qui talis est, suscipiendus est. Habet autem emphasim uerbum προσλαμβάνεσθε: quasi quis dicat, Recipite eum, instituite ac fouete, donec proficiat. Sic eodem uerbo usus est ad Philip. 4. Germanice dicimus, *Nämend jn bübschlich an, vnd berichtend jn.* Sequitur enim, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Quod alij exponunt, non ut dijudicetis, id est intricatiores efficiatis ipsorum conscientias. Alij, non cum anxijs disputationibus. Breuiter, Voluit hæc, beneuolentia & perspicuitate rerum, non contentiosis fieri disputationibus, quibus fit ut aut irritatiores reddamur, aut prorsus ab incepto relabamur. Germanus interpres non male uertit, *vnd verwirrend die gwüssen nit.* Vel *fürend sy nit in mee sorg des gwyfels.*

Infirmitas non ad corpus, sed ad animi superstitionẽ referenda.

Alius quidem credit uescendũ esse quibuslibet. Alius autem qui infirmus est, holeribus uescitur.

Propositioni subiungit, quem luriſperiti uocant Casum. Alius (inquit) credit quibuslibet esset uescendum quouis tempore cum gratiarũactione: atq; hic quidem firmus est in fide. Alius autem id non credit, sed Leuit. 11. cap. impeditus à multis ceu immundis abstinet, aut hoc uel illo die non carnibus, sed holeribus uescitur: atq; hic infirmus est in fide. Per holera autem quemuis parabilem cibum intelligit, quem nostri uocarunt, *vastspyss*, qui tamen ob pretium & nobilitatem hoc nomine minime exprimitur. Mirum autem quod eos in fide infirmos nominat, quos tamen Romanus Pontifex ut neruos fidei coli iubet, monachos, robustos, si dijs placet, in fide uiros, quos tamen uerius superstitionis feces uocaueris, porcos Acarnanios, & delicatulos Penelopes sponsos.

Monachi.

Qui uescitur, non uescẽtem ne despiciat. Et qui non uescitur, uescentem non iudicet. Deus enim illum assumpsit.

Iam rationem indicat concordiæ, quid utroſq; facere conueniat. Qui (inquit) per fidem didicit licere uesci quibuslibet, non cõtemnat eum qui non uescitur. Non enim malitiæ adscribendum quod non uescitur, sed inscitiæ. Nondum enim solidam fidem habet. Hoc ipsum agnoscere debet infirmus ille, ergo non iudicet, id est damnet & conuicijs proscindat (sic enim usurpatur iudicandi uerbum apud Matth. in 12. Non iudicasse tis insontes, *jr hettends nit hinderredt vnd vßgericht*) eum qui uescitur. Quod enim uescitur, iure uescitur. Causſa, deus enim illũ assumpsit, id est instituit & robore fidei confirmauit.

Obserua emphasim.

Tu uero quis es, qui iudicas alienũ famulum? Proprio domino stat aut cadit: imò sulcietur ut stet. Potens enim est deus efficere ut stet.

Apostrophe hæc stomachum habet: quasi quis dicat, Quis tandem, quis obsecro es, qui hunc condemnas quem deus absoluit? Quæ hæc temeritas, imò impudentia? Solemus & nos in nostra lingua principio quidem quid factum uelimus præscribere, quod si non nihil displicere uideamus, cum indignatione subijcere, *Oder wär bist du dañ ouch? was trybst?* Sic Paulus, Tu quis es (inquit) quæ ista temeritas? Adijcit quod à temeritate retrahat, Habemus iudicem, ut tuo iudicio non sit opus. Si enim cadimus, hoc est, peccamus, cum quibuslibet uescimur, iam domino cadimus. Si stamus, id est, non peccamus, cum quibuslibet uescimur, iam domino stamus. Hic mox recurrit, Sed stamus, ergo non cadimus. Confirmatio. Nam dominus stabilire & confirmare potest. Vides ergo quanta iniquitate & tyrannide regnent hodie, qui miseram plebem propter ciborum delectum & carnem pecuinam, interdictis ab homine diebus, comestam, nullis non tormentis ac mulctis excarnificant atq; exugunt, cum interim segnius in eos animaduertatur, qui per cædes, usuras ac impostura uarias carne uictitant humana. Olim quidem à Rom. Pontifice uno atq; altero solido redimebatur ius quibuslibet uescẽdi: at hodie uidemus auaritia & tyrannide omnia late occupantibus nihil non capitale effectũ esse, ut ne quid superfit amplius, quo iram dei in nos aliâs satis eminentẽ, prouocemus. Atqui talia conueniebat esse tempora nostra, de quibus Apostolus in 1. ad Tim. 4. cap. & in 2. Thess. 2. cap.

In tyrannos nostrorum temporum.

Hic quidem iudicat diem præ die, ille uero iudicat omnem diem.

Diuus Hierony. in 2. aduersus Iouinianũ legit, Alius iudicat diem plus quàm diem:

ut ἢ δὲ accipiatur pro supra siue ultra. Erasmus uero existimat hunc locum planius reddi, si neglecta uerborum superstitione, in hunc modum interpretemur, Hic quidem existimat aliquid interesse inter diem & diem, ille uero perinde sentit de quouis die. Alium ergo proponit Casum siue aliud superstitionis exemplũ, Delectũ ac rationem dierum. Quod sanè non potest de alijs quàm de Iudaicis intelligi festis. Nam de ipso Sabbato cuius mentio fit in Decalogo, aut de Pontificijs, quæ tum non erãt, festis, omnino non potest intelligi. Sabbatum enim ipsum non ab ipso Mose, ut ceremoniale, sed à patribus siue ab ipsa potius prima mũdi origine, ex traditione dei accepimus. Eatenus quidem Ceremoniale est, quatenus tempori aut similibus circumstantijs, cum damno proximi, adfixum est. Hic enim dicit dominus, Sabbatũ propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Itaq; filius hominis etiam sabbati dominus est. Proinde quantum attinet salutem hominis, perpetuum est. Sanctificauit enim sabbatum dominus, non quod dies diei per se quidem præstet, aut otio nostro delectetur deus, sed sabbatum ideo separauit à reliquis diebus quos labori consecrauit, ut certo hoc die respirantes à laboribus simul & liberius legem & uerbum eius audiamus, ipsum colamus, & proximum non nimio labore aggrauemus. Quatenus ergo sabbatũ cultum dei & amorem proximi spectat, perpetuum est. Hinc & augusta eius in prophetis mentio, & uerbum Pauli iubentis Corinthios qui iam susceperãt Christi religionem sabbato seponere ea quæ pauperibus impartiri placeret. Cæterũ quando ipsa necessitas ipsum hominem sabbati dominum faciat, oculus fidei, si simplex sit, iudicabit. Impij auaritiæ suæ, necessitatem & nescio quam libertatem prætexent. Et maiores nostri Christianæ religionis primates iccirco sabbatum transtulere in diem dominicã, ne cum Iudæis uiderentur affixi esse circumstantiæ temporis. Et rursus ne negligeretur ordinatio domini, non omnino nullã diem uoluerunt esse designatam. Quod si nunc aliquis contendat religionem sabbati nihilominus tempori affigi, cum certa sit dies constituta, ad quã omnes otiemur, is nihilo prudentius fecerit, q̃ si quis contendat nulla prorsus uestе esse utendum, eo quod liberum sit hac uel illa uti. Illi demum dicuntur circumstantiæ temporis affixi qui à cõstituta die nulla neq; necessitate neq; proximi amore auelli possunt. Quales erant in Euangelio Iudæi qui Christum calumniabãtur quod Sabbato sanasset paraliticum & arida manu laborantem. Interim uero confitemur & spirituale ac perpetuum esse Sabbatum, Sabbatum inquam (ut Isaias ait) ex sabbato, hoc est perpetuum à peccatis otiũ, non certis tantum, sed & singulis agendum diebus. Atq; ad hunc ferè modum scripserunt & uetusti de religione sabbati, in primis uero Tertullianus in 4. aduersus Martio. libro. Hieronymus quoq; cum in prophetas, tum in 2. lib. Commẽt. in cap. 4. Pauli ad Galatas. Iam ad Pontificiorum festiuitates uenimus, quæ cum palàm creaturis ad cultum de more Græco, id est Gentilitio institutа sint, nemo est qui non uideat hæc Paulina ipsis non posse accommodari. Apud ueteres quidem, Eusebium in primis & Augustinũ, inuenias memorias quasdam pñs quibusdam institutas fuisse hominibus, sed longe alia ratione ac modo, nimirum parum differente à nostro ritu, quo adhuc in ecclesia nostra Tigurina, Natiuitatis, Circumcisionis, Resurrectionis & Ascensionis domini, Missionisq; sancti spiritus, Deiparæ uirginis, Ioannis Baptistæ, Magdalenæ, Stephani, & Apostolorum domini festa celebramus, neminem interim eorum damnãtes, qui post dominicam, aliam nesciunt festiuitatem. Videmus enim ueterum monumenta perlustrantes liberum hoc ecclesijs semper fuisse, ut quæq; quod hisce in rebus minutilis uideretur optimum & ad pietatem conseruandam commodissimum, sequeretur. At uero creaturas dei nemo nostrum colit, sed dominum omnium creaturarum unanimes adoramus, colimus & inuocamus. Proinde negotiũ Pauli præsens sic habet. Erant Iudæis extra hoc priscum ac nobile sabbatum feriæ aliæ complures non tam ad mnemosinon rerum gestarum ac panegyrin, quàm ad id institutæ, ne prona aliàs ad idololatriam gens, dijs alienis epulas exhiberet ac festa ageret. Huc enim ea pertinent quæ à Paulo recensentur in Galatis cap. 4. & in Colossensibus capite 2. hisce uerbis, Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarũ corpus autem

De sabbato & Ferijs.

Marci 2.

Gene. 1.

Isaiæ 56.

Iere. 17.

2. Cor. 16.

Tẽpori affixi.

Ioan. 5. 7.

Lucæ 6.

Isaiæ 66.

Pontificiorũ festa.

Lib. 4. ecclesiast. cap. 15. Libro 8. de Ciuit. dei cap. 27.

autem Christi. Intelligimus autem ex antecedentibus quod Apostolus sabbatorum nomine hasce ferias putauerit, quas ad tempus imbecillioribus permiserat. Qui ergo apud Romanos ex Iudæis fide Christi imbuti, imò initiati uerius erant, adhuc pertinacius festis illis suis adhærebant, dicentes se festum agere domino, rememorare magnalia eius, quæ populo suo ostendisset: id porrò malum esse non posse. Qui uero ex Gentibus ad Christianismum conuersi, per fidem didicerant Iudæorum plæraq; typica esse, libertate sua utẽtes, Iudæos nonnihil adhuc feriis suis tribuentes, uelut superstitiosos exibilabãt. Proinde suadet hic Apostolus ut firmiores ad tempus ferant imbecilliores, donec & ipsi ab umbraticis deficientes, solidiores in fide reddantur. Interim uero quisq; apud se curet ne quid siue per contentionem, siue per inanem gloriam agat. Sequitur enim:

Nostri hæc non expẽdunt: ergo semper infirmitati suæ patrocinari uolunt.

Quisq; in propria mente certus sit. Qui curat diem, domino curat. Et qui non curat diem, domino non curat. Qui uescitur, domino uescitur: gratias enim agit deo. Et qui non uescitur, domino non uescitur, et gratias agit deo.

Hoc dicit, Obiſta autem nolim scindi cõcordiam: interim uero quisq; uideat, ut hoc quod facit simplici & puro animo faciat. Nempe, ut is qui discernit inter diem ac diem id faciat non contentionis aut uanæ gloriæ gratia, sed pia mente. Rursus, qui idem iudicat de quouis die, id quidem non ex cõtemptu & ad inuidiam aliorum faciat, sed bona conscientia. Simile iudicium est de ciborum delectu. Vtriq; uero pro benefactis deo gratias agant. His si nunc conferas locum in Philip. Pauli, sensum absoluisti. Locus autem extat in cap. 4. hic, Quotquot igitur perfecti sumus hoc sentiamus: quod si quis aliud sentit hoc quoq; (nempe id quod perfecti sentiũt) reuelabit deus, ita tamen ut in eo quod assecuti sumus, idem sentiamus & in eadem regula procedamus.

Nullus enim nostrum sibiipsi uiuit, & nullus sibiipsi moritur. Nam siue uiuimus, domino uiuimus: siue morimur, domino morimur. Siue igitur uiuamus, siue moriamur, domini sumus. In hoc em̃ Christus & mortuus est & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominet̃.

Causa est, cur quisq; non sua, sed ea quæ dei sunt spectare debeat. Habet autẽ ea permultum roboris ad persuadendum, maxime cum usq; adeo euidenter oculis proponit, quod non nostri iuris, sed magno simus empti pretio, ut nunc toti ceu peculium domini uideamur. Sed illud forsan ad amplificationem pertinet, quod etiam mortui domini sumus. Alia enim mancipia definũt esse domini, posteaquam mortua sunt: at nos tum demum maxime incipimus esse domini. Ergo cum ille nos tanto emerit pretio, ut & uiui & mortui domini simus, dignũ est, ut in omnibus rebus ipsum unice spectemus & quid illi placeat expendamus.

Tu uero cur iudicas fratrem tuum? aut etiam tu cur despicis fratrem tuum? Omnes enim stabimur ad tribunal Christi. Scriptum est enim, Viuo ego, dicit dominus, Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur deo. Igitur unusquisq; nostrum de seipso rationem reddet deo.

Apostrophe uehementiam habet, gratiam uero quod utraq; partes uiriliter admodum adoritur. Tu em̃ infirme (inquit) cur damnas quod nescis? Tu uero firme cur contemnis eum quem fides iubebat suscipere? Proinde Ambrosius significãtius legit, Tu autem quid iudicas fratrem tuum in non edendo? Aut tu quare spernis fratrem tuum in edendo? Hisce iam adiungit argumentum roboris uice, uelut à Pronunciatis petitum. Quisq; de seipso rationem reddet deo. Quia omnes stabimur ad tribunal dei, id est, iudicabimur à deo. Id quod probat ex Isaiæ 45. cap. Nemo ergo nostrum sibi uicem domini usurpare, aut in hisce rebus alium debet iudicare. Sed ipsemet Paulus Illationem nũc subiungit, & ait:

Ne posthac igitur alius alium iudicemus: uerum illud iudicate magis ne offendiculum ponatur fratri, aut lapsus occasio.

Conclusio hęc, totius disputationis huius status est, nempe, Ne quenquam temere in indifferentibus illis iudicemus. Addit egregium dogma, Sed quisq; res suas sic administrare uiuere & libertate sua uti studeat, ne cuiquam aut malum det, aut occasionem mali præbeat. Nam Iudicādi uerbum usurpatur hic alia significatione, nempe pro statuere & curare. Et de scandalo alij satis multa conscripsere, e quibus petat licebit, qui copiosiora uelit.

Noui equidem & persuasum habeo per dominum Iesum, nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse cōmune, illi commune est. Verum si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulas.

Nūc aduersus eos potissimum agit negotium, qui charitate neglecta, uentris potius q̄ euangelij curā gerebant. Hi obijciebant, Scimus puris omnia esse pura, quocirca & quibuslibet apud quoscunq; & quocunq; tempore uesci licere. Huic iam respondet Paulus, Neq; uero negauerim illud. Doctrina enim domini Iesu institutus, non modo scio, imò sic persuasum habeo, ut nullatenus dubitem, nihil per se quidem immūdum esse. Atqui non conuenit tantummodo expendere quid liceat, sed illud magis spectandum, quid deceat ac conueniat, hoc est, num illud quod licet etiam profit. Non enim omnia protinus conueniunt quæ licent. Vt in præsenti negotio, Liceret quidem uesci carnibus, sed si ob hanc libertatem meam infirmus permoueatur frater, ut & ipse illis uescatur, quas tamen immundas credit, itaq; immundæ per incredulitatem ei efficiantur, iam non ago Christianum, neq; quod pietatem decet. Nam fraterna charitas Christianarum functionum amussis negligitur. Iam sequitur quod sensum absoluit, Ne cibo tuo, &c. Priusquam tamen id explicemus, illud monendū, Commune Hebræis idem esse quod immundum, idq; κοινὸν μιτάληψιν. Non enim omnibus indifferenter uescebātur Iudæi, quibus autem uescebantur, ut sanctis uescebantur, ergo commune, prophanum & immundū dixere.

Commune.

Ne cibo tuo illū perdas, pro quo Christus mortuus est. Ne uestrum igitur bonum maledicentiæ hominum sit obnoxium.

Sensus est. Iubet ergo charitas Christiana, ne cibo perdamus fratrem, pro quo Christus passus est. Idem monet honestas Christiana, ne bonum nostrum conuicijs exponamus deturpandum. Opponit autem minutissimam rem, cibum periturum, maximę rei, & qua non est alia pretiosior, utpote passioni dominicæ. Et τὸ ἀγαθόν illud bonum dixit non tam euangelium ipsum quàm libertatem istam manducādi. Porrò tunc hominum maledicentiæ obnoxium fit, quando infirmi aiunt nos in euangelio non nisi uentris & gulæ uoluptatem quærere.

Non enim est regnum dei cibus ac potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Et qui in istis seruit Christo, acceptus est deo, & probatus hominibus.

Veræ religionis capita.

Atq; hoc (ait) citra dispendium ueræ religionis fieri potest. Vera enim religio non est fita in cibo, potu, diebus aut uestibus, sed in spiritu & ueritate. Ergo qui iustitiam coluerit, pacem sectatus fuerit, & gaudium quoq; in aduersis senserit, is Christo seruit, acceptus quoq; deo est, & apud omnes pios boni nominis. Hęc omni prorsus modo nostrorum temporum homines impugnant, qui externis illis rebus plus libere utentes, imò abutentes, euangelium simulant, cum interim uitæ pristinæ & prauæ prorsus nihil mutent. Atqui pœnitentia & uitæ innocentia uerus erat euangelij fructus. Impugnantur & illi qui totam religionis summam in delectu ciborum, dierum & uestium uersari contendunt, multis nominibus stolidi homines, maxime quod non uidēt deum esse spiritum, qui sibi spiritu & ueritate seruiri uelit.

Itaq;

Itaq; quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis, alius erga aliũ.

Iterum capulũ rei petit & infert rei ſummam, nempe, Quod contentionibus omiſſis quiſq; ea ſectari debeat quæ concordiam alunt & ædificant, id eſt, prodeſſe poſſunt.

Ne cibi cauſſa deſtruas opus dei.

Eandem rem per epanaphoram dicit. Solent autem qui rem quampiam impenſe cuperent impetratam, eundem ſermonem ſubinde repetere, ſi permouere poſſint. Porrò opus dei ipſe homo eſt.

Omnia quidem pura, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum ueſcitur. Bonũ eſt non edere carnes, neq; bibere uinũ, neq; quicquam, per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur.

Iterum dicit ea quæ ſuperius, ſed aliquanto copioſius & planius. Eſt autem enallage graduum, dum bonum ponit pro melius, poſitiuum pro comparatiuo. Sed & hoc nego tium charitatis diffundit latius, dum nos non tantum à carnibus, ſed à uino quoq;, imò rebus quibuslibet abſtinere uult, ſi offendiculum cum eorum uſu coniunctum ſit.

Bonũ pro commodo, non pro merito.

Tu fidem habes? Apud temetipſum habe coram deo. Beatus qui non iudicat ſeipſum in eo quod probat. Qui uero diiudicat, ſi ederit, condemnatus eſt.

Dicat iam aliquis, Certo & indubitate ſcio nihil eſſe immundũ, ergo cum mea conſcientia nihil hæſitet, libertate mea utar, quid mihi cum aliena infirmitate? niſi placeat iubeasq; Paule ut ueritate deſerta Iudaiſmum amplectar. Hic iam reſpondet Paulus. Non improbo fidem tuã, neq; hæc propterea dico quod delectum ciborũ probem: ſed quod nolim libertate tua infirmorum fratrũ offendi conſcientias. Suadeo ergo ut fidem illam tuam apud teipſum habeas, id eſt, libertate tua apud te uel domi tuæ ubi neminem offendere poſſis, utare. Satis eſt quod animi tui robur approbat deus. Proinde non culpo fidem tuã. Beatus enim eſt qui non diiudicat ſeipſum in hoc quod probat. Id eſt, Beatus eſt qui non dubius eſt apud ſeipſum in ea re quam intelligit & aſſumit. Porrò qui diiudicat, id eſt dubius eſt ac hæſitat, ſibiq; conſcientiam (ut aiunt) facit, quod edit, hic culpam habet atq; peccat. Hic autẽ uoluitur rei cardo. Tu eñ in culpa es quod peccat, qd' intempeſtiue tua libertate utaris. Perdis igitur fratrem tuum pro quo Chriſtus mortuus eſt. Quid obſecro poterat dici horribilius?

Quoniam nõ edit ex fide. Porrò quicquid ex fide nõ eſt, peccatũ eſt.

Cauſſa eſt cur ille damnatus, id eſt peccati conuictus ſit, Quia (inquit) nõ edit ex fide. Huic iam affigit γνώμην καθολικήν, Omne quod nõ eſt ex fide peccatũ eſt. Hic adde, Cum autem infirmus firmi exemplo permotus carnibus ueſcitur, non ex fide ueſcitur. Hæſitat enim. Ergo peccat. Fides enim certa eſt, ſubſtantia quædam, non opinio. Nec mirum quod fidei tantum tribuit Apoſtolus. Nam et homines in quouis opere fidem magis ſpectamus quàm opus. Si enim quid abſq; fide fieri uideas, quantumuis auguſtum ſit, protinus tamẽ aliquam perfidiam latere arbitraris, uel quod ſui potius quàm tui cauſſa opus fecerit. Quod ergo fide caret nõ modo ingratum ſed & abominabile eſt deo. Fides autem donum dei eſt, ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Proinde non quiduis fidei nomine cenſeri debet, ſed quod ſcripturis conforme eſt. Vnde iam liquet quod omnia quæcunq; ſcripturis firmari non poſſunt, imò contra ſcripturarũ decreta inuecta ac ſtatuta ſunt, peccata ſint, quia non ex fide ſunt. Quicquid ergo à Pontificijs citra ſcripturas conflatum eſt, indulgentiæ, miſſæ, purgatio criminum uenalis, idola, paſſagia, ſacrificia, uarietas ordinum & ſuperſtitionum, peccatum eſt & abominatio apud deum.

Omne quod nõ ex fide eſt, peccatum eſt.

Debemus autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotẽtium portare, & non placere nobiſipſis. Debet enim unuſquiſq; noſtrũ proximo placere in bonum ad ædificationem. CAP. XV.

Nunc à ſpeciali tranſit ad generale docens omnium infirmorum habendam eſſe ra-

Galat.6. tionem. Notanter autem dicit infirmorum siue impotẽtium. Nam malitiam nemo pius tulerit aut non oderit etiam. Porrò placent sibi hoc loco, qui suo seruiunt commodo, & quod agunt, ad suum trahunt compendium.

Etenim Christus non placuit sibĩpsi, sed quemadmodum scriptum est, Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt in me.

Ab exemplo Christi trahit argumẽtum, & monet ne nobisipsis placeamus. Ille enim ueluti pastor bonus errabundã ouem humeris impositam in caulam reduxit. Ille ea opprobria (ut & Psal.68. scriptum est) quæ in ipsos quadrabant opprobrantes, quæq; ipsi meruerant, in sese trãstulit. Debemus ergo & nos conniuere ad fratrum imbecillitates. Quod priuatim postea audiemus referri ad Iudæos & Gentes. Hæc enim omnia in hoc differit potissimum, ut in concordiam redigat utranq; Gentem admodum inter se diffidentem.

Nam quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarũ spem habeamus.

Vsus scripturæ sanctæ. Ne quis putet scripturæ testimonium temere adductum esse, obiter indicat cur scriptura nobis fit præscripta, id est proposita. Nam Latini id uocant Præscriptum, quod nobis ad imitandum est propositum. In hunc autem finem nobis est proposita scriptura, ut ex ea ipsa discamus quæ ad salutem uidentur esse necessaria, deniq; ut consolationem afflicti ex ea hauriamus, & patientiam discamus. Idem de hac tradidit & in 4. cap. & in 2. ad Timoth. 4. cap. Vides autem quis fit uerus scripturæ sacræ usus, quis legẽtium scopus. Qui Plutarchi uel Liuĩ historiam legimus, pleriq; uoluptatem spectamus, aut etiam uitæ & rerum exempla. Sacra uero diuinam quandam in se habent metamorphosim, si modo nõ omnino impius accedat Lector. De qua re copiosissime scripsit Dauid in Psalmo 118.

Deus autem patientiæ & consolationis det uobis idem mutuo inter uos sentire secundum Iesum Christum, ut unanimiter uno ore glorificetis deum ac patrem domini nostri Iesu Christi.

Eadem illa quæ hactenus docuit nunc Romanis imprecatur. Non enim est in docentium manu id cordibus imprimere quod auribus per prædicationem ingeritur, sed dei solius est corda ad prædicationem aperire, ergo concordiam illis imprecatur talem qua omnes in religione Christiana similiter affecti, unanimes glorificent deum, qui est pater
Deus patientiæ. domini nostri Iesu Christi. Et deum patientiæ & consolationis idiomate Hebraico dixit pro deo longanimi & consolatore, siue qui author sit consolationis & patientiæ.

Quapropter assumite uos inuicem, quemadmodum & Christus assumpsit nos in gloriam dei.

Iterum repetit propositionem principalem, cui iungit exemplum Christi, mira gratia & breuitate. Porrò in gloriam dei posuit pro eo quod est ad uitæ æternæ gaudia.

Illud autem dico, Iesum Christum ministrũ fuisse circumcisionis, pro ueritate dei, ad confirmandas promissiones patrum: cæterum ut Gentes pro misericordia glorificent deum.

Ἐξήγησις est superiorum, cuius sensus est, Quæ hactenus diximus, huc tendũt, ut intelligatis Christum quidem dominum peculiariter missum esse Iudæis (per circumcisionem enim ipsos intelligit circumcisos) ut ea confirmaret quæ promissa erant patribus uetustis, sed nihilominus etiam Gentes ad salutẽ uocarentur, non ex promissione, quam quam & Gentium uocatio per prophetas prædicta fit, sed ex misericordia. Ergo cum utroscp, cum ex Iudæis tum Gentibus ad salutẽ uocarit, iam hoc ipsum poscit ut utriq; concordes illius gratiam, omissa omni contentione pertinaci, & suscipiant & laudent.

Sicut scriptũ est, Propter hoc confitebor tibi in Gentibus & nomini tuo

tuo canam. Et rurſum dicit, Gaudete Gentes cum populo eius. Et rurſum, Laudate dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi. Et rurſum Iſaias dicit, Erit radix Ieſſe, & qui exurget ad imperandum Gentibus, in eo Gentes ſperabunt.

Iam uero multa ſubiicit teſtimonia, quibus ſuperiora confirmet, quod ſalus etiã pertineat ad Gentes. Sed & data opera quædam teſtimonia citat, in quibus Gentes Iudæis eadem, ut aiunt, nectũtur linea. Primum teſtimonium ex Pſal. 18. deſumptum eſt. Secundum ex Deute. 32. cap. in quo particula Eius ad deum refertur. Iudæi enim populus dei dicebantur. Tertium uero ex Pſal. 117. At quartum ex Iſaiæ 11. cap. petitum eſt. Cæterum radicem Ieſſe, ipſum Dauidis germen dominum noſtrum Ieſum dixit, qui ſecundũ carnem natus eſt ex ſemine Dauid.

Deus autem ſpei impleat uos omni gaudio & pace, in credendo, in hoc, ut exuberetis in ſpe per potentiam ſpiritus ſancti.

Iterum imprecatur Romanis, quod paulò ante, concordiam, fidem & ſpem, quæ omnia nõ ex nobis, ſed ex ſpiritu ſancto ſint: ergo & ea imprecatur nobis à deo, qui ſpes eſt omnium credentium. Hactenus uero pertingit Concordiæ negotium, quo diſſidentes Iudæos ac Gentes in concordiam uoluit redigere. Sequitur nunc noua & alia tractatio.

Perſuaſum autem habeo, fratres mei, & ipſe ego de uobis, quod & ipſi pleni eſtis bonitate, impleti omni ſcientia, ualentes etiam inuicem alius alium admonere: ſed tamen audacius ſcripſi uobis fratres ex parte, ueluti commonefaciens uos propter gratiã quæ data eſt mihi à deo, in hoc ut ſim miniſter Chriſti in Gentes, adminiſtrãs euangelium dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, ſanctificata per ſpiritum ſanctum.

Expurgat ſe in conſequentibus à temeritatis crimine, ne (ut fit) inconſulte & liberius ſcripſiſſe uideretur. Solent autem in epiſtolis iſtiuſmodi appendices affigi, poſteaquam principalis negotij & inſtituti noſtri ſtatus fuerit abſolutus. Sunt autẽ iſta prorſus eiuſdem generis cum ijs quæ in Expoſitione primi capitis audiuimus. Porrò horum ſenſus hic eſt. Equidem agnoſco quod tantum & bonitate, hoc eſt, charitate ſiue in religione, & ſcientia ualeatis, ut citra admonitionem meam poſſitis ipſi uos inuicem, ſi opus ſit, docere & adhortari mutuo: ſed tamen familiarius & liberius ſcripſi uobis aliquantulum (hoc enim ſignificat ἀπὸ μέρους, ex parte) non ut ignaros docerem, ſed doctos commonefacerem officij: idq; totum non ex animi libidine aut temeritate feci, ſed ex iuncto mihi officio. Gratiam enim uocauit uocationem ſuam & munus apoſtolicum. Iam uero dilucidius exponit quodnam ſit illud ſibi iunctum officium, nimirum, Vt ſim miniſter Chriſti in Gentes. Quem locum Paraphraſtes non minus proprie quàm lepide ſic reddidit, Chriſti negotium ago, ſtudens pro uirili, ut illuſtrando dei euangelio inter uos Gentes, puram illi uictimam offeram. Opinor autem illi ſacrificium longe gratiſſimum futurum, ſi uos illi obtulero, dignos ipſo, uelut hoſtiam, non carnalibus ceremonijs, ſed ſpiritu ſancto purgatam ac ſanctam, qui unicus eſt author ueræ ſanctimoniæ. Habes ergo elegantes in hiſce communes locos, nempe, Cum conſilio & ſumma modeſtia citraq; omnem temeritatem à prudente omnia geri. Neminem tam doctum ac abſolutum eſſe, cui non profit doctrina & cohortatio fratrũ. Illam eſſe ueram & deo gratam oblationem, qua noſipſos nos offerimus. Præcones diuini uerbi tum ſacrificare, cum euangelij prædicant myſteria. Quemadmodum enim ſacerdotes Aaronici pecudes mactabant in oblationem domino: ſic apoſtoli gladio euangelij iugulant beluinos hominum affectus in ſuauitatem odoris domino. Sed de hac re quædam in huius epiſtolæ capite 12. & 5. ad Hebræos Pauli. *Excuſatio.*

Habeo igitur quod glorier per Christum Iesum, in his quæ ad deum pertinent.

Hoc infert ex eo quod dixit se ministrum ad Gentes, ad sanctificandum, id est immolandum hostias, missum: nunc enim subdit, Atq; hic quidem cum ministerium meum non infeliciter ceciderit, iure etiã de felici successu gloriari possum. Non equidem quod hoc meis ascribam uiribus, aut quod apud homines gloriari cupiã, sed apud deum gaudeo, & omnem successum deo ascribo. Sequitur enim.

Non enim ausim loqui quicquam eorum, quæ non effecit Christus per me in obedientiam Gentium, uerbo & facto, per potentiam signorum & prodigiorum, & per potentiam spiritus dei, ut ab Ierusalem & in circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricum, impleuerim euangelium Christi.

Omnia sanctorum dei sunt.

Est autem hæc caussa & expositio cur dixerit, Per Iesum Christum, & qualis ille successus, & quanta per ipsum fecerit dominus. Opinor autem Paulum hæc omnia eò trãdidisse diligentius quò plurimum authoritatis suo accederet nomini, non quod κενοδοξία, laborans in pretio haberi uellet, sed quod doctrinæ suæ non parum fidei authoritatisq; accedere posse uideret, si ipse in pretio apud eos esset. Breuibus ergo sed magnificis cum uerbis tum sententijs effert quæ & quanta per ipsum fecisset deus. Vbi nos hoc primum discimus quod doctrina & signa apostolorum, dei potius quàm apostolorum fuerunt. Nam & diuus Petrus, Non enim uoluntate (inquit) hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti dei homines. Idem in Actis unã cum Ioanne per nomen Christi erigens claudum, admirantibus qui circũstabant omnibus, Viri Israëlitæ (ait) quid miramini super hoc? aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate hoc nos effecerimus? Deus fecit. Idem dicit & hoc loco Paulus, sentiens omnem profectum & uerborum & factorum, & quod Gentes obedierint euangelio, & quod tanta inter eas patrarit prodigia, omnia inquam dei esse, qui uoluerit huice medijs reducere orbem in regnum filij sui. Porrò hic breuibus quidem maximam fere peregrinationis suæ (nimirum ut omnia uiuidiora essent) absoluit, ueluti terminos statuens Hierosolymã & Illyricum. Principio enim à Damasco in Arabiam profectus (ut ipse de se testatur in Galatis) triennio exacto Damascum redijt, ac deinde Hierosolymam appulit, comite Barnaba, studio uidendi Petri. Deinde uero à Hierosolyma iterũ digressus Cęsaream, soluit in Tarsum. Inde porrò à Barnaba reuocatus uenit Antiochiam, unde ab ecclesia Hierosolymam conferẽdi subsidij gratia, ablegatus, redijt tandem, & protinus ab eadem spiritus sancti consilio longe in Gentes missus, Seleuciam uenit, hinc Cyprum appulit. Ab hac per Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, tandem ad Hierosolymam denuo peruenit. Ab hac iterum ablegatus ab apostolis & senioribus Sila ac Barnaba comitibus peragrauit Syriam & Ciliciam, deinde uero & Phrygiam & Galatiam, sed & Phrygiæ partem Mysiam. Peragrata uero hac Troadem uenit, atq; hic per uisionem uocatus in Macedoniam, in Europam soluens pertransijt Atticam, Bœotiam, Achaiam, Epirum, omnesq; regiones illas ad Illyricum usq; euangelij prædicatione impleuit. Porrò de Illyricis lege Strabonẽ in 7. Volaterranus in 8. Geograph. Sclauos nominat. Sed hæc obiter. Alij de Pauli peregrinatione ex Actis Apostolicis exactius scripsere.

2. Pet. 1. Act. 3.

Peregrinatio Pauli.

Neminem ergo posthac laboris pij pigeat.

Ita porrò annitens prædicare euangelium, non ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed quemadmodum scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, uidebũt, & qui non audierant intelligent. Quapropter & præpeditus sum sæpe, quo minus uenirem ad uos.

Interim uero animi sui consiliũ aperit Romanis, quid spectarit, quod exteris illis prædicarit Gentibus, certè, ut illis maxime Christum ob oculos statueret, qui rudes adhuc rerum

rerum Christianarum in impietate & idololatria agebant. Huc iam trahit & Isaiæ uaticinium ex cap. 52. Quod si ipsum prophetæ locum consulas, uidebis eum præsenti negotio quadrare plurimum. Cæterum cum dicit se noluisse super alienum fundamentũ ædificare, non reiicit aliorum Apostolorum doctrinam. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter hoc quod positum est, nempe Christus. Sed animi sui ardorem de promit, qui in hoc totus fuerit, ut Christianæ religionis pomeria latius proferrentur. Atq; huc multum faciunt uerba Græcanica, quę sic habent, οὕτως δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι. Est aũt φιλοτιμεῖσθαι uelut ambitiose conari quippiã. Abstinuit ergo sancta quadam ambitione ab iis locis, in quibus iam fidei aliqua iacta erant fundamẽta, ad ea se proripuit, in quibus adhuc incognitus erat Christus, ut regnũ Christi quàm latissime propagaret. Est & hoc in caussa cur hæc inseruerit quod istis ueluti rationem Roma reddere uoluit, cur hactenus ad eos non uenerit. Fidei enim fundamenta aliorum quorundam apostolicorũ uirorum opera erant iacta. Hinc subdit, Quapropter & sæpe præpeditus sum, &c. De hoc enim & in cap. 1. dictum. 1. Cor. 3.

Nunc uero cum non amplius habeam locum in regionibus his, desyderium autem habeam ueniendi ad uos multis iam annis, quandocunq; iter instituero in Hispaniam, ueniam ad uos. Spero enim fore, ut istac iter faciens, uideam uos, & à uobis producar illuc, si tamen uestra consuetudine prius ex parte fuero expletus.

Iam & aduentum suum pollicetur, quod hæc res plurimum ualere uideretur ad conciliandum sibiq; deuinciendum Romanorum animos. Sunt autem Pauli uerba apertiora quàm quæ pluribus egeant. Quod si quis quærat uenerit ne in Hispanias Paulus, an nõ uenerit? Nihil certi ex sacris respõdere possum. Neq; in hoc uertitur religionis Christianæ cardo. Nam si Hispanias appulit religioni nihil accedit, sin minus appulit, ueræ pietati (quod substantiam uidelicet & capita pietatis attinet) nihil decedit. Faber Stapulensis raræ cum eruditionis tum pietatis uir, Credo equidem (inquit) uenisse Paulũ Hispanias. Id enim et Sophronius Hierosolymitanus patriarcha reliquit scriptum. Scribit enim Italias, Gallias & Hispanias tranſitu beatissimi Pauli illustratas. Præterea traditur Philotheũ Hispaniarum principem Paulo adhæsisse, & Christi confessorem factũ esse. Et sanè si uerum est quod omnis uetustas constanter asserit, Apostolum Paulum 14. demum Neronis anno occubuisse, iam multos annos ab ea captiuitate creditur uixisse in quam Hierosolymis coniectus, Romam tandem ablegatus est. Siquidem secundo Neronis anno Romã uinctus uenit. Hinc duos annos in libera custodia mansit. Cæterum quod ea captiuitate demum liberatus sit, testantur suæ epistolæ, maxime posterior ad Timoth. & quæ Philemoni inscripta est. Sed ista otiosis ingeniis perueſtiganda relinquo: ego ad Paulum redeo. *De profectione in Hispanias.*

Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministrãs sanctis. Visum est enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis.

Oportune profectionis suæ meminit. Nam duos lepores uno (quod aiunt) saltu capit. Principio eñ cum Romani obiicere potuissent, Si uero tibi tam prompta erga nos uoluntas est Paule, qui fit, ut nunc non adeas nos, quandoquidem in regionibus illis nõ habeas amplius locũ ullũ? Respondet ergo, Pauperũ Hierosolymitanorũ negotium aliò uocat. Deinde hac eadem pauperũ atq; collationis mentione, ceu exemplis quibusdam, uafre admodum, commode & prudenter prouocat Romanos ad misericordiam, ut & ipsi communicationem aliquam instituant in pauperes Hierosolymitas. Ad quem locum rectius intelligendum profuerit legisse ea quæ in Actis capit. 11. scripsit Lucas de fame per Agabum prophetam prædicta, qua Hierosolymorũ urbs adeò fuit afflicta, ut multi inedia interire cogerentur. Constat enim eam Iudææ partẽ quæ in petream *Eleemosyna.* *Fames sub Claudio.*

Arabiam inclinat, rupibus aſperam ac collibus impeditam eſſe, ac propterea infructuoſam etiam, authore Strabone. Præterea & Aegyptum eo tempore Romanorum egeſtate exhauſtam fuiſſe coniectura eſt. Huius famis meminere rerum ſcriptores, Suetonius in primis in uita Claudij, Ioſephus quoq; lib. Antiq. ultimo cap. 2. & Euſebius in Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 12. Habebatur ergo maxima huius Gentis ratio ab apoſtolis, maxime ſi infertiles & alias opulentas ueniſſent regiones, quales inter cæteras Macedonũ & Achæorum fuiſſe conſtans omnium Coſmographorum ſententia eſt. Porrò ex hoc loco claret hanc ad Romanos epiſtolam poſt utranq; ad Corinthios ſcriptam fuiſſe: & proinde ob nobilitatem & eruditionem, quodq; in hac omnis Pauli theologia ſummarie uideatur comprehẽſa, non quod ante cæteras ſcripta ſit, primum occupaſſe locum. Igitur & paulò ante captiuitatem eius ſcripta eſt. Siquidem dum collationẽ detuliſſet Hieroſolymam publice in templo captus, & à tribuno Lyſia ereptus quidem, ſed tamen catenis uinctus ad Felicem miſſus eſt, apud quem dum ſe expurgaret, Poſt annos autem (inquit) plures, acceſſi, eleemoſynas exhibiturus in Gentem meam & oblationes, &c. De ijſdem ergo & hoc in loco loquitur, & in poſteriore ad Corinthios.

Quando hæc epiſtola ſcripta.

Acto. 24

Nam ita uiſum eſt illis, ut aliâs ipſorum debitores ſunt. Etenim ſi ſpiritualia ſua communicauerunt Gentibus, debent & hæ in carnalibus miniſtrare illis.

Cauſſam inſtituti Macedonum aſſignat, ut hac ipſa & Romanos ceu alieno exemplo ad miſericordiam permoueat. Ita (inquit) Græcis uiſum eſt. Græce autem uiuidius eſt, εὐδόκησαν, id eſt approbarunt ſiue ſponte inſtituerunt. Eſt enim εὐδοκεῖν non ſolum probare, ſed & ex animo probare, quoties res non ſolum utcunq; placet, ſed bene & ex animo placet. Talis ergo erat in conferẽda eleemoſyna mens, qualem in pijs eſſe debere audiuimus in cap. 12. Eſt & in illo ciuilitas quod eleemoſynam ſplendidiori uocabulo κοινωνίαν, id eſt communionem dixit, quaſi quis noſtrum dicat munus debitũ, quod ex communibus donis datur. Alij eleemoſynã propterea dictam putant communionem, quod eleemoſyna cedat in utilitatem tam dantis quàm accipientis. Addit argumentum uelut ab æquo imò debito ac neceſſitate petitum, quod per comparationem adaptat, Maiora (inquit) communicarunt Gentibus Iudæi, nempe promiſſiones, prophetas, teſtamentum, & ſcripturas: proinde hæ quidem illis minora, nempe uictum & quæ ad uitam conſeruandã neceſſaria uidentur, non denegabunt. Simili argu. utitur in 1. ad Corin. 9. cap.

Hoc igitur ubi perfecero & obſignauero illis fructum hunc, reuertar per uos in Hiſpaniam. Scio nanq; quod ubi uenero ad uos, cum plenitudine benedictionis euangelij Chriſti uenturus ſim.

Repetit quod ſemel dixerat, & adiungit ſententiam qua negotiũ de eleemoſyna concludit. Non enim impudenter mendicat, ſed quid uelit, adumbrat. Neq; (inquit) opus puto, ut uos extimulem ad conferendum ueſtra ſubſidia, noui enim uos aliâs promptiſſimos eſſe, ut qui iam iam apud uos depoſueritis maximam benedictionis, id eſt, muneris gratuiti uim, quam ubi uenero ſim inuenturus, atq; in pauperes diſpartiturus. Hoc enim potuit apud uos euangelij doctrina, ultro ad benefaciẽdum prouocans. Sic autem ſolemus generoſa ducere magis quàm attrahere ingenia. Alij ad ſucceſſum euangelij referunt, quem Paulus ſibi proſperrimum ominetur. Annotandum & illud participium σφραγισάμενος, id eſt, obſignauero, uel obſignatũ reddidero, non carere myſterio. Notatur enim fides ac diligentia, quæ in ijs eſſe debet, qui eccleſiæ præficiuntur bonis. De qua re & in 6. Act. cap. & in 1. ad Timoth. 3. cap. Solet autem obſignari quod ſumma fide reddi, ac ſyncerum eſſe uolumus. Fructum uero appellauit eleemoſynam per metaphoram. Ex quibus omnibus diſcimus quod eleemoſynã impartiri hominibus miſeris, res ſit honeſtiſſima ſimul & utiliſſima. Quam & dominus in euangelio præcepit, qui & cultum externũ contempſit. Porrò contra hanc ſanctiſſimã domini ordinationem peccant Pontificij & Euangelici quidã non uno nomine, dum & eccleſiæ opes luxu concoquũt, & rebus

& rebus nihili profundánt, dum templorũ parietes maximis ſumptibus pingũt, aliiſq; id genus inutilibus rebus inſumunt. Secus Laurentius apud Aur. Prudentium, & multo aliter de pauperum opibus D. Ambroſius Officio. lib. 2. cap. 28. ſcripſit.

Obſecro autem uos fratres per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per dilectionem ſpiritus, ut me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa, utq; miniſteriũ hoc meum quod exhibeo Hieroſolymis, acceptum ſit ſanctis, ut cum gaudio ueniam ad uos per uoluntatem dei, unaq; uobiſcum refociller.

Ad finem epiſtolæ hortatur eccleſiam Romanorum, ut pro ipſo ardentes ad deum fundat preces. Maximum enim & firmiſſimum præſidium eſt fidelis oratio. Hortatur autem per communem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per dilectionem, nec quamlibet, ſed eam, quæ eſt ſpiritus, hoc eſt, quæ ardens eſt & ex ſpiritu dei non affectibus humanis enaſcitur. Orent autem, hoc eſt precibus adiuuent laborantem, hoc eſt, in euangelica prædicatione admodum periclitantem, ut dominus uotis aſpiret ſanctis, & ſucceſſum rebus tribuat felicem, eripiat item ab impijs & uerbi ſui hoſtibus, efficiatq; ut miniſterium ſanctis bene cedat ac gratum ſit, deniq; & iter proſperum eſſe uelit. Ex quibus diſcimus quod orandum ſit, quod deus orandus, & quid orandum ſit. Item quod oratio pro eccleſia, pro fratribus, & maxime pro miniſtris uerbi fieri debeat. Nam in Ephe. 6. cap. Orate (inquit) in omni deprecatione & obſecratione, in oñi tempore, in ſpiritu, imò in hoc ipſum uigilate cum omni ſedulitate & deprecatione pro omnibus ſanctis & pro me, ut os meum libere aperiam in ſermone & doctrina, ut notum faciam myſterium euangelij mei, ſuper quo legatione fungor in catena, ut in eo libere loquar, ſicut oportet me loqui. Huc pertinet & illud Chriſti nobile mandatum, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et illud præclarum primitiuæ eccleſiæ exemplum, quod Lucas non uno loco in Actis de oratione produxit. Nam in 1. cap. unanimiter in deprecatione & obſecratione perſeuerans præſtolatur donum ſancti ſpiritus: hoc accepto iterum perſeuerat non tantum in doctrina Apoſtolica, ſed & in precationibus. In 4. cap. contra tyrannorum minas non niſi oratione pugnat: ut & in 12. orationibus fidelibus Petrum è uinculis liberat. Præterea uetus illa ſanctorum patriarcharum ac prophetarum omniumq; ante Chriſti aduentum ſanctorum eccleſia in precibus fuit frequẽtiſſima. Teſtantur hoc Pſalmi Moſis ac prophetarum, deniq; ſanctorum regum Iudæ geſta. Moſes clamat ad dominum, & aperit ſe Erythrei maris alueus. Ad eiuſdem ardentes preces funduntur Amelechitarum denſiſſimæ phalanges. Samuel quoq; precibus in fugam uertit Philiſtæos. Quid uero Dauid ſine orationis præſidio potuit? Helias oratione ignem è cœlo euocauit. Ezechias potentiſſimum Aſſyriorum regem fideli oratione attriuit. Ioſaphat autem dum neſciret quò ſe uerteret, ad preces conuerſus, nobilem aſſequutus eſt uictoriam. Deniq; omnis gloria templi Iudaici redundat in orationis præconium. Nam id in hoc potiſſimum ædificarat ſapientiſſimus Solomon, ut domus eſſet orationis. Breuiter, oratio, fidei Chriſtianæ, ſenſus eſt, & ex fideli ardentiq; pectore proficiſcitur, cuius pretium & utilitates nemo dignis extulerit laudibus. Mentiuntur enim qui aiunt nos orationes iuſtorum contemnere. Damnamus quidem uitia ac ſuperſtitiones orationis, quod diuis oblata, quod circumſtãtijs inuoluta, quod auro uendita, quod numero aſtricta, & in βατΤολογίαμ conſtituta, pro merito & quæ ſalutem conferat haberi cœpit. At uero tantum abeſt, ut iuſtam contemnamus orationem, ut nihil in eccleſia uel nobilius habeamus uel charius.

De oratione pluſcula.

Matth. 26.

Lucæ 19.

Matth. 6.

Deus autem pacis ſit cum omnibus uobis. Amen.

Idem repetit quod ſuperius ſæpe dixit. Pulchre autem finiuit hanc cauſſam imprecatiua de pace ſententia, qui hactenus diſſidentes inter ſe populos in concordiam reuocauit.

Commendo aũt uobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt miniſtra CAP. XVI.

ecclesiæ Cenchreensis, ut illã susciptatis in Christo, ita ut decet sanctos, & adsitis ei in quocunq; negotio uestri indiguerit. Nam hæc cum multis adfuit, tum mihi etiam ipsi.

Caput 16. prima quidem facie leuiculum ac parui momenti esse uidetur, uerum in recessu plus habet, quàm fronte promittat. Quanquã enim totum uideatur sterilibus insumptũ esse salutationibus, hæ tamen miro modo charitatis officia nobis ob oculos statuunt, affabilitatem & humanitatem tradunt, & cuiq; dignum ac meritum deferre honorem docent. Id uero in primis egregiũ, quod neminem hic laudat ab opibus, aut cæteris fortunæ bonis, sed à fide, charitate, simplicitate, hospitalitate aliisq; id genus uirtutibus. Præterea uides nullum hic inter credentes esse discrimen, quod scilicet fidei ac pietatis attinet negotiũ. Recensentur ergo in hoc sanctorum catalogo & fœminæ, imò primum locum obtinet Phœbe, per quam (si Græcis habenda fides) hæc epistola missa est Romam. Sic enim habent Græcorum subscriptiones, Ἐγράφη ἀπὸ κορίνθου διὰ φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας, hoc est, Scripta est à Corintho, per Phœben ministrã Cenchreensis ecclesiæ. Porrò Cenchræa oppidum est (ut Volaterranus ait) in regione Corinthiorum in ora maritima. Cui & Mela accedit in 2. & ait, In Isthmo est oppidum Cenchreæ. Sed de hoc tabulæ Ptolemæi consulendæ, & Strabo in 8. & Plinius in 4. cap. 4. ac 5. Hæc Phœbe non ideo dicitur ministra ecclesiæ, quod in primitiua ecclesia mulieres uel docuerint, uel alia ecclesiæ publica munia obierint, id enim uetitũ est 1. Timoth. 2. capite, sed quod sanctis, quos hic per antonomasiam ecclesiam uocat, ministrarit uel de suis facultatibus, uel aliis ministeriis, quæ idem ille Paulus exigit à fœminis in 1. ad Timotheum 5. & Titum 2. cap. Huc autem faciunt ea quæ subiecit, Nam hæc tum multis adfuit, tum mihiipsi; atq; ita ecclesiæ ministrauit. Iam uero miris argumentis persuadere nititur ut hanc Romani suscipiant, eamq; iuuent uel opibus uel consiliis. Esse enim sororem, hoc est Christianam. Hic addit, Suscipite eam in Christo. In Christo autem dixit, quod scriptum sit, Qui alicui ex pusillis ac cõtemptis his uel poculum aquæ frigidæ propinarit meo nomine, proculdubio nõ perditurus est. Addit honestum. Decet enim sanctos ut sanctis adminiculẽtur: imò par est ut ei subueniatur, quæ multis antea etiam subuenit. Eleganter enim in hunc locum Origenes, Hortatur (inquit) etiam illud, ut hi qui bonis operibus in ecclesia dant operã, uicem recipiant à fratribus & honorẽ: & in quibuscũq; necessariũ fuerit, siue spiritualibus, siue carnalibus officiis, honorifice habeant.

Cenchræa.

Matth. 10.

Salutate Priscã & Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem suppossuerunt, quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes ecclesiæ Gentium, item quæ in domo illorum est congregationem.

De Aquila Pontico & uxore eius Prisca, siue Priscilla, lege Act. 18. Hi cum cæteris Iudæis aliquando Roma eiecti, nunc sub Nerone, uel sub finem regni Claudij, rebus paulò tranquillioribus Romam redierunt. Describitur hic illorũ fidelitas & Christiana charitas, quæ etiam pro salute proximi mori parata est. Et ceruicem pro aliquo ad iugulum nudare uel supponere, est mortis periculum subire. Opitulatus est autem Aquila Paulo suo ipsius capitis periculo, ne Iudæorum infidijs circumuẽtus, interimeretur. Cuius rei caussa maximas illi gratias habebant Gentium ecclesiæ, quod ipsis tantũ seruassset Apostolum. Idem Aquila familiam habuit nimirũ sui similem, probam, uel ex familiaribus ac necessitudine sibi iunctis, uel ex hospitibus exulibus collectam.

Laus.

Salutate Epænetũ dilectum meum, qui est primitiæ Achaiæ in Christo. Salutate Mariam quæ multum laborauit erga nos.

Epænetum ex eo laudat quod primus in Achaia euangelium Christi receperit. Mariam uero quod plurimum in ipsum beneficij contulisset. Licebit ergo uiros pietate insignes monimentis cũ laude inserere, idq; hoc Pauli exemplo, qui nemini adulatus, laude dignos

dignos extulit,& ab ijs laudauit,quæ laude digna erant. Inuenias hodie Gnathones & inconstantes quosdam Vertumnos,qui muneribus corrupti,corruptissimos quosq; ad miraculum usq; laudibus uehant:uerum cognoscitur quis sit,ut ut laudetur,coruus.

Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos meos & concaptiuos meos, qui sunt insignes inter apostolos, qui etiam ante me fuerunt in Christo. *In Christo sunt qui Christiani sunt.*

Coniectura est hos duos è numero fuisse LXXII. discipulorum domini, quorũ mentio est in Euangelio secundum Lucam. Horum fortassis institutione primũ credidit Romanorum ecclesia. Eusebius id gloriæ Petro tribuit Apostolo, qui secundo Claudij anno Romam uenerit,& ibi XXV. annis continue episcopatus munere functus sit. Sed uerisimile non est tum temporis Petrum fuisse Romæ,cum hæc scriberẽtur à Paulo. Aliâs eñ nomen Petri non obticuisset,qui in multo minoribus recensendis tam fuit diligens. Porrò illos uocauit cognatos, quod & ipsi essent semen Abrahæ, nati Iudæi. At concaptiuos quod in eadem essent afflictione cum ipso. Nam cum hęc scriberet captiuus non erat,at odio & infidijs Iudæorum expositus erat. Vel,quod uincula aliquando paria experti essent,Origenes aliud spectasse uidetur.

Salutate Ampliam dilectum meum in domino. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellem probatum in Christo.

Origenes addubitat num hic Apelles sit ille Apollo Alexandrinus, cuius mentio fit Actorum decimooctauo.

Salutate eos qui sunt ex Aristobuli familiaribus. Salutate Herodianum cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcisci familiaribus, eos inquam qui sunt in domino.

Videtur ergo Narcissum habuisse familiam copiosam,in qua nonnulli adhuc (ut fit) fuerint,qui euãgelio sese nondũ dediderint. Illos enim aliquousq; ferendos esset suadet Christiana charitas.

Salutate Tryphænam & Tryphosam,quæ laborant in domino. Salutate Persidem dilectam,quæ multum laborauit in domino.

Multi equidem laborant, sed non omnes in domino laborant. Sunt enim & operarij iniquitatis. Proinde signanter ait fœminas istas pias,laborare in domino.

Salutate Rufum electum in domino,& matrem illius ac meam.

Nemo imaginetur carnalia. Iuxta fidem ac spiritum hæc dicuntur.

Salutate Asyncritum,Phlegontem,Herman,Patrobam,Hermen,& qui cum his sunt fratres.

Origenes arbitratur hunc illum esse Hermetem, qui scripserit libellum, qui Pastor appellatur.

Salutate Philologum & Iuliam,Nereum, & sororem eius & Olympam,& qui cum his sunt, omnes sanctos.

Sunt qui existiment Iuliam fuisse Philologi coniugem.

Salutate uos inuicem osculo sancto.

In genere omnia complectitur,& à signo ad rem signatam transit. Osculum autem apud Hebræos concordiæ erat signum. Cum emphasi ergo osculum uocat sanctum. Siquidem charitas sine fuco esse debet. *Osculum.*

Salutant uos ecclesiæ Christi.

Ecclesia Christi catholica unica est, quæ iuxta locorum uarietatem uaria indipiscitur nomina. Nunc enim Antiochena, iam Alexandrina, mox Hierosolymitana, sed & *Ecclesia.*

Romana dicitur: cæterum omnes illæ unum corpus sunt, unũ caput habent, Christum, & solius pastoris uocem audiunt. Ioan. 10.

Obsecro autem uos fratres ut consyderetis eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam uos didicistis gignunt, & declinetis ab eis.

Contra schismaticos. Quod pleriq; solemus, ea quæ primo loco dicta oportuit, ad finem usq; reseruare, & hic demum, quasi memoriæ imbecillitatem exciderit, producere, ut istuc ceu aculeum in auditoris relinquamus animo: idipsum & Paulus hic facit, obsecrans Romanos, ut sibi à pseudapostolis caueant. Hos notis quibusdã pingit, quo melius cognoscerentur. Dissidia (inquit) & offendicula gignunt, & contra illam doctrinam gignunt quam didicistis. Dissidium autem moliuntur, qui Christum diuidunt, & non uni omnem tribuunt gloriam, *Galat. 5.* sed ceremonijs quoq; ac humanis inuentis. Ita ad Galatas quoq; loquitur de schismate. Offendiculum autem ponunt qui suis illis contentionibus in caussa sunt, quo minus procedat euangelium: aut qui peccatum etiam faciunt, ubi nullum erat. In summa, *Galat. 1.* Quicquid dissidet ab apostolica doctrina, anathema sit.

Nam qui eiusmodi sunt, domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo uentri: & per blandiloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium.

In Glossogastores. Alia caussa est cur ab illorum doctrina caueri uelit. Christo (inquit) non seruiunt, sed suo uentri, sese quærunt, auaritiæ ac priuato commodo student. Itaq; suauiloquentia & εὐλογία, id est benedicentia, hoc est adulatione, imponunt simplicibus. Tales sunt hodie qui humanas traditiones prædicãt, tantummodo ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Hi uitia non accusant, falsam religionem tuentur, & sic omnino uiuunt quasi in hoc nati sint ut lucrentur, decipiant, ac genio indulgeant. Lege Ezech. 13. & Ierem. 23.

Nam obedientia uestra ad omnes permanauit. Gaudeo igitur sanè de uobis: sed uolo uos sapientes quidem esse ad bonũ, synceros autem ad malum.

Αἰτία, id est ratio, est, cur hac in re Romanos potissimum uoluerit admonitos, quod per fidem ad simplicitatẽ uocati, ἄκακοι, id est fraudis & suspicionis expertes facti essent. Cæterum ad hoc hominum genus utpote impostorum libidini accommodatissimum, confluere solet pseudapostolorum fex. Laudat ergo simplicitatem Apostolus, sed sapientia temperatam, sic ut ἀκέραιοι, id est, sani sint ad malum, hoc est, dijudicare possint quid ueræ pietati incommodet. Hinc & Christus in Euangelio prudentiam simplicitati copulauit, & ita, ut prudentiam præmiserit. Siquidem dixit, Estote prudentes ut serpentes, & simplices ficut columbæ.

Simplicitas temperata prudentia.

Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes uestros breui. Gratia domini nostri Iesu Christi sit uobiscum.

Luc. 10. Per Satanam intelligit omnem uim aduersariam Christo ac Euangelio eius, siue sint pseudapostoli, siue tyranni. Subijcitur autem hæc sententia consolationis uice, ne propter impostoras pseudoprophetarum plus nimio tristarẽtur. Imò ut hoc agerent tutius, gratiam pro more suo imprecatur. Deinde ad salutationes redit.

Salutant uos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.

De Timotheo lege Acto. 16. & Philip. 2. De Lucio Acto. 13. De Iasone Acto. 17. De Sosipatre Acto. 20. Cognatos autem uocat, quia Iudæi fuerant.

Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam in domino.

Nam moris fuit uetustis, ut scribis excipientibus, ipsi, quod uolebant, dictarent. Ergo Tertius hanc epistolam, dictante Paulo, conscripsit.

Salutat

Salutat uos Caius hoſpes meus & eccleſiæ totius. Salutat uos Eraſtus quæſtor ærarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis, Amen.

De Caio habes quædam in 1. ad Corinth. 1. In hoc laudatur maxima uirtus hoſpitalitas. Eraſtus autē ὁ οἰκονόμος, id eſt, quæſtor aut diſpenſator fuit urbis Corinthi. Theophylactus putat præfectum fuiſſe. Et ſanè quæſtura præfectura eſt. De qua in Digeſtis, & in Feneſtella. Denuo autem ueluti uerſu intercalari gratiam precatur.

Ei autem qui potens eſt uos confirmare, ſecundum euangeliū meum & præconiū Ieſu Chriſti iuxta reuelationem myſteriȝ temporibus æternis taciti, manifeſtati uero nunc, et per ſcripturas propheticas, iuxta delegationem æterni dei, in obedientiam fidei, in omnes Gentes patefacti, ſoli ſapienti deo, per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſæcula. Amen.

De hoc loco plura in Annotationibus ſuis ſcripſit Eraſmus. Ioannes Oecolāpadius, Obſcuritatē huius (inquit) hyperbati facile intelliges ſi poſtremo loco legere cœperis, Soli ſapienti deo gloria in ſæcula. Hinc uero regrediaris ad initiū, Ei qui potens eſt. Claudit autem epiſtolam admirabili epilogo, ſimul & euangelȝ ſummam contexens, & laudem dei canens. De Euangelȝ ſumma ſatis dictum in inſcriptione huius epiſtolæ, quæ ſi hiſce conferis Commentarium habebis. Hoc unum reſtat exponendum, quomodo euangelium ab æterno fuerit tacitum, Apoſtolorum tandem temporibus retectum. Ergo Iudæis quidem ſatis erat cognitū, Gentibus autem occultatum. De qua re in Epheſijs cap. 2. & 3. Crediderim autem hanc appendicem ipſa manu Pauli fuiſſe ſubſignatam. Solebat enim (ut ipſe de ſeſe teſtatur in Theſſal.) omnes ſuas aliena manu ſcriptas, ſubſignare epiſtolas.

Euangelium tacitum iuxta ſynekdocham.

IAM VERO te appello, amice Lector, atq; oro, ut hæc noſtra cum iudicio legas, lectaq; boni conſulas. Si aſpera & incompta eſt orationis noſtræ phraſis, memineris me noluiſſe eloquentiam oſtentare, utpote qui ex tempore intra certos dies ſcripſerim hæc omnia. Pietatem tibi commēdare atq; ad hanc te uolui pellicere. Merito enim omnium Chriſtianorum ſtudia non ad loquentiam, ſed ad pietatem debent eſſe inſtituta. Hanc apud te hoc noſtro labore ambio: domini mei Ieſu Chriſti negotium ago, non meum. In hunc ſi credideris et uitam fide dignam uixeris, gratias ago deo, nec quicquā amplius peto. Quod ſi melius quippiam alȝ in hoc negotio fuerit reuelatum, nō inuidebo. Ego uero hoc meum talentum apud te depoſui. Faxit deus ut maximo cum fœnore ac pietatis lucro redeat ad dominum, Cui gloria ſemper. Menſe Februario, Anno 1533.

FINIS.

IN PRIOREM D. PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM COMMENTARIVS.

AD DIONYSIVM MELANDRVM FRANCFVRDIENSIS ECCLESIAE ANTISTITEM VIGILANTISS.

Heinrychi Bullingeri in Priorem D. Pauli ad Corinthios epistolam Præfatio.

PRVDENTER quidem petisses à me, Dionysi doctissime, enarrationem epistolæ Pauli ad Corinthios, si tam mihi essent parata quę commentatori necessaria sunt, quàm prompta est mihi & tibi & studiosis sacrarum literarum omnibus inseruiendi uoluntas. Nimirum uidisti quàm nostris illa temporibus sit accommoda. Iisdem enim morbis nostra periclitatur ecclesia, quibus Corinthiorum infecta Apostoli ualida sensit medicamina: ut si hodie nobis uoluerimus cõsultum ijsdem quoq; uitijs nostris efficacissima inuenerimus remedia. Videmus eñ hodie, id quod maximo cum dolore refero, eximias Germaniæ ecclesias inter sese hoc potissimum nomine dissidere, ꝙd hæc huius, illa uero istius Doctoris nomine inflatur inq; alterius uesanum quodpiã rapitur odium: adeo ut iam nobis Lutheranorum & Zuinglianorũ nomina non minus celebria uulgataq; sint quàm Corinthijs erant Cephistarum atq; Paulianorum factiosa uocabula. Et ut olim apud Corinthios, ita apud nos uidemus ꝓmultos uerbi ministros non ea quæ Christi pacis & ecclesiarum, sed ea quæ ambitionis potius, cõtentionis & uanæ gloriæ sunt spectare. Ex quibus alij effera turgidi arrogantia uel fratribus omnibus se præferunt, & symmistas pietate, eruditione & spiritu præstantes præ se ceu umbellas quasdam despiciunt, uel data opera (non enim dicam exquisita malitia) ab ijs dissentiunt quos non ignorant secum eundem prædicare Christum. His uero peiores sunt qui præterea & puram euãgelij doctrinam propter simplicitatem (ut & apud Corinthios quidam) aspernantur, & spiritum nescio quem iactitant, cui & peculiarem quandam rhetoricam præter eam quam communis loquendi ratio agnoscit, nouum item prædicãdi modum, quin & nouam tribuunt ecclesiam: quasi hodie nondum uero spiritu prædicatum sit Euangelium, neq; ulla hactenus collecta in orbe ecclesia. Talibus enim ne ipse quidem Apostolus electionis uas prædicauit Euangelium, qui hac epistola simplicitatẽ Euangelij propugnat, humilem de cruce Christi prædicationem laudat, & præcelsam istorum πνευματοφορίαν irridet. Illi ipsi splendide quidem, amplifice & suauiter, mira dexteritate & loquentia differebant de spirituali philosophia & regno Christi, mira item dicacitate sæuiebant in apostolum Paulum, cæterum ad intoleranda & dira Corinthiorum flagitia, ubi maxime uocales esse oportebat, pisce (quod aiunt) magis erant muti. Cuius quidem generis Doctores hodie quoq; inuenias innumeros, qui in innocentes fratres importunis debacchantur conuicijs, interim uero usurarijs, pauperum oppressoribus, tyrannis, sanguinarijs, legum æquitatis & iustitiæ corruptoribus, quinimo & luxu & ambitione corruptissimis nebulonibus admodum sunt propinj. Iam quæ Apostolus in hac de Coniugio, de Diuortio, deq; Impari connubio, item de Virginitate contra peruersam quorundam scribit opinionem, cõtra nostri sæculi mores scripta esse iurares, tam sunt quorundam sententiæ istis similes. Et de Idolothytis, hoc est, ijs quæ idolis sacrificabantur, num ijs uesci liceret homini Christiano? apud Corinthios magna erat contentio, Sciolis quibusdam istud ex Libertatis Christianæ potestate asseuerantibus. At nostro tempore de ipsis Idolis uertitur quæstio, quæ nonnulli eiusdem Christianæ libertatis patrocinio defendunt. Rursus multi errores, aut si abusus uocare malis, irrepserant in Corinthiorum cœtus ecclesiasticos. Alij enim corporis habitu indecore se gerebant in conspectu ecclesiæ. Alij sacrosancta domini cœna abutebantur. Erant qui donis uel nimium efferrentur, uel dono dei conspicuis inuiderent. Erant qui & Linguis & Oratione abuterentur ad prophetiæ periculum. Eadem autem uidere est & in nostra ecclesia. Quid quod de clarificato corpore uel hodie quidam sic disputant, ut penè corporum resurrectionem ponant in dubium? Cum ergo ijsdem morbis nostra laboret ecclesia, quibus Corinthiorum periclitabatur, & eiusdem morbi eadem semper sit medela, atq; hæc in præsenti describatur atq; adhibeatur epistola, nihil poterit nostro sæculo hac quadrantius aut utilius tractari. Hic autem maluissem eruditioris ac in sacris exercitatioris alicuius audisse expositionem, cum uero nemo prodeat, ego euangelicæ uiduæ pauperculæ exemplum imitans æra minuta duo in Gazophylatium templi dei infero: ita tamen ut huius generis ditiora illa instructioraq; munera quæ ante nos templo domini intulere uiri uetustate, sanctimonia uitæ & eruditione rara conspicui, non contemnam aut retractatione nostra infirmem. Extant eñ in hanc epistolam clarissimorum uirorum enarrationes. E quibus tamen quæ uetustiores sunt, ita scriptæ sunt, ut nostris nõ omni parte possint esse usui. Vel quia suo scripserunt sæculo, uel hæreses sui sæculi impugnarunt, uel suo sæculo doctius de rebus aliâs

planis

planis disputarunt quàm à mediocriter doctis nunc intelligi queant. Nemo enim qui uel parum in priscis uersatus est scriptoribus, nescit ueterum theologorum plerosq; scholã respuisse Platonicam. At qui nostro sæculo in hãc scripsere breuitati sic studuerunt, ut à mediocribus copiosiora desyderẽtur. Vel digressionibus & Locis communibus ita luserunt, ut interim contextum atq; ipsa Pauli uerba negligentius tractarint. Quæ non in hoc dico ut cornicum oculos configam, sed ut indicem superesse adhuc quod post multorum labores tractari possit. Et de me quidem nihil polliceri ausim. Eruditioni & iudicio plurima, nedum dicam omnia, desunt, interim de fide & diligentia optime mihi cõscius sum. Video & priscos scriptores post multorum sanctissimorum et doctissimorum uirorum lucubrationes etiam citra horum iniuriam, quin & cum laude bonorum non exigua idem subinde uolutasse saxum, licet nec omnes nec semper meliora dederint. Quod si ego quoq; spem tuam (Dionysi præstantissime) hisce in Commentarijs fefellero, ueniam mereor, ut qui non inuideam, si alij quoq; post me meliora exhibeant, dummodo nihil sinistrius de hoc animi nostri instituto non malo iudicent, sed grati sint: quemadmodum & ipse maioribus meis gratus sum, & illorum interpretationibus suo in loco uti non erubesco.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

NEmini obscurum esse credo Epistolas Pauli nõ eo ordine scriptas esse, quo in exemplaribus nostris uulgatis certa serie locatas uidemus. Neq; enim ea quæ ad Romanos extat epistola primo scripta est ab apostolo quod primum occupat locum. Galatarum enim & ante Romanorum & Corinthiorum exarata in cœtum exiuit fidelium, quinimo præsens hæc Corinthijs dicata ante Romanorum quoq; conscripta est. Proinde materiam & tractatum rerum non temporum seriem spectauit quisquis apostoli epistolas in hunc uulgatum redegit ordinem. In Romanis disputatur de Peccato, de Iustitia, de Fide, deq; ueræ religionis & seminis dei natura, ui & effectu. Merito itaq; primum occupauit locum. Iam uero cum herbescenti semini dominico multæ accidant calamitates, & enascentem ecclesiam multa impediant incommoda: atq; huius quidem rei epistola ad Corinthios egregium sit paradigma, in qua simul & illud traditur, quibus rationibus incommoda remoueri, & uitijs mederi queat, haud temere Romanis proxime appensa est, nempe ut hæc foueret, quod illa iam plantare cœperat.

Corinthij enim recta erant in fide (ut in 18. Acto. cap. traditur) ab apostolo instituti, nimirum ad eum modum eamq; rationem quam in Romanis postea scripto commendauit: ideo quod ipsa fidei potissima attinebat fundamenta nihil deerat Corinthijs, constantia tantum & concordia in percepta ueritate desyderabatur, quæ interim Pseudoapostoli maxime labefactabant, eleuantes apostoli Pauli authoritatem suam contra asserentes. Hisce enim artibus scindebant ecclesiam, non ea iam quæ Christi, sed quæ priuatæ gloriæ erant quærentes. Videbat apostolus actum esse de Corinthiorum ecclesia, si impostores isti ita ut cœperant pergerent. Principio itaque ut suam authoritatem, & in hac ipsam ueritatem assereret, & dissidentes iterum componeret, duobus arietibus Pseudoapostolos aggreditur. Prior philosophiam humanam, grandiloquentiam atq; speculationes istas subtiliores, quibus isti se magno uenditabant, & Paulum tanquam maximorum mysteriorum ignarum aspernabantur, docet displicere deo, qui ueram & cœlestem sapientiam exposita simpliciq; ratione mundo exponere uoluerit, certas etiam ob causas, quas interim fusissime tractat. Posterior, ex officio ministrorum uerbi docet omnem gloriam profectus euangelij, trahentis esse dei, non hominis seruientis, dei esse ecclesiam, huic subiecta esse omnia. Turpissimum igitur esse si quis cum minister sit, dominæ se præferat, ecclesiam scindat, aut in hac sibi quicquam arrogantius usurpet, quod interim faciebant Pseudoapostoli. Hæc autem in genere, mox speciatim Pseudoapostolis se comparat, ut ex collatione colliquescat utri fideliores sint doctores, imò publico exemplo istos negligentiæ & infidelitatis conuincit, quod incestu commaculatum non puniuerint, quem ipse iubet excludere. Atq; hæc quidem primis quinq; agit capitibus aduersus Pseudoapostolos, ut authoritatem nominis sui uendicaret leoninum istis detraheret, seductis uero ac cæcutientibus oculos aperiret, atq; ita ab impostorum errore in concordiam & ueritatis reduceret uiam.

Constantia in euangelica simplicitate.

Erant præterea quædam post fundamenta fidei posita in eo corrigenda populo, in quo adhuc nonnullæ (ut fit) superioris uitæ manebant reliquæ. Corinthus enim ut emporium Græciæ celeberrimum et opulẽtissimum, sic moribus erat longe corruptissimis. Hinc multi ex Christianis uel per auaritiam quæ pecuniæ studium est, aduersus fratres in foro contẽdebant iudiciario: uel scortatione fœdati non desinebant esse Corinthij. Proinde aduersus utroq; inuehitur grauissime. Rursus cum essent qui pietatis prætextu ab uxoribus diuerterent, & periculum esset ne istud scortationis gratia facerent, idq; Paulo à quibusdã significatũ esset, copiosissime sup hac re disputat per integrũ cap. 7. ubi & de Impari connubio, de Cœlibatu & Virginitate elegantissime disserit.

Auaritia & luxus Corinthiorum.

Peregrinis sacris participare.

Iam erat & aliud apud Corinthios uitium quod interim pseudapostoli fouebant maxime. Sacrificabatur Corinthi pro more Gentilitio idolis, hic Christiani uocabantur ad sacra, in his uero idolothyta, id est idolis sacrificatæ carnes proponebantur uescendæ. Hic eruditiores (ut sibi uidebantur) Christiana freti libertate idolothyto uescebantur, infirmi contra offendebantur, subinde augustius quidpiam de idolis & sacris sentientes prophanis quàm par erat. Proinde Apostolus grauissime in istos sciolos inuehitur, docēs omnino ab idolothytis esse abstinendum. Principio autem ad istorum respondet argumenta. Deinde sua confirmat cum ueterum exemplo, tum mystico Christianorum sacro. Idq; agit in 8. 9. & 10. cap.

De iustis Christianorū sacris.

Et quemadmodum in istis tradidit Peregrina sacra esse fugienda, ita in 11. capite subiungit, quid in sacris Christianorum, hoc est, in conuentu Christianorum publico sit obseruandum. Siquidem irrepserant & in hunc uitia quædam fœdissima: illud in primis quod indecore se gererent in cœtu Christiano ad luxum & ad scandalum usq; ornati: & quod epulis splendidis & prophanis mysticam conspurcarent cœnam. Vtroq; autem medetur uitio, docens quid illos in publico cœtu deceat, & quis sit Cœnæ domini uerus usus, quod institutum.

Concordia.

In 12. iterum quædam remouet quæ dissidium in Corinthiorum ecclesia excitabant. Erant enim qui quod ipsi dona aut ministeria in ecclesia non accepissent, aliis inuiderent, & omnes in ecclesia æquales esse contenderent. Erant alij qui donis & ministerio elati, alios fastidirent, itaq; abuterentur ad fastum & æmulationem charismatibus. Hos omnes allegoria corporis & harmonia membrorum in mediū proposita, hortatur ad concordiam & charitatem, cuius laudes, uim & efficaciam toto capite 13. exponit.

Prophetiæ & Linguæ.

His absolutis iterum redit ad Cœtum ecclesiasticum corrigendum. Siquidem docti quidam linguis atque oratione abutebantur ad pernitiem prophetiæ. Restituit ergo prophetiam in 14. cap. & de uero Linguarum usu pie iuxta atq; docte disserit.

Resurrectio.

Iam cum seductores quidam Corporum resurrectionem ponerent in dubium, imò prorsus abnegarent, Paulus istam fortissimis argumentis astruit, simul & illud declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Ad finem autem familiaria quædam subijcit, inter quæ præcipua sunt, quæ de subsidio in pauperes conferendo, de suo ad Corinthios reditu, & Timothei commendatione scribuntur.

Dictio.

Recte ergo alij monuerunt uariam esse hanc epistolam, nec ad certum colligi posse scopum. At dictio ab alijs Pauli epistolis ita dissidet, ut prorsus alterius esse credas. Facilis est diluta & tamen euidens, nō aliud quàm Pauli illud diuinum spirans pectus. Verba eius sic habent.

INSCRIPTIO.

CAP. I.

PAulus uocatus apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ dei quę est Corinthi, sanctificatis per Christum Iesum, uocatis sanctis, unà cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, in quouis loco uel suo, uel nostro, Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Quæ de Inscriptione dici poterant annotauimus in primo capite ad Romanos. Illud hic annotandum, quod & Ambrosius submonuit, in eo quod se dei uoluntate Apostolum dicit, perstrinxisse illos, quos neq; Christus miserat, neq; uerū erat quod docebant. De qua re plura in quintū caput ad Hebræos. Præterea Sosthenen hic (cuius & in Actis 18. fit mentio) per modestiam sibi iungit collegam aut symmistā, non istud faciēs quod tum apud Corinthios pleriq; & iam apud nos multi faciunt, qui reliquos omnes præ se despiciunt. Ecclesiam autem non huius aut illius dixit, sed ecclesiam dei, utiq; sanctificatorum numerū. Sanctificatos uero more Hebræo lustratos & purgatos uocauit, non sacrificio aliquo Aaharonico, sed per Iesum Christum, qui unica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Recte ergo subiecit, Vocatis sanctis, pro eo quod est, & proinde uere & absolute siue perfecte mundis. Sic enim apud Ioannem in decimoseptimo cap. dicit dominus, Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati per ueritatem, id est uerè. Neq; uero Corinthijs tantum hæc scribitur epistola, quemadmodū impij clamitant, Quid nobis cum Epistola Corinthijs scripta? sed omnibus etiam qui inuocāt nomen dñi nostri Iesu Christi, id est, omnibus Christi fidelibus.

Ecclesia sancta.

Alibi

Alibi enim diximus Inuocandi uerbum poni in ſacris pro religione dei. Addit huic & aliud clarius, In quouis loco uel ſuo, uel noſtro, quod quidem uarie expoſitum eſt ab interpretibus, cum interim ſimplex uideatur eſſe ſenſus. Tollit enim hic perſonarũ reſpectum aut prærogatiuam, de qua non citra maximã inuidiam, æmulationem & arrogantiam inter Iudæos & Gentes contrauertebatur. Pone ergo pro primogenijs pronomini bus Gentilia, & planus erit ſenſus, In quouis loco, ſiue ueſtrates ſint, ſiue noſtrates, hoc eſt, Græci ſint ſiue Iudæi. Atq; ad hunc ferè modum expoſuit etiam Ambroſius. Cætera petantur ex Comment. in 1. cap. ad Romanos.

EXORDIVM.

Gratias ago deo meo ſemper pro uobis de gratia dei quæ data eſt uobis per Chriſtum Ieſum, quod in omnibus ditati eſtis per ipſum, in omni ſermone & omni ſcientia, ſiquidem teſtimoniũ Ieſu Chriſti confirmatum in uobis ut non deſtituamini in ullo dono, expectantes reuelationem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit uos uſq; in finem indemnabiles in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Fidelis deus per quem uocati eſtis in ſocietatem filij ipſius domini noſtri Ieſu Chriſti.

Hoc exordio deuincit ſibi Apoſtolus Corinthiorum animos, ſed & pſeudapoſtolos aduerſarios ſuos perſtringit, qui conuiciabantur Paulinæ doctrinæ adhuc multa deeſſe quæ pertinerent ad perfectionem corporis eccleſiaſtici. Inde ergo auſpicans ex contrario gratulatur Corinthijs abundantem gratiæ dei contigiſſe cognitionem, per quam & ſalutem, ſi perſiſtant, conſequi poſſint. Hæc enim omnium eorum quæ hic dicit ſumma eſt, quam interim per expolitionem copioſius exponit. Principio enim in genere dicit, Gratias ago deo pro uobis de gratia dei. Deinde cauſſam huius gratiæ addit, Quæ data eſt uobis per Chriſtum. Hoc enim conſtitutum eſt (ut ait Ambroſius) à deo, ut qui credit in Chriſtum ſaluus fit, ſine opere, ſola fide, gratis accipiẽs remiſſionem peccatorum. Iſta Ambroſius. Quinimo per cauſſam notatur gratiæ dignitas. Diuinum enim ſit oportet quod per filium dei confertur & adminiſtratur. Hinc planius ſubijcitur quæ ſit illa gratia, nimirum hæc, quod ἐν παντὶ, id eſt in omni, hoc eſt in re quauis (ponitur enim more Germanico) ditati eſtis per ipſum. Vulgus æſtimat ueras eſſe opes quas progignit terra, ſed longe fallitur. Veræ opes cœleſtes ſunt, quæ poſſeſſorem nec fallunt nec corruptibiles ſunt. In Chriſto qui panis uiuus eſt deſcendens è cœlo, omnes theſauri ſunt ſapientiæ ac ſcientiæ dei reconditi. Animæ ergo theſaurus eſt Chriſtus dominus, gratiæ pignus, in quo pater cœleſtis dedit nobis omnia. Cæterum diuitias haſce cœleſtes iterum clarius exponit per partitionem, In omni ſermone & omni ſcientia ſiue cognitione, quibus membris complectitur quicquid eſt rerum æternarum ac cœleſtium. Sequitur enim quod hoc ipſum protinus explicet, Siquidem teſtimonium Ieſu Chriſti confirmatum in uobis, ut non deſtituamini in ullo dono. Verbo itaq; & ſcientia complexus eſt omnia potiora dei dona. Eſtq; hæc ueluti cauſſæ redditio imò exegeſis eius quod dixerat Corinthios in omni ſermone & ſcientia fuiſſe ditatos. Atq; hoc illud ipſum eſt, quo perſtringit pſeudapoſtolos. Quaſi dicat, Vt ut illi rara quædam iactitent myſteria quæ à nobis nondum ſint ueſtræ eccleſiæ tradita, ipſa tamen res clamitat uobis nihil earum rerum deeſſe, quæ ad perfectam requiruntur eccleſiam. Nam nihil eſt in quo uideamini cæteris eſſe inferiores, adeo ut libere iam poſſitis diem illam domini mortem & fatalem iſtam præſtolari horam. Rurſus ne quis eſſet qui uiribus ſuis res tantas aſcriberet, aut trepidaret, ſubiungit, Qui & confirmabit uos uſq; in finem. Dei enim eſt non hominis uelle & perficere. Confirmabit autẽ in hoc, ut poſſitis eſſe ἀνεγκλητοι, id eſt indemnabiles, hoc eſt, qui in ius uocari & damnari nequeant. Id autem eſt diuinæ gratiæ & interceſſionis Chriſti, ut fuſius exponitur apud Paulũ in Romanis capite 8. Quis intentabit crimina, &c. Caueant ergo ne hic impingant qui putant hominem ſine crimine uiuere

In Chriſto data nobis omnia.

posse, propterea quod scriptum sit, Qui confirmabit uos sine crimine in finem usq;. Ad finem huius Exordij pulcherrimum adijcitur Epiphonema, πιστὸς ὁ θεός, id est, Fidelis, uerax & certus est deus, &c. Eam sententiam Paraphrastes egregie ad hunc expositum modum. Id ita fore confido non meis aut uestris præfidijs, sed dei bonitate fretus qui nemi nem sua spe destituit, neq; quicquam non præstat quod pollicetur. Is cum gratuito fauo re suo uos asciuerit & adoptarit in consortium unici filij sui domini nostri Iesu Christi, fauebit & in hoc adnitẽtibus ut in adoptionis honore perseueretis, nec excidatis ab hæreditate, cuius iam arrhabonẽ tenetis. Porrò ne quis miretur quod hoc auspicatissimum felicissimumq; exordium parum respondet epistolæ, quæ plurimum habet acerbitatis & obiurgationis, meminerimus oportet illud quod & Ambrosius monuit, Apostolum in una plebe duobus scripsisse populis, ut increpatio malorum sit, laus uero bonorum. Illud quoq; annotauit Theophilactus, Hisce omnibus (dicens) Corinthios instruit, ut & ipsi assiduas deo gratias agant, & nihil proprijs uel actionibus confidant, uel ullis uir tutibus, sed in dei gratia sit illorum spes omnis.

CONCORDIA.

Obsecro autem uos fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & nõ sint inter uos dissidia, sed sitis integrum corpus eadem mente, eadem sententia.

Concordia. Scopum ponit huius disputationis, quam primis exequitur capitibus. Reuocat enim dissidentes ad concordiam ecclesiæ uinculum, quod pseudapostoli ruperant, dispergen tes potius gregẽ Christi quàm colligentes. Et cum paucis dicere potuisset, Obsecro uos ut concordes sitis, maluit id copiosius proponere. Primo enim præfigit quod moueat, Nomen Iesu Christi, quod optimo iure quidlibet à quouis impetret. Deinde uero non citra emphasim dicit, Vt idem loquamini omnes: summam enim notat concordiam. Equidem metalepsis est Hebraica. Oratio enim cordis est simulachrum. Rursus eandem rem eloquitur per contrarium, Et non sint inter uos σχίσματα, id est factiones & dissidia. Cui adhuc aliud adiungit figuratum contrarium, Sed sitis integrum corpus, κατηρτισμένοι, siue ut quidam (annotatore Erasmo) habebant ἀπηρτισμένοι, quod significat perfectum ut corpus est, in quo nullum sit membrum mutilum aut mancũ, aut inæquale. Sequitur enim quod ad explicationem huius pertineat, Eadem mente & eadem sententia, Id est, sitis obsecro & animo & opere, & corde & uerbis, id est, uerè & perfecte con cordes. Hanc concordiam multis celebrant non modo sacræ & apostolicæ, sed & prophanæ literæ, in quibus illud Sallustianum celeberrimum est, Concordia paruæ res cre scunt, discordia maximæ dilabuntur.

Significatũ est enim mihi de uobis fratres mei, à familiaribus Chloæ, quod contentiones sint inter uos. Dico autem illud, quod unusquisq; uestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi.

Iam ne uana suspicione uideretur delusus, palam dicit, quod ὑπὸ τῶν χλόης, id est à familiaribus Chloë dissidium istud intellexerit. Chloë uero nomen putant esse mulieris. Ambrosius scribit quosdam putasse nomen esse loci. Apparet re uera fœminam fuisse religionis spectatæ. Mira autem prudentia fidei caussa familiæ nomen expressit. Oportet enim delationem esse certam, hominum autem nomina suppressa, ne quid illis conflemus inuidiæ. Ad expositionem illud facit quod sequitur, Dico autem, &c. Siquidem alibi ostendimus hanc particulã in Paulo, Dico autẽ, expositionis esse formulam. Nam clarius effert de quibus loquatur dissidijs, ijs uidelicet quod alius se Paulinianũ, alius Apollonéum, alius Cephistam, & centesimus uix se Christianũ iactitet. Non eñ istud incusat quod se quidã Christianos appellarẽt, sed q̃d non uno hoc uterent nomine. Ad quę in

loco

loco annotauit Ambrosius, Errorem ostendit, sed authorum nomina non prodit. Nec enim in loco stabant, sed circumibant ad euersionem simplicium. Nam hos quos nominat sine dubio boni erant doctores, sed sub eorũ specie falsos apostolos tangit. Si enim in istis gloriandũ uetat, quanto magis in malis doctoribus? Quorum doctrinam prauam in subiectis significat. Inter eos tamen hos perseuerantes designat, qui dicebant se Christi esse non hominis, quos superius laudat. Hactenus Ambrosius. De Apollo dictum est in Actis cap. 19. Cephistas autem se illi appellari gaudebant, qui à Pseudapostolis persuasi, ipsos à Petro missos fuisse credebant. Quid uero hodie diceret Paulus si rediens, in nouo hoc orbe uideret tot Monachorũ sectas, titulis, uestitu, et institutis longe inter se dissidentes? Alius Benedicti, alius Francisci, alius Dominici censetur nomine, istius adhæret uiuendi regulæ, isti se uoto astringit. Non enim satis est huic hominum generi Christianum nomen, euangelij regula, & Baptismi uotum. Malunt dulci iugo Christi excusso temere in humanis oberrare doctrinis, quàm in iusto fidei tramite ad lucernam uerbi dei secure ambulare. Clamabunt ergo cum reliqua tandem superstitiosorum turba, Errauimus à uia ueritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus, &c. Præterea uideas Doctorum uulgus hodie non minus quàm olim dissectum esse. Nam pro Zenonis, Pythagoræ, Aristotelis et Platonis hæresi, surrepsere quædam putida contensiorum Monachorum nomina, Alberti, Thomæ, Scoti, Occam, & id genus alia. Quò illud quoq; referendum est, quod hoc nostro sæculo ab imprudentibus, imò contentiosis noua quædam nutriuntur Lutheranorum, Zuinglianorum, idq; genus alia factiosa uocabula. Equidem displicent hæc ipsis qui sapiunt Doctoribus, unde nomina transumuntur, ut hic uituperanda sit quorundam imprudentium stultitia, qui se sanctiores fore credunt, si alieno nuncupentur nomine. Cæterum fideli satis est nobile Christianum nomen.

Sectæ Monachorum uariæ.

Sectæ Doctorũ

Num diuisus est Christus? Num Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati fuistis? Gratias ago deo quod neminem uestrum baptizauerim nisi Crispum & Gaium, ne quis dicat, quod in meo nomine baptizauerim, Baptizaui autem & Stephanæ familiam. Præterea haud scio num quem alium baptizarim.

Erroris & morbi conuicit hactenus, iam adbibet remedium. Pulchris enim argumentis reuocat ad concordiam. Resipiunt autem singula indignationẽ, sed paternam. Inflammat enim orationem breuitas, interrogationibus interciſa, imò uegetata. Num (inquit) diuisus est Christus? Diuiditur autem Christus, cum non uni omnis tribuitur gloria. Sic enim & Ambrosius, Diuisum dicit Christum (ait) quia gloriam eius homines sibi partiti sunt. Diuidunt ergo uel hodie Christum, qui gloriam uni Christo debitam, uel diuis uel doctoribus partiuntur. Christus summi dei filius zelotypus est: solus à sponsa sua coli uult ac uenerari. Istud itaq; argumentum ductum est ex natura religionis & genio Christi. Quasi dicat, Christiana religio flagitat, ut uni & soli Christo hæreat populus: cur ergo uos contra religionis naturam Christum scinditis? Secundum argumentum quo reducit ad concordiã, petitum est ex more redemptionis. Qui redimuntur, uel à morte, uel ex uinculis, eius serui imò peculium sunt, qui redemit, ut iam plagium committat qui talem in alterius potestatẽ redigit, uel à domino suo abducit. Redemit autem crucis supplicio ecclesiam suam Christus: ecclesia ergo unius Christi redemptoris est. Neq; Paulus, neq; Petrus, neq; Apollos crucifixus est pro ecclesia, id est hostia corporis sui redemit ecclesiam. Christi ergo nomine non Pauli aut ullius hominis censebitur. Tertium argumentum tractum est à sacramento Baptismi. Qui baptizantur in nomen alicuius, eius fiunt peculium, cui consecrantur baptismate. Baptizamur autem in nomen Christi. Christi ergo peculium sumus, non hominis cuiuspiam. Atq; in his omnibus suũ proponit nomẽ, ne uideatur liuore superatus, aliorũ supprimere nomina, ut suũ inter Corinthios erigeret. Præterea copiosius exponit quos baptizarit et quàm

Vnus dominus, una fides, unum baptisma.

Ioan. 3. Ego amicus sponsi.

paucos. Quasi dicat, Si propter administrationem baptismi, id quod deo debetur, hominibus ascribitur, ego sanè gratias ago deo, quod paucissimos baptizarim apud uos, ne illi baptismi occasione decepti, Paulinianos se magis, quàm Christianos nuncupari cupiant. De Crispo scriptum est Actorum 18. Familiæ Stephanæ meminit in ultimo cap. huius epistolæ. D. Ambrosius, Sic enim erant (ait) sicut nunc Nouatiani & Donatiani, qui baptismum sibi uendicant, à nostris baptizatos reprobãtes, & baptizati ab his, gloriantur in personis eorum. Deniq; Christi nomine abdicato, Nouatianos & Donatianos se uocari gloriantur. Id quod propter illos annotamus qui adhuc nesciunt Catabaptistica dogmata ueterum hæresum esse reliquias. Præterea corruunt hic omnes omnium Monachorum factiones, quas ipsi uocant ordines, corruit & diuorum cultus ceu sacro attactus fulmine. Natura enim religionis, unitas Christi, pretium & mysterium redemptionis, & baptismi sancti sacramentum, uni Christo ecclesiam despondent, itaq; omnium hominum appellationes & cultum tollunt.

Catabaptistæ.

Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem,

Caussa est superiorum. Cæterũ locus hic non pugnat cum uerbis domini apud Matthæum & Marcum. Siquidem sententia præsens non absolute negatiua, sed magis per collationem enunciata est. Neq; improbat baptismum, sed id quod præclarius est, uerbum euangelij, præfert. Quasi dicat, Nihil tam diligenter commisit dominus atq; euangelij prædicationem: quanquam uero baptizare iusserit, maior tamen est docendi functio, ut baptismi gloria, euangelicæ prędicationis gloriæ collata, subobscurior esse uideatur. Quo magis mirandum est quæ illos hodie agat stultitia, qui propter baptismi administrationem cœlum terræ miscent. Plurimum enim facit hic locus aduersus Catabaptistas, quin & contra Pontificios, qui sacramentis augustis aliâs & sacrosanctis plus nimium tribuunt.

Doctrina præfertur baptismo.

SIMPLEX EVANGELII PRAEDICATIO.

Hactenus enthymemata quædam posuit ut reuocaret ad concordiam, iam illa quoq; amolitur & euertit, quibus illi dissidium & plantauerant, & etiamnum nutriebant. Monui autem in argumento, quo totam huius epistolæ structuram ob oculos, ceu in tabula spectandam, proposui, pseudapostolos maxima iactasse mysteria, quæ Paulum fugerint hactenus, quæq; uerborum lenocinio & humanæ philosophiæ fuco instructa mirifice Corinthijs humana philosophia turgidis & lasciuientibus, proponebãt, aspernantes interim simplicem de incarnatione, morte & redemptione Christi prædicationem: qua in re complures inuenerint assecias. Proinde Paulus commoda connectẽdi formula transiens, ostendit quod deus citra fucum humanæ philosophiæ, sapientiã suam orbi simpliciter & per simplices simplici & exposita dicendi docendiq; ratione proponere uoluerit. Semel enim uno uerbo omnia dicens subiungit.

non erudito sermone, ne inanis reddatur crux Christi.

οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, quod equidem plus quiddam significat quàm exprimere possim. Dominus (inquit) misit me euangelizare, non philosophare. Occulte autem & ex diametro opponitur hæc positio pseudapostolorũ studio. Quasi dicat, Illi nescio quid mysteriorum, quibus proponant uerborum emblematis, ego certè nihil tale accepi à domino. Eruditum ergo sermonem uocauit quicquid nitet, quicquid ex sapientia humana enatum, multum habet probabilitatis & elaboratæ elegantiæ. Caussa protinus adiungitur, Vt non euacuetur crux Christi. Porrò quod hic Crucem dixit, mox sermonem crucis dicet. Est ergo Crux Christi, aut sermo crucis Christi, prædicatio de Christo crucifixo. Nam figurata loquutio est, quemadmodum & illa ad Galatas 5. Absit ut glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Crucem enim eo loci mortem & hostiam corporis dominici dixit. Iam uero uacua & inania sunt quæ in speciem quidem solida uidentur, sed in recessu nihil habent, & re uera nihil sunt. Cuiusmodi pleræq; philosophorum disputationes sunt, à quibus si orationis splendorem & elaboratam fuci abstuleris diligentiam,

Crux Christi.

tiam, uanum quiddam & inane relinquitur. Dicit ergo Paulus, Noluit deus euãgelium ſuum orbi per eruditum, id eſt compoſitum prædicari ſermonem, ne illud quod re uera magnificum, ſolidum & auguſtum eſt, exile & inane redderetur. Quæ enim uera ſunt, ſimplicia ſunt: quæ falſa ſunt, medicamina poſcunt. Si apoſtoli compoſito & ex philoſophorum ſcholis petito ſermone in prędicando Chriſto uſi fuiſſent, iam iure obieciſſent impĩj, homines uerſutia, calliditate & docta perſuaſione uerius captos fuiſſe, quàm ueritate adductos: cum uero nihil tale uſquam appareat, proculdubio omnis laus & uirtus, dei & ueritatis eſt.

Nam ſermo crucis ijs quidem qui pereunt, ſtultitia eſt: at nobis qui ſalutem conſequimur, potentia dei eſt.

Ratio hæc bipertita eſt, & affirmãs, & remouens. Affirmat enim non inanem eſſe crucem Chriſti. Potentia enim dei eſt (ait) qua ſalutem aſſequimur. De qua re copioſius diſputatum eſt ad Romanos 1. Remouet autem, imò præoccupat pſeudapoſtolorum & omnium impiorum de ſimplici euangelij prædicatione ſententiam. Quaſi dicat, Cum autem dico me miſſum eſſe ut euãgelizem, atqui non erudito ſermone, ſcio me apud iſtos ſententiam propoſuiſſe probabilem. His enim ſtultitia eſt quicquid de Chriſto dicitur crucifixo. Sed nolim iſtud quenquam offendat. Nemini enim ſordet crucifixus Chriſtus, niſi perditiſſimis quibuſq;. Cum enim unica Chriſti hoſtia ſalus conſtet, iſti uero hanc aſpernentur, nulla ipſis ſupereſt reliqua, Hebræ. 10. Hæc expendant qui etiam hodie myſteria quædam & præcelſa ſpiritus arcana rimantur & proponunt, multa de ſpiritu quodam ſic garrientes, ut interim crucis & incarnationis Chriſti benedictæ obliuiſcantur. *Euangelium quid.*

Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reĵciam. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator ſæculi huius? Nónne infatuauit deus ſapientiam mundi huius?

Confirmat authoritate prophetica quod hactenus de ſimplicitate propoſuit euangelica, ne ipſe huius dogmatis primus uideretur author, ſed ut tota hæc diſputatio plus haberet authoritatis. Teſtimonium autem præſens non ex uno loco ſumptum, ſed ex uarijs eſt concinnatum. Neq; ad uerba Hebraica redditum eſt, interim in ſenſu nihil ab ijs diſcrepat. Pulchre uero iſta ſuo propoſito adaptat Paulus. In 29. ca. perſtringit Iſaias pertinaciam & peruerſam mentem gentis Iudaicæ, deinde ſubiungit, Quoniam igitur fraudulenter mecum agit populus iſte, ego uiciſſim malefacere pergam: diſperdam igitur ſapientiam ſapientium eius, & intellectum prudentium auferam, id eſt, efficiam ut omni careant conſilio & auxilio. Id ergo Apoſtolus in genere ad ſuum traxit inſtitutum, aſſerens fore, ut omnis humana diſperdatur ſapientia, quandoquidem ſapiẽtia abuſi, deum agnoſcere noluerint. In 33. cap. uaticinatur de uictoria Ezechiæ contra Senacherib, inter alia uero fermè ad hunc modum loquitur, Quando dominus & de populo ſuo, & de Aſſyrijs ſumpſerit ſupplicium, tum cum admiratione & cum encomio dicetis, Vbi nũc perditores illi? ubi ſcribæ, hoc eſt, cenſuum, turrium, & rerum bellicarum deſcriptores? ubi ponderator, id eſt quæſtor qui æs à uictis acceptum appendit? Atqui Paulus iuxta Catagogam hiſce membris, omnis generis philoſophos & philoſophiæ arcana intellexit, quos deus unico ictu incarnati uerbi prorſus attriuerit. Paulus enim de ſuo ad finem adĵcit, Nónne infatuauit dominus ſapientiam mundi huius? Hæc enim ad ſuperius teſtimoniũ illatio quædam eſt. Quaſi dicat, Ex iſtis igitur liquet, quod dominus adeo non elegit humanam ſapientiam ad euangelij ſui prædicationem, ut potius reprobarit.

Nam poſtquam in ſapientia dei non cognouit mundus per ſapientiam deum, uiſum eſt deo, per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.

Ne quis miraretur de Conſilio dei, quo uoluit euangelium citra ſapientiæ ſplendorem illuceſcere mortalibus, retegit illud. Eſt autem tale, Condidit deus uniuerſum hunc

Deus rebus conditis sapientiam suam orbi prodidit.

mundum in ornamentū maiestatis suæ, unde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerunt, ut omnes Gentes uel per hoc pulcherrimum spectaculum eruditæ, deum cognoscerent & inuocarent. Sic enim cecinit propheta, Cœli enarrant gloriam dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum. Et philosophi qui totius orbis consensu sapientes crediti, id laudis non aliunde assequuti sunt, quàm quod in rerum naturis excutiendis & inuestigandis laborarunt. Atqui siniſtrius cū apud uulgus, tum apud ipsos philosophos cessit iste conatus. Nam deum ex opere suo atq; rerum natura admirabiliq; administratione uel non cognouerunt, res conditas admirati, uel cognitum rite non coluerunt, suam potius quàm numinis laudem quærentes, quemadmodum copiosius exponitur ab apostolo in 1. ad Romanos cap. Proinde cum hac non succesſisset, deus qui genus mortalium perire nō uult, quin potius se ad captum attemperat mortalium, & in omnes formas se, natiua bonitate ductus, uertit, ut seruet, etiā hic diuersa negotiū istud aggressus est, nempe per stultitiam prædicationis, id est, per stultam prædicationem. Est enim modus loquendi Hebraicus.

Quandoquidem & Iudæi signum postulant, & Græci sapientiam quærūt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uero stultitiam: sed ipsis uocatis Iudæis, pariter & Græcis, Christum dei potentiam, ac dei sapientiam. Quoniam stulti tia dei sapientior est quàm homines: & imbecillitas dei robustior est quàm homines.

Quomodo euangelium stultitia dicatur.

Faciunt & hæc ad superiorum expositionem, maxime istius quod sapiens & cœleste dei consilium de redimendo orbe stultitiam dixit. Hoc enim indicat particula ἐπειδή posteaquam: noster interpres exposuit Quandoquidem. Hoc autem dicit, Euangelium uoco stultitiam, posteaquam Iudæi prodigia tantum respiciunt, & Messiam quendam non humilem, sed pompa & uictoriis magnificum expectant, Gentes uero erudita & splendentia duntaxat mirantur: nos interim nihil aliud q̄ Iesum eumq; contemptissimum, adeoq; & crucifixū prædicemus. Fieri enim non potest quin Iudæi (quos opinio de carnali & prodigioso Messiæ regno dementauit) offendātur cruce, quo minus cœlestem sapientiam & uerum Messiam agnoscant, magisq; prædicationē de cruce stultitiam esse reputent. Ita & Gentes quæ nihil nisi politum sit mirantur, non possunt non contemnere & pro stultitia uenditare quod per euangelium de contemptu, persecutione & patibulo crucis prædicatur. Proinde secundum mores istorum (inquit Apostolus) euangeliū uocaui stultitiam, non quod re uera sit stultitia. Nam si mores uocatorū, id est, sanctorum credentiúmue Gentium & Iudæorū spectemus, si id quod uerum est fateri uoluerimus, iam non modo nulla est in prædicatione crucis Christi stultitia, sed in ipsa cruce diluci dius q̄ ullo alio doctrinæ genere aperitur sapientia atq; potentia diuina. Huc iam pertinet sententia suppacta, Quoniam stultitia dei sapientior est, &c. Est enim sensus: Iccirco dixi Christum crucifixum dei esse sapientiā & potentiam, quod illud ipsum, quod mundo uidetur in Christo stultum & infirmum esse, præcellat uniuersam mundi sapientiam & fortitudinem. Idq; iam probat ex actis siue effectis, dicens,

Videtis enim uocationem uestram fratres, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum, delegit deus, ut pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecillia in mundo delegit deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo contēpta q̄, delegit deus: & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt obliteraret, ut ne gloriaretur ulla caro coram ipso.

Clara & exposita sunt omnia. Nam antitheses natura semper seipsas reddūt illustrio-

res. In

res. In fine autem uelut enumerationis perteſus ceu in ſumma dicit, Et ea quæ non erant delegit, ut ea quæ ſunt obliteraret. Dixit autem, Ea quæ ſunt, pro iis quæ magni pendun tur à mortalibus: & Ea quæ non ſunt, ea quæ pro nihilo ducuntur ab hominibus. Alij ad uocationem Gentium & ad 2. Oſee cap. alluſum uolũt. Loquitur autem de prima uo catione potiſſimum, qua piſcatores & idiotæ ad euangelij prædicationem uocati ſunt. Nemo enim negare poteſt confirmato iam in orbe euangelio doctiſſimos quoſq; acci diſſe ueritati eccleſiaſticæ. Primum quidem paſtores Chriſtum nunciãt eſſe natum. De inde uero ſalutatũ muneribus accedunt magi ſiue orientis ſophi. Erant quidem ex pro phetis multi regio & ſacerdotali ſemine nati, ut Iſaias, Daniel & Ieremias, ſed paſtor fuit Dauid, paſtor Amos: quin ipſe Moſes in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus non eligitur in populi Iſraëlitici Imperatorẽ, ſed in exilium exactus, & per XL. annos in pe cuaria exercitatus, à pecuaria uocatur ad prophetiam. Huc uero alluſit illud celebre Da uidis dictum, Domine dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra, utpote cuius gloria ſuper cœlos eleuata ſit. Ex ore infantium & lactentium perfeci ſti laudem propter aduerſarios tuos, ut quieſcat inimicus & ultor. Quis enim poſthac di cere auſit, mundum uerborum lenocinio, artibus, rhetorum ſyllogiſmis & ſplendore philoſophico in Chriſtianam pellectum eſſe diſciplinam, qui uideat authores huius di ſciplinæ primarios, homines extitiſſe ſimplices idiotas & mentiendi prorſus ignaros? Quis uero non uideat diuinæ uirtutis eſſe, quod totus mundus per horum prædicatio nem Chriſto crucifixo ſubditur? Quod hactenus nulla potuit in orbe philoſophorum eruditio & rhetorum eloquentia, id ſine negotio impetrauit piſcatorum ſtulta de Chri ſto prædicatio. Illi hactenus miro acumine diſputarunt de finibus bonorũ & malorum, de uirtute uictrice, de contemnenda morte, de ſtudio uirtutum, & fuga uitiorum: adhi buere omnes orationis uirtutes: ſed fruſtra. Mundus enim uel illos irriſit, uel ſpeciem ue rius uirtutis q̃ ipſam uirtutem exhibuit. Hi uero protinus atq; uenerunt ac de crucifixo ſaluatore prædicarũt, de peccato, fide, iuſtitia & innocentia, totus orbis perſuaſus, uitam mutauit, imò & uitam pro diſciplina Chriſtiana contempſit, mortesq; & cruces mille alacri animo ſubijt. Proinde ad hunc modum declarauit deus quod ſtultitia, id eſt illud quod coram mundo reputatur pro ſtultitia, ſapiẽtius ſit omni humana ſapientia, ea in quam quæ hactenus credita eſt eſſe ſapientia. Elegans eſt huius generis paradigma apud Ruffinum lib. Eccleſ. 10. cap. 3. In ſumma, hæc omnia ad hunc modum ſapienti ſuo con filio deus in hoc diſpẽſauit, ne ulla caro, id eſt ullus hominum quicquam ſibi arrogaret, aut quicquam haberet quo gloriaretur. Hac autem pericope maxime pungit Apoſtolus aduerſarios. Quibus ſimiles ſunt qui hodie mira uel impudentia, uel ſtultitia deluſi, quic qd hodie ueritatis in orbe eſt, ſuæ tribuere audent induſtriæ. Dñs reſtituat iſtos ſibijpſis.

Quomodo & per quos ab ini tio fundata reli gio.

Ex eodem autem uos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus fuit nobis ſapi entia à deo, iuſtitiaq;, & ſanctificatio, & redemptio. Vt quẽadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in domino glorietur.

Colligit iam & capulum rei repetit. Eſt enim ſenſus, Ex eodem, id eſt, pari ratione & per eandem uiam eumq; modum uocati eſtis etiam uos Corinthij in religionem Ieſu Chriſti: quæ ut ut iſtis ſtulta uideatur, magnifica tamen eſt, & uni deo per Chriſtum om nia tribuit. Proinde cum Chriſtum uobis ſimpliciter prædicauimus, oñia myſteria dei omnemq; theſaurũ cœleſtem aperuimus, licet nihil prorſus iſtorum more philoſophati ſimus. Siquidẽ deus ille optimus maximus conditor mundi per filium ſuũ largitus eſt nobis omnia, quæ hactenus mundi celſitudo faſtuoſaq; philoſophia falſo pollicebatur. Nam cum filius coæqualis & imago patris ſit, uerbum ac conſilium altiſſimi, nimirum ſumma unica & uera eſt ſapientia, iuſtitiaq;, ſanctificatio & redemptio: ut quemadmo dum ſcriptura præcipit, Qui gloriatur, in domino glorietur. Commode enim hunc lo cum ex Ierem. 9. cap. contra pſeudapoſtolos humana philoſophia & fidutia arrogãtes, adduxit. Sic enim habent prophetæ uerba, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, uel fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriat, quod

In Chriſto om nes theſauri cœ leſtes.

norit me dominum, qui facio in terra misericordiam, iudicium & iustitiam. Porrò breui hac sententia, nempe quod in uno Christo & non in alio salus consistat, totum euangelij mysterium complexus est Paulus, quod intelliges ubi hisce membris alios contuleris scripturę locos. Christum esse sapientiam dei, nihil aliud est quàm deum esse, Isaiæ 9. Ioan. 1. Colloss. 1. & 2. Et idem illi prophetæ & apostoli Christum appellarunt Iustitiã nostram, Isaias in 45. Ieremias in 23. & Paulus ad Roma. 3. At sacrificia ueterum significarunt Christum fore sanctificationem fidelium, id quod in Hebræis Apostolus tractauit fusissime. Redemptorem uero futurum cecinit Isaias in 53. Zacharias in 11. Falluntur ergo qui redemptionem, iustitiam uel sanctificationem rebus tribuunt elementicis & mundanis, quod quidem Italici solent Chananæi, id est, Romanenses mercatores, de quibus plura apostolus Petrus 2. Pet. 1. Ex istis autem omnibus claret quomodo euangeliũ Christi, quod mundus pro stultitia habet, potentia dei sit. Non etenim est quod pudeat nos crucis & crucifixi. Sapientissimus enim, æternus & potentissimus deus in cruce filij sui tam aperte ut nulla in re alia sapientiam & ingenium suum orbi retexit. Sapientia enim non est sine iustitia. Atqui deus iniustus esset si peccata non puniret. Peccant autem homines. Iam si pro merito humanum genus puniendum, prorsus internecione irreparabili abolendum erat. Cæterum ita peccasset dei sapientia in misericordiam, quæ ut deo, sic & sapientiæ eius in primis connexa est. Proinde ut humanum genus seruaret, & misericordiam suam exerceret in nobis, interim uero peccatum puniret grauissime, filium suum delegit, qui atrocissima crucis sentẽtia damnatus crucique suffixus, & iustitiæ & misericordiæ diuinæ, hoc est cœlestis sapientiæ clarissimum foret speculum. Verum de hac re copiosius scripsit & Firmianus Lactantius de Vera sapientia lib. 4. cap. 17.

In cruce est sapientia & uictoria.

CAP. II. Et ego cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum eminẽtia sermonis, aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium dei. Non enim me iudicaui quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Quomodo prædicarit Paulus euangelium.

Confutato illo quo pseudapostoli scindebant, & asserto iusto Christum prædicandi modo qui simplicitati studeat, & Christo omnia, philosophiæ prorsus nihil tribuat: sequentibus docet se iusto isto ordine Corinthijs prædicasse euangelium, ut istis errantes in pseudapostolorum nebulis in iustum reduceret tramitem, & eos qui in uera Pauli traditione perstiterant hactenus, solidaret. Cæterũ particula γάρ, ut alias sæpe, ita hic quoq; inferendi nota est. Infert enim nunc & dicit, Proinde cum dominus sapientiam, fucum, pompam & præsidia humana in prædicatione cœlestis sapientiæ oderit, ego istam uobis traditurus, non ueni cum eminentia sermonis aut sapientiæ, id est non ueni admiranda cuiuspiam eloquentiæ uiribus instructus, aut eximia quadam philosophiæ cognitione suspiciendus. Atq; ita etiam planius exponit illud quod 1. cap. obscurius dixerat, Ex eodem autẽ estis & uos in Christo Iesu. Agnoscit & diuus Ambrosius hunc contextum dicens, Quoniam superius gradatim formam disciplinæ nostræ ostendit, nũc se non aliter illis tradidisse probat. Testimoniũ uero (inquit Scholiastes Huldrychus Zuinglius) pro eo hic capit quod sibi à deo demandatum erat. Testimonium dei, id est, mandatum & præceptum dei. Testem ergo esse aut testimonium ferre Hebraico more significat, id quod alicui mandatum est strenue & constanter exequi. Sed nunc illud ipsum quod modo dixit clarius exponit, Non enim iudicaui, id est, æstimaui aut professus sum me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixũ. Audiuimus autem in cruce Christi reconditam esse omnem ueram sapientiam atq; salutem.

Et ego per infirmitatẽ, & cum timore, ac in tremore multo apud uos uersatus sum: & sermo meus, & prædicatio mea, non erat in persuasorijs humanę sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei.

Iterum dicit se diuina duntaxat ope suffultũ, & nullo humano præsidio fretum prædicasse

dicasse Christum. Exponuntur autem hæc dilucidius Acto. cap. 18. Deinde iterum redit ad docendi genus, & ait, καὶ ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμά μου, id est, Et sermo, id est, prædicatio mea non erat ἐν πειθοῖς, id est in suasoriis, siue ad permouendum appositis uerbis humanam redolentibus sapientiam, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως in euidenti & oculari demonstratione spiritus & uirtutis. Opponit autem spiritum & uirtutem Persuasioni. Hæc post rhetorum ornamenta nihil habet, at sermo ueritatis uegetus est, uiuax, potens, adeoq; hominum pectora transformãs. Rhetorum persuasio breuissimo tempore aures demulcet auditorum, at uerbum ueritatis aculeum figit, tenet & transmutat. Causa autem huius instituti protinus adiicitur, Vt fides ac religio uestra nõ nitatur sapientiæ hominum, sed potentiæ dei. Vehementer autem impugnat hic locus eos qui religionem Christianam imponunt Consiliorum & Patrum Decretis. Nam fides uera nititur sacræ scripturæ, non hominum inuentis ne sapientibus quidem: tantum abest, ut pro fidei regulis habendæ sint traditiones quæ neq; de diuinis neq; humanis recte iudicant. Verum copiosius de iis Zacharias differit cap. 5. Damnantur & illi hac sententia qui consiliis humanis, practicis (ut uocant) proditionibus, eloquẽtia sæculari & armorum uirtute putant ueram religionem plantari aut etiam propugnari, uel excindi posse. Vera fides potentiæ dei innititur, non præsidio humano. Quanquam & magistratus sit suo interim officio defungi, modo Christiano nomine gaudere uelit. De qua re copiosius disputauit Augustinus aduersus Donatianos. In priori ad Thess. cap. 2. extat qui hęc dilucidius explicet locus, in hanc sententiã, Gratias agimus deo indesinenter quod cum acciperetis sermonem à nobis quo deum discebatis, accepistis non sermonẽ hominum, sed ficut uerè erat sermonem dei, qui & agit (uide quid hic fit ostentatio potentiæ) in uobis credentibus. In primis autem damnantur qui fiducia linguæ freti dulcia quædã cantillant, cõpositaq; & elaborata oratione suauiter de euangelio garriunt: quales nostrum sæculum complures habet Anabaptistas & hisce peiores arrogantes quosdam spiritus, aut si mauis hypocritas, quibus nihil satis spiritualiter (ut aiũt) iudicat. Sed de his aliâs.

Fides nõ fundatur in sapientia hominum.

Porrò sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autem non sæculi huius, neq; principum sæculi huius, qui abolẽtur: sed loquimur sapientiam dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat deus ante sæcula, in gloriam nostram, quam nemo principum sæculi huius cognouit. Nam si cognouissent, haud quaquam dominum gloriæ crucifixissent. Sed quemadmodum scriptum est: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit deus diligentibus se.

Epanodus est. Redit enim ut explicet prædicationem de Christo ueram esse sapientiam. Quasi dicat, Quantũuis stulta uideatur Christi crucifixi prædicatio, interim tamen uera est sapientia. Sapientiam (inquit) loquimur ἐν τοῖς τελείοις, id est in perfectis, hoc est sapientiam perfectionis uel sapiẽtiam absolutam, ipsum inquam Christum dominum: qui per Antonomasian, uel cuius negotium per enallagen dicitur sapientia, sapientia autem perfectionis idiomate Hebraico, quod dum alii non obseruarunt, hunc locũ de credentibus exposuerunt quos dixere perfectos. Cæterum clariora ipse mox subiiciens dicit, Sapientiam autem non sæculi huius, id est eam quam miratur & excolit mundus eloquentia & naturalibus nitens ratiocinationibus obseruansq; circa inutilium & superfluosarum rerum quæstiones, qualis fermè tota philosophia est quæ de moribus & religione differit. Neq; principum sæculi huius, id est philosophorum & sapientum quos admiratur mundus, qui (τῶν καταργουμένων) euacuantur, abolentur, siue destruuntur, id est quorum doctrina & authoritas, utpote uana de rebus mundanis & perituris, interit. Sola enim cœlestia & diuina sunt æterna. Proinde (hoc posterius membrũ proximum exponit) loquimur sapientiam dei in mysterio, id est de mysterio, hoc est prædicamus reconditam sapientiam. Iam quod paulò ante dixit sapientiam in perfectis, hic uocat sapi-

Qualem sapientiam prædicent apostoli.

entiam in mysterio. Hæc autem nulla alia est quàm Christus dominus & negotiũ ipsum euangelij. Sequitur autem causſa quæ explicet cur dicatur sapientia in mysterio, quia recondita & præfinita ante sæcula. Quæ uerba clarissime exponuntur in 1. cap. epistolæ ad Ephesios. Habet & philosophia arcana sua, quo nimirum allusit Apostolus, mysterium euangelicum præferens omnibus Gentiũ mysterijs. Adijcitur præterea finis & effectus huius sapientiæ, Quam præfiniuit deus in gloriam nostram, id est, ut nos per Christum assereret, & in numerum filiorum dei adoptaret. Qua gratia & dignitate nihil potest in orbe uel excogitari augustius meliúsue. Obiter ergo laudatur hoc loco Christiana fides siue doctrina ab origine siue uetustate, & à fine. Prædefinita illa ante conditũ mundum. Vetustior ergo quauis re condita: ut iam prorsus desipiant & miseri sint hodie, qui euangelicæ doctrinæ Pontificiam istam religionem ab hominibus natam anteferunt. Et finis quoq; doctrinæ huius incõparabilis est. Non enim illa regis cuiuspiam, sed dei optimi maximi filios efficit. Philosophia aboletur. Et qui deum secundum traditiones hominum colunt, frustra colunt. Ad commendationem huius sapientiæ cœlestis facit & illud, quod nemo principum sæculi huius, ut ut mundana fuerit sapientia instructus, ut ut acumine claruerit ingenij, quicquam cœlestis illius intellexerit sapientiæ. Nam ut de Iudæorum loquamur scribis, id est sapientibus. Si illi credidissent Iesum esse Christum, ac summi patris sapientiam (ecce ut nunc aperiatur tropus, & quid hactenus intellexerit per sapientiam) per quem orbi salus restituenda erat, proculdubio glorioſum hunc cœli terræq; dominum non crucifixissent. Ergo quod crux nobis ceu probrosa & stulta obijcitur, per se quidẽ probrosa aut stulta non est. Est enim dei sapientia. At stulti & uæcordes fuerunt qui dominum crucifixerunt. Non igitur sapienter aut iuste hoc fecerũt, qui quid facerent nescierunt. Atq; per istud iam ignominiosa eluitur macula, quam impij Iudæi ac Sarraceni domino nostro Iesu Christo & Christianæ religioni aspergunt. In hoc enim produnt ignorantiam suam, quo crucem Christi reputant esse stultitiam. Iam sequitur quod ista omnia quę hactenus de abstrusa disputauit sapientia, confirmet, Sed quemadmodum scriptum est, &c. Nam hoc Isaiæ testimonio ex cap. 64. petito probat cœlestem illam philosophiam à deo ab æterno esse præfinitã, eamq; hominibus hactenus abstrusam fuisse, id quod propter Gentes dicitur. Sanctissimi enim patrum ueteris testamenti mysterium Christi non ignorarunt. Præterea eodem illo testimonio firmatur quod cœlestis illa sapiẽtia æternã & ineffabilem gloriam cultoribus pariat. Isaias uerba paulò diuersus usurpauit. Porrò operæpretium duxi Theophylacti uerba hic inserere priusquam ad cætera festinarem, ne quis molestus urgeat Lectorem scrupulus. Dicet aliquis (inquit) Ergo si minus illi mysterium dei cognouerunt, errati ueniam prome rentur. Ita sanè si in posterũ pœnitentia ducti Christũ adijssent. Essent enim hoc pacto non secus ac Paulus & reliqui ex Hebræis remissionem delictorum adepti. His paria scripsit & August. in quæst. ueteris & noui testamenti, quæstio. 67.

Nobis autem deus reuelauit per spiritũ suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quæ sunt dei nemo nouit, nisi spiritus dei.

Quo præcepto re discatur cœlestis sapientia.

Quæ sequuntur peculiariter scripta sunt in pseudapostolos pro declaratione & confirmatione superiorũ. Aperit enim Apostolus modum per quem deus cœlestem istam sapientiã reuelet sanctis: ex quibus nos discemus, unde aut quo præceptore, aut quibus medijs discatur salutaris sapiẽtia, non utiq; philosophis magistris, aut ipsa philosophia duce, aut Liberi arbitrij eloquentiæue, cuius sententiæ pseudapostoli erant, præsidijs, sed per spiritum dei. Est autem egregius locus communis in quem pro re nata commode digreditur. Sic autem cohærent cum superioribus. Dixerat, Loquimur sapientiam dei de mysterio, quam nemo principum sæculi cognouit: nunc ergo subdit, Nobis autem deus reuelauit per spiritum suum. Hæc enim summa est omnium & propositio primaria complectens rei statum, quæ in Euangelio secundum Matthæum à saluatore sic

Matth. 16.

est enun-

eſt enunciata, Caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Cauſſa. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates dei. Quæ ſententia ſpiritũ deo coæqualem facit. Nulla enim creatura omnia nouit, nedum ipſa dei abſtruſa, niſi ipſe deus. Nouit autem ſpiritus, ergo ſpiritus non eſt creatura, ſed deus. Cum ergo ſolius dei per ſpiritum hoc ſit officium, conſequitur quod per ſpiritum tantum diuinum reueletur cœleſtis ſapientia. Huc iam pertinet communis ὁμοίωσις, Quemadmodũ nemo hominum perſpicit quid lateat in alterius pectore, ſed ſolus ipſe ſibi conſcius ſpiritus, id eſt, animus hominis nouit quid lateat & quid ſecum mẽte uolutet: ſic res diuinas nemo cognoſcit, niſi ipſe dei animus, ſiue ſpiritus. Quo fit ut nunc res diuinas non poſſimus, niſi per reuelationem dei cognoſcere. Rectiſſime ergo in euangelio dominus, Nemo (ait) uenit ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Eſt ſcriptum in prophetis, Et erunt omnes docti à deo. Hæc autem lumen rationis humanæ ita obnubilant & uires liberi arbitrij ita comminuunt, ut planè cæcus ſit qui uidere nolit iſtas per ſe quidem prorſus eſſe flaccidas, inutiles, adeoq; mortuas. *Ioan. 6.*

Nos uero non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui eſt ex deo, ut ſciamus quę à Chriſto donata ſint nobis, quę & loquimur, non ſermonibus quos docet humana ſapientia, ſed quos docet ſpiritus ſanctus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

Epanodus ſimul & Exegeſis eſt. Dixerat aduerſus Pſeudapoſtolos, Nobis reuelauit myſterium ſuum deus per ſpiritum ſuum: iam ſignificantius dicit, Spiritu inquam diuino non philoſophico donati ſumus. Per hunc autẽ docemur quid in Chriſto donarit deus orbi, omnes uidelicet theſauros ſapientiæ, iuſtitiæ, & uitæ: ſicut expoſitum eſt cap. 1. Iam ut iſtud à ſolo ſpiritu citra mundanæ philoſophiæ faſtum edocti ſumus, ita uiciſſim citra fucum mundanæ ſapientiæ philoſophiam Chriſti ſimpliciter & planè, iis exponimus, qui ſpiritualium rerum capaces ſunt. Nam Scholiaſtes συνκρίνοντες (ait) exponentes ſignificat. Nam σύνκρισις etiam expoſitio eſt. Ergo quod ſpirituale eſt, ſpiritualibus, hoc eſt, eis qui ſpiritu ducuntur exponimus. Pugnat hic locus uehementer aduerſus eos, qui in rebus diuinis nihil niſi Ariſtotelicum ſit crepant. Abutuntur autẽ eodem alij nonnulli, qui artes & linguas ab ingenuis aduleſcentibus diſci nolunt. Quibus refutandis unus ſatis fuerit Auguſtinus, qui in Libris de Doctrina Chriſtiana & Loquutionum, multis conuincit artes & linguas in primis ad ſacra eſſe neceſſarias. Præterea nemo neſcit omnem orationem ad docendum compoſitam conſtare rebus & uerbis, ſiue materia & eloquutione. Vtuntur autem uerbis & certa dicendi ratione cum uera tum falſa docentes. In ipſa re ſiue materia uerum uel falſum conſiſtit. Quanquã ergo certam rationem in dicendo & ſcribendo ſequuti ſint philoſophi & oratores, inde tamen non conſequitur quod malum ſit certa & dilucida dicendi ratio. Nam et ipſi prophetæ & Apoſtoli ſancti ſpiritus organa, certa naturali et commoda ratione dicendi de rebus cœleſtibus diſſeruere. Cæterum ſimpliciter citra fucum, res ſuas ex ſacrario diuinæ ſapientiæ petentes. Proinde cum ipſe ſpiritus ſanctus iſtud commune dicendi filum genusq; ſit in tradendis ſacris ſequutus, haud quaquam illicitum, imò opido neceſſariũ eſt ſobrium neceſſariarum artium ſtudium. De quibus aliâs. *Scopus doctrinæ ſancti ſpiritus eſt Chriſtus.* *An liberales et honeſtæ artes prohibitæ.*

Animalis autem homo non accipit ea, quæ ſunt ſpiritus dei: ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter dijudicantur. At ſpiritualis dijudicat quidem omnia, ipſe uero à nemine dijudicatur. Quis enim cognouit mentem domini? quis conſilium daturus ſit illi? Nos autem mentem Chriſti tenemus.

πνεύμα eſt ad illud quod dixerat, Spiritualibus ſpiritualia exponentes. Mire autem perſtringuntur hac aduerſarij rebus mundanis nitentes, & crucem Chriſti ceu rem ſtultam aſpernantes. ψυχικός autem, id eſt animalis dicitur homo ab anima. Nam homo (quatenus dei ſpiritu renatus non eſt) non ſolũ corpore caro eſt (ut recte ſcribit Scholiaſtes) *Vires carnis et ſpiritus.*

ſed anima quoq;. Caro enim per ſe nihil cogitat. Et affectus carnis in anima ſunt, non in carne. Id ut exprimeret hominem uocauit animalem. Obſcurant hæc iterum rationis lumen adeoq; & omnes liberi arbitrij uires diſſoluunt & auferũt. Sequitur enim quod eui dentius eſt, Nec poteſt cognoſcere (ecce, Nec poteſt, ait) quod res ad religionẽ ſpectans, hoc eſt ſpiritualis, ſpiritualiter ἀνακρίνεται dijudicanda, id eſt expendenda atq; percipienda ſit. Huic ſententiæ adijcitur iam & ſua antitheſis, Spiritualis uero dijudicat omnia, id eſt omnia ea quæ ad pietatem pertinent dijudicat, expẽdit aut intelligit. Hic per eclipſin ſubintelligendum, ſpiritualiter. Sic enim abſoluitur antitheſis. Iam enim dixerat, Animalis homo non intelligit ſpiritualia dei myſteria. Cauſſa, quia ſpiritualia non nouit ſpiritualiter dijudicare, aut ut uetus translatio habet, examinare. Huic nunc correſpondet ex oppoſito, Spiritualis uero intelligit ſpiritualia dei myſteria. Cauſſa. Quia omnia per ſpiritum explorat. ἀυτὸς δὲ ὑπ' ὀυδενὸς ἀνακρίνεται, Ipſe uero à nemine iudicatur. Ipſe inquam ſpiritus, ut apoſtrophe ſit ad ſpiritum, non hominem ſpiritualem. Alij referunt ad hominem ſpiritualem: ut ſit ſenſus, Ipſe uero ſpiritualis à nemine intelligitur, uidelicet animalium. Cæterum ſuperiorem ſententiam confirmat conſequens cauſalis, Quis enim cognouit mentem domini? Senſus ergo eſt. Spiritualis omnia dijudicat, idq; per ſpiritum: unde iam conſequitur quod ipſe ſpiritus iudicetur (iam Iudicandi uerbũ uſurpatur pro definiendi & cenſendi calculo) à nemine: quandoquidem per ipſum iudicantur omnia. Nam quis tam prophanus aut uæcors exiſtat qui ſibi mentem dei, id eſt, ſpiritum dei iudicandum præſumat? Nemo enim unquam deum inſtituit: ergo nemo dei mentem iudicare poterit. Græce enim ſignificantius eſt ὃς συμβιβάσει ἀυτὸν id eſt, Quis docebit aut inſtruet eum? aut ui extorqueat illud deo, ut hoc ipſum ſentiat quod tu apud te ſentis aut iudicas? Proinde cum ſpiritus dei ſumma ſit ſapientia nihil non recte faciens, nemo ſpiritum dei iudicare poteſt. Interim uero tantum cœleſtis ſapientiæ & mentis ſuæ nobis reuelauit, quantum ſatis eſt ad intelligendum myſterium Chriſti. De quo ſatis diſputatum in ſuperioribus. Hæc uero impudentiam coarguunt Pontificiorum, qui ſcripturæ iudicem imponunt hominem. Quanquam enim obijciant, Spiritualem dijudicare omnia, id tamen quod ſequitur non addunt, Ipſe uero à nemine dijudicatur. Deinde non expendunt quod ſpiritualis non eſt qui ſpiritu dei bono non ducitur, & quod ille per ſpiritum ad præſcriptum ſacrarum literarum omnia exigit, ut iam ipſam ſcripturam ſancti ſpiritus inſtinctum agnoſcat omnium humanarum functionum eſſe regulam, ſpiritũ iudicem. Vnde & Aurel. Auguſtinus Confeſſ. lib. 13. cap. 23. colloquens cum deo, Spirituales ergo (inquit) ſiue qui præſunt, ſiue qui obtemperant, ſpiritualiter iudicant, quæ utiq; iudicanda ſunt, non de cognitionibus ſpiritualibus quæ lucent in firmamẽto. Non enim oportet de tam ſublimi authoritate iudicare, neq; de ipſo libro tuo, etiam ſi quid ibi non lucet. Quoniam ſubmittimus ei intellectũ noſtrum, certumq; habemus etiam quod clauſum eſt aſpectibus noſtris recte ueraciterq; dictũ eſſe. Sic enim homo licet iam ſpiritualis & renouatus in agnitionem dei ſecũdum imaginem eius qui creauit ipſum, factor tamen Legis debet eſſe nõ iudex. Hæc Auguſtinus, qui plurima huius generis tractat in conſequentibus 23. cap. &c.

Aduerſus illos qui iudicẽ ſcripturæ imponũt hominem.

CAP. III.

Et ego fratres non potui loqui uobis ut ſpiritualibus, ſed loquẽdum fuit ut carnalibus, ut infantibus in Chriſto. Lactis potu uos alui, & nõ cibo. Nondum enim poteratis, imò ne nunc quidem adhuc poteſtis, nam adhuc carnales eſtis. Siquidem cum in uobis ſit æmulatio & contentio, & factiones, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Etenim cum dicat aliquis, Ego quidem ſum Pauli, alter uero, Ego Apollo, nónne carnales eſtis?

Hactenus differuit de uera ſapientia quæ ſit, unde ſit, quanta ſit, & quomodo, aut per quem, ſiue quo præceptore diſcatur. Redit iam ut hanc cauſſam abſoluat, illoſq; alloquitur qui pſeudapoſtolis, magna iactãtibus myſteria, & Paulum ceu bardum & ſtupidum,

imò

imò neſcium prorſus myſteriorum dei aſpernantibus crediderant. Ipſa etenim ratio cla mitat, iſta non pertinere ad omnes Corinthios quibus perfectiſſime, ſicut ſupra oſtēdi-mus, prædicarat Chriſtum dominum. Nam & in poſterioris epiſtolæ 12. cap. Nulla (inquit) in re inferior fui ſummis apoſtolis, tametſi nihil ſum. Signa quidem Apoſtoli peracta fuerunt inter uos cum omni potentia, ſignis & prodigijs, & potētibus factis. Nam quid eſt in quo fuiſtis inferiores cæteris eccleſijs? Proinde quæ hic ſcribit non citra ironiam ſcribit, nimirum ut peruerſum ſiniſtre ſpiritualium prodat & increpet iudicium, quo dementati ſolida, certa & ſimplicia deſerebant, dubia uero & incomperta quædam pro ſpiritualibus myſterijs ſectabantur. Dicit ergo, Iam ut uerum dixerint pſeudapoſtoli ſupereſſe adhuc maxima quædam pietatis myſteria quæ nondum tradiderim uobis, uos certe eratis in culpa, quo minus tradiderim. Neq; enim potui. Deijciendus erat ſermo meus ad ueſtram imbecillitatem. Carnales enim, id eſt νήπιοι infantes eratis in negotijs Chriſti & myſterijs cœleſtibus, proinde uobiſcum utcunq; balbutiēdum erat uelut cum infantibus. Traxit autem allegoriam à nutricibus & educādi ratione. Sequentibus uero acrius pungit aduerſarios, & acerbius increpat Corinthios, dicēs, Iactitāt apoſtoli ueſtri magna quędam myſteria. Videri uultis etiam uos à diſceſſu meo multū interim in rebus profeciſſe ſpiritualibus, ſed nō uideo quid laudis debeatur uobis. Nam ut olim ita nūc quoq; carnales eſtis. Idq; iam ex fructibus carnis probat, Siquidem cum in uobis ſit ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασία æmulatio *verbunſt vnd yfer*, contentio *ghāder vnd zangg* ac factiones *rotten vnd parthygen*, certe carnales eſtis: neq; ſecundum deum & ſpiritum dei, ſed ſecundum hominem ambulatis, id eſt uitam ueſtram ad placitum hominū inſtitutis. Idq; ex actis denuo comprobat. Equidē cum quiſq; ueſtrum dicat, Ego Pauli, ego uero Apollo, ipſa re proditis quod adhuc carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis. Quod ſi nunc colligas ea quæ hactenus de uera & falſa ſapientia ſunt diſputata, hæc erit omnium illatio & perioche, Cum ergo hactenus conſtet quod uera uobis myſteria ipſam dei ſapientiam tradiderim, pſeudapoſtoli autem philoſophiam uerius q̄ theologiam docuerint, qua & ſtudia partium & carnalem inter uos nutriunt fidutiam, certe ipſa iam ratio ſana ſuadet, ut deſertis impoſtoribus ad ueram & ſimplicem redeatis doctrinā, idem inter uos mutuo ſentientes & loquentes. Atq; hæc quidē hactenus. Colligimus præterea ex hoc loco, omnes monachorum ordines prorſus non eſſe de ſtatu (ut uocant) perfectionis. Nam ſecundum hominem ambulant, & Corinthijs hiſce noſtris multo carnaliores ſunt. Similes porrò ijs ſunt qui ſe totos diuis & diuorum cultui manciparunt.

Ad quē ſcopum omnia hæc referantur.

DE MINISTERIO ET MINISTRIS VERBI.

Quemadmodum autem falſo iactabant myſteria quædam pſeudapoſtoli: ita & miniſterio uerbi abutebātur ad faſtum & partium ſtudia, ſibi omnem quæ erat ex uerbo gloriam tribuentes. Monet ergo Paulus meminerint ſe miniſtros eſſe, non dominos eccleſiarum: omnem gloriam eſſe dei trahentis: prēterea miniſtrorum eſſe ſolius domini dei gloriam uindicare, unitatem colere, & interruptam eccleſiæ concordiam ſarcire. Sic autem loquitur.

Quis igitur eſt Paulus, quis autē Apollo? niſi miniſtri, per quos credidiſtis & ut cuiq; dominus dedit.

Sub Pauli & Apollo nomine pſeudapoſtolos taxat. Etiam fideliſſimi (inquit) & ſanctiſſimi uerbi dei præcones aliud nihil ſunt quàm miniſtri. Latet autem argumenti uis in dictione miniſtri. Non (ait) domini uel authores ſumus fidei, uel doctrinæ ſanctæ, ſed inſtrumenta per quæ agit deus. Hoc enim illud eſt quod ſequitur, Per quos credidiſtis, id eſt per quorum prædicationem in fidei negotiū induxit deus. Homo enim fidem conferre non poteſt. Fides donum dei eſt. Sequitur enim, Et ut cuiq; dominus dedit. Ambigua autē eſt ſententia, quæ tam ad eum cui prædicatur, q̄ ad eum qui prædicat, refertur. Tot em̄ fideles quiſq; uerbi præco lucrifacit, quot dominus permiſerit aut dederit. Tantum etiam quiſq; credit, quantū gratiæ infuderit dominus. D. Ambroſius, Vt quia mini

Apoſtoli miniſtri ſunt.

ſtri ſunt (inquit) ſpes in his non ſit, ſed in domino cuius miniſtri ſunt. Illi enim gratiarumactio deferenda eſt, cuius donũ eſt: hi uero ſerui quos etiam inuitos oportet diſpenſare. Miror autem quid ad hæc poſſint reſpondere Pontificij, qui relicto uero domino miniſtros colunt & adorant.

Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed deus dedit incrementum. Itaq; neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui dat incrementum deus. Cæterum is qui plantat, & is qui rigat, unum ſunt: Vnuſquiſq; tamen ſuam mercedem accipiet iuxta ſuum laborem. Etenim dei ſumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio eſtis iuxta gratiã dei, quæ data eſt mihi.

Incrementũ dei eſt.

Clarius per parabolam effert quod iam iam dixerat omnem prouentus euangelij gloriam non eſſe miniſtrorum, ſed dei cuncta agentis. Traxit autem allegoriam à cultu hortorum & re ruſtica. Fruſtra laborat qui arbuſculã plantat, quiq; eandem rigat ne nimio aduratur calore & pereat ariditate niſi accedat occulta quædã naturæ, id eſt dei uis: proinde prouentus & quod pro uoto adoleſcit arbuſcula, non plantationi aut cultui debetur, ſed magis ui cœleſti uegetanti illam. Huius iam adde parabolæ partem aliam obſcurius quidem à Paulo poſitam. Ad hunc modũ fruſtra laborat qui ſemen dominici Verbi in agrum diſſeminat cordiũ: niſi corda tangat altiſſimi uirtus, atq; ea ad excipiendum ſemen & ad fructificandum reddat idonea. Fruſtra item laborat qui piis monitis conſolationeq; familiari æſtuantia refrigerat pectora, niſi occulta uis ſpiritus intus rapiat & transformet mentẽ. Iam ſequitur illatio, Itaq; non qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui dat incrementum deus. Iſta uero appoſitiſſime quorundam ſubuertũt errorem, qui uerbo externo plus nimium tribuunt, non tamen patrocinamur iis qui ei derogant nimium. Porrò ne quis ex uerbis præſentibus patrociniũ quæreret factionis, præoccupat & ait, Cæterum is qui plantat, & is qui rigat unum ſunt. Tametſi enim in functione prophetica diuerſa ſint munia, ut & in cultu agrorum & hortorum uarij colendi modi, hinc tamen non conſequit quod alter altero debeat eſſe maior. Omnes miniſtri ſumus. Omnia officia ad unũ ſpectãt, nempe ut tota eccleſia uni deo per Chriſtũ hæreat, huncq; pietate uitæ colat. Huc enim pertinent omnis doctrinæ genera, inſtitutiones, cõſolationes & exhortationes. Eadem erat omnium apoſtolorũ ſententia, ad idem tendebant omnes. Plantarat, id eſt fundamenta fidei iecerat apud Corinthios Paulus. Apollos aũt à diſceſſu Pauli, fouit piis monitis, quod ille in pia inſeuerat pectora. Vnicus ergo utriſq; fuit ſcopus, gloria Chriſti: proinde & unum fuerunt miniſtri. Cæterum ne ſegnes in obeundis munijs redderentur uerbi præcones, audientes quod omnes ex æquo ſint miniſtri eiuſdem authoritatis & nominis, protinus per correctionem addit, Vnuſquiſq; tamen ſuam mercedẽ accipiet, iuxta ſuum laborem. Nam & alibi legimus, Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiã erudiũt multitudinẽ, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Huc pertinet & parabola de Talentis apud Matthæũ miniſtris expenſis. Nolo aũt offendaris Mercedis nomine. Scriptura enim noſtro more loquitur. De quo dixi in 2. cap. epiſtolæ ad Rom. & ca. 4. Certe deus omnia bona operatur, & uirtutes ſuas, iuxta Auguſtini uerbũ, coronat in nobis. Nec illud diſſimulandũ quod cõtra Rom. Pontificis primatũ fortiſſime hic locus pugnat, cuius authoritate fretus D. Hieronymus in epiſtola ad Euagrium ſcripſit, Vbicunq; fuerit epiſcopus ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas uel ſublimiorem, uel inferiorem epiſcopum facit. Hiſce omnibus tandem appendit ſententiam quæ ſuperiorem explicet allegoriam ſiue parabolam. Nos (inquit) ſumus cooperarij dei: uos dei agricolatio ſiue ædificatio. Vtrunq; uero ſecundum gratiam dei dico. Nos enim ex gratia ad munus apoſtolicum uocati ſumus, & uos per gratiã euangelio credidiſtis. Sunt tamen qui ultimã hanc particulam, Iuxta gratiam dei quæ data eſt mihi, referant ad conſequentia:

Daniel. 12.

Matth. 25.

Contra Primatum Papæ Hieronymus.

ſequentia: ſed in idem recidit ſenſus. Certè ex iſtis iam intelligi poteſt quod plantare & rigare aliud nõ ſit quàm docere, hortari, & conſolari: ipſe autem fructus ipſum opus & agriculatio, fideles ſint. Quod autem per cauſſalem enuntiatur ſententia, Etenim dei ſumus cooperarij, ſit quod præceſſit, Iuxta ſuum cuiuſq; laborẽ. Porrò multa fuit apud doctos diſputatio de effectu cauſſarum ſecundarum, maxime quod hic ſcriptũ ſit, Cooperarij dei ſumus. Hinc enim & opinio blaſphema de Merito enata eſt. Cæterum ſi ſimplici oculo contemplemur oracula dei, inueniemus quod ipſa non omnino nihil, id eſt aliqua ratione aliquid, & tamen nihil tribuant cauſſis ſecundis. Diuerſo enim reſpectu (ut aiunt) ſcriptura loquẽs ſibi repugnare non poteſt. Verbum enim ueritatis eſt ab ipſo ſummo, uero, & æterno bono per ſanctos & ueraces reuelatum homines. Alibi ergo de prouidentia & omnipotentia dei abſolute loquens omnia deo, nihil nobis aut mediis per quæ aut quibus agit, tribuit. Cuius generis multa inuenias apud prophetas & apoſtolos. Atqui hac ratione criſtas arrogantiæ humanæ contundit, & uni deo omnem gloriam tribuit. Alibi uero de ordine & certa adminiſtrandi ratione loquens (ordine enim & certa ratione agit omnia deus) inſtrumento etiam, quod illi uocarunt ſequundã cauſſam, nonnihil tribuit ſcriptura. Veluti cum nos uitibus, arboribus, & agro ferimus accepta uinum, poma, & fruges. Sic illa homini uictoriam, ſapientiam, & opus bonum aſcribit: propterea quod per hominẽ iſta fecit deus. Idq; propter electos dei fit, ut & amicitiam familiaritatemq; dei erga ſe intelligant, & ad iuſtitiæ ſtudiũ preces ac gratiarum actiones incendantur acrius. Atq; hac etiam ratione dicuntur præcones uerbi dominici συνεργοὶ τοῦ θεοῦ cooperarij dei, proculdubio ut maior ſit authoritas miniſtrorum uerbi, deinde ut illi omni modo ſtudeant eſſe quod audiunt. Hæc non intelligunt qui miniſterio uerbi parum uel nihil tribuunt: rurſus abutuntur hac loquendi ratione & benefi cẽtia dei homines prophani & carnales, qui ſimul atq; audierint Cooperarij dei ſumus: & Labori noſtro debetur merces, Auditis (clamitant) quod firmum adhuc eſt liberum arbitrium, meritum, & quod ex uiribus noſtris aliquid poſſumus, & quod miniſter confert fidem & condonat peccata. Modeſtius obſecro. Scriptum eſt Iſaiæ 10. Væ Aſſyrio, uirga furoris mei & baculus ipſe. In gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia & diripiat prædam, & ponat illum in concul cationem quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbitrabitur & cor eius non ſic expendet: ſed ad conterendum erit cor eius & ad internetionem gentium plurimarum. Dicet eñ, Nunquid nõ principes mei ſinguli reges ſunt? Viſitabo ergo ſuper fructũ magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, et occupaui terminos populorum. Sed nunquid gloriabitur ſecuris cõtra eum qui ſecat in ea? aut magnificabitur ſerra contra eum à quo trahitur? Quod perinde eſſet ac ſi uirga ſeſe eleuaret cõtra eum, qui ipſam fert: & baculus ſeſe extolleret, quaſi lignum non eſſet. In hoc autem teſtimonio habes quod deus omnia agit, & certo ordine perq; media agit. Cæterum hic non uult ut cauſſa ſequunda ſiue inſtrumentum ſiue medium per quod agit, ſibi quicquam eius arroget quod per ſe uirtute & potentia dei fit. Rectiſſime ergo Paulus, Copioſius ego (ait) quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, ſed gratia dei quæ mihi adeſt. Etenim deus eſt, qui operatur in nobis uelle & perficere. Nõ enim ſumus idonei ex nobisipſis cogitare quicquam tanquam ex nobisipſis, ſed omnis idoneitas noſtra ex deo eſt. Gratia ergo ſeruamur per fidem, idq; non ex nobis, dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipſius ſumus figmentum conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona. 1. Cor. 15. Phil. 2. 2. Cor. 3. Ephe. 2. Ita & uis uerbi tota ab eius fide pendet qui audit uerbum dei & ab huius gratia, non à miniſterio & authoritate eius qui prædicat. Nam incremẽtum dei non hominis eſt. Quanquam & hic ſuam authoritatem ex commiſſione dei habet & ſuo loco & ſuo ordine ſtat, ut alibi diſputatur copioſius.

An ſequundis cauſſis quicquã ſit tribuendum.

Vt ſapiens architectus fundamẽtum poſui, alius autem ſuper illud ædificat. Porrò quiſq; uideat quomodo ſuperſtruat. Nam fundamen-

tum aliud nemo poteſt ponere, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.

Alia iam allegoria utitur ſumpta ab architectura. Apertius autem nunc doctrinam ſuam commendat & pſeudapoſtolorum fucum prodit. Ego (inquit) ut bonus architectus fundamentum futuro ieci ædificio: dum autem in alijs eccleſijs idem molior, irrepunt in cœtum ueſtrum doctores alij, qui fundamento iacto ſtructuram inducunt, & eccleſiam colligunt. Hic ego nolim cuiuſquã opus temere iudicare: hoc tamen adiecerim,

Fundamentũ religionis Chriſtus.

Quiſq; quid aut quomodo ſuperſtruat uiderit. Hoc certũ eſt neminem poſſe perfectius aut melius docendi genus, aut certe religionis ueræ certiorem rationem indicare quàm ego uobis tradidi, nempe in Chriſto Ieſu omnes eſſe cœleſtes theſauros reconditos, ſapientiam, uitam, redemptionem, iuſtitiam, & conſummationem abſolutiſſimam. Habemus hic clariſſimis expreſſum uerbis, quod ſit ueræ religionis & ſanctæ eccleſiæ, contra quam ne inferorum portæ præualent, fundamentum, quæ ueræ doctrinæ ſumma, quis ſcopus. A quo aberrant quotquot nitũtur Pontifici Romano & Decretis eius non modo impijs, ſed & ſtultis. Illa uero ex prophetis ſumpta ſunt: maxime ex Iſaiæ 28. cap. Plura in 2. & 4. cap. ad Epheſios.

Quod ſi quis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc, aurum, argẽtum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cuiuſq; opus manifeſtũ fiet.

Superſtruere ſuper fundamentum.

Epanaphora & expoſitio eſt eius quod audiuimus, Quiſq; uideat quomodo ſuperſtruat. Nunc enim genera ſuperſtruendi duo commemorat. Sunt qui eximia quædam ſuperſtruant ſolidaq;, cuiuſmodi ſunt, aurum, argentum & lapides pretioſi. Sunt qui friuola & uilia imponũt fundamento, ut ligna, fœnum ac ſtipulam: cæterum cuiuſq; opus manifeſtabitur quale ſit. Ita perſtat adhuc in cœpta allegoria, iuxta quam Aedificare eſt docere. Opus quod ædificatur eſt eccleſia. Per aurum uero purioris fidei & conſtãtes no

Matth. 13.

tantur homines. Per lignum qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedũt. D. Ambroſius, Tria (inquit) genera poſuit præclara in mundo, in quibus bonam ſignificauit doctrinam. Tria alia genera ſunt, ſed friuola, ut in his corrupta & uana doctrina deſignata dinoſcatur. Atqui ſimplicior eſt ſenſus ſuperior, ut patebit in conſequẽtibus.

Dies enim declarabit, qui in igne reuelatur, & cuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperſtruxit, mercedem accipiet: ſi cuius opus exuſtum fuerit, damnũ patietur, ipſe uero ſaluus fiet, ſed ſic, tanquam per ignem.

Probatio hominum.

Modum iam oſtendit per quem opus cuiuſq; manifeſtatur. Per diem inquam domini, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, id eſt qui per ignem reuelatur. Iam enim ſequitur dilucidior ſententia, quæ iſtam exponat, Et cuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Ergo dies nihil aliud eſt quàm illud tempus quo deus in lucem profert abſcondita. Profert autem per ignem, id eſt per tribulationem, crucem & perſequutionem. Nam prophetæ ex quibus hæc Pauli dictio mutuata eſt, frequenter Diei, & Ignis uocabulo ita utũtur. Quin & ipſe Petrus apoſtolus multus eſt in mentione ignis, per quẽ tamen aliud non intelligit quàm perſequutionem, 1. Pet. 1. & 4. cap. Et Simeon de Chriſto & ueritate eius, Hic (ait) poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum, quin & tuam ipſius animam (apoſtrophe facta ad uirginem matrem) penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Proinde per prædicationem Chriſti reteguntur cogitationes. Huc iam pertinet quod ſequitur, Si nunc ingruat perſequutio, & ipſum opus, id eſt docti ac fideles perſtiterint, laudem meretur is qui opus conſtruxit, atq; ipſum opus ſeruabitur. Hactenus enim probatum eſt quod ſapienter & ſolide ædificarit, & quod ædificium iuſtum ſit. Si

Ezech. 3.

uero ceſſerint nec perdurarint in perſequutione, damnum patietur, id eſt operam & impenſam perdet architectus: cæterum ipſe architectus uerbi præco non fruſtrabitur, modo in ueritate, per crucem probatus, perſiſtat. Hiſce autem omnibus ob oculos ſtatuit periculum quod ex eo oboritur, ſi non ſolide inſtituatur eccleſia, uniq; Chriſto imponatur rupi

tur rupi & petræ immobili: obiter admonens, ut neglectis ceremonijs & humanæ philosophiæ uanissimis inuentis, quibus dementabantur à pseudapostolis, uni Christo fidere discant: qui unus satis munita arx est aduersus omnia imminentia pericula. Huc mire quadrat parabola euangelica apud Matthæum, de sapiente qui domũ suam super firmam petram ædificauit, quæ deinde ad impetum uentorum & procellarũ immota perstitit. Qui uero hoc loco abusi sunt ad Purgatorij ignis defensionem assertionémue, indigni sunt quibus uel uerbo respondeatur. Hac etenim re ita suam prodidere stultitiam & ignorantiam turpem, ut ne sacrilegij quidem crimen omnino effugere possint. *Matth. 7.*

An nescitis quod templum dei estis, & spiritus dei habitat in uobis? Si quis templum dei prophanat, hunc perdet deus. Nam templum dei sanctum est, quod estis uos.

Superioribus recte subiungit minas pseudapostolis intentas, per apostrophen. Meminerat & ædificij, cõmode ergo nũc meminit templi, spiritualis & ueri ædificij. Quod autem cœtum fidelium dicit esse templum dei, præstructio est ad argumentum consequens. Cæterum fideles templum dei uocat, propter spiritum dei habitantem in cordibus fidelium. Argumentũ autem Pauli quo pseudapostolos territat, à pœnis sumptum, & per collationem aptatum tale est, Quandoquidẽ is merito afficitur supplicio qui templum ab homine constructum & dicatum prophanat: certè multo iustiore supplicio is à deo perdendus est, qui falsa doctrina uerum dei templũ ipsum hominem polluit. Sanctum enim est templum, quod sumus nos. Sic repetitur caussa, ut ardẽtior fit oratio. Sanctum autem est quod deo dicatum consecratumq; est. Prophanãt autem pseudapostoli uerum dei templum doctrina falsa: pseudapostolos ergo perditurus est deus. Hæc etiam nostri temporis impostoribus dicta sunt, quos suo tempore merito supplicio afficiet iustus dominus, Matth. 24. & 2. Pet. 2. *Iudicium pseudoprophetarũ.*

Ne quis seipsum fallat. Si quis sibi uidetur sapiens esse inter uos, in sæculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mundi huius, stultitia est apud deum. Scriptum est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Et rursum: Dominus nouit cogitationes sapientium quod sint uanæ.

Consilium nunc præscribit quo possint pseudapostoli uindictam domini subterfugere, simul illorum medicans uitio. Vana illi falsæ sapientiæ seducebãtur opinione. Plus æquo enim sibi placentes, humanæ (ut supra auditum) nitebantur sapientiæ. Suadet ergo ipsis Paulus, desinant esse arrogantes, desinant sibi ita placere, desinant & humanæ, id est stultæ sapientiæ professores esse turgidi, stulteſcãt uerius, id est, φλαυτίαν istam ponant, & sapientiam huius mundi stultitiam esse credant: tum enim fore ut diuinæ ac ueræ sapientiæ possint fieri participes. Addit causſam, Etenim sapientia mundi huius stultitia est apud deũ. Quæ sanè perelegans est sententia, & quæ in corda inscribatur dignissima. Addit & prophetarum testimonia. Prius sumptum est ex Iob cap. 5. & docet quod nulla sapientia sapientem possit eripere ex impendentibus malis, imò dominum sapientium astutia qua illi conantur elabi, uti pro tendicula, ut suo ipsorũ præfocentur laqueo, & suo ipsorum etiam in medio cursu (est enim πράσεδος) capiantur consilio. Quale uidere est in sapientissimo mortalium Achitophel. Rectissime ergo Iob, Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum uelociter dissipat. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Posterius testimonium sumptum ex Psalmo 93. palàm comprobat sapientium mundi cogitationes ac consilia apud deum prorsus esse uana & inefficacia. Elegans & clarus est is prophetæ locus: quocirca consulatur diligentius. Huc uero admodum quadrare opinor illud Augustini quod de se 3. lib. Confess. cap. 5. ad hunc modum prodidit, Itaq; instituí animum intendere in scripturas sanctas, ut uiderem quales essent. Et ecce uideo rem nõ compertam superbis, neq; nudatã pueris, sed incessu humilem, successu excelsam & uelatam mysterijs: & non *Fons dissidiorũ obstruitur.* *Qui ad sacra minus apti.*

eram ego talis, ut intrare in eam possem aut inclinare ceruicem ad eius ingressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam scripturam, sed uisa mihi est indigna quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modicum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Veruntamen illa erat quæ crescere cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu grandis mihi uidebar. Vtinam hæc Augustini diligentius expenderent quidam nostri sæculi sapientes, quibus fastus uitæ plurimum obest, quo minus ad simplicitatem accedant euangelicam.

Itaq; ne quis glorietur in hominibus. Omnia nanq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia inquam uestra sunt, uos autem Christi, Christus uero dei.

Illatio est ad totam istam superiorem disputationem. Quasi dicat, Cum ergo hominum sapiẽtia stultitia sit, & præcones uerbi quantauis etiam eruditione, sanctimonia & eloquentia polleãt, ministri sint, nemo posthac glorietur in hominibus & ministris, sed in domino glorietur qui gloriari uult, 1. Corinth. 1. Tanta est dignitas hominis, ut ipsi deus subdiderit omnia, Psal. 8. Magna ergo stultitia est, si ipse rerum dominus ijs se subiiciat, quibus est præpositus. Siquidem ipsi angeli in ministerium dei & usus humanos sunt conditi: quanto magis apostoli missi sunt, ut ecclesiæ dei sint ministri. Proinde non debent esse in ecclesia studia partium. Omnia subiecta sunt ecclesiæ, mundus, uita, mors, futura, præsentia, breuiter omnia. Ipsa autem Christo subiecta est, Christus dei, hoc est deo coæqualis est. Christo enim subest ecclesia, nõ ut creaturæ, sed deo uero. A Christo ergo nomen habeat, non à ministris. Paraphrastes ista omnia copiosius, interim tamen pressius sic exposuit, Cum unum sitis corpus mutua charitate compactum, nõ est quod aliud alius sibi peculiariter uindicet, cum in commune sint uestra omnia. Siue quid ualet Paulus aut Apollos aut Cephas, beneficio dei in uestrum commodũ ex æquo ualent: siue quid obstrepit mundus, in uestrum cedit bonum: siue nobis obtingit uita, uobis doctrina confirmandis uiuimus: siue mors ingeritur, uobis exẽplo roborandis morimur: siue occurrunt præsentia, neglectim utendum est momentaneis: siue futura, ad hæc magno animo connitendum, quæ licet non cernatis oculis corporis, tamen oculis fidei cernitis. Facessant igitur partium ac factionum uocabula, cum per unicum authorẽ omnia ex æquo uestra sint. Hactenus Paraphr. Quod si quis simpliciter intelligere malit omnia homini esse subdita, quæ hic per certam recensuerit enumerationẽ, non admodũ peccauit. Hoc interim ex hoc loco certissime constat, Primatũ Romani Pontificis, & diuorum cultum non à spiritu sancto esse relata inter dogmata ecclesiastica, sed hominum industria, partim ex superstitione, partim ex auaritia ecclesiæ dei esse obtrusa.

CAP. IIII. Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur.

Apostoli dispensatores mysteriorum dei.

Occupat nunc quod obijci potuerat, Si igitur sic habet negotium, an ne prorsus contemnendi estis? Respondet, Nequaquã, sed sic nos æstimet homo, non ut authores, deos aut dominos, sed ut ministros Christi. Deinde hoc ministeriũ exponẽs addit, Et dispensatores mysteriorũ dei. Cæterum per mysteria aliud nihil intellexit q̃ euangelium Christi. Id quod liquet ex ult. cap. ad Romanos, & ad Ephes. 3. Inuenit hic superioribus annis mitratus quidam aposcopus occasionem egregiam, qua simplicioribus alioqui imponere tentabat. Cõmentabatur egregius ille nugo, corpus Christi in Missa per ecclesiam aut ministrum sacrificũ offerri in mysterijs: Idq; significatũ esse ab Apostolo dicẽte, Sic nos æstimet homo, ut dispensatores mysteriorũ dei. En amice Lector, q̃ istos nullius pudeat sceleris sacrilegiue. Comminiscuntur, mentiuntur, & scripturas quasq; uitiant, duntaxat ut Comũ suum asserant. Iam quia œconomię siue dispensationis meminerat, subijcit, Cæterum in dispensatoribus nihil perinde requiritur, atq; ut fidi reperiantur.

Propterea

Propterea autem fides tam diligẽter exigitur à diſpenſatoribus ne illa quæ domini ſunt ſua faciant, & ut ſingula fideliter diſpenſent. Equidem crediderim Apoſtolũ hæc ex uerbis mutuaſſe dominicis, quæ recenſentur in euangelica hiſtoria apud Lucam in cap. 12. Quis nam eſt fidelis diſpenſator, &c. Tam neceſſaria autem eſt fidelitas, ut ſine hac nulla ſit quantumuis præclara eruditio, & prudentia. D. Ambroſius, Hoc (inquit) quod dicit, non ſolum ad pſeudapoſtolorum perſonam pertinet, ſed ad reliquorum, qui accepta diſpenſatione, aut uerecundia, aut timore, aut certe commẽdationis ſuæ cauſſa, conſtanter arguere trepidabant aut malos ſenſus, aut mores. Hic enim tam conſtans erat, ut nec uitæ ſuæ parceret, dummodo fideliter omnia celebraret. Hæc Ambroſius. Proinde qui ſcelera non protrahunt & corripiunt, qui ſceleratis turpiter adulantur, qui pro diuinis humana docent, qui prædicandi munere ad faſtum & quæſtum abutuntur, & ſe ſuamq; non Chriſti gloriam quærunt, male fidei diſpenſatores ſunt. *Fidelitas in doctore.*

Mihi uero pro minimo eſt, ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, imò nec meipſum dijudico. Nullius enim mihi conſcius ſum, ſed non per hoc iuſtificatus ſum.

Pſeudapoſtoli Paulum infidelitatis notabant, ſe uero eximiæ fidei dicebant eſſe cultores. Reſpondet autem Paulus, Tametſi illi me infidelitatis accuſent, iſtam tamen calumniam non admodum æſtimarim, imò ne ullam quidem huius generis delationem curauerim. Siquidem cauſſæ plurimum fido, nec meipſum damno. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, id eſt, nullius (ſcilicet infidelitatis aut perfidiæ) mihijpſi conſcius ſum. Non quod ita me ab omni crimine abſoluam. Quis enim uiuit mortaliũ innocens? Diſcamus hinc innocentiæ ſtudere. Nam propheta Pſal. 111. Iuſtus (inquit) in perpetuum immotus manet, iuſti memoria in æternum durat. A rumoribus malis nihil timet, firmum enim eſt cor eius fide in dominum, &c. At de improbis nota ſunt uulgo iactata Diuerbia, Virum improbum uel mus mordeat, Impium uel arboris folium terruerit. Diſcamus & humilitatem. Licet enim à quibuſdã liberi ſimus flagitijs, ſumus tamen alijs atq; alijs immerſi. Nemo enim dicere poteſt, Innocens ego. Et propheta, Delicta (ait) quis intelligit? ab occultis munda me. Recte ergo dicitur, Soli deo gloria, nobis autem confuſio. Quod inſolitum loquendi genus attinet, ſic accipe. Mihi pro minimo eſt, ut à uobis dijudicer: dixit pro eo quod eſt, Haud magni æſtimarim, quod à uobis quibuſdã deferor. Addit, Aut ab humano die, id eſt, non uereor ullum humanum iudicium. Per diem enim intellexit iudicium, eleganti figura, quam Metalepſim dicunt. Reis enim dicitur dies. Germanice felicius expreſſerimus iſtam ſententiam, *Ich achtens klein das ich von üch vßgericht, oder menſchlicher wyß an tag herfür zogen wird.* *Innocentia.*

Cæterum qui me iudicat, dominus eſt. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis, donec uenerit dominus, qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarũ, & patefaciet cõſilia cordium, at tunc laus erit unicuiq; à deo.

Quod ſi quid eſt (inquit) in quo pecco aliâs, non eſt quod aduerſarijs meis reſpondeam. Habeo enim qui ea in re iudicet, dominum. Iam per apoſtrophen conuertitur ad aduerſarios, & ſubijcit generale dogma. Proinde ne ante tempus quicq̃ iudicetis. Conſonat autem hæc ſententia cum illa euangelica, Nolite iudicare, ut non iudicemini. Sed dixerit aliquis, Quando uero aderit illud tempus? Quando uenerit dñs, qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, &c. Ex quibus intelligimus quod occulta ante tempus non ſint iudicanda. Quis uero non corripiat ſcelera & impudentia flagitia? Etenim ſunt qui huius loci & ſimiliũ præſidio fulti audent corripientibus ſe propter ſcelera, opponere, Nolite iudicare. Sed de his plura alibi. Similis penè locus eſt ad Rom. 2. & 14. cap. *Occulta non iudicãda ante tempus.*

Hæc autem fratres per figuram tranſtuli in meipſum, & in Apollo, propter uos, ut in nobis diſceretis, ne quis ſupra id quod ſcriptũ eſt, de ſe ſentiat, ut ne hic illius, ille huius nomĩe inflemini, alius aduerſus aliũ,

Clauis qua aperiuntur superiora.

Clausula est exegetica. Hisce enim paucissimis uerbis & institutũ, & scopum, & summam omnium quæ hactenus à 1. cap. differuit, planis uerbis exponit, simul & illud declarans cur hactenus omnia sub suo & Apollo nomine proposuerit. Id autem effert eleganti uerbo μετεσχημάτισα, id est transfiguraui, hoc est, aliorum personam (ut ait Erasmus) in nos duos transtuli, & sub persona nostra de malis dispensatoribus loquuti sumus ne quos offenderemus. Nam apostoli non erant factionum occasio, sed pseudapostoli. Diuus Ambrosius, Summatim (inquit) pseudapostolos designauit nõ figillatim, ne forte maior discordia in populo nasceretur. Nemo enim audiens nomen suum taxari, aut eius cui fauet, contentus est tacere. Tacito autem nomine si quis audiens, & si de se dictum intelligat, dictum dissimulat. Sub hac ergo propositione euacuauit personas illorum, &c. Quorsum uero pertinent hæc omnia? Primum, ut quisq; suo se metiatur pede, intraq; suam se contineat cutem, & ne quis supra id quod scriptũ est (nempe quod præcones uerbi ministri sint, non domini) de se sentiat. Deinde, ut cõcordes in simplicitate euangelica pergatis uni adhærere Christo, neq; hic illius, ille huius nomine inflemini alius aduersus alium. Vide iam amice Lector quàm falsum sit quod quidam dicunt scripturas esse scopas dissolutas. Ipse enim uides quod Paulo nostro nullum argumentum, nulla sententia, nulla periodus, imò ne uerbum quidem ullum temere excidat. Omnia probe cohærẽt, ac ad certum relata sunt singula scopum. Omnia ergo sunt docta, exquisita & firmissima, interim uero uera, inaffectata & simpliciter citra omnem fucũ & ostentationem proposita.

Dictio Pauli nõ temeraria.

Quis enim te dijudicat? Quid autẽ habes quod nõ accepisti? Quòd si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Aduersus schismaticos.

Absolutis his, laxis iam habenis in Corinthiorum falsos doctores inuehitur. Rectissime autem Scholiastes, Διακρίνειν hic pro separare, hoc est eximium facere exponi puto: ut sit sensus, Quis te docet, ut te ab alijs separes aut te alijs præferas? Esto sanè ut uel eloquentia uel sanctimonia superes cæteros, an propterea istis donis ad schisma abutẽdum erat? An non omnia quæ præclara, iusta & bona sunt, dona dei sunt? Id si agnoscis quid caussæ est, quod eloquentiam & huic simileis dotes ita iactitas, tibiq; uenditas quasi non acceperis, sed proprio praueris labore? De hac uana gloriatione dictum est in 3. cap. ex Isaiæ authoritate. Equidem cognouisse eloquentiam, eruditionem, linguarum cognitionem, & quicquid est spiritualium donorum, ex gratia esse dei, qui ista in ædificationem ecclesiæ impartiatur mortalibus, efficacissimum est aduersus arrogantiam & factiones in ecclesia pharmacum. Vtinam multis hæc contingat cognitio, ne ecclesia Christi quorundam ambitione periclitetur iugiter. Potest & hæc ipsa sententia Meriti assertoribus obtrudi. Esto enim mereatur quippiam fidelis: sed quid iste habet quod non accepit? Si uero accepit, quid de merito refert? Gratia est quod uiuimus, quod deum diligimus, & in timore eius ambulamus. Quid ergo perpetuo super merito digladiamur?

Iam saturati estis, iam ditati estis, absq; nobis regnũ adepti estis, atq; utinam adepti sitis, ut & nos simul uobiscum regnemus.

Ironia.

Quemadmodũ superior apostrophe peculiariter pertinet ad pseudapostolos: ita hæc ad seductos Corinthios. Aptatur autem per Ironiam, qua illos dicimus felicitatem consequutos qui minime consequuti sunt. Agnoscit hunc sensum & D. Ambrosius dicẽs, Ironia est. Irascentis enim uerba sunt, non confirmantis. In quibus enim tanta uitia arguit, regnare illos dicit. Sic enim putabant, gloriantes de his quæ à pseudapostolis tradebantur. Germanus diceret, *Ich sich wol das jr rych vnd voll sind, vnd minen nüt mee bedörffend.* Sed iam sequitur μετάνοια, quæ exponit Ironiam, Atq; utinã adepti sitis, *aber es ist jm noch ferr.* Increpat ergo stultitiã & ingratitudinem in Corinthijs, qui solida ueritate (ut uel hodie ignauum uulgus solet) neglecta, fideliq; doctore fastidito, impostores & officiosa mendacia uenerabantur, putantes se ad summum perfectionis eluctasse fastigiũ, cum re uera in conuexum depressi, misere egerent atq; esurirent. Tale utiq; est stupidum uulgi iudicium.

cium. Non enim ueritate permouetur, sed magis consuetudine, hypocrisi, impostura, rebus nouis & apparatu ducitur.

Arbitror enim quòd deus nos, qui sumus apostoli postremi, ostenderit tanquam morti addictos. Quoniã spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes per Christũ: nos imbecilles, uos autem ualidi: uos clari, nos contempti. Ad hoc usq; tempus et esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operantes propriis manibus: male audientes, benedicimus: persequutionem patientes, sustinemus: conuiciis affecti, obsecramus: ueluti excrementa mundi facti sumus omnium reiectamentũ ad hunc usq; diem.

Periculosa functio episcoporum.

Dixerat, Atq; utinam adepti fitis, ut & nos simul uobiscum regnemus, id est, ut tranquilli & securi essemus: nunc ergo contrarium opponit. Quasi dicat, Equidem mirum est si apostolis uestris (redit enim ad istos) tam incruẽta & felix esse potest euangelij prædicatio. Hoc enim certum est, quod illud nunquam potuerim, nisi maximis periculis oppressus, prædicare. Quis enim nescit quod Obsequium amicos, ueritas odium parit? Ergo si hæc functio securitate & felicitate temporaria est metienda, ego nihil aliud cogitare possum, quàm me unà cum meis symmistis omnium esse postremos, id est, calamitosissimos, utpote quibus nihil contigit unquam, nisi maximis laboribus & ærumnis exantlatum. Paraphrastes, Illis opes & sapientiæ titulus (inquit) authoritatem apud uos conciliat, nos opinor omnium postremos Christus ad apostolicum munus acciuit, ut supplicijs ac mortibus obijceret, similes ijs qui ob maleficia sua bestijs obijciuntur, quo plebi spectaculo sint. In quod prætorium non sumus pertracti? quis est carcer non conscius afflictionis nostræ? quod forũ est in quo non simus publico ludibrio affecti? adeò ut spectaculo fuerimus non solum huic mundo, qui Christum damnat, non solum hominibus qui terrena sapiunt, uerumetiam ipsis dæmonibus qui nostris malis oblectantur, &c. Audiemus autem & in 6. capite angelos poni pro dæmonijs. His iam euidentiæ caussa antithesim adiungit, quæ non omnino Ironia caret. Se enim cõmittit pseudapostolis, ita ministerium uerbi & sese Corinthijs commendans, pseudapostolos uero condemnans. Nos (inquit) stulti reputamur, propter stultam crucis prædicationẽ, quodq; nescimus præcelsa, hoc est, ementita mysteria & sæcularem sapientiam. Illi uero prudentes esse creduntur, idq; eius rei gratia, quod infirma Christi contemnunt & probabiliora quædam ex humana sapientia fingũt. Nos infirmi, utpote qui per infirmitatem cum tremore, nullo freti humano præsidio, prædicauerimus inter uos. Illi uero fortes, quod brachio carneo fidentes, sic profitebantur (ut ait Ambrosius) Christum, ne offenderent homines, sed essent securi. Hinc etiam fit, ut nos simus ἄτιμοι, id est infames, obscuri & contempti: illi uero ἔνδοξοι, id est clari, laudati & in maximo pretio habiti. Nam uulgus illos odit qui aduersa suis prædicant affectibus. Illos uero reueretur & laudibus extollit, imò & beneficijs adobruit, qui turpiter adulantur, & rebus nihili uulneribus lætalibus medicantur. Insuper addit, Ad hunc usq; diem adeo non regnamus, ut sæpe desit quod edamus aut bibamus, sæpe quo uestiamur, tantum abest, ut opes collegerimus ex euangelio. Adhuc ἀστατοῦμεν, id est non habemus certam sedem, quod extremæ tenuitatis est, nec ædiculas esse proprias in quibus hoc cõmodius feras pauperiem, quod tectius. Adhuc colaphis cædimur. Libere enim & iuxta fidem ueram (ut ait Ambrosius) sine aliqua adulatione Christum prædicantes, & gesta prauæ uitæ arguentes gratiam apud homines non habemus, sed colaphis cædimur, id est iniurijs afficimur. Adeò non expilamus quenquam, ut opificio manuario uictum nobis paremus. Adeò non aucupamur humanam laudem, ut deuouentibus nos bene precemur, ut pro cõuicijs quibus afficimur assidue benedicta rependamus. Adeò non opprimimus quenquam, ut persequutorum sæuitiã taciti perpetiamur. Quid multis opus? nos ad hunc usq; diem facti sumus omnium

περικάθαρμα, καὶ περίψημα, id est excrementum & reiectamentum. Nam περικάθαρμα lustramenta siue purgamenta exponit Ambrosius, Theophylactus sordes, quæ ex re aliqua immunda & lurida tergitur & repurgatur. περίψημα autem scobem aut ramentũ, & quicquid limando deteritur, exponit Budæus. Alij soleæ suppactum corium, alij puluerem quẽ calcamus, interpretantur. Videtur omnino (inquit Erasmus) peripsema apud Græcos quiddam esse tale, quale apud nos est nauci quisquiliæ & sterquilinium. Addit Suidas ita uocari solere hominem iugibus obnoxium malis. Atq; utinam ista diligentius excuterent quidam titulotenus episcopi, quos uidelicet titulus pensio pedum & mitra episcopos facit. Quod si uel isti hæc expendant qui hodie propter docendi functionem ueri uolunt uideri episcopi ac pastores, habebunt quo suffundãtur rubore. Illos autem puto qui uel impatientius ferunt si tardius soluatur (debitum quidem) stipendium, aut si à prophanis durius excepti, aut à pñs non satis honorifice (ut aiunt) sint habiti, uel qui in aulis principum agentes, uel in opulentis aliâs urbibus, splendide admodum uictitant, serico & ostro Damascenáue toga amicti, auro uel argento idq; genus alijs corruptorum & luxu perditorum hominum ornamentis aut delicijs compti deditiq; sunt. Hi uerbo quidem & doctrina cœlestia profitẽtur, at uita se terrena curare testantur. Fateor sanè & apostolos non semper persequutionibus fuisse iactatos, sed nonnunquam apud homines pios summo in pretio habitos, & delicatiore (ut sic dicam) uita usos. Fateor & prophetarũ principes Isaiam, Nathan, Ieremiam & alios prophetas, qui ab ipso Christo nobis apud Matthæum in quinto, exemplo statuuntur, apud reges uixisse felices: sed omnia apud ipsos fuere humiliora, frugaliora & moderatiora, quàm apud nos sint: sed & laboribus deprimebantur perpetuis: præterea & rerum uices uertebantur. Nam qui apud Ezechiã summo in honore habitus erat Isaias, ab Manasse summa cum ignominia dissecabatur: & quem Iosias in summũ extulerat Ieremiam, eum in profundum luti demergit Zedechias. Meminerimus ergo uicissitudinis rerum, ô fratres, & simus temperantes atq; constantes. Si pacem & felicia nobis largitur tempora dominus, si reges & magistratus bonos piosq; ordinarit, si isti in nos fuerint munifici, si ueritatem & uerbi ministros defenderint, ne abutamur beneficijs dei, ne efferamur obsecro, ne luxu & otio turpiter degeneremus: sed gratias agamus, ad pugnam præparemur futuram, studeamus innocentię, incumbamus precibus & literis sacris, ne persequutionis procella de repente ingruens ignauos nos in abnegationis perfidiæq; demergat tartarum: sed redimus ad Apostolum.

In episcopos nostrorum temporum.

Non quo uos pudore suffundam hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo. Nam etiam si innumeros pædagogos habeatis in Christo, non multos tamen habetis patres. Siquidem in Christo Iesu per Euangelium uos genui. Adhortor itaq; uos, ut imitatores mei sitis.

Doctor sit populi pater.

Correctio est & lenimen. Quasi dicat, Neq; enim uel uituperandi uos gratia uel confundendi hæc dixerim, sed admonendi, nempe ut desertis impostoribus, mihi, hoc est meæ doctrinæ adhæreatis. Illi sua quærũt, ego gloriari possum me esse patrem uestrum, uos filios meos. Hic autem obiter inserit uenustam collationem amplificandi gratia, Licet decem mille, id est innumeros habeatis pædagogos, paucos tamen habetis patres. Licet pseudapostoli tyrannidem & magisterium sibi in uos usurpent: affectu tamen paterno carent: in quo istos longe supero. Caussa, siquidem in Christo Iesu, id est, ad ueram pietatem genui uos per euangelij prædicationem. His addit illationem, Adhortor uos ut imitatores mei sitis. Ex quibus principio discimus doctorem non esse uerum doctorem, nisi affectu paterno sit erga discipulos. Magisteriũ quisq; in ecclesia sibi sumere potest: cæterum nõ omnium est paterno agere affectu. Deinde discimus ecclesiam nasci ex uerbo ueritatis: ut nunc uani sint qui ecclesiæ authoritatem præiudicare credunt uerbo ueritatis, id est scripturæ. Ecclesia enim non est domina scripturæ, sed scripturæ se subijcit, & omnia sua ad istarum præscriptum agit.

Mater ne prior an filia? Ouum an gallina?

Hac de causa misi uobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis

fidelis in domino, qui uobis in memoriam reducet uias meas, quæ sunt in Christo, quemadmodum ubiq; in omni ecclesia doceo.

Quia plurimos habetis pædagogos & paucissimos patres, misi ad uos Timotheum ut uosipsos uobis restituat: nempe ut in memoriam reducat uias meas in Christo, hoc est, modum & rationem docendi Christū & religionem, nec aliam q̄ eam, qua in omnibus ecclesijs instituendis utor. Præmittit autem eximiam Timothei laudem, quod filius fit: de quo ad Philip. 2. & quod fidelis sit, de quo dictum in principio cap. Cęterum hisce paucissimis uerbis complurima insunt egregia dogmata, nempe quod seductis ecclesijs non modo subueniendum sit consilijs ac hortatorijs epistolis: sed etiam pijs & fidelibus legatis, qui mysteria euangelij probe calleant & simplicitati studeant. Deinde quod doctrina ueritatis in certas est leges restricta. Nihil em̄ noui aut alieni ab eo qd̄ semel & ab initio tradiderat Corinthijs, per Timotheū iā nuntiat, Sed ille uobis (ait) ἀναμνήσει in memoriam reducet uias meas. Nam & in Euangelio legimus de doctrina sancti spiritus dixisse dominū, Paracletus ille quē pater meus mittet uobis in nomine meo, docebit uos omnia, & (iam addit expositionem) ὑπομνήσει, id est suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Præterea consequitur ex hoc loco quod doctrina ueritatis & apostolica semper & ubiq; sui similis est. Nam dicit, Quemadmodum ubiq; in omni ecclesia doceo. Ista uero dilucide retegunt atq; conuincunt stultas ac superuacaneas esse immēsas illas atq; uarias hominum traditiones, quibus qui fidunt deo diffidunt.

Doctoris laus facit ad cōmendationem doctrinæ.

Doctrina ueritatis certa et sui similis.

Perinde quasi non sim uenturus ad uos, inflati sunt quidam. Sed ueniam breui ad uos, si dominus uoluerit, & cognoscam non sermonem istorum qui inflati sunt, sed uirtutem. Non enim in sermone regnum est dei, sed in uirtute.

Quia uero miserat Timotheum ipse non uenerat, calumniabantur Pseudapostoli, Si pater erat, cur ipse filios non inuisit? nimirum quod de Corinthijs desperauit. Sed falluntur isti. Nam propediem adero si dominus permiserit. Scio equidē quàm isti doctores uestri arrogantes & inflati sint: sed cognoscam aliquando quid possint. Non autem loquentiam seu dicacitatem istorum morabor, uirtutē exigam. Opponit autem sermoni uirtutem. Est ergo uirtus ipsa res, iustitia scilicet, innocētia, fides. Additur elegans sententia: Non enim in sermone regnum dei est, sed in uirtute. Similis sententia sed tamen dilucidior extat & in Roma. 14. Proinde hypocritæ sunt qui diserte quidem de Christo & euangelio differunt, uita autem ac moribus ab impijs nihil differunt.

Arrogantia.

Quid uultis? Cum uirga uenio ad uos, an cum charitate, & spiritu lenitatis?

Parat iam aditum ad sequētem caussam, & alludit ad superiorem allegoriam patris & filiorum. Habet autem oratio uehemētiam. Patres sanè intractabiles filios cohercent uirga, tractabiliores frugi & bonæ spei liberos mansuetudine ducunt. Ita & pastori cuiuis agendum cum grege sibi commisso: ut bonos spiritu mansuetudinis ducat, rebelles acriter uerbo ueritatis castiget. Nimia licentia plerunq; deteriores sumus. At nimia seueritas pluribus nocuit quàm profuit. Oportet ergo seruum dei prudentem esse, qui recte secet sermonem ueritatis. Tam enim peccat qui seueritate abutitur, quàm qui lenitate impudentiam ac proteruiam fouet.

Lenitas et seueritas doctoris.

DE SCELERVM ET FLAGITIOSORVM CASTIGATIONE.

Cohærent hæc cum superioribus. Nam speciali argumento pseudapostolos infidelitatis conuincit, ut qui splendide quidem commententur de religione, summam constituentes in loquentia & apparatu sæculari, interim uero flagitia quæq; finant succrescere, quæ tamen in primis oportebat esse profligata. Discemus ergo nos quæ scelera in ecclesia sint punienda & quatenus.

Omnino auditur inter uos stuprum, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur, ut aliquis uxorem patris habeat. CAP. V.

Quæ plectanda sunt manifesta sint.

Principio planis uerbis conuincit istos sceleris, dicens, Omnino auditur inter uos stuprum, id est, notius est flagitium quàm ut à quoquam uestrum negari possit. Deinde amplificat scelus per collationem, Et huiusmodi stuprum, quod nec inter Gentes nominatur, nempe ut quis uxorem patris habeat. Turpissimum autem est istud designare Christo dicatum hominem, à quo abhorret mens prophana. Abhorruisse uero Gentes à nouercarum connubio passim & historici & poëtæ eorum testantur. Lex diuina sic præcipit: Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies. Turpitudo enim patris tui est. Et iterum, Qui dormierit cum nouerca sua, reuelauit ignominiã patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. Cæterũ Paulus rem fœdam honeste eloquitur. Nam habendi uerbum posuit pro commiscẽdi. Discimus autem ea demum scelera esse plectenda in ecclesia, quæ publica iam facta ipsam dei ecclesiam offendunt. De occultis aut dubijs aut non probatis, non iudicat ecclesia. Tria quidem sunt scelerum & delictorum genera. Primo laborant qui pertinaces ultro in religionis ueræ, bonarumq; legum euersionem manifeste tendunt, qui blasphemiæ in deum, uel maleficij (ut uocant) conuicti sunt, uel reliquum corpus contagione ita inficiunt, ut his saluis illud subsistere saluum nequeat. Hos uero ipse dominus non modo punire, sed prorsus excindere, & gladio & igne è uiuis protinus tollere præcepit. Secundi generis sunt ea scelera, quæ lætalia quidem, hoc est morte mulctanda non sunt, attamen enormia sunt, utpote quæ nõ modo ipsum deturpant authorem, sed & bonis quibusq; offendiculo sunt, cuiusmodi est scortatio, ebrietas, inuidia, detractio, calumnia, mẽdacium, & id genus alia. Hæc ita sunt punienda in authoribus, ut & ipsi resipiscant, & se male egisse sentiãt, deniq; optimi quique à scandalo liberentur. Scandalũ autem recte uocarunt alij offensionem coniunctam cum contemptu: alij quicquid occasio lapsus existit. Cæterum hoc puniendi genus alij excommunicationem, alij censuram, alij disciplinam uel supplicium, uel mulctam ecclesiasticam uocarunt. In tertio genere sunt delicta quotidiana, grauia quidem illa, si ex affectibus nostris æstimentur, at ecclesiam interim non offendunt, utpote ea quæ inter fratres quotidie designantur per infirmitatem carnis, cuiusmodi sunt offensæ, iurgia, errores. De quibus Petro dominum rogante, quoties fratri condonaret offensam, num usq; septies? respondit, Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies. Et hactenus de scelerum & delictorum generibus, deq; eo, quod ecclesia sua, hoc est ecclesiastica censura in eos tantum animaduertit, qui flagitijs suis ecclesiam palàm offendũt. Ex omnibus autem illud primo colliquescit, quod Pontificij ecclesiastica censura abusi sunt, utpote qui in priuatis confessionibus peccata offendentia ecclesiam, & quæ maxime excommunicata oportebat, ære iusserunt redimere: excommunicationis uero gladium in ueræ doctrinæ assertores & Romanensium impostturarum impugnatores (ubi non conueniebat) strinxere: adde quod propter debita (id quod turpius est) pecuniãq; negligentius pro ementitis instrumentis & meris impostturis, numeratam, excommunicarunt. Proh impudentiam. Deinde proditur hoc loco istorum præpostera lenitas, qui subinde condonationem inculcant. Videmus enim hoc loco quædam esse delicta quæ condonationem mereantur, quædam quæ correctionem, quædã uero quæ nulla prorsus uenia sint digna. Porrò sancti cum iudicio & moderamine singula administrant, gnaros prudentesq; medicos imitantes, qui pro morborum ratione medicamina scite attemperant, nec facile membrum resecant, nisi omni spe salutis adempta, si & ipsum membrum morbidum non modo perierit, sed & proxima quoq; inficere cœperit. Sed hæc hactenus.

Scelerũ & delictorũ genera.

Fiunt & illa lætalia aliquando. Scandalum.

Abusus excommunicationis.

Et uos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur de medio uestrum, qui facinus hoc perpetrasset.

In Doctores nimium sceleratis propitios.

Posteaquam indignitatem turpitudinemq; sceleris accusauit, apostrophe in Corinthios inuehitur ex abrupto. Genium orationis probe expressit paraphrasi Scholiastes ad hunc modum, Cum hæc ita sint, quis iam non uideat quantum adhuc à studio ueræ pietatis absitis? cum scilicet tantũ scelus non eijcitis. Vbi est fides & zelus doctorũ uestrorum? An non intelligitis uerum esse quod supra dixi, inflatos eos esse & turgidos, quum

dicacitati

dicacitati tantum ſtudeant non uitæ innocentiæ. Hactenus ille. Certè Moſes, Samuel, Ieremias & prophetæ reliqui plangebãt & lugebant lapſus & peccata populi, quin & acerbiſſime incuſabant, ſi quid impudentius deſignatum eſſet. Proinde epiſcoporum & doctorum nomine indigni ſunt, qui multa de pietate garriunt, myſteria quædam rimãtur, ſpiritualia, hoc eſt metaphyſica & capitis ſui ſpeculationes intricatas apud eccleſias neglecta ſimplicitate euangelica effutiunt, imò magna grauitate depromunt, interim uero ad turpiſſima flagitia conniuent. D. Ambroſius hoc loco annotauit quod paſtoribus diligentibus aliâs & pijs, attamen malitia hominum & iniuria temporum remiſſioribus, & iccirco anxia laborantibus conſcientia, utile futurum credidit: eſt autem huiuſmodi, Illi ſanè participes erant, dum paterentur reum tanti facinoris ſecum incorreptum conuenire, ut omnes uno conſilio abijcerent eum ſi negaret emendare ſe. Si autem quis poteſtatem non habet, quem ſcit reum, abijcere, aut probare non ualet, immunis eſt, & iudicis non eſt ſine accuſatore damnare. Quia & dominus Iudam, cum fur eſſet, ſciebat, ſed quia non eſt accuſatus minime abiecit. Hæc Ambroſius. Nolim tamen quiſquam ſibi blandiatur aut aliud prætexat cum puſillanimitate laboret. Serui dei ſumus, huius in nos uitæ necisq; poteſtas. Omnes capilli capitis noſtri numerati ſunt, nec cadit in terram paſſerculus ſine patre cœleſti. Age ergo fortes ſimus per potentiam roboris illius, nihil diſſimulemus, increpemus ſcelera, opponamus nos ſceleratis, fortiter pugnantes gladio ſpiritus. Pulchrum eſt in hac pugna conſtanter oppetere. Quod ſi parum aut nihil profi cias, certè animam tuam liberaſti. Conſule prophetiam Ezechielis cap. 2. & 3.

Nam ego quidem, ut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam decreui tanquam præſens, ut is qui ſic hoc patrauit, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, cõgregatis uobis & meo ſpiritu, unà cum poteſtate domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatur ſatanæ ad interitum carnis, quo ſpiritus ſaluus ſit in die domini Ieſu.

Iam uero ipſe quid facto opus ſit diſerte indicat. Quaſi dicat, Quando ergo nemo ueſtrum audet tantum corripere flagitiũ, uolo ut mea authoritate, imò non meo, ſed Chriſti nomine, non modo ab uno atq; altero, ſed omnibus uobis, quo minus ipſa cauſſa inuidiæ habeat, ſceleratus iſte tradatur ſatanæ. Hæc omnium quidem ſumma eſt, ſed ſingula uerba ſingula quaſi myſteria habent. Siquidẽ ex ijs facile cõijcere poſſumus quàm ſit formidandum eccleſiæ ſupplicium, utpote quod à tanta infertur poteſtate. Maxima enim uerborum grauitate, Iam (inquit) decreui, ut is qui ſic hoc patrauit, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, cõgregatis uobis & meo ſpiritu, unà cum poteſtate domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatur ſatanæ. Proinde mulcta hæc eccleſiaſtica non irrogatur flagitioſis de humana præſumptione, ſed potentia & authoritate dei, qui apud Matthæum dixit, Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo. Non quod damnatio cuiuſquam ab humano pendeat iudicio, ſed quod illud ſupplicij quicquid tandem eſt diuino iure ſumatur à ſceleratis. Recte enim Scholiaſtes cenſuit Chriſtum eò loci argumento à comparatis, nempe ui & tenore legis clauium approbare quod iuſte poſſit abijci frater præfractus & eccleſiam offendens. Ex quibus omnibus illud etiam diſcimus, eos qui gladio uruntur eccleſiaſtico, nullo humano affectu oportere duci, ſed ad gloriæ dei & fratrum utilitatem, adq; morum integritatẽ & honeſtatem in eccleſia omnia dirigere. Cæterum uideo contrauerſum inter quoſdam noſtri æui homines, apud quem ſit puniendi poteſtas, alijs eam toti eccleſiæ, alijs uero delectis ad hoc uiris tribuentibus. Equidem non uideo quid peccent qui delectis in hoc uiris illam committunt. Certè nihil contra uerbum domini peccant. Sed iſti, Si uos non audierit (obijciunt) dicite eccleſiæ: atqui delecti uiri non ſunt eccleſia. Cæterum non uident hi Chriſtum ut & Paulum hoc in loco ſynecdocha eſſe uſum. Paulus enim Conuocatis uobis (inquit) & meo ſpiritu. Et in poſteriori epiſtola 2. capite, Sufficit (ait) iſtiuſmodi homini increpatio hæc quæ facta eſt ὑπὸ τῶν πλειόνων à pluribus. Quod ſi uerbis domini hæſerint expectabimus dum illi conuocarint eccleſiã. Sed de particulari (inquiunt) loquimur eccleſia. Proinde uicimus nos,

Formidandũ eccleſiæ ſupplicium.

Si nõ reſipiſcit, certum de ſe argumentum præbet, quod nõ ſit de numero filiorum dei.

Cuius ſit puniendi poteſtas.

qui Christum synekdocha usum esse asserimus. Fatemur equidem hanc potestatem ecclesiæ datam: sed sanctorum uirorum cœtum, uocamus ecclesiam. Statim enim in illis ipsis domini uerbis sequitur: Vbi duo uel tres in nomine meo congregati fuerint, ero in medio illorum. Ideo si Christus disciplinam ecclesiasticam particulari commisit ecclesiæ (ut illi ipsi fatentur) & duo aut tres, & multo magis octo uel duodecim conficiant ecclesiam particularem: quid uetat quod Christus non item delectis commiserit uiris, nomini Christi initiatis? Quid quod integrior & maior erit penes delectos pios q̃ uiros disciplinæ ecclesiasticæ authoritas, quàm apud promiscuam plebem, quæ ut iudicio caret, sic affectibus plerunq; ducitur? Neq; uero omnes sumus uere Christiani qui dicimur & in ecclesia Christi recensemur, atq; in hac ferimus suffragia. Sunt enim Iudæ, Ananiæ & falsi fratres permulti. Iam quid oro apud hos agas calculorum suffragijs? quid inquam apud eos agas, quos idem morbus tenet, quem tu cupias extinctum? Si ergo nũc de eius qui peccauit exclusione aut mulcta in promiscua ecclesiæ turba consistens quæras, uerebitur hic ne eodem præfocetur laqueo, quo nunc istius accusati contumaciam comprimit, pulchre ergo dissimulabit appellabitq; misericordiam. Ille uero tumultu excitato (Samariæ ad exemplum) conuicijs ac uaframentis ecclesiam infecta re dissoluet. Videmus enim quod res nostræ in deteriora quotidie inclinent. Nec facile dici potest quàm nostri dissimiles (licet maxime pij simus) tum fiamus, cum aut ipsi propter scelera nostra protrahimur, aut nostrates in ordinem coguntur. Huc facit quod Exodi 12. legimus dominum præcepisse Mosi & Aaron, Loquimini ad uniuersum cœtum filiorum Israël. Et paulò post, ubi domini mandatum dicit esse impletum, Vocauit (inquit) Moses omnes seniores filiorum Israël. Vnde liquido claret & ecclesiam nõ impie usurpari pro certa hominum sanctorum turba. Patrocinatur istis quidem nostris uetustissimus ille & longe eruditissimus Tertullianus, qui in Apologet. aduersus Gentes capite 39. de Christiana disciplina faciens uerba, Coimus (ait) ad diuinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere. Certè fidem sanctis uocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinã præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de conspectu dei, summumq; futuri iudicij præiudicium est. Si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur, præsident probati quiq; seniores, honorẽ istum non pretio, sed testimonio adepti. Neq; enim pretio ulla res dei constat. Hactenus Tertulliani uerba retulimus, ex quibus liquido patere putamus Excludẽdi authoritatem nemini priuato nedum pseudoepiscopo alicui esse data, sed uiris sanctis, qui quicquid hic agunt, non suo, sed ecclesię nomine moreq; ecclesiastico, id est ad præscriptum sacræ scripturæ faciunt. Quod si secus agunt, authoritate sua exciderunt, nec illorum telum magis quàm betaceum est formidãdum. Quid quod urbem prodere dicuntur Legati, qui diuersum ab eo quod ab urbe præscriptum est, agunt? Equidem pro ueritate & honestate ecclesiastica possumus aliquid, cõtra ueritatem & honestatẽ nihil. Iam uero qualis esse debeat mulcta ecclesiastica, exposuit Paulus cum dixit, Tradatur satanæ, ad interitum carnis, ut spiritus saluus fit in die domini Iesu. Proinde ista non damnatur anima, nisi accedat & supplicij cõtemptus & sceleris perseuerantia, hoc est, cor pœnitere nescium. Salus enim hominis in electione dei stat, qui peccatori ad primum quemq; gemitum peccata condonat. Vnde & ecclesia pœnitẽtem recipit & solatur. Disciplina enim hæc, est medela morbidorũ membrorum, & conseruatio sanorum, in hoc inuenta, ut in ecclesia conseruetur honestas publica & morũ eradicetur corruptela. Igitur temporale quidem suppliciũ est, quo contumax coram ecclesia confundi tur, donec per pœnitentiã correctus, ijs exemplum pœnitẽtiæ fiat, quibus sua contumacia & impudẽtia peccandi occasionẽ dedit: aut si pœnitere nolit, pios posthac offendere non possit. Viri ergo Apostolici & ueteres quiq; contumaces & ecclesiastica censura dignos è contubernio sanctorum abiecerũt, excludentes eos à sacris cœtibus & cõmunione corporis & sanguinis mystici. Vnde & Excõmunicationis nomen sortita est. E communione

Excommunicatio apud ueteres.

Quod Legati urbium faciunt, id urbem facere credimus.

Qualis ecclesiastica mulcta.

Excommunicatio.

munione enim corporis Christi, hoc est ab ecclesia, ut membra putrida rescindebantur. Interim uero excluſum non omnino negligebant. Quæcunq; enim faciebant in hoc faciebant, ut contumax ignominia permotus à scelere ac contumacia deficeret, cuperetq; se iterum coniungi sanctorum consortio. Huc nimirum pertinent dilucida illa D. Apostoli uerba, 2. Thess. 3. Quod si quis non obedierit sermoni nostro, hunc per epistolam indicate, & ne commertium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur: neq; uelut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrem. Ex his enim intelligimus totam excommunicationis rationem, quid sit, cur instituta, & quis eius modus: certe quod supplicium sit temporale & disciplina externa, ad medendum instituta: ut cum peccator resipuerit cesset ilsa fitq; functa munere suo. In præsentiarum quoq; De medio tollere, dixit pro eo quod est excludere aut euitare: alludēs utiq; ad capitalia facinorosorum supplicia, quæ & ipsa in corpus non animam agunt. Recte enim Plato de Repub. dixit, Castigare noxiū oportet, non ob præteritum modo delictum, quod infectum esse nequit, sed ne iterum peccet: tum ne ipsius exēplo cæteri quoq; peccent. Interim uero si crimen agnoscit, ueniam petat, iudiciū quoq; patienter ferat & deo non diffidat: tametsi corpus iuste damnatum cædatur, anima tamen æternum uiuet. Ita & supplicium ecclesiasticum & cætera membra seruat ne & ipsa pereant contagione: & temporaria castigatione peccatorem macerat, ne æternis addicatur supplicijs. Et hoc est tradi Sathanæ, id est, in aduersitatem conijcere, ad interitum carnis, id est ad mortificandum externum hominem, adeoq; ipsum scelus designatum. Nam et Paraphrastes, Volo (inquit) ut qui scelus hoc tam turpiter admisit eiectus à uestro contubernio tradatur Sathanæ, quo iuxta carnem afligatur pudefactus humano iudicio, ut spiritus & animus sit incolumis apud iudicem Iesum Christum omnia iudicaturum. Et Scholiastes, Iustitias (ait) carnis Paulus ad Hebr. 9. exteriorem iustitiam uocat. Perinde scripturarum more Sathanæ tradere dixit, pro eo quod est affligere, confundere, perturbare. Sic enim & Iob Sathanæ traditus est, et Paulo refertur datus angelus Sathanæ, qui colaphizet ipsum. Quod si his quoq; addas ordinationem Christi ex Matthæo, uidebis eam huc quoq; spectare, ut publice mulctetur qui spretis commonitionibus amicis, inhoneste perrexerit uiuere. Esse enim ethnicum & publicanum, est deleri è catalogo ecclesiastico & recensēri haberiq; inter facinorosos, quibus nihil neq; officij, neq; synceri tuto committas: ut nos solemus mœchos ἐν αὐτοφώρῳ deprehensos honore & trabea exutos publice dedecorare. In 2. ad Corinth. 12. cap. Sufficit istiusmodi homini (ait) ἡ ζημία αὕτη, hoc est mulcta, correctio siue increpatio hęc, quę facta est à pluribus, adeò ut ediuerso magis condonare debeatis & consolari, ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi. Cæterum τιμᾶμι καὶ τιμᾶσθαι utrunq; (authore Budæo) dicitur, pro eo quod est mulctare & in aliquem animaduertere. Et τίμησις est supplicij æstimatio & animaduersionis modus. Rursus ζημιῶ significat reprehendo: & ἐπιτιμᾶσθαι est censum agere & æstimare. ἄτιμοι quoq; infamia notati dicuntur, qui uelut fortunis omnibus (ut apud Demosthenem est) euersi, ciuilia iura retinere non potuerunt. Licebat igitur ἀτίμους impune interficere ut præsidij legum exortes. Quibus similes fuere quos Latini prisci intestabiles uocarunt, ut Horatius Intestabilis & sacer esto. Et Caius iureconsultus. Cum lege (inquit) quis intestabilis esse iubetur, eò pertinet ne eius testimonij recipiatur. Proinde Paulus ζημία, usus est pro ἀτιμία, hoc est mulcta, ita exponens ipse quid hoc in loco intellexerit per hanc sententiam Tradatur Sathanæ ad interitum carnis. Et hactenus de Castigatione scelerum ecclesiastica. Hic tamen diligenter admonitos uolo fratres uigilent et omni diligentia curent, ut salutare hoc pharmacum, è cœtu sanctorum Pontificis auaritia eliminatum, reducatur, hoc est, ut scelera offendentia plectantur. Hic enim unicus est Excommunicationis finis, ut mores excolantur & floreant sancti, prophani uero coherceantur, ne mali porrò impudentia ac impietate grassentur. Nostrum est ista, ô fratres, summa cum diligentia curare. Videmus enim & Paulum cessantes hoc loco incitare. Videmus quàm corrupta sint tempora, ut si unquam, uel nunc maxime iudicio, fide, & constantia opus sit. Sed ne quid temerè.

Cum eo ne cibū quidē capiatis.

Tradere Sathanæ quid sit?

Sit tibi uelut ethnicus et publicanus.

Restitutio Excommunicationis.

Non eſt bona gloriatio ueſtra. An neſcitis quòd paulum fermenti totam conſperſionem fermentat?

Iterum Corinthiorum accuſat ſuperbiã & ſupinam negligentiam. Quaſi dicat, Cum ergo res ita habeant, *ſo ſol üwer rhům ſüchen nüt*. Nam cum malum non tollitis, interim neſcio quid gloriæ uobis arrogatis, quid aliud facitis, quàm quod ſolent qui in ignominia gloriantur, aut paululum fermenti maſſæ imponunt per quod tota fermentatur acidaq; redditur? Similitudo autem in hoc eſt, quod unius mali conſceleratiq; hominis exemplum, totam contagione inficit eccleſiam. Traxit autem allegoriam ex 12. capite Exodi. Sed & emphaſim habet quod dicit paululũ fermenti. Quaſi dicat, Nolo cogitetis unius hominis exemplum eccleſiæ incommodare non poſſe. Quantumuis enim exigua fermenti maſſula ſit, attamen conſperſionem corrumpit maximam. Eraſmus in Annotat. Maſſa ſiue conſperſio Græce φύραμα eſt farina aqua conſperſa ſiue temperata, à uerbo φυράω, quod ſignificat miſcere: ueluti cum argilla humore maceratur, farina liquore aquæ oleíue aut aliud ſimile. In hunc ſenſum conſperſio inuenitur apud probatos authores. Idem de morum contagione plura in Chiliad. adag. Si iuxta claudum habites ſubclaudicare diſces. Et, Corrumpunt mores bonos colloq. &c.

Prouerb. Germanicum, Vna ouis ſcabioſa inficit uniuerſum gregem.

Expurgate itaq; uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis infermentati. Nam & paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus. Itaq; feſtum celebremus, non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uerſutiæ, ſed in panibus fermento carentibus: hoc eſt, ſyncerítate & ueritate.

Hortatio ad innocentiã uitæ.

Ἀναγωγὴ ſermonem deflectit ad generalem exhortationem, qua omnes hortatur ad innocentiam uitæ, & ad abnegationem uitæ prioris, id eſt impiæ & Gentilitiæ. Docte enim Scholiaſtes, Similitudines (ait) capit Paulus ferè à uiſibilibus rebus, quæ tamen in uſu & præcepto erant Iudæis: ut & ueteris teſtamenti figuras aperiat, & utriuſq; populi Iudæorum ſcilicet & Gentium, eandem eccleſiam eſſe oſtendat. Paria ergo facit Apoſtolus, cum illis noſtra, nobis uero Iudæorum ſacramenta cõmunia. Tantum Scholiaſtes. Proinde cum per occaſionẽ incidiſſet in mentionem fermẽti Apoſtolus, in eadem perſtans allegoria, Expurgate itaq; è uobis uitæ prioris (ſic enim per Enallagen à perſona ad rem delapſus eſt) corruptionem, & ſicut decet, ut moribus ſitis ſanctis, ita nouã quoque uitam uiuatis. Nec eſt quod quiſquã putet nihil ad ſe pertinere quod Iudæis de fermento, azymis panibus, adeoq; ipſo paſchate præceptũ eſt. Siquidem habemus & nos noſtrum Paſcha, ipſum dominum Ieſum, qui per Iudaicum ſignificatus, & qui pro peccatis noſtris immolatus eſt, immaculatus agnus dei, unica & æterna pro peccatis hoſtia. Iam colligit, Cum ergo uerum Paſcha habeamus Chriſtiani, æquum eſt ut ἑορτάζωμεν, id eſt epulemur, ſiue feſtum agamus diem: hoc eſt, cum animi gaudio uiuamus in nouitate ſenſus, nequaquam gaudentes in ijs quibus olim capiebamur, ſed in moribus ſimplicibus, innoxijs, ſynceris nulloq; fuco ſimulatis. Ita enim clariſſimis exponitur uerbis ab ipſo Paulo quid per fermentum, & quid per azyma intellexerit: malitiam uidelicet & uerſutiam per illud, per hoc autem ſynceritatem & ueritatem. Vbi commode & in loco monuit Eraſmus duo eſſe poſita, κακίας καὶ πονηρίας, quibus reſpondeant quæ poſtea ſequuntur εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. Malitiam uero opponi ſynceritati, uerſutiam ueritati, hoc eſt ſimplicitati, ut ſynceritas mundam uitam faciat, ueritas omnem fraudem excludat. D. Ambroſius ad eundem modum exponit: quod ſi quis uerba eius deſideret, hæc ſunt, Azyma ex cauſſa non fermentatæ farinæ dictum eſt, cum filij Iſraël eiecti ſunt de Aegypto, ut fermentum uetuſtas haberetur, azyma autem nouitas. Abiectis enim ueteribus erroribus Aegyptiorum, in nouam legem inducti ſunt: ita & Corinthij poſt Paganorum errores in euangelium Chriſti inducti ſunt. Hortatur ergo ut ſecundum profeſſionem ſuam, quam ab Apoſtolo ſub nomine Chriſti acceperant, uiuerent iam uitæ nouæ cultores: hoc eſt Azymos eſſe. Hæc Ambroſius.

Occupatio.

Adde & fidem ſyncerã.

Scripſi

Scripſi uobis per epiſtolam: Ne commiſceremini cum ſcortatoribus, ac non omnino cum ſcortatoribus mundi huius, aut cū auaris, aut cum rapacibus, aut ſimulacrorū cultoribus. Alioqui oportebit ex hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi uobis, ne commiſceamini, ſi quis, cum frater appelletur, fuerit ſcortator, aut auarus, aut ſimulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi ne cibum quidē capiatis. Quid enim ad me attinet etiam de his, qui foris ſunt iudicare? Nónne de his qui intus ſunt iudicatis?

Quæ ſequuntur in hoc capite ad expoſitionem ſuperiorum adiecta ſunt. Non tamen ignoro hæc à pleriſq; ſic eſſe expoſita quaſi Apoſtolus alias quoq; epiſtolas ante hāc ſcripſerit, de quibus hic mentionem faciat: ſed magis mihi probatur Theophylacti expoſitio, quā & Eraſmus in Paraphraſi ſequutus eſt. Ille ait, Quam dicit epiſtolam? Hanc quidem ipſam. Nam cum dixiſſet ſuperius, Expurgate uetus fermentum, ſuſpicati ſunt forte Corinthij uel à cæteris ſibi qui in Græcia eſſent adulteris præcauendum, quod tamen hic ediſſerit. Proinde conſequentia correctionis gratia & ueluti antidotum quoddā addita ſunt, ne quis præſentibus abuteretur ad tyrannidem & ad eccleſiæ periculum. Senſus enim eſt, Ex eo quod inceſtu commaculatum docui eſſe abijciendum, intellexiſtis ni mirum uobis pari ratione abſtinēdum eſſe à ſcortatoribus, imò flagitioſis quibuslibet. Id autem de infidelibus intelligi nolim. Si enim horum conſortium quis euitare cupiat, ē mūdo hoc migret oportet. Quando maxima hominū pars uitijs immerſa Gentiliſmū palàm profitetur. Proinde iſtud de Chriſtianis qui ſe in nouū hoc uitæ genus dediderūt intelligi uolo, ut illorum euitetis cōſortium, ſi porrò flagitioſi eſſe perrexerint. Cauſſam ſubiungit figuratam interrogatione, cum ſimilitudine, Quid enim ad me attinet, ut cum ſatis operoſum ſit de noſtris iudicare, etiam de ijs ferre ſententiam qui non pertinent ad noſtrum gregem? Simile uero tale eſt, Nemo ſua referre putat quid in alienis agatur ædibus ſuas duntaxat res iudicat. Ita eccleſia de his quæ intus ſunt iudicat. Vides autē unam tantum ſimilitudinis partem poni, ex qua altera quæ deſideratur, reſtitui poſſit. Hæc de ſenſu, poſt quem & illa uidebantur annotanda. Primum uehementiora eſſe Græcanica quàm Latina expreſſerint. Latinus dixit: Ne commiſceremini, Græcus uero μὴ συναναμίγνυσθαι, quod perinde ualet ac ſi quis dicat, Ne denuo commiſceremini. Significat enim prius id ſolitos, at nunc dedecere ut redeant ad uomitum. Deinde Mundus aliquoties uſurpatur pro hominibus qui ſunt in mundo, aliquoties pro tota mole mundi, aliquoties pro incredulis & ipſa impietate. Hic accipitur pro infidelibus. Sententiam porrò iſtam, Επεὶ ὀφείλετε ἄρα ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. Aliâs debetis ex hoc mundo exijſſe, Eraſmus putat eſſe optatiuam, & ὀφείλετε ſignum eſſe optantis, poſitumq; pro εἴθε, id eſt, utinam: ut ſit ſenſus, Alioqui ſi non ſitis temperaturi à commertio talium, utinam potius exiſſetis ex hoc mundo, & quouis exulatum abiſſetis. Cæterum ſuperior ſententia minus coacta eſſe uidetur. Fratres uero uocarunt priſci quos nos iam Chriſtianos appellamus, euangeliſtæ diſcipulos. Iam non quæuis recenſet ſcelera, ſed atrociſſima, ut intelligeremus fratrem non ob errorem quemlibet uel excommunicandum, uel uitandum eſſe. Huc pertinet quod in præſenti uitioſorum Catalogo Ebrioſum non Ebrium recenſuit. Ebrius enim à Grammaticis dicitur, qui nimio potu alienatus eſt mente. Id quod pleriſq; hominibus aliquando contigit. At ebrioſus eſt, qui ſubinde fit ebrius. Hinc Seneca, Plurimum intereſſe (inquit) concedes inter Ebrium & Ebrioſum. Et Valla docet, nomina quæ exeunt in oſus, habitionem ſiue uehementiam copiámue ſignificare & affectionem. Quocirca non omnes deuitandi ſunt peccatores, ſed qui ſcelera aſſuetudine & uſu nimio ita peculiaria ſibi fecerunt, ut ſine his minus uiuere poſſint quàm ſine igne & aqua. Quid enim hic ſperes? Theophylactus hic quærit, quomodo quis frater eſſe poſſit & ſimul inſeruire idolis? Et reſpondet, Quemadmodum olim & Samaritis contigit ut deum ex parte colerent, partim uero creaturis hærerent: ita &

2. Petri 2.

μέθυσος.

Simulacrorum cultores.

4. Reg. 17.

inter Corinthios factum, ut nonnulli idolis inseruirent, tametsi nihilominus & Christum colerent. Similes uidentur fuisse nostri temporis Imaginum cultoribus, qui & ipsi Christo ita dederunt nomina, ut simul à creaturis etiam pendeant, quas idolis ueneran

Cibum capere. tur. Cæterum tropus in eo est quod prohibet Cibum capere cum flagitiosis. Conuersationem enim & amicitiam prohibet, certè ne consuetudine uelut contagione paribus inficiamur morbis. Mensa enim amicitiæ symbolum fuit apud ueteres. Hinc Theocritus in Hyla interprete Erasmo dicit,

Qui ad mensam semper eandem
Cœnabant ambo fidi nimirum ut amici.

Hinc & prouerbio locus est datus, Salē & mensam ne prætereas. Sed quid multis opus? Exposuit se hactenus Paulus quod nolit hoc mœchi exemplo ecclesiam duci in discrimen, ut hæc credat uel è medio sceleratorum migrandum, uel quoslibet flagitiosos esse abiiciendos. Sufficere enim si de suis iudicet ecclesia. Nunc uero cum aliquis dicere possit, Quid interim, an ne Gentes impune per omnia uitiorum genera grassabuntur? Si sic habet res, præstat uel Gentilem esse, uel data opera scelus patrasse, ut abiectus & contemptus ab ecclesia, occasionem habeas redeundi ad uitam pristinam: respondet consequenti sententia & ait,

Eos uero qui foris sunt, deus iudicat. Etiam profligate istum qui malus est, ex uobisipsis.

Punitur impij & contemptores uerbi. Non impune semper in uitiorum lacunis se prouoluent prophani, sed destinato tempore commeritas dabunt ultori deo pœnas. Cæterū de his non est hic differendi locus: neq; uestrum est, ô Corinthij, curiosos esse de aliena calamitate, quando ea fit uentura, aut quæ in alieno grege morbidæ sint oues: uobiscum habitate, uestras res curate, iam sceleratum habetis mœchū, hunc è uestro contubernio profligate. Allusit autem ad uerba legis Deute. 13. Porrò iis qui putāt uiam dei asperam esse, & ærumnis intricatissimam molestissimamq; , leges mundi ac carnis commodas contra & utilitate iucunditateq; plenissimas, unde optime sibi consultum putant, si per occasionem à cognita dei ueritate & euangelio Christi deficiant, responsum est à domino apud Ezechielem in 20. & Matth. in 7. item à Malachia, & prophetis dei aliis.

Cum impijs habitare. August. cap. 20. contra Donatistas post coll. recol. annotat. Istis quoq; præsentibus Pauli uerbis responsum est ad quæstionē difficilem qua quæri solet, An uir bonus ac pius inter impios citra offensionē numinis agre possit? Si enim casus aliquis ita tulerit, aut omnino necessitas aliqua coëgerit, ut inter impios habitandum sit uiro bono, nihil hic peccat, dummodo à uitiorum contagio sibi cauerit inq; uera religione perstiterit. Testatur hoc Ieremiæ epistolæ cap. 29. exemplum quoq; Lot, Danielis & sociorum eius. Si uero per occasionem commodam ad pientiores concedere detur, non negligenda occasio, uitandumq; malorum contubernium & contagium, nisi spes sit te posse uita & doctrina tua plurimos Christo lucrifacere. Interea uero dum inter impios agimus, uitandi sunt sacri ipsorum cœtus & sacra prophana. Ad quæ si te adigere uelint, præstabit iacturam cum rerum tum uitæ fecisse, quàm istorum postulationi

Contra Anabaptistas. acquieuisse. Hoc ipsum factitarunt cum Daniele & sancti alij, de quibus Psalm. 44. Abutuntur autem hoc scripturæ loco partim factiosi quidam hypocritæ, partim prostitutæ uitæ nebulones, qui cum se in ordinem cogi doleant, clamitant, Paulus nihil acerbius atrociúsue in illos statuit qui dogma euangelicum non amplecterentur Corinthi: at hodie edictis principum & magistratus cogimur, quum satis constet ad fidem neminem cogi uel posse uel deberi. Factiosi uero Anabaptistæ & Donatiani Anabaptistarum patriarchæ, Nulla (inquiūt) hodie ecclesia sancta & uera collecta est. Commiscemur enim cum peccatoribus & flagitiosis hominibus, quos iuxta Pauli uerbum abiectos esse oportebat, adeo ut si saperemus ne cibum quidē caperemus cum eis. Id cum hodie ab iis non fiat qui euangelium recepisse uideri uolunt, exeundū nobis ex hac Babylone, & uera tandem constituēda ecclesia, in qua uel isti nō sint q̄s damnat Paulus, uel protinus atq; tales esse cogniti fuerint, abiiciantur. Ad quæ iam sigillatim respondebimus maxime propter

istos

istos qui rerum inexperti ab impostoribus misere seducuntur. Principio cum inquiunt apostoli nihil atrocius statuerunt in eos qui dogma euangelij non suscipiunt, recte dicunt. Nam ne nunc quidem in eos quicquam acerbi uel ab ipso magistratu sancto pronunciatur, nisi quod omnis scriptura pronunciauit, Qui non crediderit iam iudicatus est. At hic ueteratores isti suam illam dissimulāt illationem quam ex præstructis, sed uerborum meandris prius probe intricatis inuolutisq; imprudētibus tandem ad hunc fermè modum ingerunt, Apostoli in hostes euangelij nihil statuerunt atrocius, ergo quælibet fides & quodcunq; uitæ institutum debet esse liberum. Hoc est, nullo iure Christiano puniuntur à magistratu sacrilegia, sectæ, contemptus uerbi & blasphemiæ. Non expendunt autem isti (cum imprudentioribus iam ago, coryphæi enim istius sacrilegi dogmatis indigni sunt quibus uir bonus respondeat, quod malitia, non ignorantia peccare uideantur) temporis & personæ conditionis q; circumstantias, quæ semper & ubiq; plurimum momenti habent. Alia enim sunt tempora impiorum, alia uero sanctorum principum: alia quoq; exordij rei cuiusuis, alia operis absoluti, aut aliquousq; iam prouecti. Sed & apostoli, quemadmodum & prophetæ non gladij, sed uerbi erant ministri: cumq; prædicationem ordirentur euangelicam pauci ex principibus nomina dederant Christo, pleriq; Christum aut aspernabantur, aut persequebantur. Quod ergo sub his beluis egerunt apostoli uno duntaxat uerbi ministerio colligētes fouentesq; ecclesiam, id olim & prophetas sub impijs agentes regibus fecisse testantur sacræ historiæ. Quoties uero in reges incidissent sanctos ueritatis & iustitiæ cultores, quales erant Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias & alij nonnulli, hic non modo ministerio uerbi, sed & ministerio gladij consulebatur ecclesiæ: dum ad normam ueritatis à sanctis principibus punirentur seductores, sacrilegi, blasphemi, contemptores uerbi dominici & homines prophani. Id quod & spiritus sanctus in ipsis admirandis celebrauit præconijs, quemadmodū & ignauiam, neglectum ueritatis & iustitiæ in impijs regibus acerbissime accusauit. Iam si quis ex iniquiore temporis parte sic struat, Ieremias nihil atrocius in pseudoprophetas molitus est, nec quisquam eo religionem profitente punitus est religionis neglectæ: ergo propter religionem uel neglectam, uel damnatam, uel furiosius blasphematā, nemo uel puniendus, uel cohercendus erit. Quis non uideat perperam, imò impie concinnatam esse argumentationem? Cur non potius à beatiore, aut cur à sola infeliciore temporis conditione argumentantur? Certè bona imitanda, mala uero in rebus quibuslibet uitanda sunt. Celebris est illa Dauidis sententia, Omnia plena fiunt impijs, cum ad magistrātum euehuntur uanissimi hominum. Huic similia sunt illa filij Solomonis non minus celebria dicta, In multiplicatione iustorum lætabitur populus, cæterum in dominatione impij gemet populus. Rex in iudicio faciet stare terram, uir auarus destruet eam. Viri irriso res dissipant ciuitatem, sapientes uero auertūt furorem. Princeps qui libenter audit uerba mendacij, omnes ministros habet impios. Proinde cum principes qui apostolorum temporibus imperitabant pleriq; idololatræ & impij essent, nil mirum, si omnia fuere corruptissima. At quis à corruptis petat exempla aut contendat eadem semper esse debere tempora, aut ad pessimorum exemplum omnia consequentia esse referenda & instituenda? Iam & Iehoiachim & Zedechias rerum præfecti erant, non Ieremias. Illorū uero culpa, non Ieremiæ erat, quod impij impune quidlibet auderent. Nam cum iniusti essent suo officio non satis faciebant. Iosias autem quod esset pijssimus & optimus princeps strenue animaduertebat in impios. Proinde infelicia prophetarū tempora non conuincunt impietatem non esse puniendam: ita nec apostolorum calamitosa initia. Hi fundamenta duntaxat iecerunt ecclesiæ ex omnibus Gentibus colligendæ. Cæterū in hanc uates diuini reges & principes uenturos prædixere. Sic enim cōsolatur ecclesiam Isaias, & ait: Sic dicit dominus, Parum est, ut sis mihi seruus ad susciandas tribus Iacob, nisi te & lucem Gentium fecero, ut sis illa salus mea usq; ad extremum terræ. Reges & principes uidebunt, & consurgent ad adorandū propter dñm, quia fidelis est. Et dabo te in fœdus populi, ut instaures terrā, & uēdices hæreditates dissipatas. Ecce em̄ alij de lōginquo uenient, alij ab aquilone & mari, alij uerò ab austro. Leua in circuitu oculos tuos & uide,

Apostoli nemi-nem coëgerunt ad fidem.

Prophetica tem-pora.

Principes in ec-clesia.

Omnes isti congregabuntur & uenient ad te. Ecce enim ego leuo ad Gentes manũ meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios suos in ulnis, & filios in humeris apportabunt tibi. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ earum nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, &c. Quibus uerbis nescio, si quid ad hoc negotium pertinens possit dici clarius. Quis enim iam non intelligit reges & principes pertinere ad ecclesiam, imò non modo ad ecclesiam pertinere, sed & ecclesiæ nutritios esse debere? Huc pertinet & Psalmus secundus, quem aduersus Donatianos citans Augustinus. Quod autem dicunt (ait) qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petijsse à regibus terræ apostolos talia, non confiderant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christũ crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur, Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Nondum autem agebatur quod paulò post in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo? Aliter enim seruit quia homo est: aliter quia etiam rex est. Quia homo est ei seruit uiuendo fideliter: quia uero etiam rex est seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti uigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra dei præcepta fuerant extructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Niniuitarum uniuersam ciuitatem ad placãdum dominum compellendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos blasphemando deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt domino reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi quæ non possunt facere nisi reges. Cum itaq; nondum reges domino seruirent temporibus apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus Christum, ut prophetarũ prædicta complerentur omnia, non utiq; tunc potuerunt impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Postea uero quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes seruiẽt illi, quis mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno uestro à quo tueatur uel oppugnetur ecclesia domini uestri: non ad uos pertineat in regno uestro quis uelit esse siue religiosus siue sacrilegus, quibus dici non potest, non ad uos pertineat in regno uestro quis uelit pudicus esse uel impudicus, &c. Hactenus Augustinus in lib. de Correct. Donatist. ad Bonifa. cap. 13. Idem copiosius singula ista persequutus est lib. 2. contra Petilij literas, cap. 92. & 97. Ex quibus apparet quo spiritu agantur glorioſuli quidam qui pulchre factum putant si magistratum excludant ecclesia & apostolica allegant tempora, certe ut ecclesiam scindant, & impune ueritatis doctrinam figant & refigant, liberi nunc & ecclesiarũ suarum Dictatores: sed abeant quo digni sunt. Iam si ad hunc modum colligere licet. Fides est liberum dei donum, proinde nemo ad hanc ũllis potest edictis compellere, fit igitur ut edicta magistratus de religione non aspernanda sint temeraria: quid prohibet quo minus pari ratione inferamus, Eruditio liberum donum dei est, proinde hanc nemo assequi poterit, nisi is cui ipsam dominus dederit, fit ergo ut omnis præceptorum industria, seueritas & institutio sit frustranea? Quod si in hoc posteriori nemo non animaduertit uitiũ inesse argumentationi, quod deus omnia ferè quæ nobis confert, ordine quodam & per intermedia iusta confert, quid tam abrupte hac sentẽtia, Fides liberum dei donum est, in præsumptionibus nostris utimur? Quanquam enim animi integritas, uitæ innocentia & probitas ab uno deo sit omnium bonorum fonte, adeo ut nemo hominũ possit quenquam ad ista compellere, impune tamen proximo non nocuerit qui uel furto, uel rapina, uel calumnia, uel latrocinio offenderit. Hic nihil dixerit apud cordatos qui in furto aut scelere malo deprehẽsus, clamarit, Probitas à deo est, & quia donum dei est, nemo ad hanc cogi potest, furto igitur, rapina & latrocinio me grassari permittite quousq; dominus ad innocentiam uitę pertraxerit. Fateor equidem mentem hominis à solo deo

Apostoli cur principum opera in constituenda ecclesia non usi.

An quis ad fidẽ sit cõpellendus.

deo penderet: atqui magistratus nullum sibi in animos uendicat dominium. Disciplinæ, honestatis & tranquillitatis publicæ, iustitiæ & æquitatis, magister aut si malis minister est, ut ueritatem, pacem & disciplinam custodiat, turbatores uero istarum honestissimarum rerum coherceat, puniat, tollat. Hinc lege decernit, Ne cuiusquam famam lædito. Aut si lædas accusationem probato. Aut si id non queas eo supplicij genere quo is si approbasses perimendus erat, damnatus esto. Hic nihil est quod quisquam ut impium & iniustum uellicare possit. Pari ergo ratione gloriam dei & ueritatis eius uendicare potest sanctus magistratus lege lata, qua omnibus de deo & religione disserere uolentibus præcipiat ne quid aduersus scripturę authoritatē asserant, aut assertionem suam approbent. Id si non possunt porrò fileant. At si nihilo secius deo & ueritati maledicere pergant puniantur. Hic nemo ad fidem ullam compellitur, sed blasphemia prohibetur. Talia fuere Iudæorum, Babyloniorum quoq; & Persarum regum apud Danielem edicta, quę & spiritus sanctus summopere commendat fidelibus, ut uideamus ad sanctum magistratum pertinere iniuriam dei & uerbi eius ulcisci, prauos corrigere, & filios Belial cogere in ordinem. Nisi uero id faciat, haudquaquā boni magistratus officio defungitur. Plurimus & potentissimus est in Donatistis, hoc ipsum obiicientibus quod à nostris Anabaptistis audimus, confutandis Augustinus, à quo qui plura uolunt, legant lib. 2. contra Gaudentium cap. 17. item 2. lib. contra Petilij literas â capite 83. usq; ad 88. rursus in 14. cap. de Correctio. Donatist. ad Bonifacium, ubi & illis respondet qui credūt ea quæ principum edictis extorquentur, & ex charitate non proficiscuntur pura, prorsus esse frustranea. Postremo ipsis eiusdem Augustini uerbis (quæ ex libris aduersus Parmenianū scriptis rescripsimus) ad reliqua respondebimus aduersariorum obiecta. Non communicare (inquit) est non consentire. Sed illud propter ecclesiæ disciplinam parum est, nisi etiam redarguantur ut corrigi possint: sed hæc salua pace facienda sunt, & quantū admittit officium conseruandæ unitatis, ne simul eradicetur & triticum. Nam & ipse dominus cum seruis uolentibus zizania colligere, dixit, Sinite utraq; crescere usq; ad messem: præmisit causam, dicens, Ne forte cum uultis colligere zizania eradicetis simul & triticum. Vbi satis ostendit cum metus ille non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet. Id est, Quando ita cuiusq; crimen notū est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut uel nullos prorsus, uel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio prauitatis quanto diligentior conseruatio charitatis. Cum uero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus. Quisquis autem uel quod potest arguēdo corrigit, uel quod corrigere non potest, saluo pacis uinculo excludit, uel quod saluo pacis uinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis quod scriptura dicit, Væ his qui dicunt malum bonum. Ideo cum omnis pia ratio & modus ecclesiasticæ disciplinæ unitatem spiritus in uinculo pacis maxime debeat intueri, quod Apostolus sufferendo inuicem præcepit custodiri, & quo non custodito medicinæ uindicta non tantū superflua, sed etiam pernitiosa, & propterea iam nec medicina esse cōuincitur, illi filij mali qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes, iactantia sui nominis irritatas, uel totas trahere, uel certè diuidere affectant, superbia tumidi, peruicacia uæsani, calumnijs infidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce ueritatis carere ostendantur umbram rigidæ seueritatis obtendunt: & quæ in scripturis sanctis salua dilectionis synceritate & custodita pacis unitate ad corrigenda fraterna uitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegiū schismatis & ad occasionem præcisionis usurpant. Hæc Augustinus in 3. lib. quo respondet epistolæ Parmeniani, ubi & multis uerbis hoc 5. Pauli cap. prioris ad Corinth. tractat: nos ad Paulū redimus. Hactenus uero contra pseudapostolos disputauit, ut Corinthios ad simplicitatem euangelicam reuocaret, in ueritate & fide sana confirmaret, ac impostores istos doceret esse fugiendos.

De separatione & exclusione.

Matth. 13.

In schismaticos.

CONTRA AVARITIAM ET LITES FORENSES.

Quia autem cœperat in peculiaria quædam Corinthiorū inuehere uitia, consequenti

capite auaritiam,& quæ ex hac enaſcebãtur lites forenſes, ſed & fœdam fornicationem grauiſſime perſequitur. Vel quia hac increpatione oſtendere uoluit ignauia pſeudapoſtolorum increuiſſe uitia. Vel quia reliquias ſuperioris uitæ uoluit è pectoribus Corinthiorum repurgatas.Breuiter,æquitatem,iuſtitiã & ſanctimoniam ſuadet. Verſatur autem dictio in genere iudiciali,ubiq; uero deflectit ad hortationem.Cæterum Corinthus totius Aſiæ erat emporium ob portuum commoditatem: hinc plurimis quoq; & opulentiſſimis negotiatoribus nobilis,è quibus proculdubio multi Chriſtianã religionem amplexi adhuc erant attentiores ad rem quàm par eſſet.Cum indignatione ergo in hos inuehitur & ait,

Auaritia Corinthiorum.

CAP. VI. Suſtinet aliquis ueſtrum, negotium habens cum altero iudicari ſub iniuſtis & non magis ſub ſanctis? An neſcitis,quod ſancti mundum iudicabunt? Et ſi per uos iudicatur mundus, indigni eſtis minimis iudicijs? An neſcitis, quod angelos iudicabimus, non tantum iſta quæ ad uictum pertinent? Proinde iudicia ſiquidem habueritis de ijs quæ ad uitæ uſum attinent, qui contempti ſunt in eccleſia, eos conſtituite. Ad erubeſcentiam ueſtram dico. Adeo non eſt inter uos ſapiens? ne unus quidem? qui poſſit dijudicare inter fratrem ſuum & fratrem? ſed frater cum fratre litigat,idq; ſub infidelibus?

Vetus interpres uertit, Audet aliquis ueſtrum,&c.Budæus uero Com. linguæ Græcæ τολμᾷ (ait) non tantum audere ſignificat, ſed etiam ſuſtinere,hoc eſt,quippiam graue in animum inducere.Eraſmus autem uerſionem illam ſuam explanans, Paulus (inquit) iudicans hoc uehementer pudendum, miratur eſſe quenquam Chriſtianum qui poſſit animũ inducere,ut apud ethnicos iudices pro re pecuniaria contendat. Idem hoc capite ſuperiori ſic connectit, Vt ueſtra non intereſt de ijs,qui ab eccleſiæ conſortio ſunt alieni,ferre ſententiam:ita uehementer indecorum eſt Chriſtianos à non Chriſtianis iudicari.Primo enim id accuſat in Corinthijs quod in iudicium prodirent impiorum,lite cauſſas ſuas dirempturi.Nam infideles occaſione ex contrauerſia arrepta,Illa (dicebãt) fraterna illorum charitas,Illa Chriſtiana modeſtia,Hæc nimirum illa egregia pax eſt,de qua totos dies garriunt. Itaq; fiebat, ut nomen Chriſti inter Gentes male audiret propter auaritiam Chriſti nomen profitentium.Hic ergo medicatur protinus morbo peſtifero.Iubet autem iudices ſanctos,id eſt,arbitros fideles inter ſe conſtituãt, qui lites iſtas è terrenis opibus enatas dirimant. Porrò quod iudices aut ſi mauis arbitros conſtituere poſſint argumentis à Comparatis & per Enthymema aptatis ad hunc modum probat, Sancti mundum iudicabunt, poſſunt ergo minimas iſtas cauſſas iudicare. Item, Sancti angelos iudicabunt,poſſunt itaq; iudicare βιωτικὰ,id eſt uictualia,aut quæ ad uictum & facultates ſiue ad uitæ uſum pertinent.Nam βίος Græcis tria ſignificat,uitam,uictum, & facultates ac ſubſtantiam qua uiuimus.Sentit enim lites(ut Eraſmus ait)pecuniarias. D.Ambroſius, Iudicabunt ſancti hunc mundum (inquit) quia exemplo fidei eorũ perfidia mundi damnabitur.Quæ ſi propius expenderimus, intelligemus quo ſenſu Chriſtus dominus apud Matthæum dixerit apoſtolos ſeſſuros ſuper duodecim thronos,iudicaturosq; duodecim tribus Iſraël.Iudicandi enim uerbo pro teſtificãdi uſus eſt. Aliâs enim ſoli filio datum eſt omne iudicium. Proinde ſenſus eſt. Iſraëlitæ per pœnitentiam ueſtram condemnabuntur, hoc eſt, dum illi uos uidebunt intra confeſſum ſedere ſanctorum,quos dum in uiuis agerent ceu ſtultos contempſerunt, tum demum intelligent certisq; teſtibus conuincentur quod merito condemnantur. Nam ſi reſpondere uoluerint,Iudicia tua neſciuimus domine:nos ueluti teſtes aſtabitis conuincentes iſtos pertinaciæ & contemptus,utpote qui iudicia domini annunciantibus non crediderũt.Hanc ſententiam uideo & probari Theophylacto, qui hunc locum exponens, Angelos (ait) dæmones ipſos appellat.Sunt enim & hi per nos condemnandi:tunc ſanè cum ipſi quí ſumus hac carne obducti incorporeos illos uiciſſe coarguemur.Hæc de antecedẽte,iam de con-

Litigare ſub infidelibus.

Quod fideles iudices eſſe poſſint.

Iudicare mundum quid.

deconsequente. Palàm enim infert, Proinde iudicia siquidem habueritis de ijs, &c. Habet autem occupationem illatio. Quasi dicat, Nec est quod dicatis uos carere sapiẽtibus qui lites istas uestras dirimant. Contẽptissimos enim & infimæ sortis homines, qui scilicet minimi inter uos esse uidẽtur, iudices harum minutissimarũ rerum esse malo q̃ Gentilium præstantissimos. Istis iterũ per correctionem appendit, Ad erubescẽtiam uestram dico: significans se non esse loquutũ ex animo quod uellet contemptissimos ad iudicandum deligi, sed quod hoc quoq; iudicaret tolerabilius, q̃ id quod illi faciebant, litigantes Christiani apud ethnicos. Deinceps uero acriter ipsos obiurgat atq; ipsum scelus uehementer amplificat, dicens, Vsq; adeó ne uosipsos contemnitis? adeó ne ullus est inter uos qui sapiat? ne unus quidem, qui uidelicet litem inter Christianos obortã dirimat? Vsus est aũt Idiotismo Hebraico, Inter fratrẽ & fratrẽ. Superius autẽ annotauimus Fratres dictos esse ueteribus quos nos appellamus Christianos. Addit & aliud q̃d aggrauet, Sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus. Ista uero sententia comprehendit quod hactenus accusauit in Corinthijs, quod delitigarent apud iudices ethnicos. Nam per iniustos infideles intellexit, sicuti per sanctos fideles. Fide eñ iustificamur sanctificamurq;.

Itaq; iam quidem omnino delictum in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem. Cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? imò uos iniuriam facitis, & damno afficitis idq; fratres. An nescitis quod iniusti regni dei hæreditatẽ non consequentur?

Secundum quod in Corinthijs accusat illud est quod propter res delitigarent terrenas & leuiculas, quodq; auaritia superati uinculũ rumperent charitatis & se mutuo uel fraudarent, uel iniuria afficerent. Dicit autem, Iam uero citra omnem controuersiam in illo à uobis delictum est, quod lites inter uos habetis. *Es ist schon ein fäl vnd mangel vnder üch.* Recte enim & in loco annotauit Erasmus hoc loco non haberi παράπτωμα, sed ἥττημα, quod significet aliquem uictum esse & superatum. Victum autem uideri ab iracũdia aut auaritia qui ob pecuniolam litem mouet fratri. Præcepit autem dominus in euangelio, Petenti abs te dato, & ei qui uelit te in ius trahere ac tunicam tuam tollere, permitte illi et pallium. Vere ergo Paulus dixit, Iam omnino delictum in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem. Id uero iterum amplificat per contrarium, Cur non potius iniuriam patimini? cur nõ potius damnum accipitis? imò uos iniuriam facitis & damno afficitis. Huic iterum grauius suppingit, Idq; fratres. Nam reus qui debitũ depositúmue negat, & accusator cum exigit à fratre uel quod non debet, uel nullo iure debet, iniuria fratrem afficit. Duo ergo accusat in Corinthijs, primo quod delinquerent, secundo quod peccarent & iniuria afficerent fratres. Sunt enim certi in præceptis dei gradus, id quod ex ipsa lege palàm demonstrari potest: quod cum non uiderent Theologi quidam ex præceptis dei consilia fecere. Lex dei sancta & perpetua dei uoluntas est. Deus autem sanctus & perfectissimus est, proinde summa & perfectissima à nobis poscit. Lege ergo præcipit ne concupiscamus, ut malum bono compensemus, animoq; simus prorsus candido & omni affectu atro carente: isto simul demonstrans quàm syncera sit eius uoluntas. Iam si homo tali sit animo imbutus & à concupiscentia alienus, non opus habet alijs legibus. Atqui alias quoq; leges huic affixit, proinde non nesciuit imbecillitatem nostram & quod concupiscentes sumus rerum malarum. Affixis ergo legibus cauere uoluit ne delictum hoc & imbecillitas humana erumperet in iniuriam & scelus manifestarium, ic circo addidit, Ne occidas, Ne furtum facias, Ne falsum testimoniũ dicas. Id est, Equidem non concupiscendum erat si quis uoluntati dei satisfacere uolebat: cęterum cum id non fiat, proximũ est, ut concupiscẽtia ex imbecillitate nostra oborta reprimatur ne cuiq̃ noceas. Hæc enim est uoluntas dei (ut ad Thessa. ait apostolus) ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum. Id si fiat iustitiam fecisse dicitur in sacris qui hoc ex corde fecit, sed nemo dixerit hunc esse perfectum. Nam ut à scelere excusari possit, à delicto tamen absolui non potest. In Corinthijs & delictum erat & peccatum, id est publica iniuria. Ex his facile responderi potest ad quæstionem qua interrogari solet, An liceat Chri-

Litigare ob res terrenas.

Matthæi 5.

Gradus in præceptis dei non Consilia.

1. Thess. 4

An liceat ablatũ repetere?

An liceat ablatum repetere?

stiano iure suum persequi ius? Non enim peccat dum quis nemini infert iniuriam, sed iure duntaxat à se propellit iniuriam: interim tutius longe (ut ait Augustinus) est à peccato iniusti exactoris, qui omnino non exigit debitum. In quam sententiam inclinans etiam Ambrosius, Quanquam Christianus (ait) litigare non debeat, tamen si graue fuerit & quod contemni non possit, caussam ad ecclesiam deferat, ne damnum ad præsens & offensionem fortè incurrat. Plura huius generis legere est apud Aurelium Augustinum contra Faustum lib. 5. cap. 9. & lib. 19. cap. 25. Iam qui negant ullum Christianum iure iudicis posse fungi officio, hunc locum sic exponunt, quasi Paulus cum uituperio dixerit, Et cum iudicia habetis eos qui contempti sunt constituitis: & non uident Græce esse καθίζετε, quod magis imperandi quàm enunciandi indicandiue modo exponendũ est, maxime cum hoc flagitet ipse contextus. Est autem καθίζειν proprie collocare in sede, & iudicis est sedere. Quid quod Apostolus sanctos pro prophanis iubet substitui iudices? Non quod sentiret tumultuandum esse Corinthijs, & suo ordine & loco deturbãdos iudices qui tum rerum summæ præerant infideles, sed ut specimen futuræ exhiberet ecclesiæ, quo docta instituta q; iudicia in feliciorem ordinem iudices q; sanctiores, si aliquando feliciora illucescerent tempora, ordinaret, interim uero arbitros sibi deligeret, qui lites inter fratres ortas dirimerent. Quod si istud tum permissum ecclesiæ cum omnis potestas esset apud impios, quid credas permisisset, si Iudices uidisset iudicijs præfectos qui non omni parte religioni Christianæ fuissent aduersi? Iudex sanè medici loco est in litibus. Iam ut ferire hominem prohibuerit deus, non prohibuit tamen uulnus inflictũ obligare. Ita tametsi litigare prohibeat dominus, nullibi tamen prohibuit litem componere, iniuriam cohercere, & innocentem aduersus oppressoris ferociã tueri. Maius etiã belli gerari quàm litigare, & imperatorem militiæ quàm iudicem esse alienius à religione uera esse uidetur: sed non omnes imperatores, nec omnia bella is deus damnat, qui per filium dixit, Ne resistatis malo. De qua re multis agit Augustinus aduersus Faust. Manich. libro 22. cap. 74. & 75. &c. Quod si quis uerba eius requirat, propter inopiam librorũ hæc sunt. Quid enim (ait) culpatur in bello? An quia moriuntur quandoq; morituri, ut dominentur in pace uicturi? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocẽdi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerunq; ita culpantur, ut etiam iure puniantur. Aduersus uiolentiã resistentium, siue deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarũ ordine inueniuntur, ubi eos uel iubere tale aliquid, uel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioqui Ioannes cum ad eum baptizandi milites uenirent dicentes, Et nos quid faciemus? responderet eis, Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, uulnerate, prosternite: sed quia sciebat eos cum hæc militando facerent non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat uobis stipendium uestrum. Et ipse dominus illius Centurionis dicentis, Ego homo sum sub pote state constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & uadit: & alij, Veni, & uenit: & seruo meo, Fac hoc, & facit, fidem laudauit, non illius militiæ desertionẽ imperauit. Et quæ sequuntur. Proinde cum ob pacem & tranquillitatem publicam, ob iniurias audacium & auarorum hominũ reprimendas, & æquitatem atq; iustitiam colendam consessus iudicum inter mortales necessario instituatur, deinde uero uir bonus & sanctus esse non possit qui istis non studet aut ipsa promouet, consequitur quod uir sanctus iudex esse possit, imò nisi ipse iudex uir sanctus sit, nihil minus q̃ iudex sit. Iudicis enim est incorruptũ esse. Cæterũ nemo uere incorruptus fuerit, nisi idem & sanctus sit. Proinde soli sancti, ueri & iusti iudices esse possunt. Et hoc est quod Paulus dixit, Cum uestrũ aliquis negotiũ cum altero habet, qua obsecro fronte audet in iniustorũ prodire consessum? cur non magis à sanctis iudicari poscit? Id si curaremus hodie, proculdubio dissiparentur ista aduocatorum, iureconsultorũ & procuratorum rapacissima collegia. Verum hic maxime principum peccatur negligentia. Interim uero ad

An Christianus iudex esse possit?

Bellum est ultimũ in rebus penè desperatis remedium.

Lucæ 3.

Matth. 8.

γλωσσογάσορες.

hunc

hunc modùm puniuntur peccata noſtra. Debebamus quotquot Chriſti nomen profi- *Ioan.13.*
temur à litibus, utpote ex auaritia uel animi impatientia enatis prorſus eſſe alieni: aut ſi *Lucæ 12.*
omnino propter audacium hominum intemperiem & impudentiam pacatis eſſe non li
ceret, curare ſaltem ut iudices rerum externarum conſtituerentur ſanctitid cum non mi
nus atq; prius illud negligatur, meritas pendimus negligentiæ & malitiæ pœnas. Vlti-
mo loco ſententiam à pœnis & præmijs petitam appendit dicens, An neſcitis quod iniu
ſti regni dei hæreditatem non conſequentur? Habet autem euidẽtiam ſingularem quod
per Conceſſionem & Interrogationem dicit, An neſcitis? Habet eadem & tacitam quan
dam antitheſim, quaſi dicat, Dum de terrena hæreditate per fas & nefas colligenda cogi
tatis, æternam amittitis. Negotiatione quidem & cura domeſtica nemo amittit hæredi-
tatem æternam, ſi iuſta ſit, ſed ſi nimia auara & cum iniuria mendacijsq; coniuncta ſit,
1. Timoth. 6. Epheſ. 4. 1. Theſſal. 4. 1. Corinth. 7.

Ne erretis. Neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorum, neq; adul
teri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum maſculis, neq; fures, neq;
auari, neq; ebrioſi, neq; maledici, neq; rapaces regni dei hæreditatem
accipient.

Non neſciebant Corinthij auaritiam, iniuriam & iniuſtitiam è regno cœlorum exclu- *Corruptela mo*
dere: ſed uſuueniebat interim eis quod uulgato celebratur uerſiculo, Corrumpunt mo *rum ex uanilo-*
res bonos colloquia praua. Erant enim prophani quidam ex Gentibus homines, qui ar *quio.*
tes quaslibet honeſtas eſſe iactitabant, quibus peruenireturad opes: in horum ore nun-
quam non iſtæ uerſabantur ſordidorum hominum ſententiæ, Lucri bonus eſt odor ex
re qualibet, Lucrum pudori præſtat, Vnde habeas curat nemo, ſed oportet habere, Et ge
nus & formam regina pecunia donat. Tale eſt & illud Sophoclis, τὸ κέρδος ἡδύ (ait) κἄμ
ἄνδρ' ὑβριστὴν ἐξ, id eſt, Dulce eſt lucrum profectum & à mendacijs. Item, Vmbræ ſomnium
homo. Nullum tempus iucundum quod non uoluptate tranſigitur. Edamus & biba-
mus, cras enim moriemur. Accedebat ad hoc quod prophani hi homines ex furtis, ra-
pinis, mendacijs & artibus nephandis diteſcerent, ſatisq; felici & tranquilla uita laſciui-
rent, & per omnia intemperantiæ & uoluptatum genera graſſarentur. Id autem pios af-
flictos aliâs offendebat plurimum. Quin & in Pſalmis & prophetis frequentes legere eſt
expoſtulationes ſanctorum cum deo, quod impijs concedat feliciore fortuna uti, pios
uero omni genere malorum uexari. Cæterum quemadmodum propheta in Pſalmo 36.
ait, Noli imitari malos, nec æmuleris facientes iniquitatem. Quoniã ſubito ſicut fœnum
deciduntur, & ſicut uiride gramen marceſcunt. Tu uero in dominum ſpera, & quod bo
num eſt operare, ut terram inhabites & uerè paſcat te: ita hoc loco Paulus dicit, Ne erre-
tis, ne ſeducamini inanibus prophanorum uerbis, aut proſperiore impiorum fortuna:
hoc habetote pro certo, quod neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorum, &c. re-
gnum dei hæreditabunt. Recenſet autem ea ſcelera quæ apud Corinthios uulgatiſſima
erant. De Scortatione paulò poſt plura. De Idololatria in 5. capite, & aliâs ſæpe dictum
eſt. Adulterium notius eſt quàm conueniat. Μαλακοὶ, id eſt, molles uelut euirati ſunt, qui
prodigioſæ libidini inſeruiũt, quales Græcia ſemper plurimos habuit. Theophylactus,
Molles (ait) uocat qui fœda & nefaria patiuntur, ſubiungit enim & qui turpia factitant,
qui ſcilicet maſculis mulierum uice abutuntur. Cœlius antiq. lectio. lib. 3. cap. 15. μαλακί- *Romæ.1.*
κία (ait) prægnantium Plinio eſt mollities quædam & defectio, cum languentes modo
hoc modo illud appetunt, adeò ut terram quoq; uorare appetant nonnullæ. Proinde
metaphoricos μαλακοὶ homines dicuntur fœdis & inſolitis libidinum concupiſcentijs
dediti. Sequitur ergo ἀρσενοκοῖται quo rem per ſe fœdiſſimam quàm potuit minime fœ
de ſignificauit. Fures ſunt qui dolo malo & fraude fratribus imponunt, iuxta illud Pau-
li ad Epheſios 4. Qui furabatur, non amplius furetur, magis autem laboret operãdo ma
nibus quod bonum eſt, ut poſſit & egenti impartiri. Auari πλεονέκται ſunt, qui plus cu-
piunt & corradunt quàm par ſit. Probe enim Budæus, πλεονεξία (ait) eſt habendi acqui
rendiq; cupiditas immodica auaritiaq; circumſcribens quæ ſibi partem maiorem iuſta

præcidit,& uitium eius qui in omni re præcipuum habere uult. Quoniam uero homines cupidi,fraudulenti,& interdum uiolenti esse solent,iccirco πλεονεκτεῖν pro fraudare & eripere extorquereq; ponitur. De ebriosis dixi in cap. 5. Reliqua item notissima sunt.

Atq; hæc eratis quidam,sed abluti estis,sed sanctificati estis,sed iustificati estis per nomen domini Iesu,& per spiritum dei nostri.

Iam à pristinæ uitæ fœditate absterret per illud,maxime quod ad uitæ sanctæ disciplinam mundati atq; uocati sint. Sic enim alibi dicit, Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodem? Et Petrus, Sat nobis est quod anteacto uitæ tempore uoluntatem Gentium patrauerimus. Habet tamen correctionem oratio. Nam ne omnibus ista uideretur impingere flagitia,adiecit, Atq; hæc eratis quidam. Non enim omnes,sed quidam ex illis tales fuerant. Est & emphasis in dictione Eratis, quasi dicat alios iam esse conuenit. Præterea diuersis uerbis eandem rem significat cum ait, Abluti,sanctificati & iustificati estis. Abluti uero dixit propter sacrum baptisma, Sanctificati propter spiritum sanctũ,Iustificati autem propter fidem iustificantem. Sequitur enim, Per nomen, id est uirtutem & potentiã domini Iesu,& per spiritum dei nostri. Eadem enim est essentia,uis & maiestas patris,filij & spiritus sancti. Recte enim ex hoc loco colligunt Catholici sacrosanctæ Trinitatis mysterium. Hinc item colligimus unum deum remittere peccata nostra. Sancte uero D. Ambrosius,Hæc omnia (inquit) beneficia puritatis in baptismate consequuti noscuntur, quod est fundamentum euangelicæ ueritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis abluitur credens,& iustificatur domini nomine, & per spiritum dei nostri deo filius adoptatur. Per hæc admonet illos quãta & qualis sit gratia quã per ueram traditionem consequuti sunt: postea uero contra hanc regulam fidei impulsu malorum Doctorum sentiẽtes his beneficijs se exuerint. Vnde id agit ut reuocet illos ad primam sententiam, ut recuperent quod fuerant consequuti. Hactenus Ambrosius.

Roma. 6. 1. Petri 4.

Purgatio criminum.

CONTRA LVXVM ET SCORTATIONEM.

Græcorũ luxus.

Iam uero luxum & quæ ex illo sequitur libidinem fœdam in Corinthijs persequitur, qui hisce morbis infecti grauiter laborabãt. Multa quidem in Græciæ leuitatem,luxum & uanitatem scripsit M. Cicero in oratione pro L. Flacco: sed & ueteres Pergræcari pro eo dixere,quod est genialem uitam agere. Nam Plautus in Mustellaria,

Dies (inquit) noctesq; bibite,pergræcamini,
Amicas emite,liberate,pascite parasitos,
Obsonate pollucibiliter.

Corinthiorum scortatio.

Quid quod κορινθιάζεσθαι Corinthiari prisci uulgato ioco dicebant eos qui uoluptatibus & scortationibus indulgerent, & lenocinium exercerent. Nam Corinthi referunt scriptores templum fuisse Veneri sacrum,adeoq; locupletatum, ut plus mille puellas haberet,quas Corinthij consecrarant Veneri, ut in eius honorem prostarent. Itaq; harum gratia frequens in urbe multitudo undiq; confluebat perpotabat scortabaturq;. Distento enim uentre (ut ait Hieronymus) distendũtur & ea quæ uentri adhærent,significans nimirum libidinem esse gastrimargię comitem. Paulus ergo in gastrimargiã & nimium gulæ uentrisq; studium sic scribit.

Omnia mihi licent,sed non omnia conducunt. Omnium mihi potestas est,at ego non redigar sub ullius potestatem. Escæ uentri destinatæ sunt,& uenter escis: deus autem & hunc & illas abolebit.

Abusus libertatis ad luxum.

Mimesim,hoc est,imitationem alienorum uerborum uidentur resipere uerba apostoli. Erant enim in Corinthiorũ ecclesia multi,quemadmodum & apud nos plurimos habemus,qui libertate Christiana abutebantur ad occasionem carnis,dicentes,Omnia nobis licent,quis ergo prohiberet uel lautius epulari,uel cuticulã curare,uel genio indulgere? Tales enim uel hodie sacrilegas audimus carnaliũ hominũ uoces, sed Paulus, Omnia (ait) licent,quæ scilicet expediũt & honesta sunt. Quæ enim honesta & cõducibilia non

sunt

sunt, prohibita sunt. Est autem omnis intemperantia prohibita, hinc conducibilis non est, iccirco neq; licita: ergo libertate Christiana abutuntur qui temere asserunt Omnia licere. Rursus, Omniũ quidem mihi potestas est, sed eatenus ne ipse in ullius redigar potestatem. Liber enim non est qui in alterius potestate est. Qui autem uentri & gulæ seruit quomodo is liber esse potest? Proinde cum reuerentia & timore dei pronuntianda intelligendaq; est hæc sententia, Omnium mihi potestas est, ne per nimiam licentiam potestate nostra excidamus. His addit, Escæ in hoc à deo sunt creatæ, ut corpus hominis confirment: sed & ipsum corpus humanum escis indiget, necessitatem ergo nemo prohibet. Vesci sanè licet quibuslibet, sed moderate, sed in loco. In hoc quidem libertas est. Interim meminerimus & corpus & cibos res esse momentaneas, & perituras, & ideo indignas quarum studio & uoluptate æternis bonis excidamus. Equidem non ideo uiuimus ut edamus et bibamus, sed ideo edimus ac bibimus ut uiuamus. Paucis quidem natura cõtenta est. Edamus ergo & bibamus cum timore dei & gratiarum actione quantum sat est, & quantum uitæ necessarium est sustinendæ, luxum relinquamus ijs quorum deus uenter est. Nos credimus hoc corpus nostrum aliquando uermibus proponendum esse in cibum, & omnes lautitias & delitias tandem forè abolendas, cur obsecro rei usq; adeo caducæ & uanæ posthac cum periculo uerorum bonorum niteremur? Alij hunc locum secus exponunt, sed hic sensus uidetur & simplicior esse & contextui Paulino accomodatior.

Ioan.8. *2.Pet.2.* *Rom.6.*

De cibo moderato et necessario.

Corpus uero non stupro, sed domino, & dominus corpori. Deus autem & dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam.

Iam multis argumẽtis conatur abstrahere à Scortatione quæ finitur esse soluti cum soluta coitus. Video tamen apostolum hac uoce πορνείαν generaliter usum esse pro omnis generis immunditia. Primum uero argumentum traxit à dignitate nobilitateq; humani corporis. Corpus (ait) non in hoc homini datum ut immunditia hoc commaculet, sed ueluti sanctum Christi membrum deum in uitæ sanctimonia colat. Ideo enim dominus corpus nostrum assumpsit, ut frater noster & caput nostrum fieret. Iam cũ incarnatione caput nostrum factus sit, & carnem Christi è mortuis suscitarit deus, consequẽs est quod & membra Christi, hoc est corpora nostra è mortuis excitabuntur: ideo cum tanta sit corporis humani dignitas indignum est ut illud stupro mancipemus. Quod si quis roget quomodo illud corpus quod in sepulchro corrumpitur resurgere possit? expendat quæ sit uis & potentia dei, qui quæ uult potest. Vult autem ut corpus resurgat, ergo potest corrupta resuscitare membra. Sed de his postea.

In Scortationẽ.

Resurrectio.

An nescitis quod corpora uestra membra sunt Christi? Num igitur tollẽs membra Christi, faciam scorti membra? Absit. An nescitis quod qui adglutinatur scorto unum corpus est? Redigẽtur enim (inquit) duo in carnem unam. At qui adglutinatur domino unus spiritus est.

Ista adijciuntur per interpretationem. Dixerat, Corpus non stupro sed domino, & dominus corpori. Itẽ, Deus dominũ suscitauit, ergo & nos suscitabit, id iam planius exponit dicens, Nam corpora nostra sunt membra Christi. Sic inquam corpus nostrum domino non stupro dicãdum. Et si caput suscitatum certè & membra suscitabuntur. Figurat tamẽ hanc sententiam per interrogationem ut omnia fint ardentiora. Huic mox aliud adiungit argumentum ab indecoro sumptum & per subiectionem suffiguratum, Hæc cum ita habeant, quis eo dementiæ ueniat, ut post hac membrum Christi, id est corpus suum baptismo, gratia, & fide sanctificatum tollat & ex isto putidum scorti fœtentis membrum faciat? Nemo prorsus. Iam ne quis obijceret, Istud non sequi quod per scortationem membra Christi transmutarẽtur in scorti membra, probationẽ subiũgit pari ardore illatã: An nescitis quod qui agglutinatur scorto unũ corpus est? Hic iterũ appendit pronuntiatũ ex 2. Gen. cap. transcriptũ, Redigentur enim duo in carnem unam. Et quo plus uirium haberent omnia superaddit & contrarium, At qui agglutinatur domino unus spiritus est. Paraphrastes porrò hunc locũ elegãter hisce uerbis explanauit,

An uos illud fugit quod eſt clariſſimum, eum qui agglutinatur ſcorto idem corpus cum eo fieri? Sic enim legimus in Geneſi de marito & uxore, Et duobus fiet una caro idemq; corpus. Nam ut in licito matrimonio honeſtus conſenſus è duobus animis unum reddit, corporum legitima commixtio è duobus unum efficit, ita in nephario coitu quiſq; fit idem cum eo cui ſe turpiter admiſcet. Quod ſi fœdum habetur ſi corpus ſuum uxor, fraudato marito, cum adultero miſceat, ita nepharium eſt corpus Chriſto ſemel conſecratum putido ſcorto miſcere. Nam qui domino Ieſu agglutinatur ob corporis & capitis communionem unus cum illo ſpiritus redditur, cui cum puriſſimus ſit, peſſime conuenit cum ſpurca libidine, quæ mentis uſum adimit homini, ac uelut in brutã pecudem transformat. His ſi libet adde alios ſcripturæ locos, ſcriptorum prophanorum cum poëtarum tum hiſtoricorum ſententias, exempla & figmenta.

Oſee 4.

Fugite ſcortationem. Omne peccatum quodcunq; fecerit homo extra corpus eſt: ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat.

Scortator in proprium corpus peccat.

Amplificat negotium. Non enim dicit, Vitate ſcortationẽ, ſed, Fugite ſcortationem, haud ſecus ac inſectatricem aliquam quæ ſemper nos urgeat, ut aſſequatur & in cœnum proculcet, atq; ex filijs dei faciat filios diaboli. Et ſanè nihil adeo nos inſectat atq; carnis concupiſcentia. Deinde collatione quadam grauitatem huius peccati amplificans ait, Omne peccatũ quodcunq; fecerit homo extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat: quem locum ſcriptores ſacri uarie interpretarunt: ſed expoſitus uidetur eſſe ſenſus. Corpus enim hoc loco non uſurpauit pro carnali iſto corpore noſtro quod per ſcortationem commaculatur, ſed pro illo ſpirituali corpore & fœdere, de quo hactenus loquutus eſt, nos uidelicet membra adeoq; & corpus eſſe Chriſti, & ſpiritum noſtrum unum eſſe cum ſpiritu Chriſti. Dicit ergo, Nullo alio peccato perinde in corpus hoc, id eſt in fœdus hoc dei peccatur atq; fornicatione. Nam & apud homines nullo delicto ius, imò corpus matrimonij magis uiolatur quàm fornicatione ſiue adulterio. Et in 7. cap. audiemus, Vxor proprij corporis ius non habet, ſed maritus: ſimiliter & maritus proprij corporis ius non habet, ſed uxor: proinde matrimonij fœdere unũ quodpiã commune corpus ambobus conſtituitur, ut nunc in proprium corpus peccaſſe dicantur, qui ſe polluerint complexibus alienis. Habet ergo argumentatio Pauli poſt collationem etiam occultam quandam alluſionem.

An neſcitis quod corpora ueſtra ſint templum eius qui eſt in uobis ſpiritus ſancti, quem habetis à deo, & non eſtis ipſi ueſtri iuris? Nam empti eſtis pretio.

Corpora noſtra templa ſpiritus ſancti.

Iterum à dignitate corporis humani deterret à fornicatione. Corpora, inquit, ueſtra in templa ſpiritui ſancto ſunt conſecrata: non ergo conuenit ut per immunditiam polluamus noſipſos. Nemo ſanè impune polluerit palatium principis: ſummi ergo principis indignationem in ſe prouocant qui ſponte uenientem & manſionem apud ſe facere parantem tetro libidinis fœtore propellunt, imò qui acceptũ iam olim in baptiſmo ſpiritum immunditia fœda exturbant. Quod autem hic de fornicatione dicimus, id de omni immunditia intelligendum eſt. Rurſus hanc ipſam fornicationem plagio ſimilem facit, alludens ad morem & inſtitutum hominum, qui quos emerunt ita proprios habẽt, ut omne ius corporis emptitij ſit penes emptores, plagium q; admiſerit, qui hoc abduxerit, aut à hero alienarit mancipium. Dicit ergo Paulus, Empti eſtis pretio, ergo non eſtis ipſi ueſtri iuris. Proinde qui corpus ſuum mancipat fornicationi, plagium committit, & hoc turpius quo nobiliori pretio empti ſumus. Sumus autem empti ſanguine filij dei, qui nos morte ſua redemptos, ſuos effecit, ut iam membra noſtra non nobis noſtræq; libidini, ſed domino obſtricta ſint ſeruitute.

2. Cor. 3. cap.

1. Petri 1.

Glorificate iam deum in corpore ueſtro & in ſpiritu ueſtro, quæ ſunt dei.

Illatio eſt ad ſuperiorem diſputationẽ. Quaſi dicat, Cum ergo deus uos ſibi per mortem

tem filij prorsus obstrinxerit, ita ut animo & corpore peculium dei sitis, animo quoq; & corpore deo inseruite, munditia & sanctimonia glorificate. Tametsi enim deus in natura sua per nos neq; clarior neq; obscurior reddatur: tamen apud homines suo modo infamatur impuritate suorum, & cohonestatur puritate uitæ nostræ. Obseruandum uero in primis quod corpori animum iunxit, nulla enim est corporis castitas quæ non ex puro enascitur corde. Plura habes in 1. ad Thessal. 4. & ad Ephes. 4.

Deus in nostro corpore glorificandus.

DE CONIVGIO.

Scholiastes post Ambrosium ex Græcanico huius epistolæ argumẽto annotauit Corinthi fuisse quosdam qui ut puriores cæteris uiderentur per hypocrisim nuptias docebant aspernãdas, quod cum multi amplecterentur in turpem fornicationẽ delapsi sunt. Id enim usu uenire solet, ut turpiter in profundum uitiorum demergamur, cum nostri capitis figmenta sequi malumus quàm sanctam dei institutionẽ. Erant præterea qui castitatis prætextu ab uxoribus siue maritis, posthabito imò rupto cõiugij uinculo, diuerterent: id quod multis apud Corinthum uiris bonis & sanctis impium uidebatur. Cæterum cum pseudapostoli continentiam supra modum laudarent, & suæ hypocriseos (ut fit) asseclas & fautores haberent plurimos, ueræ pietatis cultores à Paulo per literas quæ fierunt quid hac in re conueniret sequi, quid non cõueniret? Respondet ergo hoc 7. cap. plurima quoq; huic affinia negotio, nec pœnitenda prorsum annectens exponensq;.

Doctores castitatis fictæ.

Similia inuenias & apud Pontificios.

CAP. VII.

Cæterum de quibus scripsistis mihi, Bonũ est homini uxorem non attingere: attamen propter stupra uitãda, suam quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum habeat.

Apparet Corinthiorum doctores incommodis matrimonij abstraxisse à coniugio, commodis uero ad fictum inuitasse cœlibatum: id quod uel hodie solent Scortationis & simulatæ sanctitatis patroni. Dicit ergo Paulus, Fateor equidem hominem quemlibet per coniugium maximis inuolui negotijs ac curis, ut nunc commodius quidem sit abstinere à coniugio: uerum cum non tantum quid commodum uel incommodum, suaue uel utile, sed etiam quid pium honestúmue sit spectandum, consultius est ut cuiq; sua sit uxor, & suus cuiq; maritus, ne parum feliciter quod est optimum affectantes per occasionem in deteriora prolabamur. Hæc de sensu. Iam uero hisce plurima insunt, quæ accuratius uidentur obseruanda. Primum, Bonum καλὸν hic pro commodo & quieto usurpari, nõ autem pro bono siue honesto quod opponitur uitio siue malo. Falsò ergo colligit qui sic argumentatur, Si bonũ est non tangere mulierem, malum igitur est tangere: cum bono malum sit contrarium. Certè ut tum erant tempora, etiamsi nihil incõmodi aliás secum trahat coniugium, præstabat mulierem non tangere. Nam propter uenturã tempestatem bellicã malorumq; procellas, & Ieremiæ dicebatur, Noli uxorem ducere: non quod peccatum, sed incommodum tum esset uxorem ducere. Cæterum ἅπτεσθαι, id est attingere, iuxta proprietatem Græcanici sermonis non modo significat manu cõtingere, sed commercium siue rem habere: ut nũc sensus sit, Bonum est abstinere ab uxore, id est, nullam ducere uxorem commodum est. Nam & paulò post ait, Arbitror igitur hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Deinde obseruandũ quod & Scholiastes monuit, πρρνείαν hoc in loco non tam fœde ut aliás usurpari, sed pro ui carnis ingenita. Ne ergo illa nos in discrimen abducat, permissum est connubium, quod quidem duorum inter sese uiri & mulieris legitimus finitur esse consensus confœderatioq;. Duorum inquam, non pluriũ. Deus enim dixit, Erunt duo in carnem unã. Quod enim legimus ex sanctis patriarchis & regibus quosdam Polygamos fuisse qui simul plurimas sibi copularunt uxores, legi dei nihil derogat: neq; ea nobis exempla statuuntur imitãda. De qua re alibi docte disputauit Augusti. Quoties uero hanc Pauli de non ducẽdis, & tamen ducendis uxoribus lego sententiam, egregia illa Metelli Numidici uenit in mentem oratio, cuius fit mentio apud Aul. Gell. Noct. Att. lib. 1. cap. 6. In hac enim idem prorsus dixit, quod Paulus quanquam alijs uerbis, hisce uidelicet, Si fine uxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis

Bonum est uxorem nõ ducere: sed pessimum scortari.

Ieremiæ 16.

Connubium quid sit?

commode, nec fine illis ullo modo uiui possit, saluti perpetuæ potius q̃ breui uoluptati consulendũ. Tantum Censor ille omnium integerrimus.

Vxori uir debitam beneuolentiã reddat, similiter autem & uxor uiro. Vxor propriĩ corporis ius non habet, sed maritus. Similiter & maritus propriĩ corporis ius non habet, sed uxor.

Congressus coniugalis.

Sed malum est incontinentia siue libido, inquis. Sanè, sed extra connubium. Ad Hebræos enim 13. cap. dicit idem Apostolus, Honorabile est inter omnes connubium & cubile impollutum. At quid aliud est cubile coniugatorum, quàm mutui complexus? At hi inquit impolluti sunt, id est, pro incontinentia non reputantur. Idem certè hoc loco dicit, nimirũ ne coniugũ alter sese in toro coniugali uel peccare crederet, uel difficilem sese alteri præberet. Talia enim uidentur tum fuisse tempora qualia ferè nostra sunt: in quibus uidemus & audimus plurimas de factione Catabaptistarum uxores uiris suis sancti moniæ & peccati prætextu negare debitum. Et Corinthiorum uxores falsò à pseudapostolis persuasæ nil aliud faciebant. Viri uero ab uxoribus discedebant. Proinde uerus Christi apostolus Paulus diuersum ex sententia domini statuit dicens, Vxori uir debitam beneuolentiam reddat. Qua loquutionis forma rem parum uerecundam uerecunde nouauit. Omnino enim coitum significauit. Equidem coniugium duas ob causas potissimum contrahitur, cum ut sancta soboles in gloriam dei & emolumentũ reipublicæ educetur, tum ut in uera sanctimonia corpora nostra possideamus, ut Paulus ait, neq; ipsa fornicatione turpi commaculemus. Fit igitur ex hac posteriori causa ut complexus coniugalis Debitum dici cœperit. Qui & cum beneuolentia ac timore reuerẽtiaq; numinis ab ijs redditur, qui cur institutum sit matrimonium ad hunc modum expendunt. Hoc ipsum respiciens sanctissimus & constantissimus confessor dei Paphnutius, cuius mentionem fecit ex Sozomeno Epiphanius, castitatem esse dixit concubitum cum coniuge propria. His firmis aliàs & solidis caussam appẽdit, cur debitum non sit negandũ, Vxor enim propriĩ corporis ius non habet, sed maritus: similiter & maritus propriĩ corporis ius non habet, sed uxor. Matrimonium enim ex duobus unum facit corpus commune, ut uxor sui copiam nec marito negare, nec alteri facere debeat: pari ratione neq; maritus sui copiam uxori negare, uel alteri facere possit.

Debitam beneuolentiam reddere.

1. Thess. 4.

Ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi, & rursum in unum conueniatis, ne tentet uos satanas propter intemperantiam uestram. Hoc autem dico iuxta indulgentiam, non iuxta præceptum. Nam uelim omnes homines esse ut & ipse sum. Sed unusquisq; propriũ donum habet ex deo, alius quidem sic, alius autem sic.

Fraus in debito præstando.

Fraudat qui rem debitam subtrahit, & per hoc alteri fornicationis occasio existit. Videtur autẽ hæc quasi illatio esse ad superiora. Quasi dicat, Cum ergo per matrimonium in unum corpus coaluistis, ut neutrum posthac sui corporis ius habeat, deniq; matrimonium in hoc inuentum ac concessum sit, ne concupiscentia fœda superati nosmet scortatione contaminemus, neutrum in hoc corpore & matrimoniũ fœdere alterũ fraudare debet debito, & per hoc in periculum fornicationis coniicere. Sic enim spem fefellisset alterius, quod per coniugium subterfugere uoluit scortationis crimen, in quod iam per tuam fraudem, id est per detrectationẽ officij debiti incidit. Pereant ergo qui audent coniugium asserere scortationem esse honesto titulo tectam. Nam cubile coniugũ impollutum est: scortatores autẽ & adulteros iudicabit deus. Pereant qui & sanctimoniæ castitatisq; prætextu alteri coniugũ aut utrisq; suadent, uel debitũ non præstãdum esse, uel detrectatione debiti officij nil minus q̃ peccari. Est tamẽ in his quoq; modus quidã & ratio certa obseruanda, ne prorsus concupiscentia adobruti obbrutescamus. Addit ergo, Nisi si quid ex cõsensu, pro tẽpore, ut uacetis ieiunio & precationi. Ingruũt eñ mala ecclesiæ, obturbant pericula rem domesticã, uaria deniq; incõmoda uexant uel sanctũ coniugiũ: hic

Modus in re qualibet optimus.

hic ergo licebit ſecubare ad tempus. Vide autem quanta diligentia proſpiciat omniaq; ceu uirgula circumſcribat, quæ mira euidentia hiſce uerbis expoſuit Paraphraſtes, Neuter igitur ſtudio caſtitatis fraudet alterum, niſi ſi quid inter uos cõuenerit, utrinq; aſſentientes, ut ad tempus à congreſſu temperetis, quo magis defecatis animis uacetis precibus ſacris ac cœleſtium rerum meditationi, quod corporum ille complexus nonnihil hebetare ſoleat animi uigorem. Ergo aut neuter aut uterq; contineat, ſed ex pacto, nec ob quamlibet cauſſam, ſed ſtudio rerum cœleſtiũ, neq; nimium diu, ſed ad tempus aliquod, ac mox ad priſtinam conſuetudinem redeatis, non quod non intelligam optimum eſſe ſi quis iugiter uacet pietati, ſed quod periculum uideam, ne ſatanas qui nuſquam non uigilat in ueſtram perniciem, uos ad libidinem procliues per hanc occaſionem pelliceat ad deteriora. Malo quod imperfectius eſt, modo ſit tutum, quam id quod præclarius eſt, „ ſed cum magni mali periculo coniunctum. Hactenus Paraphraſtes. Rurſus ne illi ſibi le „ gem impoſitam crederent, denuo corrigit & ait, Hoc autem dico iuxta indulgentiã non iuxta præceptum. Id eſt, quod doceo ad tempus abſtinere à complexibus, quod iterum iubeo ad amplexus redire, nequaquam lege lata ad hoc uel illud amplexandum compello, ſed conſcius infirmitatis humanę ueſtris periculis cõſulo liberumq; eſſe indico hoc an illud pro ratione rerum & temporum eligatis. Aliâs uellem quidem omnes qui ſcilicet caſtitatem ſimulant (obſerua ſynekdochen) & ab uxoribus diſcedunt, eſſe ficut ego ſum, qui ſcilicet iugis fractus laboribus haud aueo complexus illos Venereos. Rurſus ne cui ſuo exemplo occaſio exiſteret fornicationis, per correctionẽ ſubiungit, Sed unuſquiſq; proprium donum habet ex deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Ex quo loco facile colligere licet quod caſta illa quorundam ſanctiſſimorum uirorum exempla neminem ad cœlibatum compellunt. Non enim hac in re aliorum dona & exempla ſunt ſpectanda, ſed diligenter expendendũ cuilibet quid doni ipſi contigerit. Non enim omnes (ut ait dominus) capiunt uerbum illud, ſed uaria ſuis dona impartitus eſt deus. Proinde ſi Paulus cœlibem uitam egit, inde tamen non conſequitur quod ad eius exemplum cæteri uel homines, uel miniſtri uerbi cœlibes uiuere cogantur. Certe Eraſmus in Annotationibus, Vel ex hoc (inquit) loco conĩcere licet Paulo fuiſſe coniugem, poſteaquam de coniugatis agens ſui facit mentionem. Siue uero habuerit atq; ab ea ex cõſenſu abſtinuerit, hoc eſt illam ſecum non circumduxerit, ut expeditior eſſet ad munus apoſtolicũ obeundum, id quod Clemens ille apud Euſebium ſenſiſſe uidetur Eccleſiaſt. hiſto. lib. 3. capite 30. ſiue illa è uiuis cõceſſerit ad ſuperos ipſo uiduo relicto, ſiue nullam habuerit, hoc tamen certum eſt quod huius exemplum nemini certam præſcribit legem, ut uel ipſe cogatur ab uxore abſtinere, uel prorſus nullam ducere, uel omnino ducere, ſi continere poteſt. Adiecit enim, Sed unuſquiſq; propriũ donum habet ex deo, alius quidem ſic, alius uero ſic, nimirum alludens ad uerba Saluatoris quæ extant apud Matth. in 19. cap. Notiſſimus autem eſt hic idiotiſmus, Alius quidem ſic, alius uero ſic, uel ex idiomate Germanico, *Einer alſo, der ander alſo*, quo maximam inter ſe rerum diuerſitatem ſignificamus.

1. Petri 5.

Caſta exempla non ſtatuunt legem cõmunem.

Matth. 19.

DE DIGAMIA.

Dico autem inconiugatis & uiduis, bonum eis eſt ſi manſerint, ut & ego. Quod ſi ſe non continent, contrahant matrimonium. Nam ſatius eſt matrimonium contrahere, quàm uri.

Iam & de Digamia diſſerit. Erant enim apud Corinthios ſanctuli, qui tametſi ius coniugij non adimerent, nolebant tamen iterari matrimonium, poſteaquam mors alterum coniugũ liberaſſet ab altero. Sed Paulus in hac ut & in ſuperiori cauſſa ſic ſentit, Commodum quidem & præclarum eſt ſi quis ſemel liberatus coniugali uinculo, in libertate uera ſe deo dedicat. Atq; id expertus quidẽ loquor: uerum ut ſupra monui unuſquiſq; proprium donum habet, ut ne hic quidem ulli fornicationis ponenda ſit occaſio. Ergo qui ſe non continẽt contrahant matrimoniũ. Cauſſa uero huius conſilij hæc eſt, Melius eſt matrimonium contrahere quàm uri. Cæterum Vri, ait Ambroſius, eſt deſiderijs agi

uel uinci. Loquitur enim de Libidinis incendio, quod & animum & corpus mira mole stia afficit, imò & absumit. Dicit ergo, Multo melius ei est qui castitatis donum non habet, sed subinde uiolētis stimulis libidinis incitatur ad scortationis studium, ut uxorem ducat, atq; ita æstuātes carnis flammas compescat, quàm ut sanctimoniam simulans interim in fœda libidinis prurigine contabescat, imò uictus tandem in grauius aliquod flagitium demergatur. Istis porrò omnibus nemini matrimonio interdicit, neminem item ad matrimonium compellit, sed cuiuis liberum facit quodnam uitę genus amplectatur. Interim uero immunditiam damnat, munditiam uero suadet, iubetq; quisq; apud se diligenter expendat quid doni acceperit à deo, an continere possit, an plus uratur, quàm tutum sit istis sese flammis perpetuo addicere. Atq; utinam diligentius ista expendissent qui sacerdotibus coniugio interdixere, & monachorum monacharumq; multas myriades infelicibus atq; stultis uotis in fœdissimæ libidinis incendium præcipitarunt, uel in ipsam naturæ legem peccantes, quæ simul cum hac dei lege censet melius esse matrimonium contrahere quàm uri. Verum ipse sanctus dei spiritus prædixit in postremis temporibus uenturos qui matrimonium contrahere prohibeant, idem quoq; hos ipsos puniendos & extrema afficiendos esse ignominia certissima fide annunciauit. Et nos quidem illos ipsorumq; sectatores extrema affectos esse ignominia uidimus, & deū uerum & sanctum esse confitemur, cui soli gloria semper. Illud exciderat τοῖς ἀγάμοις referri ad uiros uiduos propter articulum præcedentem, ταῖς χήραις ad mulieres uiduas. Colligi ergo uel ex hoc loco poterat Paulo fuisse uxorem. Siue uero fuerit, siue non fuerit, certe immota perstat hæc sententia, qui se non continent contrahant matrimonium. Qui uero id iuste contraxerunt, ne temere & quaslibet ob caussas uel etiam commoditates dissoluant. Sequitur enim.

In immundū cœlibatū quorundam.

1. Timoth. 4. 2. Pet. 2. Roma. 1.

At coniugatis præcipio non ego imò dominus, Vxor à uiro ne separetur: quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito recōcilietur, & maritus uxorem ne dimittat.

Separatio in matrimonio illicita.

Monuimus in principio huius capitis 7. fuisse apud Corinthios qui sanctimoniæ & castitatis prętextu uel maritos uel uxores relinquerent. Cuius rei gratia ueræ pietatis cultores apud Corinthios Paulum per literas interrogasse, Num iure id fieri possit? Et hactenus quidem plurima præmisit quæ ad hanc quęstionem expediendā faciebant, nunc demum planis uerbis respondet quod prorsus non liceat. Cæterum ut plus authoritatis haberet sententia, legem domini allegat, ea extat apud Matth. in 19. cap. in hæc uerba, Dico uobis quod quicunq; repudiauerit uxorem suam nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is adulterium cōmittit, &c. Proinde iuxta hanc legē iuste nunc respondens pronunciat, Vxor ne separetur à uiro: quod si separata fuerit, maneat innupta aut marito reconcilietur. Obseruandum autem separandi uerbum, quod qui non obseruant, contendūt nullum omnino matrimonium iure dirimi posse: neq; liberum ei parti esse, quæ diuortio caussam non dedit, ut alteri se coniungat. Paulus enim hic nihil agit de Diuortio & caussis eius, sed de illa separatione quæ religionis gratia aut qualibet de caussa uel leui offensa, uel altero coniugum reclamante nulloq; iuris sententia intercedente fiebat. Hic ergo uxorem hac de caussa à uiro separatam iubet innuptam manere aut marito reconciliari. Nam dominus in Euangelio diuortium admisit, sed certa de caussa, quæ scilicet stupro adulterióue non sit minor. Iudæi uero ac Gentes quibuslibet ferè de caussis dirimebant matrimonia. Vetuit ergo Paulus & ante ipsum Christus, ne quaslibet ob caussas, ne in specie quidem bonas id facerent. Porrò de Diuortio non est quod plura scribam, cum Erasmus in Annot. Noui testamenti de hoc copiose & erudite disputarit, & post hunc dilectissimus frater noster D. Martinus Bucerus in suis illis pijs & doctis Euang. Enarrationibus.

μὴ χωρισθῆναι.

DE IMPARI CONNVBIO.

Reliquis autem ego dico, non dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem,

infidelem, & hæc assentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam: & mulier quæ habet maritum infidelem, & is assentitur ut habitet cum ea, ne dimittat illum.

An Christianus ab uxore infideli diuertere possit.

Iam ut intelligerent quàm dedeceret Christianos separari uel ab uxoribus, uel à maritis, palàm hisce uerbis ostendit ne ob religionem quidem diuersam dirimendũ esse matrimonium. Atq; ita quoq; ad quæstionem illorum respondet, qui interrogarãt, an propter diuersam religionem Christiano ab uxore infideli diuertere liceat? Respondet autem, Si fratri, id est uiro Christiano obtigerit uxor incredula, quæ tamen ob religionem Christianam à marito non discedat, sed eum officiose obseruat ac officia præstat debita, non debet ipsam eijcere frater. Rursus si mulier susceperit fidẽ Christi, maritus uero suscipere hanc nolit, interim uero nihil offensus diuersa religione officiosum præstat maritum, non est quod talem deserat mulier Christiana. In his uero duo obseruanda ueniũt. Prius quod Paulus hic dicit, Reliquis autem ego dico, nõ dominus: nemo sic intelligat, quasi ex suo (quod aiũt) capite Paulus hoc instituerit citra diuinæ legis regulam, qui alibi dixit, Non ausim loqui quicquam eorum quæ non effecit Christus per me &c. item in fine huius capitis, Confido quod & ego spiritum dei habeam: sed quod præcepta dei sint in duplici differentia. Sunt enim præcepta certis uerbis et ab ipso deo expressa, quale illud est quod iam audiuimus, Vxor à uiro non separetur. Sunt & alia quæ disertis dei uerbis non expressa quidem sunt, sed ex ijs per certã fidei & charitatis regulam colligun tur, quale hoc est quod de impari tulit connubio. Et huius quidem generis multa habemus in ecclesia. De quibus iam non est dicendi locus. Certè hinc iam claret quantam debeamus Legibus diuinis reuerentiam. Paulus enim qui non ignorabat diuinũ & sacrosanctũ id esse quod præcipiebat, noluit tamen id legis diuinæ titulo decorare, sed suum esse dixit, quod re uera spiritus dei erat, uerũ non claris expressum uerbis. Tam prudentem & cautum esse decet ueritatis doctorem. Cæterũ Pontificij huius uel prorsus ignari uel immemores, stultas fabulas, leges iniquas & constitutiones ad corradendas opes inuentas institutasq; ecclesiæ dei impudenter pro diuinis obtrudunt traditionibus, sed amentia illorum Pauli modestia aperitur omnibus. Posterius quod significanter dixit, Si quis frater habet uxorem infidelem. Quis enim tam demens ut religionis suæ æmulam & expugnatricem ducat? Neq; enim temere interdixit dominus populo suo coniugio prophano dicens, Non inibis cum Gentibus fœdus, neq; sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filiũ tuum ne sequatur me, & ut magis seruiat dijs alienis.

Præcepta dei expressa, & nõ expressa.

Roma. 15.

Deute. 7.

Sanctificatus est enim maritus incredulus per uxorem, & sanctificata est uxor incredula per maritum. Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Caussam sui consilij suǽue Legis hic subiungit ita temperatam, ut simul & tacitæ obiectioni respondeat, imò & pro caussa afferat quod istis impedimentum uideri poterat. Quasi dicat, Quod uero ad diuortiũ in impari connubio impellere poterat tale est, quod prius dixi unum corpus cum meretrice eum fieri qui meretrici miscetur: inde nimirum pari ratione iam colligitis Christianam uxorem unum fieri corpus cum marito idololatra cui miscetur. Sed Paulus, Non est periculum, inquit, ne admixtu hominis prophani contaminetur uxor fidelis: imò contrariũ hic usuuenit, nempe ut infidelis maritus sanctificetur per uxorem credulam, id est sanctam. Ideo enim suadeo ne uxor sancta à prophano separetur marito quod scio hunc illius cohabitatione sanctificari. Id si cui uidetur nouum (iam ignotius demonstrat per notius, nempe per illud quod erat indubitatum apud omnes) hoc uelim expendat, quod filij etiam ex impari connubio nati sancti sunt: id quod fieri non posset, nisi prophanus maritus sanctificaretur per credulam uxorem, id est, nisi impuritas uiri ethnici nõ reputaretur aut officeret uel uxori, uel proli propter fidem uxoris. Recte enim Paraphrastes ait, Non inficit deterioris impietas alterius „

pietatē, quin illud potius præponderat quod melius est & efficacius. Itaq; maritus quamuis religione prophanus, tamen per Christianæ consortium, QVOD AD CONIVGII NEGOTIVM ATTINET, sanctificatur. Obseruandum ergo quod maritum nominat sanctificatum, sed liberos ipsos, ex sancta matre natos, sanctos. Hi enim uirtute testamenti gratię & promissionis dei sancti sunt: non utiq; uirtute natiuitatis secundum carnem. Sunt enim filij promissionis. Nam uerbum promissionis est, Ero deus tuus & seminis tui post te in sempiternum. Sed maritus dicitur sanctificatus propterea quod impuritas eius hic neq; uxori neq; liberis ex uxore sancta natis incōmodat. Alij aliter exposuerunt, sed hic uidetur omnium esse simplicissimus sensus. Duo autem hic ueniunt monenda. Prius, hac sententia, Filij uestri sancti sunt, non negari originale peccatum, id quod per gratiam & sanguinem Christi tollitur, non quod non maneat in carne & uires suas exerat in adultis, sed ne imputetur. Huius uero remissionis & pacti dei sacramentum baptismus est, cui apud ueteres propter ipsam baptismi rem attributa est originalis peccati emundatio. Qui enim baptismo aliquid cœlestium rerum tribuit, non nudo duntaxat signo, sed euidenti dei ordinationi operationiq; in nobis per spiritum & fidem agenti tribuit. Posterius, hac sententia Anabaptisticam uæsaniam prorsus damnari. Paulus enim Sanctos esse liberos ex eo pronunciauit de quo homines iudicare possumus. Non à fide operante uel electione aut confessione fidei, sed à promissione dei, quæ Abrahæ & posteris facta est in hanc sententiam, Ero deus tuus & seminis tui post te. Tuus inquam qui in me credis & me confiteris, & seminis tui, id est liberorum qui ex te nascuntur. Cum ergo ex fideli uel patre uel matre nascerentur apud Corinthum liberi, Paulus tales sanctos esse palàm pronunciauit. Ad quem modum & nos infantes ex fidelibus natos, sanctos esse credimus, & ideo ad baptismū oblatos baptismo in ecclesiam suscipimus, imò & peccatorū remissam offerimus, quæ promittētis dei est, qui per administrationē istam sacramentorum se suamq; gratiam nobiscum participat. Hisce uero alterum eius dilematis cornu hebetauimus, cuius robore quidam magna quædam se patraturos confidunt obijcientes, Filij Abrahæ uel secundum carnem nati sunt, uel secundum spiritum. Si secundum carnem, iam Gentes non possunt esse filij Abrahæ. Si secundum spiritum, iam Christianorum liberi non possunt esse filij Abrahæ, quippe cum ex carne nascantur: unde consequens est ne uirtute quidem fœderis ipsos baptizari posse, cum non sint ueri filij Abrahæ secundum spiritum. Verum non uident isti quod iam sæpe diximus, Christianorum liberos dei esse non propter natiuitatem carnis, sed propter promissionem dei, Ero deus tuus & seminis tui. Iam si illi obijciunt: Nemo dei est, nisi qui à deo electus est, & spiritū dei habet, deum præterea confitetur & colit. Non negamus, sed cum Paulo interim non unam electionem quæ soli deo nota est, nec confessionem oris tantum, quæ ut in infantibus esse non potest, ita neq; in adultis semper uera est: sed dei promissionē maxime, deinde illud spectamus de quo homines iudicare possumus, quod filij qui nascunt ex parente nomen domini inuocante, sancti & in fœdere dei sunt, proinde & baptizandi. Sed de his aliâs sæpe disseruimus, quin & alij aliarum ecclesiarum ministri secundum gratiam sibi à deo datam de hac re scripserunt copiosissime, &c.

Originale peccatum.

Contra Anabaptistas, quod infantes baptizandi.

Quod si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi: sed in pace uocauit nos deus. Qui uero scis mulier an maritū sis seruatura? aut qui scis uir an uxorē sis seruaturus?

Iam uero obijciat fidelis mulier, Equidem alium nollem maritum, sed ille me propter religionis diuersitatem repudiat. Aut ergo cum perfidia religio uera mihi turpiter deserenda, aut maritus relinquendus est, qui me fidei Christianæ dicatam alloquio nedum coniugio dedignatur. Hic respondet Apostolus, Si omnino alterum fuerit relinquendum, satius est discessisse à marito, quàm defecisse à deo. Proinde si præter tuam culpam (religione excepta) discesserit à te maritus infidelis uel uxor incredula, age suo malo discedat. Verum nihil ne culpę contrahit qui ansam diuortij per religionē Christi susceptam suppeditauit infideli? Nihil inquit. In huiusmodi em̄ caussa uir Christianus aut mulier

Christiana

Christiana seruituti non est subiecta, id est, per matrimonij uinculum ita obstricta non est, ut huius nomine aliquid in ueritatẽ moliri cogatur, uel istam deserere. His addit con filij huius sui rationem, Sed in pace uocauit nos deus. Id est, Cum omnia Christi præce pta hunc tendant, ut cum omnibus hominibus quantum fieri potest pacem habeamus, ego in matrimonij uinculo pacem docui sectandam. Quatenus ergo illeso religionis ue ræ uinculo, pax & concordia custodiri potest etiam in impari connubio, custodiatur. Quod si concordia nisi per abnegatã religionẽ et ueram pacẽ dei interruptã constare nõ potest, agẽ ad ueram pacem & trãquillitatem aspirare licet per diuortium, uerum ut infidelis prior à te discedat. Nam quoad spes est fore, ut is aliquando lucrifactus dogma Christi disciplinamq; recipiat euangelicam, nolo discedas. Qui uero scis tu uxor, an modestia, fide, uerecundia, & honesta cõuersatione tua istum sis lucrifactura Christo? Aut qui scire potes marite an clementia, alloquijs, & diligentia uxorem sis seruaturus? Atq; ob hanc sententiam ultimo appensam sunt qui nodum illum de sanctificato marito incredulo in uxore fideli sic soluerint, Fieri potest ut consuetudine quotidiana per mulierem fidelem illectus ad fidem cõuertatur, itaq; sanctificetur. Porrò hoc Pauli consilium multis alijs in casibus, ferè paribus, magno poterit esse usui. Cæterum in his omnibus accurate obseruandum est ne nostra benignitate quicquam peccemus in regulam fidei & ueritatis. Rom. 12.

Vtcunq; fuerit, unusquisq; ut ipsi partitus est deus, unusquisq; ut illum uocauit dominus, ita ambulet: & sic in ecclesijs omnibus ordino.

Bipertitam appendit sententiã, qua totam hanc disputationem comprehendit. Prior pars complectitur id quod de digamia & castitate disputauit. Hic ait, Agat unusquisq; quod ipsum donum dei agẽdum suadet. Posterior quę de impari connubio conscripsit. Quasi dicat, Si tum cum uocareris per euangelicam prædicationem ad consortium filij dei, copulatus eras uxori infideli, ne discedas ab illa propter diuersam religionem, nisi illa tuæ fidei impatiens prior discedat. Ad hæc accedit firmamentum, quod omnibus ecclesijs hanc ipsam ordinationem tradidit seruandam. Quod quidem & Corinthios mouere poterat, ne ipsi id sequi grauarentur, quod cæteræ sequebantur ecclesiæ.

Circumcisus aliquis uocatus est? ne accersat præputium: in præputio aliquis uocatus est? ne circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum dei. Vnusquisq; in ea uocatione in qua uocatus fuit maneat.

Nunc per similia quædam approbat quod impari connubio nexis rectè consulerit, & quod euangelium siue religionis nouitas ueterem uitam aboleat, nõ ueterem statum, nisi is forsan cum pietate pugnet, quodq; abusum rei bonæ aut non omnino malæ deseret, rem ipsam non tollat. Hic uero non quibuslibet, sed exquisitissimis utpote & personis & temporibus accõmodis utitur exemplis. Erant enim quos uel præputij uel circumcisionis pudebat, item quos seruitus misera certè hominum conditio premebat. Proinde ista in præsentiarum ceu similia quædam inducit, certè ut non tantum impari nexis connubio, sed hac quoq; uel morositate uel molestia affectis consuleret. Collatio autem in hoc est. Vt non necesse est circumcisum accersere præputium, aut præputiatum optare circumcisionem propter religionẽ innouatam: ita non necesse est mulieri sanctę propter religionem innouatam à uiro diuertere prophano, & nubere uiro sancto: uel uiro sancto repudiare uxorem incredulam & ducere fidelem. Sed plana sunt uerba, quibus ceu illationem infert, Vnusquisq; in ea uocatione in qua uocatus fuit, maneat. Nihil eñ ad religionem ueram cõducit circumcisum esse uel præputiatum. Superstitiosi sunt, qui circumcisi ante religionem Christi susceptam, præputiatos se mallent. Superstitiosi pariter & illi qui cum nati sunt Gentes uellent tamen se circumcisos esse. Sed impij & iniurij in crucem Christi sunt illi, qui circumcisionem uel suscipiunt, uel urgent ut necessariam ad salutem. Illud magis requirit deus ut ipsi fidamus, ipsum obseruemus & colamus in-

Demonstratio superioris consilij.

Circumcisio.

Præputium.

nocenti uita. Huc enim omnia præcepta dei impellunt. Ita non refert cui mulier copulata sit uiro, modo ipsa ueram pietatem sibi habeat commendatam. D. Ambrosius, Sed obseruatio (ait) mandatorum dei, id est fides propitium facit deum, si bonis operibus approbetur. Et Theophylactus inquit, Vbiq; post fidem uirtutis exigitur operatio: reliqua uero aut parcius requiruntur aut nunquam.

Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ, attamen si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in domino uocatus est seruus, libertus domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. Pretio empti fuistis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisq; in eo, in quo uocatus fuit, fratres, maneat apud deum.

Alterum hoc simile est, ita quoq; temperatum, ut id nõ modo suo aptet instituto, sed & seruos officij sui moneat, & in misera conditione consoletur. De seruitute uero multa sunt apud Iureconsultos. Neq; enim Paulo est sermo de famulis aut ministris, sed de ijs seruis qui libertate amissa à nutu pendẽt dominorũ apud quos est uitæ in ipsos & necis potestas. Iam ergo erant qui putarent iniquũ, ut quos Christus redemisset, eos seruitute sibi deinctos haberent domini prophani. Sed Paulus ait, Si seruitutem seruiebas, tum cum in euangelicum concederes uitæ institutum, ne putaueris quod externa illa corporis seruitus in seruitute dei quicquam tibi obesse possit, aut quod euangelica prædicatio te seruitute liberarit corporea. Ne ergo curaueris. *Laß dirs nützid geſchaffen geben.* Hic tamen uelut per parenthesim & anthypophoram inserit, Quanquam ita te addictum seruituti nolim, ut credas te peccare si citra fraudem & cum pace domini libertatẽ assequi possis. Cur enim non liceat meliorem conditionem amplecti in re qualibet, præcipue cum hic nihil neq; in deum ipsum, neq; in proximum peccetur? Post hæc redit & sententia quadam suppacta comprobat quod corporis seruitus seruituti spiritus nil obesse possit. Etenim qui seruit & in hac sua seruitute dogma euangelicum amplexus est, per fidem illam suam in deum, dei libertus est: ut nunc ipsi conditio ista externa nihil in salutis negotio incommodare queat. Huic adiungit sententiam contrariam, Qui liber uocatus fuit, seruus est Christi: nam libertas exterior interiorem seruitutem nil moratur. Ex quibus iam claret quod exterior illa seruitus nemini curæ esse debet aut negotium facessere quasi illa ad dei seruitutem aspirantem impediat: illud curandum magis ne sanguine Christi tanto scilicet pretio empti fiamus hominum serui. Sunt autem hominum serui qui aliquid in gratiam hominum faciunt, per quod gratia dei excidunt, dum scilicet Christo contempto pendent ab hominibus, & hominũ præcepta & gratiam pluris æstimant quàm ipsa dei instituta adeoq; ipsum deum. Transitu enim quodã à seruitute corporea ad animorum seruitutem trãsilijt, monens ne illa implicemur. Hanc enim solam pernicioſam esse, corpoream non item. Quibus iam commode infert, Vnusquisq; in eo, &c. Quasi dicat, Hæc quum ita se habeant, recte consului impari connubio nexis, à diuortio sibi caueant. Nam collatio in hoc est, quod matrimonium seruitus quædam esse uidetur. Iam ut Christiana religio non eximit aut liberat seruum à iugo heri prophani: ita uxorem sanctam non iubet Christiana fides discedere à marito infideli. Non polluitur seruus cohabitatione domini prophani, cui nisi fideliter seruiat proculdubio peccat. Pari ratione & mulier sancta non polluitur cohabitatione & toro maritali, imò nisi illum officiose obseruet, illiq; ut uxor inseruiat, nequaquam Christianæ uxoris ingenium retulerit. At ut seruus cauere debet ne uspiam hero inseruiat in re turpi aut religioni aduersa: ita & uxor Christiana meminerit se ad aram usq; marito debere obedientiam. Porrò quid hic quibusdam responderi possit, quiduis ex hac Pauli sententia, Quisq; in ea uocatione maneat in qua uocatus est, colligentibus, ex ijs quæ hactenus disputata sunt claret. Certè qui hinc colligunt iure se Missatores & Monachos permanere, pari quoque ratione concluderent se iure usurarios & scortatores permanere, si modo tales erant cum ipsis prædicabatur euangeliũ. Verũ Paulus in fine addit, Quisq; in eo in quo uocatus fuit, maneat apud deũ, id est, ita interim maneat in illo uitę suę instituto ut apud deũ ꝙq; maneat, ne

Seruitus.

Seruitus animorum fœda.

Manere in sua uocatione.

ne ab eo uſpiã deficiat, aut aliquid agat ueritati aduerſum. Sed hactenus de impari connubio. Locos communes huius diſputationis quiſq; ſua induſtria obſeruet.

DE VIRGINITATE.

De uirginibus autem præceptum domini non habeo, conſilium tamen do, tanquam miſericordiam conſequutus à domino, in hoc ut ſim fidelis. Arbitror igitur hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, ut iam bonum ſit homini ſic eſſe.

Paraphraſtes exiſtimat Corinthios à Paulo quæſiuiſſe, an Chriſtiani filias uirgines elocare debeant, an ueluti Chriſto ſacras in perpetua uirginitate tenere domi, quo liberius ei ſeruiant: Paulum ergo hiſce nunc reſpondere. Idem cenſuit & Ambroſius. Paulò diuerſius ſcripſit Theophylactus dicens, Cum de continentia abunde diſſeruiſſet caſtigaſſetq; ſatis Corinthios, ad uirginitatem tranſgreditur, quæ cæteris eſt longe præſtantior. In quam ſententiam & Scholiaſtes De uirginibus per enallagen exponit, pro eo q̃d eſt De uirginitate. Hactenus enim diſputauit de Coniugio caſto, nunc perget & de Virginitate diſſerere. Hic nullã de Virginitate ſeruanda dicit extare legem. Nihil enim aliud dixit dominus, q̃, Non omnes capiunt uerbum illud, ſed ĩ quibus datum eſt. Qui ergo poteſt capere capiat. Proinde Paulus ſubdit, γνώμην δὲ δίδωμι, id eſt ſententiam autem do, ſiue dico id quod uidetur mihi optimum, hoc eſt, profero meam ſuper hac re ſententiam. Et ne hæc contemneretur à lectoribus, addit hoc ſe miſericordia diuina conſequutum, ut dicat ſuper ea re quod uidebatur optimũ. Loquitur autem de uocatione ad munus apoſtolicum, & quod ipſum dñs ſpiritu ſancto donarit. Quanq̃ ergo nulla in ſcripturis dei lex extet de Virginitate, ea tamen quæ hic à Paulo proferuntur non humana, ſed ſpiritu dei ſancto profecta ſunt. Iam ſequitur propoſitio & ſumma huius diſputationis, Arbitror igitur hoc bonũ eſſe propter præſentem neceſſitatem. Vſurpauit autẽ bonum pro commodo, ut in principio capitis annotauimus. Porrò per præſentem ſiue inſtantem neceſſitatem intellexit moleſtias & difficultates uxorias *angſt vnd noat*. Commodior ergo eſt uirginitas quod plus trãquillitatis minusq; turbarũ habet, ut iam hac de cauſſa bonum ſit homini uirginitatem, ſi citra incontinentiæ periculũ fieri poſſit, amplecti. D. Ambroſius ſcribit: Paulus non ſolum apud deum uirginitatem commendatiorẽ docet, ſed & apud uitam præſentem, dum neceſſitates temporis neſcit quas patitur coniugatio, & mœrores, partus, ſimulq; orbitates filiorum ignorat.

Bonum uirginitatis.

Alligatus es uxori? ne quære diuortiũ. Solutus es ab uxore? ne quæras uxorem. Quod ſi duxeris uxorẽ, non peccaſti. Et ſi nupſerit uirgo, non peccauit. Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi, ego uero uobis parco.

Iam obiiciat aliquis, Si tam commoda rebus mortalium, ſi tam ſuauis & trãquilla eſt homini uirginitas aut cœlibatus, ego certè coniugio diſſoluto ad melius aſpirabo. Reſpondet ergo Paulus, Si alligatus es uxori, iam non licet per diuortiũ aſpirare ad uitæ inſtitutum tranquillius. Frequenter enim ſuas dimittentes (ut ait Ambroſius) ſub tegmine continentiæ alias decipiunt, refrigeſcente propoſito. Et tales omnino erant iſti quorum mentionem fecimus in principio capitis. Quod ſi quis ab uxore ſolutus eſt, & tum ipſi arridet uirginitas, equidẽ permiſſum eſt cœlibem agere. Rurſus ne quis propter hæc uerba, Ne quæras uxorem, peccatum putaret ſi uxorem duceret, iterum pro ſedulitate & prudentia apoſtolica præuenit & ait, Quod ſi duxeris uxorem, non peccaſti. Non enim peccat qui quod conceſſum eſt facit. Ambroſius, Quid, ait, prodeſt deſideriũ carnis premere, hoc eſt, rem licitam ſpernere, & illicitis ſubiacere? Addit Paulus quod grauius eſt. Imò ſi uirgo nupſerit non peccauit. Quaſi dicat: Tantum abeſt ut quis peccet contrahendo matrimonio, ut ne uirgo quidem peccet ſi uirginitatem ſuam amittat, ſed in matrimonio. His abſolutis & per occupationẽ ſublatis è medio, ad ſuperiora redit ut ea abſoluat. Quaſi dicat: Quod autem uirginitatem laudo, hinc eſt quod parco uobis, *das ich*

Virginitas libera, liberum & coniugium.

Incommoda matrimonij.

iewer gern ſchonte. Quod uobis conſultũ & bene eſſe uellem. Scio enim quantas malorum procellas in ſe prouocent qui coniugium ſubeunt, quantásue in carne moleſtias & uorare & concoquere oporteat. Hic ergo lubens uobis parcerem, & ex hoc malorum carcere eximerem, ſi per ueſtram liceret intemperãtiam. Paraphraſtes tamen hanc ultimam ſententiã ſic enarrauit, Dum utrunq; uobis liberũ facio, duplici nomine uobis parco. Qui poteſt carere coniugio, huius libertati conſulo: qui non poteſt, huius periculo ſuccurro. Laudo cœlibatum ut feliciorem, probo matrimonium ut tutius. Igitur hac de re quid quiſq; ſtatuat ipſe uiderit. Neq; compello quenquã, neq; ueto, duntaxat in his, quæ dominus nec exegit, nec interdixit.

Cæterum illud dico fratres, tempus contractũ eſt, ſupereſt ut qui habent uxores, ſint tanquam non habeant: & qui plorant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquã non gaudeant: & qui emunt, tanquam non poſſideant: & qui utuntur mundo hoc, tanquã non utantur. Præterit enim habitus huius mundi. Velim aũt uos abſq; ſolicitudine eſſe.

Cõſolatur iugo matrimonij gratos.

Porrò ne cuiquam laude tranquillitatis & enumeratione, imò mentione uerius malorum coniugij anſam ſuppeditaret aſpirandi ad cœlibatum ſpe otij magis quàm pietatis ac ſanctimoniæ, uel impatiẽtius ferendi iugum matrimoniale, conſolatur hiſce afflictos in coniugio, uitamq; illorum inſtituit. Quod ſi ait multa in coniugio mala ferenda ſint, meminerimus tamen quod breue eſt tempus quo malis hic exercemur. Miſer eſt qui malo aliquo premitur iugi, quod ut graue eſt, ſic illa re in primis intolerandum redditur, quod neq; modus neq; finis eius uidetur. In coniugio nihil tale inuenias. Nam ut multa interim mala ferenda ſint, ea tamen diuturna non ſunt, ut nunc non referam quod ſæpius interſpirandi locus conceditur, & quod amaris dulcia miſcentur. Quid ergo? Hoc unum reſtat, ut contemptis hiſce rebus fluxis & momentaneis, cor noſtrum uni deo totum conſecremus, deinde uero ſi quid corporis & uitæ ſuſtinendæ gratia agendum, ita agamus ut non amittamus cœleſtia & æterna. Proinde qui propter fornicationẽ uitandam uxores habent, ne ſummum bonum in hoc collocent, ſed ſint tanquam non habeant, neq; unquam admittãt ut quicquam illarum gratia contra pietatem faciant. Rurſus ſi qui in matrimonio aut ulla in re plorant, id eſt aduerſam fortunam ſentiunt, ita animati ſint ut ſolent qui meliora ſperant. Quod ſi cui feliciore fortuna frui conceditur, ne nimiũ efferatur, meminerit poſt dies ſerenos affuturũ cœlum nubilum caliginoſumq;. Iam ſi qui mercantur, laborant aut negotiantur, ut & ipſi habeant unde uiuant, & alijs non habentibus communicare queant, meminerint ſemper ſe in hiſce terris eſſe hoſpites, meminerint opes ſi affluant, illas haud temere à priſcis appellatas eſſe fortunas. Breuiter, qui negotijs inuoluuntur humanis, hoc unice curent ne terrenis abutantur. Sic enim expoſuit & Theophylactus, Verũ quid hæc (inquit) aut illa diſſero? ut paucis cuncta abſoluam, Qui hoc mundo utuntur, ita ſe gerant tanquã hunc ipſum nulli uſui habeant, hoc eſt omni niſu contendere debent ne hoc abutãtur. Cauſſa adijcitur, Præterit enim habitus huius mundi. Fluxa & umbræ ſimillima ſunt omnia. Quod & poſt Moſen Ioannes in Canonica ſua teſtatur. His expoſitis redit ad inſtitutum ſuum eandem ſe rẽ repetens ſententiam quam prius obſcurius quidem poſuerat, Ego uero uobis parcor: nunc enim clarius ait, Velim autem uos abſq; ſolicitudine eſſe. Id eſt, ea quæ diſputo huc tendunt quod cupiam uos quàm minimum diſtineri curis mundanis, aut ſi omnino aliqua ex parte propter neceſſitatem & rem domeſticam in has implicari cogemini, curetis ne mens ueſtra adobruatur nimia cura, quæ tandem à deo rebusq; diuinis prorſus auellat. Solicitudo enim eſt nimis anxia cura: ueluti cum Germanus dicit, *Er iſt ein angſthafft an fächtiger menſch.*

Pſalmo 89.
1. Ioan. 2.
Luc. 12. & 21.

Qui cœlebs eſt, curat ea quæ ſunt domini, quomodo placiturus ſit domino: at qui ducit uxorẽ, ſolicitus eſt de his quæ ſunt mũdi, quomodo placiturus ſit uxori. Diuiſa ſunt hæc duo, mulier & uirgo. Innupta

curat

curat ea quæ ſunt domini, ut ſit ſancta cum corpore tum ſpiritu. Contra quæ nupta eſt curat ea quæ ſunt mũdi, quomodo placitura ſit uiro.

Collatio coniugij et uirginitatis.

Audiuimus quid præſtet coniugio uirginitas in rebus terrenis, audiemus nũc quid præſtet in animi bonis ſiue ſpiritualibus. Hic uero Contentione quadam demonſtratiua utraq; inter ſe mira committit euidentia. Primo de uiris uerba faciens cœlibi opponit coniugatum. Secundo & de fœminis uerba facturus dicit, Diuiſa ſunt hæc duo mulier & uirgo, cuius ſententiæ uariæ ab alijs adducuntur & lectiones & expoſitiones, ſed uidetur connectendi tranſitus q; formula eſſe. Quaſi dicat, Quemadmodum uero multum diſcriminis eſt inter cœlibem & coniugatum, ſic etiam mulier & uirgo diuiſa ſunt, id eſt, multum inter ſe differunt. Atq; hic tandem ut in ſuperiori membro uiros, ita in hoc poſteriori fœminas committit, uirginem ſcilicet nuptæ. Breuiter nemo tam ſtupidus qui non uideat uirginitatem coniugio uel hoc nomine nobiliorem eſſe quod cœlibes nulla diſtrahit rei familiaris cura, ſed omni parte deo placere ſatagunt, adeoq; ſe totos animo & corpore ipſi conſecrant. Coniugati uero uarijs turbantur curis ſed & partem aliquam ſui uxoribus debẽt, imò maximam & animi & corporis partem rebus impendunt terrenis. Non quod peccatum ſit curare rem domeſticam, amare uxorem & liberos: ſed quod his caducis quidem contemptis, uni deo hærere, illi ſoli placere, adeoq; ſoli corpus & animum dedicare totum, longe præſtabilius ſit. Obſeruãdum uero quod Paulus ueram uirginem animo & corpore incorruptam eſſe dicit. Proinde non omnes uirgines ſunt quæ dicuntur, ſed quorum corda tetigit deus. Verè enim Ambroſius ait, Animus eſt qui aut ſanctificat aut polluit corpus. Quid enim prodeſt corpus mundum habere & animam pollutam? cum merito animæ aut honoratur corpus aut damnatur?

Ad hunc penè modum expoſuit et Cyprianus. ut Tracta. de habitu Virginum.

De his multa apud Hieron. in opere contra Heluidium.

Hoc autem ad id quod uobis conducibile eſt dico, non uti uobis laqueum iniĳciam, ſed ut quod honeſtum ac decorum eſt ſequamini, & adhæreatis domino abſq; ulla diſtractione.

Pietas et honeſtas in hac cauſa ſpectanda.

Pro apoſtolica prudentia iterum proteſtatur ſe nihil hic præcipere, ſed liberum permittere utrum quiſq; uiuendi genus amplectatur, dummodo nihil admittat inhoneſti ſed & indiuulſe adhæreat domino. Hoc enim dicit, Quæ huc uſq; de laude uirginitatis, item de incommodis coniugij diſſerui, nõ huc tendunt, ut cuiquam laqueum iniĳciam, id eſt quenquam uel ad hoc uel illud uitæ genus obſtringam, & deuinciam neceſſitate quadam: quin potius ueram uobis libertatem indico, ut cum ſciatis utriuſq; ius eſſe uobis, id eligatis quod honeſtum & decorum eſt, & per quod indiuulſe poſſitis adhærere domino. Si abſtrahunt à rebus cœleſtibus curæ domeſticæ, cœlibatum amplectere. Si ureris & cupiditatibus immundis à cogitatione rerum diuinarum abſtraheris, ſi periculum eſt quod præter decorum ſumma cum inhoneſtate incidas in fornicationem, præſtat connubio huic morbo mederi, ne nimium inualeſcens imperium obtineat, & non tantum in probrum ſtupri præcipitet, ſed & prorſus à deo abſtrahat. Hæc ſi expurgatore cerebro legerent immundi cœlibatus encomiaſtæ, circumſpectius aliquando & dicerent & agerent, neq; laqueum eum temere tot animabus iniĳcerent, quem hic uidẽt tanto ſtudio, tanto & ardore à diuino hoc apoſtolo ſublatum, imò & conuulſum eſſe. Pereat ergo qui denuo nectit. Beatus eſt qui hac in re obſeruat quid honeſtum, quid decorũ, & quid deo nos quàm minimum abſtrahat. Nam hæc tria ſpectari uoluit Paulus, & ad hæc omnia noſtra quæ huius ſcilicet negotij ſunt, componi.

Quod ſi quis indecorũ uirgini ſuæ putat, ſi prætereat nubendi tempus, & ſic oportet fieri, *quod uult faciat, non peccat, iungantur matrimonio. Cæterum qui ſtat firmus corde, non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde ſuo, ut ſeruet ſuam uirginem, bene facit.

Quod uidebitur conſultiſſimum.

Exemplis id declarat quod iam dixit, ne qua eſſet in uerbis obſcuritas. Virginẽ uero

Elocare nuptũ filias.

tam pro persona quàm pro re ipsa uirginitate scilicet exponere licet. Est autem sensus, Si quis uirginem habet iam nubilem uiroq; maturam (hoc enim intelligo per illud quod dicit, Si prætereat nubẽdi tempus, quod Ambrosius uertit, Si sit ultra pubertatem) illaq; omnino aspirat ad nuptias (id est, quod dicit, Et sic oportet fieri) ut patri timendum sit ne furtim indecori aliquid moliatur aut audeat, nisi matrimonio illi cõsulatur, iam non peccat pater si elocet illam uiro. Monuit autem Erasmus apud Paulum legi γαμείτωσαν, id est nubant. Et uerbum γαμᾶν commune esse uiro ducenti uxorem, & puellæ nubenti uiro: unde subito Apostolum mutato numero uerbi sponsum & sponsam respexisse, aut certè ad eum qui elocat filiam & sponsum. Posterius exemplum tale est. Si quis uirginem habet, id est ipsa uirginitate præditus est, & firmus stat in corde suo, id est, non habet necessitatem, sed potestatem propriæ uoluntatis, & in tali corde suo decreuit uirginitatẽ suã seruare, bene facit. Nam & deo firmius agglutinatur animo, & nil peccat cõtra honestum. Cæterũ quod hæc de ipsa uirginitate expono hinc est, quod uirginitas puellæ non est in uoluntate patris. Quæq; enim non paternis aut alienis sed suis ducitur affectibus. Et Paulus hæc exempla sic temperauit, ut & in personis & in ipsa re quid commodum aut incommodum, honestum uel inhonestum foret ostenderet probe esse expendendum. Discimus autem ex hac disputatione quod parentum sit elocare nuptum filias. Nam apud ueteres matrimonij contractus non erat ratus citra parentum authoritatem. Quò illud in lege dei pertinere uidetur quod Iudæis præcipitur, ne Gentibus filias uel filios elocent matrimonio: id quod fuisset superuacaneum, si liberi essent sui iuris, & non magis penderent à parentum authoritate. Verum id quoq; adijciendum est, parentum esse ut mature satis liberis suis consulant prospiciantq;, & ne uel ad uirginitatem uel coniugiũ ullum compellant. Legimus enim in Genesi cap. 24. Laban & Bathuelem pronubo ambienti Isaac Rebeccam præcepto Abrahæ, spopondisse quidem se uirginem daturos, sed addidisse tamen, Vocemus puellam & quæramus ipsius uolũtatem. Cumq; uocata uenisset sciscitati sunt, Vis ire cum homine isto? Quæ ait, Vadam. Et D. Ambrosius hunc Pauli locum enarrãs, scribit, Hoc dicit, ut qui uirginem habet, cui animus ad nuptias non est, seruet illam, nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam uidet nubendi uoluntatem non habere. Est & illud obseruandum quod tempus annotauit Apostolus. Si sit ait nubilis, aut ultra pubertatem. Sunt enim sordidi & stulti quidam homines, qui maximo cum periculo liberorum & scandalo hominum, illos uel ad uirginitatem obstringunt uotis, uel inuoluunt coniugijs, priusquam per ætatis imbecillitatem quid amplexandum sit norint. Paulus multa grauitate & prudentia hæc agi uult: caueamus ergo ne quid temere audeamus, cuius nos paulò post misere pœniteat.

Oportet ꝓpriæ uoluntatis potestatem habere.

Deute. 7.

Sunt qui exponant de uirgine anu quæ ultra iustũ tempus domi clausa fuit.

Itaq; qui elocat nuptum, bene facit: attamen qui non elocat nuptum, melius facit. Vxor alligata est matrimonio quandiu uiuit maritus eius. Quod si dormierit maritus eius, libera est ad cui uelit nubendum, modo in domino. Attamen beatior est si sic maneat, iuxta meam sententiam. Opinor autem quod & ipse spiritum dei habeam.

Epilogus.

Epilogo colligit capita disputationis huius 7. capitis. Postrema primo colligit. Disputauit enim de Virginitate, huius summa est, Qui elocat nuptum, bene facit: attamen qui non elocat, melius facit. Dicit autem multis nominibus uirginitatem cõmodiorem esse matrimonio. Iam ea quæ fusius de separatione uitanda tractauit, hic in hæc uerba concludit, Vxor alligata est matrimonio, quandiu uiuit maritus eius. Vis autem eximia est in uocula Alligata. Additur aliud membrum: Quod si mortem obierit maritus, liberum est ad cui uelit nubendum. Hoc autem comprehẽdit negotium Digamiæ. Vnico autem uerbo, Modo in domino, mentionem refricat imparis connubij. Quos enim uocatio in impari apprehendit connubio, separari non debent. Quos autem in uocatione separarit mors, superstitiq; fuerit cordi alteras inire nuptias, curabit ut in domino eæ coëant, id est, ut maritus incredula uxore liberatus fidelem ducat, & ut uxor fidelis, experta prius quid sit impio nexã esse, abhorreat ab impijs, pio uero nubat uiro. His omnibus iterato

ingerit

ingerit quod tota disputatione sæpius repetierat, Attamen beatior est si sic maneat, iuxta meam sententiam. Eam ne quis ut humanam uanamq; contemneret, addit, Opinor autem quod & ipse spiritum dei habeam. Humilitatis autem est, nō ambiguitatis quod ait, Opinor. Vnde Ambrosius, Vt ratum & prouidum suum consilium ostēdat, humilitate uerbi hoc commendat alto sensu. Et hactenus de Coniugio & Virginitate. De quibus multa aliàs à sanctis patribus Ambrosio & Augustino scripta sunt. Hieronymus uero etiam ueterum sententia in hac efferenda nimius fuit. Qui laudant rem honestam, eam sic laudare debent, ne id quod & ipsum inhonestū non est, nimium amore studioq; melioris uituperantes, non laudem melioris, sed uituperium boni scripsisse uideantur.

AN LICEAT SACRIS COMMVNICARE PROPHANIS?

Occasionem & summam disputationis sequentis parcius delibauimus in argumento epistolæ: eandem Theophylactus interpres Græcus copiosius hisce exposuit uerbis, Erant apud Corinthios perfectiores nōnulli, qui planè sentirent nihil hominem posse ex his quæ stomacho ingeruntur coinquinari, & idola haud dubie scirent è ligno constare uel lapide, nec posse cuiquam illa officere, ideoq; indifferenter idolorum huiusmodi templa adeuntes & aras, sese idolothytis ingurgitabant: quod cum fidei infirmioris spectarent nonnulli & una accedebant, & immolationibus uescebantur, nec tamen pari uel mente uel opinione, ut qui idola indigna crederent quibus immolaretur. Id sanè factum ut succenseret Paulum prouocauit. Quid ni? quod utriq; mirum in modū obesset & perfectioribus, quia dæmonum mensæ participarent, & minus perfectis, quia ad idololatriam impellerentur. Studet igitur id mali Paulus castigare, eoq; omissis, ut assolet sæpe, imperfectioribus illis alloquitur perfectiores, reprimitq; in primis illorum quam ex humana scientia concœperant insolentiam. Hactenus Theophylactus, quem imitatus Scholiastes, Quum apud Corinthios (inquit) fideles cum infidelibus mixtim uersaretur, factum est, ut iunctis amicitijs & uicinitatibus Gentes in festiuitatibus publicis cum dijs suis sacra facerent, aliquando fideles ad epulas publicas inuitarēt. Vocati ergo Christiani (grauatim licet) cum Gentibus accumbebant: quidam ne uiderentur societatem eorum aspernari: quidam quod scirēt idolum nihil esse: quod quidem apostoli, qui tum Corinthi præerant, admittebant. Erant autem multi adhuc infirmi, qui hoc facto non parum offendebantur, apud se cogitantes, non adeo malum esse colere idola, cum uiderent perfectos quosq; ex idolothytis promiscue uesci. Sciolos ergo istos qui Idolothyta inter media & indifferentia locabant hic redarguit, &c. Talis omnino uidetur fuisse controuersia, qualis hodie inter quosdam uertitur, contendentibus licere ut qui euangelio semel prædicato credidit, adeoq; & cœnæ domini communicauit, missas accedat papisticas in quibus Christus sacrificatur quotidie & adoratur sub speciebus panis & uini, simulachris simul circum aram utrinq; astantibus, quæ iam aliquot sæculis culta esse ipse comprobat ornatus: quibusdam uero abnegantibus, quorum sententiam approbabit in hac disputatione Paulus. Quod si quis ritum sacrorum Gentilium nescit, legat 5. Aeneid. lib. Vergilij, ubi Parentalia illa Anchisæ patri sacra exhibita pingit. Parētare autem Grammaticis scriptoribus est sacra mortuis facere: uel quod uiuentes ita parerent mortuis, qui ita uiuentes iusserāt facere: uel quod filij parentibus hoc præstarent. Hodie uulgus inferias, exequias & anniuersaria appellat. Et de his maxime sacris loqui uidet Apostolus. Verum ne ulla in re Lectorem uel fraudem uel flexuosius circumducam, ita habet negotium, Gentes dijs suis templa consecrarunt, in his collocarunt aras, ad quas affixere deorum imagines, ante quas deinceps uel in laudem deorum, uel ad uiuorum aut mortuorū salutem sacrificabant. Nam & frequens & inutile ad hanc rem fouebant maximis expensis sacerdotium. Ex ijs uero quæ sacrificabantur, quædam deo cremabantur, quædam cedebant sacerdotibus, quędam reseruabantur ad epulas, ad quas qui sacrificiū instituerat uicinos & necessitate aliqua sibi deinctos uocabat: atq; hic parte sacrorum prima per sacrificos pro more absoluta, accūbebant in templo aut loco consecrato uocati, & epulabantur de consecratis carnibus splendide. Aduersus has epulas disputat

Occasio huius disputationis.

Fideles Corinthi ad sacra uocabantur prophana.

Ritus sacrorum Gentilium quales?

hoc in negotio Paulus. Nihil ex professo hic de ciborum discrimine, ut in 14. cap. ad Roma. agit, de idolothytis agit. Est autem Idolothytum quod idolo per publicum sacrum est consecratum. Cæterum si ijs quæ de ritu Gentilitio diximus (ut & hoc obiter moneam) conferas ritum Pontificium in extruendis templis & altaribus, in cõstituendis imaginibus sacris, sacerdotibus, sacrificijs & anniuersarijs, hactenus ex institutione hominum obseruatum, dices hunc ex illo per superstitionem & uerbi dei neglectum esse enatum. Sed audiamus Paulum ista uno ictu omnia concutientem dissipantemq;.

CAP. VIII. Cæterum de his quæ simulachris immolantur, scimus, quod omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas autẽ ædificat. Quod si quis sibi uidetur aliquid scire, nondum quicquam nouit, quemadmodum oportebat scire: at si quis diligit deum, hic cognitus est ab illo.

Vera scientia moderata est charitate.

Exordiolũ præmittit disputationi suæ, in quo arrogantiam pseudapostolorũ perstringit, docens scientiã quantumuis præstantẽ, quę charitate non moderetur nõ modo nullius momenti, sed etiam pernicioſam esse. Id uero in primis dictum inculcatumq; oportebat, quod pseudapostoli opinione scientiæ & cognitionis prætextu, & maximam sibi apud omnes authoritatem pepererant, & multis imponebant, dicentes, Scimus totum religionis cardinem uersari in fide iustificante, ut is externis quibusdam uel ritibus, uel cibis pollui nequeat, qui Christum agnoscit unicum saluatorem. Verum Paulus non citra Ironiam, ait, Scimus quod omnes scientiam habemus. Quasi quis nostrum diceret, *Ia man weißt wol das wir all geleert sind, vnnd gſchen wöllend sin.* Scimus quod arrogantia & contentione magis quàm uera scientia imbuti sumus. Antiphrasim enim habet ironia. Iccirco subiectæ sententiæ docent quo sensu ista dixerit. Prior falsam sapientiam reijcit, ueram ostendit. Vera est quæ charitate moderatur. Falsa uero quæ sine charitate dei & proximi est, iccirco sua quærit, contentioſa & arrogans est. De utraq; multis egit diuus Iacobus capite tertio. Posterior priorem exponit. Docet autem eum uerè doctum esse qui cognitus, id est doctus, siue institutus sit à deo. Passiua enim significatione dixit, Cognitus est à deo, pro eo quod nos dicimus, Er *ist kõnnend gemachet*. Qui uero sibi uana quadã opinione persuasit doctum se esse, & sibi placet, cum tamen per deum institutus non sit per donum charitatis, prorsus desipit, nec quicquam ita ut oportebat intelligit. Arrogantia enim uanaq; persuasio nil recte illum sapere finit. Tales autem erant Corinthiorũ scioli. Abusi sunt hoc Pauli loco Antronij quidam afini, suæ patrocinantes insciti æ, indignum putantes si quis bonis honestisq; literis operam impenderet. Scientia, clamantes, inflat, charitas ædificat. Sanè. Vos autem neq; charitatis neq; scientiæ quicquam attigistis unquam. Non damnat ueram & iustam scientiam Apostolus, falsam accusat, quæ specie & fuco magis quàm ipsa re scientia est. Qualis uestra est qui balbutie & crassa quadam ignorantia uobis placetis. Subest autem Scientiæ uoculæ Catachresis. Perpulchre enim Ambrosius scribit, Scientia illorum destruebat animos imperitorum fratrum putantium esse illic apud idolum aliquam gratiam, quando peritiores fratres interesse illic & non horrere uidebant ideo ait, Charitas ædificat, ut scilicet saluti fratrum studentes, scientiæ illic legibus non uterentur, ne illis scandalum facerent. Elegans sanè hic locus Pauli est, & permultum frugis habet, ideo diligenter obseruandus.

De esu igitur eorum quæ simulachris immolantur, scimus quod nullum est simulachrum in mundo, et quod nullus sit deus alius nisi unus. Nam etiamsi sunt qui dicãtur dij siue in cœlo siue in terra, quemadmodum sunt dij multi & domini multi, nobis tamen unus est deus, qui est pater ille ex quo omnia & nos in illum: & unus dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per illum, sed non in omnibus est scientia. Nonnulli uero cũ conscientia simulachri usq; ad hoc tempus tanquam

simulachris

simulachris immolatum edunt, & conscientia illorum infirma cum sit, polluitur.

Negotium porrò istud hoc ordine tractat. Principio Sciolorum obiectiones recēset: deinde respondet ad singulas. Postremo autem suam confirmat sententiam, quod Christiano homini non liceat sacris communicare prophanis. Elegantissime uero anaphora ipsum negotium auspicans ait, Scimus de Idolothytis quod nullum est simulachrum in mundo, &c. Istis autem uerbis refert Sciolorum argumentū quo ipsi approbabant simplicioribus idolothytis uesci licere. Sic autem colligebant, Dij Gentium nihil sunt, ergo neq; simulachra neq; sacra deorum quicquam sunt. Antecedens sic approbatur, Vnus solummodo deus est, ergo dij nulli sunt. Hanc autem propositionē copiosius exponit, certè ut unitatem dei sic assereret ne personas cōfunderet. Proinde paria cum patri tum filio tribuit, ex æquo ab utroq; esse omnia & nos per illum: id est patrem & filium unum esse deum, ex quo ceu authore & fonte bonorum omnium cuncta sint, & nos in illum scilicet conditi & ad gloriam & cultum eius destinati. Paraphrastes ista duo membra sic expositi, Nobis non est nisi unicus deus, nimirum pater ille Iesu, conditor & author uniuersi, à quo uno nobis proficiscuntur omnia, cuicq; soli addicti pio cultu placere studemus. Vnus item dominus Iesus Christus, per quem omnia nobis contulit pater, & cuius unius beneficio deum uerum agnoscimus, &c. Quod autem Christum appellauit dominum, nulla alia ratione factum, quàm quod prophetæ hunc licet deum frequētius tamen appellarūt dominum. Quanquam dominus (cum hæc appellatio tribuitur Christo) idem in scripturis sit quod deus: alludit tamen illa magis ad incarnationis mysteriū, per quod ille nos liberauit à seruitute satanæ, ut is nunc cessarit noster esse dominus, Christus autem cœperit noster esse dominus, qui sanguine suo nos mercatus est. Hinc enim Psalmo 109. legimus, Dixit dominus domino meo, Sede à dextris meis: id quod secundum ueritatem Hebraicam legitur נאם יהוה לאדני. Quasi quis dicat, Dixit deus domino meo. Primo enim loco ponitur nomen dei Tetragrammaton, secūdo Adonai. Interim ex eo loco diuinitatem suam Iudæis approbat Christus Matth. 22. Proinde hic Pauli locus palàm cōuincit unitatem dei & personarum distinctionem non hominum inuentum, sed dei esse testimonium. Conuincit præterea eandem esse potestatem, uim & gloriam, idem regnum & dominium patris & filij domini nostri Iesu Christi. Ne ergo perturbet nos, ô fratres, ille impius de Erroribus trinitatis inscriptus liber, nullos agnoscamus errores unquam in trinitatis confessione obortos, nisi quos Arrius, Samosatenus, Sabellius unà cum indocta & impia quorūdam turba non citra maximam dei blasphemiam excogitauit. Sed contextus Pauli aliò iam uocat: pijs iam olim super trinitatis mysterio satisfecerunt post Canonicam scripturam Tertullianus, Athanasius, Hilarius & Augustinus: cumq; horum scripta citamus non humana authoritate nitimur, sed diuina. Scripturæ enim testimonijs munierunt omnia. Porrò de dijs Gentium multa prodiderunt poëtæ gentiles, Cœlius quoq;, Crinitus, Lactantius & scriptores alij, Athanasius in primis contra Gentes elegantem & utilem librum de uanitate deorū conscripsit. Sed redimus. Diximus de Antecedente, Consequentia, quam uocant, sic probatur, Simulachrum eius repræsentat similitudinem cuius simulachrum est. Iam uero diximus deos quibus finguntur simulachra, nullos esse: inde nunc consequitur quod nihil sint & simulachra. Non autem negat Paulus (aduersariorum argumentū recensens) extare in mundo simulachra, sed ea quæ extent nullius esse momenti. Ex eo uero sic colligebant Scioli, Cum constet simulachra uana esse, uanus conuincitur & cultus eorum. Quod si uanus est, si uanū esse credunt pij qui non nisi unū uerum deū confitētur, quid obsecro prohiberet quo minus pius quisq; spectator prophanis astare sacris aut etiam conuiua esse possit in epulis istis idolorū uanissimis? Mens enim sibi restituta unū deum adorat & reuereretur, idola porrò cōtemnit: sacris ergo exteris, cū animus fide purificatus sit, non polluitur. His similima sunt quæ nostro quoq; tempore à quibusdā obijciūtur. Scimus, inquiunt, Christū ad dexterā patris non sub speciebus panis & uini adorādum

Quo ordine hoc negotium tractet.

Cur Christus dominus in scripturis dictus.

esse, Scimus corpus Christi semel oblatũ posthac offerri nõ posse, Scimus et simulachra diuorum nil aliud esse quàm ligna & lapides, ipsos uero diuos quos repræsentant nobis non esse colendos. Vnicum nos deum adoramus & colimus, hostię Christi semel in ara crucis immolatæ fidimus, atq; hac fide purificati sumus: exteris illis sacris nihil fidimus, quis ergo ijs astare prohiberet? Illis uero ad hunc modum respondet Paulus, Tametsi tu credas unum esse deum, & iccirco intelligas etiam esse uanum simulachrorũ cultum, haudquaquam tamen id sentiunt omnes, neq; sic animati ad sacra accedunt. Infirmus enim ex ueteris instituti contagio, quod à maioribus imbibit, ex diutina publicaq; consuetudine relictis uestigijs laborat, atq; sacris illis non sine religione uescitur, nonnihil sperans aut timens deos illos, maxime cum te quem existimat doctrina iudicioq; præcellere uiderit in sacris prophanis accumbentem, suspicans te non alio animo uesci quàm uescatur ipse: offenditur igitur tuo plus quàm libero exemplo. Atq; hunc sensum agnoscit & Ambrosius & Theophylactus, quorum ille ait, Non omnes norũt credentes mysterium dei unius: ideo putant quidam ex his qui credunt aliquid numinis in simulachris. De plebe enim aliqui cum ueneratione adhuc simulachri manducabant de sacrificatis, quasi aliqua esset illic diuinitas: itaq; maculabatur conscientia quod infirma esset circa deum unum. Hic uero paulò clarius & copiosius dicit, Erant nonnulli qui ab idolorum seruitute & cultu se ad Christi fidem transtulissent, qui usq; adhuc, hoc est, post fidem susceptam idolothytis uescerentur ea mente ut idolis immolarent. Idoli enim conscientiam, hoc est mentem pristinam erga idola seruãtes, ducunt hæc aliquid esse, uerenturq; quasi aliquid sibi possint obesse. Et ideo nequaquam dixit idola alios inquinare, sed horum pollui conscientiam, perinde ac si imbecillem & fragilem, & cui non liceat interno scere nihil esse huiusmodi idola, quandoquidem neminem queant per se inquinare, &c. His addit & aliud malum Paraphrastes, Accumbunt ait, in conuiuio, quibus ex maiorum institutis à prima pueritia persuasum ac penitus infixum est, simulachrũ rem esse sacram, & quicunq; accumbunt in epulis huiusmodi superstitionis esse consortes, neq; credunt ista tantopere posse contemni quæ ipsi tantopere reuerentur ac metuunt. Hi quod tu iudicio bonaq; fide facis sic interpretabũtur apud se loquentes, Non est tam execrabilis simulacrorum cultus, quandoquidem à sacris nostris non abhorrent Christiani, &c. Hæc ipsa & illis opponere potes qui hodie, ut paulò ante monuimus, ijsdem argumentis Simulachra & Missas defendunt, quibus Corinthiorum Scioli idola & peregrina sacra. Illud quoq; annotatum est & ab Erasmo, hallucinari eos qui differentiam inter idolum & simulachrum faciunt. Ego ait nullum discrimen uideo, nisi quod simulachrum est uox Latina, à simulando dicta: idolon Græca, ab εἶδος species, quod speciem & imaginem inanem præ se ferat, quum absit ueritas: unde quæ nos spectra uocamus, Græci uocant εἴδωλα. Recte ergo monuimus alibi Gentes quæ paulò uidebantur emunctioris esse iudicij non coluisse simulachra, id est, ligna & lapides, sed eos quorum erant simulachra, quos partim in cœlis esse & proinde cœlites, partim in terris esse, & ideo inferos appellabant. Verum cum hi re uera dij non essent, sed dæmonibus addicti homines adeoq; dæmones ipsi aut nomina quædã nuda hominum è fabulis nata, ipsa idola uanitates atq; mendacia, imò & dæmones dici cœperunt, eo quod aut damnatorum nebulonũ aut rerum non existentium signa essent. Et cum hac ex caussa certo constaret idola aliud iam non esse quàm lignum, lapidem uel æs, inde in scripturis dij Gentium lignum & lapis, adeoq; & ipsæ Gentes lapidem & ligna adorare dicuntur, eo scilicet quod sua opinione falsi in idolis nil nisi lignum & lapidem haberent. Nam quod signa credebant esse absentium, fallebantur. Absentes enim illi, siue cœlites, siue medioxumi, siue inferi dij, quos sibijpsis imaginabantur, aut non uixerãt unquam, aut si aliquando uixerant, certè dij non erant, sed dæmonum socij. Proinde nuda & uana colebant signa, lapidem scilicet, æs & lignum. Id quod nostri quoq; simulachrorũ cultores solent. Nam simulachra eorum uel deum ipsum uel diuos repræsentãt. Atqui scriptum est, Custodite solicite animas uestras. Non uidistis aliquam similitudinem in die qua loquutus est uobis dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis uobis sculptile &

De simulachris.

Simulachra Gẽtium argentum & aurum.

Dij Gentium ligna & lapides.

simulachrum

simulachrum cuiuscunq; figuræ, &c. Item Isaiæ 40. Cui similem feciſtis deum? aut quam imaginẽ ponetis ei? &c. Proinde cum inuiſibilis nulla re uiſibili poſſit repræſentari, conſequens eſt quod Signa dei & uanitates & mendacia ſint, cum quod cõtra ueritatem dei erecta, tum quod eum repræſentare non poſſunt quem referre debebãt. Iam & illa ſigna mendacia ſunt, quæ diuis nuncupantur. Nam &ſi eorum ſint ſigna qui olim uixerunt, & etiamnũ immortales cum deo uiuant, mendacia tamen ideo ſunt, quia patronos atq; tutelares nobis deos referunt, quos nulla agnoſcit mens Chriſtiana. Vnus enim dunta-xat deus eſt, apud quem omnis poteſtas eſt uitæ & necis. Iccirco Pontificiorum quoque ſigna nil aliud ſunt quàm lapis & lignum, uanitas & mendacium. Illud enim non eſt cuius ſigna ſunt. Etſi enim deus ſit, huiuſmodi tamen nedũ lapidi aut ligno ſimilis eſt: &ſi diui ſint & apud deum uiuant, patroni interim & aduocati non ſunt: cuius rei gratia ſtatuæ conſecrantur diuis. At erudiunt inquis rudes. Sed prophetæ ſimulachra uocarunt mendacia. Quis uero à mendacijs ueritatem aut inſtitutionem ullam petat? Verum de his aliâs.

Atqui eſca nos non commendat deo, neq; ſi comedamus aliquid nobis ſupereſt, neq; ſi non comedamus quicquam nobis deeſt.

Libertatis abuſus.

Aliam Sciolorum obiectionem recenſet. Quid, inquiebãt, noſtra retulerit ſi unus atq; alter noſtra libertate offendatur? Conſcientia certè noſtra munda cum ſit, libera quoq; eſt, maxime in cibo. Non enim quod ingreditur in os coinquinat hominem, ſed quod de ore egreditur. Proinde eſca non commendat, id eſt, commendatos & gratos nos reddit deo: neq; ſi comedamus aliquid nobis ſupereſt, id eſt, quicquam ad pietatem accedit: neq; ſi non comedamus nobis quicquam pietati decedit. Itaq; liberum eſt de idolothyto edere uel non edere. Ad eundem modum abutuntur libertate Chriſtiana, qui Simulachra, Miſſas & id genus alia ponunt inter Indifferentia.

Sed uidete ne quo modo facultas iſta ueſtra offendiculo ſit ijs, qui infirmi ſunt. Etenim ſi quis cõſpexerit te, qui habes ſcientiã, in Idoleo accumbentem, nónne conſcientia eius qui infirmus eſt ædificabitur ad edendum ea quæ ſunt ſimulachris immolata? Et peribit frater qui infirmus eſt, ob tuam ſcientiam, propter quem Chriſtus fuit mortuus. Sic autem peccantes in fratres & uulnerantes eorum conſcientiã infirmam in Chriſtum peccatis.

Libertas charitate moderatur.

Reſponſio eſt ad obiectionem ſuperiorem. Quaſi dicat, Vt ſis liber, curandum tamen ne libertate abutaris ad detrimentum proximi. Non enim omne quod licet expedit: ſed quod expedit & honeſtum eſt, licet. Tota ergo reſponſio hac ratiocinatione comprehenditur, Iſtud homini Chriſtiano licet quod expedit, & infirmo nullã ruinæ occaſionem præbet. Cæterum idolothytis ueſci infirmum nedum offendit, ſed & perimit, proinde illicitum eſt ueſci idolothytis. De prima propoſitione non eſt quod plura diſputemus: cum eius generis nonnulla in cap. 6. annotauerimus. Secundam uero copioſius excutit atq; aſtruit. Si ait infirmus aliquis frater qui nuper ab idololatria deſciuit ad Chriſti euãgelium, interim infectus adhuc auita ſuperſtitione nonnihil, conſpexerit te, te inquam qui eruditione & pietate uideris cæteris præſtantior, conſpexerit autem in Idoleo (eſt autem Idoleum locus ſimulachrorum aut menſa in qua carnes ſacræ proponebantur) accumbentem, nónne huius animus aliâs ad idololatriam propenſus, ædificabitur, id eſt tuo exemplo fulcietur ad edendum idolothyta? Nam eruditioni & pietati tuæ tantum fidit, ut idem iam audeat quod tu, ſed diſſimili animo. De externis tantum iudicat infirmus, animum tuum non uidet. Quid ergo? Libertas illa tua importuna facit ut pereat infirmus ille frater tuus incitatus uidelicet tuo exemplo, ut iam contra unius dei fidem de idolothytis ueſcatur. Id enim cum ſine fide cum conſcientia idoli faciat peccatum facit, atq; ita, id quod cum ſtomacho dicit, perit frater tuus ob tuam ſcientiam. Nam hæc iraſcentis uerba ſunt (ut ait Ambroſius) quibus oſtẽdit quid mali poſſit parere ſcientia,

si nō fuerit charitate temperata. Ad amplificationē uero criminis pertinet & illud quod adiungit, Propter quem Christus fuit mortuus. Quasi dicat, Illa uero egregia, si diis placet, scientia est, qua is perditur pro quo seruando Christus dominus crucis subijt supplicium: qui cum docuit uitam etiam fratribus impendere, tu tamen mauis perdere fratres quàm uel tantillū obstinatæ mentis uanaq; scientia imbutæ ponere. Addit & aliud multo augustius, Sic autem peccantes in fratres, &c. Est enim sensus, Ac ne quis leue putet offendisse hominem, sciat istud peccatum illumq; contemptū in ipsum redundare Christum. Caussam reddit Theophylactus, Quia Christi corpus & membra sunt qui percelluntur: & quam Christus ipse proprij sanguinis professione salutem ædificauit, istiusmodi percussores demoliūtur. Certe ad ipsa domini uerba allusisse uidetur, quæ de scandalo extant apud Matthæum in 18. capite. Hæc sibi habeant responsa qui se simulachris & missis propter libertatem Christianā bene uti posse credūt, imò & uiolentia quadam aut obtrudūt ecclesijs, aut cum maximo infirmorū scandalo in templis Christi reseruāt. Minutulum porrò uidetur esse illud quod metaphora quadam à corpore ad animum translata dixit uulnerātes, id quod & uehemētius & atrocius est q̄ si dixisset offendētes.

Quapropter si esca offendit fratrem meum, haudquaquā uescar carnibus in æternum, ne fratri meo sim offendiculo.

Illatio est uehemens. Tantū inquit abest, ut idolothytis uescar, ut etiam in uniuersum ab omni carne abstinere malim, quàm quenquam ex fratribus offendere. Iam ergo si tantum apud uos ualet quorundā scientia & libertas, ualeat & mea charitas & libertas. Suo enim exemplo urget Corinthios Paulus, quos uana scientia & prauo exemplo seducebant Scioli. Vide autem quàm uehementia sint omnia. Non enim Si iure dixit læserim quempiam, sed quouis modo: neq; ab idolothytis intulit abstinebo, sed à carne simpliciter etiamsi ea mihi consessa sit: neq; unum uel alterum diem, sed in æternū, id est semper quoad uixero: neq; uero ut perdam dixit, sed ne offendam. Addit Ambrosius quod mire huc quadrat & diligenter obseruandum est, Quæ lex concessit, ita permisit, ut modus tamen sit qui custodiatur. Vxorem certè habere licet, sed si fornicata fuerit abijcienda est: ita & carnem licet edere, sed si idolis oblata fuerit, respuenda est.

CAP. IX. An non sum apostolus? an non sum liber? an non Iesum Christum dominum nostrum uidi? an non opus meum uos estis in domino? Si cæteris non sum apostolus, at sanè uobis sum. Siquidem sigillum apostolatus mei uos estis in domino.

Contextus perplexior. Difficillimus & obscurissimus est contextus 9. capitis propter hyperbata sententiarum longius porrecta, & quod anantapodatis omnia sunt referta. Sunt qui putent Paulum in hoc uaria discutere quæ nihil pertineant adeo ad disputationem superiorem de Idolothytis. Sunt qui aliud tractari credunt: sed si mentem & uerba Pauli propius inspexerimus uidebimus hæc cohærere cum superioribus quibus confirmationis uice suppacta sint. In fine enim cap. 8. docuerat nō semper spectandū quid liceat, sed quid expediat, nec protinus sequendū quod defendi possit, sed quod iubeat charitas: idq; suo maxime exemplo docuit ac inculcauit. Verum erant Corinthi, ut sæpe iam monuimus scioli quidam, qui authoritati nominis Pauli plurimum derogarant, quasi uero non uerus esset apostolus, se autem ueros esse apostolos, ut qui ab ijs essent missi (sed mentiebantur) qui in carne uidissent dominum. Hæc ergo & alia quędam scientiam uidelicet & libertatem iactabant: ut iam non multū suo exemplo approbasset Apostolus quibusdā, nisi sui nominis authoritatem fuisset tuitus. Dicit itaq;: Si uero tantum apud uos ualet liberū esse, apostolum esse, Christū uidisse, cur non mea quoq; uos authoritas ualet? Nam & ego liber sum, scientiā iactare possum, sum apostolus, dominum Iesum uidi, nedum illos qui ipsum in carne uiderunt. Quod si quis uel res præclare gestas desiderat, uel de apostolatu meo dubitat, expendat ut uel minimū dicam, quod uos Corinthij opus meū (1. Cor. 3.) estis in domino. Nam uos estis certissimum indicium, adeoq; & diploma siue sigillum,

Authoritas D. Pauli.

Act. 26.

2. Corinth. 12.

confirmatio

confirmatio ac teſtimonium quoddã quod ſim apoſtolus à deo ad Gentes miſſus, adeo ut ſi cæteri me non agnoſcant ſuum apoſtolum, uos tamen negare non poſſitis me ueſtrum eſſe apoſtolum. Nam in 2. epiſtola cap. 12. ait, Nulla in re inferior fui ſummis apoſtolis, tametſi nihil ſum. Signa quidem apoſtoli peracta fuerunt inter uos cum omni potentia & ſignis, & prodigijs, & potentibus factis. Nam quid eſt in quo fuiſtis inferiores cæteris eccleſijs? *Gala. 1.*

Mea reſponſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt, An non habemus poteſtatem edendi ac bibendi? An non habemus poteſtatem ſororem mulierẽ circumducendi quemadmodum & cæteri apoſtoli, & fratres domini, & Cephas? aut ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc faciendi? Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? Quis plantat uineam et de fructu eius non edit? aut quis paſcit gregem, et de lacte gregis non edit?

Iam uero copioſius differit de libertate & genuino eius uſu: quando Scioli hac in cauſſa libertati maxime nitebantur. Verum multa hic dicuntur priuſquam inferatur in quem finem dicantur ab apoſtolo. Multis enim oſtendit liberum eſſe apoſtolo ac uerbi miniſtro uxorem ſecum in miniſterio uerbi circumducere, & de euangelio ſiue ſtipẽdio eccleſiæ uiuere. Nam & Scioli multis demonſtrabant idolum nihil eſſe, in fide & cognitione rerum ſummam uerſari, ideo liberum eſſe fidelem in externis, in cibo & potu, proinde liberum eſſe & de idolothytis ueſci. Nam idolothyta inter externa ponebant. His ergo Paulus aliud opponit quod & ipſum erat externum ac liberũ, imò longe liberius, & multis exemplis ſimilibus & teſtimonijs dei (id quod nemo facile de idolothytis dixerit) approbatum ac conceſſum: quo tamen non ſit uſus, ne ſcilicet offendiculum daret euangelio. Hinc quid ſequitur? illud nimirum quod tamen uerbis Pauli expreſſum non eſt, Vtiq; non licere ullo libertatis prætextu ullis ueſci idolothytis. Si enim illud propter ſcandalum euitandum eſt quod deus conceſſit, multo magis illud euitandum eſt quod ut maxime offendit ita à deo nunquam conceſſum eſt. Sic autem dicit, Mea reſponſio apud eos qui me interrogant hæc eſt, id eſt, illa eſt reſponſio quam illis do qui me dijudicant, id eſt, mihi detrahunt et obloquuntur, qui ſcientiam iactant, in idoleo accumbunt, & me apoſtolum eſſe negant, ſe uero apoſtolos, ſe eſſe liberos clamitant, an non habemus poteſtatem edendi & bibendi? In hac autem propoſitione ſummam rei complexus eſt, hanc, quod liberum ſit apoſtolo uiuere de euangelio. Neq; enim abſolute intelligenda eſt locutio quaſi hoc tantum dixerit ſe poteſtatem habere edendi & bibendi, ſed de ſtipendio loquutus eſt. Hanc uero propoſitionem ut dixi per expolitionem fuſiſſime tractat. Aliud enim protinus eiuſdem generis ſubiũgit, An non habemus poteſtatem ἀδελφὴν γυναῖκα, id eſt Chriſtianam uxorem circumducendi: id quod pleriq; ſic exponunt, quaſi mulieres quæpiã ditiores apoſtolos ſequutæ deſiderio doctrinæ euangelicæ ſumptus ſupeditarint & inſeruierint apoſtolis, id quod & Luc. 8. de quibuſdã legitur Chriſtum ſequutis: ſed de uxoribus locus eſt intelligendus, quemadmodum multis ſi neceſſarium ſit oſtendi poſſet. Neq; primi hunc locum ſic exponimus. Nam & Clemens ille ſcriptor uetuſtiſſimus, quem ſuperius in 7. cap. citauimus, hunc locum de apoſtolorũ expoſuit uxoribus. Sed de his quædam in 21. cap. Act. Apoſt. Exempla uero quæ his adiunguntur non tam de uxoribus circumducendis quàm uictu ſiue ſalario accipiendo exponenda ſunt: de poſteriore expoſuit D. Ambroſius dicens, Ideo addidit & Cephas. Quia cum primus eſſet inter apoſtolos non refutabat ſumptus oblatos. Cæterum fratres domini familiares & diſcipulos domini appellauit. De uxore porrò Petri apertus locus eſt apud Matth. in 8. Sed cur Petrus cognominatus ſit Cephas à Ioanne exponitur cap. 1. Certè nulla eſt inter nomina iſta differentia, niſi quod alterum quidem Syrum, alterum uero Græcum eſt, utrunq; à ſoliditate deſcendens. Affectum uero habet quod appenditur, Aut ſolus ego & Barnabas nõ habemus poteſtatẽ hoc faciendi? Annotauit autem

Apoſtoli uxores ſecum circumducebant.

Theophylactus fuisse apud Corinthios præceptores siue doctores quosdam prædiuites & opulentos, qui gloriæ duxerint alios gratis instruere, molirenturq; ut id ad ignominiam cederet Apostolo, quod ipse ex doctrina quæreret cibum: unde id cauisse Apostolum ne quid à quoquam acciperet, tametsi accipere potuisset. Ad confirmationē porrò libertatis illius pertinent iam tria illa quæ sequuntur similia, militis scilicet stipendiarij, uinitoris & pastoris, quæ aliâs satis sunt clara. In omni enim officio sumptus ab eo suppeditatur cui datur opera.

Num secundū hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Etenim in Mosi lege scriptum est, Non obligabis os boui triturāti. Num boues curæ sunt deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is qui arat arare, & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat. Si uobis spiritualia semina uimus, magnum est, si nos uestra carnalia messuerimus? Si cæteri potestatis erga uos particeps sunt, cur non potius nos?

Doctoribus debetur stipendiū.

Ne quis Similia ista in disputatione sacra contemneret ceu hominum inuenta, pronunciatum ex Lege dei profert, quod extat Deute. 25. Rursus ne quis de bobus, non apostolis id dictum exponeret, iterū subiungit, An uero probabile est deum hac lege bubus tantum prospectum uoluisse, quos propter nos condidit? Recte enim Ambrosius ait, Non curat de bubus et pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos quorum caussa sunt facta, ideo de nobis curat, non de illis. His quidem ad hunc modum firmatis, iterū producit similia per allegoriam, quæ sic exposuit Paraphrastes: Proinde non tam boum q̄ nostra caussa scriptum est hoc, ut quisquis laboriosam agricolationem exercet in segete domini, non fraudetur spe præmij sui, & qui triturā exercet in area domini præter spem æterni præmij prę̄sentis etiam mercedis solatio laborem leniat. Græce enim de uerbo ad uerbum legimus, καὶ ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι ἄυτου μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι, id est, Et qui triturat spem suam participare in spe. D. Ambrosius legit, Quoniam qui in spe arat & triturat, debet spei suæ fructum percipere: idq; uerum est, quia hac spe laboratur ut fructus capiatur. Porrò sequenti sententia Si uobis spiritualia, &c. dissimilitudinem per Tapinosin & Collationem non citra exprobrationem ingratitudinis ostendit. Quasi dicat, Quæ uos nobis rependitis nequaquam collatis in uos beneficijs respondent. Nos enim æterna conferimus, uos fluxa & temporalia quædam rependitis. Huc pertinet & illud, Si uero cæteris apostolis, de quibus nunc quales sint nihil dicimus, stipendia iure quodam cessere, quid prohiberet quo minus nos qui labore & diligētia istis haud inferiores sumus, uictum acciperemus?

Atqui nō usi fuimus potestate ista, ne quid offendiculi daremus euāgelio Christi.

Hic palàm edicit se sua non usum esse potestate siue libertate, certè ne ulla re etiam licita cursum impediret euangelij. Sic utiq; & Corinthiorum Sciolos feciſſe oportebat in negotio idolothytorum, quod ut maxime liberum fuisset, curassent tamen ne sua libertate ad detrimentum proximi fuissent abusi. Sed de his mox copiosius. Quin & Ambrosius agnoscit hic tandem absolui hyperbaton dicens, Diu occultatum prodidit sensum. Verum cum per epanaphoram alia quædam his interserat, ipsa quidem nūc uideamus, sed absoluta sententia paulò post plura dicturi.

An nescitis quod hi qui in sacris operantur, ex sacrificio uiuunt? Qui sacrario assistunt, unà cum sacrario partem accipiunt? Sic & dominus ordinauit, ut qui euangelium annunciant, ex euangelio uiuant.

Stipendiū eccle siasticum.

D. Ambrosius hunc locum sic exponit, In sacrarijs legem Gentilium significat, in altari uero Iudæorum. Sic enim decreuit dominus per Mosen, ut de his quæ oblata erant partem sumerent sacerdotes. Non tamen deus per Mosen Gentiliū formam secutus est, sed ipsa

sed ipsa naturalis ratio habet, ut quis inde uiuat unde laborat, &c. Equidem primum illud membrum ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν, id potest quasi quis dicat, Qui sacra operantur, è sacro siue templo uescũtur. Monuit enim Erasmus ἱερὸν & uictimam & templum significare. Posterius uero membrum exponi potest de ara siue sacrario. Est enim θυσιαστήριον locus sacer siue sacrarium, siue ara in qua hostia offerebatur. Postremo autem quod omnium erat fortissimum domini Iesu institutũ refert quod habetur Matthæi 10. Id enim Paulus sic citauit, Ita & dominus ordinauit, ut qui euangelium annunciant, de euangelio uiuant. In quem locum hæc annotauit Theophylactus, Quid multis opus? dominus ita instituit, inquit, leges sanciens ueteri testamento conformes: & quem admodum superius dixit de sacrario edendum, sic & hoc loco manducandũ asserit non ex discipulorum facultatibus, sed de euangelio: ne forte superbiant qui apostolos sustentarent. Neq; enim inquit, tu his alimoniam subministras, sed propria quædã industria, hoc est, euangelij annunciatio apostolos alit. Annotandum & illud quod dixit, De euangelio uiuant: non diuitijs affluant & luxu diffluant. Nam aduersus horum impudẽtiam qui genio indulgent, opibúsue colligendis studeant, ueritatis doctrinam & ecclesiam negligunt, nullam pauperum curam gerunt, gregem Christi deglubunt, adeoq; lupos & tyrannos agunt, multa dicunt prophetæ, Ieremias in 6. 23. Isaias in 56. Ezechiel in 13. & 34. Micheas in 3. Malachias in 1. & 2. capite, &c. Peccant ergo qui stipendio ecclesiastico abutuntur. Peccant & nebulones quidam deprædãtes Christi ecclesiam, partim luxu concoquentes quod in necessitatem pauperum erat erogandum, partim uero in suos usus conuertentes quod uerbi ministris ex ipsa domini institutione diuidẽdum erat. Verum dominus aliquando turpissimos istos Simones è cathedra illa auaritiæ & mercatorum sublimi de repente præcipites dabit. *Dignus operarius mercede sua.*

Ego uero istorum neutiquã usus fui, neq; ista scripsi, ut mihi sic fiat. Nam bonum est mihi mori potius, quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat. Etenim si euangelizem non est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi nisi euangelizem. Nam si uolens hoc faciam, præmium habeo: sin inuitus, dispensatio commissa est mihi. Quod igitur mihi est præmium? ut cum euangelizem gratuitum efficiam euangelium Christi, in hoc, ne abutar potestate mea in euangelio.

Semel cœperat non multis ante uerbis argumentationem absoluere quam mox à capitis initio orsus est, sed institutum interrupit noua libertatis in salario de annunciatione euangelij accipiendo cõfirmatio, atqui hac iam absoluta iterum accelerat ut absoluat sententiam. Hactenus enim multis exposuit quid liceat & quid iure potuerit, iam exponet quid fecerit & quomodo hac libertate usus sit. Hoc autem dicit, Videtis quot nominibus licuerit facere quod nõ feci, neq; ista in hunc finem dixi quod posthac quicquam à uobis accipere statuerim: sed ut meo exemplo ostendam quid uobis quoq; sit faciundum in ijs quæ simulachris immolata sunt. Atq; hic propositionem in hoc negotio potissimam protinus subiungit, hanc, Mori malo fame quàm gloriationem meam amittere. Hanc occulta quadam antithesi opposuit Sciolorum instituto, qui sibi persuaserant præstabilius esse mori quàm uel latum quod dici solet culmum cedere à libertate & scientia illa sua. Deinde hanc gloriationẽ suam quæ sit, sequentibus copiose per opposita exponit. Non potuit in eo gloriari quod euangeliũ prædicabat. Caussa, Vocatio urgebat, adeo ut de salute periclitatus fuisset, nisi fideliter prædicasset. Neq; de eo gloriari potuit quod uel uolens uel inuitus prædicabat. Volenti enim paratum erat præmiũ: nolenti necessitas incumbebat. Quæ ergo Pauli gloriatio (quam & posteriori hoc loco præmium appellitat) alia esse potuit quàm quod gratuito prædicauit euangeliũ cum iure potuisset edere & bibere de ijs quæ obtulissent ij quibus euangelium prædicarat? Hanc uero fuisse gloriationem Pauli planioribus exponit in 2. epistola 11. capite. Quid autem hæc ad ne- *Scopus huius loci & disputationis.*

gotium præsens faciunt? Permultum. Sarciendum enim est quod deesse uidetur, nimirum ad hunc uel similem modum. Quemadmodum ego mihi melius esse duco mori q̃ gloriationem meam amittere, ita quilibet uir bonus in omni negotio mori eliget quàm gloriationem Christiano dignã amittere. Quæ uero illa in præsenti negotio? Non utiq; ne idola colat, aut alicuius momenti esse credat. Nam ipsa dei lex & fidei ueritatisq; necessitas urget ne colamus: imò ipse deus æterna nobis minatur supplicia si colamus. Proinde si uolens ac lubens quis contemnat, præmium propositum habet: si uero inuitus ab ijs abstineat, attamen præceptum dei urget. Igitur uera laus & fidei ueræq; scientiæ uis in eo est quod quis ab eo abstinet quod facere potuisset, non autẽ id duntaxat facit quod facere iussus erat: nempe si quis (ut loquamur planius) cum idolothytis uesci potuisset, ijs tamen abstinet, neq; illa sua abutitur libertate. Id demum celebre & libero homine dignum est. Hinc & Ambrosius, Forma (inquit) uult esse cæteris Paulus, ut ubi uidẽt non expedire, etiam licitis non utantur, si quo minus, de licito fient rei, quod sic sumũt ut ad detrimentum proficiat.

Etenim cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci quo plures lucrifaciam: & factus sum Iudæis quasi Iudeus, ut Iudæos lucrifaciã: ijs qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam: his qui sine lege sunt tanquam sim sine lege, cum deo non sim sine lege, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciã. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem. Hoc autẽ facio propter euangelium, ut particeps illius fiam.

Omnia omnibus factus Paulus, sed cum conditione.

Suo exemplo acrius nunc urget Sciolos libertate gloriantes, imò abutentes ad offensionem infirmorũ. Non modo, ait, cum potestatem haberem, nihil accipiebam, sed cum liber essem & nulli obnoxius, nec ulla coactus necessitate, non uni atq; alteri, sed omnibus me obstrinxi seruitute: non uelut adulator aliquis, ut morem gererem alijs meaq; quærerem, sed ut multis conducerem. Eleganter enim diuus Ambrosius, Non uidetur, ait, quasi simulasse Apostolus ut omnibus fieret omnia, quod solẽt adulatores facere: sed non ita est. Vir enim diuinus & medicus spiritualis sciens omnium caussas & uulnera, magna industria confouet illos & compatitur. Ita conueniebat & Corinthiorum Sciolos esse animatos & nostri ęculi rixatores aliquot, quibus nunquã non in ore est, Omnibus factus sum omnia: nec expendunt quod diuinus Apostolus hac sententia contra se, hoc est, contra libertate & fide abutentes, & cõtra Corinthiorum Sciolos paria cum nostris sentientes & facientes usus est. Quod autem in genere semel dixerat, Cum liber sim omnibus meipsum seruum feci, id iam per partitionem siue specierum enumerationem fusius exponit, hoc est Iudæis & Gentibus, ijs qui sub lege & ijs qui sine lege sunt, firmis inquam & infirmis inseruiui. Finem semper adiungit, Vt aliquos Christo lucrifaciam. In Iudæorum gratiam, id est, ut Iudæos lucrifaceret Christo Timotheum circumcidit. Gentibus quoq; dedit plurima, ut liquet ex Actis apostolicis. Eas uero ait esse sine lege, quod lege dei scripta carerent. Se uero dicit esse sub lege Christi, quę aliud non est quàm fides per charitatem efficax. Ita inquam sua libertate usus est, ut quotquot post hac libertate sua rite uoluerint uti, id omnino facturi sint quod Paulus, qui ad finem appendit, Hoc autem facio propter euangelium, ut particeps illius fiam: id est, hæc omnia non mei commodi gratia facio, non contentionis aut uanæ gloriæ studio, sed ut multos pertraham ad euangelij institutum, cum quibus tandem à summo illo remuneratore æterna uita donabor, quæ prædicatione euãgelica offertur. Breuiter. Hisce omnibus nihil aliud uoluit Paulus ostendere, quàm quod libertate abutantur qui aiunt, Idolothytis uesci licet. Nam liberi sumus, scientiam habemus. Esca nos non cõmendat deo, &c. Hisce enim respondit obiectionibus illis Sciolorum.

Rom. 4. 2.

An nescitis qui in stadio currunt omnes quidẽ currunt, sed unus accipit

cipit præmium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui certat omnia sustinet. Illi quidem igitur ut perituram coronam accipiant, nos autem ut æternam.

Accomodis similibus docet potissimum in re qualibet esse ambiendum, proq; illo assequendo quidlibet esse perpetiendum. Cæterum his ad ea respexit quę paulò ante docuit, uidelicet moriendũ esse citius quàm admittendum ut de gloriatione nostra quicq; amputetur. Ne enim quis obiiceret, Satis est mihi si nil agam contra præceptum domini, id est, si non uenerer idola & cum conscientia uescar immolatitijs, interim uero utar eo à quo libertas fidei me abhorrere non iubet, hoc est, in idoleo ad sacras istas accumbam epulas, eò quod esca & locus cum externa quędam sint fideli libera sint. Non enim necesse est ut ad fastigium rerum eluctet, quemadmodum tu Paule ea re uti non uis qua optimo iure uti posses, ne scilicet gloriationẽ tuam prærogatiuamq; quisquam inanem reddat. Iam ergo fingit apostolus illam gloriationem illud ipsum esse præmium quod præponitur cursoribus. Quemadmodum autem omnes qui in stadio currunt spe quadam currunt, imò totis uiribus annituntur, singuli, quod dici solet, per se, ut præmium assequantur, id quod interim non nisi unus aliquis assequi potest: ita in præsenti negotio, cum in religionis campo curramus omnes, tametsi difficile sit potissimũ in re qualibet assequi, aut abstinere à rebus licitis, aut sibi ab idolothytis temperare, tamẽ annitendum ne ijs uescamur, neue libertate nostra abutamur, atq; ita currentes strenue & prudenter brauium hoc auferamus. Rursus, qui pugilem agit πάντα ἐγκαθέυεται id est omnia sustinet aut tolerat, aut in omnibus temperans est. Solent enim athletæ certamina inituri, sibi temperare à cibis & uoluptatibus & omnibus ijs rebus, quæ aut corpus aggrauant, aut uictoriam & agilitatem impediunt. Hoc autem faciunt ut perituram coronam uictoriæ præmium & hominũ applausum demereantur. Turpissimum itaq; nobis fuerit, si nobis ab idolothytis nõ temperauerimus. Cũ nobis nõ corona peritura, sed æternum gaudium sit propositum: ad quod perueniunt qui hic ambularint inoffense. Cæterum qui cibo fratri lapsus occasio existit, non ambulat inoffense, per idolothyta itaq; excidit ab isto immortali præmio: præstat itaq; ab idolothytis abstinere.

Potissimum in re qualibet ambiendum.

2. Timoth. 4.

Ego itaq; sic curro, ut non in incertum: sic pugilem ago, non uelut aërem feriens, uerum subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar.

Se iam statuit exemplum quemadmodum hactenus solitus est, sermonemq; sic attemperat ut simul & superiora exponat. Ego sic uitam meam instituo, inquit, ne uspiam impingam, aut temere quid agam, aut libertate abutar, sed ut præmiũ illud propositum assequar. Sic & Theophylactus exposuit, Nil temere ago uti uos consueuistis, qui ut idolothytis uescamini alios perditis, quod sanè cum per uos inconsideratius fiat, haud dubie in incertum & frustra curritis. Item aërem ferire prouerbiali figura dicuntur, qui frustra & inaniter laborant. Id solebant Corinthiorum Scioli mirum tamen in modum sibi placentes, ut solent athletæ qui per lusum & ostentationem artis mira corporis agilitate feriunt aërem, nec aliud hoc ipso quàm laudem hominum quærunt. Equidem quod à Sciolis de Scientia, de Libertate hisq; rebus alijs similibus prædicabatur pulchrè quidem proponebatur, sed nihil habebat utilitatis. Nam illud infirmis lapsus erat occasio. Paulus ergo, Ego ista non magni æstimauero, ait, imò illud magis curauero, ut ita libertate mea utar, ita carnem meam redigam in seruitutem, ne cui offendiculo sim, ne quo modo fiat ut cum alijs prędicarim ipse reprobus efficiar. Quę sententia singularem habet emphasim. Hoc etenim potest. Si nobis qui Christum docemus non satis est uerum & cognouisse & prædicasse, nisi & illud accedat, ut quod alios docemus ipsi quoq; faciamus, & ne cui impuriore uita nostra offensionem demus: ita uobis nequaquam sufficerit agnouisse quod idolum nihil sit & idolothytũ nihil sit, nisi etiam uita & mores uestri eiusmodi sint ne quis infirmorũ offendatur aut uestro exẽplo in idololatriã pręci-

pitetur, ut uel ipsum idolum numinis nonnihil uel idolothyta gratiæ aliquid habere credat. Qui enim sancte & uere docet, interim uita improba quod recte docuit subuertit, nihil laudis assequitur: ita nulla laude dignus est qui credit quidem idolum nihil esse, interim fidem illam suam participatione peregrinorum sacrorum suspectam reddit. Et hactenus ad argumenta pseudapostolorum respondit. Confutatis autem iis, consequentibus suam approbabit sententiam quod peregrinis sacris communicare non liceat.

CAP. X. Nolim autē uos ignorare fratres quod patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem comedebant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur petra. Petra uero fuit Christus: sed plures eorum non approbauit deus, prostrati sunt enim in deserto.

Veterum & nostra una est ecclesia.

Præstructio siue προασκευή quædam est in confirmationem consequentem. Exemplis enim Veterū in hoc negotio usurus corroboraturusq; quod illicitū sit peregrinis communicare sacris, principio Veteres nobis æquat, ne aduersarij obiicerent uitiosam esse apostoli argumentationem. Proinde hisce quidem uerbis æquat nobis Veteres, simul & illud in transcursu, ostendens, non sufficere ad salutem consequendam ore confiteri dominum, præterea & baptizatum, imò & cibi potusq; mystici participem esse, nisi & morum accesserit emendatio uitaq; eiusmodi quæ nulli occasionem lapsus obiiciat. Equidem si quis Veteres ex fide æstimet aut ex primis maximisq; religionis Christianæ capitibus, dicet omnino eandem esse utriusq; religionem: nisi quis forsan id multū inter nos & illos discriminare credat, quod illi in uenturum credidere Messiam, & typica quædam habuere, nos uero ab his liberati in natum credimus Messiam & glorificatum. Certè à Christo nobis & ab apostolis suis non alia proponuntur exempla imitanda, quàm Veterum, Abrahæ in primis: id quod per perā fieret, si ueteres non ea fuissent religione imbuti qua dominus cum apostolis per doctrinā illam suam nos imbutos uolebāt. Quod autem ad Sacramenta attinet utriusq; populi, religiosissime dixit ad Marcellinum Augustinus, Quos æquauit fides, non reddunt inferiores sacramenta. Imò ipse apostolus Paulus ut alibi nobis Iudæorum sacramenta, Circumcisionem & Pascha attribuit: ita hoc loco ueteribus nostra sacramenta Baptismum, & Cibum potumq; mysticum ascribit. Quod ergo baptismum attinet, Patres inquit nostri omnes in nube & in mari per Mosen siue per Mosi ministerium baptizati sunt. Sic enim exponimus illud, πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ. tum scilicet cum omnes sub nube erant & per mare transirent. In baptismo autem duo potissimū sunt redemptio siue peccatorum emundatio & collatio donorum cœlestium. Hæc sunt per nubes, illa significata per mare. Et sanè per uisibilia illa elementa Veteribus collata sunt diuina beneficia: quemadmodum & nobis per uisibilem aquam conferuntur beneficia cœlestia. Porrò illa uirtus & beneficiorum collatio non est uisibilis aquæ, sed dei per hanc operantis & secundum promissionem suam exhibentis, cæterum ob multā certitudinem illa ad hunc modum per sacramenta & res uisibiles disponentis, adeoq; & offerentis. De Cibo potuq; mystico, Omnes, inquit, eandem escam spiritualem comedebāt, & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Et clarius se exponens addit, Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur petra: Petra uero fuit Christus. Proinde Manna deplutum cœlitus & Aqua quæ de petra percussa effluxit spiritualia, hoc est significatiua siue mystica fuere. Tametsi enim uisibilia & sensitiua essent, habebant tamen sensum rerum inuisibilium cœlestiumq;. Nam Christum cibum & refectionem omnium fidelium in fine temporum uenturum significabant, adeoq; & ob oculos statuebāt, dum natura sua id enunciarent adumbrarentq;, quod in Christo erat conferendum adeoq; & credentibus iam conferebatur cœlitus. Petra quidem firma est nec cedit nitentibus ipsi. Aqua recreat refocitq; hominem, & Manna cœlitus deplutū corroborabat corpora patrum. Et Christus

Coloss. 2. 1. Cor. 5.

Cibus mysticus.

ueritas

ueritas & certitudo quædam est omnibus sibi fidentibus, cibus ac refrigerium animæ, quem qui edunt aut bibunt nõ esurient & sitient in æternum. Edunt autem & bibunt quotquot ipsi credunt. Sacramentũ ergo non rem sacramenti ederunt & biberũt quos non approbauit dominus. Approbasset enim si credidissent. Iccirco spiritualẽ hi cibum comederũt, sed non spiritualiter, unde & ipse dominus apud Ioannem ait, Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Eandem autem escam dixit quod no bis non sit alia salus proposita quàm ipsis. Nam & Petrus ait, Non est aliud nomen datum sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen Christi. Quod sacramentum cœnæ attinet, eadem ratione de pane & uino nobis dictũ est, Hoc est corpus meum, Hic calix est sanguis meus, qua hic de ueteribus dictum legimus, Bibebãt de spirituali petra. Petra uero erat Christus. Est enim panis & uinum Christi, ipse Christus atq; spiritualis cibus & potus, qui spiritualiter sumptus cibat animam in uitam æternam. Sunt tamen plurimi qui cibum hunc spiritualem non edunt spiritualiter. Nam fide carent, & proinde mysterium huius sacramenti non agnoscunt ut decebat, iudicium ergo sibi manducant & bibunt. Sed de his iam non est dicendi locus. Nam in hunc finẽ hæc à Paulo producta sunt, ut uideamus unum esse populum, unam ecclesiam ueterem & nostram, & quod ipse posthac iuste usurpet ueterum exempla pro institutione nostra.

Interim uero uidemus uisibilem illam Christi ecclesiam populum dei, uisibilibus colligi sacramentis. Quod fidem & affectum attinebat internum, non approbauit eos deus, utpote quos in deserto ob impietatem prostrauit, nihilo minus priusquàm iudiciũ dei de ipsis manifestaretur, recensentur in ecclesia propter communicationem Sacramentorum populi dei: ut iam illos uehementer cæcutire uideamus, qui nescio quibus rebus inuisibilibus & cœlestibus ecclesiam moliuntur colligere, fortassis Reipublicæ Platonicæ haud absimilem. *Ecclesia Sacramentis colligitur.*

Videmus item suum esse sacris morem de Mysteriis loquendi. Christus hic petra dicitur, sed spiritualiter. Petra sanè per tropum & allusionem quandam, quæ aperitur per adpositam particulam spiritualiter. Pari modo & panis eucharistiæ dicitur corpus Christi, nimirum spiritualiter & suo quodam more. Sed de his forsan dicemus in 11. cap. Iam cum non modo ad hunc Pauli locum explicandũ, sed ad exponenda innumera alia mysteria permultum faciant Augustini uerba quæ extant Tracta. in Ioannem 45. ea bona fide ascribemus in gratiam studiosorũ. Ante aduentum (inquit) domini nostri Iesu Christi quo humilis uenit in carne, præcesserunt iusti, sic in eum credentes uenturum, quomodo nos credimus in eum qui uenit. Tempora uariata sunt, nõ fides. Quia & ipsa uerba pro tempore uariantur cum uarie declinãtur. Alium sonũ habet Venturus est, alium sonũ habet Venit. Mutatus est sonus, Venturus est & Venit: eadem tamen fides utroq; coniungit, & eos qui uenturum esse, & eos qui eum uenisse crediderunt. Diuersis quidem temporibus, sed utroq; per unum fidei ostium, hoc est, per Christum uidemus ingressos. Nos credimus dominum Iesum Christum natum ex uirgine, uenisse in carne, passum esse, resurrexisse, ascendisse. Totum hoc ficut uerba auditis præteriti temporis impletum esse iam credimus: in eius sunt fidei societate nobiscum et illi patres qui crediderunt de uirgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlos ascensurũ. Illos enim oftendit Apostolus ubi ait, Habentes autem eundem spiritum fidei, ficut scriptum est, Credidi propter quod loquutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur. Propheta dixit, Credidi propter quod loquutus sum. Apostolus dicit, Et nos credimus propter quod & loquimur. Vt scias autem quod una sit fides, audi dicentem, Habentes eundem spiritum fidei & nos credimus. Sic & alio loco, Nolo enim uos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eundem cibum spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Mare rubrum significat baptismum. Moses ductor per mare rubrum significat Christum. Populus transiens signi ficat fideles. Mors Aegyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diuersis eadem fides, sic in signis diuersis quomodo in uerbis diuersis. Quia uerba sonos

Scripturæ suus mos loquẽdi de mysterijs.

Ioan. 10.

2. Corinth. 4.

Psalm. 115.

1. Corinth. 10.

mutant per tempora,& utiq; nihil aliud sunt uerba quàm signa. Significando enim uerba sunt: tolle significationẽ uerbo, strepitus inanis est: significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus prophetata prænunciabantur? Vtiq; credebãt: sed illi uentura esse, nos autem uenisse. Ideo autem sic ait, Eundem potũ spiritalem biberunt. Si spiritalem eundẽ: nam corporalem non eundem: quid enim illi bibebant? bibebant de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus: uidete ergo fide manẽte signa uariata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altare dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra: nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem uisibilem intendas aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt. Quotquot ergo illo tempore crediderunt uel Abrahæ, uel Isaac, uel Iacob, uel Mosi, uel aliis patriarchis, aliisq; prophetis Christum prænunciantibus, oues erant & Christum audierunt, non alienam uocem sed ipsius audierunt. Iudex fuerat in præcone, quia & quando iudex loquitur per præconem, exceptor non facit, præco non dixit, sed iudex dixit, &c. Hæc Augustinus qui quod succinctius de ui & significatione sacramentorum ueterũ dixit, id Bertramus ille presbyter, cuius extat liber de Corpore & sanguine Christi, tempore Karoli imperatoris scriptus, exponit planius copiosiusq; hisce uerbis, Mare & nubes non secundum hoc quod corpus extiterant, sanctificationis munditiam præbuere, uerum secundum quod inuisibiliter sancti spiritus sanctificationem continebant. Erat nanq; in eis & uisibilis forma, quæ corporeis sensibus appareret non in imagine, sed in ueritate: & interius spiritualis potẽtia refulgebat, quæ non carnis oculis, sed mentis luminibus appareret. Similiter Manna populo de cœlo datũ, & aqua profluens de petra, corporales extiterant, & corporaliter populum uel pascebant, uel potabant, attamen Apostolus uel illud manna, uel illam aquã spiritualem, escam & spiritualem potum appellat. Cur hoc? Quoniam inerat corporeis illis substantijs spiritualis uerbi potestas, quæ mentes potius quàm corpora credentium pasceret atq; potaret. Et cum cibus uel potus ille futuri corporis Christi sanguinisq; mysterium quod celebrat ecclesia præmonstraret, eandem escam spiritualem manducasse, & eundem potum spiritualem bibisse patres nostros sanctus Paulus asseuerat. Quæris fortasse quam eandem? nimirum ipsam quam hodie populus credentium in ecclesia manducat & bibit. Non enim licet diuersa intelligi: quoniam unus idemq; Christus est, qui & populũ in deserto in nube & in mari baptizatum sua carne pauit, suo sanguine tunc potauit, & in ecclesia nunc credentium populum sui corporis pane, sui sanguinis unda pascit ac potat. Hæc Bertramus. Quod si quis præterea miratur quomodo patres nostri eundem nobiscum cibum potumq; carnem uidelicet & sanguinẽ Christi edere & bibere potuerint quæ nondum erant neq; nata, neq; in cibũ præparata per crucem, expendat quomodo nos Christum in sacramento edamus, utiq; spiritu, credentes illum pro nobis in mortem traditum, quemadmodum illi credebant in mortem tradendũ: imò dum hoc mysterium instituret dominus in ultima illa cœna, dum diceret, Accipite, edite, Hoc est corpus meũ quod pro uobis traditur, corpus illud suum nondum pararat in cibum. Morte enim tandem paratum est, ipso apud Ioannem domino attestante, Ego sum panis uiuus qui de cœlo descẽdi, si quis ederit ex hoc pane uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Ex quibus omnibus iam facile liquet quid sit Christum edere, & quomodo ueteres de consequẽte petra biberint, id est, quomodo carnem ipsius & sanguinem ederint biberintq;. Vehementer autem hæc illos redarguunt, qui Christi carnẽ ita ut in cruce corporaliter pependit naturaliter omnino in sacris mysticis comedi, stulto quodam zelo contendunt. Ita nimirum si dijs placet Christum manducarunt & biberunt prisci, qui tamen eandem nobiscum escam, eundem potum ederunt & biberunt. Sed reuertimur ad Paulum, qui post illa, Atqui plures illorum, ait, non approbauit deus. Probatio. Prostrati sunt enim in deserto. Nunc enim ad institutũ suum orationem inclinat. Quasi dicat, Si ueteribus satis non erat quod religionẽ ueram professi, baptismate tincti, & cibo mystico essent cibati, certè ne nobis quidẽ proderit si baptizati & my-

Panis nobis Christus est, ut petra ueteribus erat Christus.

De baptismo et mystico cibo Iudæorum ex Bertramo.

Veteres Christum manducarũt, quomodo?

Ioannis 6.

& myſterijs cibati ſacris profiteamur nos ſcientiam habere, liberos ac populũ dei eſſe: hoc enim profitebantur & illi qui ceciderunt in deſerto.

Hæc autem figuræ noſtri fuerunt, ne nos ſimus concupiſcẽtes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt.

ταῦτα δὲ πάντα τύποι, id eſt hæc omnia figuræ contingebant. Tertullianus in 5. aduerſus Marcionẽ libro legit, Hæc enim exempla nobis ſunt facta. Cõfirmato enim eo quod ueterum exempla in nos quoq; competãt cum quibus æqualem fidem & æqualia ſacramenta habent, hic tandem exempla illa ueterum producit, eorum inquam qui baptizati licet & ſcientia imbuti perierunt tamen, quod ſcilicet peregrinis ſacris participarent, ſcortarentur, miniſtros uerbi contemnerent, & contra duces ſuos murmurarent. Principio autem in genere dicit, Exempla ueterum monent ne ſimus malarum rerum concupiſcentes. Deinde uelut per partes ac ſpecies malas illas res enumerat, ſed non alias q̃ eas de quibus hactenus diſputauit. Quando enim exemplorum uim pro confirmatione in aciem producere libuit, non de idolothytis modo uerum & de ſcortatione, tentatione & murmure quædam uoluit adiungere, ut plus authoritatis haberent omnia de quibus hactenus egit. Sunt autem hæc exempla duntaxat indicia quædam adeoq; & monimenta occaſionem ampliora cogitandi ſuppeditantia.

Inductio exemplorum.

Affectus nõ uerbum domini ſequi in re qualibet.

Neq; ſimulachrorum ſitis cultores, ſicuti quidam illorum, quemadmodum ſcriptum eſt, Sedit populus ut ederet & biberet, & ſurrexit ad ludendum.

Hoc exemplo idolorum cultum & idolothyta, ſiue epulas ſacras euitandas docet. Ita expoſuit & Ambroſius dicens, Nunc hos tangit qui in Idoleo recũbentes purabant non eſſe peccatum. Paulus ergo contrario exemplo inducto docet eſſe peccatum, & ab epulis idolorum, imò & omni idololatriæ ſuſpicione cauendum eſſe. Duo enim hic notantur. Idololatria cum dicitur, μὴ δὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, ne efficiamini idololatræ. Idololatræ uero dicũtur teſte Auguſtino de Trinitat. lib. 1. cap. 8. qui ſimulachris eam ſeruitutem exhibẽt quæ debetur deo. Porrò quæ nam ſeruitus deo debeatur Decalogo expreſſum eſt, in quo illud præcipuũ eſſe uidetur, quod & Chriſtus dominus in Euangelio ſecundum Matthæum repetijt, Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Item, Nõ facies tibi ſculptile neq; ullam ſimilitudinem. Non adorabis ea neq; coles. Iam ne Scioli obijcerent, Quid hæc ad nos qui unum deum colimus, & omnia idola nihil eſſe ſcimus? addit & alterum, Sedit populus ut ederet ac biberet & ſurrexerunt ad ludendum. Quaſi dicat, Et epulæ ſacræ maxima idololatriæ portio ſunt, in his accumbere, ſacris prophanis participare eſt idololatram fieri. Vnde Moſes non tantum id accuſauit in Iſraëlitis quod ſibi feciſſent ſculptile, ſed quod epulas quoq; inſtituiſſent ſacras. Locus Moſi unde hæc deſumpta ſunt in Exodo eſt cap. 32. Proinde cum iam conſtet Iſraëlitas peccaſſe idololatria & epularum ſacrarum celebratione, ſimul & illud clarum eſt quod Corinthij qui & ipſi ad ſacras accedebant epulas peccent. Et Iſraëlitæ quidem ipſum dominum deum ſimulachro ſuo exprimere uoluerunt, & ſacras epulas non peregrino deo, ſed deo Iſraëlis uero inſtituerunt, interim tamen peccarunt: quãto igitur peccant grauius qui in Idoleo ad idolothyta falſorum accumbunt deorum? Conſulatur autem Moſi locus, & apparebit quod non leuis culpa ſit hac in re deliquiſſe. Et de Iudæorum idololatria ſcripſi aliâs, nempe in 1. cap. ad Romanos. D. Ambroſius illud explanans, Et ſurrexerunt ad ludendum, Hæc luxuria eſt, ait, qua ſemper oblectati in dei rebus infideles inuenti ſunt: ideoq; inſtruit ne in hanc diffidẽtiam per aſſenſum luxuriæ in idolio incidamus. Sanè dubium non eſt plurimos & luxu, & gula peccaſſe accumbentes in epulis ſacris, non modo idololatria offenſione ſuperſtitioneq;.

Idololatria.

Matth. 4.

Epulæ ſacræ.

Epulæ & prophana ſacra luxum poſt ſe trahunt.

Neq; ſtupris inquinemur, ſicuti quidam illorũ ſtupris polluti ſunt, & conciderunt uno die uigintitria millia.

Hoc exemplum in eos maxime competit, qui ut in ſeptimo cap. audiuimus prætextu

Scortatio.

castimoniæ coniugia abhorrebãt. Theophylactus, Rursum, ait, fornicationis hic meminit, & continenti castigatione dicta sua confirmat, cuiusmodi fornicationis delictum ortum ab ipsa ingluuie ducit. Historia quam citat habetur Numeri 25. In numero est quædam inter Mosen & Paulum discrepantia: sed in numeris facile irrepunt librariorum in curia mendæ: sed & scriptores nonnunquam memoria falsi hallucinantur. Interim uero neminem Canonicæ scripturæ authorẽ ulla in re errasse firmiter credo. Moses 24000. Paulus 23000. hominum recenset.

Neq; tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt.

Tentare deũ & Christum idem.

Tentant Christum hoc in loco qui nimium suæ libertati & scientiæ confisi, in discrimen aliquod se coniiciunt, ut solebant Corinthiorum Scioli in Idolothytis. Tentant item Christum qui cum ipso in hoc contendunt, quod suæ nitentes prudentiæ, hoc est, inobedientes uoluntati dei uel multo melius (ut ipsis uidetur) uel non eo modo ac ordine quo à deo præscripta sunt negotia fidei obeunt exequunturq;. Præcepit dominus ne quid commercij habeamus cum idolis, ne illorũ misceamur sacris: breuiter, ne quid nobis cum illis sit negotij. Hic uero Corinthiorum apostoli & ab his seducti sua freti scientia idolothytis uescebantur, quod post tam luculentã dei legem & admonitionem quid aliud esse potuit quàm luculenta dei tentatio, imò contẽptus et iniuria? Atqui male cessit id ueteribus, id quod liquet ex 94. Psal. item ex historia Numeri 21. hæc enim hoc loco adducitur à Paulo: proinde haud prospere cedet cuiquam nedum Corinthiorum Sciolis arrogans illa tentatio. Paulò post maxima cum indignatione dicet, An prouocamus dominum? num illo fortiores sumus? Porrò per serpentes uel presteres, uel Causones, uel certè dipsades intellexit. Dipsadi de naturæ ratione inditum est nomen, quos mordicus apprehenderit siti inarescunt uehementius ad potumq; efferuescũt, ac inde incessanter haurientes dissiliunt mox. Author Cœlius lect. antiq. lib. 14. cap. 63. Nascuntur in Libya quidem, sed in Arabia præcipue: id quod historiæ consonat, quæ & serpentes illos igneos uocat, nimirũ ob sitim potandiq; desiderium ardẽs morsu dipsadis impressum.

Serpẽtes igniti.

Neq; murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerũt, & interempti sunt ab extinctore.

Murmurare.

Murmurare, ait Ambrosius, est falso ad inuicem de præpositis & rectoribus queri, quantum ad mentem loci pertinet: quia solet murmur fieri etiam iusta ex caussa. Qui ad uersum Mosen dei ministrum murmurabant, uel impatientia, uel arrogantia, ambitione inuidiáue impellebantur. Isdem ex caussis murmurabant & Corinthij, & horum doctores contra Paulum. Sed isti quidem extincti sunt ab exterminatore, id est, exitiali quadam, ut ait Theophylactus, dei potentia. De his legãtur exempla Numeri 14. & 16. Hinc colligere licet ne aduersarios quidem Pauli impune calumniaturos bene meritum perpetuo. Hodie totus orbis istiusmodi murmure strepit. Quicquid enim pœnarum mundo propter intoleranda scelera iustus deus infligit, id plericq; uerbi ministris ferimus acceptum. Sed de his hactenus. Tametsi iam ista exempla omnia uideantur esse singula, & pro confirmatione rerum adducta diuersarum, si tamen quis propius singula introspiciat, uidebit ista firmius compacta acie quadam in idolothyta esse producta. Ostendunt enim quæ habeant idolothyta confinia, quæ post se trahant & quibus rebus cultorem implicent, scortationi in primis. Nam Numeri 25. scriptum est, Morabatur autem Israël in Setim, & fornicatus est populus & pollutus cum filiabus Moab, quæ uocauerunt populum ad sacrificia deorum suorum, & comedit populus, & adorauerunt deos eorum: qui locus cum mire huc quadret, & sole dilucidior sit, non est quod multis declarem nostroq; instituto aptem. Iam & dominũ tentare, contra ipsum & ministros eius murmurare genuinus est idololatriæ partus: id quod uel Corinthiorum Scioli idolothytis uescentes calumnijs in Paulum coaceruatis suo illo comprobabant exemplo. Multo igitur periculosissimum est peregrinis communicare sacris.

Hæc autem omnia figuræ contigerũt illis. Scripta uero sunt propter admoni-

admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderunt.

Poſt exemplorum enumerationem illud illatione quadã repetit & infert quod mox à capitis initio diſputauit, Veterum & noſtram religionẽ eſſe eandem, ergo & ueterum exempla ad noſtram pertinere inſtitutionem. Id quod illorum cohercet propudioſam impudẽtiam, qui non uerentur clamitare, Quid ad me quid fecerint Iſraëlitæ? ego Chriſtianus & liber ſum. Hic enim Paulus, Hæc autem omnia, inquit, figuræ contigerũt illis, id eſt, ideo eis contigerunt, ut eſſent nobis exempla. Nam ſuperius monuimus ex Tertulliani authoritate typum hic uſurpari pro exemplo. Quin hoc ipſo loco protinus ſequitur, Scripta uero ſunt propter admonitionem noſtri, qui poſtremo ſæculo futuri eramus. Nam ultimum ſæculum illud eſſe dicitur, quod intercedit inter Chriſtum natum & ultimam illam iudicij diem. Docemur autem ex hoc loco ſcripta teſtamenti ueteris in inſtitutionem ſcripta eſſe eccleſiæ Chriſti. Vnus enim atq; idem dei ſpiritus in unica illa eccleſia unũ deum eandem ſemper religionem & unam ad cœlos uiam docuit atq; commonſtrauit. Vnde & Paraphraſtes ait, Quicquid illis accidit, non temere accidit, ſed magis ad exhibendum exemplar, quid nobis ſequendum ſit aut fugiendum, qui in hanc ultimam ætatem mundi incidimus.

Veterum exempla nos inſtituunt.

Proinde qui ſibi uidetur ſtare uideat ne cadat. Tentatio uos non cœpit niſi humana. Sed fidelis eſt deus, qui non ſinet uos tentari ſupra id quod poteſtis, imò faciet unà cum tentatione euentum quo poſſitis ſufferre.

Apoſtrophe eſt ad Sciolos ac Corinthios omnes horum improbitate ſeductos. Ambroſius, Hoc, ait, ad eos loquitur qui præſumentes de ſcientia qua licitum eſt omnia edere, infirmis fratribus ſcandalo erant. Ad hos ergo dicit, Si ſcientia ueſtra freti putatis ad uos iſta perfidorum hominum exempla nihil pertinere, utpote qui firmi in uera religione perſtiteritis hactenus immobiles, uidete ne poſthac grauiore ruina excidatis atq; confringamini. Quod autẽ hactenus non excidiſtis fide aut prorſus fœdis iſtis immerſi eſtis idololatriam comitantibus flagitijs, haud equidem ueſtræ ſcientiæ aut merito ueſtro acceptũ ferre debetis, ſed ei maxime rei quod hactenus uos non niſi humana cœpit tentatio, hoc eſt, exigua quædã & mediocris, quam ſine negotio uincere potuiſtis. Iam propter inabſolutiorem orationem aliquid extrinſecus ſubintelligẽdum eſt, nempe, Quod ergo hactenus ſtetiſtis immobiles dei bonitati debetis, quæ ſi uobis nõ defuit, cum non omni parte reſponderent mores ueſtri legi eius prohibente idolothytis ueſci, quid factu rum creditis, ſi contemptis idolothytis ipſum unice obſeruaueritis? Scio equidem multa uobis eſſe perferenda ab idolorum cultoribus ubi ipſorum horrueritis ſacra: ſed illud hic uobis perſuaſum habetote, dei bonitatem, gratiam & auxilium nuſpiam uobis defuturum. Aut enim nõ ſinet uos tentari ſupra id quod poteſtis: aut ſi patietur incidere malorum quidpiam, ſic temperabit euentum ut poſſitis ſufferre. Atq; hic uidetur omnium eſſe ſimpliciſſimus ſenſus, & inſtituto conſilióue Pauli magis accommodus. Theophylactus in hanc propemodum ſententiam exponit, ut ſit conſolatio quædam & lenimen ſuperiorum, ne horrendis exemplis nimium territi deſponderent animum: ſuadere ergo Paulum ut oculos animi in deũ figant, qui ueridicus ſit & nihil mentiatur: hũc cum pollicitus ſit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam uos, non permiſſurum ut quis plus tentetur quàm ferre poſſit, aut ſi omnino ueniat in diſcrimen effecturũ tamen ut ferre queat aduerſa, id eſt, ut leuior uideat tentatio & toleratu facilior.

Nemo temere ſuæ nitatur ſcientiæ.

Tentatio.

Quapropter dilecti mei fugite à ſimulachrorum cultu.

Paucis nunc abſoluit totum negotium illatione quadã repetens caput huius diſputationis potiſſimum. Quaſi dicat, Cum ergo iſta ſic habeãt, fugite ab idololatria, nihil uobis cum idolis negotij prorſum. Quiſquis idolothytis ueſcitur ſpeciẽ de ſe præbet quaſi ſuperſtitioni impiorum conſentiat. Proinde ſi idolum nihil eſſe creditis, rei nihili & uanæ nihil deferte. Breuiter, uerbis non eſt opus, idololatriam cauete. *Gond der gõtzery müßig*

liberal. Vbi idola nec sunt nec coluntur, ibi nulla de idolothytis disputatio. Qui autem amat periculum, in periculo peribit. Id quod non tantum uni alicui ætati dictum est, sed nobis omnibus.

Vt prudentibus loquor, iudicate uos quod dico, Poculum benedictionis quo benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frãgimus nónne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno pane participamus.

Sacramentis colligimur in corpus Christi siue ecclesiam.

Quasi de nouo nouam confirmationem orditur clarius firmiusq; probaturus quod Christianus nullo iure peregrinis possit communicare sacris. Præmittit autem exordiolum tale ferè, Hactenus è scripturis protulimus plana & omnibus notissima exẽpla, iam uero proferemus argumenta quædam è sacris mysteriis petita, nec aliis nota quàm fidelibus: inhortor ergo ut purgatioribus hæc hauriatis auribus. Vobiscum nunc mihi sermo, qui ob multam rerum peritiam prudentiores estis, omniumq; mysteriorum gnari. Expendite qualia sint quæ dico: opinor autem ea fore eiusmodi ut facile uos nisi contentiosis esse libeat, à sacris abstrahat prophanis. Figurat autem interrogationibus omnia quo essent uehementiora. Sensus hic est, nihil moror quid hic expectent cõtentiosi quidam, mentem Pauli aperiam: Sacramenta quæ præcipua Christianorũ sacra sunt, Christo, & religioni Christianæ nos incorporant, ut corpus Christi, imò membra Christi efficiamur. Hoc D. Aurelius Augustinus lib. 19. aduersus Faustum Manich. cap. 11. hisce docuit uerbis: In nullũ nomen religionis seu uerum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorũ uisibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum uis inenarrabiliter ualet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie enim contemnitur sine qua non potest perfici pietas. Sed quid Augustinum citamus, cum hoc loco ipse apostolus Paulus minime obscuris uerbis dicat, Poculũ benedictionis quo benedicimus, id est, quo gratias agimus (Nam id nunc uel mediocriter uersatis in scripturis notum est quod Benedicendi uerbum, & pro laudare & gratias agere ponitur ad morem Hebraicum) nónne κοινωνία communio sanguinis Christi est? & panis quem frãgimus nónne cõmunio corporis Christi est? Quod quid aliud est quàm si dixisset: Qui de pane & poculo domini participant communio sanguinis Christi, hoc est, cœtus & ecclesia sanguine Christi ablutorum, adeoq; corpus siue membra Christi fiunt? Ad Ephesios enim Paulus de Christo & ecclesia loquens, dicit, Membra sumus corporis Christi ex carne eius, & ex ossibus eius. Sed quid dicemus hic de impijs & hypocritis: num & illi per sacramentorum participationem efficiuntur membra Christi & ecclesiæ? Id omnino quod & Augustinus eo in libro quem paulò ante citauimus cap. 11. Veruntamen, dicens, quia uisibilia sacramenta pietatis inesse possunt etiam impijs, sicut habuisse sanctum baptismum etiam magum Simonem legimus, fiunt tales quales Apostolus ait, Habentes formam pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, &c. Eadem alijs sed copiosioribus & planioribus idẽ tradit libro de Ciuitate dei 21. cap. 25. Alij uero hunc locum aliter interpretarunt: sed sententiam expositionemq; quam adduximus comprobant consequentia, Quoniam unus panis, unum corpus οἱ πολλοὶ tota nos multitudo sumus. Omnes enim ex eodem pane participamus. Id est, ideo dixi panem esse communionem corporis Christi quod nos tota illa multitudo, id est tota ecclesia, qui de uno pane participamus, unum efficimur corpus, spirituale scilicet corpus Christi. Alterum uero membrum de poculo omittitur quod par ratio sit utriusq;. Hũc sensum non primi huic inferimus loco, sed eundem agnoscit & Augustinus Tractat. in Ioan. 26. ad hũc modum scribens, Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si uolunt uiuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non uiuit, nisi sit corpus Christi. Intelligite fratres mei quid dixerim, Homo es & spiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico quæ anima uocatur, qua constat quod homo est. Constat enim ex anima & corpore. Habes itaq; spiritum inuisibilem, corpus uisibile. Dic mihi quid ex

Ephes. 5.

quo

quo uiuat? Spiritus tuus uiuit ex corpore tuo? an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Corpus utiq; uiuit de ſpiritu. Vis ergo & tu uiuere de ſpiritu Chriſti, in corpore eſto Chriſti. Nunquid enim corpus meum uiuit de ſpiritu tuo? Meum uiuit de ſpiritu meo & tuum de ſpiritu tuo. Non poteſt uiuere corpus Chriſti niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt quod exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem, Vnus panis, inquit, unum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò uinculum charitatis, &c. Hæc Auguſtinus.

Vídete Iſraelem iũxta carnem. Nónne qui edunt uictímas, communicatores ſacrarij ſunt?

A ſacris Iudæorum petita probatio.

Idem probat per Iudaica ſacra quod iam iam ſacris comprobarat Chriſtianorum, conſortio uidelicet ſacramentorum uiſibilium coagulari nos in nomen uel ueræ uel falſæ religionis. Dicit autẽ, Videte (uerbis utor Paraphraſti) an non idẽ habeatur apud iſtos qui iuxta Moſi legẽ adhuc (uide quis ſit Iſrael iuxta carnem) uictímas immolant. Nõ admittunt ad immolatæ pecudis eſum, niſi Iudaicæ religionis conſortes, & qui ueſcuntur ſacris, ſacrificijs item illorum aſſentiri uidentur. Sacrarium enim hic accipitur pro tota illa religione, proq; ipſo deo cui offertur ſacrũ. Huius ergo, inquit, ſacrarij dei & religionis κοινωνοὶ, id eſt communicatores cum ſint, qui edunt aut participes ſunt uictimarum, conſequẽs eſt quod unum cum Chriſto corpus ſunt qui de pane ſacro participãt: item quod unum corpus cum idolis & idololatris ſunt qui in Idoleo accumbunt.

Quid ergo dico, quod ſimulachrũ aliquid ſit? aut quod ſimulachris immolatum aliquid ſit? Non, uerum illud dico, quod quæ immolant Gentes dæmonijs immolant & non deo. Nolim autem uos conſortes eſſe dæmoniorum. Nõ poteſtis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.

Sententia abſoluitur.

Ita hiſce iam cœptum abſoluit argumentum, ut nihilominus tacitæ occurrat obiectioni. Eſt autem ſenſus huiuſmodi, Quod ſi quis obijciat, Si idolorum ſacris intereſſe corpori me idololatrarum & idoli deo inſerit, eſt itaq; idolum ſiue ipſe ſimulachri deus nõ omnino uanus: is ſciat haudquaquam eò tendere diſputationis noſtræ ſummam inſtitutumq;, ſed ut uerorum ſiue Chriſtianorum religione ſacrorum ab idolothytis abſtraham. Hoc ergo eſt quod dico, Omnes qui ſacris qualibuſcunq; participant, ſacrarij omnino κοινωνοὶ ſunt. Quæcunq; autẽ Gentes ſacrificant, non deo ſed dæmonibus ſacrificant. Qui ergo Gentium ſacris cõmunicant dæmonum κοινωνοὶ ſunt. Iam demum palàm quod intendit infert, Nolim autem uos κοινωνοὺς communicatores ſiue conſortes dæmoniorum eſſe. Cui iterum bipertitam appendit ſententiam, Non poteſtis poculum domini bibere & poculum dæmoniorum. Non poteſtis menſæ domini μετέχειν participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Id eſt, ipſa ſacramentorum natura & reuerentia clamitat impium eſſe ſi quis ſemel Chriſto dicatus & ſacramentorũ participatione in corpus Chriſti ſuſceptus, de epulis quoq; ueſcatur idolorum, & hoc ſe item corpori inſerat idololatrarum. Qui Chriſtum profitetur abnegat impios cultus. Non competit in eundem diuerſa religio. Nemo pius tollit Chriſti membra & facit ea ſcorti membra, 1. Cor. 6. Cæterum Gentes dijs ſuis, ut dijs non ut dæmonijs immolarunt, neq; agnouiſſent aut æquo animo tuliſſent ſi quis ipſos dixiſſet non deo ſed dæmonijs litare. Aperta ſunt huius rei teſtimonia in libris Ariſtotelis, Ciceronis, Platonis & aliorũ ſcriptorum Ethnicorum. Verum apoſtolus ſacrificia eorũ non æſtimat ex affectu & erronea opinione eorum, ſed ex ipſa re atq; lege diuina, ad quam animi offerentiũ componi debebant. Monuimus autẽ in cap. 8. Diuos quos repræſentabãt ſimulachra, aut nũquã uixiſſe, aut ſi uixerant tales tamẽ non fuiſſe quales eſſe ſibi ſtultorũ animi imaginabantur, ut nunc abſente aut non exiſtente re ipſa, ſtolidi iſti nihil aliud quàm ipſos dæmonas coluerint,

Gentes quomodo dijs immolantes dæmonijs immolarũt?

quos constat idololatriæ & uanæ huius de dñs persuasionis fuisse authores. Fortasse alluſit Paulus ad illud Deut.32. Dereliquit deũ factorem suum, & pro nihilo habuit deum salutis suæ. Ad æmulationẽ concitauerunt eum in dñs alienis, in abominationibus pro uocauerunt eum. Sacrificauerunt dæmoniis, & non deo, dñs quos non cognouerũt, no uis qui è uicino uenerunt, quos non timuerunt patres uestri, &c. Vel ad illud Psalm.95. Quoniam omnes dñi Gentium אלילים δαιμόνια dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Iam cum ex his prophetarum uerbis, & illis quæ hactenus producta sunt exemplis sacris constet idola & epulas sacras esse contra legem dei, Paulus ui legis & uolũtatis dei concludit quod quę Gentes suo isto more offerebãt, non deo obtulerint, sed dæmoniis.

1.Reg.15. Nam & Samuel ad Saul dicebat, Nũquid uult dominus holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci domini? Melior est obedientia quàm uictimę, & auscultare magis q̃ offerre adipem arietum. Quoniam ueluti peccatum magiæ est rebellio & iniquitas idololatriæ nolle parere. Tametsi iam lege scripta dei caruerint Gentes, semel tamen lege lata dñs declarauit mundo quid ipsi placeat, quid displiceat, quale eius ingenium, cui cum aduersa sint sacra illa humano instituta ingenio, non immerito dæmoniaca dicuntur sacra. Quin & ipse Saul non malo immolabat animo, ueruntamen propheta sacrum hoc bona quidem ut uocant intentione, sed non pio iuxta uerbũ dei animo profectum, & magiæ comparare & idololatriam appellare non ueretur, cum tamen rex nulli idolo, nulli deo peregrino, sed deo Iacob immolarit: sed ex ipsa re & ingenio dei sacra æstimant sancti. Quocirca & in præsentiarum Paulus dæmoniis non deo immolasse Gentes asserit, quę tamen in cultum dei omnia illa sua instituerant. Varia quidem est apud Augusti. de Ciuitate dei lib.8.& 9. item apud Cœlium lib.lect.antiq.1. de dęmoniis disputatio, sed mecum sentit Ambrosius, qui & ipse dæmonẽ hoc loco exponit pro diabolo, adducens illud Ioannis, Ad hoc uenit filius dei ut dissoluat opera diaboli. Sed idololatria & idolothytum est opus diaboli, proinde qui illis communicat, opera facit diaboli, Christo repugnat, imò id colligit & firmat quod Christus aduẽtu suo uoluit dissolutũ. Ita omnia si propius expenderimus, deinde cogitauerimus cuius rei gratia simulachra in templa etiam nostra illata, quanto cum infirmorum seruentur periculo, & quàm diligenti cultu multis iam sæculis culta obseruataq; sint: rursus quod maximum Pontificiorũ sacrum Missa est, in qua sub speciebus panis & uini Christus & adoratur & sacrificatur quotidie, sed & contra morem & institutum Christi ritu prorsus humano adeoq; peruerso, quia mercatorio celebratur, deprehendemus certe ne nobis quidem illis interesse sacris licere, qui de mensa domini participantes membra Christi efficimur, quæ quidem non de nostro, sed de illius spiritu uiuimus cuius mẽbra sumus, qui iam in cordibus nostris testatur Christum semel immolatum ascendisse cœlos, sedere ad dexteram patris, habere sacerdotium perpetuum cœleste ἱερωσύνην ἀπαράβατον, & cui non necesse sit sacrificare quotidie, prius pro propriis peccatis, deinde pro delictis populi (quod solebant Aharonici) id enim semel fecisse cum seipsum obtulit. Vna enim pro peccatis oblata uictima, perpetuo iam sedere ad dexterã patris, ubi & in spiritu & in ueritate adoratur. Ex his inquam æstimabimus hoc negotium. Tametsi enim Pontifices sua illa sacra non minus quàm Gentes sua ad cultum instituerunt dei, tamen non omne quod ab hominibus in cultum dei fit deo probatur, maxime si cum institutis dei pugnet. Sanctissimus ergo martyr Cyprianus libro epistol. 1. epist.8. Adulterum est ait, impium est, sacrilegum est, quodcunq; humano furore instituitur, ut dispositio diuina uioletur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, &c.

An prouocamus dominum? Num illo fortiores sumus?

Aduersus eos qui pertinaciter in errore pergunt.

Scholiastes patheticam hanc sententiam ceu Epiphonematis loco positam hisce uerbis pulcherrime, & q̃ propriissime interpretatus est, ἢ παραζηλοῦμεν τὸν κύριον? Num deum dedita opera irritamus? *Wöllend wir dann den Herren můtwilliglich meynen vnd tratzen? mit gewalt erzürnen?* Capitur enim in malã partem. Num nos fortiores & præstantiores deo sumus? ut cum ille nolit nos esse socios idololatrarum, nos in sententia nostra pergamus, & illo inuito possimus esse de illius ecclesia & de ecclesia dæmonum?

Omnia

Omnia mihi licent, at non omnia conducũt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſq; quod alterius eſt.

Quæ liceant, quæ non

Id iam repetit quod & in 8. capite dixit, Scioli obiiciebant, Omnia nobis licent: addit Paulus, Sed non omnia conducunt & ædificant. At Chriſtianorum eſt id duntaxat ſpectare, quærere & agere quod conducit & proximum ædificat, Philip. 2. Ergo Chriſtiani id duntaxat ſibi licitum putant quod ut nemini lapſus anſa ita proximo conducibile eſt. Hic iam ſubſumendum eſt, Iam & ſi liceat ueſci idolothytis, quia tamen id non modo nihil conducit, ſed infirmis plurimũ officit, ipſa charitas Chriſtiana te ab iis abſtinere iubet. Nam ille eſt charitatis genius ut proximi gratia nihil non uel faciat uel omittat. Nõ enim charitas ſua quærit, ſed potius commodis alienis ſtudet.

Omne quod in macello uenditur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini ſiquidem eſt terra & plenitudo eius.

Carnibus ueſci licet.

Rurſus ne illi obiicerent, Pari ratione colligemus nobis ab omni carne manducanda prorſus eſſe abſtinendum: addit, Caro quatenus caro eſt per ſe quidem non eſt prohibita, ſed quatenus diis immolata eſt. Quicquid ergo uendi ſolet in macello ſiue foro (hoc enim idoleo opponit) emere & edere licet. Non enim eſt periculum in cibo qui per ſe neminem polluit, niſi accidentia quædam accedant illicita & cum charitate & religione pugnantia: ea uero ſi non accedunt, non eſt quod quiſquam ſibi in cibo aut potu ullam faciat conſcientiam. Quod autem nihil impurum ſit, ſi ſumatur citra proximi ſcandalum cum gratiarũactione, probat teſtimonio prophetæ ex Pſalmo 23. quo conuincitur, quod hominis gratia omnia fecerit deus. Plenitudo enim terræ ponitur pro omni eo quod eſt in terra.

Quod ſi quis uocat uos infidelium, & uultis ire, quicquid apponitur uobis edite, nihil interrogãtes propter conſcientiã. Quod ſi quis uobis dixerit, Hoc ſimulachris immolatũ eſt, ne edatis propter illum qui indicauit & propter cõſcientiam. Domini enim eſt terra & plenitudo eius. Porrò conſcientiam dico non tuam, ſed illius alterius. Cur enim libertas mea iudicatur ab alia conſcientia? Quod ſi ego cum gratia participo cur ob id mihi male dicitur, pro quo ego gratias ago?

Vbi & qua conditiõe idolothytis liceat ueſci

Reſpondet hiſce ad quæſtionem quam nonnulli ex prædi putatis inferebant, Si quis me infidelium inuitet quem offendere nolim, quid? an ne huius menſam aſpernabor, ne ſcilicet idolothyto ueſci compellar? Reſpondet, Si quis infidelium in domum te ſuam uocarit (nam quod hæc de conuiuio in idoleo inſtructo intelligi non poſſint, conuincunt præcedentia) & uocationẽ eam nullo queas eludere prætextu, quin certis de cauſſis uenire compellaris (hoc enim eſt quod dicit, Et uultis ire) ito, & quicquid in menſa cibi apponitur ede, nihil trepidans aut quicquam conſcientiæ timens, quæ nulla re externa ficut diximus polluitur. Et huc iam pertinet locus Pſalmi, qui poſt aliquot uerba confirmationis uice ſubiungitur. Videri poterat is irrepſiſſe ex margine: ſed omnis obſcuritas inde eſt quod alterum membrum interſeritur, hoc uidelicet, Quod ſi quis monuerit cibum propoſitum immolatitium eſſe, ne edatis, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam, demum uero ſubiũgitur locus Pſalmi, qui tamen pertinet ad confirmationem membri ſuperioris. Ad explicationẽ poſterioris pertinent ea quæ ſequuntur. Porrò conſcientiam dico non tuam, ſed illius alterius, eius inquam qui indicauit. Si enim fidelis eſt, ideo monuit, quia infirmus eſt & eſu tuo offenditur. Si infidelis eſt, certè uim quandam ac gratiam præcipuam ei cibo ineſſe credit, & periculum eſt ne hic ſecum cogitet uel te amicum eſſe religionis falſæ, uel dicat apud ſe, Si tantũ improbaret idololatriam deus Chriſtianorum, profecto Chriſtiani abhorrerent ab immolatitiis. Iam illud quod ſequitur, Cur enim libertas mea, &c. etiam pertinet ad expoſitionẽ membri ſupe-

rioris, quod scilicet liceat idolothytis uesci in ædibus priuatis. Dicat enim aliqs, Sed is qui te uocauit carnibus immolatitijs ut sacris uescit, & conscientiã habet in eo quod se credit haudquaq; uulgari carne uesci. Respondet Paulus, Quid hęc ad Christianũ, cuius animus à superstitione liberatus est? Haud animũ fide expurgatũ uitiabit mens alterius superstitione corrupta. Haud sanè culpandus est qui citra scandalum cum gratiarũactione carnem immolatitiã non ut immolatitiã, sed ut carnem edit. Annotauit hoc loco Eras. gratiam primo loco poni pro beneficentia, ut sit sensus, Si ego particeps sum escarum, idq; non per idolum, sed beneficio munificentiaq; dei, quid est cur male audiam?

Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis omnia in gloriã dei facite. Tales estote ut nullum præbeatis offendiculum neq; Iudæis, neq; Græcis, neq; ecclesiæ dei, quemadmodũ ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum ut saluisfiant. Imitatores mei estote sicut & ego Christi.

Duo in omnib. functiõibus spectanda.

Finit tandem hanc disputationem breui quodã epilogo, adeoq; adhortatione affixa. Quæ duo potissimum in hoc negotio, imò in omnibus hominum officijs spectãda esse tradit. Primũ ne quid contra dei gloriam: deinde ne quid aduersus charitatem proximi fiat. Prius sic præscribit, Omnia in gloriã dei facite. Faciunt autem in gloriam dei omnia qui numinis reuerentia ducti nihil ex adfectibus, sed omnia dirigunt ad præscriptũ uoluntatis dei, & ut dominus glorificetur in oñibus. Posterius sic præscribit, Nemini præbeatis offendiculũ. Id autem una cauebit Christiana charitas. His oñibus, ut per totam disputationẽ frequentius solet, se adiungit exemplum, dicens se per omnia omnibus placuisse. At omnibus per omnia placere, est sine scandalo, authore Ambrosio, cuiusquam agere ad profectũ utilitatis illorũ, ut & illis & huic sit utile. De hoc quædam in cap. 9. audiuimus. Idem Ambrosius putauit Iudæos offendi, cum idola Christiani qui fatentur se legem & prophetas recipere, non horrent, quæ tamen illi abominantur, Gentiles autem cum in eo in quo sunt non solũ arguũtur, sed & accessione ad sacras ipsorũ epulas Christianorum in errore confirmantur. Porrò ecclesiæ dei offendiculum fieri putat quando quosdã ex numero suo uidet, his quæ inimica sunt deo adhærere. Paulus ergo in cõuersatione uitæ & doctrinæ suæ ministerio ea se fide, prudentia & charitate gessit, ut nemini nisi suapte culpa perire uolenti præbuerit offendiculum. Iure itaq; ad finem ceu Epiphonema appendit, Imitatores mei estote: nec istud absolute ab ipsis postulat, sed cum conditione, sicut & ego Christi. Id est, eatenus uolo uos meum imitari exemplũ, quatenus ego uitam & doctrinam Christi refero. Nullius enim hominis uita quantumuis sancti proponenda est quam imiteris, nisi uitam Christi exprimat. Hodie uideas quosdam hominibus ita addictos, ut hos aut Christo, libens dicerem, æquent, aut citius à Christi uerbo quàm illorum deficiant placitis. Sunt qui hanc sententiam retulere ad consequentia.

Offensio.

Imitatores sanctorum.

DE COETV CHRISTIANORVM SACRO.

Hactenus uero de sacris impiorum uitandis à capite 8. ad hoc 11. usq; magna cum grauitate disseruit, posthac disputabit de conuentibus Christianorũ sacris, ostendens quid etiam in his uitandum, quid obseruandũ. Irrepserant enim & in hos morbi ac uitia quædam, quibus mira medetur diligentia.

CAP. XI. Collaudo autem uos fratres quod omnia mea memoria tenetis, & quemadmodum tradidi uobis instituta tenetis.

Accusaturus id quod indecore & cum luxu quædam agerent in cœtu sacro, miro consilio à laude init uituperationẽ, nimirum laude prouocans, ut hoc esse pergerẽt quod audiebant. Erasmus indicauit molliorem fuisse sermonem, si priore loco posuisset μᾶλλον posteriore ℞. Laudo quidem uos quod in cæteris omnia mea tenetis: cæterũ illud estis admonendi, quod parum uidemini meminisse. Porrò instituta illa quorum hic meminit, non alia sunt q̃ quæ consequentibus retractatione quadã repetit, diligentiusq; inculcat.

Traditionẽ uocat totam euangelij prædicationem, 1. Cor. 15.

Theophy-

Theophylactus ex hoc loco colligit Paulum & apoſtolos reliquos haudquaquam omnia literis mandaſſe præcepta: quod quàm uere collegerit alibi oſtendimus. Iam ut ſcriptis non mandarint omnia apoſtoli, inde tamen nihil roboris accedet pontificijs, qui iam olim conuicti ſunt illas traditiones quas apoſtolorum nomine uenditant, ex diametro pugnare cum planiſſimis Apoſtolorum ſcriptis. Sed ad Paulum redimus.

Sed uolo uos ſcire, quod omnis uiri caput Chriſtus eſt, caput autẽ mulieris uir, caput uero Chriſti deus.

Tota Pauli oratio huc ſpectat ut Corinthijs perſuadeat luxum & immodeſtiam in habitu & ueſtitu maxime in cœtibus ſacris ponant, uiri apertis in cœtum capitibus, mulieres uero uelatæ prodeant. Apparet enim apud illos, ut in luxu perditiſſima urbe, plurimum fuiſſe immodeſtiæ. Erant nimirum, ſicut hodie quoq; fieri uideas, qui non ſecus in ædem ſacram ueniebant quàm ſolent in theatrum uaniſſimi homines prodire ſpectatum. Viri enim galeros ſplendidiores ornamenta & alias id genus muliebres nugas capiti imponentes omnium in ſe conuertebant oculos. Mulieres uero & maritatæ, & uirgines apertis ingrediuntes capitibus, ſimul & pudorem poſuiſſe, & libidini malisq; cupiditatibus ceu fomenta ſubminiſtrare uidebantur. Quaſi uero ædes ſacra nundinationis puellaris & procorum magis theatrum quàm domus modeſtiæ & orationis ſit. Grauiter ergo in hos inuehitur Paulus. Doctiſſimos quoq; ſimul & grauiſſimos libros in hanc uanitatem ſcripſere uetuſtiſſimi quiq;, Tertulianus in primis, qui duo de hac re egregia poſt ſe reliquit opuſcula, alterum quidem inſcriptum de Velandis uirginibus, alterum de Habitu muliebri, quẽ deinde immitatus ſanctiſſimus dei martyr Cyprianus eloquentia & omnigena pietate laudatiſs. de Habitu uirginum ædidit tractatum, ut iam alios ſcriptores eccleſiaſticos non referam. Peccatur hodie luxu, ambitione, & immodeſtia, imò & offenſione ueſtium & turpius & profligatius quàm ullo unquam ſæculo peccatum ſit: hoc ergo grauius & maiore cum diligentia miniſtri uerbi modeſtiam inculcare & luxum iſtum fœdiſſimũ deteſtari iubemur. Quod ad præſens attinet inſtitutum, primum in hac diſputatione præmittit Paulus quod tota diſputatione uſui eſſe poſſit, imò maxima ex parte diſputationis huius fundamentum ſit, Chriſti uidelicet caput eſſe deum, Viri caput Chriſtum, mulieris autem uirum. D. Ambroſius iſtud explicans, dicit, Deus ideo caput Chriſti eſt, quia de eo uel ab ipſo genitus eſt. Mulieris uero iccirco caput uir eſt, quia ex eius coſta dei uirtute formata eſt. Chriſtus autẽ ideo caput uiri eſt, quia per ipſum cum non eſſet, formatus eſt, &c. Iam uero in uocabulo capitis uenuſte lu dit omne id quod decoris aut dedecoris capiti obtingit humano, hoc eſt, homini ipſo uiro aut mulieri, referens ad illud (ut ſic dicam) imaginarium caput. Sequitur enim.

Scopus Pauli.

Omnis uir orans aut prophetans quicquam habens in capite probro afficit caput ſuum. Omnis uero mulier orans aut prophetans non uelato capite dehoneſtat caput ſuum.

His uerbis quaſi propoſitione quadam comprehendit totum negotium, dicens, Illicitum eſt uirum operto mulierem aperto capite prodire in cœtum ſacrum. Cauſſa, Vt uir caput ſuum probro afficit: ita mulier caput ſuum inhoneſtat: id eſt quod uir & mulier capita ſua, id eſt ſeſe ornant præter decorum & contra modeſtiam, id certè uergit in ignominiam & Chriſti & uiri. Chriſti quidem qui caput uiri eſt qui propterea ſpiritu Chriſti uiuere, & ad exemplum capitis modeſtiæ ſtudere deberet. Viri uero qui caput mulieris eſt, quæ & ipſa in deum peccat impudentia, ſed uirum ſiue maritum illum ſuum præterea dehoneſtat, cum formam illam ſuam quæ ſoli marito nota eſſe debebat etiam alijs uenalem aut certè ſpectandam proponit, quæ ſanè iniuria in capitis, hoc eſt uiri redundat ignominiam, cui & uxoris immodeſtia potiſſimum imputatur. Quemadmodum enim caput ſingulis membris quid faciant præſcribit: ſic æquum eſt ut dictis mariti regatur uxor. Cæterum ex hoc cap. liquet tria olim in ſacris potiſſimum celebrata eſſe cœtibus, Orationẽ, Prophetiã, & Euchariſtiã, hæc tamẽ non ſemper & apud omnes quotidiana fuit, ſed libera pro ratione tẽporũ et eccleſiarũ uel frequentius, uel rarius

Cœtus eccleſiaſtici ueterum.

celebrata. Oratio & prophetia apud ueteres penè quotidiana fuere. Loquor autẽ de oratione publica quæ in ſacris ſolet fieri cœtibus. Priuata illa ut perpetua eſt, ita nullo loco aſtringitur. Porrò prophetiæ nomine doctrinam intelligit euangelicam, ſicut palàm exponet in 14. huius epiſtolæ cap. In 21. Act. cap. paulò copioſius oſtendimus & prophetandi uerbũ uſurpari pro prophetias audiendi, ut nũc prophetãs mulier ſit quæ ad prophetiam audiendam uenit, non quæ docet aut interpretatur. Nam mulieribus in eccleſia loqui non permitto ait Apoſtolus. Tertullianus in Apolog. cap. 39. exponens quales fuerint conuentus Chriſtianorum ueterum orationem & prophetiã ſiue commemorationem diuinarum literarũ hiſce uerbis depinxit, Corpus ſumus de conſcientia religionis & diſciplinæ ueritate & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & aggregationẽ, ut ad deũ quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc uis deo grata eſt. Oramus etiam pro imperatoribus, pro miniſtris eorũ ac poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerũ quiete, pro mora finis. Coimus ad literarũ diuinarum commemorationẽ ſi quid præſentiũ temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis uocibus paſcimus, ſpem erigimus, fidutiã figimus, diſciplinam prçceptorũ nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina, &c. Ibidem & eleemoſynæ meminit dicens, Modicam unuſquiſq; ſtipem menſtrua die uel cum uelit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis uoratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandisq;, & pueris ac pupillis, re ac parẽtibus deſtitutis ætateq; domitis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis uel in cuſtodijs duntaxat ex cauſſa dei ſectæ alumni confeſſionis ſuæ ſunt. Meminit eodem in loco idem ille author cuiuſdam Cœnæ, quæ ipſis ἀγάπη ſiue dilectio dicta ſit & refrigerium quo iuuent inopes. Non prius, inquit, diſcumbitur quàm oratio ad deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandũ deum ſibi eſſe: ita fabulantur ut qui ſciant dñm audire, &c. id quod haudquaq; de cœna domini myſtica intellexerim, ſed de menſa qua alebantur pauperes, niſi fortaſſis ſuo quodam more loquutus uideatur apud ethnicos, uel quod ante Agapen illã uel poſt eam corpus & ſanguis domini myſticus circumlatus ſit. In libro de Corona militis Euchariſtiã docet antelucanis ſumptã eſſe cœtibus. Quò nimirum illud pertinet quod 2. ad Vxorem libro ait, Non ſciet maritus (loquitur autem de infideli) quid ſecreto ante omnem cibũ guſtes, & ſi ſciuerit panem, non illum credit eſſe qui dicitur. Vtcunq; uero hæc habeant, certum eſt quod Euchariſtiam in cœtibus illis ſacris ſumma cum reuerentia celebrarũt priſci. Hæc uero de cœtu eccleſiaſtico hactenus, quibus ſi conferas Cœtus noſtros qui ad ſcripturæ præſcriptum & euangelij regulam mores eccleſiaſticos reſtituimus, & iſtos conuentus ad quos ex hominum inſtitutione congregantur Pontificij, citra negotium iudicabis qui nam ſyncerius in religionis negotio agant, qui ueterem aut nouam religionem habeant.

Publica oratiuis quædam & impreßio.

Nam id perinde eſt prorſus ac ſi raſa eſſet. Etenim ſi non uelatur mulier, etiam tondeatur. Quod ſi fœdum eſt tonderi aut radi, ueletur.

Decorum maxime in ueſtitu ſeruandum.

Retectionem capitis tonſuræ per omnia ſimilem facit, ac deinde ab indecoro ſiue abſurdo colligit. Vehemẽter abſurdum apud omnes eſſet ſi mulier attonſa coma prodiret in publicum. Id enim perinde eſſet ac ſi uiri in ſe tranſumeret perſonam. Atqui non uelatam ingredi in eccleſiam aliud non eſt quàm attonſam uenire in conuentum. Eadem enim opera & iuxta eundẽ uirilem ritũ qua uelum abijcit retectoq; capite incedit, quod uirorum duntaxat eſt, & radi poteſt. Proinde uelari debet mulier. Nam ut decorum eſt in re qualibet, ita hoc neglexiſſe uehementer abſurdum eſt. Hinc & in lege dei unde hæc mutuaſſe uidetur Paulus in hæc uerba loquitur dominus Deut. 22. Non geret mulier arma (ueſtes & habitum) uiri, nec uir utetur ueſte muliebri. Omnis enim qui facit hęc abominabilis eſt apud dominum deum tuum. Equidem cum honeſtas publica & decorum imò & naturæ ordo uitiat libidine & inſolentia noſtra, magna profecto abominatio eſt.

Vir

Vir quidem non debet uelare caput, cum is imago ſit & gloria dei. At mulier gloria uiri eſt. Non enim eſt uir ex muliere, ſed mulier ex uiro. Neq; ẽ conditus eſt uir propter mulierẽ, ſed mulier propter uirũ. Propter hoc debet mulier poteſtatẽ habere in capite propter angelos.

Dignitas uiri.

Parcius & modeſtius uiris præſcribit apertis fint in cœtu capitibus, mulieres urget ardentius, forſan quod illud hominum genus natura uideatur eſſe ſtolidius, uanius, arrogantius & ad omnem ſuperbiam procliuius. Dicit autem, Vir quidem non debet uelare caput. Cauſſam addit, Nam imago & gloria dei eſt. Id uero explicãs Ambroſius ait, Multum diſtat inter gloriam dei & gloriã uiri. Vir enim ad imaginem dei factus eſt, non mulier. Hæc eſt autem imago dei in uiro, quia unus deus unum fecit hominem, ut ſicut ab uno deo ſunt omnia, ita eſſent & ab uno homine omnes homines: ut unius dei inuiſibilis unus homo uiſibilis imaginem haberet in terris: ut unus deus in uno homine uidere tur authoritatem unius principĩ conſeruare. Hanc Ambroſĩ expoſitionem ſuffulciunt ea quæ ſequuntur, Non enim eſt uir ex muliere, &c. Quibus iam pulchre infertur, Propterea debet mulier poteſtatem in capite habere. Quia enim uiro ſubdita & in ipſius adiutorium condita eſt, ſignum eius rei uelum, quod hoc loco poteſtatem per tropum appellauit, capiti inducere debet. Sumpta ſunt hæc argumenta ex prima conditione hominis & uiri dignitate. Proinde Paraphraſtes, Par eſt (inquit) ut penes eum ſit authoritas qui & prior eſt conditus, & deo duntaxat conditus eſt, non mulieri. Hoc igitur iuris cum ipſa naturæ primordia dederint uiro, debet mulier ſuam ſortem agnoſcere, nec obſequio ſolum, uerumetiam cultu mariti ſui dominium teſtari. Vt autem raſus uertex libertatem arguit, ita capitis uelamen ſeruitutis eſt inſigne. Iam & aliud addit quod uelamen inducere queat. Propter angelos. Id eſt, Si uero quæ non reuereatur homines, tantillum uel angelis deferat, ne horum offendat oculos. Nam ĩ non poſſunt non offendi quoties uident hominum uiliſſimos & naturã ipſam, & dei ordinem peruertere, & contumaciter proculcare. Aliĩ per angelos uerbi miniſtros intelligunt. Breuiter pudorem & uerecundiam commendant iſta mulieribus.

Vir gloria dei.

Alioqui neq; uir abſq; muliere, neq; mulier abſq; uiro in domino. Nam quemadmodũ mulier ex uiro eſt, ita & uir per mulierem, omnia uero ex deo.

Homo in adiutorium hominis conditus.

Ne quis dicta Pauli intelligeret ſiniſtrius, hęc expoſitionis, imò occupationis uice ſubiungit. Senſum pulcherrime reddit Paraphraſtes, cuius uerba hoc aſcribo libẽtius, quo apertiora illa & ſenſui Paulino magis ſunt accõmoda. Sunt autem hæc, Hactenus agnoſcit mulier quid ſe deceat. Non quod hanc debeat maritus habere uilem eo quod iuſſa ſit parere, aut uxor ſibi diſplicere quod uiro ſubdita ſit. Nam quantũ ad religionis conſortium attinet utriq; pares ſunt. Sæpe maritus uxoris indiget officio, ſæpe uxor mariti. Ad hæc olim ex uiro mulier prodita eſt, nũc nec abſq; uiro gignit mulier, neq; uir abſq; muliere pater fieri poteſt. Nec tamen eſt quod his rebus ſibi quiſquã placeat aut diſpliceat, cum omnia ſint ad deum authorem referenda, qui ſic temperat ordinem uniuerſi.

Inter uoſipſos iudicate num decorũ ſit mulierem non uelatam deum orare. An ne natura quidẽ ipſa hoc docet uos quod uiro quidem ſi comatus fuerit probro ſit? contra mulieri ſi comata fuerit gloriæ ſit? eo q̃ coma pro uelamine data ſit.

Licentia quadam oratoria utitur, dicens, Vel uobis certabo iudicibus: ipſi, ni prorſus libeat contra ſenſum pronunciare communem, dicetis indecorum, imò & contra naturam eſſe, ſi mulier aperto ingrediatur capite. Natura enim quæ uis & operatio dei eſt, reuincere uolens mulierem uelatam eſſe debere, copioſiſſima hanc coma contexit. Proinde quæ mulieres ſapiunt naturæ uoluntatem addunt capitaq; uelant. Inuenias huius generis cõplura in ſacris argumẽta à natura ducta. Non loquimur hic de corrupta natura

hominis & ſenſu mali, ſed de ui & ordine dei quo agit in rebus à ſe conditis.

Cæterum ſi quis uidetur contentioſus eſſe, nos huiuſmodi conſuetudinem non habemus, neq; eccleſiæ dei.

Contendere.

Paucis nunc negotium hoc abrumpit. Quaſi dicat, Hæc uero de habitu eccleſiam ingredientium dicta ſufficiant. Porrò ſi quis eſt cui nondum ſatis factum eſt, & qui omni no morem illum Corinthiorũ inſolentem probat & ſeruandum contendit, cum eo porrò non rixabimur, quin illud opponimus, Neq; nos neq; eccleſiæ dei huiuſmodi cõſuetudinem habent. Quæ ſententia tam ad contentionem quàm ad uelandi ritum referri poteſt. Vt ſit ſenſus, Nos uero rixari ac contendere non didicimus. Quod autem docuimus hactenus, recte docuimus. Atq; hic murus aheneus eſto. Vel, Vt ut illi uelum non putent eſſe neceſſarium, attamen neq; nos, neq; ullæ Chriſti eccleſiæ hunc ritum ſeruãt, ut uir obuoluto contectóue, mulier aũt aperto capite prodeat in cœtũ ſacrũ. Hoc autem ultimo huius negotij loco poſitum uehemẽter potuit eorum pungere mentes, qui non omnino præfracti atq; deploratæ erant pertinaciæ. Ambroſius hæc uerba exponẽs, ait, Neq; nos neq; eccleſia dei, ut neq; Moſes neq; ſaluator ſic tradiderit. Breuiter, tota hac diſputatione aliud nihil traditur q̃ publica quædã honeſtas, ut decorem ac modũ in ueſtitu totoq; corporis habitu ſeruemus, maxime in cœtu eccleſiaſtico, in quẽ colligimur ut humiliemur, ut peccata noſtra deploremus, ut uerbũ uitæ & ueritatis audiamus, utq; puris precibus fide ac ueritate ipſum numen demereamur: quibus rebus quàm non conueniat luxus & ſuperbia nemo eſt qui non uidet. Cæterum uidentur & illi in naturam, adeoq; dei legem eſſe iniurij qui uirorũ capitibus ne per hyemis quidem intemperiem parcunt. Debet enim & hic certus adhiberi modus.

DE EVCHARISTIA.

Euchariſtia quid?

Ad cœtus eccleſiaſticos pertinet & Euchariſtia, quæ aliud non eſt quàm ſancta quædam publicaq; gratiarum actio myſtico illo, à Chriſto inſtituto ritu celebrata. Quo autem in eccleſia Chriſti meliores nobiliores q; res exiſtunt, hoc fœdius polluuntur à ſatana, quem ut mendaciorum patrem imitantur mendaciorum magiſtri. Hi uero mendacia ſua non niſi ex ſpecie ueri deriuãt, at ipſo ductu quò uolunt torquent. Cum ergo ueteres Paſcha typicum cœna quapiam & ſi non ſplẽdidius inſtructa celebraſſent, cumq; ipſe Saluator noſter Chriſtus Euchariſtiæ myſterium inſtituens primus id inter cœnandum egiſſet, adeoq; & Gentiũ ſacra pleraq; non ſine luxu & conuiuijs hactenus fuiſſent peracta, nullo negotio ſatan myſticum illud conuiuiũ apud Corinthios in epulas quaſdam Gentiles conuertere, hoc eſt, corrumpere potuit, ut qui ſibi ex obſeruatione ueteri & exemplo (ut ipſis uidebatur) Chriſti perſuaſiſſimum haberent epulas ſe nulla dei ſacrorum ſacramentíue iniuria exhibere. Quoties ergo diebus ſtatis myſtica illa in eccleſia peragenda eſſent ſacra, opulentiores inſtructis in cœtu ſacro conuiuijs epulabantur pro more magis Gentili quàm Chriſtiano: pauperes uero qui in eundem congregabantur conuentum uel inuidebant, ut fit, ditioribus hanc felicitatem, uel nimis acerbe miſeram illam ſortem ſuam & deplorabant & execrabãtur. Inde porrò diſſidia & factionum pullulabant ſtudia, incaleſcebãt contendẽtium iurgia, contra uero charitatis officia quæ in hoc ſacro potiſſimas obtinent, frigebãt adeoq; elanguerat, imò & perierat iam apud Corinthios potiſſima huius ſacri portio. Vnde Apoſtolus graui quodam zelo permotus primum quidem erroris redarguit, abuſum increpat & genuinum tandem Euchariſtiæ uſum reſtituit. Sic autem dicit:

Euchariſtia in cœnam uerſa.

Illud tamen præcipiens non laudo quod non in melius, ſed in deterius conuenitis. Nam primum quidem cum cõuenitis in eccleſia audio diſſidia in uobis eſſe, & aliqua ex parte credo. Oportet enim ſectas in uobis eſſe, quo qui probati ſunt, manifeſti fiant inter uos.

τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ, id eſt, Hoc autem annuncians non laudo, id eſt hoc quod nunc dicturus ſum non laudo. Reſpicit enim ad capitis initium ubi hoc nomine laudauit

laudauit Corinthios quod instituta quæ tradidisset ipsis, accurate tenerent: id nunc corrigit & ait, Verum in illo quod iam dicturus sum non laudo uos, nempe quod non in melius, sed in deterius, id est ita conuenitis ut præstaret non conuenisse. In genere ergo & uno uerbo proponit quod in cœtibus illorum sacris arguit, nempe, Quod in deterius conueniant. Id uero mox per partes explicat, dicens, Nam primum quidem cum conuenitis in ecclesia, audio dissidia in uobis esse. Dissidiũ itaq; alterum ex uitijs est quod accusat. Necq; aliud huic sacro perinde aduersum est atq; dissidium, cum ipsa eucharistia concordiæ & pacis symbolum sit. Dissidium autem hoc ex luxu diuitũ & eucharistiæ abusu oriebatur. Sequitur enim in Paulo, Et aliqua ex parte credo, Oportet enim & sectas in uobis esse. Quod loquutionis genus ex præsuppositio exteriusq; ascito intelligendũ est, ut sit sensus, Non omnino uanum credo quod mihi quidam retulere de uestro dissidio. Nam omnino non dissidere & infactiones scindi non possunt, qui sic agunt ut uos agitis. Vel ex consequenti, ut sit sensus: Verum esse credidi quod uehementer inter uos dissideretis. Scio enim quod dominus non modo impios protrahit & cõfundit, sed & pios manifestat: quod quidẽ fieri non potest, nisi in diuersum scindamini. Necq; enim in uno corpore subsistunt ueritas & mendacium. Inde porrò non sequitur quod studium partium bonum sit. Quasi uero scandalum propterea malum non sit quod dominus dixit, Væ mundo à scandalis. Oportet enim uenire scandala. Subiungitur enim, Veruntamen uæ homini per quem offendiculum uenit. Et Germani pari schemate dicimus, *Der můß kranck vnd arm sin*, sed intelligimus quandoquidem perpotat, & maximo corporis dispendio opes suas concoquit. Hic uero addit aliquis, Sed sic oportet tractari helluones. Id est, hoc in malo boni est, quod & malum punitur, & boni alieno malo à malo abstrahũtur. Ita hoc loco adiecit Paulus, Quo qui probati sunt manifesti fiant inter uos. Id est, Ex re mala id boni capitur quod hinc magis elucescit qui uere pij sint, imò quid sit rebus diuinis abuti ad luxum. D. Ambrosius incommoditatem & insolentiã huius orationis hoc commento sarcire complanareq; uoluit, Non utiq; uoluit nec optauit, sed quia sint futurum dixit, sicut & dominus, Oportet (inquit) uenire scandala, & oportet filium hominis pati, præscius quia Iudas proditor erat futurus.

Dissidiũ eucharistiæ pestis.

Igitur cum conuenitis in eundem locum, non licet Dominicam cœnam edere, quod unusquisq; propriam cœnam occupat in edendo: & hic quidem esurit, ille uero ebrius est.

Alterum ex uitijs quo cœnam corruperant Luxus est & pauperum contemptus. Audiuimus enim paulò ante publicas epulas & conuiuia diuitum opipara in ædem sacram per ditiores introducta esse. Fortassis tales protinus ab initio fuerãt cœnæ quales adhuc Tertulliani tempore fuisse iamiam ex Apologetico ostẽdimus: sed iniuria temporum illas, ut fit, corruperat, ut nunc conuiuijs hisce non inseruiretur charitati, sed diuitum libidini, qui non modo fastu illo nimio contemnebant tenuiores, sed minus sobrie bibentes, fœdæ se ebrietati, pauperibus interim inedia laborantibus, ingurgitabant, itaq; & in Christum, & in sacramenta, & in corpora ipsorũ propria, imò & in ecclesiæ corpus peccabant. Quid uero diceres, ô Paule, si rediens Missas nostras uideres. Deus bone quantum luxum, quantam impostruram, quantum fastum, quantum deniq; pauperum non modo contemptum, sed & iacturam, imò & oppressionem cerneres? Annotandum uero inuersum loquutionis genus. Dum ait, Quisq; propriam cœnam προλαμβάνει, id est, festinando præoccupat, non licet domini cœnam edere. Hæc enim humilitate, non fastu: sobrietate, non luxu: spiritu, non carne: concordia, non inuidia: fide, non affectu carnis percipitur. Cæterum hanc sententiam inter dissidium & luxum miro consilio mediam interposuit, ut intelligeremus tam luxu q̃ dissidijs nos impediri à uero dominicæ cœnæ esu. Recte enim iudicauit Augusti. impios sacramentũ, non rem sacramenti mandu care. Ederunt quidẽ Cœnã Corinthij isti luxu dissoluti, sed dominicã Cœnam non ederunt, id est, tametsi sacramẽto participarent, re tamen sacramẽti non participabãt. Nam fidem non habebãt: proinde iudiciũ sibi manducabant. Est & occulta quædã antithesis

Luxus in cœna.

Impij dominicã cœnam non edunt.

1. Cor. 10. in dictione Propria. Nam communicationi opponitur. Quemadmodum enim ex multis granis unus conficitur panis, ita per panem eucharistiæ multi unũ corpus efficimur. Proinde ut hæc cœna prophana non est sed sacra, ita propria nõ est, sed communis. His autem rebus separatur à cibo communi eucharistiæ panis, qui nõ est panis communis, aut pistorius, ut uocant, sed panis mysticus ipsum corpus Christi significatione institutioneq̃. Nam qui de hoc pane edunt, morti dominicæ gratias agũt, & in unum corpus mysticum coëunt.

Num sanè domos non habetis ad edendum & bibendum? An ecclesiam dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent?

Diligentius hisce illorum corrigit errorem. Si libeat ait uentrem explere, domi in ædibus priuatis, ubi cibus priuatus uentrisq̃ sumitur, comessandum erat. In ædem sacram conuenitur ad cœnam panis mystici. Domi panis, in cœtu uero sanctorum panis mysticus editur. Domi ait Ambrosius unusquisq; propriam cœnã sumat, non in ecclesia, ubi unitatis & mysterij caussa conuenitur, non dissensionis & uentris, &c. Addit & aliud quod ab epulis istis lurcones absterreat. An, inquit, publicam Christianorum congregationem contemnitis, ut hac teste inseruiatis gulæ, uelut hoc interim data opera agentes, ut uobis publice luxum & apparatum ostentantibus, pudefiant tenues qui non habent quod edant?

Quid uobis dicam? Laudabo uos? In hoc non laudo.

Iterum repetit quod uehementer displiceat ritus ille mysteriorum impurus. Proinde & consequentibus meliora suppeditat, ipsa domini institutione ostendens quid hic sit obseruandum, quis sit genuinus Cœnæ domini usus, quis fructus, item quæ pœna maneat contemptores.

Ego enim accepi à domino quod & tradidi uobis, quod dominus Iesus in ea nocte qua traditus est accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dixit, Accipite edite. Hoc meum est corpus quod pro uobis frãgitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculũ peracta cœna dicens, Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciate donec uenerit.

Restitutio cœnæ ex prima institutione.

D. Cyprianus in epistola quadam ad Pompeium ait, Si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & sacramentorũ cœlestium ratione perspecta quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce ueritatis aperitur. Hoc ergo oportet facere dei sacerdotes præcepta diuina seruãtes, ut in aliquo si nutauerit & uacillauerit ueritas ad originem dominicam & euangelicam apostolicamq; traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Hæc Cyprianus. Paulus ergo hoc in loco cœnam natiuo usui restituturus, & ab iniuria ac abusibus humanis asserturus ad dominicam redit institutionem, hanc repetit, ac mira quadã emphasi dicit, Ego enim accepi à domino quod & tradidi uobis. Quasi dicat, Nihil in hoc sacro, nisi quod ipse dominus instituit, & quod institutioni eius conforme est, seruandum est. Proinde non quod mihi uidebatur, sed quod domino usum est, & quod eius traditione accepi uobis tradidi. Hæc mihi expendant qui illorum probant ingenium quorum industria Missa illa multis Christianorum ecclesijs obtrusa est, quæ q̃ parum aut nihil habeat primitiuæ institutionis alibi ostendimus.

Eucharistia memoria mortis domini.

Tempus autem à quo negotium præsens auspicatur plurimum momẽti in hac re habet. Nam Sacrum hoc quod hic instituit, in memoriam instituit mortis suæ. Hinc enim toties ingeminat, Hoc facite in mei memoriam, mei inquam qui pro uobis in mortem traditus sum. Recte ergo eius meminit tẽporis & noctis in qua traditus est. Primas enim

in

in hoc ſacro myſtico tenet Mors Chriſti, hoc eſt Caro Chriſti pro nobis expenſa, & ſanguis eius pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum. Cæterum ea quæ ſemel facta ſunt & non fiunt quotidie, ne in obliuionem ueniant Sacramentis repræſentantur fidelibus, quæ quidem uirtute interius per ſpiritum ſanctum agente, foris autem Verbis dei & Signis conſtant uiſibilibus. Monuimus enim in cap. ad Roma. 4. in ſacramentis ſpectanda eſſe duo, Rem ſcilicet cœleſtem, & Signum terrenum. In Euchariſtia ſanè ipſa res cœleſtis eſt ipſa peccatorum remiſſio & uita æterna corpore Chriſti tradito & ſanguine effuſo parta. Signum terrenum eſt Panis & uinum. Proinde Sacramentum non eſt elementum tantum, ſed uerbum ſiue operatio dei ſimul cum elemento. Vere enim ſanctus Auguſtinus Tractatu in Ioannem 80. Accedit, ait, uerbum ad elemẽtum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquã uiſibile uerbum. Et paulò poſt, Vnde iſta, inquit, tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente uerbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Hæc Auguſtinus. Ergo ſancti in baptiſmo non habent aquam cõmunem, ſed purificantem, regenerantem uiuificantemq;. Ita in Cœna ſacra non habent panem piſtorium, & uinum prophanum, ſed ſacroſanctũ, ipſum inquam corpus & ſanguinem domini. Non quod ſignum & ſignatum ſibi uniantur corporaliter, ut panis ſit caro Chriſti naturalis, & uinum ſanguis carnalis, ſed ſacramẽtalis, myſticus & ſpiritualis: & quod panis & uinum ex inſtitutione domini ſymbola ſunt quibus ab ipſo domino per eccleſiæ miniſterium uera corporis & ſanguinis eius communicatio non in perituram uentris cibum, ſed in æternæ uitæ alimoniam exhibeatur fidelibus. Res enim in ſua manent ſubſtantia, ita & ſigna non tranſeunt in illas: interim propter rationem ſacramẽtorum, & ut euidentiora ſint omnino ſigna, rerum ſortiũtur nomina. Et ſanè Memoracula, inter quæ primas tenet Euchariſtia, non tantum uerbis animo, ſed & rebus quibuſdã ſenſibilibus obiicere commẽdareq; ſolent ſenſibus externis, id cuius ſunt memoracula. Inde factum quod ipſe dominus Memoriam ſuæ mortis cõſecraturus nobis, panem & uinum in manus ſumpſit, diſcipulis diſtribuit & dixit, Accipite, edite, Hoc meũ eſt corpus quod pro uobis traditur. Hic potus aut hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine. Siquidem ipſa memoracula ſiue ſigna rerum, appellamus iiſdem rerum uocabulis, quarum ſunt ſigna & memoracula. Teſtes hic uoco è ſacris Circumciſionem & Agnum paſchalem, illa enim fœdus, hic tranſitus cognominatur: è ſacris autem expoſitoribus Auguſtinum, qui in epiſtola quadam ad Bonifacium, quæ ordine eſt 23. hoc negotium ſic tractauit, Sæpe ita loquimur ut Paſcha propinquãte dicamus, Craſtinam uel perendinam domini paſſionem, cum ille ante tot annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit. Item ipſo die Dominico dicimus, Hodie dominus reſurrexit, cum ex quo reſurrexit, tot anni tranſierunt. Cur nemo tam ineptus eſt, ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos, niſi quia iſtos dies ſecundum illorum quibus hæc geſta ſunt ſimilitudinem nuncupamus, ut dicatur ipſe dies qui non eſt ipſe, ſed reuolutione temporis ſimilis eius, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed iam olim factum eſt? Nónne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen in Sacramento non ſolum per omnes paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur? nec utiq; mentitur qui interrogatus eum reſponderit immolari? Si eñ Sacramẽta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunq; etiam ipſarum rerum nomina accipiũt. Sicut ergo SECVNDVM QVENDAM MODVM SACRAMENTVM CORPORIS CHRISTI CORPVS CHRISTI EST, ſacramẽtum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt, ita ſacramentum fidei fides eſt, &c. Fatemur ergo panem euchariſtiæ corpus eſſe Chriſti, Fatemur calicem benedictionis ſanguinem eſſe Chriſti: ſed ſuo quodã more, hoc eſt ſacramentali. Ex materia enim dicti dirigendus eſt ſermo. Voluit dominus memoriam ſui, more quo ſolent conſecrari memoracula, inſtituere. Secũdum itaq; memoraculorũ rationem dixit, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Quemadmodum ergo memoracula id ſolent eſſe quorũ ſunt memoracula, ita panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis Chriſti. Nihil hic uerbo domini addimus, nihil detrahimus, nihil in eo in

Signa ſortiũtur rerum nomina.

Gene. 17.
Exod. 12.

uertimus aut corrumpimus, sed ficut dixit ita exponimus. De memoria & Sacramento loquutus est, illa nos exponimus sacramentaliter, non corporaliter, aut ut uerius dicam carnali modo.

Ratio ueri corporis & sanguinis domini.

Hic quoq; diligenter considerãdæ sunt causſæ & fructus totaq; ratio ueri corporis & sanguinis domini. Itaq; dominus noster Iesus Christus in hoc ueram carnem & sanguinem uerum de intemerata assumpsit uirgine, ut nostri per omnia similis uerus Deus & Homo uerus, uerus inter deum & hominem mediator, uerusq; sacerdos haberet quod pro expiatione peccati totius mundi offerret, hostiæ uidelicet sanctæ sanguinem purissimum. Assumptũ ergo corpus in mortem dedit, & sanguinem suum unica & æterna pro peccatis uictima effudit. Nam sine sanguinis effusione non fit remissio. Cæterum reperta iam per corporis & sanguinis sui hostiam redemptione æterna, ut nunc non supereſſet quod in hoc mũdo carne sua faceret, corporis immolati statum in melius cœpit disponere & ad gloriam prouehere sempiternam. Clarificato enim corpore è mortuis resurgens, resurrectionem corporis sui ueri ueram discipulis suis per dies 40. argumentis approbauit euidentissimis, demum uero uidẽtibus ĩsdem suis discipulis in cœlos ascendit, seditq; ad dexteram patris, utiq; in mundo alio, inq; beatorum sede quieta. Dextera enim dei in sacris capitur bifariam. Principio pro loco certo & sanctorum receptaculo, ut uidere est apud Matth. in cap. 25. Iam & sedere aliquoties significat quiescere, & animi curis omniq; anxietate liberatũ esse. Veluti cum dicitur, Sedebit uir sub uite sua. Et, Nunquid fratres uestri ibunt ad pugnam, & uos hic sedebitis? Ita sedere ad dexterã patris, est miserĩs hisce mundi solutum quiescere in cœlis, hoc est, transire ex hoc mundo & concedere in æternam patriam, ubi non est mors, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor. Atq; ad hunc modum Dextera dei finita est. Deinde uero Dextera dei pro potentia & maiestate dei accipitur, & Sedere pro regnare. Qua significatione Dextera dei ubiq; est. Nam potentia dei loco non concluditur. Iam ergo credimus Christum dominũ secundum indolem siue naturam utranq; sedere ad dexterã patris. Nam caro & anima eius migrauit ex hoc mundo, & iam non est in hoc mũdo apud nos, sed agit in cœlis apud spiritus beatos. Ad quem modum & caro nostra ex mortuis per ipsum resuscitata, non uertetur in spiritũ, aut annihilabitur, neq; erit ubiq;, sed in cœlis. Iuncta enim animæ non diffundet se per omnia, sed in loco manens æternum apud deum gaudebit, testificãte Apostolo, Conuersatio nostra in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Item, Mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui uiuemus qui reliqui erimus simul cum illis rapiemur in nubibus, & sic semper cum domino erimus. Hactenus uero uidemus finita esse omnia. Porrò ascendit idem ille dominus noster super omnes cœlos, ut sederet, id est regnaret, potentiamq; in sanctis & toto mundo exerceret cœlitus. Regnum enim eius æternum est & sæculorum omniũ. Hactenus ergo nullo loco concluditur, sed ubiq; est per id quod deus est, in cœlo autem per id quod homo est.

Christus ad dexteram patris.

Præsentia Christi in ecclesia uera & necessaria.

Quod enim humanam Christi carnem attinet, ecclesia nulla iam ut olim carnali Christi præsentia opus habet. Necessaria sanè fuit mundo Christi incarnatio & passio. Sine his enim non obtigisset nobis purgatio, redemptio ac salus: quemadmodum paulò ante ostendimus. Nunc autem cum dominus in carne semel apparuerit, & sese pro peccatis mundi immolarit, perpetuamq; inuenerit redemptionem, defuncta est illa munere suo ob quod assumpta erat, nec supereſt quicquam in hoc mũdo quod maneat & apud nos agat amplius. Omnia enim absoluta sunt propter quæ carnem induerat, dicente ipso domino, Consummatum est. Et alibi, Exiui à patre & ueni in mundum, iterum relinquo mũdum & uado ad patrem: iam igitur nihil restat quàm ut effuso spiritu sancto uirtute uicaria, ipse sedeat ad dexteram patris certissimum salutis nostræ pignus, & intercedat pro nobis, donec impletis temporibus, ueniat iudicare uiuos & mortuos. Interim uero cum à diuinitate non separetur humanitas, licet utraq; suum seruet ingenium, fit ut Christus caput scilicet ecclesiæ corpori suo non desit, quin adsit perpetuò potentia, uirtute & dotibus omnino omnibus, omniũ uidelicet euidẽtissima præsentia. Nunc enim

posteaquam

posteaquam in cœlos assumptus est in cœlorũ regia instar solis residens sanctis per totum mundum, maxime in cœtu sacro congregatis uerbaq́ & memoracula ab ipso instituta pie, fideliter, reuerenterq́ tractantibus, efficacissime præsens est, suos illos sibi deuotos uiuificans, cibo corporis potuq́ sanguinis spiritualiter reficiens uereq́ alens, simul & uegetans atq́ exhilarans, qua præsentia nulla maior intimiórue ne cogitari quidem potest. Nam ipsa corporis essentia sic considerata & manducata fide in intellectum & uitam corporis nostri transit. Qui enim manducat, inquit dominus, & bibit sanguinem meum in me manet & ego in illo. Sicut me misit uiuens pater, ita & ego uiuo propter patrem, & qui ederit me & ipse uiuet propter me. Non prodesset autem mortalibus, imò obesset plurimum si solis globus uolueretur per terras. Nec prodesset ecclesiæ sanctę carnalis Christi præsentia aut ipse etiam esus corporis carnalis, ipso testante, Veritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadã. Si eñ nõ abiero, consolator ille nõ ueniet ad uos. Itẽ, Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicq̃, Verba quæ ego loquor uobis spiritus & uita sunt. Iam tametsi solis globus uiã in cœlis suã non deserat, unus modo & circũscriptus sit, nobis tamẽ omnino & essentialiter præsens est, oñibusq́ satis, omnia penetrat. Ita etiam corpus Christi residens ad dexteram patris omnibus dotibus, uere, & quantum cupit anima & quantum animæ satis est uirtuteq́ sua penetrante omnia omniumq́ perfectissime ecclesiæ suæ præsens est semper, in primis autẽ fideliter sacramenta tractanti. Nec aliter iudicauit de præsentia dei ac Christi Aurel. Augustꝰ. Cuius uerba ex 3. cap. De præsentia dei ad Dardanum, nunc ascribo. Memoriter recole & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam dominus noster resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde uẽturus est ad uiuos & mortuos iudicandum: & sic uenturus est illa angelica uoce testante quemadmodũ uisus est ire in cœlum, id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profecto immortalitatem dedit naturam non abstulit: secundũ hanc formam nõ est putandus ubiq; diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis ut ueritatẽ coporis auferamus. NON EST AVTEM CONSEQVENS VT QVOD IN DEO EST, ITA SIT VBIQVE VT DEVS. Nã & de nobis ueracissima scriptura dicit quod in illo uiuimus, mouemur, & sumus, nec tamẽ sicut ille ubiq; sumus, sed aliter homo ille in deo, quoniã & aliter deus in homine proprio quodã & singulari modo. Vna enim persona deus & homo est, & utrunq; est unus Christus Iesus ubiq; per id quod deus est, in cœlo autẽ per id quod homo est. Nam paulò ante hæc uerba scripserat. Spacia locorum tolle in corporibus & nusquam erunt, & quia nusquã erunt, nec erunt: tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint. Hæc ille.

Hac autem de caussa & Veteres ecclesiastici scriptores hasce sentẽtias, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, inter loquutiones posuere symbolicas siue mysticas. Non enim primi nos istam expositionẽ inuenimus. Nam idem ille Augustꝰ. contra Adimantum Manichei discipulum cap. 12. planis uerbis, Possum, ait, interpretari præceptum illud in signo esse positum. Non enim dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret SIGNVM corporis sui. Et ante hunc uetustissimus ille Tertullianus 4. aduer. Marcio. lib. ad eundem prorsus modum exposuit, dicens, Christus acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est FIGVRA corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Cæterum uacua res quod est phantasma figuram capere non posset. Et in 5. libro aduersus eundem, Proinde panis ac calicis sacramentum iam in euangelio probauimus corporis & sanguinis dominici ueritatem aduersus phantasma Marcionis. Et libro 1. aduer. eundem, Christus nec panem reprobauit creatoris quo ipsum corpus suũ REPRAESENTAT. Hunc complures post annos sequutus Ioannes Chrysostomus hom. in Matth. 83. pari ratione uerba domini exposuit, significatione et mysterio hunc nodum dissoluens. Scribit autem ad hunc modum, Ipse quoq; dominus bibit ex eo ne auditis uerbis illis dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur: nam quando prius de his uerba fecit multi solumodo propter uerba scandalum passi

Hoc est corpus meum exponitur.

Tertullianus.

Chrysostomus.

Ioan. 6.

ſunt: ne igitur tunc quoque hoc accideret primus ipſe hoc fecit VT TRANQVILLO ANIMO AD COMMVNICATIONEM MYSTERIORVM induceret. Sed nunquid uetus hoc quoq; facere potuit? Minime. Ideo enim, Hoc facite dixit, ut ab illo abduceret. Præterea ſi remiſſionem peccatorum hoc facit, ſicuti certe facit, ſuperuacaneum illud omnino eſt. Sed ſicut in ueteri eodem hic modo in beneficio reliquit memoriã myſteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, Vnde patet Chriſtum immolatũ fuiſſe & alia multa myſteria? hæc enim adferentes ora eorum conſuimus, Si enim mortuus Ieſus non eſt, cuius SYMBOLVM AC SIGNVM hoc ſacrificium eſt? Vides quantum ei ſtudium fuerit, ut ſemper memoria teneamus ipſum pro nobis fuiſſe mortuum. Hæc ille. Quid quod ipſe Ambroſius hæc uerba Pauli exponens cæteris omnibus penè clarius ad hunc modum ſcribit, Oſtendit Paulus Corinthijs myſterium euchariſtiæ inter cœnandum celebratum non cœnam eſſe. Medicina enim ſpiritualis eſt, quæ cum reuerentia deguſtata purificat ſibi deuotum. MEMORIA ENIM REDEMPTIONIS NOSTRAE EST, ut redemptoris memores maiora ab eo conſequi mereamur. Quia enim morte domini liberati ſumus huius rei memores in edẽdo & potando, carnem & ſanguinem quæ pro nobis oblata ſunt SIGNIFICAMVS, nouum teſtamentum in his conſequuti, quod eſt noua lex quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis. Nam & Moſes accepto ſanguine uituli in patera aſperſit filios Iſraël, dicens, Hoc eſt teſtamentum quod diſpoſuit deus ad uos. Hoc figura fuit teſtamenti quod dominus nouum appellauit per prophetas, ut illud uetus ſit quod Moſes tradidit. Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt, in cuius TYPVM NOS CALICEM MYSTICVM SANGVINIS ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus. Quia ſanguis domini ſanguinem noſtrum redemit, id eſt, totum hominem ſaluum fecit. Caro enim ſaluatoris pro ſalute corporis, ſanguis uero pro anima noſtra effuſus eſt. Hæc Ambroſius. Huc forſan illud Auguſtini quoque quadrabit quod in tertio de Doctrina Chriſtiana libro capite 16. ſic præſcripſit, Si præceptiua loquutio eſt aut flagitium, aut facinus uetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem, aut beneficentiam uetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis ait carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis: facinus uel flagitium uidetur iubere, figura eſt ergo præcipiens paſſioni domini eſſe communicandũ, & ſuauiter atq; utiliter recondẽdum in memoria q̃d pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata ſit. Hæc uero de genuino uerborũ dñi ſenſu, Hoc eſt corp. annotare libuit ex priſcis, ne qs nos nouæ expoſitionis autores putaret.

Ambroſius. *Auguſtinus.* *Ioan. 6.*

Euchariſtia quo modo ſignũ appelletur.

Iam ne quis in ſigni, ſymboli, memoraculi, figuræ, repræſentationis, ſignificationisue uoces impingat, quaſi de Sacramento corporis & ſanguinis domini nihil auguſtius ſentiamus quàm de ſignis communibus, nempe quod hæc loquutio, Hoc eſt corpus meum, nihilo auguſtior ſit quàm ſi quis de ſigno ſiue ſtatua Socratis aut Herculis dicat, Hæc eſt Socrates aut Hercules, & quod in hac cœna ſacra, nuda tantum ſigna, id eſt nihil niſi communem panem & uinum commune edamus & bibamus, palàm teſtamur nos de Sacris religioſe & ratione quadam ſacra loqui. Præcipuum in hac cœna eſt, quod peccata noſtra expiarit Chriſtus ſanguine fuſo, quod carne & ſanguine ſuo animas noſtras paſcit & reficit: breuiter, quod ſeſe totum nobis offerat fruendum: id quanquam ſolo dei ſpiritu à nobis percipiatur, attemperauit tamen ſe nobis ad noſtrum captum noſtramq; imbecillitatem diuina bonitas, qua factum eſt ut cum non ſolo ſpiritu, ſed carne & ſpiritu conſtemus, illa nobis inuiſibilia & cœleſtia dona per res uiſibiles obtulerit, adeoq; oculis ipſiſq; ſenſibus obiecerit. Proinde corpus quidem noſtrum edit panẽ uiſibilem, ſed ipſa mens noſtra, niſi abſit fides, uerum dñi corpus quod nobis à deo datum ac in mortem traditum credimus. Recte enim ueteres dixere Sacramentum eſſe inuiſibilis gratiæ uiſibile ſignum. Itaq; nos in Cœna myſtica non nudum duntaxat ſignũ agnoſcimus, ſed ipſum dñi corpus & ſanguinem myſticũ. Id quod & feliciſ memoriæ uiri eruditione & pietate clari, eccleſiæ Chriſti lumina fratres & præceptores noſtri fideliſſimi, HVLDRYCHVS ZVINGLIVS Tigurinę eccleſiæ, & IO. OECOLAMPA-

Defenditur Oecol. & Zuingl.

LAMPADIVS Basilienſis ecclesiæ episcopi, agnouere. Quia uero quorundã dira & procaci maledicentia de pietate & pijs omnibus optime meriti uiri hac de cauſſa apud multas ecclesias male audiunt, imò à quibuſdam proſcribuntur ut proculcatores Corporis & ſanguinis dominici, ut hoſtes & perſequutores ſacramentorũ dei, illud quod iam iam ipſos ſentire diximus de euchariſtia ſuis ipſorum uerbis comprobabimus. Ioannes Oecolampadius in Dialogo de eo quid de Euchariſtia ueteres tum Græci tum Latini ſenſerint, ædito, Multa (inquit) ſunt quæ etiam ipſi fatemur, nec eſt opus ut cõtra nos fruſtra pugnetur, quaſi ea negemus. Qædam etiam contra nos dicta putantur, quæ tamen pro nobis ſunt. Itaq; ſicubi panis ille dominicus & cœna ſancta atq; θεωτάτη ac φρικωδεστάτη & corpus domini dicitur non contẽdimus. Nam & nos ſic appellamus, non ſolũ quod à domino Ieſu Chriſto ſancte initiata & inſtituta, ſed etiam quod in eo ſanctificatoris ſpiritus ſancti mirificam operationem fidelium pectora experiuntur. Item non dicimus panem hunc nudum quidem ſignum in cœna, ſed efficax quodammodo, operante ſpiritu ſancto in fidelium cœtu, ut fiat nobilius quoddam ac ſanctius corpus, nobis Chriſto capiti in unum corpus coadunatis. Hoc cum dicimus minime Chriſtum abeſſe à cœna aſſerimus. Ad hęc non auferimus è cœna alimentum uitæ, carnem & ſanguinẽ Chriſti & Chriſtum ipſum. Nam niſi animæ noſtræ hoc pabulo fuerint paſtæ, nequaquam uitam habiturę ſunt. Præterea nunquam à nobis negatum eſt, quin cœna etiam fidei ſeruiat cum excitandæ tum augendæ. Vbi enim memoria mortis Chriſti tanta pietatis deuotione recolitur, ubi promiſſiones tantæ recitantur, utiq; ſuſcitabula aſſunt fidei, tametſi omnia operatio ſpiritus ſancti efficiat. Quamuis autem adijciamus dominum hæc & alibi abſq; ſymbolis operari, neceſſaria tamen ſacramenta ſunt ut teſſeræ fidelium ab infidelibus. Demum licet naturale corpus Chriſti in cœlo dicamus, non tamen diuinitatem quæ præſens adeſt, à corpore Chriſti auellimus. Hæc etiam in reſponſionibus quæ anno ab hinc quinto dedimus, legere licet, ſed ſemper nobis talia obiecta ſunt, quaſi nobis ſit panis communis & qualem piſtor coquit, uel ſignum nudum abſq; promiſſionibus, unde & careamus pabulo animarum, ſanctimonia Chriſtoq; ipſo. Quæ omnia uaniſſime obiecta eſſe ſcripta noſtra teſtificantur. Diſſidium magis eſt de modo præſentiæ & abſentiæ quàm de ipſa præſentia uel abſentia. Nemo enim tam obtuſus eſt qui aſſerat omnibus modis adeſſe uel abeſſe Chriſti corpus. Vrgent aliqui panem Dominicũ eſſe ipſiſſimum corpus Chriſti, ita ut quicunq; ſiue pij ſiue impij illo paſcantur, non ſolum panem & ſacramentum, ſed etiam corporaliter corpus Chriſti manducent, ac in os ſtomachi tranſmittant. Nos uero contradicimus, & elementum nequaquam in talem honorem euectum aſſerimus, ut omnium digniſſima creatura in unam naturalemq; illius ſubſtantiam ſe uniat, uel ita naturaliter in eo contineatur, ut per ipſum tanquam per medium canalem transfundatur gratia, quã ipſe ſpiritus ſanctus fidelibus concedit, & contactu uel guſtu eius etiam impij ipſum uerum corpus Chriſti contingant ac edant gratiæq; participes fiãt. Habes ut ſcindamur, &c. Huldrychus uero Zuinglius in Epiſtola ad Illuſtriſſimos Germaniæ principes Auguſtæ congregatos, Quis uero Sacramẽta, ait, non pro ſacris, lætis & uenerãdis rebus amplecteretur, cum nobis tam ſublimes res non iam ſignificent, uerumetiam ſuo quodã modo oculis ac ſenſibus ſubijciant? Cum enim uel infans, uel catechumenus docetur aut rogatur diuinarum rerum confeſſionem, an non iam uerbo diuina myſteria prædicantur ac repræſentãtur? Cum uero mergitur, an non iam mors Chriſti atq; adeo ſepultura ipſa ante oculos ponitur? cũ emergit, an non reſurrectio? Cum in cœna domini mors eius annunciatur non modo præeuntis ſermone, ſed fidelis animi læta gratulatione, an non diuina liberalitas exponitur, & cum gratiarumactione in memoriã reuocatur? Cum uero panis & uinum quæ ipſis domini uerbis conſecrata ſunt, ſimul fratribus diſtribuuntur, an non iam totus Chriſtus uelut ſenſibiliter (ut etiam ſi uerba requirantur plus dicam quàm uulgo ſolet) ſenſibus etiam offertur? Sed quomodo? An ne corpus ipſum naturale manibus & palato tractandũ? Minime, ſed animo offertur iſtud contemplandum, ſenſui uero ſenſibile eius rei ſacramentum. Liberius enim ac expeditius agit mens cum à ſenſibus q̃ minimum aliò uocatur.

Ioannes Oecolampadius.

Huldrychus Zuinglius.

Cum ergo & ſenſibus obiicitur quod ſimillimum eſt ei quod mens agit, iam non leuis eſt ſenſuum opitulatio. Hanc fidei opem alibi hiſce uerbis copioſius expoſuit, dicens: Sacramenta auxilium opemq; afferunt fidei. Et hoc præ omnibus facit euchariſtia. Scis enim fidem noſtram ſemper exerceri & tentari. Cribrat enim cum apoſtolis nos ſatanas ſicut triticum. At qua nos arte petit? Domeſtica proditione. Per corpus enim uelut per ueterem & ruinoſam muri partem admotis ad ſenſus noſtros cupiditatum ſcalis, obruere ſatagit. Cum ergo ſenſus aliò uocantur, quàm ut aurem illi præbeant, iam minus procedit eius conſilium: nunc autem in ſacramentis non modo negãtur ſenſus ſatanæ ſuadelis, ſed etiam fidei mancipantur, ut iam uelut ancillæ nihil aliud agant quàm quod agit iubetq; hera fides: adiuuant ergo fidem. Sed planius loquar. In Euchariſtia quatuor potiſſimum, imò uniuerſi ſenſus à carnis cupiditatibus uelut uindicantur & redimũtur, & in obſequium fidei trahuntur. Auditus cum iam non ſymphonias chordarum diuerſarumq; uocum harmoniam, ſed cœleſtem uocem audit, Sic deus dilexit mundum, &c. Adſumus ergo fratres, ut pro ea in nos liberalitate gratias agamus. Ipſius enim filij iuſſu merito illud facimus, qui iam iam moriturus hanc Gratiarumactionem inſtituit, ut perpetuum amoris erga nos ſui Mnemoſynum ac pignus relinqueret. Accepit autem panem gratias egit, fregit, deditq; diſcipulis, hæc ſacra ſimul effatus de ſacro pectore uerba, Hoc eſt corpus meum, &c. Cum iſta inquam auditus percipit an non totus conſternatur & admirabundus in hoc unum quod prædicatur intentus eſt? Cum deum audit, cum amorem illius, cum filiũ pro nobis neci traditum? At cum huc intentus eſt, an non idem facit quod fides? Fides enim eſt quæ deo per Chriſtum nititur. Auditus ergo cum ad idem ſpectat iam fidei ancillatur, iam fidem non moleſtat ſuis friuolis iſtis cogitationibus ac ſtudijs. Viſus cum panẽ uidet & calicem, quæ uice Chriſti ut illius bonitatem ingeniumq; ſignificent, an non & ille fidei obſequitur? Chriſtum enim uelut ante oculos conſpicit, quem mens eius inflammata pulchritudine deperit. Tactus panem in manus ſumit, qui iam non panis, ſed Chriſtus eſt ſignificatione. Guſtus olfactusq; & ipſi huc aduocantur, ut odorent quàm ſuauis ſit dominus, quamq; beatus ſit qui illo fidit. Vt enim illi cibo gaudent & expergefiunt, ſic mens hunc cœleſtis ſpei ſuauem nacta guſtum geſtit & exultat. Adiuuant ergo fidei contemplationẽ ſacramenta: concordãt cum mentis ſtudijs, quod aliâs citra ſacramentorũ uſum non tantopere tantoq; fit conſenſu.

Habent & aliam uirtutem ſacramenta. Teſtimonium enim rei geſtæ præbent. Vniuerſa enim, leges, mores, inſtituta, authores ſuos initiaq; prędicãt. Baptiſmus ergo cum Chriſti mortem & reſurrectionem ſignificando prædicat, eas uerè geſtas eſſe oportet. Aſcendit autem cuiuſq; ſigni pretium cum æſtimatione rei cuius eſt ſignũ, ut ſi res ſit magna, pretioſa, amplifica, iam ſignum eius rei eo maius reputetur. Cum ergo panis & uinum illius amicitiæ ſymbola ſint, qua deus humano generi per filium ſuum reconciliatus eſt, illa non æſtimamus pro materiæ pretio, ſed iuxta ſignificatæ rei magnitudinem: ut iam non ſit uulgaris panis ſed ſacer, nec panis tantum nomen habeat, ſed corporis Chriſti quoq;, imò ſit corpus Chriſti, ſed appellatione & ſignificatione, quod recenſiores uocant ſacramentaliter. Præterea analogia eſt ſymbolorum & rei ſignificatæ. Habet autem Euchariſtia analogiam duplicem. Vnam quæ ad Chriſtum pertinet. Vt enim panis humanam uitam ſuſtinet & fulcit, ut uinum hominem exhilarat: ſic deſtitutam omni ſpe mentem ſolus Chriſtus reſtituit, ſuſtinet & lætificat. Quis enim ultra deſperatione contabeſcat, qui dei filium uidet ſuum eſſe factum? cum animo tenet illum ueluti theſaurum qui eripi non poteſt, & quo apud patrẽ omnia impetrare poteſt? Alterã quæ ad nos pertinet. Vt enim panis ex granis multis fit, uinum uero ex multis acinis confluit: ſic eccleſiæ corpus ex infinitis membris in unum corpus, una in Chriſtum fiducia, quæ ex uno ſpiritu prouenit coagmentatur & erigitur, ut ſit uerum templũ & corpus inhabitantis ſpiritus ſancti, &c. Hæc omnia Zuinglij ſunt. Ex his uero magnorum uirorum teſtimonijs intelligis quod ſit huius cœleſtis conuiuij ingenium, quod inſtitutũ, quæ uis & natura: uides præterea q̃ ſancte & q̃ religioſe hi cum omnibus orthodoxæ fidei cultoribus ſentiant de hoc ſacro myſtico, ut iam nugones futilesq; blaterones ſint qui uiros iſtos

orthodoxe

Quomodo ſacramenta adiuuent & faciant fidem.

Teſtimonia rei geſtæ.

Analogia in ſacramentis.

orthodoxe de eucharistia sentientes, id uidelicet ipsum quod semper de ea sensit ecclesia Christi, nugantur hostes & Christi & sacramentorum esse.

Quod si qui adhuc aliam quàm sacramentalem ueram ac spiritualem corporis Christi præsentiam, aliam inquam uel naturalem, uel transsubstantialem, illorum more loquor, prædicant, ostendant nobis quod uerbum aliam induerit substantiam quàm hominis. Nos enim nitimur uerbis dominicis & apostolicis, Verbum caro factum est. Et, Nullibi angelos assumit, sed semen Abrahę assumit: ideo mysticā intelligimus esse hanc loquutionem Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Sed & Bertramus ille presbyter cuius mentionem fecimus et in cap. 10. Si ait, nulla sub figura mysterium illud peragitur, iam mysterium non rite uocatur. Quoniam mysterium dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo uelamine contectum. At ille panis qui per sacerdotis ministeriū Christi corpus efficitur aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius in mentibus fidelium clamat. Exterius quidem PANIS QVOD ANTE FVERAT forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur: ast interius longe aliud multoq; pretiosius multoq; excellentius intimatur, quia cœleste, quia diuinum, id est CHRISTI CORPVS ostenditur, quod non sensibus carnis sed animi fidelis contuitu uel aspicitur, uel accipitur, uel comeditur. Vinum quoque quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficietenus ostēdit, aliud interius continet. Quid enim aliud in superficie, quàm substantia uini conspicitur? Gusta, uinum sapit: odora, uinum redolet: inspice, uini color intuetur. At interius si consideres iam non liquor uini, sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus, & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum aspicitur, & probatur dum odoratur. Hæc ita esse dum nemo potest negare, claret quia panis ille uinumq; FIGVRATE Christi corpus & sanguis existit. Non enim secundum quod uidetur, uel carnis species illo pane cognoscitur, uel in illo uino cruoris unda monstratur, cum tamen post mysticam consecrationem nec panis iam dicitur, nec uinum, sed Christi corpus & sanguis. Nam si secundum quosdam figurate nihil hic accipiatur, sed totum in ueritate conspiciatur, nihil hic fides operatur, quoniam nihil spirituale geritur, sed quicquid illud est totum secundum corpus accipitur. Et cum fides secundum apostolum sit argumentum rerum non apparentium, id est non earum quæ uidentur, sed quæ non uidentur substantiarum, nihil hic secundum fidem accipiemus, quoniam quicquid existit secundum corporis sensus dijudicamus. Et nihil absurdius quàm panem carnem accipere, & uinum sanguinē dicere, &c. Item in eodem de Corpore & sanguine Christi libro idem, Diui Augustini referens uerba ait, Exterius igitur quod apparet non est ipsa res, sed imago rei, mente uero quod sentitur & intelligitur ueritas rei. Hinc Beatus Augustinus in euangelium Ioannis expositione dum de Corpore Christi loqueretur et sanguine, sic ait, Manducauit & Moses manna, manducauit et Aaron, manducauit & Phinees, manducauerunt ibi multi qui deo placuerunt & mortui non sunt. Quare? Quia uisibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus uisibilem cibum. SED ALIVD EST SACRAMENTVM, ALIVD VIS SACRAMENTI. Verum de his satis nunc disputatum est.

Transsubstantiatio figmentum est. Ioan. 1. Hebr. 2. *Bertrami sententia de præsentia Christi in cœna.*

Summa uerborum Pauli & totius disputationis hæc est, Dominus Iesus qui in hoc assumpserat hominem non ut haberet modo quod pro peccatis nostris offerret, sed ut sese nobis prorsus impenderet & nos sibi uniret, abiens & carnem in cœlos transferēs, uoluit prius totius negotij ac gratiæ suæ redemptionis & unionis sacrum quodpiā symbolum post se relinquere mortalibus quo nō animo tantum, sed sensibus etiam nostris ingereret redemptionē & unionem semel partam initamq;. Placuit autem ipsi, ut maximum hoc mysteriū sub speciebus panis et uini offerret fidelibus, ijs profecto de caussis, quas iam multis exposuimus & ante aliquot menses in 2. cap. Acto. attigimus. Equidem propter uim fide agentem, et propter similitudinē rerum ipsum panē corpus suum appellauit dicens, Hoc est corpus meū quod pro uobis frangitur. Panis proprie quidem

Summa cœnæ domini.

Quod pro uobis frangitur.

frangi dicitur, corpus humanum occidi, quanquã & Hebræis frangere fit atterere, uastare & occidere, ſicut & deſtruere. Dixit enim dominus, Deſtruite templum hoc, & in triduo reædificabo illud: id enim ualet loquutio perinde ac ſi dixiſſet, Occidetis hoc quidẽ corpus meum, ſed intra triduum excitabitur à mortuis: uerum propter rationem ſacramentalem & myſticam ſignificationem ipſe panis pro nobis frangi dicitur, quod panis uiſibilis qui in oculis noſtris manibuſq; noſtris frangitur, certo oculis obiiciat illud corpus quod ſemel à nobis uel propter nos confractum ſiue in mortem traditum eſt. Lucas enim iſta domini uerba ſic extulit, Hoc eſt corpus meum quod pro uobis datur. Pari ratione uinum appellauit ſanguinem. Iam quod Matthæus & Marcus extulere: Et accepto poculo gratijs actis dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus qui eſt noui teſtamenti, qui pro multitudine effunditur in remiſſionem peccatorum, id Lucas ac Paulus paulò diuerſius, ſed quod ipſam negotij ſummam attinet, pari ratione & ſententia æquipollenti recitarunt, Hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Cæterum nemo neſcit Nouum teſtamẽtum aliud non eſſe quàm peccatorum remiſſionem. Sic enim cenſuit Ieremias in 31. capite. At hæc ſanguine Chriſti parta eſt, ſicut demonſtrauit Paulus ad Hebræos 9. Quin & Ambroſius, Teſtamentum ait ſanguine conſtitutum eſt: quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt. Proinde Paulus quoq;, Hoc poculum ait nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, id eſt, remiſſio peccatorum quæ nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine eſt, id eſt, uirtute mortis meæ parta eſt. Sed quomodo poculum ipſum aut deniq; uinum nouum teſtamentũ eſt? Vtiq; ſicut & circumciſio teſtamentum eſt, Gene. 17. Quis uero hic non uidet iſta omnia non naturali more aut carnaliter eſſe exponenda, ſed ſpiritualiter ac ſacramentaliter, nempe quod hoc poculo Chriſtus ſuum nobis ſanguinem ſpiritu hauriendũ propinet, & remiſſionem peccatorum fide aſſequẽdam, offerat, cuius ſymbolum iam ore percipimus, imò & ſymboli rem peccatorum remiſſionem aſſequimur, ſi uere credimus & in fide uera de poculo domini participamus.

Hoc poculũ nouũ teſtamẽtum.

Ad uerba autem domini adpendit Paulus ſententiam de ſuo quæ explicet ſuperiora, & ut lucem inferat inſtitutioni Dominicæ, imò & abuſum apud Corinthios enatum ab eccleſia Chriſti eliminet. Non ait ad expletionem uentris inſtituta eſt cœna domini, ſed ad commemorationem mortis eius, corporis ſcilicet traditi & ſanguinis effuſi. Quotieſcunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciate donec uenerit. In his particula Enim certiſſima nota eſt quod hiſce uoluerit exponere præcedentia, nempe quomodo panis & uinum ſint corpus & ſanguis Chriſti, cur toties ingeminarit dominus, Hoc facite in mei memoriam. Expendenda autem nobis in hac ſententia uerba ſingula. Principio quidem dicit, Quotieſcunq; comederitis, nimirum hac uoce liberum eccleſijs relinquens quando aut quoties Sacra in cœtu celebrent euchariſtiæ. Extat de hac re pia ac utilis diſputatio Auguſtini ad Ianuarium, epiſtola 118. cuius uerba ſi quis requirat hæc fermè ſunt, Alij quotidie communicant corpori & ſanguini dominico, alij certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittit quo non offeratur: alibi ſabbato tantum & dominico: alibi tantum dominico: & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes: nec diſciplina ulla eſt in his melior graui prudẽtiq; Chriſtiano, quàm ut eo modo agat quo agere uiderit eccleſiam ad quamcũq; forte deuenerit. Senſi enim ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem & ſuperſtitioſam timiditatẽ, qui in rebus huiuſmodi, quæ neq; ſcripturæ ſanctæ authoritate, neq; uniuerſalis eccleſiæ traditione, neq; uitæ corrigendæ utilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantum quia ſubeſt qualiſcunq; ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe cõſueuit, aut quia ibi uidit ubi peregrinationẽ ſuam quo remotiorem à ſuis eò doctiorem factam putat, tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt nihil rectum exiſtimẽt. Dixerit aliquis, Non quotidie accipiendam euchariſtiam: alius contra. Rectius inter eos fortaſſe quiſquã dirimit litem, qui monet ut præcipue in Chriſti pace permaneant. Faciat autem unuſquiſq; quod ſecundum

Quotieſcũq; comederitis panẽ, &c.

Hæc mire quadrant noſtro ſæculo.

fidem

fidem ſuam pie credit eſſe faciendum: neuter enim exhonorat corpus & ſanguinem domini. Contemptum ſolum nõ uult cibus ille. Et ſi quæ ſunt alia huius ſancti uerba, nos enim ſummam duntaxat rerum perſequimur. Deinde panem nominans additis notis peculiarem, adeoq; ſacrum quendam panem notauit, dicens, Quotieſcunq; enim comederitis τὸν ἄρτον τοῦτον. Emphatica enim ſunt τὸν & τοῦτον. Poſtremo Annunciare mortem domini, dixit pro eo quod eſt recolere & laudare paſſionem domini, cuius repreſentatio eſt fractio panis. Sic eodem uerbo uſus eſt & Petrus 1. Petri 5. Merito autẽ obſeruamus laudes & Gratiarumactionem in cœna. Hæc enim non eſt minima huius ſacri portio. Nam ab hac toti Sacro nomen indiderunt Veteres Euchariſtiam appellantes. Significat autem εὐχαριστία gratiarumactio, ſiue ſermo (ut Ambroſius expoſuit) faciens ad laudem dei. Oportet autem in iuſta laude & gratiarumactione iuſtam eius quem laudare uolumus & ſanam beneficij pro quo gratias agere inſtituimus cognitionem præire. Niſi enim agnoſcas eum quem laudare uis, & beneficij magnitudinẽ intelligas pro quo agis gratias, friget ipſa laus & gratiarumactio. Fons igitur iuſtæ laudis & gratiarumactionis non erit alius quàm fides in Chriſtum, quæ eſt ex ſpiritu ſancto per euangelij prędicationem. Proinde qui domino dignas uolunt referre laudes & gratias, uideãt ut beneficium per ipſum præſtitum probe cognorint, ipſumq; manducatione ſpirituali in ſeſe traiecerint. Qui enim hoc ſpirituali, uiuifico intimoq; pabulo ineffabili cum ſuauitate refecti ſunt, ij inenarrabili uerbis lætitia propter inuentam ſalutem exultant, totiq; ac uiribus omnino omnibus ſuis in gratiarumactionem pro tam mirando Chriſti erga ſe beneficio effunduntur. Cæterum cum Gratiarumactio & laus dei uerum Chriſtianorum ſacrificium ſit, hoc ſacrum ueteribus Sacrificium dici cœpit. De qua re pluribus egimus in epiſtola ad Hebræos.

Annũciare mortem domini, eſt laudare & gratias agere dño.

Porrò adiecta ad calcem particula, Donec uenerit, innuit hoc ſacrũ fore perpetuum, nec ulla aut ſucceſſione, aut abrogatione ſicut uetera mutandũ abolendúmue. Præterea Sacrum hoc prorſus eſſe ſpirituale, non carnale. Spiritu enim & modo quodam Sacris accommodo uere adeſt dominus, qui interim corpore in cœlis reſidet, inde non niſi ad iudicij diem rediturus, teſtibus angelis, Actorum primo. Quemadmodũ enim corpus Solis in uno duntaxat loco cœli eſt, interim quod ad uim eius attinet uere utiq; & nobiſcum eſt & agit in nobis: ſic Chriſti corpus circumſcriptiue cœlos inhabitat, at gratia, uis & ſaluifica potentia nihil non penetrat, quin & uerbi & fidei ui in medio eſt cœnantiũ. Fortaſſis notauit hac particula, Donec uenerit, & illud quod dominus unica corporis ſui hoſtia perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Qui enim rediturus expectatur, abijt: at non abijſſet & carnem ſuam in cœlos abſtuliſſet, niſi prius perfecte abſoluiſſet opus redemptionis. Rurſus qui expectant uenientem in iudicium, ij curant ne quid in hac cœna admittãt quo tantum offendant iudicem retribuentem utiq; unicuiuis iuxta opera ſua. Sed de pœna quæ contemptores manet paulò poſt dicemus. Paraphraſtes hæc omnia pulchro quodam ordine ad ſcopum, & ad præcedentia per collationem quandam ſic retulit, Hic igitur de eodem poculo bibebant omnes: at inter uos diuites ebrij ſunt, pauperes ſitiunt. Chriſtus hoc conuiuium mortis ſuæ commemorationem & æterni fœderis ſymbolum eſſe uoluit, cum nunc per luxum ac diſſenſionem apud uos celebretur. Myſticus eſt panis cuius ex æquo participes eſſe debent omnes. Sacroſanctum eſt poculum ad omnes æque pertinens, haudquaquam paratum ad placandam corporis ſitim, ſed ad arcanæ rei repræſentationem, ne uobis ueniat in obliuionem quo pretio ſitis à priſtinę uitæ uitijs redempti. Proinde quoties ad edendũ hunc panem, aut bibendum ex hoc poculo conuenitis, non uentris negotium agitis, ſed mortem domini Ieſu myſtico ritu repræſentatis, cuius iugis memoria uos in officio contineat, donec ipſe rurſus aduenerit iudicaturus orbem. Hæc ille.

Donec uenerit.

Cohæſio.

Itaq; quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane edat, & de poculo bibat. Nã qui edit & bibit indi-

gne, iudicium ſibĩ ipſi edit & bibit, non dĩ iudicans corpus domini.

Pœna cõtẽptorum cœnæ.

De pœna ſiue iudicio contemptorum diſſerit, ſi uel pœnarum metu abſtrahere poſſet ab iniuria Chriſti & abuſu cœnæ myſticæ: indicat præterea quid agere obſeruareq; conueniat. Hoc autem eſt quod dicit, Cum ergo conſtet ex ijs quæ diximus cœnã hanc conuiuium eſſe non uentris gratia humano ritu, ſed animi cauſſa ut conuiuium cœleſte diuinitus inſtitutum, in qua ipſe dominus cum omnibus bonis ſuis ſeſe nobis fide edendum & bibendum offert ſignis ad hoc repræſentandum mirifice inſtitutis propoſitisq;, conſequitur quod qui huic cœnæ non ita ut decebat communicant, non in ſigna nuda in panem & uinum peccent, ſed in ipſum corpus & ſanguinem domini, & proinde condemnationem incurrãt. Qui enim inſtitutum & morem legislatoris alicuius uel negligit, uel negligẽtius ſuſcipit, is declarat quod ipſum Legislatorem prius contempſerit: redundat ergo ipſe contemptus in legislatorem magis quàm in ipſum ritum à legislatore inſtitutum. Qui munera oblata ſpernit, non propter ſeipſa ſpernit, ſed quia eum contemnit qui obtulit. Porrigit autem nobis Chriſtus myſtico quodam more panem, dicens, Accipite edite, Hoc meum eſt corpus quod pro uobis traditur, Hoc facite in mei commemorationem. Iam ſi in aliquo apud me pretio eſſet is qui offert ſeſe mihi, qui memoriam ſui cordi meo, adhibitis ſymbolis ſacris, impreſſam optabat, ſacroſanctũ quoque & charum animo meo eſſet quod porrigit, unde & ſumma cum fide & reuerentia, ſummo cum deſiderio & animi iubilo accederem, ſuſciperem, breuiter gratias agerem, & quicquid ille iuſſiſſet ea reuerentia illoq; modo quo iuſſiſſet facerem, id cum non facio apertum de me argumentum præbeo, quod ipſum Chriſtum contemno.

Reus corporis & ſanguinis.

Reus ergo fio corporis & ſanguinis eius: eius inquam quod ſemel cruci ſuffixum atq; effuſum eſt, nunc ad dexteram corporaliter ſedet, atq; in cœna uirtute præſens agit. Reus autem corporis & ſanguinis fit cui culpa imputatur mortis Chriſti, hoc eſt cui mors Chriſti non ad ſalutem, ſed ad iudicium cedit. Sic expoſuit & Theophylactus, dicens, Non ſecus qui id indigne ſumpſerit ſceleri erit obſtrictus, quàm ſi ſanguinem ipſum domini fuderit. Porrò culpa hic non eſt cibi, ſed eius qui peruerſo animo cibum hunc accipit. Vnde D. Auguſtinus Tractatu in Ioannem 62. diſputans de eo quod poſt porrectũ Iudæ à Chriſto panem protinus in illum intrauit ſatanas. Hinc nos docemur potius, ait, quàm ſit cauendum male accipere bonum. Multum quippe intereſt non quid modo accipiat, ſed quis accipiat, nec quale ſit quod datur, ſed qualis ſit ipſe cui datur. Nam & bona obſunt & mala proſunt ſicut fuerint quibus dantur. Hæc Auguſtinus. Porrò indigne manducant & bibunt, qui ſine fide & non ritu ordineq; iuſto atq; ſicuti decebat manducant & bibunt. Sunt autem ſine fide non modo illi qui quid uerum ſit nunquam didicerũt, ſed illi magis quibus lux ueritatis illuxit, interim ipſi tenebras malunt, contemptaq; dei lege, ſua potius ſequuntur figmenta. Quid ergo faciendũ nobis ut digne de hac cœna myſtica participemus? Sequitur,

Probet ſeipſum homo.

Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane edat, & de poculo bibat. His enim docet quid hic agere obſeruareq; conueniat. Docet autem id uno uerbo, Δοκιμαζέτω. Eſt autem δοκιμάζειν, authore Budæo, adoptari in quodcunq; collegium non temere quemlibet, ſed moribus & meritis probatum. Inde δοκιμασία genus cenſuræ huiuſmodi uidelicet exploratio & inquiſitio. Et δοκιμασίαν ἐπαγγέλλειν eſt cenſuram denunciare ut indignũ & probroſum eñciendumq; poſtulare. Proinde probant ſe qui fideli mente expendunt, quid dominus inſtituerit & qua mente inſtituerit, quantum ſit redemptionis pretium, quantum præſens myſterium, & in quod coëant cum omnibus fidelibus ſpirituale corpus, quàm ſancta cum uita tum fide opus ſit, ne ob perfidiam & ſcelerum licentiam uel corpus domini prodamus, uel ex eo abſcindamur. Magna profecto ſunt quæ dicuntur, ſed fidelibus ſatis nota familiariaq;. Sunt tamen qui hiſce Pauli uerbis abutentes miſeros mortales nimiũ territant adeoq; ab ipſa cœna prorſus abigunt, quorum imprudens peruerſaq; ſeueritas nemini cordato probari poteſt. Nam ut clementia & beneficentia dei hactenus commendanda eſt hominibus, ne illam in peccandi licentiam conuertant, ſic iuſtitia & ira dei eo modo inculcanda eſt, ne

quem

quem infirmum ad desperationem abripiat, πάντων μέτρον ἄριστον. Prędicanda ergo peccatorum remissio, erigendæ infirmorum mentes confirmandæ q̃ uacillantium: interim uero & timor, & reuerentia numinis omnibus inserenda est, ne quid temere, ne quid agant neglectim, ne quid instituant quod institutioni Christi uel aduersum sit, uel non omni parte respondeat. Posteaquam uero animus integer & uni deo in Christo addictus, atq; ad hunc modum fuerit institutus, tametsi morbo, infirmitate carnis nonnihil laboret, in fide tamen bonitatis diuinæ cum reuerẽtia accedere licet. Acerba enim illa in eos dicuntur, qui ut peregrinis sacris erant commaculati, ita luxu conspurcabãt cœnam Christi & dissidijs conturbabant totam Christi ecclesiam. Proinde incredulitas magis quàm infirmitas peccatorum exploditur. Quod si qui uel hodie illis similes sunt, pœniteant & conuertantur à studijs suis malis, ut cum gaudio cordisq; iubilo ad mensam domini accedant, salutem inde non condemnationem reportaturi. Sequitur enim, Nam qui edit & bibit indigne iudicium sibijpsi edit & bibit, non dijudicans corpus domini. Idem autem repetit quod iam dixerat, nisi quod hic quædam planius dicit. Quod enim prius extulit, Reus erit corporis & sanguinis domini, amplificatione quadã usus, id hic sic eloquitur, Iudicium sibijpsi edit & bibit. Id est, illud quod ad uitam & salutem institutum erat fidelibus, tibi quod ingratus & infidelis es cedit ad cõdemnationem. Iudicium pro pœna siue condemnatione hic ponitur. Et quod hactenus uocauit Indigne edere & bibere, id iam uocat Corpus domini non dijudicare. Opponitur id quoq; ei quod iam dixerat, Probet autem homo seipsum. Dijudicant enim corpus domini qui seipsos probant cuius sint fidei & corporis, qua fide & quo animo accedant ad corpus illud mysticum, & quomodo coëant cum Christo & ecclesia in unum corpus tãquam membra & participes Christi. Augustinus Tractatu in Ioannem 62. De his (inquit) sermo est Apostolo, qui domini corpus uelut alium cibũ quemlibet indiscrete negligẽterq; sumebant. Hic ergo si corripitur qui nõ dijudicat, hoc est, non discernit à cæteris cibis dominicum corpus, quomodo non damnaretur (de Iuda loquitur) qui ad eius mẽsam fingens amicum accedit inimicus? &c. Et D. Ambrosius in explanatione huius loci ad hũc modum scribit, Indignum dicit esse domino qui aliter mysterium celebrat q̃ ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse qui aliter præsumit q̃ datum est ab authore. Ideo præmonet ut secundum ordinem traditum deuota mens sit accedẽtis ad eucharistiam domini. Quoniam futurum est iudicium, ut quemadmodum accedit unusquisq; reddat causas in die domini Iesu Christi, ut quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis domini? Occisus enim est * pro his qui beneficium eius in irritum ducunt. Deuoto ergo animo & cum timore accedẽdum ad communionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei ad cuius corpus sumendũ acedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia dominus est, cuius in mysterio sanguinẽ potat qui testis est beneficij dei: quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine domini: gratias enim uidebimur reddere redemptori. Tantum Ambro. Expendite autem hoc obsecro qui hoc Sacro tam turpiter abutimini missando ad quęstum, ne irata dei manus uos aliquãdo inopinatos opprimat. Grauissime enim peccatis isto abusu, luxu & quæstu uestro. Dominus Iesus uel saniorem mentem, uel meliorem uitam uobis tribuat.

Non dijudicans corpus domini.

Indigne mandu care.

Aliàs ab his.

Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicassemus, haudquaquam iudicati fuissemus. At cum iudicamur à domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.

Ne Corinthij minas hasce surda aure transirent, credentes nulla grauiore pœna afficiendos esse à deo qui hac cœna abuterentur, nunc ueluti signa & certa quædam indicia iudicij iusti proponit, è quibus æstimarẽt non impune illusores istos perpetuò sacris his abusuros. Nam nũc quoq; inquit, ultrices manus uobis ingerit dñs. An nõ inter uos ualetudinarij multi? an nõ uarij subinde morbi hactenus incogniti corripuere cœtũ illum

Punit dominus neglectæ religionis.

ueſtrum? an non plurimi ante diem morte præmatura è uiuis excedunt? Dormire enim pro mori poſuit. Alij ad animum retulere ſtupore quodam & impœnitentia attonitum induratũq;. Vnde uero hi morbi ac iſtæ plagæ dei, niſi ex neglectu ſiue abuſu ſacrorum Chriſti proueniunt? Nam ſi noſipſos dijudicaſſemus, hoc eſt, ſi quiſq; eo ſe modo probaſſet quo iam nũc probare docui, ſiue, ſi ut Ambroſius exponit, noſipſi errores noſtros correxiſſemus, haudquaquã puniuiſſet dominus. Qui hodie omnibus conuicijs euangelicam ueritatem proſcindunt ſubinde in ore habent, nihil ex hac nupera fide oriri, niſi ſeditiones, morbos, bella ac peſtes. Verum cum iam ſatis conſtet & quod ex cõtemptu myſteriorum dei, corporis & ſanguinis myſtici abuſu, & quæſtu luxuq; morbi miſeros occupant mortales, & quod cœna dominica nemo fœdius abutitur quàm qui conſtantiſſimi Sacrorum propugnatores uideri uolunt, nos multo iuſtius omnia illa mala illorum ſuperſtitioni & prophanationi ſacrorum ferimus accepta. Iam ne Corinthij uarijs & morbis & malis diuexati animum deſponderent, conſolatoriam ſubiecit ſententiam hanc: At cum iudicamur, id eſt, punimur à domino corripimur, ne cum impio mũdo in ſecuritate infelici pereamus. Quem enim diligit filium caſtigat pater, non ut perimat, ſed ut plagis emendetur, hoc eſt, tormentis emendatus reſipiſcat. Hebræ. 12. Locus eſt hic dicendi de cruce ſanctorum & impiorum. De qua & Petrus in cap. 4. epiſtolæ prioris.

Itaq; fratres mei cum conuenitis ad comedendum alius alium expectate. Quod ſi quis eſurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis.

Cataſtrophe. Cataſtrophe eſt. Vult autem ut ordine quodam cum decoro & reuerentia, non cum confuſione & tumultu in cœna omnia fiant. Dixerat prius, Vnuſquiſq; propriam cœnam præoccupat. Hic dicit, Alius alium expectate. Dixerat item, Alius quidem eſurit, alius ebrius eſt. Hic dicit, Si quis eſurit domi edat. Hic in æde ſacra omnia ſunt myſtica. Non conuenitur uentris, ſed animi gratia. Proinde domi aliquid edito, ſi præ corporis imbecillitate ieiunus finem ſacrorũ expectare non potes. Qui autem cœleſtia negligunt, & terrena ſectantur, ad condemnationem conueniunt. Et hi ſunt qui indigne edunt & bibunt, qui corpus domini non dijudicãt. Euchariſtia fidei ac charitatis exercitium eſt, fidem ergo ac charitatem in hac peragenda duces ſequamur.

Cætera uero cum uenero diſponam.

Theophylactus hãc ſententiã ita expoſuit, Aut enim hoc loco de alijs nõnullis apud hos delinquentibus diſſerit, qui uiuendi modo indigeant, Aut eadem de re mentionem nunc facit. Perinde ac ſi dicat, Verifimile eſſe nonnullos ad hæc excuſatione uſuros, uelim tamen interea ſeruãda eſſe quæ retuli. Quod ſi quis aliud quidpiam habeat quod ſit dicendum, in meum differat ad uos aduentum, &c. Porrò Miſſæ papiſticæ defenſores putant Paulum hic de ordinatione Miſſæ eſſe loquutum, quam traditione non ſcripto commẽdarit Corinthijs: mox uero ſui penitus obliti ordinationem Miſſæ in Iacobum, deinde in Baſilium, rurſus in Gelaſium & Gregorium, imò in complures alios reijciunt authores. De quibus Polydorus Vrbinas de rerum Inuentoribus lib. 5. cap. 9. & 10. diſſeruit, & nos aliâs de his copioſius ſcripſimus. Hactenus uero de Euchariſtia.

DE DONIS SPIRITVS.

Qua autem occaſione ſcripſerit Apoſtolus de Donis ſpiritus, annotauimus in argumento epiſtolæ. Illud adiecit Theophylactus, cuius mihi in hunc locum ſententia præ cæteris probatur, fuiſſe quoſdã Corinthi uatidicos, & prophetas minus ueridicos, qui à ueris & diuinis haud facile à ſimplicioribus diſcernerent, hos in primis caſtigaſſe Apoſtolum, adeoq; & regulam quandam generalem præfixiſſe, qua poſſimus ſpiritus iudicare, & impoſtorum artes cauere.

CAP. XII. Porrò de ſpiritualibus, fratres, nolo uos ignorare. Scitis quod gentes fuiſtis, & ad ſimulachra muta utcunq; ducebamini ſequentes. Quapro

pter

pter notum uobis facio, quod nullus per ſpiritum dei loquens, dicit anathema leſum: & nemo poteſt dicere dominum leſum, niſi per ſpiritum ſanctum.

Exordiolum præmittit. Eſt autem tale, περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, id eſt de ijs quæ ſpiritus ſunt, aut de diuinis illis ueſtris illud reſpondeo. Porrò hic ab exẽplo rationeq; uitæ prioris auſpicans dicit, Olim dum adhuc eſſetis Gentes & ſimulachra coleretis, quid agere tis aut quid crederetis neſciẽ, furore quodã non ſpiritu ferebamini, & quocunq; illo impetu ducebamini, illuc ibatis. Hic uero adijciẽdum eſt, Poſteaquam uero Chriſtum eſtis amplexi, huius ſpiritum accepiſtis, per quem certo iam ducimini ad certa uera, ac omni parte ſibi conſtantia. Iam id demum quod uoluit infert: Ergo de ſpiritualibus, id eſt de diuinis illis ueſtris, imò de prophetis omnibus hanc uobis regulam habetote, quod qui leſum dicit anathema eſſe ex ſpiritu dei nõ loquitur, ſed ex uanitate Gentili. Rurſus qui leſum dicit eſſe dominum, ex ſpiritu dei loquitur. Hæc inquam uobis regula ſit diſcernendi ſpiritus ac diuinos. Cæterum leſum anathema eſſe dicit, qui uel doctrinam Chriſti ipſumq; Chriſtum dominum blaſphemat, uel non uni omnia tribuit. Dominum autem eſſe confitetur, qui ut deum & hominem credit, ita nihil ab eius doctrina diuerſum inducit. Hoc ipſum uero quod hic Paulus obſcurioribus, Ioãnes apoſtolus planioribus uerbis dixit, Chariſſimi, ne cuiuis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus an ex deo ſint. Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Per hoc autem cognoſcite ſpiritum dei. Omnis ſpiritus qui confitetur leſum Chriſtum in carne ueniſſe ex deo eſt: & omnis ſpiritus qui non confitetur leſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex deo non eſt: & hic eſt ſpiritus antichriſti. Hic uides idem pollere leſum dicere anathema, & leſum negare ueniſſe in carne. Proinde ueridicus ſpiritus & propheta uerus omnia ſua huc dirigit, ut unus Chriſtus oñia ſit apud omnes. Spiritus mẽdax gloriã Chriſti obſcurat, ſomnia humana ſequitur, & uanitate quadam Gentili ducitur. *Probatio ſpiritum.* *1. Ioan. 4.*

Diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt deus efficiens omnia in omnibus: unicuiq; uero datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit.

Hactenus de ſcopo ueri ſpiritus, & de diſcrimine ueri & falſi ſpiritus diſſeruit, iam de ipſis Donis ſpiritus dicet, ut eos reddat concordes qui donorum gratia inter ſe altercabantur. Principio autem ponit χαρίσματα dona gratuita, id eſt omne id quod deus nobis confert gratuito, maxime animi bona. Videtur tamen donum ueluti genus quodpiam eſſe ad ſubiectas ſpecies. Deinde ponit διακονίας, hoc eſt miniſteria & functiones ſiue officia. Poſtremo loco ἐνεργήματα, id eſt exequutiones ſiue operationes, uim ſpiritus intelligẽs quæ agit & uiget in hominibus. Cæterum mira eſt in hiſce omnibus uis. Qui enim Donis abutebãtur ad faſtum, audiunt hic, dona ſunt, miniſteria ſunt, quorum nomine adeo uobiſipſis placetis. Qui uero uel omnes uolebant eſſe æquales, uel dolebant ſe minus accepiſſe, audiũt, & ſi unus ſit ſpiritus, diuerſa tamen ſunt miniſteria, ſed & operationes dona ſunt, & à deo diuiduntur ſicuti ipſi uiſum eſt. Porrò utriq; audiunt, Vnus eſt ſpiritus, unus dominus, unus deus, qui uidelicet omnibus hiſce donis ſuis mortaliũ generi collatis ita ad unitatem corporis eccleſiaſtici omnes pertrahere contendit, ut ipſe unus eſt. Breuiter, Vnicuiq; datur ἡ φανέρωσις manifeſtatio ſpiritus, ad id quod expedit. Vni igitur authori deo debentur omnia dona, qui in hoc contulit, ut profis, non ut te efferas. Rurſus, Si dona à deo conferuntur ad utilitatem, & tibi nulla aut mediocria duntaxat collata ſunt, certe dominus præſciuit eximia dona tibi neutiquam fore utilia: proinde non eſt quod doleas te parum accepiſſe, aut quod alijs hanc felicitatem inuideas, qui hac nimirum melius uti norunt q̃ tu. Eccleſiaſtici ſcriptores collegerunt ex hoc loco ſanctæ trinitatis myſterium. Ambroſius enim, Si ſpiritus ſanctus idem dominus eſt, ait, & dominus idem deus eſt, tres unus deus eſt. Cum enim ſpiritus ſancti gloria & poteſtas, *Diuerſæ functiones, ſed ad unitatem omnes inſtitutæ.* *Trinitas.*

& natura dei est, & dominus Iesus idem est in natura quod deus est, unus utiq; spiritus sanctus, & dominus Iesus & pater deus est: & singuli enim deus unus, & tres deus unus: deniq; operante uno, tres operari dicuntur, ut trinitatis mysterium in unius dei natura & potestate claudatur, cum sit immensum.

Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uero sermo scientiæ secundū eundem spiritum, alij uero fides per eundem spiritum, alij uero dona sanationū per eundem spiritum: alij uero efficaciæ potentiarū, alij uero prophetia, alij uero discretiones spirituum, alij uero genera linguarū, alij uero interpretatio linguarum: sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, diuidēs peculiariter unicuiq; sicut uult.

Catalogus potißimorum donorum spiritus.

Nunc ipsa dona & ministeria ecclesiæ catalogo quodam enumerat. Primo loco ponit Sapientiam & Scientiam. Prior est σοφία, posterior γνῶσις scientia siue cognitio, siue intelligentia. At Ammonius, Σοφὸς μὲν σωτὸς διαφέρει, καθὸ ὁ σοφὸς μὲν σωτὸς, ὁ δὲ σωτὸς οὐ πάντως σοφὸς. Et Cicero de Officijs 1. lib. Omnium, ait, uirtutū princeps illa sapientia est quā σοφίαν Græci uocant. Et hæc cognitioni anteponēda est. Etenim cognitio contēplatioq; naturæ manca quodammodo & inchoata sit, si nulla actio rerū consequatur. Inuenias ergo homines scientia instructos, sed non sapientia. Inuenias & doctos multos, sed non prudentes, quemadmodū & prudentes multos qui non sunt docti. λόγῳ ex more Hebræo adiungitur. Theophylactus existimat sapiētiæ coniunctam esse scientiā, hancq; eidem tributam spiritui, ut illi qui minus accepissent (scientia enim minor est sapientia) consolationē haberent. Sequitur πίστις fides quæ ueritas, fidelitas & constantia est, Trüw vnd redlichy. Alij exponūt pro fide signorū. Tertio loco ponit Dona sanationū, id est uim medēdi morbis, maxime quæ fit signis, & occulta ui spiritus. Est & Medice naturalis donum sancti spiritus. Sequuntur χαρίσματα δυνάμεων, id est, potentes exequutiones, uidelicet ubi functiones nobis iniūctas gnauiter exequimur. Sunt enim qui sapienter quidem consulant & præcipiant, sed segnius exequant quod consuluere. Historicus, Priusquam, ait, incipias, consulto, at ubi consulueris, mature facto opus est. Alij exposuere potestatem eam quam quidā habent in ejiciendis dæmonijs aut signis faciendis. Succedit Prophetia, quæ qualis sit uidebimus in cap. 14. Vis sanè est scripturas & exponendi & intelligendi, non tantū futura prędicendi. Discretio aūt spirituum in primis necessaria est. Sunt quos quæstus & uenter ad prophetandum impellit, sunt qui ducuntur odio, sunt quos gloria uexat inanis, sunt q inter hypocrisim & sanctimoniā, inter ueritatē & mendacium, inter loquentiam & eloquentiā discernere non possunt ob simplicitatē, & his facile imponitur à uersutis istis ueteratoribus. Sunt alij qui prima statim fronte imposturam ac impostores olfaciūt. His addūtur linguarū genera, Hebraica scilicet, Græca, Latina, &c. Quod enim indocti quidā linguas execrantur, & linguarum studia inutilia, imò & hæretica esse clamitant, in spiritum dei sanctū peccant, à quo proficiscūtur linguarum genera. Sed de illis iam non est dicendi locus, maxime cum à doctissimis sæpius ipsis responsum sit. Præsens certe locus, ipsa quoq; non modo Sanctorū patrum studia, sed & Decreta Pontificū nobis linguarum studia approbant atq; cōmendant. Sunt tamen qui & si linguarū genera assequuti sint, ita ut ea quæ uel Græce, uel Hebraice, uel Latine scripta sunt & expedite legere & authoris mentē intelligere queunt, alijs tamen id quod ipsi intelligunt exponere nequeunt. Proinde post linguas mox eloquentia & dicendi artificium inter dona sancti spiritus numerantur, sine quibus linguæ inutiles sunt. Sunt alij qui authorem ea lingua qua scriptus est, hoc est ipsa authoris uerba intelligunt, sed sensum reddere, eruere ac depromere non possunt. Igitur Paulus adiecit, Alij uero interpretatio linguarum contigit. Turpiter itaq; cæcutiunt hodie qui linguas tantum discunt, artes & dicendi facultatem negligunt. Neq; enim linguæ propter se tantum discuntur, ut is se in arcem ueræ eruditionis transcendisse credat, qui authorem quempiam ea lingua qua scriptus est expedite legere potest: sed qui ipsam rem quæ linguis cōtinetur assequutus est,

De linguis.

tus est, qui sibi ex ijs iudicium parauit, qui istis rectè uti nouit, quiq; ex illis de re qualibet ad utilitatem auditorum differere & agere potest. Nam in hoc discuntur linguæ, ut ad ea penetremus quæ linguis istis, uel comprehensa, uel tradita sunt. Alius ergo est eruditorum scopus quàm linguę. Proinde meminerimus ita discendas esse linguas, ut illud non negligamus quod præclarius et magis necessarium est, imò propter quod illas discimus. Quæ enim reipublicæ & ecclesiæ Christi destinata iuuentus est, per omnem uero uitam linguis duntaxat discendis operam impendit, ipsum uero linguarum finem, usum, fructumq; negligit, perinde mihi operam et impensam perdere uidetur, atq; solent qui in Gallias linguæ Gallicæ per discendæ gratia proficiscũtur quo expeditius aliquando negotientur in Gallijs, hic tamen linguæ discendæ perpetuo incumbunt, negotiationem nunquam incipiunt. Quorsum uero iste donorum Catalogus pertinet? Sequitur, Sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, diuidẽs peculiariter unicuiq; ficuti uult. Hoc est, Nihil est in his omnibus quod hic sibi quisquã uel placeat, cum sint aliena quæ habet, uel displiceat, quando distributio pendet ab arbitrio spiritus sancti, qui dotes has omnes, quamuis uarias, & alias in alijs, unus & idem author partitur cuiq; quemadmodum ipsi uisum fuerit: sed sic ut ob mutuam inter uos charitatem singulorum dotes sint omnium communes, & ad harmoniam ac decorum faciat uarietas, non ad dissidium. Itaq; hisce alijs quidem inuidentiã exemit, alijs uero animi fastum ex donis conceptum excussit. Theophylactus enim dicit, Apostolus cohorcet & frenat illos. Nam ne quis obmurmuraret partitioni spiritus, dicit, Quemadmodũ uult ipse facit. Tu uero quis es cui spiritus non placeant facta?

Quemadmodum enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia uero membra corporis unius multa cum sunt, unum sunt corpus: sic & Christus.

Similitudine accomoda & eleganti petita à corpore humano de donorum diuersitate differens hortatur ad concordiam, docens excellentioribus donis præditos ne sibi plus æquo placeant & alios minora consequutos contemnant, hos uero ne donorum exilitate sibi nimium displiceant, alijs maiora inuideant, & ideo omnes pares esse autument quod ipsi maiora non sint consequuti. Cæterum copiosissime singula explanat. Præsentibus autem totius negotij summã præstructione quadam oculis exponit. Consequentibus uero singula & confirmat arctius & explicat diligentius, nisi quod per totam tractationem posteriorem similitudinis partem delibat partius, sed ea facile sarcirî potest ex priore, quam hoc tractauit copiosius. Sunt enim in similibus, siue parabolis duo spectanda, illud uidelicet quod confertur, & id cui confertur. Ecclesia corpus Christi mysticum hoc loco est quod confertur, corpus humanum illud est cui confertur. Dicit igitur, Quemadmodum corpus humanum unum est, interim uero membra habet uaria & multa, quæ tamen uarietate sua nõ constituunt uaria corpora, sed omnia simul unum corpus sunt. Sic etiam Christus. Vide quàm accisum ac breue fit posterius huius parabolæ membrum: uerum nullo negotio ad prius illud restitui potest, ad hunc modum, Sic etiam ecclesia, quæ corpus Christi est, una est, tametsi uaria sint in hac tum dona, tum ministeria, quæ non ad schismata excitanda, sed ad salutem corporis sunt diuinitus instituta atq; collata. Ad eundẽ modum exposuit & Theophylactus, cuius uerba hæc sunt: Huiusmodi corpus asserit Christum esse id est Christi ecclesiam, qui cum ecclesiæ caput sit AB EO EST ECCLESIAE INDITVM NOMEN. Nam quemadmodum corpore & capite homo unus efficitur, sic ecclesiam ipsam & Christum tanquam pro corpore uno & capite ducens apostolus pro ecclesia Christum constituit. Dicit ergo idipsum nos omnes in ecclesia esse, tametsi illa constet uarijs ordinibus.

Ecclesia in Paulo Christus dicitur, iuxta illud, Saule quid me persequeris?

Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes in unum spiritum potati sumus.

Per regressionem nũc singula membra resumit, expolit & diducit. Duo enim proposuerat, quod unũ simus corpus, & quod multa sint in corpore membra. Hic ergo probat quod simus unum corpus, & ostendit per quas res coagmẽtemur in unum corpus, per spiritum scilicet dei & sacrosanctum baptisma. Sacramẽtis enim recipimur, id quod supra ostendimus, in ecclesiam Christi, spiritu autem sancto confirmamur quod simus filij dei, spiritus gratia & uirtute irrigamur, ut in ecclesia Christi floreamus. Cum ergo unum dũtaxat baptisma sit, quod ex æquo datur omnibus, cum unus atq; idem spiritus sit, qui unus confertur omnibus in hoc corpore membris, consequẽs est quod unũ dun taxat corpus mysticum sint quotquot baptismo in ecclesiam susceptí sunt, & spiritu sancto irrigantur. Nulla est hic differentia inter seruum & dominum, possessorem & colonum, Iudæum & Gentilem, pauperem ac diuitem, sed omnes unum in Christo sumus, quod scilicet religionem attinet. Qui unitatem hanc scindit, schismata excitat, & corpus hoc conturbat, in ipsum dominum, spiritum sanctum & sacrum baptisma peccat. Vehementer illa nos rapiunt ad concordiæ studium in ecclesia, ut qui uno spiritu uiuimus, eadem mensa participamus, eodem baptismo in unum corpus colligimur, unum deũ|doramus, unum patrem adoramus, communi redemptori gratias agimus, per unã uiam & hostiam unicam ad cœlos properamus, in hisce terris mutua charitate mutuoq; animorum consensu connexi, in pace omnia in ecclesia Christi trãsigamus. Illud quoq; uidetur obiter annotandum esse plurimum hæc facere aduersus Catabaptistarum uæsaniam. Si enim baptismo recipiuntur in ecclesiam qui sunt de ecclesia (Loquimur autem de receptione exteriori & quantum nos homines iudicare possumus) Pueri uero de ecclesia sunt, quis tam uæsanus ut illos communi solennicq; more baptismi seu inscriptione susciendos esse eat inficias? Præterea si ab inuisibili sanctificatione excluſi non sunt pueri, quis tam demens qui non concedat & uisibilem sanctificationem?

Vnum corpus multi sumus.

Catabaptistæ.

Etenim corpus non est unum membrũ, sed multa. Si dicat pes, Non sum manus, non sum de corpore, num iccirco non est de corpore? Et si dicat auris, Non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore?

Resumit membrum alterum, quod multa sint in corpore membra, intelligit autem multa ac uaria dona ministeriaq; quæ sint in hoc corpore citra unitatis interruptionẽ. Differit autem de singulis, fingens ipsa inter se membra altercari, ut hac parabola lites inter Corinthios de donorum diuersitate obortas sedaret componeretq;. Tu igitur pro membris repone homines in ecclesia cõstitutos, quorum alij infimæ, alij mediocris, alij uero excellentissimæ & felicissimæ sortis sunt. Proinde pedis loco repone hominem sortis infimæ, manus autem loco hominem sortis paulò felicioris. Rursus oculorum loco recense hominem omnibus dotibus absolutissimum. Est enim oculus nobilissima corporis humani portio. At aurium loco homines substitue satis liberaliter dotatos. Committit enim inter se paria duo, primum eorum qui infelicissimæ sortis sunt, secundũ eorum qui liberaliter satis spiritu donati sunt, sed optima interim ambiunt. Cæterũ nondum absoluta est sententia. Sic itaq; absolue, Si pes, id est, infimæ sortis homo deijciens sese dicat, Non sum manus, id est, ijs dotibus functionibus uue præditus, quibus uideo clarere feliciorem illum, ergo non sum de corpore Christi. Item si dicat auris non contenta munere suo, Non sum oculus, id est tanta dona non sum consequutus quanta uideo illustrissimum quenq; in ecclesia consequutũ, ergo alienus sum à corpore. Hic uero Paulus subijcit, Num ideo non est de corpore? Quasi dicat, Minime uero consequitur quod propterea excludaris ecclesia. Obmurmurare itaq; desine. Es enim ecclesiæ Christi membrum & utile quidem, tametsi inferiorem sortitus sis locum. Neq; enim locus ipse uel situs esse uel non esse corporis partem efficit. Tunc autem membrum esse desinis cum ab ipso corpore auelleris, unitatem ecclesiæ, uel tua sorte non contentus, & ideo obmurmurans, uel alijs meliora excellentioraq; dona inuidens, scinderis. Vnitatem ergo serua, nemini inuideas, tua sorte contentus sis, & membri nomen seruabis.

Varia dona & ministeria.

Si to-

Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi olfactus? nunc autem deus posuit membra unumquodq; singulatim in corpore, quemadmodum uoluit. Quod si essent omnia unum membrū, ubi corpus? nunc autem multa quidem membra, unum uero corpus.

Ostendit donorum diuersitatem ad incolumitatem totius corporis pertinere. Si omnes ait unius essent officij & corporis, si omnes paria essent consequuti aut æquali dignitate & sorte prædíti, iam tota corporis ratio confunderetur. Præclara corporis pars est oculus, sed si totum corpus duntaxat sit oculus, quale erit corpus, aut cui utile, an uero corporis nomen merebitur? Placuit itaq; sapienti deo ipsum corpus ex uarijs compingere membris, ac cuilibet membro suum tribuere munus & locū, non ex sententia membrorū, sed ex ipsius arbitratu pro totius corporis utilitate necessitateq;, ut iam ex diuersis & multis membris non plura, sed unum corpus fiat, quod membrorum mutuis uicibus & officijs pulchro quodā minimeq; liuido ordine gubernetur. Eximia dos est prophetiæ, at si hanc ambiamus omnes, interibunt cæteræ functiones, & ipsæ necessariæ & eximiæ. Quisq; igitur sua uocatione contentus, in hac se, quam nouit & ad quam uocatus est, exerceat arte. Alius pedis, alius manus, alius oculorum uel aurium uice defungitur in hoc corpore. Nemo dicat, Nolo amplius laborare, nisi iste eadem se arte exerceat. Non enim pares sunt oculorum & manuum functiones. Nam si quis ab oculo aut aure id operis exigat quod præstat uel pes, uel manus, quid aliud quàm sciens & uolens insanire dicetur? Et tamen mirum est quàm sibi placeant hodie nonnulli qui ministris uerbi stiuam aut ligonem obijcere audent, quid scilicet ad codices totos desideant dies? cuiusuis esse folia uertere, quid calamum leuem subinde ducant, cur stiuam non prehendant aut ligone uires lacertorum explorent? nullius quippe negotij esse pro publica concione declamare. Inuidia scilicet ringuntur tales, cupientes omnes in arua protrahere ligonibusq; dedicare, quod ipsi excellentiora dona non sint assequuti. Nec alio fonte dimanauit Catabaptistarum hæresis. Sed experiemur (uereor) propediem quid nobis paritura sit ista tam propudiosa ingratitudo & omnium rerum confusio. Quibus interim cordi est ueritas, Paulinum sequentur consilium.

Diuersa officia necessaria.

At non potest oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Non est mihi opus uobis: imò multo potius quæ uidētur membra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt, & quæ putamus minus honesta esse corporis, his honorem uberiorem apponimus, & indecora nostri copiosiorem decorem habent: cæterum quæ decora sunt nostri non indigent, sed deus simul temperauit corpus ei cui deerat copiosiorem addens honorem, ne sit dissidium in corpore, sed inuicem alia pro alijs eandem solicitudinem gerant membra.

Castigatis ijs qui minoribus donis prædíti obmurmurabant, & omnia paria esse debere ex inuidia quadam clamitabant, conuertit sermonem ad eos qui donis excellentioribus instructi, ijs abutebantur ad fastum & tyrannidem, aspernantes inferiores. Cæterum quod hi obijciūt clarius est, quàm quod multa expositione egeat. Excellentiori uel dono, uel ministerio prædítus non potest inferiori dicere, Non est mihi opus tuo præsidio. Mutilata enim corporis parte, claudicat aut dehonestatur totū corpus. Oculus corpus dirigit, manus laborat & alit, pedes totum gerunt: alterum alterius ministerio conseruatur: nullum ergo ex omnibus aspernandum est. Imò qui contempti ac ignobiles in ecclesia esse uidentur, ij frequēter omniū sunt nobilissimi, apud deum maxime. Quod enim semel in corporis humani constitutione deus fecit, quod uulgi consuetudine obseruari uidemus indies, id deus in hoc corpore mystico obseruat adhuc. Videmus autē indecoras corporis nostri partes, hoc est quæ iuxta uulgi æstimationem minus habētur honesta, plus cæteris & ornatas & uelatas esse. Quæ enim per se aut suapte natura ornata

Contra eos qui donis ad fastum abutuntur.

sunt,ascititijs ornamentis non indigent.Sic etiam deus curat ne fratres, qui uel egestate uel alia miseria turpiores habentur, non sine gratia, sed plerunq; omnium nobilissimi sanctissimiq; sint in ecclesia. Breuiter. Deus ita temperauit hoc corpus mortale, ut nuspiam inueniatur in eo quod ullam dissidiorum ansam suppeditet.Sic igitur uult, ut nihil sit in corpore mystico quod excitet turbas, imò uarietatem hãc diuersitatemq; illam donorum & ministeriorum,ideo induxit corpori, ut istis ceu neruis, imò glutino quodam compingerentur omnia in unum sibi arctissime cohærens corpus, in quo alia pro alijs gerant solicitudinẽ,tantum abest ut sese uel despiciant,uel mutua inuidia cõficiant.

Et siue patitur unum membrum,compatiuntur omnia membra,siue glorificatur unum membrum,simul gaudent omnia membra.

Faciunt hæc ad expositionem superiorum, & ad euidentiam rei præsentis. Membra omnia communi quodam dolore & gaudio afficiuntur. Proinde cum nos simus unius corporis membra,æquum est ut omnes simus eadem mente & eadem sententia. T. Liuius 2.lib. dec. 1. author est Menenium quendam Agrippam pari corporis & membrorum parabola grauissimos motus inter Senatum & Plebem Romæ ortos composuisse. Copiosissime eadem exponitur à Dionysio Halicarnaseo lib.antiquitatum 6.

Vos autẽ estis corpus Christi & membra ex parte. Et alios quidem posuit deus in ecclesia,primum apostolos,deinde prophetas, tertio doctores,deinde potestates,deinde dona sanationum,subsidia, gubernationes,genera linguarum.Num omnes apostoli? num omnes prophetæ? num omnes doctores? num omnes potestates? num omnes dona habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?

Expositio. Hactenus alteram tantum parabolæ partem posuit, adijcit nunc aliam, sed breuibus uerbis constrictam, ut appareat Apostolum notas duntaxat quasdam ceu claues adijcere uoluisse quibus in sensum parabolæ siue allegoriæ penetraremus.Per corpus,inquit, intelligite ecclesiam.Per membra uero uaria dona & ministeria in ecclesia.Iam ut omnia in corpore membra non eundem actum habent, sic homines in ecclesia quod functiones attinet pares esse non possunt. Nam in ecclesia sunt apostoli,prophetæ, potestates, &c.Sed non omnes potestate præditi & prophetico munere donati sunt. Qui ergo seruiunt in aliquo ministerio, nolo contemnant homines in ecclesia priuatos & nulla functione utentes.Priuati uero ne inuideant suam felicitatem,dignitatem,adeoq; functionem in ministerio constitutis.Hæc de sententia. Porrò μέλη ἐκ μέρους membra ex parte, schematismo quodã dixit pro eo quod nos dicimus, Particulatim uero aut singulatim uos membra estis.Partes uero istas enumerat. In ea enumeratione primas obtinent apo

Apostoli. stoli.Hi legati Christi sunt,qui nulli certo adfixi loco eò quò impulerit spiritus ferũtur,

Prophetæ. atq; euangelium Christi nunciant.De his Matthæi 10. & Lucæ 6. De prophetis autem qui secundum locum occupant in hoc catalogo, dicemus in capite 14.Tertio loco ponit

Doctores. Doctores.Illos uero dicit Doctores,qui in ecclesia (ut ait Ambrosius) literis & lectionibus retinendis incumbebant more synagogæ. Quia traditio illorum ad nos transitum fecit.Hi & Prophetæ siue Lectores,siue Interpretes sacri dicuntur.Possunt & puerorum magistri ac præceptores intelligi.Nam prophetæ quos secundo loco recensuit, Episcopi esse uidentur plebem docentes,hortantes consolantesq;. De quibus plura in epistola

Potestates. ad Timotheum & Titũ. Sequuntur Potestates δυνάμεις,id quod pleriq; exponunt uim coërcendi dæmonas.Poterat uideri δύναμις & pro ἐξουσία positũ, ut intelligamus eos qui constituti sunt in imperio,adeoq; ipsum magistratum,quem in ecclesia,imò & eccle

Sanatio. siæ necessarium esse 5. capite ex authoritate Isaiæ comprobauimus. Succedunt Dona sanationum. Diximus autem ante aliquot sententias & Medicen esse donum dei. Paulus ea dona sanationum intellexit quæ fuere in prima illa ecclesia frequẽtia. De quibus Ambrosius interrogans,quare nunc quoq; non ita fiat, ut olim factum esse constat? respon

det,

det, Inter initia fieri oportuit, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem, nunc autem opus non est: quia populus populum ducit ad fidem cum uidentur eorum bona opera & prædicatio simplex. Subsidia uero dixit, & Diaconos pauperum scilicet œconomos intellexit, aut omnes eos qui in negotijs ecclesiasticis opitulantur. At Gubernatores uocauit Ambrosius qui spiritualibus retinaculis documento sunt hominibus, quales sunt seniores, presbyteri, & disciplinæ Christianæ præfecti, morum censores. Paraphrastes Subsidia & Gubernatores qui sint sic exposuit, Secundum hos posuit alios, qui possint authoritate consilioq; subuenire afflictis, qui prudentia præpolleant ad multitudinem in officio retinendam. Postremo loco ponuntur, qui possunt linguarum peritia usui esse cæteris. Nam & interpretationem intellexit, quam & in consequentibus linguis iunxit. Vbi uero hic ulla mentio Sacrificorum siue sacerdotum missaticorum? Nulla prorsus. Nihil ergo ecclesiæ Christi cum missaticis sacerdotibus negotij. Ecclesia Christi unum & solum reueretur sacerdotem ordinatum in æternum secundum ordinem Melchizedeck, qui uero indies offerunt contra noui testamẽti institutũ ceu malum aliquod execratur, utpote quorum institutione factum, ut abrogatis istis saluberrimis functionibus quas recensuit Paulus, ipsi in mendatio soli regnent. Verum de his plura in epistola Pauli ad Hebræos. Hæc de Donis hactenus. Quibus etiam hodie nonnulli turpiter abutimur. Inuenias enim qui unum atq; alterum uerbum Hebraicum stridere aut Græcas aliquot uoces pronuntiare didicit, hic nemo facile dixerit quanto supercilio despiciat fratres etiam pie doctos & docte pios. Est alius qui syllogismis aut figuris oratorijs sic operam nauauit, ut nonnihil in hac facultate præstare possit: sed quanto cum fastu de his differit, imò crepitat etiam? Alij omnem uitam impenderunt eloquentiæ studio, sed quàm morosi sunt? quàm facile omnia quæ alij fideliter ac modeste proferunt, contemnunt? Pernicioſa profecto hæc sunt, ò fratres, et quæ ecclesiam Christi uehementer concutiunt. Expendamus oro diligentius quæ hic à Paulo nobis præscribuntur, expendamus inquam, ne arrogantia κοὴ ἀλαυτία elati cæcatiq; fastidiamus fratres nostros membra Christi donis illis nostris nobis cœlitus collatis abutentes. Si linguarum periti, si eloquentes, si lectionis uariæ, tenacis quoq; memoriæ, & iudicio politiore paulò sumus, si item obtigit nobis interpretandi dicendiq; uis, agè utamur donis dei ad gloriam dei & proximi utilitatem. Nam qui gloriam propriam quærunt, & donis ad quæstum & fastum abutuntur à scopo ueri aberrarunt penitus, nec assequentur quod ambiunt, sed in medio cursu concident turpiter. Fides & charitas summa & scopus est rerum omnium.

Subsidia.

Gubernatores.

Linguæ.

In nostri sæculi Doctos.

Sectemini uero dona potiora, & adhuc excellentẽ uiã uobis ostẽdo.

Simul disputationis habitæ scopum repetit, & trãsitum ad caput sequens facit, ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, κοὴ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι, id est, Aemulamini uero dona potiora, id est ad id omni studio nitimini quod in donis potissimũ est, quodq; magis conducit ad utilitatem publicam. Apparet enim uerbis subesse numeri heterosis. Cum uero dicit, Aemulamini, occulta quadam antithesi ferit carnalem liuidumq; illorum zelum quo & ad maiora quidam aspirabant & potiora aliis inuidebãt. Colligit ergo nunc & ait, Si omnino æmulari libet, omni studio in id incumbite, ut illud quod in donis præcipuum est assequamini. Quid porrò illud? Sequitur, Et adhuc, siue, Et deinceps, id est consequentibus illud præcipuum, excellentem inquam uiam, instituтum scilicet & negotium illud primarium ostendo, charitatem. De hac enim differet in cap. 13. & ad hanc transitum fecit hac sententia. Breuiter Charitas omnium donorum & functionum regula & amussis est, ut sine hac frigeãt omnia dona. Proinde hanc ait Paulus æmulamini.

LAVS ET PRAESTANTIA CHARITATIS.

Vt à contentionum factionumq; studijs auocaret Corinthios, murmur item ac inuidiam inferiorum, fastum autem & aliorum contemptum in superioribus compesceret, Charitatem ipsis accurate commendat. Hanc confert cum donis eximijs quibus omnibus unam præstare, imò illa sine hac nulla esse dicit, Charitatem igitur in primis æmulandam esse.

CAP. XIII. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem nõ habeam factus ſum æs reſonans aut cymbalum tinniens.

Eloquentia ſine charitate. Eloquentiæ ſiue linguarum peritiæ comparat, imò præfert charitatem. Exaggerãdæ porrò rei gratia adiecit angelorum linguas. Si uero quis uelit hinc colligere angelos poſſe citra charitatem quidpiam agere more hominum uano, fallitur & non intelligit rationem & naturam collationis & conditionalium loquutionum. Et æs quidem ac cymbala auditorum animos oblectant quoad crepitant, at ubi crepitare deſierint, nihil utilitatis relinquunt auditoribus. Sunt enim aliud nihil quàm inanis ſtrepitus. Ita & orationes oſtentatorum quorundam licet inſtructiſſimæ & eloquentiſſimæ ſint, poſt oblectationem tamen parũ utilitatis afferunt auditoribus, eo quod occulta illa charitatis ui non uegetentur ac uiuant. Genius enim quidam omnium operum noſtrorum ſcriptorum in primis charitas eſt.

Et ſi habeam prophetiam, & nouerim myſteria omnia, omnemq; ſcientiam, & ſi habeam fidem adeo ut montes loco dimoueã, charitatem autem non habeam, nihil ſum.

Sciẽtia ſine charitate. Tria iungit, prophetiam, ſcientiam & fidem, quę nulla fore ait ſi deſit charitas. Quod enim corpori anima eſt, id uirtutibus & donis dei charitas. Prophetiam aũt non quamlibet aut uulgarem putat, ſed eximiam. Addit enim, Et nouerim omnia myſteria. Nam Prophetæ eſt abſtruſiores diuinæ ſcripturæ ſenſus eruere, & auditoribus quàm appoſitiſſime enarrare. Per Scientiam intellexit omnium diſciplinarũ cognitionem. Hæc multis philoſophis adde & hæreticis nihil profuit, quod charitate carerent. Parum ſanè utilis eſt inſtructiſſima nauis nauigaturo ſi deſint remi, ſi non adſit clauus. Breuiter, neque eloquentia, neq; linguarum peritia, neq; dicendi uis & gratia, neq; perplexorum myſteriorumq; omnium intelligentia, neq; ulla quantumuis uaria, grauis & abſoluta eruditio ſcientiáue uel tibi uel alijs proderit, niſi charitate temperata ſit. Pręſtat ergo charitas. Hac obſecro accende corda doctorum domine deus, ne donis illis tuis noſtro ſæculo largiſſime effuſis abutantur, ſed ut illis eccleſiæ tuæ per charitatem plurimũ profint. Amen. Ad hæc accedit aliud quidem, ſed & ipſum eximium, ipſa ſcilicet fides, non ea quidem quam finit Paulus ad Hebræos 11. ſed uirtus deſignandi miracula. Quatenus enim fides certa & indubitata in deum fiditia eſt, ſine charitate nõ eſt, & certo fideles iuſtificat. Cæterum maxima ſigna faciunt & impij, de quibus in Euangelio legimus, Multi dicent mihi in illo die, Domine domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dęmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus? Ac tum confitebor illis, Nunquam noui uos, Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Proinde Fidei uox in ſacris eſt Polyſema. Quod montium meminit, occaſionem accepit ex Euangelio Matthei capite 17. Significat autem amplificatione & hyperocha quadam maxima & incredibilia ſigna. Si autem ſigna quantumuis magna ſint, citra charitatem nihil ſunt: ſi impij quoq; ſigna facere poſſunt, quid ſtolidi ſigna hodie adeò expoſcimus? Et quis miraretur ſanctorum dei hominum ſigna, niſi maior eſſet ſplendidiorq; doctrinæ & uitæ authoritas, dei & proximi charitas?

Matthæi 7.

Et ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas: & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio.

Iterum rebus mortalium maximis præfert charitatem. Ex quibus altera impenditur proximo, altera uergit in proprij corporis diſpendium. Verũ quantacunq; ſint, prorſus tamen nulla ſunt ſi non animentur charitate. Neq; uero dicit, Si partem ſubſtantiæ meæ contulerim egenis, ſed, Si omnem ſubſtãtiam inſumam in pauperum alimoniam. Tranſumit autem in ſe opulentiſſimi alicuius perſonã. Rurſus non dicit, Si tradam corpus meum in mortem, ſed grauius aliquid addit, Si tradam corpus meum ut comburar, deſit autẽ charitas, nihil fructus uel ex eleemoſyna uel ex cruciatu corporis refero. Conſtat

ſtat autem plurimos eleemoſynam impartiri, nonnunquam & poſſeſſiones omnes deſerere, adeoq; ſeipſos in uaria mortis genera conijcere gloriolæ humanæ conſequendæ gratia. Sunt enim quos uel hypocriſis ducit, uel pertinax contentio quoquo uerſum impellit. Reſipiſcerent autẽ & Monachi & Catabaptiſtæ, ſi hæc penſiculatius expenderent. Vt enim illi non charitate, ſed hypocriſi & humano affectu, hoc eſt errore rapiuntur in inſtitutum uitæ quod neſciunt, ita hi & opes ſuas deſerunt, & ad uaria capitis ſupplicia feſtinant, non ipſa charitate duce, ſed ſancta hypocriſi & ſeuera pertinacia impellente. Proinde & in animi bonis & in functionibus corporeis omnibus primas obtinet charitas. Ex hac æſtimantur res, non ex ſeipſis. Obtulit uidua paupercula æra minuta duo in gazophylacium, & laudari meruit à Saluatore: contra uero uituperantur ab eodem maiora impartientes pauperibus apud Matthæum in 6. Laudantur ſancti qui corpora ſua cruciatibus obijciunt uel minimis: contra nulla laude digni ſunt impij, qui infandis uexantur ſupplicijs. Charitas enim quæ omnium uirtutum corona ac uita eſt in his nulla in illis uero euidens eſt. Præſtat ergo charitas.

Munerũ animus optimus.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non inuidet, charitas non eſt procax, non inflatur, non eſt faſtidioſa, nõ quærit quę ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſtitia, ſed congaudet ueritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Charitatis effectus & officia.

Hactenus Charitatem collatione quadam ad cætera dona laudauit, iam ſynatriſmo naturam, effectus fructúsue charitatis enumerat, ut pulcherrimam hanc uirtutem ſuis attributis decenter ornatam commendet fidelibus, imò & ornatu & pulchritudine natiua nos omnes in eius abripiat deſiderium amoremq; uehementiſſimum. Miro autem ingenio & per occultam quandam antitheſim iſta Charitatis officia Corinthiorum oppoſuit ſtudijs. Erant enim præfracti, maligni, procaces, contentioſi, liuidi atq; elati. Contraria hic recenſet charitatis ſtudia. Primum enim μακροθυμεῖ longanimis eſt, ſiue leni animo. Hoc eſt qui charitate donatus eſt haud facile profilit ad uindictam. Deinde benigna eſt χρηστεύεται, hoc eſt omnia boni conſulit. Significat enim, authore Eraſmo comitatem ac ſuauitatem morum, quæ opponitur aſperitati ac difficultati ſeu morofitati. Vera autem pietas neſcit ſupercilium: ſimulata ſanctitas morum aſperitate grauis eſt. Non inuidet οὐ ζηλοῖ, non æmulatur. Non enim liuore inuidiáue ex alienis donis ringitur qui ſua quoq; bona transfundit in alios. Non eſt procax οὐ περπερεύεται. De hoc uaria tradidit Eraſmus. Quidam enim putant περπερεύεσθαι idem eſſe quod adulari, alij quod extolli & oſtentare ſeſe, alij quod garrire & ſermonum ambagibus moleſtum eſſe, alij præcipitem ac temerarium eſſe, Theophylactus inconſtantem ac leuem, Eraſmus procacem ac improbum. Alij expoſuere, nõ facile huc & illuc impellitur. Non inflatur, Scientia enim inflat, charitas ædificat, & ſeſe ſummittit omnibus. Non eſt faſtidioſa, οὐκ ἀσχημονεῖ, id eſt nihil inhoneſte, aut præter decorum agit. Alij exponunt, modo profit nihil ſibi indecorum putat. Theophylactus enarrat, non eſt contumelioſa in quenquam. Non quærit quæ ſua ſunt, id eſt, priuatum compendium negligit, & fratrum gratia nihil non facit. Hoc fortaſſis non intelligunt quos non pudet ſacroſancto charitatis titulo opibus inſidiari fratrũ, ut habeant quod turpiter abſumant. Non irritatur οὐ παροξύνεται, non ſupra modũ exaſperatur, non exaggerat culpã ultra debitũ, neq; nimis in obiurgando acerba eſt. Non cogitat malũ, οὐ λογίζεται, id eſt haud temere cuiquã imputat malũ, imò ne mala quidem de quoq; ſuſpicatur. Vel quia omnes ex ſeſe metitur, uel quia de uindicta non cogitat. Nõ gaudet de iniuſtitia, ſed cõgaudet ueritati. Perfectio em̃ legis charitas eſt. Alieni itaq; à charitate ſunt, qui prætextu charitatis uel ſceleratos uolũt impunitos, uel mendacia perpetuo defenſa. Puniendũ erat ſcelus aliquod enorme, citãt iſti charitatẽ. Abroganda erat ſuperſtitio & hypocriſis, appellant iſti charitatẽ. Hanc uidelicet iubere putãt, ut nebuloni condonet noxa, & infirmitas (ſic em̃ uocant proclamatã pertinaciã, ſuperſtitionẽ, hypocriſim & idololatriã) feratur æquiore animo. Verũ Paulus, Charitas ait non gaudet de iniuſtitia, ſed cõgaudet ueritati. Omnia ſuffert, uel oĩa ſubit aut ſuſcipit, iuuãdi

ſcilicet ſtudio. Nam πάντα ait στέγει, id eſt nihil grauatur. Translatum dicit Eraſmus à tignis ſuſtinentibus onus impoſitum, aut à uaſis recipientibus quod infunditur. Omnia credit, id eſt probe fidit, *Sy trüwt wol*. Non enim loquitur de leuitate qua quælibet pro ueris & certis amplectimur. Omnia ſperat, id eſt haud facile deſperat uel de peſſimo quoq;. Abijciunt enim nonnulli omnem ſpem protinus ſimul atq; ex animi ſententia non ſuccesſerit quod inſtituerunt. Omnia ſuſtinet, id eſt meliorum expectatione pertinaciſſime ac patienter perdurat. Eſt enim ὑπομένει. Cæterum illud minutius eſt quàm quod annotari conueniat, non citra Synekdocham toties ingeminari Omnia. Audiuimus enim à charitate præter decorum agi nihil.

Charitas nunquam excidit, tametſi prophetia deficiat, ſiue linguæ ceſſent, ſiue ſcientia deſit. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus: at ubi uenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur.

Charitas certiſſima agendi regula.

Subobſcurior eſt hic Pauli locus ob uoces & loquutiones aliquot inſolẽtiores. Charitas ait, οὐδέποτε ἐκπίπτει, quod alij uerterunt nunquam ceſſat, alij nunquam diſſoluitur; ſed ἐκπίπτω idem eſt quod mutor, degenero, deſciſco à priſtino inſtituto, adeoq; aberro. Et ἐκπίπτω τοῦ λόγου, apud Budæum, cum deficior ſermone & oratio mihi non ſuppetit, & cum memoria me deficit & deſtituit. Proinde licebat uertere, Charitas nunquam deſtituit aut aberrat. *Die liebe verfält nimmerme*, hoc eſt, non finit ut quis ſibi excidat, aut degeneret. Sequitur iam quod ſententiam abſoluit, Εἴτε δὲ quod plerique uerterunt, Siue uero: ſed quadrantius uerteris, Charitas nunquam deſtituit aut aberrare finit, etiamſi (*ob glych*) prophetia nos deſtituat, id eſt aliquid nobis in prophetia & interpretandi facultate abſtruſiore deſit. Nam & Scholiaſtes annotauit κατηχρηστικῶς hic nouo quodam more, non proprie uſurpari, nempe pro deeſſe & deficere: ut ſit ſenſus, Tametſi uel prophetiæ donum uel linguarũ peritia, uel eruditio uaria, & omnigena ſcientia nos deſtituat. Nam nemo unus omnia poteſt, nec omnia oñibus dedit deus, attamen ſi charitas nobis non deſit, una non patietur nos pernicioſius aberrare. Qui enim charitate imbutus eſt, ſacra ſyncere tractat, ſingula ad charitatem cum dei tum proximi ceu unicũ Sacrorum librorum ſcopum dirigit. Atqui hoc modo minime ipſum charitas aberrare finit, tametſi interim ad abſtruſiorem ſcripturæ ſenſum non penetrarit. Id enim propheticæ functionis

Prophetia.

eſt. At prophetia, linguarum peritia, & omnigena ſcientia abſoluitur, quæ quidem illi nondũ planè perſpecta ſunt. Sequitur enim, Ex parte eñ cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Nam hac ſententia ſe exponit Apoſtolus. Quaſi dicat, Quod autem dixi nos deſtitui poſſe ſcientia aut prophetia, inde eſt, quod ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus, id eſt, quod per incrementa quædam (ἐκ μέρους enim dixit pro paulatim, pro quo Germani dicimus *nah vnd nah*) diſcimus quoad in hiſce terris uiuimus. Tum demum perfecte omnia ſciemus, ubi hanc imperfectionem noſtram per mortem poſuerimus. Cæterum quoad in hoc mortali corpore uiuere conceditur, nemo ſibi abſolutam arrogabit eruditionem. Neq; enim uanum eſt priſcum hoc prouerbiũ, Seneſco ſemper multa addiſcens. Cui haud abſimile eſt quod in epiſtola quadã ad Lucilium ſcripſit Seneca, Tam diu diſcendum eſt, quàm diu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quàm diu uiuas. Hæc uero in hoc ſcripſit Paulus, ut Charitatis præſtantiam indicaret, illorumq; deprimeret faſtum qui nimium ſcientia & linguarum peritia gloriabantur. Oſtendit ergo illis longe præſtabiliorem eſſe charitatem. Hanc enim non excidere, illa uero aberrare

In ſupercilioſos linguarũ iactatores.

poſſe. Vbi nunc ſunt qui charitate neglecta, fratribus item pijs & doctis omnino contemptis, ex animi faſtu, non charitate pronunciant horum conatus, operam & ſtudia eſſe inutilia ac uana quod linguas neſciãt. Fateor equidem ad propheticam functionem linguas in primis eſſe neceſſarias, adeoq; ſine his non poſſe quenquam in ſacris uerſari feliciter: ſed præſtabilior eſt charitas: ſed non omnibus omnia data: ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus. Qui ergo charitate inſtructi ſunt fratres, qui in charitatem nil peccant, quin omnia ſua ad charitatis regulam exigunt & expediunt, omnino

magnam

magnam in ecclesia Christi laudem merentur, tantum abest ut quisquam pius eos contemnat. Verum ipsa charitas ut non inflatur, ut inuidet nemini, ut non est contentiosa, sed acquiescit ueritati, ita quisquis charitate imbutus est non inuidet fratri si ipsi uel scientia obtigerit insignior uel linguarum peritia maior, imò cum mansuetudine meliora & appositiora, locis, rebus temporibusq; magis accommoda proferentem audit. Nam & diuus Iacobus, Quæ è supernis est sapientia ait, primum quidem pura est, deinde pacifica, modesta, item & persuasibilis siue tractabilis, &c.

Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebã, ut puer cogitabam: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam quemadmodum & cognitus sum.

Similitudinibus clarius ob oculos ponit quod iam dixerat per interualla increscere sciẽtiam, eamq; non absolui, nisi imperfectio per mortem semel exuatur. Puerili ætati & intelligentiæ confertur scientia mortalium. Illa auctibus subinde crescit donec assurgat ad plenam intelligentiam. Prudentiæ autem senili omnibus numeris quantũ apud mortales perfici potest absolutæ comparatur illa futura rerum diuinarum perfectissima cognitio. Obliuiscimur senes rerum pueriliũ, imò quod in iuuentute uolupe & iucundum erat, id uel molestia uel stultitia uidetur senibus. Id non dixit quod stulta sit religio qua ex fide imbuimur in hisce terris: sed quod maximum sit discrimen inter huius & futuræ uitæ cognitionem, & ne quis sibi nimium placeat ob eam scientiam quam hic mortales assequimur. Iterum autem Aboleui posuit pro reliqui. Alterum simile sumptum est à speculo. In speculo imagines rerum non ipsas res uidemus. Et in terris ipsas rerum cœlestium & æternarum imagines per ipsam fidem uidemus. At in futura uita ipsa re fruemur, ipsam rem uidebimus, deum, quo & ad satietatem semper perfruemur. Nam de facie ad faciem uidere est ipsa re frui & ipsissimam rem contueri corã. Et per ænigma uidere ex posuit Paraphrastes, ex scripturis ceu inuolucrũ ænigmatis dei mentem conijcere. Certe per ænigma uel in ænigmate uidere, & in speculo siue per specillium uidere, æquipollent. Post hęc infert, Nunc cognosco ex parte. Quasi dicat, atq; hoc illud ipsum est quod prius dixi, Ex parte cognoscimus, Ex parte inquam, id est per speculum in ænigmate. Et quod prius dixi, At ubi uenerit quod perfectum est, quod ex parte est abolebitur, id dicere uolui, Cum autem hisce ex oris soluero, tum cognoscam quemadmodum & cognitus sum, hoc est ea uidebo quæ in sacris à deo doctus sum, & ijs fruar quibus me per fidem aliquando fruiturum speraui dum uiuerem. Nam cognitus sum passiue sumitur, eodem penè modo quo in principio octaui capitis usurpatũ indicauimus. Vnde & Ambrosius exponit, Videbo quæ promissa sunt. *Discimus per interualla.*

Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas.

Annectit tandem totius caussæ summam siue illationem. Nunc autem ait quoad in hisce terris uiuere datur manent, id est perpetuo nobis obseruanda ob oculos præfixa stant tria hæc, fides, spes, charitas, ut ad illa omnem uitam omnia studia totumq; rerum nostrarũ cursum dirigamus. De Fide diximus in epistola ad Roma. & Hebræos. De spe autem ad Rom. 8. His addit μείζων δὲ τούτων, id est, maxima ex his charitas, hoc est omnium colophon est charitas. Nam impletio legis est charitas, & omniũ latissime sese diffundit in opera erga deum & proximũ. Maxima ergo siue amplissima dicitur. Atq; hoc pro argumento quidem susceptо intulit, ut repeteret quod toti præfixerat disputationi, Sectemini dona potiora, & illud potius siue excellẽtius uobis ostendo. Descripta enim charitatis natura & ui iam negotium claudit, Amplissima ergo est charitas. Proinde charitatem sectemini in primis, id quod uerbis 14. capite consequentibus infert. Hactenus enim de charitatis præconio. Porrò qui hoc Pauli loco abutuntur ad iustitiam operum comprobandam, iustitiámque fidei oppugnandam, multis nominibus ignorantiam *Amplissima donorũ charitas.* *Roma. 13.*

ſuam produnt,& quod non expendunt hypotheſim, ex qua Apoſtolus hanc intulit illationem,& quod non uident quas ob res dicatur charitas maxima, item quali nexu inter ſe fides,ſpes & charitas cohæreant. Idem ille Paulus ad Galatas, Quicunq; ait per legem iuſtificamini,à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu neq; circumcifio quicquam ualet, neq; præputium,ſed fides per dilectionem efficax. Sed de his pluſcula ad Roma.8.dedimus.

Galat.5.

DE PROPHETIA ET LINGVIS.

CAP. XIIII. Sectemini charitatem, æmulemini ſpiritualia, magis tamen ut prophetetis.

Prophetia inter dona primas obtinet.

Tranſitionis formula priora colligit,& conſequens negotium ceu in propoſitionem collectum præfigit. Quaſi dicat: Cum ergo citra contrauerſiam tanta ſit Charitas, hanc ſectari conuenit. Non autem id eò tendit, quod cæteræ dotes negligendæ ſint, ſed quod illæ citra charitatem non ſint efficaces. Licet igitur æmulari ſpiritualia, id eſt dona illa ſpiritus,ſed cum delectu. Primas eñ inter illa obtinet Prophetia. Annotauit Eraſmus uerbum διώκετε uehementius eſſe quàm ζηλοῦτε. ζηλοῦμεν enim ea quoq; quæ probamus ac miramur tantum. διώκειν eſt magno ſtudio anniti ut aſſequaris: ut ſit ſenſus, Optãdum quidem eſſe ut nobis contingant ſpiritualia, uerum ea quæ charitatis ſunt non optanda tantũ,ſed toto conatu affectanda eſſe: at in illis potiſſimas obtinere prophetiam. Prophetiam uero non prædictionem rerum futurarum, ſed interpretationem ſcripturæ ſanctæ intellexit. Ambroſius enim, Prophetas ait interpretes intelligit ſcripturarũ. Sicut enim propheta futura prædicit quæ neſciuntur: ita & hic dum ſcripturarum ſenſum qui multis occultus eſt manifeſtat, dicitur prophetare. Erant apud Corinthios qui linguas ideo cæteris præferrent dotibus, quod ipſi eſſent linguarum periti,& ignaris in cœtu eccleſiaſtico admirationi. Contra horum faſtum Paulus Prophetiam, hoc eſt, doctrinæ & inſtitutionis modum ac rationem in eccleſia uendicat & reſtituit. Nam & hic abuſus irrepſerat in eccleſiam Chriſti, ut & hic non minus quàm euchariſtiæ abuſus eſſet exterminandus. Nam eccleſia nihil maius & utilius habet doctrina Chriſtiana, & interpretatione ſcripturæ.

Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed deo, nullus enim audit, ſpiritu uero loquitur myſteria. Cæterũ qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & cõſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat: at qui prophetat, congregationem ædificat.

Abuſus linguarum apud Corinthios.

Primum nobis exponendum eſt quid per linguas intelligat Paulus. Erant ergo Corinthi ex Iudæis, tum & alij ex Gentibus Chriſtiani, qui in cœtu illo ſancto & publico peregrina, Hebraica maxime, ut ſacra lingua orabant, legebant ac canebant, ſacroſanctũ aſſerentes eſſe ad eum modum in cœtu ſacro ſacra lingua cani tractariq; ſacra myſteria. Verum pauciſſimi ea quæ legebantur intelligebãt. Interim uero & tempus inaniter conſumebatur in cœtu, & negligebatur cũ expoſitione ſcripturæ pariter & diuini uerbi prædicatio. Non ſecus atq; apud nos factum uidemus. Siquidem cantu illo Gregoriano & obſtreperis uocibus muſici concentus, cum interpretatio ſcripturæ templo dei expulſa, tum dominici uerbi prædicatio fœde admodũ acciſa eſt: adde quod ne ipſi quidem qui Pſalmos Latina lingua in templis recitarunt, ipſi quid recitarent prorſus intellexerunt. Satis enim conſtat quod ad ipſam eccleſiã nihil utilitatis ex iſtorum uel cantu uel lectionibus redijt. Proinde Paulus mira perſpicuitate linguas comparat cum prophetia & collatione ea demonſtrat quot nominibus prophetia præſtet,& quàm inutilis ſit eccleſiæ iſta linguarum ratio, quam nuper in cœtum eccleſiaſticum induxerãt, & proinde illam quidem abrogandam, hanc uero reſtituendam eſſe. Prima collatio ſumpta eſt ex cauſſa & effectu rerum, habetq; extrinſecus aſcitã hypotheſim, hanc ſcilicet, Cœtus inſtitutus

eſt

est propter homines, ecclesiæ scilicet instituēdæ gratia. Huic iam inducit, Sed qui linguæ loquitur, id est qui coram ecclesia orat uel legit utens peregrina lingua, hominibus non loquitur. Id protinus exponens caussa subiecta dicit, Nullus enim audit, id est nemo uel pauci peregrinam linguam intelligunt, deo quidem omnium linguas intelligenti loquitur, & spiritu quidem, id est uel apud sese, uel solo uerborum flatu loquitur mysteria, res utiq; præclaras, magnas & utiles, sed ea re istoq; loquēdi modo nihil ædificatur ecclesia, quæ in hoc conuenit ut ædificetur: inutilis ergo est ista uestra linguarum ratio. Atq; hoc ipsum respondemus illis quoq; qui hodie uenalem illum uanumq; Templorum cātum defendentes aiunt, Tametsi neq; canentes neq; ipsa quæ conuenit ecclesia quid canatur intelligat, ipsa interim uerba sancta sunt, mysteria comprehendunt & à deo percipiuntur. Neq; enim satis est quod ipse deus, quod dicitur intelligit, in templo publico omnia ad eruditionem fieri debent. Qui hoc tantum spectat ut à deo intelligatur, sibi & deo loquatur, nō est quod se hac in re toti prodat cœtui. Hæc de altera collationis parte, sequitur pars altera. Qui autem prophetat, nulla nō parte suæ prodest ecclesiæ. Nam qui prophetat, id præstat cuius gratia cœtus colligitur. Hominibus enim loquitur ædificationem & exhortationem & consolationem, dum scilicet arcana siue mysteria scripturæ exponit, & ex his aut exhortatur ad pietatis studium, aut consolatur quos pusillanimitas uel terror uel desperatio uel laboris propemodum fregit impatientia. Atq; hoc est loqui ad ædificationē, id est loquutione conari & eo tendere ut prosis auditoribus. Claret autem ex hoc loco prophetam eundem esse Paulo qui nobis est Doctor, episcopus, ecclesiastes aut euangelista. Quanquam propheta peculiariter dicatur scripturæ sacræ interpres, qui ex linguarum collatione arcana scripturæ depromit. De qua interpretatione paulò post dicemus. Euangelista ratione temporum & locorum eorum maxime hominum quorum curam gerit habita quàm simplicissime id ecclesiæ exponit quod pro eius utilitate esse nouit. Addit omnes orationi uirtutes ut moueat, & quò ipse deus iubet pertrahat. Per species enim genus intellige. Recensuit exhortationem & cōsolationem, sed intellexit omnes docendi & permouendi modos, Prophetici scilicet muneris esse ut errantes reducat, contradicentes conuincat, indoctos erudiat, instituat, foueat, consoletur mœrentes, cessantes uero exhortetur, & currētibus admoueat calcar: breuiter, quod pastor ouibus, uigil ciuibus, & corpori medicus, id fit propheta ecclesiæ. Et ô nimium felices quibus prophetæ dati sunt, & quibus prophetia recte frui concessum est: sed ô nimium miseros, quibus prophetia erepta quidem, sed eius loco cātio & musica quædam theatrica aut ceremoniarum superstitiosa obseruatio substituta est. Monui in cap. 11. cœtus ecclesiasticos tribus ex caussis coactos fuisse potissimum apud ueteres, ob orationem publicam, ob prophetiam & eucharistiam. Hic uero audis prophetiam aliud non esse q̄ munus exponendi literas sacras, docendi, hortandi consolandiq; ecclesiam, quæ sane haud immerito primas obtinet, ut scelestissimi sint qui hanc exturbarunt ecclesia. Secunda collatio petita est ex utilitate rerum. Qui, inquit, loquitur lingua, seipsum ædificat: qui uero prophetat, ecclesiam ædificat. Cum itaq; id quoq; domi suæ facere possit quilibet, non est quod illius gratia in ecclesiasticum cœtum prodeat: cæterum prophetia ecclesiastico cœtui necessaria est. Nam hæc toti multitudini prodest. Hac enim corripiuntur scelera, docetur iustitia, suadetur pietas & sanctimonia uitæ.

Volo autem uos omnes loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. Maior enim qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.

Occupatio est. Hoc enim dicit. Hæc autem non eò tendunt quod linguas putem esse inutiles contemnendas q̄. Tanta enim est linguarum dignitas & utilitas, ut si fieri possit optarim uos omnes linguarum esse peritissimos. Loquor ergo de abusu linguarum & quod prophetia linguis multò præstet. Caussam iterū adiungit, Maior em̄ qui prophetat, hoc est ecclesiæ utilior est propheta quàm qui lingua loquitur, nisi id quoq; quod in peregrina lingua dixit, uulgata interpretetur, ut aliqua ad ecclesiam redeat utilitas. Vi-

Exturbãdi ritus Papistici è templis.

des autem Apostolum omnia utilitate metiri, utilitate uero sancta. Verum quid ecclesiæ dei utiles sint cantiones & ritus papistici, nemo nescit: omnes itaq; intelligũt uanissimas istas res è templo domini exturbandas, meliores autẽ utilioresq; substituendas esse. Exturbauit dñs templo Hierosolymitano ementes & uendentes, deinde uero authore Luca quotidie prædicauit in templo. Verbum dei cibus animæ est, sine quo uiuere nequit. Curemus ergo ut panem purum, uerum, sanctum & diuinum proponamus filijs dei. Cantu nemo satiatur, pane uerbi domini satiãtur animæ, illæ nec musico concentu, sed dulci spiritus harmonia oblectantur. Si porrò canere libet, canamus ut priscos olim cecinisse cõstat, non lucri gratia, non cum uerbi dñici incõmodo, non in lingua peregrina, sed ex animo & lingua omnibus cognita, cũ modestia & spiritu magis q̃ uoce iubilãtes.

Nunc autem fratres, si ueniã ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar aut per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam?

Similitudinibus uarijs uanitatem Corinthiorum protrahit & reuincit ut linguarum abusum tolleret, prophetiam uero pristinæ dignitati restitueret. Principio se exempli uice proponit & ait, Fingite me iam primum uenire ad uos, euangelij prædicandi gratia, nec tamen aliud hic quàm linguis loqui, quid utilitatis allaturus sim uobis, nisi linguis mox interpretationem iungam, & sic uobis loquar, ut ipsi quid lingua sacra nuncietur intelligatis? Proinde cum linguæ citra interpretationem sint inutiles, prophetiam siue interpretationem amplectimini. Porrò hanc & reuelationẽ & prophetiam uocat, de eadem re loquẽs ac si plures sint, cum tamen hæc omnia (ut Ambrosij uerbis utar) unũ significent. Reuelatio enim idem est quod prophetia arcanarũ scilicet rerũ retectio siue expositio. Hæc uero ex scientia siue doctrina est. Oportet enim sapientem & doctũ esse qui docet alios. Doctum autem à deo. Verum Paulus distributione pulchra scientiã reuelationi & prophetiæ doctrinam apposuit, eiusdem uirtutis uarias recensens species.

Quin & inanima, uocem reddentia, siue tibia siue cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara? Etenim si incertã uocẽ tuba dederit, quis apparabitur ad bellũ? Sic & uos per linguam nisi significantem sermonem dederitis quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.

Alia similitudine petita à musicis instrumẽtis idẽ demonstrat quod supra. Voci enim ac sono confert linguas, distinctioni autem uocis aut soni interpretationem. Musica instrumẽta non in hoc tantum inuenta sunt ut sonent, sed ut distincto sono auditores uel moueant, uel moneant, uel oblectent. Tuba enim excitamur aliquoties & monemur ne uel ignis uel hostis, uel alia calamitas nos opprimat improuidos. Et quis audiat citharœdum eadem semper chorda, aut etiam uarijs temere oberrantem? at si certum argumentum carminis dulci moduletur harmonia, an non ipso genere & argumento carminis nos instituit, & harmonia suauiter oblectat? Quod si istud in inanimis deprehendimus, cur non colligimus nec linguas ob sonum duntaxat institutas esse, sed magis ob significationem? Omnis enim oratio in hoc instituitur ut aliquid eum qui audit doceat. Nisi ergo oratio distincta sit ac intelligatur, in aërem effunditur. Vsus est aũt Paulus prouerbiali figura qua notari solet opera inanis. Huius generis sunt, Mortuo loqueris, Surdo canis, Frustra canis, Littori loqueris, Vento loqueris. Ventus enim omnia dissipat & cogit euanescere. De his Erasmus in Chiliad. Indicat igitur operam illorum esse inanem, & linguas sine interpretatione esse inanes. Quid ad ista ô monachi & uos templorũ officiosi Stentores? cantores dicere uolebam.

Tam multa, uerbi gratia, genera uocum sunt in mundo, & nihil horum mutum. Itaq; si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus.

Idem

Idem dicit quod iam dixerat, ſed mutata ſermonis figura. Iam eñ ueluti exemplorum & ſimilium perteſus in genere ſemel dicit: Innumera ſunt linguarum genera, nulla tamen ex his omnibus lingua muta eſt, id eſt omnes mentis conceptum explicant, & aliquid ſignificant. Proinde et linguæ ueſtræ ad ſignificandum, id eſt ad interpretationem inſtitui uſurpariq; debent. Qui enim lingua peregrina loquitur, ab ijs quibus loquitur, cum linguam eius non intelligant, iudicatur barbarus: rurſus qui non intelligunt, ab eo qui loquitur iudicabũtur barbari. Barbarum autem ueteres uocabant quicquid erat peregrinum. Breuiter, ſignificat inaniter omnem abſumi operam ubi linguis peregrinis res agitur, interpretatio non additur.

Itaq; & uos quandoquidem ſectatores eſtis ſpirituum ad ædificationem eccleſię quęrite, ut excellatis. Quapropter qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, at mens mea fructu caret.

Ingerit ſummam cauſſæ & urget Corinthios. Quaſi dicat, Quandoquidem ueſtra ſponte ſectamini dona ſancti ſpiritus adijcite & illud ſtudio ueſtro, ut ſemper & in omnibus congregationi fitis uſui. Sed et modũ indicat quomodo donum maxime linguarum in commodum cedat multorum. Si cui obtigit, ait, linguarum donum precibus à deo flagitet, ut accedat donum interpretandi. Interpretatione enim uſui eſſe poſſumus eccleſiæ. Addit aliam rationem qua oſtendit inutiles eſſe linguas ſine interpretatione. Si ait, precer lingua populo ignota, puta apud Corinthios Hebræa aut Syra, quæ tamen non minus mihi quàm populo fit ignota, ſpiritus quidem, hoc eſt halitus meus precatur, cæterum animus meus fructus eſt expers, cum & mihi non profim, & auditoribus etiã moleſtus ſim. Annotauit enim Eras. Paulum hoc loco ſpiritum uocare uocem linguæ, mentẽ affectum animi, Græcè enim legi πνεῦμα, & νοῦς. Nec aliud eſſe ſpiritus meus orat, quàm lingua mea ſonat pia uerba, ut intelligamus id nec alijs prodeſſe, nec ei magnopere qui ſonat. Atq; huius quidẽ ſententiæ authorẽ citat Theophylactus Baſilium. Idem monet fuiſſe apud priſcos illos Chriſtianę fidei ſectatores nonnullos, qui ſupplicandi gratia lingua exciperent, loquerenturq; uel Perſica uoce uel Latina, cum interim illorum mens earũ rerum ignara eſſet quæ lingua loquerentur, hos autẽ confutaſſe apoſtolũ. Id quod propter monachos & monachas, item propter templorũ ſacerdotes, hoc eſt, cantores annotauimus, qui & ipſi paria faciũt hodie, ut habeãt ac certo norint quod non imitentur traditionem apoſtolicam, ſed illud potius quod impugnarunt apoſtoli.

Preces in ſe ab alijs ſuſcipere et lucri cauſſa precari.

Quid igitur eſt? Orabo ſpiritu, ſed orabo & mente, canam ſpiritu, ſed canam & mente. Alioqui ſi benedixeris ſpiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem quid dicas, neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis, uerum alius non ædificatur.

Clarius indicat modum quo multitudini linguis prodeſſe queamus, nempè ſi interpretemur. Non, inquit, linguas orationem et cantum damnamus, ſed interpretationem adiectã & uulgari lingua non peregrina, in primis autẽ huius generis oñia ſic in eccleſia agi uolumus, ne quid detrimenti patiatur prophetia, ſed primas obtineat in oñibus. Orare enim ſpiritu eſt ſpiritu ſiue halitu ac uerbis ſolũ orare: at orare mente, eſt ipſo animo precari & orationis mentẽ aperire. His iterũ ſubijcit cauſſas apertiores quidẽ quàm quæ multa egeant expoſitione. Benedicere eſt laudare & celebrare deum. Apparet autem ex hoc loco Priſcis eum fuiſſe morem ut ad prælegentis uerba tota eccleſia reſponderit Amen. De qua dictione Hierony. in epiſtola quadam ad Marcellam, Amen dicit, Aquila πεπισωμένως exprimit, quod nos fideliter poſſumus dicere, LXX. γένοιτο, id eſt fiat. Et Paulus aſſerit non poſſe aliquem reſpondere Amen, id eſt confirmare quæ prædicata ſunt, niſi intellexerit prædicationem. Ex quibus uerbis id quoque intelligimus quod Hieronymus benedictionem expoſuit per prædicationem. Quod ſi quis obijciat,

ſed ſacra uerba ſunt quæ iſte pronũciat. Reſpondet Paulus, Non eo inficias, ſanctum eſt quod ille pronunciat, uerum interim populus nihilo fit melior, qui in hoc conuenit, ut ex doctorum ſermone domum melior redeat, atq; hoc diſcat in publico, quomodo priuatim ſit uiuendum.

Gratias ago deo meo quod magis quàm omnes uos linguis loquor: ſed in eccleſia uolo quinq; uerba mẽte mea loqui, ut & alios inſtituam, potius quàm decem millia uerborum lingua.

Hac uelut expurgatione utitur Paulus, ne odio & inuidia cauſſam aduerſus linguas ſuſcepiſſe uideretur. Iſta uero ait non odio aut propter imperitiam linguarum dico (ſolent enim imperiti rerum ijs minus eſſe propitij, quæ non didicerunt) ſed quòd uideam prophetiam longe & præſtantiorem & utiliorem eſſe. Nam ſi quid gloriari licet de linguarum peritia ego hic nihil conceſſerim illis ueſtris Sciolis qui hoc ſeſe præconio uobis, neſcio quo iure, commendant. Quanquam donum linguarum ipſi deo, non mihi feram acceptum cum gratiarumactione. Iudicio ergo non liuore linguis antepono prophetiam. Imò amplius quiddam, ſed quod uerum ſit dico, Malo ego in eccleſia quinq; uerba mente mea loqui, ut alios inſtituam quàm decem millia uerborum lingua. Eſt autem heteroſis in numero, certũ enim pro incerto poſuit, quinq; uerba pro pauciſſimis, decem millia pro infinitis. Et mente loqui eſt interpretari, lingua autem loqui, recenſere, ut ſolent qui uolubili lingua pſalmos obſtrepero percurrunt murmure. Hiſce præmodum eorum feriuntur conſcientiæ, quorum templa ita addicta ſunt cantionibus, ut in ijs uix aliquot menſibus fiat ac audiatur concio ſalubris. Proinde haud temere deſtomachatur hoc loco Eraſmus in cantum illum templorum nimium. Quid, inter cætera inquit, auditur in monaſterijs, in collegijs, in templis fermè omnibus quàm uocum ſtrepitus? Atqui ætate Pauli non cantus erat, ſed pronunciatio duntaxat. Vix à poſterioribus receptus eſt cantus, ſed talis ut nihil aliud eſſet, quàm diſtincta modulataq; pronunciatio, cuiuſmodi ſupereſt etiamnũ apud nos, qua ſonamus in Canone ſacro precationem dominicam, & linguam qua hæc canebantur uulgus adhuc promiſcuum intelligebat reſpondens Amen. Nunc uulgus quid aliud audit quàm uoces nihil ſignificantes, & talis eſt ferè pronũciatio, ut nec uoces exaudiantur, ſonitus tantum aures feriat. Atq; hæc primum ſpecie pietatis recepta, paulatim eò proceſſerunt, ut Pſalmorum, cantionum, ſacrorum, mortualiorum, neq; modus ſit ullus neq; finis, quod ſentiamus hinc accreſcere prouentibus noſtris, &c.

In cantum templorũ nimium.

Fratres ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis, ſenſibus uero perfecti ſitis.

Theophylactus hunc locum ſic enarrat, Increpat Corinthiorum nonnullos, quod puerilia ſapiant. Eſt enim puerorũ ſanè uel quęuis exigua demirari, quę temere ſtupori eſſe uideantur, quales ſunt linguæ: quodq; & magna hi parui faciant, perinde ac ſi nil habeant admirandi, qualis eſt prophetia, &c. Monet igitur Apoſtolus per apoſtrophen ad Corinthios conuerſus puerilia deponant, ad grandiora illa animos extollant. Vt enim ætas ſuos habet gradus, ita & religio per incremẽta aſſurgit ad iuſtam ſtaturam. Habent interim uerba Apoſtoli occultam quandam alluſionem ad uerba domini Matthæi 18. Quaſi dicat, Nec ignoro repueraſcendum nobis, uerum id quidem ad innocentiam uitæ, non ad imperitiam rerum referendum eſt. Nam id à quolibet noſtrum requiritur, ut ſenſu perfectus ſit. Diuus Ambroſius. Perfectos illos uult eſſe, ait, ut ſciant quid ad inſtructionem eccleſiæ ſit neceſſarium, ut recedentes à malitia & erroribus, his ſtuderent quæ proficerent ad utilitatem fratrum. Hic eſt enim ſenſu perfectus, qui agit ut profit alicui, maxime fratri. Cæterum quid putas dixiſſet Paulus ſi templa noſtra ingreſſus audiſſet tam uarios Mufici concentus modos, quum tanto ardore in Corinthios minus ſanè delinquentes inuehitur? Induxerunt enim maiores noſtri operoſam quandam ac theatricam muſicam in ædes ſacras, tumultuoſum diuerſarum uocum garritum, qualem non opinor (uerbis denuo Eraſmi utimur) in Græcorum aut Romanorũ theatris

unquam

unquam auditum fuisse. Omnia tubis, lituis, fistulis ac sambucis perstrepunt, cumq; his certant hominum uoces. Audiũtur amatoriæ fœdæq; cantilenæ, ad quas scorta mimiq; saltitant. In sacram ædem uelut in theatrum concurritur ad deliniẽdas aures: & in hunc usum magnis salarijs aluntur organorum opifices, puerorum greges, quorum omnis ætas in perdiscendis huiusmodi gannitibus consumitur, nihil interim bonæ rei discentium. Alitur sordidorum ut plerique sunt hominum colluuies, ac tantis sumptibus onerat ecclesia ob rem pestiferam etiam. Quæso te ut rationem ineas, quot pauperes de uita periclitantes poterant ali cantorum salarijs? &c.

In lege scriptũ est, Varijs linguis & labijs uarijs loquar populo huic, & ne sic quidem audiẽt me, dicit dominus. Itaq; linguæ signi uice sunt, non ijs qui credũt, sed incredulis: contra prophetia non incredulis, sed credentibus.

Cum de linguis loquens moneret ne perpetuò pueri sint, sanè confessus est linguas partim inter prima religionis rudimenta esse referenda. Id nunc diuino firmat testimonio, transcripto ex 28. cap. Isaiæ & ad institutum suum pia quadam Catachresi deflexo. Nam ipse protinus quo istud pertineat testimonium consequenti illatione ostendit dicens, Itaq; linguæ signi uice sunt non ijs qui credunt, sed incredulis. Iam ergo sic licebit colligere, Linguæ incredulorum gratia & in ecclesiæ primordijs miraculo quodam apostolis datæ sunt, si his forsan illi commouerentur: prophetia autẽ non conuertendis modo incredulis, sed firmandis quoq; promouẽdisq; ad meliora fidelibus instituta est. Cæterum uos Corinthij creduli nunc, nõ increduli estis, maior ergo uobis cura fit prophetiæ. In his uidetur aliud præterea inuolutum esse argumentum. Neq; enim in Isaia additum legas, Et ne sic quidẽ audient me: id ergo de suo addidit Paulus, sed non de suo quin magis de spiritus sancti sententia. Voluit autem hac sententia reuincere linguarum hac in re inutilitatem aut certè imbecillitatem. Quasi dicat, Si uero ipse dominus palàm asserit linguas tantum non effecturas, ut fidei accedant infideles, cur isti Scioli uestri donum linguarum sic extollunt, quasi in hoc uno sita sit omnis pietatis summa?

Ergo si conuenerit ecclesia tota in idem, & omnes linguis loquãtur, ingrediantur autem indocti aut increduli, nónne dicent uos insanire? Quod si omnes prophetetis, ingrediatur autẽ incredulus aut indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita procidens in faciem adorabit deum, renuncians quod deus re uera in uobis sit.

Hypotyposi ac uiuo paradigmate & effectum, & fructum cum linguarum tum prophetiæ & quidem per collationem ceu anacephalœosi superiora omnia colligens semel ob oculos spectãda proponit. Et primum quidem quod linguas attinet peregrinas, Fingite, ait, uos omnes in concione publica linguis loqui peregrinis, ingredi autem in cœtum uestrum Christianos qui linguarum sint imperiti, aut incredulos alioqui, nónne cum audierint confusissimum diuersarum uocum strepitum, nihil omnium intelligentes, dicturi sunt quod mente capti lymphaticq; sic ineptiatis? Videtis itaq; quod linguæ citra interpretationem nihil in ecclesia utilitatis habent. Deinde quod attinet prophetiam, Fingite uos omnes atq; adeo alium post alium prophetare, hoc est docere, consolari, hortari, accusare, & corripere mores hominum corruptissimos ex literis sacris, interim uero hospitem aliquem ingredi in cœtum uestrum qui uel imperitus sit, uel incredulus, sed qui id quod uos dicitis intelligat, nónne dum ἐλέγχεται, id est protrahitur, reuincitur & coarguitur ab omnibus καὶ ἀνακρίνεται & dijudicatur *vnd wirt beſchetzt*, ita ut sentiat uerbo dei etiam occulta cordis sui retegi (est enim gladius pertingens usq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus compagumq; ac medullarum, & discretor (κριτικὸς) cogitationum & intentionum cordis) nónne suam apud se impietatem damnabit, ut- *Epilogus confutationis.*

pote sibi eorum uitiorum conscius quæ sermo uester execratur? Fit ergo prophetiæ bono, ut ille in alium mutatus hominem ac sui pœnitens pronus in terram procumbat, agnoscens palamq; testificans, quod re uera deus inter uos sit ueritate, gratia ac sanctimonia. Videte nunc quot nominibus præstet prophetia, & quàm stulti, imò peruersi sint qui neglecta prophetia linguas in templo domini promouent. Vos itaq; recte feceritis si iusta diligentia linguis impensa accuratissime promoueritis prophetiam. Sequitur enim talis illatio.

Quid igitur est fratres? Quoties conuenitis unusquisq; uestrum canticum habet, doctrinã habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, fiat per binos aut ad summum ternos, idq; uicissim, & unus interpretetur. Quod si non sit interpres taceat in ecclesia, cæterũ sibiipsi loquatur & deo. Prophetæ uero duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent.

Modus prophetandi, siue sacra tractandi in ecclesia.

Confutato linguarum abusu, consequẽtibus edisserit ac præscribit, quo ordine hoc negotium uelit geri in ecclesia. Hinc enim diuus Hieronymus hunc locum explicans, exordiolum hoc, Quid igitur est fratres? sic exposuit, Quid ergo est faciendum? aut quid definiemus esse tenendum? Ad hæc primo recensẽt quomodo ipsi in cœtum uenerint instructi, maxime de doctis & doctoribus loquens. Cum, ait, conuenitis ἕκας unusquisq; id quod indice Scholiaste ponitur pro ὅσμεν & ὅσδε, id est, alius quidẽ Psalmum habet, alius uero doctrinam, &c. Hic demum post longam enumerationem quid facto opus sit, & quo omnia referẽda sint exprimit, Omnia hæc ad ædificationem fiant. Huic deinceps uelut exempla explicandi gratia attexens, modum aperit quo uult istud negotium geri in ecclesia. Principio quod attinet linguas nolo illas eĳci è cœtu sanctorum, interim uolo ut certo tractentur ordine, isto uidelicet ut bini duntaxat loquantur in singulis cœtibus, aut ut plurimum terni: neq; id tamen simul, sed per uices: neq; rursus soli, hoc est in peregrina loquantur lingua, sed adsit qui id quod lectum est peregrina uulgari interpretetur, ut omnes quid lectum sit intelligant. Quod si desit interpres linguarum peritus, non est quod linguis non intellectis auditorum animos molestia degrauetis. Id quod nolim intelligi quasi lectionem orationemq; sanctam explodam. Qui præter linguarum donũ nihil habet, priuatim suo utatur dono, & sibi ac deo canat, canat inquam, legat ac precetur quantum uideatur esse satis, sed sibi & deo. In ecclesia publicum agitur negotium, publica ergo sint quæ in hac aguntur. Ista autem cantum illum Pontificium, & si quid aliud est quod peregrina lingua hodie agitur in ecclesia ita atterunt, eĳciunt atq; conculcant, ut istius ne puluisculus quidem posthac piorum inhæreat animis. Deinde qum non omne protinus scripti genus ab ecclesia intelligitur quod è peregrina lingua, utpote Hebræa uel Græca uersum est in Latinam uel uulgarem, necesse est ut hoc quidem negotium ab interpretibus & lectoribus cœptum, absoluatur à prophetis, qui abstrusiorem sensum eruant, pietatem doceant, ac ecclesiam consolẽtur exhortentúrue. Inter hos ergo hunc uult seruari ordinem, ut non plures binis aut ternis loquãtur, idq; uicissim ut supra in linguarum tractatione ostendimus, ne qua oboriatur confusio. Cæteri enim omnes ait διακρινέτωσαν dijudicent siue expendant quid dicatur, aut quàm apposite & pie quæq; explicentur. Atq; ad hunc fermè modum exposuit & Ambrosius dicens, Cæteros aut interrogare permisit de his quæ fortè in ambiguum ueniunt, aut quæ assequi aliquis non potest. Quia diuersa sunt ingenia, ut disputatione planiore dilucidentur. Erasmus paulò diuersius exposuit dicens, Ad eundem modum prophetæ non omnes, sed bini & terni loquantur, idq; uicissim, sed adsint quibus adest donum dignoscendi prophetarum afflatus, ueri sint nec ne, qui reĳciant, si quid dictum est Christi spiritu indignum. Monemus autem hæc diligentius, ne quis credat hominem scripturæ iudicem esse impositum. Examinanda quidem probandaq; est prophetia, hoc est doctrina hominis, quæ è sacris ducitur, sed scripturis sacris. Ipsa uero scriptura

Cæteri dijudicent.

Examinãda non à Papa, sed tota ecclesia.

sacra

sacra à nemine est iudicanda, sed ei citra omnẽ controuersiam & ambiguitatem credendum. De qua re nonnulla in 2. cap. huius epistolæ annotauimus, scripsere de eodem argumento & alij ecclesiarum ministri. Iam quod nunc per digressionem dicturi sumus, ad sensum facit loci præsentis. Breuibus autem enarrabimus quem ordinem in linguis & prophetia obseruet, restauratore felicis memoriæ H. Zuinglio, ecclesia Tigurina. In primis exturbauit illa horas quas uocant Canonicas, cantum quoque linguæ peregrinæ & theatricam obstreperamq; musicam: non quod sacra displiceat lectio aut oratio, illas enim unice restitutas cupit: sed quod plurima in publico cœtu cantata ac recitata sunt, quæ dogmatis fidei Christianæ erant aduersa, item quæ erant superstitiosa & ad quæstum tantum instituta: deniq; quod illa quoque quæ ex sacris lecta sunt Bibliis, isto prorsus modo abusuq; lecta sunt quo Sciolos Corinthiorum sacra in cœtu sancto legisse constat. Omnia itaq; semel exturbata sunt, sed in eorum locum utiliora hæc reposita. Principio quotidie cõuenitur exoriente sole ad preces & contiones publicas, in quibus & deus oratur pro his quæ temporis ratio ecclesiam orare iubet, & traditur pietas propositio aliquo ex scripturis loco, qui & uulgari lingua absq; omni linguarum inuolucro explicatur. Deinde uero quod linguas ac prophetiam attinet abstrusiorem ea hora qua prius canebantur Horæ canonicæ nunc quotidie coit cœtus doctorum maxime. In eo autem tractantur summa cum diligentia ac reuerentia libri ueteris testamenti. Noui enim testamenti opuscula indies pro publicis exponuntur concionibus. Cæterum nihil hic temere aut confuse peragitur. Series cum librorum tum capitum obseruatur, neque aliud incipitur, nisi præcedens absolutum fit: imò ne plura quidem præleguntur quàm quæ summo cum otio & accurata diligentia proq; dignitate rerum et auditorum utilitate explanari queant. Porrò à sacris precibus hic cœtus sumit initium. Precantur enim omnes communibus uotis omnipotentem & misericordem deum, cuius uerbum lucerna est pedibus nostris & lumen semitarum nostrarum, aperiat & illuminet mentem nostram, ut oracula sua pure ac sancte intelligamus, & in illud quod recte intellexerimus transformemur, quo maiestati eius nulla ex parte displiceamus, per Christum dominum nostrum. Peractis precibus prælegit adolescens stipendiarius ecclesiæ iuxta uulgatam quam Hieronymi uocant æditionem eum locum ad quem prophetæ cursu & ordine deuenere interpretandum. Stipendio enim ex ærario ecclesiastico aluntur egregia & bonæ spei ingenia, atque in artibus, linguis, & literis sanctis instituuntur, ut aliquando ecclesiæ unde aluntur rependant ac plurimum sanctis ministerijs prosint. Turpiter enim mentiuntur homines impudentissimi qui scribunt à nobis ærarium expilari ecclesiasticum. Sed de hac re Fabro Viennensi episcopo ante biennium Germana lingua respondimus, quanquam paucis. Vbi uero adolescens eum qui tractandus uenit locum Latina lingua recitauit, assurgit lector Hebræus ac Hebræa lingua eundem locum recensет, sparsim eius linguæ idiotismos proprietatesq; indicans, iam sensum etiam reddens, aliquoties uerbum uerbo interpretans, sed & Grammaticorum & Rabinorum recitans sententias. Hoc muneris hodie summa cum diligentia, eruditione, & pietate obit D. Chuonradus Pellicanus Rubeaquensis, uir de linguis, pietate ac literis optime meritus. Hebræo succedit lector Græcus, hic Septuaginta interpretum aut quorumcunque tandem sit uersionem Græcam percurrit, cum Hebræo confert, & quatenus ab illo discrepet ostẽdit, aliquoties & restituit, ubiq; aduigilat acurate. Hac collatione facta uersioneq; Græcorum interpretata, demum prophetæ officio fungitur qui hactenus præstitit interpretem. Ea enim quæ iam Latinè, Græce, & Hebraicè lecta sunt, omni diligentia & summa fide enarrat, indicans quomodo præsens ille locus à priscis sit tractatus scriptoribus, quid de eo senserint Iudæorum interpretes, quid catholici, quid uerbis sacris consentaneum, quæ uerborum cohæsio, structura & uis, quæ sententiarum maiestas & proprietas, uis & elegantia, quò omnia referenda: breuiter quis genuinus sensus, item quis usus & fructus huius loci, quomodo ex eo fides, pietas, sanctimonia, iustitia, & constantia discenda sit. Sed quid multis opus? ædidit hisce diebus Nahumi expositionẽ D. Theodorus Bibliander, qui hoc sibi apud nos muneris, de quo

Quam rationem sequatur Tigurina ecclesia in prophetia et linguis.

iam diximus delegatũ habet: illa uero ſpecimen tibi quodpiam exhibuit prophetiæ noſtræ, hoc eſt tractationis ſcripturæ ſacræ, ut ſcilicet iſta apud nos in cœtibus tractetur ſacris. Hactenus uero ædificantur linguis & prophetia docti, & qui Latinæ linguæ periti ſunt. Omnia enim iſta Latina peraguntur lingua: proinde ut ad totam quoq; eccleſiam ad ipſum inquam populũ promiſcuum aliqua redeat utilitas, eundem illum locũ quem hactenus tractarunt ſacri interpretes & prophetę pro publica concione plebi exponunt epiſcopi, proponentes plebi ea quæ ædificationis ſunt, conſolationis & exhortationis. Interim autem dum ſacra ad hunc modum à prophetis interpretibus & epiſcopis tractantur, tota eccleſia ſedet, omnia quæ dicuntur dijudicans, id eſt, tacite apud ſe expendens quò pertineãt omnia, quis eorum uſus ac fructus. Hæc non abs re neq; ſine fructu & uerborum Apoſtoli expoſitione paucis adumbrata cõfido, nunc ad Apoſtolũ redeo.

Porrò ſi alij fuerit reuelatum aſſidenti, prior taceat. Poteſtis enim ſingulatim omnes prophetare, ut omnes diſcant, & omnes cõſolationem accipiant.

Quia licentia pleriq; audentiores arrogantioresq; efficimur, hiſce cohercet quorundam efferam licentiam ſuperbiamq;, qua inflati quidam quidlibet ſibi functionis nomine licere putant, adeoq; & præſcribere & docere ſemper, nunquam uero doceri ac erroris admoneri uolunt. Proinde Paulus, Si alij, ait, aſſidenti fuerit melius quippiam reuelatum, licebit & illud proferre in medium, illæſa quidem functione & authoritate prophetica. Tam enim abeſt ut propheta meliora ab alijs doctus, ſuam illam ſententiam pertinacius aſſerere pergat, ut meliorem etiam cum gratiarũactione ſuſcipiat conticeſcens ac alteri concedẽs. Addit huius præſcriptionis rationem, Poteſtis enim ſingulatim omnes prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant. Id eſt, Si illud quod dicturi eſtis ad ædificationem, ſi ad doctrinam, ad conſolationem & exhortationem facit, ſi aliquid neglectum eſt à prophetis quod dictum oportuit, aut ſi non dictum eſt ut oportuit, iam monere licet. Scripturæ ergo diuinæ aduerſus eſt canon Pontificis, qui in hæc uerba legitur 17. Quæſt. 4. cap. Nemini eſt de ſedis apoſtolicæ iudicio iudicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum. Similiter de iudicio ſummi pontificis alicui diſputare non licet. Ecce quàm nihil puduit iſtos leges aduerſus manifeſtiſſimam ſtatuere ueritatem. Paulus dicit, Poteſtis omnes prophetare, modo uiciſſim id fiat aut neceſſum ſit. At Pontifex, Nemo ait de Romani præſulis ſententia dubitet aut iudicet. In contrarium uero peccant Catabaptiſtæ. Nam ut Pontificij mendacia ſua argui nolunt, ita Catabaptiſtæ ueritatis præcones & ueritatem docentes, huius loci prætextu diris adoriuntur conuicijs, & quidlibet ſibi in eccleſia licere autumant. Verum oportet iſtis rationibus ueritatem exerceri & uincere tandem. Neq; uero ſanctus dei ſpiritus quibuslibet hiſce uerbis poteſtatem fecit dicendi quælibet, & ut prima quæq; in buccam ueniẽtia effutiamus, ſed modum & certam uoluit eſſe prophetandi rationem, ne quis illa abuteretur ad tyranni dem & ferociam. Cæterum Catabaptiſtæ nihil hinc niſi ferociendi eccleſiamq; turbandi anſam accipiunt.

Spiritũ ne extinguatis, 1. Theſſal. 5.

Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubijciuntur. Non enim eſt confuſionis author deus, ſed pacis, ut in omnibus congregationibus ſanctorum.

Dicat aliquis, Sed periculum erit ne ex illa libertate oboriatur in eccleſia diſſidiũ. Reſpondet, Neutiquam. Spiritus enim prophetarum, prophetis ſubijciuntur. Cæterum nõ de ipſo ſpiritu ſancto, ſed de animo & ſentẽtia prophetæ loquitur. Quaſi dicat, Non eſt periculum ne diſſidium oboriatur in eccleſia. Nam ſi quis ſpiritu dei bono ducitur, & aliquam apud ſe ex ſacris collegit ſentẽtiam, illam haudquaquam mordicus præhenſam tuebitur acerbius, ſed alios quoq; audiet prophetas, & ſi quid protulerint ſanctius & proprium magis ſine contentione ſumma cum modeſtia recipiet. Rurſus qui diuerſam ab ijs quæ dicta ſunt ab alijs profert ſententiam, eamq; à ſpiritu dei ſancto accepit,

nihil

nihil per contentionem faciet. Cauſſa. Non enim eſt ἀκαταστασίας, id eſt, confuſionis, ſeditionis ac turbarum author deus, ſed pacis. Talis eſt in omnibus eccleſijs. Conſequens igitur eſt, quod talis etiam in ueſtris eccleſijs fit futurus, ut nō ſit periculum turbas inter eos prophetas oborituras, qui ſpiritu dei ducuntur: at ſi quis ſpiritum dei non habet, ſtatim quo ſpiritu agatur prodit, & ſeſe ſua improbitate explodit è cœtu ſanctorum. Quis enim non contemnat rixatorem pertinacius contēdentem? Et hac nota produnt ſe non dei ſpiritu, ſed humano affectu impulſos loqui. Iacobus enim, Si æmulationem, inquit, amaram habetis & contentionem in corde ueſtro, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſum ueritatem. Non eſt enim iſta ſapientia è ſupernis deſcendens, ſed terrena, animalis, dæmoniaca. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi ἀκαταστασία, id eſt tumultus ſiue confuſio, & omne opus prauum. Monet præterea hic locus Pauli haud temere quoslibet ad prophetandum profilituros, niſi quos inſignis impulerit impudentia. Nam ſpiritus domini nihil temere, ſed omnia cum iudicio & grauitate tum demū aggreditur, cum ipſa poſcit res, non cum affectus ſuadet humanus. Quin & idem ille Iacobus, Nolite ait plures fieri magiſtri fratres mei, ſcientes quod maius iudicium ſumpturi ſumus. In multis enim labimur omnes. Iſtud ſi expenderetur diligentius, haudquaquam tam promptis animis quidam ad prophetandi aſpirarent officium, ſed & minus turbarum eſſet in eccleſia, minus Catabaptiſtarum & errorum. *Iacobi 3.*

Mulieres ueſtræ in eccleſijs ſileant, nec enim permiſſum eſt illis ut loquantur, ſed ut ſubdite ſint: quemadmodum & lex dicit. Quod ſi quid diſcere uolūt, domi ſuos uiros interrogent. Nam turpe eſt mulieribus in cœtu loqui.

Rurſus ne quid interrogarent, Quid interim in cœtu ſacro fœminæ? an non & ipſæ ſi quid melius hauſerint à bono dei ſpiritu in cœtu publico proponēt? per occupationem reſpondet, Mulieres ueſtræ ſileant. Et huius præceptionis ſuæ authorem allegat deū qui in lege Gene. uidelicet 3. cap. uiro ſubdiderit fœminam: ex quo colligit, haud decere ut mulier in cœtu publico utatur magiſterio & dictatura in uiros. Sed interrogatura erat, ais, quod non intellexerat. Reſpondet, Domi interroget. Ita fiet ut nihil indecore geratur in cœtu, neq; ipſæ fraudentur doctrina. Nam prorſus indecorum ſpectaculum eſt uidere mulierem in publico cœtu ſanctorum loqui, quum id etiam in prophanis concionibus ethnicorum fœdum habeatur. Plura in 1. Timoth. 2. capite de mulierum modeſtia & ſilentio.

An à uobis ſermo dei profectus eſt? An in ſolos uos incidit? Si quis uidetur propheta eſſe aut ſpiritualis agnoſcat quæ ſcribo uobis quod domini ſint præcepta, cæterum ſi quis ignorat, ignoret.

Concluſurus diſputationem de genuino linguarum & prophetiæ uſu abuſuq; inſtitutam, apoſtropha quadam ad pſeudapoſtolos, imò ad omnes Corinthios reclamantes monitis ſuis cōuerſus, miro affectu ipſos cohercet dicens, Quid autem eſt ô Corinthij, ut uos grauemini ſeruare ritum à cæteris obſeruatum eccleſijs? An à uobis primū euangelij prædicatio profecta eſt, ut cæteri ad ueſtrum morem cogēdi ſint? An ſoli uos ſapitis & cæteræ deſipiunt eccleſiæ? Quod ſi à me primum accepiſtis euangelium, cur non bene monenti obtemperatis? Sed nos, inquiunt Corinthij, obtemperaremus, modo Doctores noſtri ſuſciperent quod ſuades. At Paulus, Satis ait de hac re diſputatum eſt, ego cum rixatoribus iſtis nō contendā odioſius, hoc tamen certiſſime noui quod ſi qui apud uos prophetæ bono dei ſpiritu rite imbuti ſunt, facile intelligent fatebūturq; me uobis non mea ſed dñi hac in re præcepta tradidiſſe, qui proculdubio contemnitur ab ijs qui hiſce noſtris nolint obedire preſcriptionibus. At ſi quis iſtorū tam prophanus eſt, ut iſtud uel nolit, uel non poſſit uidere, agè ſuo periculo ignoret. Certè hoc ipſo quod præcepta dñi per me quidē uobis tradita aſpernatur, animi ſui impietatē prodit. Et Theophy. ad eundem modum poſtremū hoc Pauli membrum, Qui ignorat, ignoret, perinde exponit ac

si dixisset, Ipse quidem officio functus sum meo. Dixi enim quod erat dicendum, pareat modo qui uelit: quod si quis in sordibus est, sordescat adhuc. Decertare non est meum, satis est admonuisse. Recte enim Solomon, Noli inquit respondere stulto secũdum stultitiam suam. Cui non absimile illud est è triuio sumptum, Aduersus uerbosum noli contendere uerbis. Et in .11. cap. Si ait Apostolus, quis uidetur contentiosus esse, nos huiusmodi cõsuetudinem non habemus nec ecclesia dei. Rursus cum ait, Si quis uidetur propheta esse intelliget quod domini precepta sunt quæ scribo uobis, plane cõfirmat quod oñia ea quæ hactenus de linguarũ usu & prophetia atq; in uniuersum de cœtu ecclesia stico scripsit, nõ ex humana, sed diuina traditione scripsit. Proinde si qui uel hodie sunt quibus ista minus arrident, & iccirco pro ritibus à Pontifice in ecclesiam inuectis rixari & hostilius digladiari uelint, missis illis feramur ad perfectiora, obseruãtes traditionem domini, qui unus & solus in omnibus sequendus est.

Proinde fratres ad id enitamini ut prophetetis, & loqui linguis ne uetueritis.

Clausula est ac illatio qua totam huius disputationis summam repetit. Quasi dicat, Tota disputatio huc pertiner, non ut linguas ceu inutiles contemnatis, sed id quod præstantius est æmulemini, prophetiã, qua & efficietis ut linguæ quoq; uobis usui esse possint, si omnia sic fiant quemadmodum præscripsi uobis.

Omnia decenter & secundum ordinem fiant.

Generalis regula obseruãda in ecclesia.

Epiphonematis speciem habet sententia longe elegãtissima & utilissima. Nam quemadmodum decorum & ordo in hoc negotio ita in re qualibet ualent plurimum. D. Ambrosius, Honeste dicit, aut decenter illud fit quod cum pace & disciplina fit. Hæc de linguis & prophetia in cœtu sacro.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Perpulchre diuus Ambrosius sentit in hoc sensu quod mortui resurgunt sitam esse omnium credentium spem. Si enim caro nostra non resurgit, nulla quoq; est incarnatio & resurrectio Christi: itaq; uana forent omnia ea quæ ab initio mundi cum sancti tum præstantes uiri crediderunt expectaruntq;. Id cum fœdum ac impium sit uel per somnium imaginari, nemo satis mirari potest priscorum hæreticorum & Corinthiorũ quorundam uæsaniam qua dementati resurrectionem carnis negarunt. Paulus certè præstantissimus Christi apostolus propter eius excellentiam accuratius, diligentius & doctius de ipsa quàm ulla alia caussa scribit, clarissimis & firmissimis illam argumentis astruens, modum quoq; & rationem eius indicans. Scholiastes monuit Resurrectionis nomen Hebræis non solum illam ultimam corporum resuscitationem significare, sed etiam uitam ac subsistentiam animæ immortalem post hanc uitam. Equidem certissimum est animas non interire, cum constet ipsum corpus quod anima quasi ignobilius est, resurgere: at præcipue de corporum resurrectione in præsentiarum agit.

CAP. XV. Notum autem uobis facio fratres euangeliũ quod euangelizaui uobis quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

Exordio excitat auditores, exponẽs euangelicæ prędicationis uim & emolumentum, atq; ita etiã beneuolos & attentos auditores reddens. Incipit autem ex abrupto cum affectu. Quasi dicat, Quando uero excidit uobis summa illa prædicationis euãgelicę, eadem ueluti de nouo mihi repetenda est. Nam γνωρίζω non solum significat notum facio, sed etiam in memoriam reuoco. Ad affectum facit quod per interciſa membra tanquam cre bris ictibus auditorum animos ferit, Quod & accepistis. Turpe autem est ab eo iterũ deficere quod cũ iudicio aliquando acceperitis. In quo & statis, id est in quo ueluti in petra immobili perstare debebatis. Per quod & salutem consequimini. Nam uirtus dei est ad

salutem

ſalutem omni credẽti: Repetam inquam, quomodo annũciarim uobis, quanta cum integritate prædicauerim, & quanta cum maieſtate uitam promiſerim, id quod tum quidem ſummo cum gaudio amplexabamini, ut nihil ego de ueſtra ſalute dubitarim tum, niſi magis ſimulaueritis fidem quàm credideritis uerè.

Tradidi enim uobis in primis quod & acceperã, quod Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas, & quod ſepultus ſit, & quod reſurrexerit tertio die ſecundum ſcripturas,

Sũma euangelij.

Colligit in pauciſſima capita totam euangeliꝝ Chriſti prædicationem. Continetur ea morte & reſurrectione domini. Morte expiata ſunt peccata noſtra. Reſurrectione uita reſtituta eſt. Eadem illa ſumma colligitur in 4. & 10. cap. ad Romanos. Illud autẽ obſeruandum quod mira cum authoritate dicit, Tradidi quod acceperã. Quaſi dicat, Nihil ex me tradidi, ſed ex ſpiritu dei oĩa. Nam apoſtoli ſiue Legati eſt omnia ad imperiũ & uoluntatem eius qui miſit ipſum exequi. Quo iſtud quoq; uidetur pertinere quod ſcripturas allegat, ueluti hoc modo exponẽs unde acceperit quod tradiderat, ex ſcripturis uidelicet, quæ inſtinctu ſancti ſpiritus nobis allatæ ſunt. Loci porrò ſcripturę de morte Chriſti teſtantes ſunt Exodi 12. Iſaiæ 53. Pſal. 22. Danielis 9. Zachariæ 3. & 13. Reſurrectionis teſtimonium eſt Ionas authore ipſo domino Ieſu. Collegit & alia quædã ipſe Paulus Act. 13. & nos de his copioſiora dedimus in 1. cap. prioris epiſtolæ Petri.

& q̃ uiſus ſit Cephæ, deinde duodecim illis, deinde uiſus eſt pluſq̃ quingentis fratribus ſemel: ex quibus plures manẽt ad hunc uſq; diem, quidam autem obdormierunt. Deinde uiſus eſt Iacobo, poſt apoſtolis omnibus. Poſtremo uero omnium uelut abortiuo uiſus eſt & mihi.

Probatio reſurrectionis corporis Chriſti.

Quandoquidem in reſurrectionem domini totam orationis ſiue diſputationis ſuæ ſtructuram ceu fundamento impoſiturus erat, pluribus teſtimoniꝭ, ſed mira breuitate perſtrictis illam oſtẽdit. Nos indicia ac teſtimonia reſurrectionis dominicæ paulò copioſius colligemus. Primo quicquid euangeliſtæ referunt de ſepultura, facit ad euidentiſſimam reſurrectionis demonſtrationem. Nam lapidem quem oſtio monumenti anxius ingeſſerat impiorum pauor, angelo de cœlo deſcendente excuſſit grauiſſimus telluri immiſſus terræmotus. Quorſum uero opus erat referari ſepulchrum ſi ipſum corpus monumento creditum prodire non debebat? Et cuſtodes non ſpiritum aliquem, ſed ipſum Ieſum reſurrexiſſe teſtãtur. Huc pertinet iam angelorum teſtimonium, quod nulla non parte ſui uehemẽtius urget. Primum Ieſum Nazarenum crucifixum, ad mulieres inquiunt, quæritis. En tibi, mortuum quærebant corpus officioſe iſtud uncturi. Sed angeli, Quid quæritis, aiunt, uiuentem cum mortuis? Surrexit. Quid aũt ſurgit? nónne id quod cecidit? Anima aũt non cadit, Diuinitas non cadit. Corpus cecidit, Corpus itaq; reſurrexit. His addũt aliud, loci ſcilicet circumſtantiã, Non eſt hic, ecce locus ubi poſuerũt eum. Proinde illud reſurrexit quod loco potuit cõprehendi, ipſum ſcilicet corpus. Accurrũt ad monumentũ Ioannes ac Petrus, & ueræ reſurrectionis fiunt teſtes. Exuuiũ enim, hoc eſt lintea ſepulti in monumẽto reperiunt, ipſum corpus quod linteis inuolutũ erat, non reperiunt, corpus itaq; quod inuolutũ erat linteis reſurrexit. Iam ſequuntur apparitiones, id eſt occulta teſtimonia, & quomodo ſeſe multis exhibuit uiuentẽ. Primo apparuit Mariæ Magdalenæ. 2. pluribus fœminis inuiſentibus ſepulchrũ in Matthæo. 3. duobus euntibus Emaum, apud Lucam. 4. Simoni Petro, cuius hic à Paulo fit mentio, & apud Lucam in 24. Nam duobus illis Emao redeuntibus dicunt undecim, Surrexit dñs uerè, & apparuit Simoni. 5. apparuit undecim ianuis clauſis congregatis. Putantibus autẽ illis ſe ſpectrum cernere quodpiam, dum uiderent dominum, ipſe manus ac pedes cicatricibus inſignes oſtendit, addens, Spiritus ſiue ſpectrũ carnẽ & oſſa non habet, ſicut uidetis me habere. Palpate & uidete, & ſi quid obſoniꝭ habetis adferte. At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & aliquid de fauo apiario, & accepit & in conſpectu eorum edit, ut ueritatem probaret corporis rediuiui. 6. Poſt dies octo iterum congregatis diſcipulis

apparuit Iesus, ac Thomam tum quidē incredulum sibi propius adhibuit, imò seseipsi tangēdum præbuit, ne quid de corporis rediuiui ueritate dubitaret. Crediderim autem Paulum hoc in loco alterutram istarum citauisse, nihil obstāte numeri diuersitate. Nam & diuus Augustinus quæstio. in uetus test. lib. 1. hunc nodum sic explicat, ut dicat in maiore numero reddendo non haberi ullam rationem alicuius minutæ particulæ, Duodecim ergo à Paulo ὑστερικῶς dictos esse contendit. Vtcunq; uero res habeat, certum est Paulum de certo isto designatoq; ab ipso domino apostolorum numero loquutum, cui postea Matthias coaptatur, ut & ipse testis oculatus esset resurrectionis, & omnium eorum quæ gessisset dominus. 7. Post hæc abierunt discipuli in Galilæam in montem quem ipse dominus præcedens designarat, cumq; uidissent eum adorauerunt eum, quidam autem, ut Matthæus refert, dubitauerūt. Atq; hanc quidem omnium clarissimam apparitionem fuisse crediderim, cuius mentio hic ab Apostolo fiat, Visum scilicet dominum plus quàm quingentis fratribus. Fratres autem dixit quos nos uocamus Christianos. Et horum quidem alios obdormiuisse, id est mortuos esse, alios uero adhuc uiuos testes etiamnum uiuere asserit, ut grauius pondus habeat probatio. Transimus hic illas apparitiones quas recensuit euangelista Ioannes in cap. 21. nenimus ad eas quas Paulus enumerauit & in euangelio non habentur expressæ. Deinde, ait, uisus est Iacobo. Deinde autem ordinis est non temporis. Nihil enim aliud dicit, quàm dominum ipsi etiam Iacobo esse uisum, certè inter initia & priuatas apparitiones dum Simoni appareret, & priusquam ipsa resurrectionis ueritas omnibus palàm innotesceret. Hunc Iacobum esse credunt, qui primus fuit Hierosolymitanus episcopus, cuius mentio fit in Actis cap. 21. Huic addit testimonium aliud, Post apostolis omnibus. Videtur autem per apostolos intellexisse omnes discipulos. Nam & Paraphrastes, Deinde cōspectus est apostolis omnibus, inquit, non tantum illis duodecim, à quibus primum ortum apostoli cognomen, in plures deriuatum est. Et Theophylactus, Erant quidem alij, ait, præter apostolos, ut LXX. illi. Cæterum ultimo tandem loco suum quoq; cæteris iungit, asserens etiam se uidisse rediuiuum dominum. Id quod Ambrosius exponens dicit, Apparuit illi primum in cœlo, post orāti in templo. Sed utcunq; habeat apparitionis modus, certum est quod dominus se uiuentem exhibuerit Paulo. Abortiuum uero fœtum se appellat, id est hominem proiectitium, contemptum, & nullius propemodum uel frugis uel dignitatis. Nam paulò post seipsum exponens subdit, Ego enim sum minimus apostolorum. Et Germani schemate pari homines ignobiliores uocamus *vßwürffling*, *vßschindling*. Alij exposuerunt præmaturo partu ac infelici sydere natum. Quemadmodum & Germani de infelicioribus dicere solemus, *Der ist ze frů geborẽ*. Vera enim uita ante conuersionem carens à conuersione demum se infelicissimum fuisse sensit. Theophylactus, Nonnulli ait ultimum mulieris partum per ἔκτρωμα intellexerunt. Vnde Ambrosius scripsit. Abortiuum se dixit, quia extra tempus natus in Christo apostolatum accipit iam Christo in cœlos recepto cum carne. Certe eiectus uerius quàm natus refertur, Acto. 9.

Paulus abortiuus fœtus.

Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum idoneus ut dicar apostolus, propterea quod persequutus sim ecclesiam dei: sed gratia dei sum id quod sum. Et gratia eius quæ profecta est in me, non fuit inanis, sed copiosius quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, sed gratia dei quæ mihi adest.

Obiter & in medio orationis cursu præoccupat, quod præsenti caussæ poterat incommodare. Nihil enim hic ostentationis aut iactantiæ gratia dicit, sed ne quid detrimenti ipsa ueritas pateretur aspersa labe persequutionis Pauli. Dicit ergo, At quod illi obijciūt mihi persequutionem ecclesię, fateor quidem indignum me esse qui dicar apostolus, sed uisum est interim deo me hoc honore & munere dignari, ut quicquid iam sum non mei muneris, sed dei bonitatis sit. Hic uero paucis & modeste exponit quanta per ipsius ministerium fecerit deus. Quanquam, inquit, uocatione sim postremus, nō gessi me in postremis, sed plus laborum exhausi q̄ quisquam alius apostolorum. Ex quo loco apparet

hanc

hanc epistolam ab Apostolo serius quidem esse scriptam, dum uidelicet ab Ierusalem & in circumiacentibus regionibus per uniuersam propemodum Arabiam, Syriam, Ciliciam, Pamphiliam, Galatiam, Asiam, Macedoniã & Achaiam ad Illyricum usq; omnia iam impleuisset prædicatione euangelica. At de nullo apostolorum maiora leguntur, id quod post Lucam ipse de se hoc in loco prædicat Apostolus, non in contemptum aliorum apostolorum, qui & ipsi in propagando euangelio Christi laborauerunt diligentissime, sed in defensionem functionis suæ, adeoq; caussæ præsentis. Rursus ne quid suis uideretur tribuisse uiribus per correctionem addit, Non ego tamen, sed gratia quæ mihi adest. Deus enim homine utitur ut instrumento, sed omnis interim gloria & laus rei bene gestæ deo adscribenda est, qui & nobis aliquoties id quod ipse per nos agit ascribit idq; per gratiam. Nostra enim mala in nobis punit, & sua dona in nobis coronat.

Siue igit ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis. Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos non esse resurrectionem mortuorum?

Propius nunc accedit ad rem. Principio orationis contextum proxima præoccupatione interruptum atq; turbatum sarcit restituitq;, dicens, Vtcunq; uero ea res habeat, hoc interim certum est consentientes nos idem prædicare omnes, Christum scilicet resurrexisse à mortuis. Huc enim pertinent omnia quæ disputauit hactenus. Et quod ait magno consensu nos prædicauimus, uos ueluti certum & indubitatũ credidistis. Videtis nos nostri similes, uos quoq; ne uobis ipsis dissimiles este, dubitãtes de resurrectione domini. Sed quorsum hæc tam alte repetita pertinent? Erant apud Corinthios qui resurrectionem mortuorum, ut paulò ante monuimus, ponerent in dubium, illos hac disputatione reuincit Apostolus, demonstrans illos in subuersionem euangelij tendere. Vnicum enim scopum euangelij esse quod dominus pro peccatis nostris mortuus, tertia die à mortuis resurrexerit, quæ quidem omnia semel subuertantur, si mortuorum resurrectio tollatur. Id quod in consequentibus copiosissime explicabit. Illud uero mirandum quod una atq; eadem sententia & aduersariorum opinionem recensuit, simul & disputationis suæ scopum ac conclusionem præmisit. Quod si ait, Christus resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam inter uos non esse resurrectionẽ mortuorum? Aduersariorum ergo sententia est, Non esse resurrectionem mortuorum. Pauli sententia est, Esse resurrectionem mortuorum. Hæc iunctam habet caussam, Quia Christus resurrexit. Ex hoc enim sequitur quod & nos resurgemus. Sed quæ ratio consequẽtiæ? Nam de antecedente & multis & firmis argumentis approbato nil posthac dubij angit. Consequentiæ ergo hæc est ratio. Quoniam membra sumus corporis Christi ex carne eius & ex ossibus eius, Ephes. 5. Hinc ergo fit ut resurrectio corporis Christi corporũ quoq; nostrorum resurrectio sit. Ipsissimum enim corpus Christi sumus. Proinde qui excitauit Iesum Christum ex mortuis, is & mortalia corpora nostra uiuificabit. Tertullianus libro aduersus Marcio. 5. hunc Pauli locum tractans, & occasionem huius disputationis & ipsa rei uocabula mira euidentia trahit in argumentũ ueræ resurrectionis. Verba eius quod in tota hac disputatione plurimum & claritatis & firmitatis habebunt nunc ascribo. Primo despiciendum est, ait, quomodo quidam tunc negarint mortuorum resurrectionem, utiq; eodem modo quo & nunc. Siquidem semper carnis resurrectio negatur. Cæterum animam & sapientum plures diuinam uindicantes saluam repromittunt, & uulgus ipsum ea præsumptione defunctos colit, qua animas eorum manere confidit. Cæterum corpora aut ignibus statim, aut feris, aut etiam diligentissime condita temporibus tamen aboleri manifestum est. Si ergo carnis resurrectionem negantes Apostolus retundit, utiq; aduersus illos tuetur, quod illi negabãt, carnis scilicet resurrectionem. Habes compendio responsum. Cætera iam ex abundanti. Nam & ipsum quod Mortuorum resurrectio dicitur, exigit defendi proprietates uocabulorum resurrectio mortuorum. Ita mortuum uocabulum non est, nisi quod amisit animam, de cuius facultate uiuebat. Corpus est quod amittit animã, & amittendo fit mortuum, ita mortui uocabulum

Non animæ immortalitas, sed corporũ resurrectio negabatur.

Mortuorum resurrectio.

corpori competit. Porrò si resurrectio mortui est, mortuum autem aliud non est quàm corpus, corporis erit resurrectio. Sic & resurrectionis uocabulum non aliam rem uindicat quàm quæ cecidit. Surgere enim potest dici & quod omnino non cecidit, quod semper retro iacuit. Resurgere autem non est, nisi eius quod cecidit. Iterum enim surgendo quia cecidit resurgere dicitur. Re enim syllaba iterationi semper adhibetur. Cadere ergo dicimus corpus in terrã per mortem, sicut & res ipsa testatur. Ex dei lege corpori enim dictum est, Terra es & in terram ibis. Ita quod de terra est, ibit in terram. Hoc abit quod in terram ibit, hoc resurgit quod cadit. Idem in libro de Resurrectione carnis dicit, Quo modo autem Christus resurrexit, in carne an non? sine dubio si mortuum, si sepultum audis secundum scripturas, non aliâs quàm in carne, æque resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte, quod iacuit in sepultura hoc & resurrexit, non tam Christus in carne, quàm caro in Christo. Igitur si ad exemplũ Christi resurgemus qui resurrexit in carne, iam non ad exemplũ Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus. Exemplum enim non ex diuersitate, sed ex parilitate componitur. Hæc Tertullianus. Redimus ad argumenta Pauli.

Porrò si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. Quod si Christus nõ resurrexit, inanis uidelicet est prædicatio nostra, inanis autem est & fides uestra: reperimur autem & falsi testes dei, quoniam testati sumus de deo, quod excitauerit Christum, quem non excitauit, si uidelicet mortui non resurgunt.

Recenset absurda quę istorum consequantur opinionem, ostendens quod illa tendat in euersionem doctrinæ euangelicæ. Cæterum ipsam argumentationem ductu obliquo ducit mira gratia miro & cum robore. Tradunt enim Dialectici cuiusq; rei probandæ duplicem esse ductum. Vnum quidem directũ, ut cum proposito aliquo uelut recta uia colligimus id quod probare uolumus. Vt qui probare uolet corpora nostra resurgere, dicat, Corpus Christi resurrexit, ergo corpora nostra resurgent. Alterum uero ductum obliquum aut indirectum, ut cum accepto contradicente eius quod probare uolumus, colligimus ex eo aliquid quod falsum sit, unde regressi, docemus falsum id esse ex quo collectum est, idq; quia contradicens est eius quod intendimus probare, consequens est istud ipsum esse uerum. Vt, Corpora nostra resurgunt. Si enim non resurgant, Christi corpus non resurrexisset: sed falsum est hoc, falsum ergo ex quo colligitur id, hoc est corpora nostra non resurgere: uerum igitur erit quod intendimus, corpora nostra resurgere. Verum Paulus plurima simul absurda & contradicentia connectit, ut id quod intendit ualidius inferat, corpora nostra resurgere. Si ait mortuorum resurrectio nulla est, ne ipse quidem dominus resurrexit. Quorsum enim attinebat caput resurgere, si membra interire debebant? Hic perpetuo ingerendum, Sed resurrexit dominus, ergo & corpora nostra resurgent. Accedit aliud, Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio, & falsum est testimonium nostrum, qui testati sumus quod potentia diuina excitatum sit corpus Christi, id quod & in ignominiam dei redundabit, quasi manus eius abbreuiata, & promissio eius mendax sit: hæc enim incommoda omnia ex eo consequentur si mortui non resurgunt. Tota enim prædicatio apostolica innititur in resurrectionem Christi. Quid enim fausti, læti, diuini ac magni prædicassent apostoli, si aliud nihil quàm Christum crucifixum & mortuum esse, non autem & mortem & peccatum uicisse, demum & resurrexisse prædicassent? Inanis igitur & nullius momenti esset fides uestra, quæ nititur Christo non mortuo, sed ex mortuis resuscitato. Cæterum uera & solida est fides uestra, firmum & certum est testimonium prædicationis nostræ, quo testati sumus resurrexisse crucifixum, certa igitur & uera est mortuorum resurrectio.

Etenim si mortui non resurgũt, ne Christus quidẽ resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, superuacanea est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris, igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si in

uita

uita hac ſpem in Chriſto tantum fixam habemus, maxime miſerabiles omnium hominum ſumus.

Eandem rem ut uehementer indignam cum admiratione repetit, ſed uerbis paulò grauioribus & dilucidioribus adiunctis ſimul & membris quibuſdam nouis. Dixerat, Si Chriſtus non reſurrexerit inanis eſt & fides ueſtra. Hic addit, Adhuc eſtis in peccatis ueſtris, id eſt, ideo uana & ſuperuacanea eſt fides ueſtra, quod illud non eſtis conſequuti quod ipſa fides conſequutos clamat, peccatorum remiſſam & uitam æternam. Mors enim peccati pœna eſt. Valet autẽ pœna quandiu uiget culpa. Si igitur Chriſtus ex mortuis non reſurrexit, euicit pœna & proinde uiget adhuc culpa. Atqui per mortem Chriſti remiſſa ſunt nobis peccata. Nam tertia die rediuiuus rediit morte & peccato deuicto: reuiuiſcent ergo & corpora noſtra. Si enim non reuiuiſcerent, & animo & corpore periiſſent ſancti, qui uitam ſuam hactenus ob profeſſionem nominis Chriſti, ueluti Stephanus, Iacobus & alij uiri præclari & innumeri poſuerunt, & reſurrectionis ſpe carnificum gladijs ceruices ultro præbuerunt. Animæ enim illorum in peccatis, quæ nondum fregiſſet aboleuiſſetq; crucifixus Ieſus, periſſent, & corpora ipſa interiiſſent, utpote quæ neque præſentibus uſi ſunt bonis, neq; futura conſequentur ſi non reſurgunt. His iungit omnino patheticam ſententiam, Porrò ſi animam ac corpus non manet felicior aliqua futuræ uitæ ſpes, ſi ſpes noſtra nil auguſtius habet quàm quod in hac uita aſſequimur, ſi non porrigitur ultra terminum uitæ præſentis, non ſolum non ſumus felices, uerumetiam calamitoſiores impijſſimis quibuslibet. Hi enim uitæ præſentis commodis utcunq; fruuntur, corpora ſua omni delitiarum genere molliſſime fouent, nos uero corpora noſtra uirtutum ſtudio cohercemus, & in ipſam mortem hac uita ſpreta tradimus: itaq; ſi poſt hanc uitam nihil gloriæ ac uoluptatis adipiſcentur miſerabilia ſanctorum corpora, certè omnium infeliciſſimi ſunt ſancti, ut qui præſentia ſpe futurorum contempſerunt, & futura illa nunquam aſſequuntur. Hic iterum adijciendum, Sed hoc falſum eſt, falſum igitur & illud eſt ex quo iſtud collectum eſt: uerum autem contradicens propoſitio, quod reſurgunt corpora noſtra. Cæterum ex hiſce uerbis claret quis ſit fructus reſurrectionis, & quod in euerſionem religionis Chriſtianæ tendunt qui corporis reſurrectionem uel negant, uel in dubium ponunt. Porrò ſi quis eſt qui putat ſolam animam, aut corpus alioqui nouum & ſpirituale, hoc eſt imaginarium, bonis futuræ uitæ fruiturum, ei Theophylacti uerbis reſpondemus, Verum quid illud? Neq; enim hæc ſola laborem ſuſcepit, ſed corpus etiam bonis actibus inſudauit. Quo ergo pacto illud par uideri debet, ut corpus quod maiores labores ſubierit, nihil prorſus futurum habeat, & præmiorum ſit expers, ſolaq; anima coronetur? His adde ſi libet uerba domini apud Matthæum in 10. Nolite timere eos qui corpus poſſunt occidere, &c.

Nunc autem Chriſtus ſurrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierant fuit. Poſtquam enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtum omnes uiuificabuntur.

His demum orationem ſiue argumentationem altius cœptam abſoluit. Dixerat, Si reſurrectio mortuorum non eſt, ne Chriſtus quidem reſurrexit. His uero nondum abſoluit argumentum, addit ergo hic demum, Nunc autem Chriſtus reſurrexit. Inde uero conſequitur quod mortui reſurgant. Conſequitur & illud quod teſtimonium apoſtolorum uerum, quod fides Chriſtiana ſolida, quod peccata remiſſa & ſancti omnes in fide reſurrectionis decedentes ſeruati ſint. Iam quæ conſequuntur magis pertinent ad rationem conſequentiæ reddendam, & euincendam. Satis enim confirmatum eſt Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe. Cæterum uideri poterat alicui, ut Chriſtus reſurrexerit nulla tamen neceſſitate conſequi, ut & mortui ſimiliter reſurgant. Conuincit ergo hoc quidẽ ex illo colligi neceſſario. Chriſtus enim ἀπαρχὴ primitiæ dormientiũ factus. Id q̃d Theophylactus expoſuit præuius ille & dux dormientiũ factus eſt, quem imitatus Para

Ioan. 11.

Chriſtus reſurrectio noſtra.

phraſtes, In Chriſto ait cœpta eſt reſurrectio, quæ perficietur in nobis, & ut ille totus reuixit recepto corpore, ita & nos toti reuiuiſcemus. Caput non diuelletur à membris. Ille ceu princeps ac dux primus reuixit, ueluti primitiæ quædam omnium qui cum reſurrectionis ſpe moriuntur: ille reſurrectionem auſpicatus eſt, alij ſequuti ſunt comites dominicę reſurrectionis, & nos olim ſequemur. Scholiaſtes alluſum exiſtimat ad oblationem primitiarum, per quam in ueteri teſtamento omnes reliquæ fruges ſanctificabantur. De quo nos ad Roma. xi. diximus. Breuiter. Conſtat omnes fideles in unum coaleſcere corpus ac panem, in quo caput & primitiæ Chriſtus. Reſurgente ergo Chriſto ſpecimen & argumentum certiſſimum exhibitum eſt quod cætera membra & reliquæ portiones pari modo ſint reſurrecturę. In Chriſto enim exemplum propoſuit pater cœleſtis, quomodo animatus ſit erga uniuerſam carnem. Proinde quod in carne Chriſti factũ uidemus, id quiſq; credat in ſua quoq; carne perficiendum. Chriſtus enim noſter eſt, & nos Chriſti. Caro Chriſti ſoror eſt carnis noſtræ. Nã mẽbra ſumus corporis eius ex carne eius & ex oſſibus eius. Nullibi aſſumpſit angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit, & fratribus ſuis per omnia ſimilis factus eſt. Proinde uita & reſurrectio Chriſti omnium fidelium uita & reſurrectio eſt. Huc facit, quod non dicit, Primitiæ eorũ factus qui moriuntur, ſed eorum qui obdormiunt. Qui enim dormiunt puſillo tempore decũbunt, ut membra quieti dent, deinde excitentur ad intermiſſa opera: ita qui in Chriſto moriuntur, in ſpem reſurrectionis futuræ ſepeliuntur. Nemo dolet quod quieti & ſomno amici membra tradita uidet, nam breui euigilatura nouit. Vnde ad Theſſalonicẽſes Apoſtolus, Nolo uos, inquit, dolere de his qui dormiunt, ut ſolent qui ſpem non habent. Nam ſi credimus quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & deus eos qui obdormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Ad probationem euidentiorem pertinet collatio conſequens, quæ bipertita eſt. Poſterior enim ut clarior, ita priorem accifio fiorẽ quidem exponit. Principio, Poſtquam enim per hominẽ inquit mors, id eſt, poſteaq; per unius hominis peccatum mors omne genus mortalium inuaſit, quod interim ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam non peccarat, nihil mirum ſi per unicum hominem Chriſtum uiuificatur totum genus mortalium. Deinde addit collationem planiorem, Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita per Chriſtum omnes uiuificabuntur. Id eſt, Si uno & alieno commiſſo omnes, & animæ & corporis morte facti ſumus obnoxij, certe per unius uitam & animæ & corpora noſtra reſtituentur. Proinde ſi recte colligimus, Adam pater generis humani peccauit, & mortuus eſt: ergo omne genus mortalium peccat & moritur: nimirum pari ratione rite colligas, Chriſtus caput omnium electorum à mortuis reſurrexit, reſurgent igitur & mortui omnes. Si enim tam potens fuit peccatum in carne, ut ſemel totum genus mortalium interimeret, quis dubitaret gratiam & meritũ Chriſti euidentius eſſe in reſtituendo? Hi autem ſunt cœleſtes illi theſauri quos in Chriſto nobis contulit clemẽtiſſimus pater. Primo enim per incarnationem filij nos ſibi uniuit, deinde per mortem filij à peccatis mundauit, poſtremo per reſurrectionem filij uitę nos reſtituit, ut iam ex gratia eius qui ex protoplaſto noſtro mortui eramus, per Chriſtum dominum æternæ uitæ ſimus hæredes: & hæc eſt illa ſpes quæ per euangelij lætiſſimum nuncium orbi innotuit. Maledicti itaq; ſint qui neglecto Chriſto mediatore uita, ſpe & ſalute unica ad alia conuertuntur, per quæ ad hæreditatem illam ſempiternam pertingant. Porrò quod de reſurrectione mortuorum differentes raro aut nunquam reſurrectionis impiorum meminimus, inde eſt quod illorum reſurrectio mors uerius quàm uita eſſe uideatur. Viuificantur quidem, ſed ad pœnam. Quia corpora ſua recipient, iam non morituri, ſed paſſuri pœnam in eis ſine fine. Dicente domino in Euangelio Ioannis, Veniet hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem filij dei & prodibunt, qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Proinde quod hic dicimus de reſurrectione piorum, idem intelligendum eſt de reſurrectione impiorũ, quod ſcilicet & ipſi ſint reſurrecturi, ſed in mortem: non quod non ſint permanſuri, ſed quod æterna ſint luituri ſupplicia, eo quod credere noluerunt, ac terrena illa bona magis quàm cœleſtia dilexerunt.

Epheſ. 5.
Hebræ. 2.
1. Theſſ. 4.
Plura ad Romanos 5.
Theſaurus pij.
Impiorum reſurrectio.
Ioan. 5.

Vnuſquiſq; autem in proprio ordine, primitiæ Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in aduentu ipſius, mox finis, quum tradiderit regnum deo ac patri, cum aboleuerit omnem principatum & omnem poteſtatem ac uirtutem. Nam oportet eum regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Nouiſſimus hoſtis aboletur mors. Nam omnia ſubiecit ſub pedes illius. Atqui cum dicat, quod omnia ſubiecta ſint, palàm eſt excipiendum eum, qui ſubiecit illi omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubĳcietur ei qui illi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus.

De iudicio et regno ſanctorum æterno.

Occupatione ad obiectionem quandam reſpondet. Deinde de regno & uita ſanctorum æterna diſſerit. Poſtremo ad inſtitutum ſuum redit. Videtur enim nũc digredi, ſed non abs re nec præter ſcopum. Dixerit enim aliquis, Si Chriſti reſurrectio noſtra eſt, & ſi ad modũ Chriſti reſurgemus, is uero tertia die reſurrexit, neceſſe eſt aut tertia demum die nos reſurgere, aut reſurrectionem nullam eſſe. Hic reſpondet: In reſurrectione ordo eſt, hic uidelicet, Primitiæ Chriſtus eſt, initium ſcilicet exemplum & uis reſurrectionis, in quo uidemus quomodo reſurrecturi ſumus, integri utiq; anima & corpore. Vero enim corpore ſe dominus contrectandum præbuit Thomæ, cui & dixit, Quia uidiſti me Thoma, credidiſti, Beati qui non uiderunt & crediderunt. Oportuit ergo Chriſtum, ut primitias tertia die excitari, non ut reſurrectionis diem ſtatueret, ſed ut infallibilem nobis ſpem præberet futuræ reſurrectionis. Iam ergo quod attinet corporum noſtrorum reſurrectionẽ, nos qui Chriſti ſumus, id eſt qui in fide Chriſti decedimus & ſepelimur, ad aduentum domini ultimum reſurgemus tandem, & eo prorſus modo quo Chriſtus olim tertia die reſurrexit. Loquimur autem de generali illa reſurrectione, in qua omnis caro de terra excitabitur atq; colligetur, alia quidem ad uitam æternã, alia uero ad ignem & ſupplicia nunquam terminanda. Mox uero finis, id eſt his quidem peractis finis omnium rerum erit, finis inquam mundi & rerum mundanarum, & finis, id eſt, æternum ſuppliciũ, & nulla redemptionis ſpes reliqua impĳs damnationi à iudicio extremo man cipatis. Atq; hic iterum interpretandi & iudicĳ item regni dei obiter deſcribendi gratia addit, Et id quidem prius non fiet quàm Chriſtus regnum tradiderit deo ac patri, id eſt, quàm filius patri eccleſiam, totum inquam electorum numerum quem morte ſua aſſeruit, adduxerit, item ſe uindicarit de poteſtate aduerſaria. Nam per principatum, poteſtatem & uirtutem aliud non intellexit quàm omnis generis tyrannidem, furorem & impietatem quæ ſe in hiſce terris Chriſto opponit, ipſum etiam diabolum. Duo ergo dicit, Primum regnum, id eſt totum electorum numerum (ſic enim & Auguſtinus exponit Tractatu in Ioannem 86.) deo patri eſſe adducendum, id eſt pios omnes ſaluandos, patrono & interpellatore Chriſto: Secundũ, impios & impietatem omnem deſtruendam, imò & æternis ſuppliciĳs deſtinandam. De qua re copioſius in 2. ad Theſſalonicenſes 1. capite, & tum demum finem affore, nõ eum quidem quo tollitur æternitas, ſed eum qui res mundanas tyrannidem ſcilicet, impietatem & labores terminat, item ueniam denegat. Sentit enim tum quidem damnatis nullam fore redemptionis & ueniæ ſpem, ſed & impios ſemel præcipitatum iri, & pios omni tyrannide & labore liberari, adeoq; & regnum dei æternum omni metu, labore & moleſtia fore liberum, & omni gaudio iucundum. Cur uero ais hanc felicitatem non ſtatim ab ipſa reſurrectione cœpit dominus? Quia oportet eum, iuxta Dauidis uaticiniũ Pſalmo 109. regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Id eſt, oportuit priuſquam iudicaret gloriam Chriſti toti inno teſcere orbi, ut omnes filĳ dei diſperſi ex omni terra colligerent, impietas quoq; ſeipſam in omnibus diaboli membris proderet, & tandem uinceret dominus Ieſus, uindicans & ſuum & ſanctorum ſuorum ſanguinem de manu impiorũ, quos & in die illo triumphantium more calcabit. His per occupationem inſertis, redit ad deſcriptionem iudicĳ & regni dei, cuius mentio & in præſenti prophetæ loco facta eſt. Tum uero, ad iudicium

inquam & finem rerum omnium nouissimus hostis, ipsa inquam mors, quæ ultimo semper impetit genus humanum, abolebitur & telo diuino confossa cadet. Ita enim de morte prosopopœia quadam loquitur, ac si persona sit. Nemo inquit post iudicij diem
Isaiæ 66. morietur. Nam pij æternum uiuent, impij æternum cruciabuntur. Imò omnia, inquit, iuxta prophetiam Psalmi octaui, subijcientur domino Iesu, id est, omnia aduersa per potentiam dei auferentur è medio, & quicquid ueræ felicitatis est, gaudij & uoluptatis affatim fruendum conferetur sanctis. Atqui hoc loco iterum obiectioni aut cauillo respondet dicens, Cum uero propheta dicit pedibus domini omnia esse subdenda, res creatas intellexit, non ipsum creatorem. Vnus enim deus est à quo ipse Christus separatus non est. Nam secundum id quod deus est & unum cum patre omnia ipsi subdita sunt. Hic uero iterum redit ad intermissam narrationem. Cum autem ad eum modum quem diximus Christo subiecta fuerint omnia, tum & ipse filius subijcietur, id est ipsum filij mysterium cessabit, hoc est, tale amplius non erit in æterno dei & sanctorum regno, quale fuerat in ecclesia. Nam ubi non est peccatũ & morbus, ibi nulla opus remissione & medicina: & sic erit deus omnia in omnibus, id est ipse deus tum erit copiæcornu & omnia omnibus electis suis, qui non per ænigma, per intermedia, per mysteria aut speculũ amplius deum uident, sed ipso iam ad satietatem fruuntur, atq; uident sicuti est. Ioannes Oecolampadius Commentariorum libro 2. in Danielem capite 7. hunc locum explicans ad hunc modum istum dissoluit nodum. Cum illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius (in mẽbris scilicet suis) subijcietur ei, qui illi subiecit omnia. Hoc est deuictis & subiectis in uniuersum hostibus, tunc sancti dei in quibus uiuit filius purissime ac felicissime regem ac dominum suum agnoscent, obseruabunt & laudabunt. Seruitus autem & subiectio illa liberrimum regnum erit sanctorum. Erit enim deus omnibus electis omnia, id est omnium desideriorum expletio, plena merces & abundãtissima felicitas. Atq; hic sensus superiore uidetur esse simplicior. Hæc de regno & uita sanctorum sempiterna obiter disputata multas atterunt hæreses, Arrianorum in primis, qui sententiam Pauli non probe expendentes, turpiter & irreligiose de diuinitate filij loquuti sunt. Chiliastæ item qui nescio quos mille annos somniarũt, per quos sancti hisce in terris summa cum uoluptate regnarent. Anabaptistæ quoq;, quorum nonnulli impijs & diabolo salutem & redemptionem promiserunt: cum tamen Paulus diserte dicat, mox finis. Quid quod hisce omnis spes impiorum confunditur? Putant isti se perpetuò regnaturos perruptorosq; uiolentia: uerum aderit aliquando iudex iustus, qui pijs æterna uita donatis, impios æternum torquebit.

Alioqui quid facient ij qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, cur & baptizantur pro illis?

Iterum redit in uiam & epicherematis nonnulis resurrectionem mortuorum demonstrat. Primum sumpsit à superstitione illorum, quam non probauit, sed hactenus usus est quatenus suo instituto inseruire uidebatur. Baptizabantur quidam ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est uice uel in commodum utilitatemq; (quod ipsis uidebatur) mortuorum, siquidem morte fuissent præuenti. Illi quidẽ animas crediderunt esse immortales, restat ergo quod propter ipsa sepulta corpora baptizabant, quod sine resurrectionis sensu fieri non poterat. Aut itaq; resurrectionẽ mortuorum esse necesse est, inquit, aut uestrũ illud pro mortuis susceptum baptisma superuacaneum esse necesse est: sed hoc non dabitis cuiquam, ipso igitur tingendi ritu uestro testamini resurrectionem mortuorum esse. Atq; ad hunc quidem modũ interpretarunt omnes quos ego uiderim expositores sacri, Tertullianus, Theophylactus, Paraphrastes, Scholiastes, & Ambrosius, qui disertis uerbis dicit, Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. Quod si per enallagen quis legat, Si omnino non resurgunt mortui, quid baptizant super mortuos? ut passiuum pro actiuo, deinde uero ὑπὲρ τῶν νεκρῶν posuerit pro ὑπὲρ τοὺς νεκρούς, super mortuos, simpliciorem colliget sensum hũc, Ea uero ceremonia qua omnes pene Gentes super mortua & sepulta corpora baptizant, id est tingunt & aquam spargunt,

rigando

rigando aperte teſtantur flaccida iſta in terram ſeminata corpora refloritura. Inde enim Auſonius in tumulum hominis felicis tale epigramma ſcripſit,

Sparge mero cineres & odoro perlue nardo
Hoſpes, & adde roſis balſama puniceis,
Perpetuum mihi uer agit illachrymabilis urna,
Et commutaui ſæcula, non obij.

Et Aurel. Prudentius Hymno in Exequijs defunctorum clariſſimis uerſibus idem canens cum Auſonio infit,

Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant
Volucres rapientur in auras
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura ſepulchris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.
Quid nam ſibi ſaxa cauata?
Quid pulchra uolunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua ſed data ſomno?

Omnium uero ſignificantiſſime M. Tullius Cicero Tuſcu. Quæſt. lib. 1. hanc rem enarrans dicit, Itaq; unum illud erat inſitum priſcis illis quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, neq; exceſſu uitę fic deleri hominem, ut funditus interiret: idq; cum multis alijs rebus, tum è põtificio iure, & ceremonijs ſepulchrorum intelligi licet, quas maximis ingenijs præditi, nec tanta cura coluiſſent, nec uiolatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem atq; delentem, ſed quandam quaſi migrationem commutationemq; uitæ quæ præclaris uiris & fœminis dux in cœlum ſoleret eſſe, in cæteris humi retineretur & permaneret tamen. Proinde uidetur apoſtolus argumentum pręſens ex ritu duxiſſe Gentilium, quem tamen nõ probauit, animum uero ex quo illa profecta ſunt probauit, hunc ſcilicet obijciens impijs Corinthijs. Quaſi dicat, An non pudet uos negare iſtud quod uel Gentiles ſuis cõfirmant ceremonijs ſepulchralibus? Sed ſi cui prior ſenſus uelut ſimplicior minúsue coactus arridet, nil moror. Paulus enim ad Theſſalo. Spiritum, ait, ne extinguatis, prophetias ne aſpernemini. Omnia probate quod bonum eſt tenete.

Quid et nos periclitamur omni tẽpore? Indies morior per noſtram gloriationem, quam habeo in Chriſto Ieſu domino noſtro.

Aliud epicherema ſtruit idq; per interrogationem figurat, & per amplificationem incendit. Nam maius eſt mori indies quàm periclitari omni tempore. His addit & grauem obteſtationem, hanc ſcilicet: Id uero uerum eſſe aſſeuerare auſim per eam gloriationem quam in Chriſto Ieſu habeo. Per gloriationem uero fiduciam in Chriſtum intellexit. Eſt autem Per hoc loco adiurantis præpoſitio. Nam Græcè eſt νή. Huc pertinet illa Pauli ad Hebræos ſententia, Alij diſtenti ſunt, aſpernati redemptionem, ut potiorẽ ſortirentur reſurrectionem. Nam reſurrectio mortuorũ unica perpetuo martyrum dei ſpes & patientiæ ancora fuit. Vnde legimus beatum Iob poſt multas & uarias tentationum procellas huc tandem ſe ut in tutiſſimum portum recepiſſe ac dixiſſe, Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circũdabor pelle mea & in carne mea uidebo deum, quẽ uiſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi

sunt, ego inquam & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo, Iob 19. Tale est & illud Prudentij,

Pellite corde metum mea membra, & credite uosmet
Cum Christo reditura deo: nam uos gerit ille
Et secum reuocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, & atra sepulchra
Despuite, exurgens quo Christus prouocat, ite.

Si secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas si mortui non resurgunt?

Eiusdem penè generis argumentum est cum superiori. Hoc enim dicit, Si tantummodo me sciebã esse hominem mortalem, hoc est cuius corpus sine resurrectionis spe à beluis potuit lacerari, ego profecto stultus eram qui religionis gratia me apud Ephesum in capitis discrimen conieci. Olim autem solebant damnati bestijs obijci, ut liquet ex historia Danielis. Fortassis per supplicium istud præsentissimum intellexit maximum capitis discrimen, quale fermè illud fuisse conijcimus, cuius mentio fit in Actis cap. 19. Atq; ad hunc modum exposuit & Tertullianus, eum adducens locum qui extat 2. Corinth. 1. capite, Nolim autem ignorare fratres de afflictione nostra quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus, supra uires, adeo ut desperauerimus etiam de uita, quin ipsi nobis sententiam mortis tuleramus. Diuus uero Hieronymus in Præfatione lib. 3. comment. in Ephe. Pauli, Quæ sunt istæ bestiæ? inquit, Nempe illæ de quibus Psalmista precatur dicens, Ne tradas bestijs animam confitentem tibi. Et in alio loco, Increpa feras calami. Aduersarius enim noster diabolus tanquam leo rugiens circumit, qui cum cerneret principem Asiæ ciuitatem ad doctrinam Pauli de faucibus suis eripi, totis satellitum suorum agminibus congregatis eum opprimere nitebatur.

Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne decipiamini. Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Inabsoluta siue defectiua est oratio. Proinde ex superioribus & exterius ascitis aliquot uerbis sarciri potest ad hunc fermè modum, Quod si mortui non resurgunt, aut si tota spes hominis morte finitur, quid superest nisi ut cum impijs apud Isaiam dicamus, Edamus & bibamus, cras enim morimur. Sic enim inducit propheta loquẽtes homines impios & luxu immersos, apud quos nil sit quàm gaudium & lætitia, occidere uitulos, & iugulare arietes, comedere carnes & perpotari egregie, deinde inter pocula & carmina parum sobria crebris uicibus occlamare conuiuis, Edamus & bibamus, cras enim morimur. Id quod uel ab Aegyptiorum ritu transumptũ uidetur, quo in conuiuijs craneum circumferebant humanũ, inhortantes conuiuas genialiter uiuant, quando huc tandem res hominum recidant: uel ex Sardanapali hominum corruptissi sententia, cuius epitaphium Latinus Strabonis interpres lib. 14. his reddidit uerbis,

Isaiæ 22.

Ede, bibe, lude.

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Delicijs animum, post mortem nulla uoluptas.
Nanq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam
Hæc habeo quæ edi, quæcq; exaturata libido
Hausit, at illa manent multa & præclara relicta.
Hoc sapiens uitæ mortalibus est documentum.

Huiusmodi cantilenæ repetuntur uel hodie à multis, occinebantur & tum à Corinthijs luxu dissolutissimis hominibus. Cæterum ut apud Isaiam legimus, Vestra illa impia uerba ascenderunt in aures domini dei exercituum, qui uehementer indignans iurat, Si dimittetur uobis hæc iniquitas, donec moriamini: id est, profecto illud uobis ad mortem cedet quod tam improbe & dicitis & agitis: sic Apostolus statim subdit, Sed cauete ne talibus & dictis & exemplis corruptissimorum hominum seducamini. Permultum enim possunt in rebus humanis conuersatio & colloquium, Id quod Menandri Senario sub

Si iurandi particula per apostrophen.

iecto

iecto probat, Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Græcum uersum ad hunc modum recensuit & reddidit Erasmus in Chiliadibus,

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί,
Mores bonos conuictus inficit improbus.

Paulus testimonijs Gentilium usus.

Huic similem è Græcis refert senarium quendam alium,

κακοῖς ὁμιλῶν αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός, id est,
Malus ipse fies, si malis conuixeris.

Tales enim nos esse constat qualia sunt quotidiana colloquia, qualia & studia, qualia & consortia. Qui uitam omnem in ethnicis literis conterunt, gentiles euadunt: ergo qui cum impijs & luxu perditis hominibus perpetuò degunt, impiorum animum in se hauriunt. Sed de his quædam in caput huius epistolæ sextum, & in tertium caput secundæ epistolæ Petri.

Expergiscimini iuste, & ne peccetis. Nam ignorationem dei nonnulli habent. Ad pudorem uobis loquor.

Acrem hic obiurgationem inserit, ut pudore abstraheret ab errore, ueritati autem hallucinantes redderet. Quod autem dominus in Euangelio Sadducæis opprobrat, ipsos ignorare dei uirtutem, quod resurrectionem mortuorum negarent, id in præsentiarum Corinthijs quoq; impingit Apostolus dicens, Quidam uestrum non norũt deum. Qui enim deum norunt, hi potentiam, uim ac uitam in ipso ita norunt, ut de resurrectione mortuorum nihil dubitent: cum uideant quotãnis omnia semel hyberno tempore mori abolericq;, uerno autem æstiuoq; restitui & reflorere singula. Istud porrò quum non obseruarent quidam, nec potentiam & promissionem dei intelligerent, in erroribus ac tenebris dormire uidebantur. Proinde excitat hos Paulus, ut expergiscantur iuste, id est eo modo quo iustum est ac decet, ut scilicet ueterno excusso & erroribus dimissis, sapiant quæ dei ac ueritatis sunt, ne peccent diffidentia, desperatione & luxu, ut solent qui post hanc uitam aliam nesciunt, & iccirco omni fœditatis genere sese conspurcant & inuoluunt. *Matth. 22.*

At dicet aliquis, Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore uenient? Stulte, Tu quod seminas, non uiuificatur, nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas non corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, exempli caussa tritici aut alicuius ex cæteris: sed deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus.

De modo et qualitate corporum resuscitatorum.

Hactenus in genere disputauit de mortuorum resurrectione, multis argumẽtis illam certissime futuram approbans, iam de resurrectionis modo & qualitate differit. Duo autem in dubitationem ueniunt. Primum, quo pacto corpus in cineres semel collapsum & resolutum restauretur? Secundum, quo corpore, hoc ne an alio quopiam resurrecturi simus? Vtraq; autem grani exemplo dissoluit. Stultos uero istos hoc nomine appellat, quod cum tanta in serie & ui naturę exempla uel stupidis obuersentur oculis, ipsi adhuc nesciant quod interim omnes norunt. Et primo quod quibusdam impossibile uidetur id corpus resuscitari posse, quod uel igne absumptum in aëra resoluitur, uel sepultum à uermibus corroditur, deniq; & in cineres redactum in puluerem recidit, id ipsa dei uis quotidianis exemplis per uarias seminũ species ob oculos subiectis, citra negotium fieri posse demonstrat: imò quod augustius est per illud ipsum seruari restituiq; demonstrat per quod interire abolericq; uidetur. Dicit enim, Tu quod seminas non uiuificatur nisi mortuũ fuerit. Id quod ad similitudinẽ ferè uerborum dñi dixit. Hic enim in Euangelio Ioan. cap. 12. ait, Amen amen dico uobis, nisi granũ frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solũ manet: si uero mortuum fuerit, multũ fructum affert. Proinde Paulus per argumentationem reciprocam, quod argumentandi genus alij uocant antistrephon in defensionem sui consilij conuertit, quod aduersarij in oppugnationem ingerebãt, Hi, impossibile est, dicebant, ut corruptũ redintegretur. At Paulus, Imò, ait, nisi

corrumpatur restitui non potest. Probatio huius ducitur ab ipsa natura & experientia quotidiana, & aptatur per similitudinem. Quemadmodum enim granum frumẽti non fructificat, nisi in agrorum sulcis computrescat, ita nec corpus humanum resurget, nisi prius in terra computrescat. Vtrunq; potentia uirtuteq; dei perficitur. Habes compendio quomodo corpus restauretur collapsum: sed copiosiora iam dabimus, & secundæ quæstioni respondebimus. Dicat enim aliquis, Iam ut deus excitet corpora nostra seminum more, necesse est alia prodire è sepulchris corpora, cum constet non ipsa semina, sed aliud ex seminibus nasci corpus. Proinde pergit in cœpta parabola, eaq; quale nam corpus resuscitãdum sit indicat, idem scilicet corpus, sed purificatum & defecatum. Hoc enim quod seminas, inquit, non corpus quod nascetur seminas, spicam uidelicet, quercum aut abietem, sed nudum granum. Nam id prorsus nigrum, uile, pusillum & siccum terræ infoditur, sed ornatum miro cum decore exurgit, magna scilicet ramorũ & frondium gratia, in quibus & florum amœnitas & mira fœtuum ubertas. Ita & corpus nostrum mortale, miserum, & multis obnoxium malis sepelitur, sed meliori demum sorte resurgit. Hæretici uero non idem illud corpus quod fuerat suscitari credunt: id enim per Apostolum significatum aiunt, cum dixit, Non ipsum corpus quod nascetur seminas: cum tamen Paulus id potius significarit, Non tale seminas quale futurum est. Sequitur enim, Sed deus dat corpus ut uoluit. Et ne quis nouum uel alienum corpus intelligeret addit, Et unicuiq; seminum suum corpus. Non ait, aliud, sed suum cuiq; datur corpus. Corpus ergo quod sepelitur seminis loco est: ex eo idem enascitur corpus licet speciosius. Nudum enim illud erat dum sepeliretur, at in resurrectione clarificatum est & locupletatum. Hinc Tertullianus, Ad quid autem dabit illi deus, ait, pro ut uult corpus, habenti utiq; proprium corpus illud nudum, nisi ut iam non nudum (hic obserua mendum in uulgatis codicibus) resurgat? ergo additum erit quod corpori superstruitur: nec exterminatur illud cui superstruitur, sed augetur: saluum est autem quod augetur. Seritur enim solummodo granum sine folliculi ueste, sine fundamẽto spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & usq; quaq; uestitum. Hęc sunt ei corpus à deo aliud, in quod non abolitione sed ampliatione mutatur. His non absimilia sunt, imò clariora, quæ D. Cyprianus, siue eum Ruffinum esse malis, in symbolum in hæc uerba tradidit, Si quis diuersa semina in unum permisceat, & hæc indiscreta seminet uel passim spargat in terram, nónne uniuscuiusq; seminis quocunq; loco fuerit satio, competẽti tempore, secundum naturæ suæ speciem germen producit, & culmum suæ formæ suiq; corporis reparat? Ita igitur & uniuscuiusq; carnis substantia quamuis uarie & diuerse dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ inest unicuiq; carni, immortalis est: tempore ergo suo cum deo uisum fuerit corpus reparat in illa specie quã mors aliquando dissoluerat. Et ita fit, ut unicuiq; animæ non cõfusum, aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparetur, ut consequenter possit pro agonibus præsentis uitæ cum anima sua caro uel pudica coronari, uel impudica puniri. Sed de his paulò post plura dicemus.

Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem caro hominũ, alia uero caro pecorum, alia uero piscium, alia uero uolucrum. Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria. Verum alia quidem cœlestium gloria, alia uero terrestrium. Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum.

Discrimen corporum resuscitatorum.

Audiuimus qualia sint in resurrectione futura corpora nostra, eadem quidem & diuersa. Eadem quia non noua nobis dabuntur corpora, sed illa ipsa quæ sepeliebãtur, de terra resuscitabuntur. Diuersa uero quia defecata iam ac speciosiora prout cuiq; dominus dederit. Equidẽ in præsentiarũ pulchris similibus demonstrat carnẽ ipsam non modo in melius mutari, sed & in ijs corporibus fore differentiã quę in melius instituuntur,

Id quod

Id quod etiam ad expositionem eius faciet quod dixit, Sed deus unicuiq; dat corpus, ut uoluit. Cæterum pro more suo alteram parabolæ partem copiosius exponit, alteram uero perstringit parcius, nempe, Sic erit & resurrectio mortuorum. Proinde resarcienda ac locupletanda erit ex superiori. Summa omnium hæc est, Quemadmodum differẽtia est inter ipsa corpora cœlestia & terrestria, ita differẽtia erit inter corpora resuscitata. Verum istam summam per partes copiosius persequitur. Principio, in genere dicit, Non omnis caro eadẽ caro, id est, non omnes pari resurgent honore, nec omnis caro resuscitata eiusdem erit speciei, cum uideamus sub unius carnis uocabulo uarias carnis contineri species, quarum altera nobilior ac subtilior altera. Deinde uero, ut differentia est inter corpora cœlestia & terrena: sic discrimen erit in corporibus resuscitatis piorũ & impiorum. Iam & in ipsis terrestribus ueluti gemmis uel metallis eximium deprehẽdas discrimen, gemma enim gemmæ præstat, & aurum argẽto habetur nobilius, æs plumbo. Inuenias & lapides non nisi perpetuis destinatos ignibus: sic & in resurrectione mortuorũ erunt qui æternis tradentur supplicijs, & alij atq; alij grauioribus quidem. Nam & inter homines pios splendidum quodpiam erit discrimen. Omnes quidem claritate erunt illustres, sed alius alio illustrior. Videmus enim solem, lunam & astra sese mutuo superare radiorum splendore. Erũt igitur & sancti alius alio prout uoluerit inaccessa & æterna lux deus, splendidior. Id autem transcriptũ apparet ex Daniele, & uerbis domini. Daniel enim in cap. 12. ait, Et multitudo dormientium in terra pulueris expergiscentur, hi ad uitam æternam, & hi ad opprobria & incendium sempiternum. Et intelligere facientes fulgebunt ficut splendor firmamenti, & iustificantes multitudinem ficut stellæ in sæculum & in æternum. Christus uero Matthæi 13. In consummatione sæculi mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, ibi erit ploratus stridorq; dentium: tunc iusti fulgebunt ut sol in regno patris sui. Breuiter, Impij resuscitati æternis supplicijs, pij uero æternis donabuntur præmijs, quisq; pro fidei ac perfidiæ suæ excellentia. Verum non negligendi gradus & pulcherrima Paulinæ disputationis dispositio. Primo enim in genere dixit differentiam esse in corporibus aut carne resuscitatorum. Secundo, terrena contulit cum cœlestibus, impios cum pijs. Tertio pios inter sese, idq; per allegoriam solis, lunæ ac stellarum. Et eundem ordinem uidit ac sequutus est & Paraphrastes post Theophylactum dicens, In resurrectione suo cum corpore reuiuiscent omnes, sed dispari dignitate, nimirum pro cuiusq; sorte proq; uitæ meritis. Nam alia specie reuiuiscent impij, alia pij. Rursum inter pios, prout quisq; se gessit in uita, ita nouati corporis honore præminebit. Nec est ut ex hoc loco quisquam iustitiam operum statuat. Nam gratiæ diuinæ est quicquid sumus & habemus. Fulget aliquis in resurrectione sanctorum solis instar, aut lunæ, aut luciferi, eo quod ecclesiam erudijt in uera pietate, aut sanguinem suum pro testamento dei fudit, aut nomine Christi & uoluptates & terrenas opes cõtempsit, unde obsecro hæc uis in homine, nisi à deo uno, qui per gratiam suam in hoc homine potentiam suam exeruit? Cui ergo, gratiæ ne an merito humano ascribendum quod hic præ cæteris in regno patris lucet? Verum est interim certa in operibus dei dispensatio, ad quam respicitur quoties meritorum in sacris & discriminis inter sanctos mentio fit.

Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale.

Corporis resuscitati natura ac ingenium.

Diuersitate pro cuiuslibet merito resuscitatorum corporum demonstrata, redit Epanodo ad superiorem similitudinẽ seminis & hanc antithesi uenusta reddit illustriorem, ut clarius resuscitati ad uitam corporis naturã exponat. Fingito ergo ipsum semen esse corpus humanum. Seminare idem pollere quod sepelire. Viuificari autem (quo uerbo superius usus est ad explanandam parabolam) uel enasci idem esse quod resurgere. Iam audiuimus semen uiuificari nõ posse nisi semineretur: intelligamus ergo in sepultura con

cludi resurrectionem. Cuius autem corporis? Ibi dixerat, Non ipsum corpus resuscitan dum seminas. Nam nudum granũ seminas, id est, hoc quod sepulturæ mandas corpus mortale est, uerum tale, hoc est ipsum quidem, sed mortale non resurget, sed immortale, aucto scilicet & in melius instituto corpore. Id quod nunc præsenti explanat antithesi. Seminatur, inquit, in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, id est illud quod sepelitur corpus corruptibile est, quod autem excitatur incorruptibile est. Idem ergo corpus est, sed mutatum in melius. Non enim posthac erit corruptioni obnoxium, sed perpetuum. Vnde consequens est quod nullis utatur rebus corruptibilibus. Rursus corpus sepelitur in ignominia, sed resurgit in gloria. Nam dum sepelitur nudo grano simile est. Nam ut hoc uile & contemptũ humo cõditur ut computrescat, sic corpus humanũ inglorium quidem in terram defossum uermibus in cibum proponitur. Cæterum quem admodum grano suum à deo corpus datur ut aliud decuplum, aliud uero uigecuplum, aliud item trigecuplum ferat fructum, prout domino uisum fuerit: ita in resurrectione mortuorum glorioſa prodibũt corpora, quorum alia solis, alia lunæ, alia uero stellarum fulgorem referent prout uisum fuerit bonitati diuinæ. Item seminatur in infirmitate, id est corpus sepelitur uarijs obnoxium malis, morbis, calamitatibus ac angustijs, sed ubi resurgit, in potẽtia resurgit, ualidum iam, potens, & ab omni infirmitate alienum, quod nec esurie, nec satietate, nec nausea, nec ulla alia re pari impetitur ac debilitatur. Hinc eñ resuscitata corpora & glorificata, & clarificata à priscis dicuntur, quasi tu dicas illustrata, ac à sordibus pristinis defecata, ut solet argentum à scorea, uinum à fecibus. Quod au tem illustratur prius necesse est ut sit, & ut habeat in quo possit illustrari. Proinde clarificatio non est euacuatio pristini, sed restitutio, imò adauctio quædam pristini illustrior.

Matth. 17. Nam & de saluatore nostro Christo legimus quod in monte transfiguratus, non utiq; (ut sic loquar) transubstãtiatus sit, quod inquam facies eius, eadem scilicet illa quam uerus homo de homine acceperat, fulserit ut sol, & ipsæ uestes adeoq; totum corpus albue rit ut nix & lumen purissimum. Errant ergo qui putant clarificata corpora omnem corporis amisisse rationem, & in spiritum transijsse tota. Quod ergo sequitur, Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale, nemo sic intelligat, quasi clarificatum corpus spiritus & phantasma quodpiam fiat: sed spirituale πνθυματικόμ dicitur collatione ad ψυχικόμ, id est animale. Quod penè cum brutis animantibus commune habemus: unde & Hebræi uiuentia bruta non raro animas uocant. Habet ergo animale corpus nomen ab anima, uita atq; affectibus noxijs, stultis & anxijs: sic enim eadẽ hæc uox propemodum usurpata est in 2. cap. huius epistolæ. Itaq; sensus erit: Illud corpus sepelitur quod ab animæ potentijs affectibusq; regitur, quod gaudet, queritur, dolet, ringitur, & in mille formas indies mutatur: uerum illud quod resurgit spiritale erit, id est cœleste, menti simillimum, illis carens affectibus, liberum omnino, & angelicæ naturæ propinquum. Dicit

Lucæ 20. enim in Euangelio dominus, Filij huius sæculi ducunt uxores, & nuptum dant: illi uero qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; ducunt uxores, neq; nuptum dant, neq; enim ultra mori possunt, æquales enim angelis sunt, & filij dei, cum sint filij resurrectionis. Proinde collatione ad res terrenas & corruptibiles, carnales & crassas, corpus clarificatum, corpus spirituale dicitur. Atq; ad hunc fermè modum expo suit & Ambrosius dicens, Animale corpus est dum cibis sustentatur, ut uiuat: spirituale autem cum horum nihil indigebit conuersum in uitam. Sed audiamus ipsum Paulum, & teneamus nunc ex hac antithesi Clarificatum corpus uerum esse corpus, sed incorruptibile, glorioſum, illustre, semper uiuis & uegetis præditum uiribus, extra affectus constitutum, spirituale & quodammodo angelicum.

Est corpus animale, & corpus spirituale, quemadmodũ & scriptum est, Factus est primus homo in animam uiuentem, extremus homo in spiritum uiuificantem. At non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus ipse dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni

sunt:

sunt: & qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem cœlestis.

Expositionis ac confirmationis uice hæc connectuntur superioribus. Est, inquit, corpus duplex: sic enim docendi & perspicuitatis gratia findit quod unum & idem est: Animale & Spirituale, idq; scripturarum authoritate proditum narrat. Tametsi enim hæc uerba, Factus est primus homo Adam, &c. nullibi in sacris legas, id tamē quod hisce uerbis dicitur passim in literis sacris proditur, illud in primis quod de Adam omnium parente nostro adducit. Nam id totidem propemodum uerbis traditum legis à Mose Gene. cap. 2. Sed redimus, Animale corpus uiuum illud est quod Adamo protoplasto dedit deus, & quod operante deo nobis confertur per natiuitatem carnalem. Scriptum est enim, Factus est Adam in animā uiuentem. Posuit autem Hebraismo quodam animam uiuentem pro anima uiua seu homine uiuo, qui morte interit. Spirituale autem corpus illud est quod ipse dominus Iesus primitiæ dormientium à morte excitatus, gessit, spirituq; suo omnium fidelium corpora uiuificabit, ut & ipsa sint spiritualia futura & conformia corpori dominico, uiuentia iam perpetuò in gloria, potentia ac omnium rerum perfectihabia. Hinc enim extremum Adam in spiritum uiuificantem, non in spiritum uiuentem dixit factum. Sed & ita omnipotenti & soli sapienti deo uisum est, ut crassius illud, hoc est animale corpus primum gereremus mortales, deinde uero spirituale. Id quod interim monet Apostolus, ne quis institutum & consilium dei calumniaretur, cur non meliorem uoluerit præire conditionem. Oportuit enim uel isto modo spes quæpiam iniici miseris mortalibus, hoc ipsum corpus aliquando in melius esse mutandum. Quandoquidem in ipsum primo corpus humanum, quod de argilla erat fictum inspiraretur spiritus uitæ. Hinc enim uerisimile est eum deum qui hominem de terra uiuificauit spiritu, posthac eundem uirtute ac potentia sua etiam de terra resuscitaturum. Siquidem non caret mysterio quod cum omnia uerbo suo condiderit, solum hominem plastica de terra finxit, demū uero spiritum uitæ indidit. His obiter insertis redit, ac eandem rem clarioribus uerbis repetit simul, & ad superiorē alludens collationem Adæ ac Christi, & strictius differit ut tandē colligat quæ sit natura corporis clarificati. Proinde quem hactenus animalem & spiritualem uocauit, eum nunc terrenum & cœlestem uocat. Primus Adam terrenus est, terreni sunt ergo omnes qui ab hoc nascuntur. Porrò terrenum dixit affectibus morti & corruptioni obnoxium. Nam scriptū est, Terra es & in terram reuerteris. Secundus Adam Christus dominus homo uerus, cœlestis à resurrectione factus, cœlestes igitur erunt omnes qui per potentiam eius excitabuntur. Cæterum cœlestem opposuit terreno, ut intelligamus eum qui à sensibus & affectibus corporeis & terrenis defecatus, immortalis nunc & cœlestis effectus est. Nihil hic loquitur Paulus de incarnatione domini, quasi non ueram ille carnem de Maria uirgine ex spiritu sancto acceperit, sed imaginariam secum cœlitus adduxerit: de natura corporū clarificatorum per collationē ad mortalia differit. Proinde ex hypothesi ducendus est sensus. Dixerat, Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale: id autē quomodo dixerit, consequenti collatione explanat, sermonem ipsis corporū authoribus & exemplis Adæ & Christo accommodās. Constat enim Christi resurrectionem nostram esse. Postremo ergo citra omne sermonis inuolucrum infert, Quemadmodum gestauimus imaginem terreni, ita gestabimus & imaginem cœlestis. Hoc enim illud est quod hactenus sub inuolucro seminis proposuit. At imaginem gerere alicuius rei, est ei in omnem modū assimulari. Proinde si uerè sumus homines, si affectibus infirmitate & corruptibilitate primæuum illum parentem nostrum omni modo referimus in corpore hoc animali, proculdubio omni modo referemus & secūdum Adamum dominum Iesum in corpore spirituali: hoc est, cum constet illum re uera uero corpore resuscitatum à mortuis, & glorificatum, assumptum quoq; in cœlos, ubi æternum uiuet, consequens est & corpora nostra pari ratione excitari, & in cœlos perpetuum uictura transferri. Sic autem indissolubili nexu caput redit ad circulum. Nam à resurrectione Christi hanc disputationem de resurrectione &

natura corporum reſuſcitatorũ cœperat, per eandem ergo reſurrectionem Chriſti concludit. Verum ſubiicit adhuc ſententiam quaſi poſtliminio reuocatam, ut totam diſputationem de natura corporis clarificati rectius intelligamus. Atqui ſententiæ ad finem appenſæ plurimum euidentiæ habent, & res diſputatas, ſi rectè inſtituantur, & in loco ponantur, miro quodam modo ſummam rei iuuant, explicant & infigunt: ſubdit ergo per interpretationem.

Hoc autem dico fratres, quod caro & ſanguis regni dei hæreditatem conſequi non poſſunt: neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipiet.

Quomodo caro & ſanguis regnum dei non hæreditent.

Præfigit interpretationis notam. Nam interpretationis nota eſt, Hoc autem dico. Senſus eſt, Omnia quæ dico huc tendunt, ut doceam uos quæ ſit clarificati corporis natura, ea uidelicet, quod ſemel exuit quicquid carnis & ſanguinis eſt, id eſt, omne quod corruptibile eſt, induit autem incorruptibilitatem, ut poſthac non modo non moriatur amplius, ſed ne illis quidem carnalibus affectibus, aut naturæ ſenſibus tangatur. Hæretici præcedentia & conſequentia huius capitis non expendentes in hæc Pauli uerba grauiter impegerunt, abnegantes corpus illud noſtrum ſiue humanam carnem in cœlos transferendam, & ideo neq; reſuſcitandam. Quorſum enim attinebat reſurgere carnem quæ locum nõ habeat in beatis ſedibus? Cæterum Paulus ſicut modo expoſuimus per carnem & ſanguinem non intellexit ipſam humani corporis ſubſtãtiam quemadmodum in reſurrectione futura eſt, ſed quemadmodum nunc eſt. Vnde Ambroſius ait, Caro ſicut eſt regnum dei non poſſidebit, niſi immortalitate ueſtita. Ad quem modũ & D. Hieron. in epiſtola quadam ad Pammachium aduerſus errores Io. Hieroſoly. Nunquid caro & ſanguis (inquit) non reſurgent? Abſit: ſed non poſſidebunt. Quare non poſſidebunt? Quia ſequitur, Neq; corruptio incorruptionem poſſidebit. Tandiu ergo regnũ dei non poſſidebunt, quandiu caro tantum ſanguisq; permanſerint. Cum autem corruptiuum induerit incorruptionẽ, & mortale induerit immortalitatem, & lutum carnis in teſtam fuerit excoctũ, quæ prius graui pondere premebatur in terram, acceptis ſpiritus pennis & immutationis nõ abolitionis, noua gloria uolabit ad cœlum, &c. Deinde nemini uel mediocriter in ſacris uerſato obſcurum eſt frequẽtiſſime in ſacris carnem & ſanguinem pro ingenio & natura hominis, item pro affectibus & operibus carnis uſurpari. Sic eñ ipſe dominus ad Petrum dixit, Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus cœleſtis. Item, Qui in carne uiuũt, deo placere non poſſunt. Et iterum, Manifeſta ſunt opera carnis, ſcortatio uidelicet, immunditia, adulterium, inuidia, dolus, iræ, &c. Iam ergo ſenſus erit, In beata ſede ad quam transferentur reſuſcitata ſanctorum corpora, non erit ulla carnalis cupiditas. Vel illa quæ reſuſcitabuntur corpora (ut res ponatur pro perſona) in beatis ſedibus nihil uel affectabunt uel conſequẽtur quod hic ſolet oblectare carnem. Eſt enim futura illa ſanctis promiſſa hæreditas, æterna & rerum æternarũ, ſpiritualium ſcilicet uel diuinarum, non carnalium, hoc eſt corruptibilium: proinde corruptibilia ſiue carnalia nulla cadent in reſuſcitata illa ſanctorum corpora, quæ æterna & cœleſtia bona hæreditate conſequuntur. Sequitur enim ſententia, quæ priorem explicet, Neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit: id quod paulò poſt ſic efferet, Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Pugnat itaq; iſtis aduerſus Sadducæorum opinionem, & contra Gentium ſannas. Irrident enim utriq; mortuorum reſurrectionem multa ſimul abſurda obiicientes quibus ſpem reſurrectionis labefactent. Id quod de Sadducæis prodidit euangelica hiſtoria Matthæi 22. & Lucæ 20. de Gentibus uero Auguſtinus de Ciuitate dei libro 22. capite duodecimo. Toto enim fermè libro de reſurrectione copioſe & accurate diſputat, à quo & curioſi petant, quibus ſimplex ueritas & apoſtolica diſputatio nondum ſatisfecit, certe non diffido piis abunde ſatisfactum uerbis Apoſtoli. Præſtat tamen & ueteres legiſſe ſcriptores eccleſiaſticos, idq; propter hæreticorum artes inſtinctu ſatanæ quotidie repullulantes. Prima certè gloria in hac cauſſa Tertulliano debetur, qui ſupra

Orationes ſerè conuerſæ & anacipites.

quàm

quàm dici possit eruditum ac pium librum de Resurrectione carnis conscripsit. Tractauit idem argumentum ante hunc Irenæus 5. libro eius operis quod aduersum omnes instituit hæreses. Extat & Ambrosij fragmentum, sed ex priscis istis quorum iam meminimus decerptum. Vnus Prudentius totam hanc Pauli disputationem pauciſſimis sed ue nustissimis complexus est uersibus, quos epilogi uice nunc adscribimus,

Noſco meum in Christo corpus consurgere, quid me
Desperare iubes? ueniam quibus ille reuenit
Calcata de morte uijs, quod credimus, hoc est,
Et totus ueniam, nec enim minor aut alius quàm
Nunc sum restituar, uultus uigor & color idem
Qui modo uiuit, erit, nec me uel dente uel ungue
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulchri.
Qui iubet ut redeam, non reddet debile quicquam.
Nam si debilitas redit, instauratio non est,
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncauit edax senium populante ueterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit, &c.

Quorsum uero opus alienum proferre epilogum? audiamus ipsum Paulum sese adhuc planius exponentem ac colligentem potissimum huius disputationis caput.

Ecce mysterium uobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem & mortale hoc induere immortalitatem.

Modus et historia resurrectionis mortuorũ.

Mysterium se dicturum ait, hoc est illud planius expositurum quod hactenus obscurius tradidit. Iam enim ueluti historico stilo totam resurrectionis rationem & modum ipsum ac ordinem exponit, indicans ipsa mortuorum corpora excitanda esse, & qualia illa sint futura. Atq; hæc duo toto hoc capite copiosius tractata sunt. Hoc ergo per epilogum dicit, Sic habebit resurrectio mortuorũ. Non omnes quidẽ morituri sumus. Dies eñ domini nostrũ aliquot uiuos deprehẽdet: sed tamẽ oñes ad immortalitatis gloriam immutabimur, siue qui olim sepulti resurgemus, siue qui in illã diem domini uiui reseruabimur. Porrò illa immutatio fiet ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ in momento & ictu oculi, id est breuissimo temporis puncto, & nullo cũ negotio. Sic eñ depingit expeditam dei potentiam, ne quis morã & interualla imaginetur. Simul enim atq; præceperit deus subito astabunt resuscitati è terra & immutati. Nam cantus extremæ tubæ, uoluntatis dei omnipotentis denuntiatio atq; executio est, quæ ad Thessalonicenses κέλευσμα dicitur, apud Ioannem uero in 5. significantius uox filij dei. Istis autem allusit ad Regum ac imperatorum morem qui solent tubarum clangore ædicta & quid fieri cupiant populo & exercitui indicare, sed & torpẽtes cornuum crepitu excitare inhortariq;. Dicit ergo Paulus, Clanget enim tuba & mortui resurgent incorruptibiles, et nos (induit autem personam illorum qui uiui adhuc deprehendẽtur in terris) immutabimur, nimirum ut incorruptibiles simus eorum more qui reuixerunt. Illam porrò immutationem sententia supra pacta clarius exponit, Oportet enim τὸ φθαρτὸν τοῦτο corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, τὸ θνητὸν τοῦτο & mortale hoc induere immortalitatem. Id est eadem illa corpora nostra quæ uel sepeliebantur olim, uel nunc uiua à die domini deprehensa sunt, caro inquam humana uera & ipsissima mortalis & corruptioni obnoxia (hoc enim potest demonstratiuum τοῦτο) cœlos ingredietur, sed defecata adeoq; & immutata. In ipsa enim resurrectione immutantur, immutantur inquam non annihilantur. Sapienter enim & uerè Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, Discernenda est autem demutatio, inquit, ab omni argumẽto perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio.

De pijs hæc, impij ad immortalitatis ignominiam mutabuntur.

Credo huius carnis resurrectionem.

De immutatione.

Perdit hæc,illa mutat. Quomodo ergo quod perditũ eſt mutatum non eſt,ita quod mutatum eſt perditum non eſt.Periſſe enim eſt in totum nõ eſſe quod fuerit:mutatum eſſe, aliter eſſe eſt.Sed porrò dum aliter eſt, idipſum poteſt eſſe. Habet enim eſſe quod non perit.Mutationem enim paſſum eſt non perditionem. Atq; adeo poteſt & demutari quid, & ipſum eſſe nihilominus,ut totus homo in hoc æuo ſubſtantia quidem ipſe ſit, multifariã tamen demutet,& habitu,& ipſa corpulentia, & ualetudine, & cõditione,& dignitate,& ætate,ſtudio,negotio,artificio, facultatibus, ſedibus, legibus,moribus, ne quicq̃ tamen amittat hominis,nec ita alius efficiatur ut ceſſet idem eſſe, imò nec alius efficitur, ſed aliud.Hanc formam demutationis diuina etiam documenta teſtantur,Mutatur Moſei manus,& quidem ad inſtar emortuæ,exanguis & exalbida frigida: ſed & recepto calore & refuſo colore eadem caro & ſanguis eſt. Dominus quoq; in ſeceſſu montis etiam ueſtimenta luce mutauerat,ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſeruauerat:ubi etiam Moſes & Helias alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in ueritate nondum defunctæ,eandem tamen habitudinẽ corporis etiam in gloria perſeuerare docuerunt.De quo exemplo inſtructus & Paulus,Qui trãsfigurabit,inquit,corpus humilitatis noſtræ conformale corpori gloriæ ſuæ. Etenim quàm abſurdum, quàm uero ethnicum, utrunq; autem quàm deo indignum, aliam ſubſtantiam operari, aliam mercedem diſpungi, ut hæc quidẽ caro per martyria lanietur,alia uero coronetur? item econtrario hæc quidem caro in ſpurcitijs uolutetur,alia uero damnetur? Nónne præſtat omnem ſemel fidem à ſpe reſurrectionis abducere quàm de grauitate atq; iuſtitia dei ludere? Et ſi non meminerim me eſſe qui merui,quomodo gloriam deo dicam? quomodo canam illi nouum canticum,neſciens me eſſe qui gratiam debeam?Hactenus Tertullianus. Cæterum non uidetur hic diſſimulanda uaria huius loci lectio, quam quondam triplicem fuiſſe conſtat. Nam diuus Ambroſius ſic legit, Omnes quidem reſurgemus, non omnes immutabimur:eadem ſic expoſuit, Omnes homines reſurgent, ſed ſoli qui regnaturi ſunt in gloriam mutabuntur. At huius lectionis non meminit diuus Hieronymus ex Græcis codicibus. Scribens enim ad Minerium & Alexandrum oſtendit hunc locum bifariam legi apud Græcos. Vel,Omnes quidem dormiemus, nõ autem omnes immutabimur. Vel, Non omnes dormiemus,omnes autem immutabimur.Priorem autem lectionẽ innuere omnes quidem morituros,ſed non omnes immutãdos ad gloriam. Atq; hanc lectionem ſequutos eſſe Achatium Cæſareæ quæ prius Turris Stratonis uocabatur poſt Euſebium Pamphili epiſcopum,& Didymum, quorum tamen hic poſterioris quoq; meminerit lectionis, quam ſequuti ſint Theodorus Heracleotes, Diodorus Tarſenſis, & Apollinarius. Certe poſterior uidetur eſſe & ſimplicior, & magis genuina, quam etiam ex Græcis haud pœnitendi interpretes Chryſoſtomus & Theophylactus ſunt ſequuti, quam & Apoſtolica confirmat authoritas. Ipſe enim Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens hunc locum uelut paraphraſi hiſce expoſuit uerbis, Si credimus quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & deus eos qui obdormierunt cum Ieſu adducet cum illo. Hoc eñ uobis dicimus in uerbo domini,quod nos qui uiuemus & reliqui erimus in aduentum dñi,nequaq̃ præueniemus eos qui dormiũt. Quoniam ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba dei deſcẽdet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primũ, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum domini in aëra,& ſic ſemper cum dño erimus. Quid his obſecro dici poterat clarius? Quod hic dicit, Non omnes dormiemus, id ad Theſſalo. ſignificantius exprimit, Viuemus aliquot & reliqui erimus in aduentũ domini,&c. Rurſus ſicut modum reſurrectionis hic paucis perſtringit, dicens, Canet tuba & mortui reſurgẽt incorruptibiles, &c.ita ad Theſſalonicenſes eundem copioſioribus deſcribit,Quoniã ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli,&c.Et quod hic dixit,Omnes tamen immutabimur in momento & ictu oculi, id ad Theſſalonicẽſes ſic extulit, Nos qui uiuemus nequaquam eos præueniemus qui dormiunt, id eſt ſimul atq; nos immutabimur mortui reſurgent incorruptibiles. Sequitur enim,Et mortui in Chriſto reſurgent primum,deinde nos qui uiuemus,qui reliqui erimus,ſimul cũ illis rapiemur in nubibus,&c. Rurſus ut hic dicit,

1.Theſſal.4.

Oporte

Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, ita illic, Quemadmodum deus Christum reduxit, uero scilicet corpore & incorruptibili: sic & deus eos cum Iesu adducet qui obdormierũt, nimirum uero & incorruptibili corpore. Sequitur enim, Et sic semper cum domino erimus. Sed quod nam illud uerbum domini est cuius ad Thessalonicenses meminit? nimirum illud quod apud Matthæum extat in cap. 24. Sicut erant dies Noë, sic erit & aduentus filij hominis. Edebant enim & bibebant, ducebant uxores, & filias nuptum dabant, usq; ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec uenit diluuium & sustulit uniuersos: ita erit & aduẽtus filij hominis. Et paulò ante, Sicut fulgur exit ab oriente (ait dominus) & apparet usq; in occidentẽ, ita erit aduentus filij hominis. Quò & illud Pauli pertinet, Dies domini ut fur in nocte, ita uenturus est. Cum enim dixerint, Pax & tuta sunt omnia, tunc repẽtinus eis imminebit interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, & non effugient. Constat itaq; diem illum domini extremum multos deprehensurum uiuos quos immutãdos credimus, alios quidem ad gaudia sempiterna, alios uero ad interitum semper duraturum: ut iam nugatores sint & euangelij Christi contemptores, qui miraculis nescio quibus diem domini præeuntibus sensum hunc Pauli genuinum impugnãt. Confitemur enim dominum uenturum in eadem illa carnis substãtia, & iudicaturum uiuos & mortuos, corpore, inquam, non animo tantũ uiuos & mortuos. Porrò quod illum locum attinet, qui in epistola ad Hebræos est, Statutum est omnibus semel mori, nemo credat eum hisce Paulinis uerbis repugnare. Non enim illa absolute negant istos quos extrema deprehenderit dies moritu ros, sed in ictu & momento oculi immutandos asserunt. Equidem non moriuntur per interualla, ut solent quos absumunt morbi, & qui sepeliũtur. Hi enim neq; sepelientur, neq; morbis confecti concident, sed ilico extincti simul & commutati aut in cœlos rapiuntur, aut in tartara præcipitantur.

Immutari est immortalem in aẽ rapi.

1. Thess. 5.

Hebræ. 9.

Alia lectio habet, Omnes qui dẽ dormiemus.

Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoriam. Vbi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? Aculeus autem mortis peccatum, potentia uero peccati lex, sed deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum.

Iam dicit quid post generalem istam resurrectionem futurum sit, æternum scilicet sanctorum regnum, in quo mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor: quia prima, ut ait Ioannes, transierunt, & meritus sempiternusq; impiorum interitus. Id autem Oseæ prophetæ uerbis, non appensis quidem, sed liberius redditis exponit. Oseas enim in cap. 13. sumpta in se persona domini loquentis cum decem tribubus, ostendit q̃ hæ in felici statu fuissent futuræ, si perstitissent in uoluntate dei: rursus quanta in miseria nunc exercendæ sint, quando impudẽter in deum peccarint. Inter cætera uero, Si ait mutassent mores & innocentiæ studuissent Israëlitæ, ego certe eos de manu inferni & mortis liberassem. Nam per enallagen liberabo posuit pro liberassem. Iam & apostropha ad ipsum infernum, & ad ipsam mortem conuersus, Præterea fuissem, inquit, mors tua ô mors, fuissem stimulus uel morsus tuus ô inferne, id est omnes uires & mortis & inferni confregissem. Vel per interrogationem exponas licebit, ad hunc modum, Effecissem ut tu ô populemi per epinicion ceciniſſes, O mors, ô inferne, ubi nunc uires uestræ? (דבריך) Quid inquam tu ô mors habuisses firmamenti in caussa tua? LXX. enim uerterunt, πῶ ἡ δίκη σου; ubi est caussa tua? Id est nulla uobis nocuissent pericula ne ipsa quidem mortis & inferni: iam uero cum mea lege, & meipso spreto impie agere non definitis, merito sanè æterna morte peribitis, & sempiternis cõsecrabimini incendijs. Ista nũc prophetæ uerba commode suo aptat instituto Paulus, tam de piorum gaudijs quàm impiorum suppliciis loquens. Hoc enim dicit, Vbi autem omnium hominũ corpora fuerint & resuscitata, & iusto dei iudicio iudicata, alijs quidem ad cœlos translatis, alijs uero

Regnum sanctorum & pœna impiorum.

Isaiæ 66.

in tartara præcipitatis, tum demum id re uera complebitur quod dominus per Oseam se aliquando completurum pollicebatur. Sancti enim exultantes canentesq; epinicion dicent, Absorpta est mors per uictoriam domini nostri Iesu. Vbi nunc ô mors aculeus tuus? ubi tua inferne uictoria? Impij contra dolebunt. Dicetur autem eis, Si credidissetis redemptori omnium, iam nihil in uos iuris habuisset uel mors, uel infernus, nunc cum hypocrisis, impietas & immũditia uobis magis adlibuerit q̃ sanctimonia & ueritas, com meritas depẽdite pœnas. Nam impijs non sustulit mortem, neq; inferos confregit dñs,
Ioan 3. dicente Ioanne, Qui credit in filiũ, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Sed de æterno sanctorũ regno quædam paulò ante delibauimus. Plura scripsit Ioannes Apocal. cap. 20. & 21. Cauebis interim ab errore Millenariorum, quos Græci uocarunt χιλιασάς, carnalia quædam somniantes. De quibus Eusebius Eccleiast. historiæ lib. 3. cap. 39. item lib. 7 cap. 22. Ex præsentibus certe Pauli uerbis discimus nihil terreni aut nullos præscriptos annos à resurrectione futuros. Sancti enim perpetuò & cœlesti gaudio exultabunt: impij uero perpeti morte peribunt. Illud interim non erit nobis oscitanter negligẽdum quod toties ingeminauit uerbum Induere. Allusit nimirum ad togam & ad prętextam, quibus olim apud Romanos non ipse homo expungebatur & abolebatur, sed honoribus augebatur & auctibus mutabatur. Idem obseruauit & Hieronymus in hæc uerba ad Pamachium contra errores Ioannis Hierosolymitani scribẽs, Quod autem copulat induere incorruptionem & immortalitatem, illud indumentũ, id est uestimentum, non dicit corpus abolere quod ornat in gloria, sed quod ante inglorium fuit, efficere glorioſum: ut mortalitatis & infirmitatis uiliore ueste deposita, immortalitatis auro, & ut sic dicã firmitatis atq; uirtutis beatitudine induamur, uolẽtes non spoliari carne, sed superuestiri in gloria, & domicilium
2. Corinth. 5. nostrũ quod de cœlo est superindui desiderantes, ut deuoretur mortale à uita. Certè nemo superinduitur, nisi qui ante uestitus est. Sic & dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non ut manus ac pedes cæteraq; membra perderet, & subito in rotundi tate uel solis, uel sphæræ uolueretur, sed eadem membra solis fulgore rutilantia, apostolorum oculos perstringerent, unde & uestimenta eius mutata sunt in candorem, non in aërem, ne forte & uestes eius asseras spiritales. Et facies eius inquit fulgebat sicut sol. Vbi autem facies nominatur existimo quod & cætera membra conspecta sint. Hæc Hieronymus. Istis uero ad hunc modum expositis obiter per consequentia explanat Apostolus,
Victoria et gratia Christi. quod uictoria peccati, mortis & inferorũ (uictoriæ enim meminerat in testimonio prophetico) Christi haudquaquã sanctorum robore & meritis parta sit, cui & omnem gloriam, laudem & gratiarum actionem persoluant sancti, Christo nouum à resurrectione canentes canticũ, cui etiam nunc in hisce agentes rerris hymnos, gloriam & laudes offerant. Habet autem explanatio illa gradus pulcherrimos. Primo enim Infernus est, supplicium scilicet æternum, quo secunda morte mortui damnantur. Secundo loco Peccatum est, ipsa mortis ac inferni uis. Ex peccato enim mors est. Hinc & aculeus mortis dicitur, nimirum per allusionem. Vt enim uenenatę bestiæ uirus per aculeos infundunt uulneribus, atq; uulneris & ueneni plaga occidũt: ita uelut uenenato & lœtali uulnere confossi cadunt, qui ueneno concupiscentiæ infecti peccant. Fortassis alluśit Apostolus uel
Ioan. 3. ad serpentem illum cuius meminit Moses Gene. 3. uel ad dipsades quarũ mentio fit Numeri 21. Quos illæ pungebant ardentius ueneni incendio impulsi festinabãt ad potum, eumq; incessanter haurientes dissiliebant mox, nec ullum huic malo remedium inueniri potuit, nisi æreus serpens erectus, figura scilicet Christi. Nam per gratiam Christi uis
Roma. 8. lœtalis ueneno adimitur ne porrò occidat. Nulla enim damnatio est iis qui insiti sunt Christo Iesu. Tertio loco est Lex, quæ robur peccati est. Nam per occasionem irritat pec
Roma. 4. candi libidinem, sicut scriptum est, Lex iram operatur. Item, Peccatum non cognoui nisi per legem. Sed quorsum pertinent hi gradus? Ad explicandam Christi gratiam & uic-
Roma. 7. toriam. Iam enim retrogrado ordine, collecto fine, redi ad principium. Lege ergo sub-
Roma. 3. lata, languet peccati uis: sublato peccato, cessat mortis potentia: exarmata aũt morte confractus est & infernus. Quorsum autem illa? Proinde ut Christus nos assereret serui for-

mam

mam induit, & ab execratione legis nos redemit, dum pro nobis factus est execratio. At qui dum legis execrationem sustulit, peccatum quoq; sustulit, hoc uero sublato, exarmauit mortem, postrata uero & deuicta morte, deuicti expugnati atque uastati sunt inferi. Quid amplius? Christi ergo gratia & uictoria uiuunt sancti, qui suis perierant uiribus. Christo igitur honor, laus & gloria debetur, in hoc uiuũt & resurgunt sancti, hunc perpetuis canũt laudibus. Cæterum nemo facile explicarit quàm apostolico spiritui digna sit hæc appendix. Apostoli enim gratiam & meritum redemptionis Christi mira uehementia fidelibus cõmendant quoties se obtulerit occasio, id quod hic quoq; maxima & supra quàm dici possit factum uidemus diligentia. Meminerimus ergo istorum semper, Christoq; fidentes uitæ & resurrectioni nostræ, dignas & perpetuas referamus gratias.

Phili.2. Gala.3. Roma.8. Colos.2.

Itaq; fratres mei dilecti, stabiles sitis immobiles abundantes in opere domini semper, cum sciatis quod labor uester non est inanis in dño.

In portum ruit, & breui sed eleganti exhortatione disputationem hanc concludit. Sensum hisce uerbis reddidit Paraphrastes appositissime, Proinde fratres mei charissimi, quando certum est futuram resurrectionem, quando certum est tantam felicitatem per eam præstari, quæ tamen non continget nisi qui hic per innocentiam & peccati fugam cœlestem uitam meditati fuerint, ne uacilletis in eo quod semel credidistis, neq; finatis uos malorum colloquijs à recta sententia dimoueri: quin potius detis operam, ut in his quæ uos deo conciliant, indies proficientes, semper uobisipsis meliores possitis euadere, præparantes uosmetipsos ad futuram resurrectionem. Nec pigeat ullius laboris, cum certum habeatis quod opitulante Christo pro temporarijs molestijs æterna gaudia sitis assequuturi.

ELEEMOSYNA.

Varia ac multa tractantur in capite huius epistolæ ultimo, præcipue tamen de Eleemosyna, de peculiaribus quibusdam negotijs Pauli: præterea fratres commendat, & ad uigiliam, constantiam, et concordiam adhortatur. Primo de eleemosyna.

CAP. XVI.

Cæterum de collatione in sanctos quemadmodum ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite. In una sabbatorum unusquisq; uestrum apud sese ponat, recondens quicquid commodum fuerit, ne cum uenero tunc collationes fiant. Vbi uenero autẽ quoscunq; probaueritis per epistolas hos mittam ut perferant munificentiam uestram Hierosolymam. Quod si fuerit operæprecium, ut & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.

De eleemosyna & egenis Hierosolymitanis annotauimus quædam, quæ huc nonnihil faciunt in 15. ad Roma. cap. in Acto. 6. & 11. cap. Deinde traditur ordo in hac re & occasio obseruanda. Nam & paulatim eleemosynam recondi uult, ne una hora (ut ait Ambrosius) se grauari querantur, & ut plura & minore cum pœnitudine colligant. Quæ enim sensim colliguntur & ipsa aceruum efficiunt, & expensa minus animum excruciãt. Sed & quemlibet apud semetipsum reponere iubet, ne quem forte cuius tenues essent facultates pusillum quidpiam cõferre puduisset: ergo recondat, ait, apud seipsum quisq; adeoq; cumulet (hoc enim potest Paulina dictio θησαυριζων) auctumq; deinceps & cumulatum, deferat. Quin & tempus quo hoc fieri uelit, prescribit unam uel primam sabbatorum, hoc est Dominicam. Ambrosius enim, Vna sabbati, ait, dominica dies est: si- *Dominica dies, et dominicæ ædes.*
cut in euangelio dicitur una sabbati surrexisse dominum. Apparet autem ea die ecclesiam coijsse in cœtum, rerum diuinarum gratia, unde & nomen illud sortita est, sicut & ipsæ ædes in quibus sacri cogebantur cœtus Dominica dici cœpere. Nam B. Rhenanus diligentissimus uetustatis indagator in Scholijs illis suis in Eusebij eccles. histo. scriptis, Primi ait illi Christiani templa in honorem Christi domini erecta Dominica appellabant, in quibus precũ, sacrarum lectionum, eucharistiæq; caussa conueniebatur.

Erat autem apud ueteres Domini uocabulũ paulò frequentius quàm Christi, iuxta consuetudinem apostolicam & solennem euangelicæ historiæ modum. Proinde quoniam dominum semper habebant in ore, etiam ipsa loca in quibus propter dominũ coibant appellarunt Dominica. Vnde Germani etiamnum episcopalia templa quæ certè primaria sunt & reliquis antiquiora Domm uocãt, & illorum canonicos Dommherrn. Pari ratione & diei primæ hoc nominis inditum uidetur. Certè ex ijs quæ in 11. huius epistolæ capite ex Tertulliani apologetico de cœtu sanctorum citauimus apparet in hoc eleemosynam in pauperum sustentationem summa cum diligentia fuisse collectam. Vnde nimirum Offertorij nomen ac ratio in Missas istas Papisticas irrepsit, fortassis & Collectarũ uocabulum. Putat autem Erasmus noue à Paulo dictum, περὶ δὲ τῆς λογίας. Nouum enim uerbum esse λογία, quod à colligendo siue legendo dicatur, metaphora ducta à fœtibus aut arborum, aut terræ, quæ legi dicuntur, unde & leguminibus uocabulũ. Porrò quod ecclesiarum meminit Galaticarũ, in hoc meminit, ut alieno persuaderet exemplo. Quin & iam primum è Galatia Ephesum deuenerat, unde hanc apparet scriptam. Et cum dicit, Quicquid commodũ fuerit, hoc dicit, quantulumcunq; cuiq; usum fuerit. De quo pluribus in cap. 8. Hoc nomine & paulò post τὴν χάριν, hoc est, beneficium siue gratiam appellauit collectam. Hilarem enim datorem requirit deus. Iam uero cum dispensatio facultatum plurimum semper habeat periculi & suspicionis, Quoscunq; probaueritis, inquit, hos mittam ut perferant munificentiam uestram Hierosolymam: imò ne quid paruum gratia detrectare uideretur, addit, Quod si uidebitur operæpretium, ut ipse proficiscar illuc, illi mecum ueluti testes proficiscẽtur, ne quis suspicari queat, ulla ex parte me meum agere negotium. Hæc autem omnia pauperes nobis commendant, quos adeo nobis commendatos ipse dominus uoluit: præterea monent ut istorum negotium ordine, cum occasione, diligenter, animo prompto & uolenti, nec non & solicito ac prudenti agamus. Id faciunt scilicet pontifices, episcopi, abbates & proceres ecclesiastici.

Act. 19. & 18.

Veniam autem ad uos cum Macedoniam transiero. Macedoniam enim pertrãsiturus sum. Apud uos autem forte permanebo, aut etiam hybernabo, ut uos me deducatis quocunq; proficiscar. Nolo enim nũc in transcursu uidere, sed spero tempus aliquãtum mansurum me apud uos, si dominus permiserit. Commorabor autem Ephesi usq; ad diem quinquagesimum. Nam ostium mihi apertum est magnum & efficax & aduersarij multi.

Familiariter ut cum filijs pater ita cum Corinthijs colloquia miscet Apostolus.

Plana sunt hæc nec ulla expositione egent. De suis enim rebus loquens eximiã quam erga Corinthios charitatem habet, prodit, ut ad amorem mutuum inuitet. Transitus autem cuius hic meminit ille nimirum est, quo de Lucas in Actis cap. 20. Et per diem quinquagesimum intellexit diem Pentecostes, qui celebris erat cum ob ueterem, hoc est Iudaicam obseruationem, quæ tametsi exoleta iam penè esset apud eos Christianos qui conuersi erant ex Gentibus, interim ipsis ob usum scripturæ & memoriam rerum maximarum non erat incognita, tum ob memoriam missionis sancti spiritus. Caussas autem addit cur Ephesi diutius sibi manendum sit, Quia ostium apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi. Cæterum Ostium apertum esse metaphora prouerbiali pro eo dixit, quod est occasionem & uelut ansam subministratam esse. Est & alia caussa diligenter nobis obseruanda. Nam ideo sibi manendũ dicit, Quod plurimi sint qui resistant, fortassis bestiæ illæ quarum meminit in cap. 15. Improbi ergo sunt qui hodie prædicationi euangelicæ ualedicunt, quod aduersarij urgeant multi: imò hoc potissimũ nomine, ad exemplum Pauli, confidentius ac constantius in prædicanda propugnandaq; ueritate laborandum erat. Corona uictores manet, non defectores.

Quod si uenerit Timotheus uidete, ut absq; metu sit apud uos. Opus enim domini operatur, quemadmodũ & ego. Ne quis igitur eum sper-

nat,

nat, sed prosequamini eum cum pace, ut ueniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus. Porrò de Apollo fratre multū hortatus sum illum ut iret ad uos cum fratribus, & omnino non erat uolūtas nunc eundi: uenturus est autem cum opportunitatem erit nactus.

Timotheum & Apollon fratres studiose uerbis charitate ac reuerentia plenis cōmendat Corinthijs. Ex quibus discimus quantum debeamus ministris uerbi dei sanctis, eruditis & fidelibus: & quantum peccent qui tales spernunt & cōuicijs incessunt. Sunt qui dem impostores qui clamitant, Qui uos audit me audit, qui uos spernit me spernit: atq; horum uerborum prætextu ui quadam (quod dici solet) mentiūtur & suum negotium agunt: hos sanè nemo nō damnat, imò ipse Paulus propter istos significanter dixit, Ne quis illum spernat. Opus enim domini operatur quemadmodum & ego. Omnes igitur qui opus domini agunt spernendi non sunt. Qui enim hos spernit, dominum spernit. Qui ergo suum agunt negotium audiendi non sunt. Se enim non dominum quærunt. De Apollo qui Corinthi quondam Christum profitebatur audiuimus quædam in primis huius epistolæ capitibus, & Acto. 19. Apparet tamen hunc à Corinthijs uocatum fuisse: cæterum cum per certas causas uenire non liceret, id quidem paucis hoc in loco indicat Paulus, & se & Apollon excusans. *Verbi ministris suus debetur honor.*

Vigilate, state in fide, uiriliter agite, estote fortes, omnia uobis cum charitate fiant.

Hoc dicit, Siue uero illi ueniant, siue negotijs ecclesiasticis impediti aliò diuertāt, uos interim uigilate aduersus insidias male suadentium, perstitite in fide semel suscepta, constanti animo pergite, uiriliter agite, infracto animo obsistite ijs quæ repugnant euangelio, fitis robusti ualidiq;, cumq; charitas recte agendorum infallibilis regula sit, curate ne quid apud uos per contentionē fiat, aut inanem gloriā, sed per charitatem omnia agite. *Vigiliæ fortitudo & constantia.*

Obsecro autem uos fratres, nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ, & quod in ministerium sanctis ordinarunt seipsos, ut & uos subditi sitis talibus, & omni adiuuanti & laboranti.

Iam familiam Stephanæ commendat Corinthijs duplici nomine, & quod prima fuerit quæ in Achaia Christo nomen dederit prædicationem euangelicam auspicante Paulo, & quod sese totam dediderit sanctis officio subleuandis. Loquutio autem est. Nostis familiam Stephanæ, id pollens, Notior uobis illa quàm quæ multa commēdatione nostra egeat. Sed & subiectum aut subditum fieri, est morem gerere & maxime gratum esse. Hæc enim monent nos bene meritis & laborantibus grati simus. *Gratitudo.*

Gaudeo uero de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod mihi deerat uestri hi suppleuerunt. Refocillauerūt enim spiritum meum ac uestrum, agnoscite itaq; huiusmodi.

Gratias agit quod uiros hos miserāt. Quod enim ipse ait, in uobis desiderabam præsentiam scilicet uestram id isti suo aduentu suppleuerunt, atq; ita refocillarunt spiritum meum, imò uestrum. Totus enim uester sum. Vides autem apostolos dolere quoq;, lætari ac refocillari: id quod propter illos dicimus qui religionem nostram credunt esse nescio quem Stoicismum. Dicit autem, Agnoscite huiusmodi, pro eo quod est, in honore eos habete. Illa nimirum est ea Stephanæ familia, cuius & in 1. capite meminit.

Salutant uos ecclesiæ Asiæ. Salutant uos in domino multum Aquila & Priscilla cum ea quæ in domo est ipsorum ecclesia. Salutāt uos fratres omnes. Salutate inuicem osculo sancto.

Huius generis multa explicauimus in ultimo ad Romanos capite. Quod autem Asiaticarum meminit ecclesiarum satis euidenti argumento prodidit, hanc epistolam non è Philippis esse scriptam, ut perhibent Græcorum subscriptiones, sed ex Epheso.

Salutatio mea manu Pauli. Si quis non diligit dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. Gratia domini Ieſu Chriſti ſit uobiſcum. Dilectio mea cum omnibus uobis in Chriſto Ieſu, Amen.

Satis conſtat Apoſtolum pleraſq; notariis excipientibus dictaſſe epiſtolas, ad finem uero ſuapte manu & notis certis, ne quid uideretur circumferri ſuppoſititij, conſignaſſe ſcriptas. Idem ergo hic quoq; factum eſſe nemo dubitare poteſt. Adiecit autem eadem opera uehementem illam ſententiam, Si quis non diligit dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. De ea autem uoce diuus Hieronymus in epiſtola quadam ad Marcellam ſic ſcribit, מראן אתא Maran atha magis Syrum eſt quàm Hebræum, tametſi ex cõfinio utrarumq; linguarum aliquid & Hebræum ſonet, & interpretetur, dominus noſter uenit. Vt ſit ſenſus, Si quis non amat dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit: & illo completo deinceps inferatur, Dominus noſter uenit, quod ſuperfluum ſit aduerſum eum odijs pertinacibus uelle contendere, quem ueniſſe iam conſtet. Hæc Hieronymus. Alij exponunt, Si quis non diligit dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, hic peribit exitio mortifero. At Theodorus eccleſiæ noſtræ ſacrarum literarum interpres, putat uocem iſtam ab חרם Chaldaica forma inclinandi מחרמיתא ductam, & à librarijs μαραναθά uitioſe ſcriptum pro μαλαναθά ſiue maharamatha. Significare autem idem quod חרם Malachiæ tertio, excidium & internecionem. Equidem ipſa ueritas clamitat, Qui uero non credit in filium, iam iudicatus eſt, ipſaq; uita excidit. Et diligere quodammodo uehementius eſt quàm credere. Et cum dicit, Dilectio mea cum omnibus uobis in Chriſto Ieſu, hoc dicit, Omnibus me uobis per charitatem ſubijcio, ſeruiturus per dilectionem cuilibet indigenti opera mea. Sic enim & Theophylactus expoſuit: at Paraphraſtes ad hunc modum reddidit, Precor ut quemadmodum ego uos Chriſtiano affectu diligo, ita uos inuicem ſyncere diligatis ea charitate qua uos conglutinauit Chriſtus Ieſus, Amen.

IN SECVNDAM PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM HEINRYCHI BVLLINGERI AD DIONYSIVM MELANDRVM PRÆFATIO.

PROLIXIOR fortasse fui in excutienda epistola priore, succinctiora itaq; in posteriorem dabimus. Interim uero expendat apud se quilibet quot & quanta à Commentatoribus paulò diligentioribus sint obseruanda, illa uero paucis absolui non posse. Exponenda enim compluribus in locis lectio diuersa, & quæ ex ijs magis genuina sit, sed & nullibi non monendum quæ quorundam uerborum uis ac proprietas, quæ item sint orationis incommoda, qui tropi, qui schematismi, quomodo obscurius, breuius & perturbatius dicta clarius, copiosius & expeditius planiusq; exponi queant. Deinde quod primum ac potissimum in Commentarijs requiritur, etiam superstitiosius obseruandus & ordinandus est orationis contextus, indagandus authoris scopus, indicandum quomodo ad scopum argumenta referantur singula, quid obiter insertum, & quid per digressionem dictum sit. Reddendus nonnunquam sensus paraphrasi, ostendendus orationis uigor ac ardor: sed & loci communes tractandi nonnunquam, quos & annotasse aliquoties suffecerit: admonendum quoq; quis usus eorum quæ disputata sunt, nec omittendum si ijs quispiam fuerit abusus, asserenda enim ueritas, confutandum uero mendacium. Quid quod prodest & aliorum nonnunquam recensuisse sententias? Ista uero omnia quis obsecro unus & breuibus tractauerit? Veniam igitur merentur qui Commentarios nonnunquam copiosiores ædunt. Sunt sanè quos grata multis commendauit breuitas, uerum illi uel sensum duntaxat paucis, uel schemata certa, uel locos annotarunt communes, uel annotata & ueluti fragmenta quædam ædiderunt, paucissimos inuenias qui omnia ista in scribendis cõmentarijs obseruarint tractarintq; diligentius. Nec istud in hoc dico quod nostris cõmentarijs illa omnia præstiterimus, sed quod multa conanti ipsum opus inter manus opinione maius excreuerit. Tuum erit Dionysi præstãtissime nostram fidelitatem & diligentiam tueri aduersus quorundam procaces calumnias, & laborantes nos in uinea domini perpetuis iuuare precibus. Mense Martio, Anno 1535.

Commentatoris officia & diligentia.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

POsterior hæc Pauli ad Corinthios epistola fermè tota est apologetica, scripta in genere iudiciali, acris, argumentosa & uegeta, stilo admodum forensi, sed caussæ accommodo. Respondet enim pseudapostolorum cum obiectionibus tum calumnijs, quæ non nisi ex ipsa Pauli responsione colliguntur, id quod non modicam obscuritatem orationi aliàs perspicuæ inducit. Impingebant illi Paulo seditionis cruentum crimen, opprobrabant crucem quod subinde electus urbibus incertis cogeretur uagare sedibus. Præterea inconstantiam & mendaciũ obijciebant, sed & tyrannidis & ambitionis accusabant, quasi is ambiat dominium qui tanta authoritate præceperat scortatorem tradi satanæ. Iam & ministeriũ euangelij eius cupiebant reddere suspectũ, infidelitatis & impuritatis ipsum insimulantes. Hisce ergo omnibus primis respondet capitibus, ipsam epistolam à laude afflictionum auspicans, exponensq; quid in Asia usuenerit, & quàm dexter affulserit deus. Addit se nihil mentitum, tametsi non uenerit ut in superiori epistola se uenturum dixerat. Præterea ostendit qua ratione præceperit mœchum tradi satanæ, ut iniuriam faciant qui tyrannidem impingunt. Atq; hic probat se rite suo functum officio, pure ueritatem ipsis tradidisse & adhuc tradere, ubi etiam multis agit aduersus Nazaræos, qui legalia conabantur inducere. Demonstrat ergo quanta sit euangelij excellentia, quantaue legalium imbecillitas. Item quanta puritate & diligentia prædicarit euangelium, quanto cum successu, qui sanè non humanis sed diuinis debeatur uiribus quæ nõ desint suo negotio: adeoq; multa hic disserit de spe & constantia item solatio in afflictionibus. Deinde suo exemplo hortatur ad spem & ad opera bona, in primis ne se misceant impuris. Quæ pars genus agnoscit suasorium. His absolutis redit ad ea quæ de mœcho cœperat, eaq; in 7. cap. absoluit.

In 8. & 9. cap. miris argumentis hortatur ad beneficentiam, egregiam de hac disputationem contexens, quæ & ipsa sub genus deliberatiuum refertur. Postremo palàm suam authoritatem propter ministeriũ suum tuetur, laudes suas ipse de sese prædicans, adeo ut multis in hac re nimius esse uisus sit. Verum ipsa res istud poscebat, ne pereclitaretur hac parte ipsa etiã ueritas. Comparat ergo se pseudapostolis, eaq; collatione & suam innocentiam & aduersariorum fucum retegit. Sed authoritate sua confirmata sub finem minatur se uenturum cum authoritate. Quanquam protinus acerbitatem eam mitigans, ipsos ualere optet.

INSCRIPTIO.

CAP. I.

PAulus apostolus Iesu Christi per uoluntatẽ dei, ac Timotheus frater, congregationi dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia. Gratia uobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo.

Satis superq; de Inscriptione hac in superioribus duabus epistolis disputauimus, unde peti possunt si quæ hic desiderantur. Admonet Theophylactus Paulum merito Timotheum sibi in hac epistola conscribenda conscium fuisse socium, utpote qui non ita multos ante dies ad Corinthios missus, ut testatur prior epistola, aperta uirtutis suæ dederat indicia experimentaq;.

Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & deus omnis consolationis, cõsolans nos in omni afflictione nostra, in hoc ut possimus cõsolari eos qui sunt in quauis afflictione per consolationem qua nosipsos consolatur deus.

Paulò obscurior est orationis contextus, sensus & ordo fermè hic est: Laudandus est deus summum illud bonum & misericordiæ ac beneficentiæ fons inexhaustus, qui nusquam sibi dormit, sed quoties premimur & in discrimen adducimur, præsens adest, consolatur, erigit & seruat, non modo ut nos eripiat, qui sumus apostoli eius, sed ut omnibus alijs ueritatis nomine afflictionem sustinentibus spem certam faciat, non defore illis & consolationem & opem diuinam. Id enim ratum nunc facit per eam consolationem qua nunc nos consolatur. Videntes enim nobis deum propemodum excisis dextrum affulsisse, dubitare de eius auxilio minime potestis. Atq; hæc paucis de sensu uerborum dixisse sufficiat. Cæterum qua occasione sic orsus sit, id demum auditu erit iucundum. Monuimus in argumento pseudapostolos apostolo Christi uero Paulo nostro imperare crucem, tumultuandi studium atq; mendacium, quod ab omnibus penè proscriptus urbibus sedibus uagetur incertis, præterea dire admodum interminatus mulctam nescio cum qua se uirga uenturum priore receperit epistola, interim uero mali pressus conscientia non modo non uenerit, sed ne uenire quidem ausus sit. Commode ergo ipse auspicat à laudibus afflictionis, edocens quanta pro nomine Christi perpessus, in Ephesio maxime tumultu, & quàm dexter ubiq; affulserit deus, quàm integre se in his omnibus gesserit, quæ ex illis afflictionibus ad pios manarit utilitas. Simul his quoq; parat aditum ad id ut caussas reddat cur non uenerit, nulla mali pressus conscientia, sed malorum & afflictionum glomis præpeditus. Huc iam pertinet expositio quid Ephesi contigerit. Illa ad hunc penè modum exponens & Scholiastes ait: Quod pseudapostoli mihi probro ac uitio uertunt, tantum abest ut me deijciat, ut etiam plus uirium & consolationis addat. Porrò uerbis hic utitur ad hoc negotium appositissimis. Deum enim amplificatione Hebraica patrem misericordiarum, hoc est, bonitatis beneficentiæq; fontem inexhaustum appellitat. Alij hunc locum exposuere, unicam quidem esse misericordiam, plures autem quibus misericordia opus sit. Deinde deum uocat omnis consolationis, hoc est, eximie in omnibus aduersis consolãtem. Hæc paucula quidem uerba ingenium dei in nos propensissimum miro modo & adumbrant & commẽdant, certe ut in dubijs rebus uni accidamus. Turpe enim est neglecto patre benignissimo & domino liberalissimo contempto creaturis ac seruis supplicem fieri. Quod autem uidemus deum sanctis hominibus dextrum semper affulsisse, non euincit diuis esse supplicandum, sed deo qui sanctorum suorum exemplo nos uoluit consolari, & ad se colendum inuitare. Palàm enim hoc loco testatur Apostolus: Deus consolatur nos ut possimus omnes eos qui in afflictione sunt consolari: quæcunq; ergo traduntur in sacris literis de afflictionibus Abrahæ, Lot, Israëlis, Mosi, prophetarum & apostolorum in consolationem nostri dicũtur, ne scilicet in difficilibus rebus animũ despondeamus, qui uidemus deum suis nunquam defuisse.

Deus fons misericordiæ inexhaustus, adest in tribulationibus.

defuisse. Illud quoq; inter prima obseruandũ, quod non dicit, Laudandus deus qui nos extra omne periculum positos uarijs demulcet uoluptatibus: sed, Laudandus deus qui afflictos consolatur. Nam deus cruce suos explorat & probat, igneq; afflictionis rubiginem carnis excoquit. Gaudent ergo sancti dum in disciplina hac & ludo siue schola dei exercentur ad uitam atq; innocentiam. De qua re & Paulus Roma. 5. & 8. cap. item ad Hebræos 12. cap. Sunt & alia duo hoc in loco non negligenda. Prius laudẽ atq; gratias deo semper esse offerendas pro auxilio diuino & consolatione nobis in afflictionibus præstitis. Cuius generis complures inuenias in Psalmis Dauidicis formulas. Posterius annotauit & Theophylactus. Paulum præclara quadã tum fide tum humilitate non suis meritis, sed misericordiæ diuinæ ascripsisse quod è periculis sit ereptus. Decet autẽ ut hanc fidem & humilitatem in rebus omnibus imitemur.

Quoniam sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra.

τῶμεν certe aurea est ad superiora adpensa, cuius sententia satis est perspicua. Quo inquit sancti nomine dei affliguntur grauius, hoc euidẽtius ille eorum opitulatur infirmitatibus. Proinde quoties ingruunt aduersa uiribus nostris maiora, toties nimirum deus statuit uirtutem suam exerere omnium ualidissime.

Siue autem affligimur pro uestri consolatione ac salute, quæ operatur in tolerantia earundem afflictionum quas & nos patimur, siue consolationem accipimus pro uestri consolatione ac salute, spes etiam nostra firma est pro uobis, cum sciamus quod quemadmodum participes estis afflictionum, sic futuri sitis & consolationis.

Hoc ipsum repetit quod iam dixerat, ueluti Epanaphora rediens, singula tamen explicatius & per partitionem eloquitur. Vtitur fermè Macrologia. Paraphrastes sensum paucis ad hunc modum reddit explanatius. Proinde siue quid affligimur rebus aduersis id facit ad animandos uos, uestræq; saluti conducit, ut nostro exemplo confirmati fortiter feratis asperrima quæq;, quorum tolerantia licet amara sit, tamen est salutifera. Siue recreamur depulsa malorum procella, rursus & hoc facit deus, quo nobis subleuatis uestros reficiat animos, ne præ dolore deficiatis, sed uicissitudine malorum ac solatij possitis & ipsi perpeti quæ nos perpetimur. Quod quidem ita fore confidimus, ut quemadmodum participes estis afflictionum nostrarum, ita sitis & solatij nostri participes, & quemadmodum nobis diuexatis indoluistis antehac, ita ereptis gratulemini. Porrò ex hoc loco æstimare licet quis sit genuinus sensus uerborum Pauli in 1. capite ad Colosse. Nunc gaudeo super afflictionibus meis & suppleo, &c.

Non enim uolumus uos ignorare fratres de afflictione nostra quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus, supra uires adeo ut desperauerimus etiam de uita, quin ipsi in nobisipsis sententiam mortis acceperamus, ne cõfideremus in nobisipsis, sed in deo qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos & eripit, in quo spem fixam habemus, quod & posthac erepturus sit.

Mira arte & prudentia nunquam non maxime uero hic suam caussam agit Apostolus. Nunc enim quid Ephesi sibi acciderit commemorat, uelut paradigma appendens superioribus simul & calumnias declinans pseudapostolorum, qui innocentissimum & paci consecratum pectus infimulabant seditionis præcipue ob turbas nuper Ephesi exortas. Ipse ergo quid acciderit pulchre exponit, magis illa nunc adducens ut superiorum paradigma. Nam dissimulat istorum calumnias, interim declinat cum quid factum sit fatetur, & quid gloriæ deo, quidue utilitatis ad ecclesiam inde manarit ostendit. Principio enim potentiam suam exeruit mirifice deus, cum supra uires grauatũ, & de uita iam desperantem eripuit, onere leuauit, & in tuto collocauit. Maxima hæc dei gloria, uirtus

ac potẽtia eſt. De qua multis agit in Pſalmis propheta Dauid. Deinde, Huc uero, inquit, me deduci paſſus eſt dominus, ut prorſum de meis deſperarem uiribus, omne autem robur, auxilium & præſidium ponerem in ipſo deo, cuius potentia tanta eſt ut non modo ab ipſa poſſit nos morte preſeruare, ſed & morti iam datos reſtituere uitæ. Præterea fixã, certam ſolidamq; in ipſo ſpem haberem, fore ut poſthac è quibuslibet ſit erepturus periculis. Quæ uero hinc ad eccleſiam manat utilitas? Illa nimirum quod ipſa certam de deo ſpem concipit, fore ut is ſuos perpetuò erepturus ſit. Porrò hic de noſtris deſperandum uiribus, omne præſidium in deo uero & uiuo collocandum. Exponunt autem hunc locum nobiſcum pleriq; de ea ſeditione quam Demetrius idolorũ propugnator, non ipſe Paulus, Epheſi excitauit. De qua re lege Act. Apoſtolicorum cap. decimumnonum. Diſcamus & nos ex anteactis (in quo frequens eſt Dauid) colligere deum nobis ne nunc quidem defuturũ, qui nos ſeruarit hactenus. Quod ſi melius ipſi uiſum eſt nos prorſus omnibus eximere periculis & æternæ nos conſecrare paci, age ne repugnemus deo, cuius uoluntas ſemper iuſta, ſancta & bona eſt.

Vide Roma. capite 4. & Heb. 11. cap.

ſimul adiuuantibus & uobis, per deprecationẽ pro nobis, ut ex multis perſonis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis.

Orationis uis.

Occupatio eſt. Eſt enim ſententia: Non temere gloriamur nos deo fidere quod ille nos perpetuò ſit erepturus periculis. Fidimus enim non merito noſtro, ſed precibus ueſtris: fidimus & ipſi negotio quod iuſtum, purum atq; ſyncerum eſt. Hinc colligimus maximam eſſe orationi uim, id quod & Iacobus capite 5. aſſeruit. Neq; uerisimile eſt tantopere in preces effuſam fuiſſe eccleſiam quoties miniſtri uerbi urgerentur, niſi ſpiritu docente uariisq; teſtantibus argumentis ſenſiſſent maximas res perfici oratione. Clara huius rei extant teſtimonia Actio. 4. & 12. Errant ergo turpiter qui preces contemnũt, ordineq; præpoſtero omnia tribuũt fato. Et quanquam bono noſtro noſtraq; opera minime indigeat deus, placet tamen ipſi gratiarum actio noſtra. Hinc addidit hoc loco Apoſtolus, Vt ex multis perſonis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Id eſt, Id beneficij mihi obtigit à deo, ut pro hoc dono dei uos tota multitudo ac concio agatis gratias. Ex multis perſonis enim idiotiſmo quodam pro multis poſuit, ſiue pro multifariam.

Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium cõſcientiæ noſtræ quod cum ſimplicitate & ſynceritate dei, non ſapiẽtia carnali, ſed per gratiam dei conuerſati fuerimus in mundo, abundantius autem erga uos.

Syncerita in ad miniſtrãdo uerbo.

Alia ratio cur ſe credat porrò è malis eripiendum ponitur. Negotiũ quod ago iuſtum eſt, ſancte item & pure à me tractatum. Confido ergo dominum rebus ſuis affuturum. Hoc ipſo perſtringit & pſeudapoſtolos Corinthiorum. Nam & Ambroſius, Arguit fucatam (ait) prædicationem iuxta humanum ſenſum aptatam, cuius prædicatores duplici genere in ſapientia carnali accuſat, & quia iuxta mundi ſenſum prædicabant, ne facile offenderent homines, & quæſtus cauſſa hoc agebant propriis lucris carnalibus ſtudentes. Vnde Apoſtolus nunquã à Corinthijs uoluit accipere ſumptus, ne illis occaſionem daret, eo quod ſimilis eis eſſet in hac re. Hinc eſt quod dicit, Abundantius autẽ erga uos. Hæc Ambroſius. Proinde ſi tu propitium tibi & auxiliarem deum habere cupis, bona conſcientia age ſimpliciter & ſyncere. Plura in 1. ad Corinthios 2. capite. Præterea cum iſtis nunc euicit cauſſam ſuam eſſe iuſtam, æquam & bonam, ſimul & illud approbauit ſe à ſeditionis crimine eſſe immunẽ. Nam & Corinthi uitam uiuebat piam, doctrinam docebat ſanctam, ſed tumultus nihilominus excitabatur non exiguus, at aliorum non Pauli culpa illud quoq; annotauit Scholiaſtes, καύχησιν & pro gloriatione & pro fiducia, *für vertrôſten* accipi poſſe.

Non enim alia ſcribimus uobis quàm quæ legitis aut etiam agnoſcitis, ſpero autem quod uſq; in finem quoq; agnoſcetis, quemadmodum

& agno-

& agnouistis nos ex parte, quoniam gloria uestra sumus, quemadmodum & uos nostra in die domini Iesu.

Pulchre nunc delabitur ad cõsequentem caussam, ut se à mendacij suspicione repurget. Hoc autem est quod dicit: Et ut nunquam non pure simpliciter syncere ac uere egimus cum uerbis tum factis nostris, ita hodie quoq; nihil agimus per mendaciũ & impostura. Atq; hac in re uos testes cito. Agnouistis iam olim qualis sim. Agnoui & ego uos, atq; adeo, ut merito possimus utriq; de alteris gloriari, tantum abest ut uos mei nunc ut uani ac mendacis pudeat, & ego uos tam subito turpiterq; mutatos credere possim. Proinde alia scribere quàm quæ leguntur fermè prouerbiali quadam figura uel mentiri uel imponere est fucumq; facere. At dies domini iudicium domini est, quo abscondita profert in lucem. O uere deo dignum Apostolum, qui in nulla re quàm dei gratia & Euangelij profectu lætatur atq; gloriatur. Videas nostros Episcopos ignorare quid gratia dei, quis uerus Euangelij profectus. Gloriantur ergo in uictorijs cruentis, in diuitijs et principum amicitijs, in prę fidijs humanis friuolis & stultis. Verum miseri quid agant nunc quidem nesciunt, sentient tamen aliquando maximo suo detrimento.

Et hac fiducia uolebam ad uos uenire prius, ut geminam apud uos inirem gratiam, & per uos transire in Macedoniam: & rursum à Macedonia uenire ad uos, ac à uobis deduci in Iudæam. Hoc igitur cum in animo uersarem, nuncubi leuitate sum usus? aut num quæ cogito secundum carnem cogito? ut sit apud me quod est etiam, etiam: & quod est non, non.

Planius loquitur & efficatius nunc mendacij suspicionem à se depellit. Sensus est, Quoniam bene mihi conscius eram, & sciebam quàm sancte essem inter uos conuersatus, & cum non nescirem me prorsum uobis notum, uolui ad uos uenire, non ut deprædarer aut tyrannide premerem, sed ut duplici afficerem gaudio, duplicique demererer officio, nempe ut rediens ad uos instaurarem denuo quæ primo extruxeram. Vel, ut primo reficerem Epistola, secundo exhilararem præsentia. Deinde interruptam paulò narrationem redintegrans, subdit, Statueram per uos proficisci in Macedoniam, ac rursus ę Macedonia reuersus, uobis comitantibus deducentibusq; in Iudæam transire. Hic dum addit quod absoluat sententiam, Hęc igitur βουλευόμενος cum in animo uersarę & deliberarem, uobis scilicet prodesse, nuncubi leuitate usus sum quod scilicet prodesse nõ potui? aut quid obsecro carnalis consilij inde colligi queat, quod mihi merito impingi possit? Dixi me uenturum, non ueni, quod aliud uisum sit deo, nec quicq; detrimenti ex eo quod non ueni ad uos dimanauit: quæ ergo leuitas? quæ inconstantia? aut quod mihi humanum aut temerarium cõsilium obijciat quisquam? Hic per Aposiopesin subticetur, Nullum. Deinde subijcitur illatione per subiectionem, Vt sit apud me quod est etiam, etiam, & quod est non, non. Id est, atq; ita manet apud me illæsa constansq; ueritas. *Also blybt by mir ia das ia ist, vnd nein das nein ist.* Hoc est, tametsi non uenerim, nil tamen in ueritatem peccaui. Alluśit autem ad uerba domini quæ habentur Matthæi 5. Sit sermo uester est est. Alij hunc locum sic exposuerunt. Non est in potestate mea situm ut cum etiam dicam etiam prę stem, sed in domini potentia, qui nostros gressus moderatur. Sunt quibus magis placeat lectio Latina uetus. In Latinis enim codicibus sic ordinatum legimus, Num quæ cogito secundum carnem cogito ut sit apud me est & nõ? Id est, sunt ne consilia mea carnalia ut fallere possem? Equidem exemplar Bibliorum uetustissimum quod habetur in Bibliotheca Tigurinæ ecclesiæ hunc Pauli locum sic habet redditum, Cum hoc ergo uoluissem nunquid leuitate usus sum? aut quæ cogito secũdum carnem cogito ut sit apud me est & nõ? Fidelis autem deus quia sermo noster qui fit ad uos non est in illo est & non, sed est in illo est. Dei enim filius Iesus Christus qui in uobis per nos prædicatus est per me & Syluanum & Tymotheum non fuit est & non, sed est in illo fuit.

Vide cap. huius Epistolæ 3.

Imò fidelis deus quod ſermo noſter erga uos non fuit etiam & non. Nam dei filius Ieſus Chriſtus qui inter uos per nos prædicatus eſt per me & Syluanum ac Timotheon non fuit etiam & non, ſed etiam per ipſum fuit. Quotquot enim ſunt promiſſiones dei per ipſum ſunt etiam, & per ipſum amen deo ad gloriam per nos.

Vera & conſtans apoſtolorũ prædicatio.

Si uerba Pauli ſic ordinaueris, Num quæ cogito ſecũdum carnem cogito, ut ſit apud me eſt & non? nimirum præſentia Pauli uerba reſponſio erunt ad præcedentem interrogationem, ut ſit argumentum ab anteactis petitum, hoc ſenſu, Si prædicatione mea fefelli, potui & hac in re fallere. Conſtans autem & uera fuit prædicatio noſtra, nihil ergo fefelli, qui nunquam inconſtans inuentus ſum. Si uero Apoſtoli uerba ad eum modum diſponas, ad quem nos initio ordinauimus, iam hic erit ſenſus, Nulla unquã uſus ſum leuitate, ueritati ſtudui ſemper, ergo ne nunc quidem ulla mihi merito impingi poterit leuitas quod non ueni, & ut poſſit, certum tamen eſt doctrinam uobis euangelĩ à nobis traditam nil habere leuitatis aut inconſtantiæ. Nam tam certò uobis conſtantem tradidimus ueritatem, quàm certò deus uerax & ſemper ſui ſimilis eſt. Illius enim uerbum & filium prædicauimus, & quod in ipſo omnes dei promiſſiones ſint completæ. Non ergo noſtri capitis figmenta, ſed dei uerbum & ueras dei promiſſiones prædicauimus, & proinde cum ea quæ euangelio dei propoſuimus uobis dei non noſtra promiſſa ſint, ueram & indubitatam uobis tradidimus doctrinam. Hæc de ſententia & contextu paucis annotaſſe ſufficiat. Iam quod obſcuriora & inſolentiora quædam uocabula attinet, πιστὸς ὁ θεός poſuit pro eo quod eſt, Verax autem deus. Quaſi dicat, Tametſi homo falſus ſit, uerax tamen deus eſt. At huius non noſtrum uerbum uobis tradidimus. Huius uerbum filius eſt ipſa ueritas, lumen, uia atq; uita. Per ipſum omnes promiſſiones dei adimpletæ, ut id ad gloriam dei cedat, per nos autem prædicetur. Inde uero colligere licet quanta ſit uerbi dei certitudo, quodq; hanc nulla poſſit obſcurare & in dubium ponere miniſtrorum infirmitas. Homines ſunt apoſtoli & miniſtri uerbi, ſed doctrina ipſorum non hominis ſed dei eſt. Illud uero notius eſt quàm annotare neceſſarium ſit, Amen poni pro indubitata fide. Significat enim omnia certa eſſe quæ promiſit deus.

Porrò qui confirmat nos unà uobiſcum in Chriſtum, & qui unxit nos deus eſt, qui etiam obſignauit nos, deditq; arram ſpiritus in cordibus noſtris.

Pertinet & illud ad confirmandam ueritatis ueræq; pietatis certitudinem indubitatam. Mirum porrò eſt in uerbis incrementum. Primo, Deus, ait, confirmat tam nos uerbi miniſtros quàm uos auditores pios in Chriſto, in profeſſa ſcilicet religione Chriſtiana. Vel, Deus eſt qui me & uos ſupra Chriſtum ſolidam inquam petram ædificat, Matthæi 16. Per quid autem confirmat? Per unctionem, hoc eſt inſpirationem & inſtitutionem ſancti ſpiritus. De qua unctione Ioannes apoſtolus in 2. capite epiſtolæ 1. Alluſiſſe uidetur ad unctionem ſacerdotum ac regum ueteris teſtamenti. Deinde ſubdit quod unctionem exponat ipſaq; fit euidentius, dicens, Qui etiam obſignauit nos. Græce eſt, καὶ σφραγισάμενος. Significat autem rei certitudinem indubitatam. Metaphora tracta abĩs qui inſtrumenta obſignant, & annulis ſignatoribus fidem dant, & ſeſe obſtringunt ad id quod obſignant. Sequitur tertium quod duobus prioribus cum efficacius tum planius eſt, imò quod utraq; exponit, Deditq; arram ſpiritus in cordibus noſtris. Expoſuiſſet ſe modo ſi tantum dixiſſet, Dedit ſpiritum in corda noſtra. Hoc enim intellexit per unctionem & obſignationem: nunc cum addit, Dedit arram ſpiritus, maius quidpiam quàm hactenus dixit. *Arrabo.* ἀρραβὼν enim pars proprie eſt ſolutionis (*ein haffipfennig*) quæ fidem facit totius ſummæ perſoluendæ, pignus ſcilicet. Vnde Paraphraſtes, Quin inquit & ſpiritum ſuum indidit cordibus noſtris uelut arrabonem ac pignus in poſterum promiſſæ felicitatis. Habet ergo magnam gratiam hoc uocabulum propter alluſionem. Cœpit omnino & à Latinis uſurpari, Gellius enim Noctium Attic. libro 17. cap. 2.

Arrabo-

Arrabonem, ait, M. Cato dixit obsides, & id maluit quàm pignus dicere, quoniam uis huius uocabuli grauior acriorq; est. Sed nunc arrabo in sordidis uerbis haberi cœptus. Ac multo rectius uidetur arra, quanq̃ arram quoq; ueteres sæpe dixerint. Ex istis omnibus colligimus, duo esse quæ pietatem & religionẽ ueram confirmant. Prius est ipsa immutabilis dei ueritas. Religio enim nostra & ueritas prædicationis euangelicæ è uerbis & promissionibus dei petita est, & in ipsam dei ueritatem Iesum Christum innititur. Posterius est communis ille ecclesiæ, hoc est, omnium sanctorum siue fidelium consensus, qui aliud non est quàm illa uera à deo indita fides, unctio sacra. Hunc cõsensum intellexit diuus Aurelius Augustinus in libro contra Manichei epistolam quam fundamenti uocant, cap. 5. dicens, Si inuenirem aliquem qui euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, Non credo? Ego uero euangelio non crederem, nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret authoritas. Huius generis sunt & alia quædam in libro de Vtilitate credendi ad Honoratum contra Manicheum capite 17. Proinde toto aberrant cœlo, qui ecclesiam, hoc est, Papæ & pseudepiscoporum conciliabulum authoritati præponunt scripturæ. De ecclesia Christi catholica loquutus est Augustinus, illius ecclesiæ consensus alius non est, quàm ipse euangelij & scripturæ genius, nequaquam uero constitutio humana ac pontificia.

Communis ecclesiæ sensus. Vel iudicium ecclesiæ.

Ego uero testem deum inuoco in animam meam, quod parcens uobis nondum uenerim Corinthum, non quod dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij uestri. Nam fide statis: sed decrui apud meipsum hoc, non iterum cum dolore ad uos uenire.

CAP. II.

Tandem reddit caussam cur non uenerit, & hac ipsa transit ad statum alium. Nam crimen affectatæ aut exercitatæ tyrannidis à se amolitur. Hoc autem dicit, Testor deum illum omniscium, quem ne abstrusa quidem cordis latent, quod aduentum illum ad uos meum in uestri gratiam distuli, ne uidelicet in quosdam impœnitẽtes desæuire cogerer. Interim non nescio quid de me quidam apud uos prædicent, affectare me imperium, ut scilicet religionis prætextu aliquando uos dictis subijciam nostris, tyrannideq; opprimam. Cæterum tam abest ut fidei prętextu dominium in uos ambiam, ut me propter religionem magis seruum esse agnoscam. Præterea in fide statis, id est, in uera religione peritiores estis quàm qui fidei nomine finatis uobis facere fucum. Plurima autem salutaria ex hoc loco dogmata decerpũtur. Principio quàm benigno adeoq; paterno animo conueniat episcopos esse in suos. Nostri plerunq; lupino sunt præditi in suos genio. Deinde quantopere peccetur hodie ab illis qui nomine fidei miseram plebem opprimunt tyrannide. Et quid hodie Pontificum & episcoporum primatus aliud est quàm tyrannis? Quo uero illi freno ad coërcendum nisi religionis utuntur? Recte ille diuinarat, Religionem peperisse diuitias, & filiã deuorasse matrem. Sed coërcebit aliquando impiam illam potestatem summus ille rerum conditor, cuius aduentum expectamus. Præterea respondetur ijs quoq; nostri sæculi nepotibus & nebulonibus quibusdam. Hi cum in prædicatione euangelica non fidem & uitæ innocentiam, sed carnis quæsierunt libertatem, quiritantur, quod à ministris uerbi licentius aliquando luxus & intemperantiæ accusantur pro concione publica, quasi hi dominium quodpiam ambiant. Excussimus aiunt Pontificis iugum, sed pfaffi illi maledici tetriciq; denuo nobis imperare satagunt. Nemo uero nostrum uobis imperare cogitat. Ministri Christi sumus, hic omnium dominus est, ad huius trahimus obediẽtiam. Dolet nobis quod in satanæ castris misere diuexamini. Proinde hortamur ad fidem, ad castimoniã. Verum ea est humani peruersitas ingenij, ut lubens uolensq; impostorem, lenonem atq; exactorem malit Papisticũ, qui in re non sancta excarnificet, loculos euacuet, & animam demum perdat, q̃ euangelij ministrum fidum & minime malum, qui ob scelera corripiat durius, sed affectu paterno, & ad ueram animi hortetur sanctimoniam. Atq; hoc est quod dominus dixit, Me qui nomine patris mei uenio non recipitis, alium autem qui nomine suo ueniet recipietis. Posterius membrum, Sed decreui apud meipsum, &c. superius absoluit, clarius exponens caussam cur

Ministri ecclesiæ ne sint tyranni.

non uenerit. Sed & pulchra connexione consequentia iungit præcedentibus.

Nam si ego mœrore uos afficiam, & quis est qui exhilaret me, nisi is qui mœrore afficitur ex me? Et scripsi uobis hoc ipsum, ne si uenissem ad uos dolorem caperem ex his, ex quibus oportebat me capere uoluptatem, fiduciam hanc habens erga uos omnes quod meum gaudium omnium uestrum sit.

Quali animo deceat episcopos esse in suos.

Exponit mira lenitate & cum affectibus planè euidentibus quo sit in Corinthios animo, blando nimirum & paterno, non tyrannico, qua item ratione & quo consilio mœchum iusserit tradi satanæ. Istud enim factum pseudapostolos angebat unice quo & tyrannidis crimen intentabant Apostolo. Primo ponit sententiam ferè ex contrarijs constantem, Ego non inijcio uobis mœrorem, nisi prouocatus flagitijs uestris. Ipsi igitur in culpa estis quod tristamini, non ego, cui uos potius inijcitis mœrorem. Et dum cõtristo uos, in hoc contristo, ut resipiscentes & ipsi gaudeatis de consequuta uenia, & ego gaudeam de restitutione uestra. His iam cõmode subiungit, Atq; hoc consilio priorem scripsi epistolam, in qua præcepi mœchum illum traderetis satanæ, certe ut ueniens ad uos gaudere unà uobiscum liceret, omnisq; tristitiæ & mœroris caussa esset ablata. Nil enim tristius mihi accidere potest quàm si uideam uos secus quàm æquum sit aut deceat conuersari. Nihil uero lætius quàm si cõspexero nil esse in uobis quod merito accusari possit. Volens ergo amoliri quod tam uos q̃ nos turbare poterat, iussi mœchum traderetis satanæ. Ex his uero discimus quo in plebem cõmissam animo esse debeat episcopus, quo affectu is scelera & sceleratos puniat, paterno scilicet. Patres etiãsi filios increpent adeoq; uerberent grauius, dolent tamen plurimũ interim, mallent sibi temperare aut prorsum abstinere à pœna, si fic afflictis consuli posset rebus. Verum salutaris est correctio. Sal à corruptione conseruat omnia. Sine sale facile corrumpuntur omnia.

Nam ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi uobis, per multas lachrymas, non ut mœrore afficeremini, sed ut cognoscere tis charitatem quam habeo abundantius erga uos. Quod si quis dolore affecit, non me dolore affecit, sed ex parte ne aggrauarem omnes uos.

Planius exponit quo animo superiorem scripserit epistolam, ut appareat ipsum à tyrannide esse quàm alieniſſimum. Sensus uerborum planus est. Tantum abest, inquit, ut ex correctione illa mœrore q; uestro quicquam perceperim gaudij ut indoluerim magis. Interim uero mulctam grauioribus uerbis non in eum indicebam finem ut turbarem, sed iuuarem, utq; animi mei erga uos amorem testarer, qui quo impensius uos diligit, hoc minus conniuet ad uestra crimina. Cæterum si mœrore affecti estis hoc expendite apud uos quod non soli estis turbati. Nam & ego uehementer indolui, non tamen mœchi gratia tantum, sed omnium uestrum nomine, quod uiderem uos ad tantum scelus conniuere omnes. Proinde ne omnes tandem durius cogerer increpare, acerbius in mœchum scripsi, ne aggrauarem uos omnes. Locus paulò est obscurior propter perplexiorem uerborum ordinem. Vere autem diligunt plebem qui peccantem corripiunt pastores: odiunt & perdunt qui ad flagitia conniuent. Præstat item sceleratos aliquot facere exemplum, quo reliqua turba territa timeat, quam parcendo occasionem peccandi toti ecclesiæ suppeditare.

Corripiunt amantes.

Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc quæ facta est à pluribus, adeo, ut ediuerso magis condonare debeatis & consolari, ne quo modo fiat ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi. Quapropter obsecro uos efficite ut ualeat in illum charitas.

Modus in correptione sit.

Tyrannis subinde seipsam superat crudelitate & ferocia, modũ nescit. At Paulus hoc loco pulchre modum seruat in correptione mœchi: unde nos non modo discemus in sacro isto pectore nil latuisse ambitionis & tyrannidis, sed quid nos quoque conueniat facere,

facere, quis sit modus in plectendis sceleratis & peccatoribus. De ἐπιτιμία dictum est in cap. 5. superioris Epistolæ. A pluribus autem dixit pro eo quod est ab ecclesia. Hæc condonare dicitur peccata uel cum consolatur conscientia afflictos. Per interpretationem enim subiungitur, Vt illi magis condonare debeatis & consolari. Vel cum pœnitentem recipit in gratiam. Atque hoc potest uerbum Græcanicum χαρίσασθαι. Certum enim est solum deum remittere peccata nostra, Marci 2. Cæterum modus commendatur nobis in correptione, ut hic quoque prouerbium locum habeat μηδὲν ἄγαν, Ne quid nimis. Sufficit, inquit, homini isti increpatio & mulcta hæc. Mirum ergo quid ueterum nonnullos mouerit pœnitentibus tot præscribere annos. Petrum lapsum nec uulgariter sed fœdissime lapsum modico tempore intercedente, simul atque pœnitentia eius uera enituit omnibus in uerbi ministerium recepit ipse dominus. Neque peccatrici mulieri, neque Zachæo, neq; Matthæo longa præscripsit abstentionis tempora. Proinde simul atq; pœnituerit peccator omnibusq; innotuerit quod uere pœnituit miser, recipiendus est in gratiam. Nam ex contrario ad hunc modum argumentatur Apostolus, Quemadmodum peccantem increpastis duriter, ita pœnitentem recipere in gratiam consolariq; debetis quàm familiariter. Caussa, Ne immodico dolore absorbeatur. Quę uerba exponẽs Ambrosius, Afflicto homini (ait) peccati proprij caussa subuenire præcipit. Quia pœnitentia si de uero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat protinus habet fructum. Deniq; in Regnorum libro habetur, quia Achab cum arguissẽt eum propheta commotus animo statim meruit ueniam. Et Dauid in caussa Vrię Ethei correptus quia cognouit se peccasse delictum eius deletum est. Itaq; & apostolus illum qui incestũ commiserat habens uxorem patris sui obiurgatum & abiectum dolentem reuocari iubet, ne diu uidens se contristatum sperni, desperans de se daret animum ad mundum fruendum, quasi qui locum iam apud deum non haberet. Hoc est maiori tristitia absorberi, desperãtem de se conuerti ad admittenda peccata, quibus grauatus absorbeatur à secunda morte. Hæc enim uera pœnitẽtia est iam cessare à peccato. Sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat. Hactenus Ambrosij uerba non abs re recensui. Diligenter ergo omnibus diuini uerbi sanctæq; ecclesiæ dei ministris cauendum est ne seueritate nimia intempestiua & importuna perdant eos quorum gratia Christus mortuus est, aut salutari correptionis pharmaco utentes immodice, medicinam uertant in uenenum. Inuenta est mulcta ecclesiastica ad medelam, non ad necem: ad congregationem, non dispersionem: ad disciplinam, non defectionem. Meminerimus ergo ubiq; eius cuius nos uel prophanus ille admonuit,

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Nimia lenitas nonnunquam perdit ecclesias, sed sępius perdidit & immodica seueritas. Paulus quo ualentior esset adhortatio sua preces addit, Quapropter obsecro uos efficite ut ualeat in illum charitas. Nihil hic sibi priuatim tribuit. Nihil insolentius præcipit. Nihil se præfert, neque dictaturam sibi in ecclesiam neque censoriam sumit uirgulam, quod hodie multi arrogantiores quàm eruditiores solent, & olim fecerunt Pontificis illius Babylonici atque Chananæi pseudoepiscopi. In sanctis episcopis uigilantiæ summæ summa semper coniuncta fuit humilitas, summa constantia: sed quàm longissime à tyrannide aberant puræ atque piæ ipsorum mentes. Erasmus annotauit κυρῶσαι, quod uetus interpres uertit Obsecro ut confirmetis eum, idem propemodum ualere ac si quis dicat, Efficite ut authoritatẽ habeat charitas erga illum. κυρία enim concionẽ significare siue comitia in quibus creãtur magistratus. Vnde ductũ uideatur κυρῶ uelut suffragijs comprobo & ratum facio. Putat ergo Paulum loqui ad ecclesiam ceu iudices & concionem quorũ suffragijs uelit absolui eum qui traditus fuerat satanæ. Equidem ualere charitatem in aliquem dicimus, cum charitatis officia ei præstamus, cũ in gratiã recipimus.

Nam & in hoc scripseram ut cognoscerem probationem uestri an ad omnia obedientes sitis. Cui uero cõdonatis aliquid & ego cõdono.

Nam & ego ſi quid condonaui cui condonaui propter uos condonaui in conſpectu Chriſti, ne occuparemur à ſatana. Non enim illius cogitationes ignoramus.

Alia ſubiungit argumenta, quibus moueat ut excommunicatũ recipiant in gratiam. Poteſt autem initium huius loci tam ad priorem quàm poſteriorem referri epiſtolam: ut ſit ſenſus, Dum olim ſcriberem ſatanæ traderetis fornicariũ, id quidem non in eum modo finem ſcripſi ut plecteretur miſer, ſed ut experirer ſimul quàm eſſetis ad omnia præcepta noſtra prompti. Et tum quidem quales uolebam inueni probatos & obedientes: proinde ſcribo iam ſecundo, ſperans fore ut qui obtẽperantes condemnaſtis quem condemnare iuſſeram, nunc quoq; obtemperaturi fitis in gratiam recipientes, quem reconciliatum uobis cupio. Mihi enim, ait, ſatisfactum eſt, ſi uobis ſatisfactum eſt. Hoc enim ſentit cum dicit, Cui uero condonatis aliquid, & ego condono. Vide ut conſenſus in eccleſia requiratur in omnibus. Porrò ne quis leuitatis ac inconſtantiæ argueret Paulum, ipſe occupatiuncula interiecta dicit, Iam & ſi condonaui ei cui cõdonaui (ſermo eſt paulò obſcurior) propter uos condonaui, id eſt in ueſtri gratiam, & ut uobis in bonum cedat. Et in conſpectu Chriſti condonaui, hoc eſt bona cõſcientia, non ſecus atq; ſi coràm aſtaret Chriſtus. Habemus enim certam in hac re atq; Chriſtianã rationem, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, ne ſcilicet occupemur & uſurpemur uelut ab iniuſto poſſeſſore ſatana. Vel, ne nobis imponatur & decipiamur à ſatana, quem nouimus eſſe mille artificẽ qui non à finiſtra modo, ſed & à dextra nos impugnat: hoc eſt, non per uoluptates ſolũ, uerum etiam per mœrorem inſidiatur, illic pelliciens ad flagitia, hic in deſperationem præcipitans. Prudẽter ergo & magno cum iudicio in his agendum nobis. Corinthij prius cum Paulus ſeuerior eſſet, ipſi plus ſatis fuerant miſericordes, iam uero mitius conſulẽte Apoſtolo, ipſi erant crudeliores. Atqui non oportebat in alterutram peccari partem. Virtus eſt medium uitiorum utrinq; redactum. Meminerimus ergo modum in re qualibet eſſe & neceſſarium & optimum.

Cæterum cum ueniſſem Troadem in euangelium Chriſti, & oſtium mihi eſſet apertum per dominum, nõ habui relaxationem ſpiritu meo, eo quod nõ inueniſſem Titum fratrem meum, ſed dimiſſis illis abij in Macedoniam.

Hactenus expurgauit ſe de tyrannidis crimine, docens ſe fidei prætextu nequaquam ambire dominium, neq; id ex eo colligi poſſe quod mœchum ſatanæ tradi præceperit. De quo plura dicet in cap. 7. Nunc trãſit ad id ut oſtendat ſe Corinthijs pure ueritatem tradidiſſe, quã & alijs Gentibus multo ac felici cum ſucceſſu tradat. Pſeudapoſtoli enim impoſtorem eſſe Paulum calumniabantur. Hiſce uero parat aditum ad ipſam cauſſam. Narratiũcula quidem ipſa ſatis eſt aperta. Videtur loquutus de ea profectione cuius meminit Lucas in cap. 20. Arbitror enim Apoſtolum Epheſo profectum proxima ueniſſe Troada, unde & protinus ſoluit in Macedoniam, poſteaquam nõ inuenerat ſicut ſperauerat Titum, qui tum Corinthi erat, ut liquet ex cap. huius epiſtolæ 7. Dum enim iam in Macedonia ageret Paulus Titum ex Achaia uenientẽ ſingulari animi tripudio excepit. Inde uero iterum ablegauit ipſum in Achaiam ad Corinthios, ut collectam ex more parandam ſuaderet addita hac epiſtola, quam & ipſe protinus ſequutus eſt Paulus, ut ſancte pollicebatur in fine huius epiſtolæ. Vnde Græcorum inſcriptiones hanc à Philippis per Titum & Lucam eſſe tranſmiſſam teſtantur. Nam à Troade ſcriptam non eſſe ſatis euincunt quæ leguntur in 7. cap. Lucas in Actis breuitati ſtudens ſumma ſequitur ueſtigia rerum, oſtendẽs Paulum ex Aſia ueniſſe in Macedoniam. Non commemorat quod hic dicit Paulus ſe prius appuliſſe Troada. Neq; eius meminit quod hic monuimus ſecundam hanc epiſtolam ad Corinthios ex Macedonia eo tempore & ſecundo in Macedoniam aduentu eſſe ſcriptam. Meminit autem quod peragrata Macedonia uenerit in Græciam, hoc eſt, Achaiam, deinde tertio in Macedoniã, atq; inde ſoluerit profecturus in Sy-

Vbi & quando hæc epiſtola ſcripta.

2. Corinth. 9.

2. Corinth. 13.

in Syriam, in qua tamen profectione primũ Troada uenerit, inde Asson, postea Mityle nen, hinc Samum, &c. Vides igitur Paulum ita uenisse in Macedoniam, sicut se uenturum prædixerat in ultimo capite superioris epistolæ, & ut repetierat in capite huius epistolæ 1. Sed calumniabantur ipsius consilium pseudapostoli, ut inuidia nihil non solet suggillare, quod negotijs præpeditus non uenisset protinus.

Deo autem gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quoniã Christi bona fragrantia sumus deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam.

Gratulatur de euangelij successu.

Gratulatur de felici successu euangelij, omnem uim & successum Christo authori referens acceptum. Triũphat Christus in apostolis, cum in omnibus uincit ueritas, cum fides perfidiam uincit, cumq; mendacio & superstitione subuersa ueritatis lux mundo illucescit. Per interpretationem enim subdit, Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, Veritatis ac euangelij negotium per quod uincitur mundus comparans odori. Tropum enim aperit adiunctum uerbum notitia. Odor ergo notitiæ est suauis ille Christi sensus atq; fides adeoq; ipsa euangelij prędicatio. Metaphora ducta est à rebus suaueolentibus. Equidem euangelij prędicatione nihil est in orbe suauius, nobilius, fragrantius, quæ alibi & thesauro & conuiuio opiparo, item margaritæ, uino quoq; præstantissimo assimilatur. Diuus Ambrosius putat Apostolum allusisse ad odores legis: ut sicut in lege qui hostias bono uoto offerebat bonus odor erat deo & acceptabilis, ita & nunc prædicationis uirtus doctrinæ odorem præstet fragrantem deo. Idem ille, Odorem, inquit, iccirco dixit, quia sicut quædam res quæ cum non uideantur, per odorem tamen cognoscuntur & intelligis in loco aliquo esse quod non uides: ita & deus quia inuisibilis est per Christum, se uoluit intelligi, ut prædicatio Christi (quæ utiq; inuisibiliter, sicut ad nares odor, ita ad aures peruenit) deum patrem insinuaret creaturæ & filiũ eius unigenitum. Hic uero simul ostendit maximam illam animorum diuersitatem, qua uidemus euangelium à mundo uarie recipi ac iudicari. Nam euangelij ueritatem nuncian tes aliud nihil ait quàm Christi spargimus fragrãtiam salutarem quidem omnibus, sed alijs mente corruptis exitiabilẽ, fidelibus uero uitalem. Nam Simeon quoq; Christum dicit esse petram, alijs in ruinam, alijs uero in resurrectionem positam. Qui autem pereunt, non euangelij, sed sua culpa pereunt. Euangelium neminem occidit, omnes quod ipsum attinet uiuificat. Quod autem in ipsum impingunt multi, uitio fit impingẽtium. Sol idem atq; unus est, mollit tamen & indurat, idq; subiecti magis q̃ sua natura. Lutum indurat, ceram emollit. Flos unus atq; idem est, sed mel ex ipso colligit apis, uenenũ aranea. Ignis quoq; aurũ reddit fulgentius, sentes atq; uepres exurit. Et lux cum sit una atq; eadem, molesta tamen est quorundã oculis, quorũdam gratissima. Ita est & serena euangelij lux, quã noctuæ & tenebriones exosam habent, aquilæ & filij lucis expetunt. Odor mortis ad mortem, loquutio est. Similia habes 1. Corinth. 1.

Euangeliũ odor alijs suauis, alijs grauis.

Ad hæc quis idoneus? Non enim sumus ut plerique cauponantes uerbum dei, sed uelut ex synceritate, sed uelut ex deo in conspectu dei per Christum loquimur.

Synceritas in tradendo euangelio requiritur.

Testatur se summa cum fide & integritate uerbum domini tradidisse ecclesijs, contra eos qui impostorem esse calumniabantur, quos & per antistrephon occulte improbat, atq; infidelitatis accusat. Dicit autem tantam esse dignitatem euangelij Christi, ut ei seruiendo quilibet haud sit idoneus, sed præstãtissimus & integerrimus quisq;. Atq; hic necessario demonstrat syncere hactenus se inseruisse euangelio. Notat aũt pseudapostolos qui & ipsi prædicarunt Christũ & gloriam dei se quærere sancte iurarunt, sed suam interim quærebant gloriam, ad quæstum & ambitionem instituentes omnia, & proinde pura dei negotia suis uitiantes affectibus. Atq; id quidem intellexit per καπηλεύειν. In rebus autem odoriferis & pretiosis καπηλεύειν in primis locum habet. Erasmus Roterod.

Veteres, ait, quicquid esset insyncerũ ac dolo fraudeq; uitiatum id κάπηλον appellabant, uelut Aeschylus, κάπηλα προφέρων τεχνήματα, id est cauponias proferens artes, propterea quod hoc hominum genus plerunq; insyncerũ est, utpote quæstu metiens omnia. Hodie aquam uino, paleas tritico miscent, & pani dominico stercus inducunt humanum, qui euangelij prædicatores uideri uolunt, sed humana tradunt dogmata, item qui ueritatem adulterant, peruertunt atq; obtenebrant. Fidelis dei minister uerbum sibi à deo commissum pure tradit, nequaquam suis inseruit commodis. Nihil ex se fingit, ex diuinis oraculis petit omnia, eaq; eo modo eaq; proponit conscientia, ac si spectatorem auditorémue habeat deum. Id uero est quod Apostolus ait, Sed uelut ex synceritate, sed uelut ex deo, &c. Diuersum factitabant pseudapostoli, qui Paulum accusabãt infidelitatis. Vere ergo Ambrosius, Pseudapostolos ait, diuersos tangit, qui corrupta doctrina uerba dei per malam interpretationem adulterabant, tollentes diuinum sensum, ponebant humanum. Tales doctores nostrum sæculum habet innumeros.

CAP. III. Incipimus rursus nosipsos commendare. Num egemus, ut nonnulli, commẽdatitijs epistolis apud uos, aut à uobis commendatitijs? Epistola nostra uos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, dum declaratis q; estis epistola Christi subministrata, à nobis inscripta, non atramẽto, sed spiritu dei uiuentis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.

Ipso opere & effectibus iam probat quàm pure & sancte Corinthijs tradiderit pietatis doctrinam. Omnia porrò illa sic attemperauit ut acrius perstringat pseudapostolos, quorum obiectionibus & cauillis nullibi non, licet occultius, respondet. Sensus planus est. Non ait opus nobis epistolis commendatitijs, uel ab alijs ad uos impetratis, uel à uobis ad alios. Id ijs necesse est, quorum fides & probitas nullo enituit facinore præclaro. Tales autem erant errones illi pseudapostoli æmuli Pauli. Nihil mihi inquit talibus opus epistolis. Siquidem uos, hoc est tota Corinthiorum ecclesia, epistola, id est testimonium & commendatio nostra est apud omnes Gentes, quam in corde nostro unde exturbari non potest gerimus. Vestra pietas pręclara certè satis abundans testimonium est apud omnes quales olim apud uos fuerimus, qualis fuerit & prædicatio nostra. Olim idolis, luxui & omni intemperantiæ dedita erat Corinthus, nunc uero desertis fœdissimarum rerum studijs, epistola cœpit esse Christi, ab hoc quidem scripta atq; instituta in sanctimonia, sed nostro ministerio. Intelligit enim Corinthios à Christo doctos, corda ipsorum euangelicæ doctrinæ facta esse capacia. Allegoria uero usus est uenusta, quam & exponit cum addit, Inscripta non atramento, sed spiritu dei uiuentis. Proinde corda intelligit fidelium, qui erudiuntur à sancto dei spiritu, qui uegetus & uiuax est operatione & ui agente in sanctis. Addit & aliam allusionem, Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. Allusit enim ad caput Ezechielis 36. & Ieremiæ 31. sancte usurpans cor carneum. Intelligit enim cor tractabile, opponitq; lapideo, hoc est duro & intractabili cordi. Hisce enim uerbis pulchre descendit ad collationem euangelij cum legalibus, ut ostendat præstare prædicationem euangelij legalibus contra Nazaræos, qui, ut in argumento monuimus, Euangelio legalia & miscebant & præferebant. Ambrosius certè hunc locum enarrans fideliter, Nunc ait legem ueterem pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis abolita est, fractis tabulis sub monte à Mose. Noua autem lex in animo scribitur, hoc est, in corde, non per calamum, sed per spiritum. Quia enim fides æterna res est, ideo spiritu scribitur ut maneat, &c. Egregium porrò hoc exemplum est, quantopere orationem sacram exornent atq; amplificent metaphoræ, parabolæ, allegoriæ, idq; genus tropi alij. Vnde & sacrarum literarum studiosis diligenter sunt edisscendi. Videmus item ueram laudem in ipso opere præclaro illustriorem esse quàm si cõmendatitijs celebremur epistolis. Notũ est diuerbiũ, Ex opere æstimatur operis magister. Et qui alium cõmendat multa in eius gratiã facit quem ita deuictus precibus laudat.

Fiduciam

Fidutiam autem huiuſmodi habemus per Chriſtum erga deum, non quod idonei ſimus ex nobiſipſis cogitare quicquã tanquam ex nobiſipſis, ſed omnis idoneitas noſtra ex deo eſt, qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus.

Inabſoluta & obſcura eſt ſententia, niſi intelligas hanc ueluti reſponſionem eſſe ad ſuperiorem quæſtionem, Et ad hæc quis idoneus? Dixit autem ſe eſſe idoneũ, quanquam tectioribus uerbis. Nunc ergo ne quis impingeret ipſi arrogãtiam, quod ſibi ſuperbius arrogaret res maximas, Quod autem, ait, hæc de nobiſipſis prædicamus liberius, fit ex fidutia diuinæ gratiæ. Aliâs non ignoramus uires noſtras ad has res præclaras rite adminiſtrãdas minime eſſe idoneas. Omnis uirtus noſtra à deo eſt, qui & operatur in nobis. Elegans & efficax eſt hic locus aduerſus eos qui iuſtificationem humanis tribuunt uiribus, qui in hunc finem defendunt liberum arbitrium, & gratiæ præponunt meritum. Rectius Synodus Mileuentana ad hunc modum ex hoc Pauli loco decreuit. Si quis per naturæ uigorem bonum aliquid quod ad ſalutem pertinet uitæ æternæ cogitare ut expedit aut eligere ſiue ſalutari, id eſt euangelicæ prædicationi cõſentire poſſe cõfirmat abſq; illuminatione & inſpiratione ſpiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in cõſentiendo & credendo ueritatem, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens uocem dei in Euangelio dicentis, Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli, Non quod idonei ſimus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt.

Omnia eſſe gratiæ dei, nihil noſtrarũ uirium.

Et iterum, Si quis inuocatione humana gratiam dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiã facere ut inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ prophetæ uel Apoſtolo idem dicenti, Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant.

Item, Si quis ut à peccato purgemur uoluntatem noſtram deum expectare cõtendit, non autem ut etiam purgari uelimus per ſancti ſpiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi ſpiritui ſancto per Solomonem dicẽti, Præparatur uoluntas à domino. Et Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Hæc ſyncera fide & nos credimus & profitemur. Deteſtamur uero diuerſum ab hac ſana doctrina docentes. Paulus ut commode inter ſe legalia & euangelium conferret, & euangelij præſtantiam oſtenderet, dicit ſe miniſtrum noui teſtamenti factum, non literæ, ſed ſpiritus. Nouum autem teſtamentum uocat remiſſionem peccatorum, non per legem, ſed per ſanguinis Chriſti effuſionem collatam fidelibus. Spiritus ergo miniſter eſt, qui non legalia prædicat, ſed unicum Chriſti meritum inculcat. Literæ miniſter eſt, qui typum, ceremonias, legalia, ipſam inquam carnem ac hominis uires meritaq; prædicat. Fœde hallucinantur qui hunc locum ita exponunt quaſi miniſter ſpiritum conferat auditoribus.

Nam litera occidit, ſpiritus autem uiuificat.

Cauſſa eſt ſuperiorũ & generalis ſententia ab omnibus ſemper uſurpata ſanctis. Atq; utinam uel hodie tam ſancte intelligatur & accommodetur rebus, quàm prompte eam nonnulli nunquam non proferunt. Sunt qui per literam intelligũt omnia ueteris inſtrumenti ſcripta. Hi nihil admittunt in diſputationibus, niſi quod nouo teſtamento proditum eſt. Alij uero utrunq; fatentur teſtamentum, utrunq; admittunt in conflictationibus, ſed per literam planas etiam ſcripturæ ſententias intelligunt. Hi ſpiritũ uocant quicquid iubet proferre affectus animúsue praua uel opinione uel ſecta imbutus. His enim ſpiritus eſt quicquid ipſi comminiſcuntur, imò & ſpiritum appellare audent apertiſſimæ ſcripturæ detorſionem & corruptionem impudentiſſimam. Quicquid enim fidei et ueritatis eſt, quicquid apertis aſſerit ſcripturis, huiuſmodi tenebrionibus litera dicitur. Si ergo horũ aliquem urgeas plano aliquo ſcripturæ loco, quo iſtius conuincitur & confutatur error, adeo ut iam non habeat quod reſpondeat, ſtatim obijciet, Litera occidit, ſpiritus uiuificat, oportet hoc negotium iudicare ſpiritualiter: atq; hic demum figmenta illa ſua iam olim ex imaginatione neſcio qua confuta magna cum ſeueritate, hoc eſt

De ſpiritu & litera.

hypocrisi, profert, scripturas claras hisce nebulis suis uitiat cõfundit & obtenebrat. Spiritum quidem indit literæ, sed spiritum uertiginis. Breuibus ergo dicendum nobis quid Apostolus intellexerit per literam, quid per spiritum: neq; certius id neq; planius absolui potest quàm si occasionem expendamus qua permotus Apostolus hæc scripsit. Constat ergo cum ex hac tum alijs Pauli Epistolis errones quosdam obscuros, quos alij Nazaræos, alij Mineos appellarunt, uehementer turbasse ecclesias rite iam ab apostolis instituas. Has enim subintroëuntes ludaizare cõpellebant, euangelio miscẽtes legalia, quasi gratia Christi ad salutem consequendam non esset satis efficax. Docebant ergo literæ legis præsidio circumcisionem, & totius legis obseruationem ad salutem consequendam omnino esse necessariam. Falsum enim esse quod prædicabant apostoli, Fide purificari corda, fide iustificari peccatores, fide saluari credentes. Neq; enim unam fidem satis esse aut iustificare. Et de his quidem multa in 15. cap. Actuum apostolorum, & in Epistolam ad Romanos annotauimus. Plurimum his patrocinari ipsa lex Mosi scripta uidebatur, ut quæ districtim exigebat circumcisionem, sacrificia, operaq; grandia. Igitur Apostolus non totam legem, neq; sensum legis literã uocat, sed ipsum doctrinę genus totum quod ab illis tradebatur. Spiritum uocans ipsam euangelij & gratiæ dei prædicationem, quæ uni Christo tribuit oñia, ceremonijs, legalibus, operibus atq; uiribus nostris nihil. Hæc ita habere euincent ipsa Pauli uerba quæ consequuntur. Hic tamen addimus ipsa quoq; Decalogi prẽcepta intelligi à Paulo. Vnde & diuus Aurelius Augustinus in libro de Spiritu & Litera, cap. 4. scribit, Doctrina illa qua mandatum accipimus continenter rectęq; uiuendi, litera est occidens, nisi adsit spiritus uiuificans. Addit idem, Neq; enim solo illo modo intelligendum est quod legimus, Litera occidit, spiritus uiuificat, ut aliquid figurate scriptũ, cuius est absurda proprietas, nõ accipimus sicut litera sonat, sed aliud quod significat intuentes interiorem hominem spiritali intelligẽtia nutriamus, sed potius de lege aperte quod malum est prohibente, ut cum dicit, Non concupisces. Nisi enim sanctus adiuuet spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in corda nostra, profecto illa lex quamuis bona, auget prohibendo desiderium malũ. Sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, uehementior fit obice opposito, cuius molem cum euicerit maiore cumulo præcipitatus uiolentius per prona prouoluitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur fit iucundius dum uetatur. Et hoc est quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cum antecedit etiam præuaricatio, quæ nulla est ubi lex non est. Et quæ sequuntur. Plurima eñ de hac re docte simul & pie disputat per consequentia capita. Itaq; quod uetus attinet testamentum, non minus in ipso spiritus ac uita est atq; in nouo, si modo meminerimus typica in eo esse plurima fideq; exponenda. Rursus noui testamenti scriptores de lege loquentes frequenter usos esse synekdocha. Id quod in 8. ad Hebr. cap. & in libello demonstrauimus quod nuper de unico & æterno dei testamẽto uulgauimus. Manet item sua adhuc scripturæ illæsa authoritas. Habet scriptura certas exponendi rationes. Intellecta ergo per fidei & charitatis regulam spiritus est nõ litera. Breuiter, Christus in utroq; testamento spiritus est. Litera autem ipsum uelamen est, præceptum sine fide, typus sine re & spiritu, imò quicquid sibi caro extra Christum eiusq; spiritum imaginatur. Recte enim scripsit Ioannes, Si hominum testimonio credimus, magis credemus testimonio dei. At hoc est testimonium dei, quod uitam æternã dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium habet uitam, qui non habet filium uitam non habet. Consequens ergo est quod illi mortis non uitæ præcones sint qui prẽcepta quidem satis acriter inculcant, qui humana prædicant, imò & si diuina prædicare uideantur, tamen non unice asserunt & ingerunt in solo Christo esse salutem, redemptionem & uitam. Prædicabant & pseudapostoli scripturam, sed non uni merito Christi tribuebant omnem gloriam, sed legi, atq; rebus externis.

Quod si administratio mortis in literis, deformata in saxis fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intẽdere filij Israël in faciem Mosi, propter

pter gloriam uultus eius, quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria?

Iam confert legalibus euangelicã prædicationem, loquens de lege eo quo supra ostendimus more. Per administrationem enim mortis intelligit legem. Lex enim occidit, ut expositum est in Romanis. Primo ergo præstat euangelium, quod ipsum est administratio spiritus ac uitę, lex administratio mortis. Secundo lex deformata, id est, insculpta erat in tabulas lapideas. Euangelium inscribitur in corda hominum. Iam sequitur quod sensum absoluit. Si autem in gloria fuit abolenda lex, insculpta tabulis, in maiori gloria erit euangelium æternum, ac cordibus inscriptum. Gloriam porrò quam lex habuit ostendit cum dicit uultum Mosis dignitate maiestateq; fulsisse, adeo ut filij Israël non potuerint oculos intendere in radios. Quibus & dignitatem subindicat legislatoris: unde facile colligere est maiorem esse gloriam Christi, utpote qui Mose maior filius dei sit. Quanta uero fuerit gloria Christi sese transfigurantis, indicat Matthæus in cap. 17. Historia de Mose legitur Exodi 34.

Nam si administratio condemnationis gloria, multo magis excellit administratio iustitiæ in gloria.

Tametsi uerba sint alia, idem tamen est sensus huius collationis qui & superioris. Lex enim per se, hoc est, sine fide occidit & cõdemnat. Euangelium autem propter fidem appellitat administrationem iustitiæ. Iustus enim ex fide uiuit. Proinde qui solam legem prædicant condemnant, qui uero fidem ingerunt iustitiam prædicant. *Vbiq; ostendit in Christo ex fide esse iustitiã, non ex lege.*

Quandoquidem ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum est in hac parte propter eminentem gloriam. Etenim si quod aboletur fuit in gloria, multo magis id quod manet est in gloria. *In cõparatione.*

Quid uero inquit multis opus est? hoc certum est legis quidem gloriam quantumuis præclaram, nullam tamen uideri si conferatur gloriæ euangelicæ quæ longe eminentissima est. Repetitur hic caussa superior. Si enim quod aboletur fuit in gloria, necessarium est id esse splẽdidius quod succedit & illud absoluit. Proinde lex fide tandem absoluitur.

Itaq; cum habeamus huiusmodi spem multa libertate utimur, & nõ quemadmodum Moses ponebat uelamen in facie sua ne intenderent filij Israël in finem eius quod abolebatur.

Demonstrata euãgelij gloria & legis infirmitate infert nunc Apostolus: Hæc cum ita habeant πολλῇ παῤῥησίᾳ multa libertate loquendi utimur, id est neglectis typis & legalibus unum Christum & gratiam eius prædicamus. Interim & pseudapostolos carpit legem tradentes. Et non eo inquit more agimus quo ipse Moses multos significauit factu ros. Ipse enim Moses uelamine inducto faciei significauit futurum, ut aliqui Iudæorum neglecto fine legis ipsam modo speciem ipsúmue typum sint admiraturi. Id quod hodie faciunt, qui non unum Christum legis finem & perfectionem prædicant, sed typos magis ipsaq; legalia, ipsam inquam umbram sequuntur. Velum ergo litera est adeoq; ipsa crassities mentis & incredulitas, Christi ignorantia. Proinde loquutio est, Ne intenderent filij Israël in faciem eius. Neq; enim Moses super faciem expandit uelũ, ne intenderent, sed significauit multos futuros qui ipsum legis finem Christum sint contemptu ri, literæ mortuæ & typis hæsuri significantibus, qui tamen hoc loco aboleri dicuntur, cum per Christum illustrantur. Certè egregius est hic locus, & multa dignus cogitatione sancta. Nos omnia breuibus perstringimus, ansam suppeditantes maiora cogitandi. Multi de uelamine disputarunt multa, nos in transcursu aliud nihil dicere potuimus quàm diximus. *Velũ super corda quorundam expansum.*

Sed obcæcati sunt sensus illorum. Nam usq; ad diem hodiernũ idem uelamen in lectione ueteris testamenti manet, nec tollitur uelum quod per Christum aboletur. Sed ad hunc usq; diem, cum legitur Moses ue- *Metonymia.*

lamen cordibus illorum impositum est. At ubi conuersi fuerint ad dominum tolletur uelamen. Dominus autem spiritus est. Porrò ubi spiritus domini, ibi libertas.

Christus finis et clauis scripturæ.

Dicat aliquis, Qui ergo fit ut gens Iudaica scripturas non intelligat proprias? Respondet. Quemadmodum Isaias in 6. cap. futurum prædixit, ita occæcati sunt sensus eorum. Quæ uero illa occæcatio? Quòd uelamen cordibus illorum est impositum. Quod uelamen? Quoties legunt testamentum uetus iam hærent in litera, non expendunt in quem finem lata, non intelligunt pleraq; per figuram esse dicta, literæ ergo adhærent occidenti atq; pereunt. Velum porrò illud non tollitur nisi per Christum, hoc est, cum uertuntur ad Christum, id est, Christo fidunt. Hic enim est finis, perfectio & spiritus legis. Dominus enim Iesus legis spiritus est. At ubi hic spiritus, ibi libertas illa de qua paulò ante dixit Apostolus, Itaq; cum habeamus huiusmodi spem multa libertate utimur. Est & libertas animi uera, ubi est fides Christiana. Ad omnia enim promptos nos, alacresq; efficit dei spiritus. Cæterum ex hoc loco facile colligere licet quid hactenus intellexerit per literam, quid per spiritum. Velum hodie cordibus gerũt impositum, qui uni Christo non fidunt, sed ceremonijs & rebus quibusdã humanis, id est, stultis. Liberi autem sunt qui spiritum Christi habent. Christianæ enim libertatis participes sunt qui uera fide Christiana sunt imbuti. Fides enim & cognitio Christi non modo lucerna est exponendi scripturas, sed & omnium functionum humanarum regula. Huc pertinet illud apud Ioannem dictum Christi, Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Sed de libertate Christiana disputatum ab alijs copiosius, nos quædam annotauimus in 6. capite ad Roma. & 7. ad Hebræos. Stulte & peruerse agunt qui peruerso sæculo nostro de libertate prædicant priusquam docuerint quid sit fides. Nam cum ingenium hominis suapte natura à labore ad libidinem sit procliue, fit ut libertatem sectentur carnis, & per confragosa carnis ruant præcipites, uoluanturq; in errorum uolutabris. Moderamine enim frenoq; fidei carent. Proinde affectus tanquam seruuli nequam & tumultuosuli reiecta ratione sana erumpunt, & per omnia scelerum genera libere grassantur. Igitur qui sapit priusquam Christianos pronunciat liberos tradidit quæ obedientiæ fidei sunt. Pulchre ergo Paraphrastes, Mosaica lex, ait, quoniam metu suppliciorum cõtinebat in officio seruilis erat & uelum seruitutis est indicium. At ubi spiritus domini Iesu qui secretos addit stimulos, ut iniussi quoq; feramur ad officia pietatis, ibi libertas est. Nullus ad fidem compellitur. At qui uere credit ultro uitat turpitudinem & innocentiam amplectitur, & longe plus præstat uolens impetu charitatis, quàm à Iudæis potuerit extundi pœnarum metu. Cæcutiunt igitur illi qui fidei carent oculis.

Vera libertas.

Nos autem omnes retecta facie gloriam domini in speculo repræsentantes ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam tanquam à domini spiritu.

Credentes in Christo habent omnia.

In genere nũc de libertate loquitur Christianorum & euangelij gloria. Filij Israël, ait, propter uelamen in ipsum legis finem ueramq; gloriam oculos figere non poterãt: nos uero posteaquam fulgore euangelij coruscante & ipso Christo domino qui finis est legis adueniente, facies retecta est, id est, ipse finis palàm propositus est, gloriam domini ipsum inquam Christum gloriam sanctorum & lumen gentium, κατοπτριζόμενοι, palàm in cordibus nostris ceu in speculo quopiam ueram lucem excipientes speculamur. Est enim κατοπτριζόμενοι uelut speculo exprimentes. Sequitur enim quod exponat, Ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam. Id est, non modo palàm exponuntur nobis in Christo ipsa dei mysteria, sed uis quædam per illum nobis inditur, qua hic quidem ad exemplum & imitationem ipsius subinde ad pientiora sanctimoniæ officia prouehimur, deinceps uero transformemur ad illius imaginem glorioſam, hoc est, immortalem & perennem: καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος, tanquam à domini spiritu. Addendum est aliquid, ueluti liberati aut absoluti, aut simile quidpiã. Quasi dicat, Vtpote qui liberati

liberati ſumus à domini ſpiritu, per ipſum inquam Chriſtum, qui in haſce nos facultates ampliſſimas ſubuexit. Paraphraſtes paucis ſenſum non male reddidit ad hunc modum, Quemadmodum olim Moſi facies ex colloquio dei ceu ſpeculum ex obiectu ſolis reluxit, ita noſter animus ſecretis incrementis indies magis ac magis afficitur, ac proficit à gloria in gloriam ob familiaritatem dominici ſpiritus agentis iam nunc inuiſibiliter in nobis quod olim palàm perficietur.

Propterea cum miniſterium hoc habeamus ut noſtri miſertus eſt deus, haud degeneramus, ſed reiecimus occultamenta dedecoris, non uerſantes per aſtutiam, neq; dolo tractantes uerbum dei, ſed manifeſtatione ueritatis, commendantes noſipſos apud omnem conſcientiã hominum in conſpectu dei. CAP. IIII.

Poſteaquam copioſius lege ad Euangelium collata huius demonſtrauit præſtãtiam contra eos qui legem Euangelio præponebant, iam plenis quod dici ſolet uelis proue- *Syncera uerbi admiſtratio.*
hitur, & impellente uentorum quadam ui abſoluit ac ingerit quod in fine 2. & initio. 3. cap. cœperat conari, ſe ſcilicet rite ſuo functum officio, pureq; eccleſijs tradidiſſe doctrinam ueritatis. Id quod negabant errones illi arrogantes æmuli Pauli. Dicit ergo, Proinde cum illa ſic habeant, ipſeq; dominus (illius enim gratiæ acceptum fero quicquid poſſum, qui prius eram perſequutor & blaſphemus) me miniſtrum eſſe uoluerit noui teſtamenti ſpiritus ſcilicet non literæ, οὐκ ἐκκακοῦμεν, id eſt, non ſegneſcimus aut deficimus aut ſegnius obimus nobis demãdatam à deo functionem, ſed gnauiter & ſingulari cum diligentia multaq; cum libertate obeo omnia. Quod autẽ æmulos illos meos ipſorumq; attinet calumnias, ego non curauerim ipſorũ mendatia, latratus, & conuitia. Reijcio occultamenta dedecoris, id eſt infamationes ſciolorum clancularias, quas palàm non obijciunt in abſentem ingerunt. Et mendacium quærit latebras. Proinde calumnias recte appellauit occultamenta dedecoris. Alij τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης inuolucra expoſuerunt, quę dedecori congruunt. Veritas enim nuda lucẽ nil horret. Cauſſam porrò addit cur iſtorum non curet latratus. μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ, (Da gond wir nit mit böſen faaten vnnd liſten vmb.) Non uerſantes aut agentes per uerſutiam. πανοῦργος enim eum ſignificat proprie qui in omni re exercitatus eſt, ἀπᾶν & ἔργον. Et πανουργία, calliditas, uafricia & ſolertia minime commendabilis, ſed circumſcribens fucumq; faciens. Theophylactus recte iſta retorquet in ſpeudapoſtolos, qui, ut ait, facie quadam adumbrata, ſubdole omnia agebant: accipiebant munera, interim fingebant ſe nihil accepiſſe à fidelibus: ſimulabant ſanctimoniam, ſed reuera impuri erant. Iam & in gratiam hominum dicebant quidlibet, ſilebant turpiter ubi maxime uocales eſſe oportuerat, itaque corrumpebant ſuis affectibus legem domini, Euangelium uitiabant, nihil tradebant ſyncere. Proinde Paulus aliud quoque addit, Neque dolo tractantes uerbum dei, ſed manifeſtatione ueritatis, id eſt, pure & aperte proponimus ueritatem, nihil addimus, ſubducimus nihil, uitiamus nihil: breuiter, non utimur artibus cauponijs, ueritatem ficuti eſt, & ſicut nobis à deo tradita eſt, ea ratione & ijs quibus conuenit modis eccleſiæ exponimus. Atque hic nolo fides meis modo habeatur uerbis. Nihil hic mendaciter ago. Non ego duntaxat me commendo. Aliorum audiantur teſtimonia. Commendãt me omnium conſcientiæ ſanctorum. Commendat me ipſe deus omniſcius. Non ergo opus mihi literis commendatijs, ipſa res ipſumq; negotium clamitat me omnia hactenus pure, ſine uerſutia, ſynceriter, & ſine dolo malo peregiſſe, ſancte & fideliter. Iterum autẽ alludit hiſce ad uerba 3. cap. Epiſtola noſtra uos eſtis. Item, Non ſumus ut pleriq;, &c. Quia eñ Pſeudapoſtoli Paulo obijciebant ſeductionem eccleſiarum, quod legalia uideretur negligere, Chriſto autem nimium tribuere, neceſſarium erat ut oſtenderet Euangelij præſtantiam. Hac ergo demonſtrata commode nunc infert, Recte ergo docui eccleſias, illi potius impoſtores ſunt qui me ſeductionis inſimulant. Expendant hæc obſecro quibus uerbi miniſterium à deo concreditum eſt, ne quid per aſtutiam aut dolum malum agant. Conſcientia ſana abundantiſſimus & omnium tutiſſimus teſtis eſt, Hoc accuſante nullũ ab-

ſoluit teſtimonium externum. Hoc excuſante nulla damnarit in mundo teſtium turba.

Quod ſi adhuc uelatum eſt euangelium noſtrum, in his qui pereunt uelatū eſt, in quibus deus huius ſæculi excæcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen euangeliī, gloriæ Chriſti qui eſt imago dei.

Quorum culpa fiat ut pauci credant.

Dixit Iudæorum cordibus uelum eſſe impoſitum. Addidit nos retecta facie contueri gloriam Chriſti, ſe item ipſam ueritatem citra uelum ac inuolucrum palàm aſſerere. Dixerit autem aliquis, Videmus euangelicæ prædicationi ubiq; contradici, & innumeros eſſe qui uelamen etiam euangelio habeāt inductum. Si ergo lex hoc infirmius iudicatur quod uelum habet, certè euangeliū nihil erit lege præſtantius, cum uelo ſuo non careat. Reſpondet ergo Apoſtolus, Id ſanè neq; euangeliī uitio, neq; noſtra culpa fit, ſed eorum qui pereunt. Euangelica prædicatio ſatis eſt perſpicua, clara & ſimplex. Quod itaq; multi euangelium intelligere nolunt, quod & in nouo teſtamento uelum cordibus impoſitum gerunt, quod pereunt non dei impellentis culpa pereunt, ſed ſuopte uitio. Deus em̄ huius ſæculi ſatan mentes illorum qui credere nolunt occæcauit. Mentem enim ac ſenſum indiderat dominus, excitat nunc per prædicationem ſacram, ſed illi ſua malitia cor occludunt, ad quam malitiam cum accedit ſatan craſſior atq; perplexior magisq; diuturna ac pertinax fit occæcatio. Inde uero eſt quod plurimis clara euangeliī lux non luceat, qua gloria Chriſti nobis declaratur, quod ſcilicet ſit imago dei inconſpicui, is nimirum per quem ingenium dei diſcimus, quale ſit clemens, æquum, ſanctum, uerum & iuſtum. Talia enim ſunt omnia cum dicta tum facta Chriſti. Huc iam pertinet quod ſcriptum eſt, Philippe qui uidet me, uidet patrem. Item, Patrem nemo cognoſcit niſi per me. Idem hodie quoq; multis reſpondendum ueteratoribus obiicientibus paucos eſſe qui uere credant, iccirco uanam eſſe prædicationem noſtram. Clamitāt aliī, Neſcimus quid tenebriones euangelici nobis ogganiant. Nemo deuotus facile iſtorum intellexerit philoſophiam. Hæc illorum ſcilicet eſt querela qui Chriſtum planiſſime loquentem intelligere nolunt, ſed ſpinoſam ſatanæ diſciplinam probe tenent. Dominus conuertat miſeros. Neminem autem offendere debet quod Paulus ſatanam uocauit deum. Catachreſi enim uſus eſt illorumq; reſpexit mentem qui dei loco diabolum habent magiſtrum uitæ. Præeſt ipſe deus uerus toti mūdo, interim & ſatan deus appellatur huius ſæculi, hoc eſt, eorum hominum qui mundana præferunt cœleſtibus, & in omni flagitiorum genere uolutantur.

Coloſſ. 2.

Non enim noſipſos prædicamus, ſed Chriſtum Ieſum dominū, nos autem ſeruos ueſtros propter Ieſum.

Nemo item in nos, ait, poteſt reiicere culpam, quaſi nos ſecus q̄ oportuerat docuerimus, Chriſtum dei filium uero iuſtoq; more prædicauimus, non noſipſos, quæſtū aut gloriam noſtram quærentes, ſed gloriam dei, & ſalutem animarum ueſtrarum. Agnoſcimus enim palàm nos aliud non eſſe q̄ ſeruos uobis à Chriſto ad ſeruiendum in miniſterio uerbi miſſos. Monet autē hic locus plurimos eſſe impoſtores, qui in culpa ſunt quo minus recte de religione ſentiat populus. Videns enim omnia ab illis fieri ex contētione & inani gloria, ad quæſtum & luxum omnia eſſe inſtituta, totam abiicit religionis inſtitutionem. Caueant ergo ſibi fratres ne ſcandalo ſint, non modo puſillis aliquot, ſed toti eccleſiæ. Id enim grauiſſime exiget ab illis iuſtus iudex, qui dixit, Væ illi per quē ueniunt offendicula. Cæterum nullum eſt offendiculum grauius q̄ quod fit per doctrinam non ſanam. Equidem non dubitauerim Apoſtolum etiam his perſtrinxiſſe ſuos æmulos.

Lucæ 17.

Quoniam deus eſt qui iuſſit è tenebris lucem illuceſcere, qui luxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ dei in facie Ieſu Chriſti.

Deus per Chriſtum illuminat, non occæcat.

Epanaphora eſt. Dixerat deum non eſſe in culpa quod euangelium apud multos adhuc ſit uelatum. Eò iam redit, idemq; repetit ſed ſignificantius. Hoc enim eſt quod dicit: Deus certe hac in re omni crimine uacat, quod multi non credūt & in tenebris manent, ſua

ſua ipſorum culpa fit non dei, non euãgelij. Deus enim uidens miſerũ genus hominum uerſari in tenebris errorum atq; peccati, uoluit ut lux aliqua oboriretur miſeris, adeoq; is ipſe qui iuſſit & uoluit, illuxit cordibus noſtris dum ipſe nobis in facie Chriſti (oppo nitur faciei Moſeos) adeoq; per Chriſti negotium apparuit, & clariſſima luce ad ſui co- gnitionem pertraxit, ut nunc niſi nolimus palàm intelligamus quanta ſit dei gloria, be- neficẽtia, miſericordia, ueritas, iuſtitia, quantáue nobis in Chriſto Ieſu donarit. Atq; hic eſt genuinus ſenſus & ordo uerborũ, qui per totam hanc epiſtolam inuolutior eſt idio- tiſmis Hebraicis obſcurantibus. Porrò idem hiſce uerbis aſſeritur quod apud Ioannem in 3. capite à Chriſto traditur, Hæc eſt autem condemnatio, quod lux in mundum uenit, & dilexerũt homines tenebras plus quàm ipſam lucem, &c. Hodie ſanè nihil habemus quo perfidiam noſtram excuſemus. Illuxit cordibus noſtris Chriſtus per euangelij præ dicationem fidelem. Cæterum nos claræ luci offundimus tenebras, carbones q̃ aurum malumus. Hinc uero blaſphemis uocibus deum grauius irritamus, clamãtes, Cur ergo deus non rapit me? poſſet ſi uellet me trahere, ſua ergo non mea culpa pereo. O ſeruos nequam, ô homines ingratos. Si dei non noſtra culpa damnamur, quomodo obſecro iudicabit mundum dominus? Nemo eſt in cuius corde non incenderit bonus dominus ſuæ cognitionis lucernulam, quam & aura uerbi ſui aſpirans, & gratia adiuuans excitan dam ſuadet. Homines, non truncos, quos uehendo trahat, condidit, his talenta credidit non ut otientur, ſed ut negotientur. Hic qui ſuum donum nec agnoſcunt nec excitant ut male fidei ſerui male perdẽtur. Hortatur ergo Paulus Timotheum, ut excitet donum dei quod ipſi ſit datum, 2. Timoth. 1. Apud Ioannem in 15. ait dominus, Si non ueniſſem & loquutus fuiſſem eis peccatum non haberent, nunc autem non habent quod præte- xant peccato ſuo. Ita ne nos quidẽ habemus hodie quod prætexamus perfidiæ noſtræ.

Habemus autem theſaurum hunc in teſtaceis uaſculis ut uirtutis emi nentia ſit dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non an- xij reddimur: laboramus, at non deſtituimur: perſequutionẽ patimur, at non in ea deſerimur: deijcimur, at non perimus, ſemper mortificatio nem domini Ieſu in corpore circumferentes, ut & uita Ieſu in corpore noſtro manifeſtetur.

Hucuſq; probauit quãta ſynceritate & puritate tradiderit euangelium eccleſijs omni bus Corinthiorum maxime. Nunc oſtendet quanto cum ſucceſſu prædicarit, quàm fi- deliter ac ſerene ubiq; ſibi laboranti affulſerit dominus, cuius potentiæ ac uiribus debea tur, non humanæ prudentiæ aut fortitudini quicquid de felici ſcribit ſucceſſu. Proinde multa hic de ſpe firma, de patientia & conſolatione in aduerſis contra iſtos diſſerit, qui ut in 1. capite annotauimus crucem probro uertebant Apoſtolo. Habet igitur totus pe- nè orationis contextus occultam quandam antitheſim & increpationem. Quaſi dicat, Nihil nos de quiete, uoluptatibus, opibus, honoribus publicis iactare poſſumus, id q̃d ſcioli ueſtri unice ſpectant, quærunt & iactitant. Neſcimus nos aliud quàm crucẽ & per ſequutionem, in qua tamen omnia cum nobiſipſis tum alijs bene cedunt. Plurimus er- go hic eſt in laude ut diximus afflictionum & conſolationis per deum. Egregius certè lo cus eſt, dignus qui non aureis literis ob oculos modo ſcribatur miniſtrorum uerbi, ſed & penitius in ipſorum infigatur pectora. O fratres fratres, quàm longe abſumus pleriq; ab hac ſpe & conſolatione apoſtolica: quàm uero prodigioſe moroſi, impatientes & uo luptuarij ſumus, quàm ad modicam perſequutionis aurulã trepidamus. Fortes ſpe æter na fultos & in æterna ueritate conſtantes eſſe oportebat, ſi modo coronam aſſequi ſta- tueramus. Eleganti autem uſus eſt alluſione ſiue metaphora ducta ab ijs qui nobilem quempiam theſaurum in theca aliqua fragili circumferũt. Per theſaurum ipſum lumen Chriſtum dominum ac euangelij ſalutarem prædicationem intellexit, certè multis the- ſauro comparandam nominibus. Nam ipſam & Chriſtus margaritæ & theſauro con- tulit apud Matthæum in cap. 13. Porrò per uaſculum teſtaceum intelligit fragile corpu-

Succeſſus uerbi in afflictionibus.

sculum,alludens ad rem figulinam & primam illam hominis conditionem. Nam ut mi seriæ semper moneret hominem,de luto finxit, & dixit, De terra sumptus es, in terram reuerteris.Et Erasmus in Chiliadibus Chil.2.cent.10.adag.90. κέραμιον, ait, ἄνθρωπον, id est,homo fictilis,id est,mollis,imbecillis,fragilis. Ductum à uasis testaceis, quæ facile comminuuntur,finitimũ illi,Homo bulla. His similia sunt quæ scribit in hunc modum Ambrosius,Fictilia ergo uasa dicens infirmitatem humanæ naturæ significat,quæ nihil potest nisi à deo acceperit uirtutem,& ad laudem suam deus per hæc se prædicet quæ infirma sunt,ut gloria illi detur,non homini qui ex luto fictus est.Sensus ergo est. Qui circumeundo nobilem margaritam hominibus emendam suademus,proponimus & obtrudimus,nulla ope humana instructi, fragiles imbecillesq; in hoc mundo sumus. Verum id non abs re.Sequitur enim caussa & consiliũ dei,in quem scilicet finem ministros suos coram mundo uoluerit esse despectos.Vt scilicet uirtutis eminẽtia fit dei, & non ex nobis,ut omnis gloria in solidũ fit dei,nihilq; humanis ascribatur uiribus.Similia legas in 1. ad Cor.cap.1.& 2.At hic locus euidẽtissimus est ad reuincendũ errorem eorum qui diuos colunt.Omnia enim quorũ gratia nonnulli colũt diuos, dei, non diuorum sunt. Deus aũt omnia sibi,nil diuis uoluit tribui.Id quod etiam ipsi intellexerũt diui,maxime hoc loco Paulus.Illò alludẽs Paraphrastes,Cauit deus,inquit,ne forte beneficij magnitudine ac miraculorũ,quæ per nos geruntur elati nobis aliquid hinc uindicaremus,sed conscij nostræ imbecillitatis intelligeremus eminentem illam potentiã quæ data est apostolis,non esse nostrarũ uirium,sed solius dei,&c. Hinc iam exponit quid patiantur apostoli & uiri apostolici, & quomodo deus in ipsa infirmitate suas exerat uires. Tum, ait, uirtutem suam exerit in nobis,cum in omnibus premimur,& non anxij reddimur.Paulus agnominatione quadã usus est,quam non assequimur interpretatione nostra.Dixit enim,ἐν παντὶ θλιβόμενοι,ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. Quasi quis dicat,Vbiq; pressi,sed nõ oppressi,siue nõ coartati.Germanus uerteret,*&wir werdẽd getrengt,aber nit geengt.*Id est,licet premamur rebus aduersis,non tamen cõcidit aut coartatur animus noster quẽ Christus dilatat.Theophylactus,Etsi,ait,uasa simus fictilia,& undiq; magnis premimur angustijs, non tamen uel frangimur,uel qui in nobis reconditus est thesaurus cõprimitur aut abo letur.Sequitur membrum aliud. Nam per distributionem copiose omnia agẽs antithesi sibi committit cõtraria, ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. Quorum prius significat hærentem in caussa,& consilij inopem ac perplexum, posterius significat planè desperãtem ac tædio uictum.Alij sic exponunt,ut ἀπορεῖσθαι sit redigi ad summam angustiam,sed ἐξαπορεῖσθαι uinci & opprimi malis.Exponunt ergo,Redigimur ad egestatem, at non destituimur in egestate.*&wir kommend wol in not,werdend aber nit übernõt,*ut tam de rerum quàm consilij inopia interpretemur. Noster interpres probe uertit: Laboramus, at non destituimur.Tertium membrum est,Persequutionem patimur,at non in ea deserimur.Etsi,ait, magna aduersum nos moliantur homines,&si persequãtur, nec quisquam superfit qui nos tueatur,deserant autem omnia quibus fidunt homines, nequaquam tamen deserit deus,qui in hac palæstra nos decertare iubet, permittitq; nimirum ut exerceamur, non uincamur. Quartum membrum & ipsum est perspicuum, Deijcimur,at non perimus. Quasi dicat,Deijcimur & conculcamur,at sic ut tamen non pereamus. Licet ipsum corpus uarijs atteratur aduersis,animus tamen propter integritatem & constantiã non uincitur.Deijciuntur & cæde proculcantur sancti,sed fide superant. De quo copiosius scripsit Paulus ad Hebr. 11. Is enim locus Pauli mire huc quadrat. Tandem hæc absoluens, Quid uero,ait,pluribus agam? ubiq; præceptoris Christi cum prçceptũ tum exemplum exprimimus & imitatur.Is per crucem intrauit in gloriam suam, & erudiens nos præcepit, Qui uult me sequi abneget seipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Illius ergo mortem,crucem,afflictiones & pericula uaria uitæ & mortis in corpore nostro circumferimus, dum hoc ipsum in carne & animo nostro perpetimur, quod ipsum uidemus perpessum.Cæterum hic nos ipsum solatur præmium. Si enim cum ipso crucifigimur, uarijsq; exercemur aduersis adeoq; & in mortẽ eius sepelimur, proculdubio & resurrectionis erimus participes.Et ad hanc rem confirmandã facit nunc consequẽs sententia.

Cultus diuorũ.

Semper

Semper enim nos qui uiuimus in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Itaq; mors quidem in nobis agit, uita uero in uobis

γνώμη est ipsis cõtrarijs inter se commissis iucundior. D. Ambrosius, Ideo ait, in mortem tradi inquit Apostolus propter Iesum non recusamus cum possimus uiuere, ut uita qua resurrexit à mortuis Christus, huic mortali carni nostræ præstetur. Hoc est, non timere mori propter resurrectionem promissam. Hæc Ambrosius. Cæterum id potius dixisse uidetur Paulus, In hoc uero malis premi finit dominus corpora nostra dum in hisce uiuimus terris, ut fidelibus certo simus argumento uicturos & ipsos si Christo se se dedant. Siquidem dum eripit nos Apostolos è periculis è morte præsente atq; in tutum præter omnium spem collocat, declarat quod & in morte seruare potest, dum item uita corporis contempta propter Iesum mille pericula & mortium subimus genera, palàm corporum asserimus resurrectionem. Nisi enim spes esset carnem illam nostram ali quando fore restituendam, uæsani merito iudicaremur, qui huius uitæ prodigi futuræ simul essemus incerti. Proinde uita Iesu Christi, id est quam assequimur per Christum, manifestatur palamq; ostentatur in mortalibus sanctorum corporibus. Vnde iam planum fit quomodo sanctorum fides & patientia, constantia & mortis contemptus æstimari debeant. Sunt sanè exempla uitæ futuræ & restitutionis corporum. Peccant grauiter qui ijs abutuntur ad cultum. Illud uero & sequenti confirmatur Epiphonemate, Itaq; mors quidem in nobis agit, uita uero in uobis. Licet enim sancti tententur in hoc mundo affligantur & occidant igne aqua & gladio, inde tamen ecclesiæ discunt quod fidelibus certa superfit spes salutis, cuius gratia sponte uolentesq; Apostoli martyres atq; Apostolici uiri occumbunt. Proinde quod ipsis mors est, sed temporaria, id nobis qui uiuimus & illorum exempla expendimus, uita est, id est uita quæ non per sanctos, sed filium dei confertur, per exempla sanctorum manifestatur. Hæc autem omnia diuini spiritus, cœlestis doctrinæ, consolationis & fructus referta sunt. Expẽdamus itaq; ipsa mente fideli & alacri.

Vtilitas afflictionis sanctorum.

1. Corin. 15.

2. Corin. 1.

Cæterũ cum habeamus eundẽ spiritũ fidei iuxta illud quod scriptũ est, Credidi & ideo locutus sum, & nos credimus quapropter & loquimur, scientes quod qui suscitauit dominũ Iesum nos quoq; p Iesum suscitabit & constituet uobiscũ. Nam omnia propter uos ut beneficium quod exundauit pluribus gratias agentibus exuberet in gloriam dei.

Consolatio iam ducitur ab exemplo Dauidis qui undiq; malis circumuentus non desperat, sed Psal. 116. ad hunc modũ canit, Credidi domino firmissime tum quoq; cum dicerẽ, Supra modũ deiectus sum, cumq; in trepidatione mea inq; summa propemodũ desperatione oẽs promissiones uiderentur irritæ, quando apud me cogerer dicere, Perij, actum est, interim non abieci fidem. Et quanquã omnes homines fallant, omnes aduersum me insurgãt, ego tamẽ à fide mea non desciui, sed semper domino credidi firmissime. Ad horũ uerborum exemplũ atq; fidei Dauidis rationẽ, per simile infert Paulus, & ait, Cum eadem nobis fidei uirtus sit quæ & Dauidi erat dicenti, Credidi & ideo loquutus sum, sentiens se in aduersis quoq; bene sperare & deprædicare laudes dei, merito & nos in aduersis non frangimur, & tametsi uideamus nullam esse autraram hominum fidem, recte tamen nos deo fidimus, illius ueritatem & gloriam celebramus, huic ut æternæ uitæ adhęremus, utpote qui certò nouimus & indubitate credimus, quod qui Christũ dominum excitauit à mortuis in hunc finem excitauit à mortuis, ut præclarum aliquod æderet specimen, imò argumento comprobaret irrefragabili, fideles quoq; & è periculis fore liberandos, & mortuos fore restituendos. Id igitur cum omnino sit indubitatum, & tanto signo confirmatum, merito in aduersis non amittimus fidem. D. Aurel. Augustinus ex hoc loco colligit unam atque eandem esse fidem, unum atq; eundem spiritum ueterũ & nostrum, & proinde qui ante Christum uixerunt, & qui sequuti

Dauidis et Pauli in afflictionibus immota fides.

Vna duntaxat ecclesia ueterũ et nostra.

sunt nos eandem esse cum illis ecclesiam. Quod qui negant, Vetus, inquiunt, ecclesia regnauit, hostes deuicit & fudit, noua uero malo non resistit, sed patiēdo crescit. Cæterum uidemus Apostolum loqui de cruce & patientia sanctorum noui testamenti, atq; ad eam euidentius ostendendam uti exemplo testamenti ueteris adeoq; Dauidis. Quomodo igitur diuersa sunt aut pugnantia, quæ fiunt uno fidei spiritu? Ideoq; hanc rem propius introspicite, ne imprudentius de re nondum perpensa definiatis. Sed de his quædā annotauimus in Expositione nostra de Testamento dei unico & æterno ædita. Porrò ne quis ea quæ de certa spe uitæ hactenus disputauit de apostolis tantū dicta crederet, addit, καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν. Id est, exhibebit siue adiunget sibi unà nobiscum, hoc est, idem præstabit dominus uobis & omnibus gentibus credulis quod nobis præstat apostolis suis, uitam & resurrectionem. Sequitur enim quod hoc confirmat. Nam omnia propter uos, scilicet aguntur & dicuntur, ut confirmemini in fide Iesu Christi, & gratias agatis pro illo beneficio insigni quod deus filiū suum pro nobis in mortem dedit, ut per eius uitam uiueremus, non tam immortalitatem quàm uitæ regulam & exemplum in ipso habentes. Cæterum quo latius propagatur ueritas euangelij, quo abundātius innotescit illud dei beneficium mundo, hoc maiores domino offeruntur gratiarum actionum hostiæ. Atq; illa ipsa uera dei gloria est, uereq; illum colimus quum eius beneficia agnoscimus, ipsi fidimus atq; grati sumus. Similia propemodum legas in cap. huius epistolæ 1.

Deus se manifestat ut glorificetur.

Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur in dies singulos. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ miræ supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur temporaria sunt, at quæ non uidentur æterna.

Iactis spei ac consolationis fundamentis repetit illationem quam initio huius capitis posuerat, iisdem uerbis eadem repetens. Quasi dicat, Hæc cum ita habeant, cum uita nobis certa sit proposita, cum deus laborātes nos nunquam deserat, nos οὐκ ἐκκακοῦμεν nullis fracti malis segnescimus, sed alacres pergimus. Atq; hic iterum spargit præclara cum spei tum consolationis argumenta. Principio enim mortem & corporis incommoda uaria, quibus multi & aggrauantur & deterrētur à uero, extenuat, & oppositā commoditate ceu argumento ab utili ducto mitigat. Licet inquit corpus quod sua natura corruptioni aliās obnoxium est quotidianis afflictionibus consumitur atteriturq;, ipse tamen animus gratia domini & fide confirmatus quotidianis crescit auctibus. Quo enim ipsa caro nostra imbecillior est, hoc anima ualentior. Siquidem per aduersa in ordinem redigitur corpus nostrum, ut minus ferociat aduersus animi imperium. Fingit autem Apostolus per prosopopœiam ac imaginem, duos esse homines in eodem homine, Externū & Internum. Externum uocat ipsum hominem corpore & sensibus constātem, quatenus ducitur affectibus atq; mortalis est. Interiorem uero nouam creaturam, regeneratū opera sancti spiritus, audientē uerba domini, & omnia sua dirigentem ad dicta præscribentis spiritus sancti. Exterior ergo homo capi, diuexari, opprimi et interimi potest. Interior ipsa anima & dei imago per fidem & gratiam in ipsis etiam afflictionibus repubescit, nec ullo pacto occidi potest. Huc pertinent sententiæ Christi, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam uero occidere non possunt, illum timete magis qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Item, Qui uoluerit animā suam seruare, perdet eam. Rursus, Qui perdiderit animā suam mea causa, inueniet eam. Deinde afflictiones extenuat oppositis præmijs, & quod illæ leues hæ uero sunt sempiternæ. Orationis contextus obscurior est. Sensum probe expressit Paraphrastes, hisce uerbis, Siquidem corporis afflictio quam euangelij gratia suscipimus leuis est ac momentanea. Sed hæc leuis afflictio non leue pondus, imò pondus ineffabile gloriæ parit in nobis dum ob leuem afflictionem pro Christo susceptam, summa felicitate digni reddimur, & temporaria mors pro

Præclara spei Christianæ argumenta.

Exterior & interior homo.

Christo

Christo obita parit nobis præmium immortalitatis æternæ, cuius spe fulti corporis uitam pro nihilo ducimus, &c. Opponit itaq; momentaneo, æternum: leui, pondus siue graue: afflictioni miræ, hoc est, quæ nobis uidetur insignis, supra modum præcellentem gloriam. Proinde tametsi præcellens carni uideatur afflictio, fidelibus tamen leuis est & momentanea, quod sancti hanc conferant cum gloria erga nos reuelanda, quæ præstantior æterna supraq; modum glorioſa est. Hic per interpretationem adiungitur, Dum scilicet non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Huic rursus subiũgitur per expositionem, Nam quæ uidentur temporaria sunt, at quæ non uidentur æterna. Id est, Per uisibilia intelligimus terrena quæ percipiuntur sensibus. Inuisibilia æterna ac cœlestia quæ animo duntaxat comprehendũtur. Hinc uero facile liquet quid Paulus fidem finiens esse argumẽtum earum rerum quæ non uidentur intellexerit per res inuisibiles, nimirum ipsum deum, res cœlestes ac æternas, & non omne id quod metaphysica quadam imaginatione sibi fingit quilibet etiam id quod nusquam uel pictum quod aiũt uel scriptum est. Et hæc quidem paucis annotauimus. Cæterũ huius generis complura habes apud Paulum in 8. cap. ad Romanos, & in 1. ad Corinth. cap. 2. Confutatur autem his beluinus ille uulgi sensus quo nihil bonũ iudicat nisi quod sensibus offertur palàm & adlubescit, uoluptate demulcet, & uarietate titillãdo afficit suauiter. Horret & damnat quod carni incommodat, quod nec uidet nec tangit. Inde tantum ueritatis euangelicæ & crucis odium hodie apud multos existit. Non enim ad ea intendunt quæ non uidentur, sed ad ea magis quæ uidentur, hoc est, carnalia & peritura. *Quæ uisibilia, quæ inuisibilia.*

Scimus enim quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructũ fuerit ædificationem ex deo habemus, domicilium non manufactum æternum in cœlis. CAP. V.

Perstat adhuc in eodem argumento de certa spe salutis, patientia sanctorum, & consolatione uiua eorum qui ueritatis nomine aduersa perpetiuntur differens. Quemadmodum uero in 4. cap. duos finxerat homines internum & externum, ita nunc duo fingit domicilia, idem hac allegoria significans quod superiore, sed paululum immutato orationis habitu. Ducta est metaphora à tabernaculis, quæ quod homini sunt oberranti & nullas sedes certas habenti, id est corpus homini, scena quædam quæ marcescit tempore & uetustate confecta ruit tandem. Non potuisset miseriam & fragilitatem humani corpusculi commodiore pinxisse typo quàm hoc. Nihil iucundius & amœnius tabernaculis nuper extructis, & nihil homine uiribus & iuuenta uegeto amabilius. At tentorijs nihil inconstantius & imbecillius, adde & deformius si uel modico tempore cœli intemperiem fuerint experta, ut homine prouectioris ætatis nihil est infirmius & ærumnosius. Huc pertinere uidetur quod Apostolus ad Hebræos scripsit, patriarchas per fidem inhabitasse tabernacula. Sperasse enim se ciues aliquando fore ciuitatis fundamenta habentis, cuius opifex & cõditor sit deus, & non homo. Quid enim per Tabernaculorum inhabitationem aliud quàm incertas sedes & exilium intellexit? Quãdo & sequenti membro tabernaculis ciuitatem fundatam, hoc est, constantes sedes patriam æternam opposuit. Nam idem paulò post in capite 13. Non habemus hic, inquit, manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Facit & illud ad amplificandam corporis humani fragilitatem quod domicilium appellitat terrenum, quasi tu dicas scenam & domum luteam. Ex luto enim conditum est corpus. Quæ porrò spes nobis reliqua? quod certò nouimus dominum potentia illa sua aliquando restituturum nos. Corpus enim fragile quod morte perit & in puluerem resoluitur, resuscitabit dominus in die illo, ut posthac non sit mortale futurum aut affectibus obnoxium, sed immortale, agile, clarificatum, id quod Apostolus hic uocat domiciliũ non manufactum, id est periturũ et abolendum, sed æternum ac cœleste. Præmodũ elegantia sunt quæ in hæc Pauli uerba scripsit Paraphrastes, sunt autem huiusmodi, Hæc domus quoniã lutea est & ab homine cõdita, uelimus nolimus indies collabitur ut nemo demoliatur, nõ aliter atq; cernimus ædificia quæ manibus hominũ constructa uetustate corrumpi. Quod ab hominibus conditũ est, non potest *Infirmitas corporis humani, & spes restitutionis.*

esse diuturnum. Quod à deo restitutum est, iamq; cœleste factum non sentit temporis iniuriam.

Nam in hoc gemimus, domicilio nostro quod è cœlo est superindui desiderantes, si tamen induti non nudi reperiemur.

Vt certò constaret quàm certa sit sanctorum spes, quantum sit ipsorum desiderium iam ostendit. Tantũ inquit abest ut mortem ueritatis nomine subire horreamus, ut magis corporis mole exonerari & glorioso corpore amiciri desideremus. Tale fermè illud est quod ad Philippenses dixit, Cupio dissolui & esse cum Christo. Theophylactus, Per domiciliũ ait intelligit Paulus corpus incorruptibile. De cœlo autem illud esse affirmat, non quod superne deueniat, sed quod inde demissam sibi habeat incorruptibilitatis gratiam. Imò ne fidem resurrectionis corporum labefactaret, Superindui, inquit, desiderantes. Corpus enim quod corrumpitur non euacuatur, deperditur, aut annihilatur, sed in melius mutatur, reparatur, adeoq; glorificatur. Superindui enim non potest qui prius est nudus. Metaphorã traxit à re uestiaria. Inde deflectit & obiter monet quod hæc gloria non nisi dignis contingat. Digni autem sunt qui non nudi, sed induti ueste nuptiali fideiq; reperiũtur. Nudi enim sunt qui sine pudore in sceleribus & rebus ignominiosis uersantur in hoc mundo, non ipsam rationem, sed affectum sequentes in omnibus prauum. Plura de restitutione corporum disputauimus in 1. ad Corinth. 15.

Etenim qui sumus in hoc tabernaculo gemimus onerati, posteaquã nõ uolumus exui, sed superindui, ut absorbeat quod mortale est à uita.

Expositio est superiorum. Satis constat ipsam mortem omnibus hominibus esse horribilem. Nam & ipse dominus Iesus ad horam mortis pauere & tædio affici cœpit: quomodo ergo sancti mori desiderant? Non equidem absolute, sed spe rerum optimarum & tædio rerum præsentium. Principio enim sentiunt sancti corpus quod circumferunt mortale aliud non esse quàm sarcinam grauem, propter morbos, peccata, tentationes & ærumnas, ea ergo leuari cupiunt. Deinde immortalitatem credunt propositã esse omnibus in fide morientibus, proinde ut hanc assequantur mori exoptãt. Atq; hoc est quod dixit, Qui in hoc corpore uiuimus gemimus onerati, non quod omnino cupiamus per di siue exui, sed superindui. Quid autem est superindui? Quicquid mortale & corruptibile in homine est à uita absorberi, ut iam immortale sit corpus incorruptibile & nullis obnoxium affectibus. Diuus Cæcilius Cyprianus disputans de mortalitate accepta ex hisce Pauli uerbis occasione mirabiliter ad huius uitæ contemptum æternæ uero desiderium adhortans dicit, Si in habitaculo tuo parietes uetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa ædificijs senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nónne omni celeritate migrares? Si te nauigante turbida & procellosa tempestas fluctibus ui uenti excitatis prænũciaret certa naufragia, nónne portum uelociter peteres? Hæc ille. His si conferas corporis humani incommoda, turbas ac procellas, cum Paulo desiderabis dissolui, & esse cum Christo.

Quid sit superindui.

Porrò qui parauit nos in hoc ipsum deus est, qui idem dedit nobis arrabonem spiritus.

Omnia iam deo authori omnium tribuit, ne quid humanis ascribatur uiribus. Ambrosius, Dicit hæc omnia, inquit, deum perficere in die iudicij. Quia promisit & fidelis est, dans huius rei implendæ pignus spiritum suum. Ipse est enim signaculum adoptionis nostræ. Breuiter, Vt uitam consequamur æternam, efficiet deus. Quod autem efficere uelit arrabone dato fidem suam testatus est.

Itaq; bono animo sumus semper, & scimus quod cum domi sumus in corpore, peregrinamur à deo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Confidimus autem & probamus magis peregre abesse à corpore, & præsentes adesse apud deum.

Iterum

Iterum pro more ſuo ſtatum rei repetit, ne extra oleas, quod dici ſolet, currat. Senſus hic eſt. Iſta cum ad hunc modũ habeant intrepido animo in medijs etiam periculis prædicamus ueritatem euangelicam. Hic autem repetit ſummam argumentorum præcedentium. Hoc enim dicit, Tametſi permulta in hiſce terris perferenda ſint aduerſa, certũ tamen eſt haud fruſtra neq; temere hic nos excruciari. In exilio enim agimus quoad in hoc mortali corpore uiuimus. Cæterũ mirum non eſt ſi exules omnigenis diuexẽtur malis. Et quoad in hiſce uiuimus terris exules ſumus, & omnia noſtra ſecundũ fidem inſtituimus, fide, id eſt eminus cœleſtia bona comprehendimus, tum deum per ſpeciem, id eſt, coràm uiſuri omnia ubi ille ad æternas nos uocarit ſedes. Hinc eſt quod ſumma animi fiducia ex hoc domicilio migrare cupimus, & deo cõminus coniũgi. Quæ ſpes nos in adminiſtratione uerbi dominici & in impiorũ inſidijs & perſecutionibus mire confirmat.

Quapropter contendimus, ſiue domi præſentes, ſiue foris peregre agentes, ut illi placeamus. Omnes enim nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fecit per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum.

Commendat diligentiam & ſynceritatem ſuam in agendo & ueritate prædicanda, oſtendens huc ſe iudicij terrore, & ſi nulla aliàs ſint argumẽta alia, impulſum. Dei, inquit, ſolius eſt uel ex hiſce malis eripere, uel diutius corpora ſuorũ per uaria afflictionum genera exercere. Illius ergo non mea uolũtas fiat: interim uero adnitendum nobis ut fide, integritate & ſynceritate nos probemus deo, ſiue is hinc nos auocet, ſiue hic nos diutius exerceat. Spectandum illud iudicium tremendum, ad quod omnium producentur corpora, ut non animæ modo ſed corpora quoq; tale ferant præmium, qualia fuerant quæ geſſerant per corpora, ſiue bona ſiue mala. Grauia ſunt hæc & digna quæ expendantur diligentius penitiusq;. Breuia quidem ſunt quæ dicuntur, ſed longum habebunt epiphonema. *Ioannis 5.*

Scientes igitur terrorem illum domini ſuademus hominibus, deo uero manifeſti ſumus, ſpero autem nos & in conſcientijs ueſtris manifeſtos eſſe.

Abſoluitur ſententia, Hæc cum ita habeant, cum præmia nobis & ſupplicia ſint propoſita, horremus omnem impoſturam & inſynceritatem. Vt enim hominibus fucum faciamus ſimplicioribus & fallendi ignaris, dei tamen cuncta cernentis oculos non fallemus. Scrutatur hic corda. Punit omnem impoſturam. Synceritatem & integritatem in rebus poſcit quibuslibet. Puritati ergo ſtudemus præcipue in tradenda religione, adeò ut ueſtrum quoq; iudicium ſubire nihil trepidemus. Spero enim uos honeſte de nobis ſentire, ut qui ſancte uobiſcum egerimus ſemper. Hæc pro ſe dicit contra pſeudapoſtolorum calumnias, eadem ferè repetens quæ dixerat in initio tertij & quarti capitis. Eius generis ſunt illa quoq; quæ ſequuntur. Nam & ipſa iunguntur præcedentibus & ueluti epilogi uice nectuntur ijs quibus hactenus demonſtrauit ſyncere ſe tradidiſſe euangelium eccleſijs omnibus, Corinthijs præcipue.

Non enim iterum noſipſos commendamus uobis, ſed occaſionem damus uobis gloriandi de nobis, ut aliquid habeatis aduerſus eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Nam ſiue inſanimus, deo inſanimus: ſiue ſani ſumus, uobis ſani ſumus. *Catæſtrophe.*

Non ait uana ducimur gloria, ut hæc iactemus de nobis, ipſæ æmulorum meorũ huc me adigunt calumniæ. Reſponſionem adórnamus uobis qua illorum redarguatis mendacia, qui fidem & miniſterium noſtrum inſynceritatis infimulant. Atq; hic obiter illos quoq; perſtringit cum ait, Gloriãtur in facie, non in corde. Quaſi dicat, Iſti apud ſeſe ſibi male conſcij ſunt, gloriam tamen captant ex facie, id eſt rebus externis, id unice ſtudẽtes ut coram mundo ſplendida ſint quæ faciunt. Sed dicat aliquis, Tu modũ excedis Paule,

& cum tua nimium laudas, & cum illos uehementius perſequeris. Reſpondet. Si nobiſi pſis (ἐξέστημεν) excidimus, & ueluti extra nos rapti ſumus, id ſanè fidei in deum tribuendum eſt, non affectui: fides aſtutiam dolumq; quorundã in uerbo ueritatis ferre nequit. Porrò ſi σωφρονοῦμεν, ſobrij, mentisq; noſtræ compotes, aut etiam plus æquo mediocres ſumus nec modum excedimus, id ſanè ueſtri gratia fit quibus conſultum uolumus. Vnde colligere licet Apoſtolum in rebus omnibus regula uſum eſſe fidei ac charitatis, exemplum id quoq; nobis relinquẽs, ne quid uel in fidem uel charitatem peccemus. Viſi ſunt aliquando inſanire prophetæ, dicuntur & hodie miniſtri uerbi fideliores, & zelo dei ferentiores furere, deſipere, petulantia linguæ laborare: nemo interim expendit quid corrupta flagitent tempora, quid peccantium impudentia, quid contradicentiũ & hoſtium ueritatis conuitia. Accurate enim & conſtanter uera fides aduerſus iſtorum latratus aſſerenda, ne infirmiores labefactentur: itaq; nimia lenitate peccetur & in fidem & charitatem. Sed & gloriari nonnunquam licet, ſed uere de rebus ueris & ſanctis, ut ueritatis ſtudioſi habeant quod calumniatoribus pro uero, pro iuſtitia & religione, contra mendacium, iniuſtitiam & ſuperſtitionem opponant. Certè omnis gloria hoſtiũ euangelij uel hodie in facie eſt & non in corde. Iactitant victorias, regum fœdera, amicitias, opes, regna, totius mundi aſſenſum, exercitus fortes, bellum templorum ornatum, ſacerdotum ſaginatam & pulchre ueſtitam turbam, monachorum centurias, hypocriſin & ſordes, epiſcoporũ mytras, & neſcio quæ alia his ineptiora. Hactenus uero Paulus contra pſeudapoſtolos miniſterium uerbi aſſeruit, illoq; ſe rite functum demonſtrauit, multo ſimul cum ſucceſſu, multa cum ſpe atq; conſolatione in aduerſis, in quibus etiam gloriatur, ut ſimul & Corinthij imò eccleſiæ omnes conſolationem habeant in impiorum perſequutionibus ac turbis.

Inſania miniſtrorum uerbi.

Gloriari licet et in quibus.

Charitas enim Chriſti conſtringit nos, iudicantes illud, quod ſi unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt, & pro omnibus mortuus eſt, ut qui uiuunt poſthac non ſibi uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.

Hæc lege diligentius & expende.

Difficilis uidetur hic eſſe locus, certè in eo uariarunt admodũ ſententiæ interpretum, re uera autem expoſita ſunt omnia, ſi cõſilium Pauli obſeruetur, & ipſius uerba propius introſpiciantur. Pertinent ergo & hæc ad ſuperiorum explicationem, ita tamen ut nihil ominus aditum ſternant ad exhortationem conſequentem, qua hortatur Corinthios ſanctam & Chriſto dignam uiuant uitam. Oſtendit ſuperioribus quod pure & ſyncere Chriſtum tradiderit, tametſi neglexerit literam & typum myſticum. Ad hæc ergo conſequentia ſic inducit, Quod facimus ô Corinthij, quod tanto zelo tantaq; moroſitate imò ſeueritate pſeudapoſtolis obſiſtimus adeoq; & inſanimus, quod denicq; omnibus legalibus neglectis unicum prædicamus Chriſtum eò nos συνέχει conſtringit & compellit, non inuidia, nõ affectus, non inanis gloria, ſed ipſa Chriſti charitas, ſiue ipſa dilectio Chriſtiana, qua merito amamus bene de nobis meritum, ſiue ipſum Chriſti negotium totum, quod nihil aliud eſt quàm charitas ipſiſſima: illa inquam conſtringit nos, utpote qui iudicare, æſtimare ſiue diſcernere poſſumus quod uni oẽia debemus. Hic enim breui compendio totum Chriſti comprehẽdit myſterium. Principio inquit Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. Deinde ex hoc colligit. Si autem mortuus eſt pro omnibus, conſequens eſt quod omnes fuerint mortui. Conſequens eſt quod in unica morte Chriſti uita ſit. Si enim in nobis aut ullis alijs mediis uita eſſet, Chriſtus fruſtra eſſet mortuus. Cæterum id uel cogitaſſe piaculare eſt: proinde in ſolo Chriſto ſalus eſt, & hoc unicum nomen hominibus datum eſt, nec eſt in alio quoquam ſalus. Hinc ſequitur quod qui uiuunt iam non ſua ope aut uirtute uiuãt, ſed dei per Chriſtum uiuificantis. Vnde iam fit quod omnes qui ſapiũt & ueritate imbuti ſunt toti Chriſto dediti ſunt, ab hoc uno pendent, uni tribuunt omnia, quẽ uident mortuum eſſe atq; à mortuis reſurrexiſſe, ut à peccatis ſanguine ſuo mundaret, & uitæ per reſurrectionem reſtitueret. Hæc enim media illa uera ſunt per quę nobis diuina conſuluit bonitas. Non redemit per legalia, per hircorum

Euangelij ſumma.

rum aut taurorum ſanguinem, ſed per unigeniti filij ſanguinem, neglectis omnibus ſanctificationibus carnalibus.

Itaq; nos poſthac neminem nouimus ſecundum carnem: porrò etiamſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus.

Infert nunc, quaſi dicat, Ideoq; cum unus ſufficiat Chriſtus, cum hic ſit uita, uia & ueritas, nec in alio quoquam ſit ſalus, nos nihil poſt hunc deſideramus, unũ & ſolum prædicamus. Nil moramur carnalia (per enallagen enim perſona utitur pro ipſa re) nihil curamus externa, legalia, typos, umbram, aut quicquid tandem obijcitur ſenſibus: Chriſtus ſolus perfectio noſtra eſt, adeoq; unus omnia. Sed dicat aliquis, Si omnem carnem & rem ſenſibilem nihili facis, pari ratione & Chriſtum cõtemnis, quem conſtat ueram de uera uirgine carnem ſumpſiſſe. Hic per amplificationis quãdam ſpeciem reſpondens dicit, Tametſi agnoſcamus carnem in Chriſto ueram, ſecundum carnem tamen nunc non nouimus eum. Videtur autem defectiua eſſe oratio quæ ſic ſit abſoluenda, Non ſecundum carnem tantum credimus nunc illum nobis eſſe ſalutarem, ſed ſecundum myſterium quo idem deus eſt & homo: nec ſecundum infirmitatem, ſed ſecundum potentiam: non ſecundum crucem, ſed ſecundum gloriam reſurrectionis agnoſcimus ipſum. Nam paulò poſt addet, Deus erat in Chriſto reconcilians ſibi mundum. Proinde Chriſtus quatenus deus & homo eſt, unica fideliũ ſalus eſt. Si enim homo duntaxat fuiſſet, ſaluare non potuiſſet. Sociauit ergo diuinitati humanitatẽ, ut uerus mediator toti mundo foret ſalutaris. De qua re alibi diſputatum eſt copioſius. Atq; hic ſenſus omnium uidetur eſſe ſimpliciſſimus. Iudicent eccleſiæ. Porrò ne quid Lector æquus deſideret, aſcribimus nunc diui Ambroſij expoſitionem, ea ad uerbum ſic habet, Verum eſt quia Chriſto reſurgẽte à mortuis, iam ceſſat in eo carnalis natiuitas, ceſſat infirmitas corporis, ceſſat & paſſio mortis. Vſq; ad crucẽ enim fuit ſuſpicio infirmitatis in Chriſto: poſt autem apparuit eſſe quod non credebatur, ſicut & ipſe ait, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc intelligetis quod ego ſum. Hoc ergo iccirco Apoſtolus memorat, ut oſtendat qua deuotione obſequendum ſit Chriſto. Pro ſalute enim hominũ, non ſolum hominem ſe naſci non dedignatus eſt, ſed & iniurijs agi & mori, ut intelligentes quàm pretioſa ſit mors eius, propenſius illi ſeruiant, non quaſi homini uicem reddentes, ſed deo. Quia unicuiq; pro perſona eius & meritis refundenda obſequia ſunt. Diuus Aurelius Auguſtinus libro de Doctrina Chriſtiana 1. cap. 34. poſt multa ſuper hac re diſputata tandem concludit, Ex quo intelligitur quod nulla res in uia tenere nos debeat, quando nec ipſe dominus in quantum uia noſtra eſſe dignatus eſt tenere nos uoluerit, ſed tranſire, ne rebus temporalibus, quamuis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis, hæreamus infirmiter, ſed per ea potius curramus alacriter, ut ad eum ipſum qui noſtrã naturam à temporalibus liberauit, & collocauit ad dexteram patris, prouehi atq; uenire mereamur. Hactenus Auguſtinus. At ex his omnibus facile liquet quis ſit huius loci genuinus ſenſus. Non dicit deperditam Chriſti carnem, non ſentit aſpernandam, non negat fuiſſe paſſibilem, ſed nunc poſteaquam à mortuis reſurrexit impaſſibilem aſſeuerans eo nomine uiuificam aſſerit quo coniuncta ſiue unita eſt diuinitati. Proinde agnoſcimus Chriſtum aliquãdo crucifixum, nunc uero regnantem ad dexteram patris: unde & à terrenis & uiſibilibus ad cœleſtia & æterna mentes noſtras eleuare iubemur, Coloſſ. 3. Multæ hic refutantur hæreſes, multiq; errores corriguntur. Plura Ioannis 6. & 16.

Proinde ſi quis eſt in Chriſto, noua creatura eſt. Vetera prẽterierũt, ecce noua facta ſunt omnia.

In Chriſto eſt qui Chriſto fidit, & Chriſtianus appellatur. Hiſce uero abſoluitur ſententia ad hunc fermè modum, Cum ergo in Chriſto nobis pater cœleſtis omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauros donarit, ut qui ipſum habeat, nihil non habeat: cum inquam per hunc omnibus ſatisfactum ſit typis, carnaliaq; ſublata ſint omnia, profecto neceſſe eſt eum qui Chriſtianus & dici & eſſe uelit nouam fieri creaturã, quæ exutis figurarum,

errorum & peccatorum ueſtibus ſordidis, Chriſtum induat lucem, ueritatem & iuſtitiam. Coloſ. 3. Quod literam quod figuras ueteraq; attinet per Chriſtū abolita adeoq; impleta ſunt omnia. Placuit enim deo ſe orbi nouo quodam modo declarare, nempe ut abolitis ceremoniis, ritibus & reliquis uiuendi expiandiq; inſtitutis in Chriſto haberemus omnia, ut hic eſſet mediator, ſacerdos, iuſtitia, hoſtia, ſatisfactio, ſalus & uita. Hoc ergo nomine & hac cauſſa Apoſtolus neglectis legalibus pertinaciſſime unum prædicauit Ieſum.

Omnia autem ex deo qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, deditq; nobis miniſterium reconciliationis. Quandoquidem deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi non imputans eis peccata ſua, & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis.

Euangelium prædicatio noua ex deo eſt.

Verum obiiciat aliquis, Vnde hoc nouū docendi genus, cum deus per Moſen aliud præcepiſſe uidetur? Reſpondet. Omnia hæc ex eodē deo ſunt. Vnus enim deus eſt à quo lex inſtituta & per quem Euangelium mundo illatum eſt. Idem deus mundum ſibi reconciliauit, non per legalia, ſed per Ieſum Chriſtum. Hic enim mediator eſt unicus, per quem mundo & clementiam ſuam declarauit & iuſtitiam aſſeruit. Clemens eſt deus, ideo perire nos noluit. Iuſtus eſt, hinc peccata tantopere puniri oportuit. Innocens enim mortuus eſt pro impiis & nocentiſſimis. Hæc enim unica uia erat reliqua, hic modus unicus, quo rebus noſtris deſperatis potuit conſuli, ut ſcilicet agnus ille immaculatus offerretur pro peccatis mundi. Et hic deus qui ad hunc modum reſtituit mundum collapſum, huius reconciliationis prædicationem nobis cōmiſit, ut ſcilicet doceamus deum mundo reconciliatum eſſe nō per ſanguinem uitulorum aut hircorum typos rerum futurarum in Chriſto abſoluendarum, ſed per ſanguinem unigeniti. Atq; hic iterum redit & breui compendio ſummam Euangelij repetens exponit, idem dicens quod iam dixerat, ſed alia nunc utens dicendi figura. Deus inquit erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Sentit autem Chriſtum nō modo hominem eſſe nudum, ſed & deum uerum. Quod modum loquendi attinet nemo offendatur. Neq; enim ſic intelligenda eſt oratio ut cum dicimus deū eſſe in nobis aut in prophetis. Nam ad Coloſ. 2. planius loquens, In Chriſto inquit inhabitat omnis plenitudo deitatis σωματικῶς corporaliter, quaſi quis noſtrū dicat uere et eſſentialiter. Chriſtus enim deus eſt uerus patri per omnia æqualis. Nam alibi ipſe dominus dixit, Qui uidet me uidet patrem. Quia pater in me eſt & ego in patre. Quos uero in hac diſputatione offendit ſubſtantiæ nomen, & quod con ſubſtantialem patri dicimus filium, audiant Apoſtolū Hebræis ſcribentem, Deus olim multipharіam multisq; modis loquutus eſt patribus per prophetas, extremis autem diebus loquutus eſt nobis per filium, qui eſt ſplendor gloriæ & expreſſa imago ſubſtantiæ illius. Qui enim dicit expreſſam ſubſtantiæ diuinæ ſiue paternæ imaginem, plus dicit quàm qui coæqualem aut cōſubſtantialem uocat. Iam ſi per ſubſtantiā eſſentiam ipſam dei proprietatem et naturam intelligis, certè filius per omnia patri conſubſtantialis dicetur eritq;. Aeternus enim eſt, ſumme bonus, iuſtus, uerax, clemens, peccata condonans, omnia agens, mouens & conſeruans. Id quod innumeris ſcripturæ teſtimoniis approbari poteſt. Verum de hac re alibi forſan dicetur commodius, attigimus hæc in Aſſertione illa noſtra qua utramq; in Chriſto naturam propugnauimus. Paulus hoc in loco de ſalute noſtra agit quæ non potuit reparari per hominem purū. Equidem paulò ante hominem uerum eſſe Chriſtum confeſſus eſt. Hic igitur addit ipſum eſſe deum uerum, & deum egiſſe ſalutis myſterium per carnem, hoc eſt reconciliaſſe ſibi mundum per filij incarnationem. Reconciliatio eſt inter diſſidentes. Et peccata noſtra inter nos & deum diſſidij fuere cauſſæ, non dei morositas, inconſtantia aut ſeueritas. Hic cum iuſtus ſit nō potuit nobiſcum redire in gratiam niſi expiato peccato diſſidij ſeminario. At corruptius erat genus humanum quàm quod peccatum expiare poſſet. Dedit ergo diuina bonitas filium in mortem, ut is indebita morte, debita perſolueret peccataq; expiaret. Ita factum eſt ut deus cum hominum genere redierit in gratiam. Non quod poſthac ſint alieni à peccato.

Deus eſt in Chriſto.

peccato,ſed quod peccatum non imputet, ſi Chriſto ſimus inſiti. Sunt autem Chriſto inſiti,qui fidunt deo per Chriſtum,qui non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulant.Hęc eſt totius Euangelĩ certiſſima ſumma,de qua pluribus in Epiſtola ad Roma.cap.3.& 4.Hic uero iterum repetit,Et poſuit in nobis ſermonem reconciliationis.Id eſt, Id docendi genus quod ſequimur unicum prædicantes Chriſtum & in hoc omnia, neglectis legalibus gratiam aſſerentes, non ipſi finximus,ſed à deo accepimus,qui iuſſit reconciliationem non per alia quàm Chriſtum dominum orbi annuntiare.Sint itaque anathema qui ſequuntur aliud.

Itaq; nomine Chriſti legatione fungimur tanquã deo uos hortante per nos,rogamus pro Chriſto,reconciliemini deo.Eum enim q non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iuſtitia per illum.

Cataſtrophe eſt, nunc enim infert id cuius gratia iſta omnia dixit. Eſt enim ſenſus, Delegata ergo nobis functione ſiue legatione à deo, non præcipimus legalia,non præſcribimus ceremonias, nõ ingerimus typos, ſed quod deus commiſit,Chriſtum ſolum prædicamus, hunc inculcamus eſſe per quẽ nobis pater reconcilietur.Iſta uos ò Corinthĩ à nobis nõ ſecus accipere debetis ac ſi ipſe coràm aſtaret Chriſtus, aut ipſe deus per nos ceu inſtrumenta ſua, uos, quod res eſt, adhortetur & ſuadeat hoc quod nos ſuademus, clamantes, Reconciliemini deo. Hæc enim dei uox eſt non noſtra qui noſtro erga uos miniſterio utitur. Hinc autem apparet quanta ſit dignitas & authoritas miniſtrorum Euangelĩ Chriſti.Hoc qui pure & fideliter prędicãt, ita ut à deo nullis uitiatum affectibus accepere,non impune contemnentur ab incredulis. Huc enim pertinent uerba domini, Qui uos audit me audit. Item, Amen amen dico uobis,qui recipit quemcunq; miſero,me recipit.Qui autem me recipit,recipit eum qui me miſit.Et iterum ad Theſſa. Qui reĩcit nos nõ hominem reĩcit, ſed deum qui dedit ſpiritum ſanctum ſuum in nos. Non abuterentur hiſce locis Pontificĩ ſi & ipſi prædicarent uerbum ueritatis,nũc cum mendacia ingerunt quibus quæſtum & tyrannidem ſuam augeant & confirment,uel ſtultus uel maledictus eſt qui mentientibus obſequitur.Iam uero tertio,ardore profecto Euangelĩ miro, ſummam & ſcopum Euangelĩ repetit, Eum ſcilicet pro nobis peccatum eſſe factum, qui non nouit peccatum,ut ſcilicet iuſtificaremur per ipſum.Ea uerba pulchre enarrans D.Ambroſius,Homo inquit factus eſt Chriſtus cauſſa peccati,quem non tangebat ſors neq; dignitas naſci hominem. Propter quod autem omnis caro ſub peccato eſt,ideo factus caro factus eſt peccatũ.Et quoniam oblatus eſt pro peccatis,non immerito peccatum factus dicitur. Quia & hoſtia in lege quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur.Qui igitur peccatum neſciebat dicente Iſaia, Qui peccatũ non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius, quaſi peccator occiſus eſt,ut peccatores iuſtificarentur apud deum in Chriſto.Hæc Ambro.nos plura in Epiſtol. ad Rom.cap.3.4.8.Breuiter hoc caput 4. ſalubri refertum eſt doctrina,proinde ſæpius legendum relegẽdumq; ſuadeo. Mirus in eo ardor ſancti ſpiritus. Spes ſupra modum ſolidatur.Conſolatio in eo maxima eſt. Euangelĩ deſcriptio uiuaciſſima & miniſterĩ uerbi digniſſima ponitur laus, imò uix alium in Paulo locum legas uiuidiorem. Attẽde ergo ò fidelis anima quid in te loquatur dominus.

Miniſterium uerbi.

Commendatio huius 4.cap.

Quin & adiuuantes obſecramus ne in uacuum gratiam dei receperitis. Dicit enim, In tempore accepto exaudiui te,& in die ſalutis ſuccurri tibi.Ecce nunc tempus acceptum,ecce nunc dies ſalutis.

CAP. VI.

Tandem deflectit ad exhortationem qua inflammat ad innocentiam uitæ,ut ſcilicet uitam Chriſto dignam uiuamus. Commode autem hæc nectuntur ſuperioribus,quibus graphice gratiam dei & redemptionem per Chriſtum partam depinxit,& miniſterium ſuum commendauit.Prudenter ergo nunc ingerit,Omnibus ergo uiribus (συνεργοῦντες) laboramus & conamur monere, inhortari & urgere ne gratiã dei receperitis in

Adhortatio ad uitam ſanctam.

uanum. In uacuum autem recipiunt gratiam dei, qui Euangelium grātiæ diuinæ præcō nium ſiue teſtimoniū audientes, uel non credunt, uel non ſoli deo per Chriſtum fidunt, ſed rebus quibuſdam nihili inhærent, uel nihilo redduntur meliores, quin ſui perpetuò ſimiles in carne & deſideriis contabeſcūt. Studium ergo Pauli hoc eſt, omnem operam impendere ut eccleſia Chriſtum agnoſcat recipiat, & ſe ei totam dedicet. Huc iam trahit Iſaiæ teſtimonium, quod ex 49. cap. deſumptum de eccleſia ſiue populo dei eſt exponendum, non de Chriſto quod fecit Hieronymus. Loquitur enim dominus ad afflictam eccleſiam conſolans ac dicens, In tempore beneplacito reſpondi tibi, & in die ſalutis adiuui te. Quibus per exegeſim ſubiunxit Apoſtolus, Ecce nunc tempus beneplacitū ſiue acceptum, ecce nunc dies ſalutis. Hoc eſt, nunc cum ſcilicet Euangeliū prædicatur adeſt illud reconciliationis tempus, quo nos cœleſtis pater ita per meritū filij ſui ſaluat, à peccatis abluit, & æterna hæreditate donat, ſicut olim per Iſaiam promiſit. Ipſa igitur res auguſtiſſima ipſum tempus poſtulat ut offerentem ſe nobis ſuſcipiamus dominū. Si enim benignum auerſati fuerimus, aderit aliquando formidabilis iudex. Proinde obſeruanda nobis eſt ſi ſapimus temporis occaſio.

Ne quam uſquam demus offenſionem, ne reprehendatur miniſterium, ſed in omnibus commendemus noſipſos ut dei miniſtri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in neceſſitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in uigiliis, in ieiuniis, in puritate, in ſcientia, in animi lenitate, in benignitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ſimulata, in ſermone ueritatis, in potentia dei.

Hic locus de ueris uirtutibus recte iudicat.

Copioſius iam oſtendit quid ſit gratiam non in uacuum recipere. Vtitur enumeratione ſiue ſynatriſmo, de ſeipſo præcipue loquens, atq; ita ſe omnibus exemplar cū pietatis tum innocentiæ ſtatuens, quem imitentur Corinthij, imò omnes filij dei. Senſus eſt ſatis perſpicuus. Dicit enim de ſe quid fecerit, & quid paſſus ſit, atq; ita ut etiā cæteri uideant quid pati debeant. Cauit omnibus modis ne uel perfidia uel immunditia uitæ offendiculo eſſet, atq; ita cum ueritatem tum miniſterium Euangelij redderet ſuſpectum apud eos qui nullibi nō occaſionem captant ueritatem blaſphemandi. Notiſſimæ enim uel hodie ſunt quorundam hoſtium Chriſti conuitia, Illud nimirū eſt illud præclarum Euangelium noſtrum, id faciunt ſcilicet ſancti illi Euangeliſtæ & prophetæ noſtri. Curandum ergo eſt omnibus nobis uerbi miniſtris præcipue ne quid præter decorum & æquum cōmittamus, quod maximo cum dedecore imputetur fidei ſanctæ. Memores ſint eccleſiarum doctores cuius ſint miniſtri, quid ipſos deceat, quibuſue argumentis ſe commendare debeant, Nimirum tolerantia multa. Et hanc ueluti genus multis prefigit ſpeciebus. Vincuntur enim afflictiones, neceſſitates & alia huius generis, patientia. Cæterum non loquitur de ſimplici aliqua patientia ſed multa. Quippe quæ non ſemel atq; iterum in omnibus erit præſtanda, ſed in finem quoq; exhibenda. Iam & Chriſtus dominus apud Lucam in 8. cap. patientiam ueluti caput & fontem omnium commemorat uirtutū, Semen dicens quod in bonam terram decidit hi ſunt qui in corde honeſto & bono audientes ſermonem retinent & fructum afferunt per patientiam. Certe abſq; patientia nequicq; pie uiuere moliaris. Et impatientia carnis præcipua perfidiæ & immundiciæ cauſſa eſt. Proinde maxime omnibus piis opus patientia ἐν θλίψεσιν in preſſuris, cum mens angitur & corpus ſimul affligitur, ἐν ἀνάγκαις in neceſſitatibus, cum rem grauem uitare nequeo tædiumq; aliquod maximū uorare cogor & neceſſitate ſeu fato ineuitabili telo uidens & ſciens confodior. ἐν στενοχωρίαις in anxietatibus, uidelicet quæ oboriuntur ex inedia & periculis aliis. In plagis, quæ ſcilicet immeritis infliguntur propter ueritatem et iuſtitiam. Dauid frequentius circumuentus hoſtium artibus, preſſura, neceſſitate & anxietate laborauit miſerè, ſed patientia & longanimitate omnia mala deuicit. Id q̄d teſtantur Pſalmi. Apoſtoli multis plagis in ſenatu Hieroſolymitano ueritatis nomine ſuſceptis ibant gaudentes à cōſpectu conſilij. Acto. 5. In carceribus, quibus ſcilicet

Patientia.

licet ſerui dei uincti tenentur in frigore & omnium rerum ſumma egeſtate. Apud Philippenſes certè Paulus ac Sylas & plagarum acerbitatem & carceris ſqualorem per patientiam ferentes auxilium ſenſere dei præſentiſſimum. ἐν ἀκαταστασίαις in turbis ſiue ſedi tionibus. Ambroſius uertit in perturbationibus. Theophylactus, in perſequutionibus, quibus circumactus per opida & regna uaria nullo potuit certo ſubſiſtere loco. Et ἀκαταστασία ſignificat inconſtantiam, non animi modo, ſed corporis dum uariis iactatur fortunis caſibusq;. In his autem præcipue opus eſt patientia. Nihil enim miſerum perinde quàm exulem & uagum miſere egere uirum. In laboribus. Ambroſius exponit de labore manuum Pauli quo feſſa membra ſubinde debilitauit. Ego in genere intellexerim de omnis generis labore & ærumnis uariis. Theophylactus nihil uarians ab Ambroſio, Explicatis iam iis inquit quæ per alios ſibi ſunt ingeſta, ſuperinducit quibus ſe ultro afficiat, manuum ſcilicet laboribus, quibus ipſum ſe & alios aleret, is inſuper ſe uigiliis & inedia macerabat. Hæc eadem nobis quoq; Chriſtũ profitentibus imitanda ſunt. *Temperantia.* Nam hiſce tribus labore, uigilia & ieiunio edomatur carnis ferocia. Religioſuli illi noſtri delicatuli ne nihil facere uiderentur laborem excogitarunt haud ita magni laboris, uigilias quidem nocturnas, ſed quas ſarcirent otio liberali & ſomno diurno. Ieiunium ipſorum tale eſt, ut in aliis credas delicias. Iam ne quid obſcurum ſit in hiſce membris aut harenam ſine calce uideatur miſcere Apoſtolus, repete per zeugma uerbũ Cõmendemus nos ἐν ἁγνότητι in puritate, quæ eſt ſynceritas & integritas in agendo & dicẽdo maxime *Iuſtitia.* in prædicando. Prius dixit ſe non cauponari uerbum dei. Hoc enim opponit puritati. Alii retulere ad caſtimoniam corporis. Integritati ergo ſtudeamus, hac commendemus nos deo. Integritate enim nil eſt nobilius. ἐν γνώσει in ſcientia ſiue cognitione, ne ſcilicet *Prudentia.* zelo ſtulto aut affectu prauo uicti aliquid præter decorum & contra honeſtatem deſignemus. Scientia dei regula eſt omnium functionum & ueluti anima operationum noſtrarum. Theophylactus monuit hic damnari ſapientiam mundanam, commẽdari autem fidem: ita & Ambroſius per ſcientiam intellexit cognitionem legis & Euangelii. ἐν μακροθυμίᾳ in longanimitate. De qua alibi in Paulo ſæpius. ἐν χρηστότητι in benignitate ſeu bonitate & comitate, quæ opponitur ſupercilio & aſperitati morum. Ambr. Benignus inquit erat, quia ſicut arguebat ita blandiebatur, ut poſt correptionem leni exhortatione conſolaretur. ἐν πνεύματι ἁγίῳ in ſpiritu ſancto, id eſt ſimplici & puro animo ab hypocriſi alieno. Sæpius enim ſpiritus pro ipſa hominis mente in ſacris ponitur. Theophylactus exponit, Ita demum multis expoſitis membris oſtendere Paulum unde has ſit adeptus uirtutes, è ſpiritu ſancto uidelicet. Vbiq; enim hunc modum ait obſeruari ab Apoſtolo ut cum præclarum aliquod opus à ſe factum dicat, ſpiritus ſancti ope factum aſſerat. In charitate non ſimulata, quæ ſcilicet legis ſcopus & perfectio eſt. 1. Timoth. 1. & Rom. 13. Et Apoſtolus Ioannes de hac ipſa loquens dicit, Filioli mei, ne diligamus uerbo neq; lingua ſed opere & ueritate. In ſermone ueritatis. Fruſtra enim colunt deum qui ſe- *Matthæi 15.* ctantur mendacia & doctrinas hominum, de quibus ſcripſit Apoſtolus quod ſeruum dei à ueritate abducãt. Ambroſius, Verbum inquit ueritatis erat in doctrina Pauli, quia *Titum 1.* non aliud tradebat quàm à domino acceperat. Vnde colligimus turpiter errare quàm eos qui aliud docent quàm ueritas tradidit canonica, tam iſtos qui hoc doctrinæ genus ſectantes rebus nihili deum colere uolunt. ἐν δυνάμει θεοῦ, In potentia ſiue uirtute dei, ut de miraculis ſiue ſignis intelligas, quibus ſe probarit uerum Chriſti Apoſtolum. Sic enim expoſuit Ambroſius. Sed melior uidetur Theophylacti expoſitio, qui ait, Nil horum mihi debet aſcribi, cum conſtet dei potentia uniuerſa hæc fieri. Equidem omnium diuinarum uirtutum maxima eſt humilitas & gratitudo, qua noſtram infirmitatem agnoſcentes, omnia diuinæ gratiæ accepta referimus.

Per arma iuſtitiæ dextra atq; ſiniſtra, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes, quaſi impoſtores & tamen ueraces, quaſi ignoti & tamen noti, quaſi morientes & ecce uiuimus, quaſi correpti & non occiſi, quaſi dolentes ſemper tamen gaudentes: quaſi pauperes, multos

tamen ditantes: ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes.

Sensum & contextum pulchre reddens atq; sarciens Paraphrastes, Nihil non ait audemus, haud quidem præsidijs humanis (sic illud Pauli, In potentia dei exponit) sed potentia dei nõ armis & opibus mundi, sed hinc atq; hinc septi armis iustitiæ: à dextris, ut recta conscientia fultos non efferant res secundæ: à sinistris, ne consternant aduersæ. Hac freti per omnia penetramus ad peragendum Euangelij negotium, per gloriam, & ignominiam, per conuitia et laudes, pro impostoribus habiti cum simus ueraces. Et quę sequuntur. Exposita enim sunt consequentia membra. Sumpsit autem metaphoram ab athletis siue militibus intrepidis, qui ut uincant posthabita uita neglectisq; uerberibus quæ omni ex parte ingeruntur irruunt in globum hostium. Oportet sanè induremus animum contra omnia aduersa qui deo uere uolumus seruire. Qui enim laudes hominum sectantur, conuitia horrent, uoluptas amant, labores odiunt, amicitias hominum magno emũt, persequutiones ut extremum malum fugiunt: hoc est, qui animas suas in hoc mundo perdere nolunt alieni sunt à grege Christi. Hic tamen diligenter cauendum ne merito habeamur pro impostoribus. Dixit enim dominus, Beati estis cum probra in uos iecerint homines, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes propter me. Gaudete & exultate quoniam multa est merces uestra in cœlis. Et D. Petrus, Ne quis uestrum inquit affligatur ut facinorosus &c. Multa ergo ferenda homini pio propter ueritatem & iustitiam, cæterum hoc ipsum cedit patientibus & in fide constantibus ad salutem, sed ne in ipsis periculis diuina carent consolatione. Quin et maximam consolationem habet huius loci antithesis elegantissima. Morimur indies inquit, sed nihilominus uiuimus, uel quia dominus ex periculis liberat, uel quia abunde cõsolatur ut simus ferendo, uel meliore uita donat. Corripimur quidem, flagellamur plagis uarijs, sed nõ occidimur. Nunquam uero deest nobis doloris materia, sed nunquam non consolatur dominus, ut in corde gaudeamus. Pauperes sumus si quis nostrã expendat substantiam & conditionem, sed si quis spectet ministeriũ nostrum ditamus multos, dum uerum & cœlestem uerbi dei thesaurũ distribuimus. Veræ enim diuitiæ sunt quæ nunquam pereunt, nec à quoquã eripi possunt. Nihil hic possidemus, sed incertis uagamur sedibus. Christũ tamen possidentes omnia habemus in uno. Fides & amor dei nihil nõ possidet, hæc egere nõ sinunt. Iam & apud Gentes disputatum est solum sapientem esse diuitẽ. Certè quicquid de Ethica & uirtutibus alij uix multis libris prosequentes absoluere potuerunt, id uniuersum diuus Apostolus hac enumeratione plenissime absoluit. Illi umbras uirtutum non raro pro ipsis sectati sunt uirtutibus, uitia pro uirtutibus: at Paulus sancti spiritus organum recte de his iudicauit, & quod docuit ipse præstitit: imitemur ergo uirum hunc dei magnũ. D. Aurelius Augustinus lib. de Doctrina Christiana 4. cap. 20. summa cum dignitate hunc locum tractat. Erasmus Rot. pauca sed euidentia de hoc Pauli loco scribens, dicit, Totus hic sermo ita per contraria, per membra, per similiter definentia, per ἀναδίπλωσεις aliaq; id genus schemata uariatur, uoluitur ac rotatur, ut nihil esse possit nec uenustius nec ardentius. Breuiter, quanquã uirtutes singulas nullo certo recensuerit ordine, nullo tamen negotio uel à modicæ diligentiæ Lectore sub ista quatuor uulgaria uirtutum capita prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam colligi poterunt. Hæc autem sunt illa uere pia ac bona opera quæ præparauit deus ut in eis ambularemus, ne in uacuum gratiam dei receperimus.

Fortitudo & constantia.

Os nostrum apertũ est erga uos Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non estis angusti in nobis, sed angusti estis in uisceribus uestris. Eandem autem remunerationem ut filijs polliceor, dilatemini & uos.

Theophylactus hæc pulchrum in ordinem componens, dicit, Enumeratis proprijs certaminibus, ostensoq; in modum narrationis quemadmodum ipsius exemplum imitari debeant Corinthij nunc acrius corripit eos quod in se essent iniquo & ingrato animo. Alij hæc sic ordinarunt. Si cui uideor esse nimius in laudibus meis ebuccinandis, is sciat me affectu quopiam raptum per amorẽ uestri me totũ in uos ut charissimos effundere,

dere, quos æquiore & ampliore erga me animo esse optarem, ut scilicet malis affectibus compressis in me agnosceretis affectum patris, ipsi pergeretis esse filij. Cæterũ μετάνοια uidetur superiora amplificare, ut sit sensus, Sed quò me rapit orationis calor? uerũ coactus hæc ingero, utpote bene mihi conscius. Nõ est enim in nostra uel uita uel doctrina quod uos reddat anxios. Pura est doctrina nostra, uita integra. Porrò si quid est quod uos angit, animum coartat & pungit, aut quo uobis male conscij estis, id ex uobisipsis, hoc est, ex affectibus corruptis, non ex nobis est. Dilatemini uos ut cor nostrum dilatatum est, id est eam uobis mentem sumite quam ego fide per ueritatem assequutus sum, quam prædicatione Euangelica omnibus indere desydero, & polliceor uobis ut sanctis dei filijs ea uos remuneratione potituros, qua nos fulti in periculis omnibus uincimus. *A præmijs.* Aestu ergo uehementi impulsus hæc dicit, ueluti illationem superioribus inferens ac dicens, Cum ergo uideatis me multa libertate & securitate semper usum, in multa quidem coniectum discrimina, desertum tamen nunquam, neq; pressum aut anxium redditum unquam, me imitamini, nostræ prædicationi credite. Inde enim est uera animi securitas *Vera animi securitas.* uel in deploratissimis periculis. Metaphoram sumpsit Paulus à constrictis præcordijs. Qui enim grauius trahunt spiritum et præcordia habent constrictiora, nullum laborem uel ferre uel facere possunt. Mire enim anguntur, & subinde sibi præfocari uidentur. Nec potuit aptius aliud fingi ad depingendã anxiam et male sibi conscia perplexámue conscientiam. Legalia ceremoniæ & humana inuenta mentem implicant, sola fides uerbumq; Euangelij explicant & nubilam serenant, dicente domino, Qui ex hac aqua biberit quam ego dabo, non sitiet in æternum. Item, Qui me manducarit non esuriet in æternum. Conscientiarum ergo tortores crudelissimi sunt qui pro Euangelio humana prædicant inuenta. D. Ambrosius hunc locum ad hunc fermè modum etiam exponit scribens, Hoc libertatis caussa loquitur, & puræ cõscientiæ. Male enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in uerbis errat. Eius aũt cor dilatat qui fiducia bonæ conuersationis gaudet in sese, aut certe futuri spe præmij in tribulatione nõ angustiatur &c.

Ne ducatis iugum cum incredulis. Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? aut quæ cõmunio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo dei cum simulachris?

Planius nunc dicit citra figurã, quod iam paulo dixerat obscurius. Palàm enim nunc *Consortium malorum.* hortatur ad sanctimoniam fidei uitæq; innocentiam. His enim dilatantur corda hominum, contrarijs redduntur anxia trepidaq;. Argumentatur autẽ ab Impossibili & Contrario, docens pietati nihil conuenire cum impietate, proinde operam dandam omnem pietati, fugiendam impietatem, imò & impiorum consortium. Neq; enim aliud in orbe filijs dei plus incommodauit & à studio retraxit innocentiæ quàm amicitia cum impijs. Commiscebantur ab initio filij dei filijs hominum & diluuio à terra sublati sunt. Pru- *Corruptela morum.* denter ergo dominus lege lata præcepit ne ulla uel fœdera uel coniugia cũ impijs ineant sancti. Id cum negligerent Israëlitæ ceciderunt in terra Moabitica uigintiquinq; hominum millia. Solomon quoq; mortalium sapientissimus alienigenam ducens uxorem in idololatriam abstractus maculaq; ineluibili aspersus est. Et propheta, Qui inquit picem contigerit coinquinabitur. Sunt qui dicant Corinthios accepta occasione ex disputatione 7. cap. superioris Epistolæ, matrimonia contraxisse cum infidelibus, cum tamen Pauli uerba accipienda sint de contracto matrimonio nõ contrahendo, dehortari ergo hoc loco ne infidelibus misceantur fideles. Ego quàm simplicissime intelligo de contagione morum, uoluptatum, sacrorum, adeoq; idolothytorum & rerum prophanarum omnium communione. Ab hac enim ad sanctimoniam & cõmunionem dei adhortatur. Id quod Catastrophe siue illatio principiũ scilicet cap. 7. satis aperte euincet. Quod autem Christus unica asseruit sententia, Nemo potest duobus dominis seruire, id hoc loco Paulus copiosius per oppositionem contrariorum eloquitur. Principio in genere non citra tropum dicit, Ne ducatis iugum cum incredulis. Græce elegantius & uiuidius

effertur, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες. Parœmia enim est tracta à iumentis iugalibus, hoc est, bubus arantibus. Dicuntur autẽ idem trahere iugum qui similibus uitijs aut malis obnoxij sunt. Proinde sententia Pauli hæc est, Nolo participetis cum Gentibus & sacris eorum, nolo cum ijs in eandem luxus (ꝟbo Petri utimur) refusionem accurratis. Christo per fidẽ dedicati estis, huic ut membra adhærete, illi in fide & sanctimonia seruitote. Deinde causſas addit, Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? Potuisset simplicius dixisse, Nihil prorsus conuenit iustitiæ & iniustitiæ, sed per interrogationem efferre maluit, quod orationis genus sit ardentius. Opponit autem iustitiæ iniustitiam, luci tenebras, Christo Belial, fideli infidelem, templo dei simulachra. Hæc ex diametro quod aiunt sibi repugnant, & studia Christianorũ & Gentium uehementer sibi sunt aduersa. Duæ enim sunt ciuitates & duo populi: alterius conditor Abel, alterius parricida Cain. In illa regnat iustitia, ueritas, fides, Christus: in hac iniustitia, mendacium, perfidia, diabolus. Illius ciues iusti sunt, filij lucis fideles & templa dei: huius iniusti, mendaces, tenebriones, perfidi, idololatræ filij diaboli. Quemadmodum ergo conuenire non potest rebus natura sibi mutuo aduersantibus, ita neutiquam conuenire potest pijs & impijs. Hinc consequens est quod impij sint quibus conuenit cum impijs. Atque hoc nomine usq; adeo aduersum erat Apostolo quod quidam professi fidem nihilominus cum perfidis colluderent, sacris ipsorum participarent, coniugia cum ipsis miscerent, fœdera ferirent, moribusq; responderent prophanis. Hos nunc quod supra diximus dehortatur à studijs istiusmodi. Quasi dicat, In nouum uitæ genus concessistis cum Christum estis professi, abnegastis conuersationem uitæ prioris, ut quæ ex diametro nuper susceptæ repugnat: turpe ergo fuerit transfugam factum in castris seruire infidelium. Christo nomẽ dedistis. Hic ex professo hostis est Gentilitatis. Nulla enim in re ipsi cum ea conuenit. Proinde si perfidi esse nolitis, Christo adhærentes strenue Gentilismum, idololatriam & immunditiam impugnate. Iustitia per fidem ex deo est, tribuitq; ea quæ dei sunt deo, & hominibus quod ipsa suadet charitas. Iniustitia deum nec agnoscit, nec hominem curat, se quærit in omnibus, nihil sani, nihil æqui, nihil moderati uel temperantiæ habens. Lux est ipsa dei ueritas, uerbum Euangelij docens, quid iustum, quid iniustum, quid uerum, quid falsum, quid bonum, quid malum. Tenebræ sunt, carnis crassities, errorum nebulæ, affectionũmue ideæ, aut si mauis humana sentimenta. Christus porrò ipsa ueritas, iustitia, salus & uita est. Belial ipse tenebræ mendatium ipsissimum adeoq; mendatij parens, iniustitia, pernities & mors. Videtur enim Paulus uocem Belial posuisse pro ipsa satanæ siue diaboli uoce. Certè Hebræis componitur uox à בלי & יעל significans uel absq; iugo uel absq; utilitate, & dicitur de rebus nihili uel iniquis, ut Psal. 101. Non ponam in conspectu oculorum meorum uerbum Belial. Item de hominibus nequam, diabolicis sensu & ratione carentibus. Sic in scripturis sæpe legas filios Belial dici homines impios bonis legibus aduersos, hostes honestatis publicæ, uiolentos & iniquitatis assertores constantissimos. Diuus Hieronymus in Epist. Pauli ad Ephesios scribens id tradit quod nos iam monuimus diabolum ab Apostolo appellari Belial, hoc est, absq; iugo, quod de collo suo seruitutem dei abiecerit, quem & Aquila transtulit apostatam. Græci legunt Βελίαρ, propterea quod ipsis ut Erasmus annotauit nullum nomen definit in λ. Iam & fideli & infideli diuersa sunt numina, diuersa religio, diuersi mores, spes diuersa. Neutiquam ergo his conuenire potest. Et simulachrum nomen habet à simulando, quod simulachrum non ipsa res sit sed imago & similitudo rei, nimirum absentis non præsentis. Nam si ipsa res adesset quid opus similitudine? Cæterum deus præsens est, & in corde credentis ceu templo agit. Nihil ergo negotij est fideli cum simulachris. Huc pertinere uidetur quod scripsit Lactantius lib. institutionum 2. cap. 19. in hæc uerba, Non est dubiũ quin religio nulla sit ubicumq; simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est nisi in cœlestibus rebus, carent ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœleste in ea re quæ sit de terra. Quod quidem & de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur id falsum sit necesse est, nec potest unquam ueri nomen accipere, quod ueritatem fuco & imitatione mentitur.

Belial.

Simulachrum.

Argumentatur ex nomine religionis.

Ex etymologia simulachri.

mentitur. Si autem omnis imitatio nō res potiſſimum ſeria ſed quaſi ludus ac iocus eſt, nō religio in ſimulachris ſed mimus religionis eſt. Præferendum eſt igitur uerū omnibus falſis. Hæc Lactantius. Plura nos multis alijs in locis de ſimulachris diſputauimus. Hæc propter eos potiſſimū à Paulo uidentur ſcribi, qui idolothytis coinquinabantur. De quibus in ſuperiori Epiſtola.

Nam uos templum eſtis dei uiuentis, quemadmodū dixit deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum deus, & ipſi erunt mihi populus.

Explicandi gratia additur. Dixerat de Templo, nunc addit de quo ſit loquutus templo, homine ſcilicet in quo uiuit deus per ſpiritum gratiam atq; potentiā. Iam uero cum ſimulachra rerum ſint abſentium, fideli nihil negotij cum ipſis, quod deum habeat præſentem in corde. Atq; hæc ratio non modo ualet contra Gentes idololatras, ſed & contra Chriſtianos quoſdā ſimulachris colendis plus æquo addictos. Neq; enim ſimpliciter templa dei nos, ſed templa dei uiuentis appellauit. Omnia quæ ſunt mutabilia & localia ſunt, ſolus deus incircumſcriptibilis & incōuertibilis omnibus ſuis creaturis adeſt. Inde & in ſcripturis nomen ſortitus eſt. Nam ut à uita & eſſentia nomen habet Iehouah יהוה ita à præſentia dicitur אלוה Eloah, El, ſiue אלהים. Pleriq; à fortitudine deriuant, ſed à præſentia nomen habet. Nam אל ſignificat ad, & ה relatiuum adijcitur quod ſe referat & ſit ubiq; in omnibus creaturis. Ita & Græcis uox θεός dicta eſt ἀπὸ θεῖν ab accurrendo, quod ubiq; accurrat & opificium ſuum non deſerat. Ita ipſe apud prophetam teſtatur deus & ait, Ego deus de propinquo & non de longe. Hic ſtatuit in mundo imaginem ſuam dum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam conderet, hoc eſt dum ſpiritum ac mentem ei inderet dominumq; uniuerſorum conſtitueret. Deus enim ſpiritus eſt & omnium rerum dominus. Turpiſſimū ergo eſt deo inuiſibili & æterno ſimulachrum ſtatuere terrenum & uiſibile, ſiue quod illum repræſentet ſiue illius moneat. Multo turpius illud quod quidam creaturis ſtatuas conſecrant, & ad ea ſe proſternunt ſupplicaturi coæqualibus. Homine enim in terris nil maius eſt, nulli ergo ſe niſi deo ſoli ſubijcere debet. Omnia enim noſtra ſunt ſiue uita ſiue mors ſiue angeli ſiue Paulus ſiue Apollos ſiue Cephas, nos Chriſti ſumus. Illi ergo hæreamus fide, ſpiritu, ſanctimonia, ſurſum eleuantes corda noſtra, ubi ſedet ad dexteram patris: hic autem ſpiritu ſuo uiuit in nobis præſens non abſens à terrenis trahens ad cœleſtia. Sed de his alibi. Quod autem præſens in nobis non abſens ſit deus ut ipſi memoraculum, hoc eſt, ſimulachrum ſtatuere oporteat, probat teſtimonio legis quod extat Leuit. 26. Pollicetur in eo dominus ſe ſuis perpetuò affuturum, nuſpiam deſerturum, imò omniſufficientiam perfectihabiam, protectorem & patrem fore. Id enim eſt eſſe deum. *Ich &wil wie üwer einer, ia gnodt vnd gar der üwer ſyn, Ich &wil min wandel vnd wāſen vnder üch haben.* Id eſt, nuſpiam à uobis diſcedam. D. Ambroſius, Hæc, inquit, uerba inambulabo in eis, Chriſti ſunt. Hoc eſt enim quod & inter cætera Ieremias teſtatus eſt, dicens, Poſt hæc in terris uiſus eſt & inter homines conuerſatus eſt. Hic enim habitauit in nobis, dicente Ioanne Apoſtolo, Et uerbū caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et quia deus noſter eſt dicit iterum Ieremias, Hic eſt deus noſter. Ex his iam infert.

Fideles templū inhabitantis nō abſentis dei.

Baruch 3.

Quapropter exite de medio illorum, & ſeparemini ab illis, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego ſuſcipiam uos, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, dicit dominus omnipotens.

Eſt & hæc illatio petita ex ſcripturis ſanctis. Sic enim legimus Iſaiæ 52. cap. Recedite recedite, exite hinc, pollutū ne attingatis. Exite de medio eius, mundemini qui portatis uaſa domini. Alludens aūt ad liberationem ex captiuitate Babylonica uocibus Apoſtolicis alloquitur eccleſiā, prænuntians quibus uocibus uſuri ſint Apoſtoli & uiri Apoſtolici, his fermè, Quia portatis uaſa domini, hoc eſt, deo cōſecrati, ſuis dedicati miniſterijs,

& templum dei estis, cauete uobis ab idololatria, neq; diligatis mundum uel ea quæ sunt in mundo. Deum diligite, huic soli seruite. Commode ergo & in loco hisce prophetæ uerbis nunc utitur Paulus, adhortans Corinthios, ut deserta idolorũ & Gentilium immunditia deo adhæreant fide per sanctimoniam. Exeundi autem uerbo abutuntur quidam non intelligentes allusionem ad liberationem ex Babylone, unde exiuit gens Iudaica. Putant itaq; protinus migrandum ex urbibus quibuslibet, si non omnes in his per omnia deo obediant. Rectius Paraphrastes, Non in loco, inquit, sed in affectibus est fuga quam suadeo. Babylon hodie pomeria sua per uniuersum extendit orbem, ut è mundo ei migrandũ sit, & nouus quærendus orbis, qui in Babylone agere nolit. Consule ea quæ annotauimus in 5. cap. prioris ad Corinthios. Breuiter, Si cum optimis uiuere non datur immaculatum te uel inter minus malos uel profligate malos seruato. Sequitur enim nunc planissima horum expositio pariter & Catastrophe.

CAP. VII. Has igitur promissiones cum habeamus charissimi mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam cum timore dei.

Catastrophe huius 6. cap. & de uera sanctimonia.

Idem dicit quod iam dixerat, sed hæc de suo infert, superius uerba recensuit prophetarum. Hic autem scopus, hoc consilium, hæc summa est omnium eorũ quæ per cap. 6. disputauit. Et si quæ in illis fuere obscuriora, explicant hic apertius. Dicat enim aliquis, Quorsum uero hæc omnia? Vt scilicet mundemus nosipsos. Huc uero promissiones dei amplissimæ pertrahere debẽt. Quæ porrò illæ? Quæ nos certiores efficiũt, templum nos dei futuros, eundemq; habituros & inhabitantem nobis & inambulantem, hunc ipsumq; nobis in deum futurum & patrem. Promissiones illas passim legas apud sanctos dei prophetas, præcipue autẽ Ieremiæ 31. & Ezechielis 37. Hæ scilicet mouere nos debent ut mundemus nosipsos, neutiquam pharisæos imitantes qui exteriora poculi purgant, sed emundemus interiora potius ut & exteriora uere pura esse possint. Id fit cũ perficimus sanctimoniam in timore dei, hoc est, cum in timore dei recta sequimur et sub nomine Christi (ut exponit D. Ambrosius) à peccatis nos abstinentes sancti sumus. De hac ipsa sanctimonia loquutus Apostolus in 1. ad Thess. cap. 4. dixit, Hæc est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uestrum suum uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & Gentes quæ nõ nouerunt deũ. Sunt & alia huius generis in 4. cap. ad Ephesios, & in 6. prioris ad Corinthios. Ex his iam facile liquet quid sit immundũ non tangere, aut è medio illorũ exire. Non est quod migrare, aut Iudaico more à contactu quarundam rerum abstinere cogites. Homo corpore et mente constat. Coinquinatur mens idololatria falsóue dei cultu sacris peregrinis siue idolothytis, perfidia et contemptu dei. Corpus uero scortatione, ebrietate, luxu idq; genus aliis sceleribus. Hisce polluunt se Gentes quæ deum non timent. Nam ut initium sapientiæ timor domini est, sic in præcipitio omnium flagitiorũ confistit qui timorem dei non habet. E medio ergo illorum exit & immundum non tangit, qui timorem dei retinet & se ab inquinamentis illis animæ & corporis seruat. Iam qui hæc faciunt dei gratiam in uacuum non receperunt, cor suum dilatarunt, & iugum cum incredulis non ducunt, sed cum timore dei sanctimoniam perficiunt, non sua sed dei uirtute, non adamussim, sed quantum humanæ imbecillitati permissum est. Ista uero nobis quoq; dicta putemus. Multi hodie & deo & Baal seruiunt, in utrumq; latus claudicant, & dum utræq; parti placere uolunt summo deo displicent, cui nihil placere potest nisi quod ad uerbi sui normam uera fide peragitur. Sed hæc hactenus.

Capaces estote nostri, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem fraudauimus.

Apologetica hæc sunt.

Redit nunc ad excusationem superius in cap. 2. intermissam. Diximus eo loco Paulum inuidiam quorundam à se declinare docereq; quod minime tyrannico aut liuido animo puniri præceperit mœchum. Intermissam ergo excusationem illam repetit hisce uerbis,

uerbis, quanquã longis ambagibus uix ad ipſam perueniat expoſitionem planam. Atq; hoc quidem cum artis tum pietatis eſt. Sic enim tractari conuenit exulceratos animos ne ſemel operam & impenſam importuna medicina perdamus. Præterea ita ſe excuſat ut ſimul fauorem illorum eximie ambiat. Potuiſſet quidẽ hoc negotium tum abſoluere cum cœpiſſet ipſum in cap. 2. agere, ſed maluit aliꝭs oppido neceſſariꝭs ad expurgationem inſertis, in hunc uſq; locum differre. Rectius enim nunc inſtituti per ea quæ diſputauit hactenus quanta ſynceritate tradiderit ipſis Euangelium Chriſti, melius de Apoſtolo ſentire cœperunt, & ad purgationem ſuſcipiendam paratiores facti ſunt. Sed & petiturus eleemoſynam in uſus pauperum Syriæ prænouit quantum hic poſſit fauor, hoc eſt, ſi plebs eum complectatur non odiat qui collectam facit. Ideoq; tantopere blanditur & fauorem illorum ambit. Nihil tamen in his omnibus indecore abiecte aut ſeruiliter nimis agit. Omnia enim maieſtatẽ habent apoſtolicam, charitatis maximæ argumenta exerunt ſe undiq;. Nihil hic quæſtus aut priuatæ gloriæ cauſſa facit. Vbiq; fidei & charitatis ſectatur lumina. Vult autem ut ſe æſtiment ex anteactis. Capite inquit nos, & ſi uſpiam aut in re ulla inſyncerum deprehendiſtis, agẽ ſuſpicari licebit, & in hoc negotio me non rationem ſequutum eſſe ſed affectum. Cæterum neminem læſimus unquam, neminem corrupimus (repetitio & gratiam & uehementiam habet) neminem fraudauimus unquã, proinde ne in hac cauſſa quicquã perperam egimus. O eximiam & uere Apoſtolicam integritatem. Vtinam iure quodam id quoq; de ſe prædicare queant qui Apoſtolicorum titulo gloriantur. Ambroſius legit, Nemini nocuimus, neminem grauauimus, neminem circumuenimus: quæ & ad hunc modũ enarrat, Pſeudo enim apoſtoli erant qui & nocebant illis, corrumpentes ſenſus illorum, & grauabant ſacculos eorum circumuentione ſerpentinæ aſtutiæ. Significantius autẽ Theophylactus eundem ediſſerens locum ait, Neminem læſimus, hoc eſt, neminem affecimus iniuria offendentes uel uerbo uel facto: neminem corrupimus, hoc eſt, ſeduximus, uel impiꝭs dogmatibus nulli mentẽ infecimus: neminem circumuenimus, id eſt, nihil à quoquam auaritiæ cupiditate extorſimus, uel pecunias ſub prædicationis prætextu ſubduximus. Hæc uobis ô uerbi dei miniſtri in tabulas cordis ueſtri inſculpite, hæc cogitate, hæc præſtate et uos accuratè. Eraſmus monuit in Annotationibus, Capiendi uerbum hic non accipi pro intelligendi, ſed ſicuti uas aut locus aliquid capit, & proinde ea uerba ad hunc modũ expo nit, Ego totos uos toto complector animo tanta eſt amplitudo charitatis erga uos, uos uiciſſim me in ueſtros animos, ut ſumus recipite.

Non hoc ad condemnationem ueſtri dico. Siquidem iam antè dixi uobis q̃d in cordibus noſtris eſtis ad cõmoriendum & conuiuendum. Multa mihi fiducia erga uos, multa mihi gloriatio de uobis, impletus ſum cõſolatione, uehemẽter exundo gaudio in om̃i afflictione noſtra.

Occupatio eſt, hunc habens ſenſum, Nolo mihi quis uerba mea peruertat, quaſi uobis occulte iniurias corruptionẽ & impoſturam uenenato morſu infigam, me duntaxat purgo. Sic enim abſoluenda eſt hæc ſententia quæ aliàs uidetur truncata. Atq; hic copioſius exponit quo ſit in Corinthios præditus animo. Faciebat id quoq; ad expurgationem præſentem. Multum enim refert ſcire quo is in nos animo ſit, cuius nobis facta uel de iniuria uel fraude ſuſpecta ſunt. Proinde Paulus multis ſuã erga Corinthios charitatem exponit, ut uel ex hoc animo tam officioſe amante id quoq; æſtiment factum q̃d multi uertebant in argumentum ſæuæ tyrannidis, quod ſcilicet mœchum ſatanæ tradi iuſſerat. Argumenta autem ſtudij diligentiæ & amoris producit uaria. Primum ueluti certum & indubitatũ, id eſt, quod uere omnium maximũ eſt, quod ſcilicet paratus ſit & commori illis & conuiuere, hoc eſt, uitam illis impendere. Atqui hic eſt genius ſynceræ charitatis Chriſtianæ, de qua dominus dixit, Maiorẽ hac dilectionẽ nemo habet, ut quis animã ſuam ponat pro amicis ſuis. Secundũ, Multa mihi erga uos fiducia, multa libertas. Tertiũ, Multa mihi de uobis gloriatio. Quartũ, Vos eſtis conſolatio noſtra adeoq; in afflictionibus noſtris gaudiũ unicũ. Hæc omnia ardentiſſimi amoris clara ſunt indicia,

è quibus facile colligit cordatus quilibet eum illos odire aut hostilius in ipsos quicquam nequaquam moliri posse, qui tam tenere diligit, desiderat & colit.

Etenim cum uenissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus affligebamur. Foris pugnæ, intus terrores. Verum qui consolatur humiles consolatus est nos deus per aduentum Titi.

Narratiuncula nunc probat quod dixerat hactenus, Corinthios suum esse in afflictionibus gaudium. Verba sunt plana. Historiam attigimus in cap. huius Epistolæ 2. Hallucinari enim uidetur Ambrosius hæc de primo exponēs in Macedoniam aduentu, cuius meminit Lucas Act. cap. 16. Certum enim est Paulum loqui de aduentu in Macedoniam secundo. Sed & circumstantiæ huius loci idem satis euincunt. Sunt in his loci aliquot communes diligentius obseruandi, Crux, Tentatio & Consolatio sanctorum. Grauissime excruciantur sancti cum corpore tum animo. Foris ingruunt odia, irruunt persequutores, & uarijs ærumnis diuexant mala innumera. Animum interim excruciant curæ ne infirmiores superati uel metu malorum, uel astutia impostorū deficiant. Itaq; caro sanctorum, id est, ipsi sancti dum in carne uiuunt non habent relaxationem. Sed non deest afflictis suis deus & animo & corpore reficiens, confirmans et coronans. De qua re dictum est in cap. 1. Cæterum quo magis excrescit afflictionū dolor ac sæuitia, hoc magis enitet Pauli erga Corinthios studiū atq; amor. Oportet enim insignis fuerit amor gaudiumq; eximiū, q̄d tantas afflictionū nebulas dispellere serenareq; potuit.

Non solum autem per aduentum illius, uerum etiam per consolationem quam ille accepit de uobis, cum annunciaret nobis uestrum desyderium, uestrum fletum, uestrum pro me studium, adeò ut magis gauisus fuerim.

Hæc absoluunt sensum superioribus uerbis cœptum. Non enim Titi duntaxat præsentia refocillatus est, sed quod is beneficia à Corinthijs sibi præstita, studium ipsorum in Paulum absentem haud exiguum lachrymas quoq; ob delicta effusas narraret. Inde enim consolationem & gaudium cœpit, utpote qui ex ijs æstimare potuit quod à Paulo & tradita doctrina nondum defecerant. Hæ scilicet honestæ & apostolicis mentibus dignissimæ gaudendi causæ sunt. Habent in hisce paucissimis Apostoli uerbis tum ecclesiarum ministri tum ecclesiæ ipsæ quomodo mutuo inter se animati esse debeant. Neq; enim citra eximiam causam saluator ter amorē exigens à Petro tandem suæ curæ oues commisit. Exigit itaq; inter prima dominus charitatem ardentissimam à pastoribus: at à grege uicissim studium erga doctores accuratissimum.

Nam etiamsi contristaui uos per epistolam, non me pœnitet, quamuis pœnituisset. Video namq; quod Epistola illa tametsi ad tempus contristauit uos, nunc gaudeo, non quod contristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitentiam.

Quare contristent ministri uerbi.

Plumbeo quod dici solet pede deuenit ad huius causæ planam expositionem. Multis enim nunc & ijs clarissimis argumentis ostendit, se superiorem Epistolam paterno scripsisse animo minimeq; tyrannico. Sensus planus est. Hoc enim dicit, Contristaueram uos fateor Epistola superiore quod nō modo mœchum satanæ tradi præcepissem, sed & uos omnes acerbius increpassem. Et dolebam primū cum sentirem uos & offensos & uehementer tristatos, uoluissemq; non scriptam, iam uero iterum gaudeo & nollem non scriptam. Causa, Video namq; quod Epistola illa tametsi ad tempus contristauit. Hic addendum, profuit tamen plurimum, aut simile quidpiam. Proinde gaudeo nunc illam esse scriptam. Non quod istud mihi suaue sit quod uobis amarum est, qui odientium affectus est, sed quod contristati sitis commodo uestro maximo ad pœnitentiam. At de ea tristitia iam sequuntur plura.

Nam

Nam contriſtati eſtis ſecundum deum, ſic ut nulla in re detrimento ſitis affecti per nos. Nam qui ſecundum deum eſt dolor, is pœnitentiam ad ſalutem haud pœnitendam parit: contra mundi dolor mortem adfert.

Duplex triſtitia ac pœnitentia.

Fingit duplicem dolorem ſiue triſtitiam. Alteram ex deo quæ pœnitentiam parit ad uitam. Alteram quæ eſt ex carne ſiue homine & deſperationem parit ad mortem. Exemplo res fiet dilucidior. Indoluere pariter Cain atq; Dauid, Iudas atq; Petrus, ſed illorum triſtitia ex carne erat, nihil ergo conſilij conſolationiſue habebat. Hinc Cain clamabat, Maius eſt peccatum meum quàm quod à me transferri poſſit: et Iudas mœſto atq; deſperato dolore abſorptus uitam præcipitio laqueóue finiuit. Sed horum dolor erat ex deo, plenus conſolationis & ſpei. Proinde maximo cordis cruciatu clamat Dauid, Peccaui domino, & tu ò domine miſere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Petrus autem fleuit amarè, id quod illi ad uitam ceſſit. Multa huius generis alia inuenias in prophetis, qui nunquam non monent æquo animo ferenda eſſe flagella domini, pœnitentibus enim ea cedere ad uitam, obmurmurantibus ad mortem. Ideoq; Paulus iſtud nobile quidem myſterium elegantiſſime coniunctis contrarijs extulit uocans μετάνοιαν ἀμεταμέλητον, quaſi dicas pœnitentiam impœnitendam, hoc eſt, cuius nunquam poſſit pœnitere. Hoc igitur nunc ſentit Paulus. Nollem uos per me non contriſtatos. Video enim quod triſtitia ea uobis ceſſit ad uitam. Duplex enim eſt triſtitia. Alia enim ex deo eſt ad uitã. Alia ex mundo eſt ad mortem. Iam uero uos contriſtati eſtis triſtitia quæ ex deo eſt. Tantum ergo abeſt ut hac in re nocuerim uobis, ut magis affecerim ingenti aliquo beneficio. Vtinam hæc ſancte expenderent quibus hodie adeò dolet atq; aduerſa eſt uel acerbior miniſtrorum uerbi increpatio uel ſeuerior dei caſtigatio. Dulcia reuera ſunt patrum uerbera quæ ad honores & opes promouent liberos. Suaue eſt uulnus quod infligit chirurgus ad integri alicuius membri conſeruationem. Suauis eſt uel amariſſima potio quæ offertur à medico ut collapſum reſtituatur corpus. Sola ea uidentur nobis intoleranda & uenenata quæ animabus noſtris medendis uel ab ipſo deo ſummo uel fideliſſimis miniſtris eius offeruntur. Theophylactus hanc ſententiam, Mundi dolor mortem affert, ſecus exponit, in hæc nimirum uerba. Diſſerit de triſtitia oſtenditq; haudquaquam hanc officere cuiquam niſi cum ex mundana quapiam cupiditate oritur, pecuniarum uidelicet uel iactura uel queſtu uel glorię auiditate & charorum amiſſione qui uita exceſſerint. Huiuſmodi namq; triſtitia mortem parit, & animæ quidem ſemper, corpori uero non nunquam. Nam & multi eam ob cauſſam fato functi ſunt animiq; & corporis iactura perpeſſi. Et quæ ſequuntur. Iudicent pij et quod ſimpliciſſimum uideatur ſequãtur.

Ecce enim iſtuc ipſum quod ſecundum deũ contriſtati fuiſtis quantam in uobis genuit ſolicitudinẽ, imò ſatisfactionem, imò indignationem, imò æmulationem, imò timorem, imò deſyderium, imò uindictã. Siquidem ubiq; cõmendaſtis uosipſos quod puri ſitis in eo negotio.

Vera pœnitentia cum ſuis attributis.

Exactis effectu ſiue concomitantia oſtendit quod ſecundum deum fuerint contriſti, ſimul recenſens fructus & cõſequentia iuſtæ pœnitentię. Hanc primũ ſequitur σπουδὴν ſtudium et diligentia ſiue ſolicitudo. Sic enim uerterunt pleriq; interpretes. Ambroſius, Qui pœnitet, ait, ſolicitus eſt ne denuo peccet. Verã enim pœnitentiã ſequitur ſtudium accuratum iuſtitiæ. Deinde Paulus ponit ἀπολογίαν, id eſt, excuſationem ſiue purgationem, qua ſe Corinthij purgabant apud Paulum. Ambroſius uidetur legiſſe ἐξομολόγησιν. Hunc enim locum exponens, Pœnitentia, ait, non habet excuſationem, ſed confeſſionem. Quæ lectio mihi magis probatur. Tertio loco ponit ἀγανάκτησιν indignationẽ, qua ſæuierant in fornicariũ. Et ueram pœnitentiã ſemper ſequitur indignatio in ipſum ſcelus commiſſum. Pœnitentem enim ſui pœnitet atque pudet idq; non uulgariter.

Quarto loco ſequitur, Timor ſcilicet numinis. Nam cauſſa peccati eſt numinis contemptus, iuſtitiæ obſeruatio dei. Et non timere non poſſunt qui peccata ſua agnouerũt atq; deum iuſtum maliq; uindicem eſſe credunt. Sequitur deſyderium quod amorem habet ac uota *ein verlangen*. Id quod tam ad deum quàm Paulum referri poteſt. Pœnitens enim in carmine myſtico clamat, Sicut deſyderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſyderat anima mea ad te deum uiuum. Theophylactus retulit ad Paulum, dicens, Cum timorem dixiſſet ne uideretur tyrannum agere potius quàm inſtructorem, ſtatim id dictum caſtigat, deſyderium inquiens quod amorem non dominatum prætendit. Zelus autem ſiue æmulatio quæ ſexto ponitur loco uſurpatur in bonam partem. Vnde D. Ambr. ait, Zelum incipit pati bonorum operum perficiendorum qui intelligit pro ſe eſſe quod corripitur. Idem elegantiſſime poſtremum exponens membrum, Neceſſe eſt inquit, ut quis uindicet eum cuius erga ſe ſentit affectum, & in ſeipſum uindicat qui ſe cauſſa delicti affligit. Debet & ad Corinthios referri peculiariter, utpote qui in mœchum amore legis diuinæ animaduerterunt. Atq; hæc hactenus de ijs quæ pœnitentiam comitantur atq; animant, ſine quibus nulla pœnitentia fuerit iuſta. Hic certẽ Pauli locus & diligentius & rectius de uera & falſa pœnitentia iudicat quàm omnes omnium Scholaſticorum uaſtiſſimi codices. Breuia enim ſunt omnia, certa, pia & dilucida. His quoq; ea ſarciri poſſunt quæ ſupra in cap. 2. ſuccinctius de reſtitutione & reconciliatione dicta ſunt. Pœnitentes enim reſtituendi ſunt eccleſiæ: ſed qui nam uere pœnitentes ſint, ex hoc loco per attributa pœnitentiæ colligere licet. Nil præcipitur de annorum numero, de ſatisfactione theatrica, ſed ſimplex & uera deſcribitur pœnitentia, quę facile elucet & ſeſe factis probat apud homines. In calce addit Epiphonema, Atq; ita omni modo commendaſtis (συνεστήσατε præſtitiſtis) uoſipſos quod eo in negotio ſitis puri. Impuri erant dum nullo tangebantur ſceleris ſenſu, dum impune inter ipſos uerſaretur mœchus. Puros nunc pronuntiat quod in eum animaduertiſſent, atq; adeò ſeuere, ut ipſe Apoſtolus lenimen adhibendum eſſe ſuaderet. Hinc uero colligimus aliena peccata nobis maxime à deo imputari, & quod reuera impuri ſint quibus impuritas non diſplicet, & qui in impuros cum poſſent non animaduertunt.

Proinde tametſi ſcripſi uobis, non id feci eius cauſſa qui læſerat, nec eius cauſſa qui læſus fuerat, ſed ob id ut palàm fieret ſtudium ueſtrum pro nobis apud uos in conſpectu dei.

Clarius nunc dicit quo conſilio iuſſerit ſatanæ tradi facinoroſum. Non modo, ait, ut animaduerterem in reum aut uindicarem accuſatoris uicem, ſed magis ut explorarem diligentiam ueſtram. Neque enim hic locus abſolute intelligendus eſt quaſi Paulus ſenſerit ſe mœchi gratia nihil ſcripſiſſe, ſed id potius ſentit, quod ſolius mœchi gratia non ſcripſerit. Quin ipſe deus cum ſit omniſcius neſcire non poteſt quid ſancti ſint facturi, nihilominus probat ipſorum fidem non raro, ut ipſos poſteris ſtatuat exemplum, imò ut apud poſteros ipſorum commendet fidem. Ita hoc loco ait Paulus ſe etiam Corinthiorum exploraſſe ſtudium.

Iccirco conſolationem accepimus ex conſolatione ueſtri, quin uberius inſuper gauiſi fuimus ob gaudium Titi quod refocillatus ſit ſpiritus illius ab omnibus uobis, quod ſi quid apud illum de uobis gloriatus ſum, non fuerim pudefactus, ſed ut omnia cum ueritate loquuti ſumus uobis, ita & gloriatio noſtra qua uſus eram apud Titum ueritas facta eſt. Et uiſcera illius maiorẽ in modum erga uos affecta ſunt, dum recolit omnium ueſtrum obedientiam, quemadmodum cum timore ac tremore exceperitis ipſum. Gaudeo quod in omnibus cõfidam uobis.

Quo conſilio laudẽt prophetæ et apoſtoli.

Repetit quod paulò ante dixerat, Deus conſolatus eſt nos per aduentum Titi. Non ſolum autem, &c. Perſtat autem in laude Corinthiorum, non ut uana ſpe ipſos lactet, adule-

aduletur, aut quid ab ipsis extorqueat, sed ut laude ducat & in sancto proposito confirmet. Atq; huc pertinent omnia ea quæ recensuimus uerba. Apostoli enim ac prophetæ ecclesiam dei ædificarunt non tam uitijs & hominibus nequam uituperandis, quàm uirtutum & sanctorum laude. Quidam laude hodie ad quæstum & adulationem abutuntur. Sunt alij qui nihil bene dictum credunt nisi quod acerbitatis & uituperij habet plurimum. Verba Pauli satis plana sunt, ut non sit necesse singula repetere uerba. Tradunt hæc quoq; quo animo esse conueniat ecclesiam in pastorem fidelem. Item, quod ueritate nihil sit nobilius. Tantum quoq; de alijs gloriandum esse quantum satis est, ne nihil habentes rationis gloria nobis cedat ad ignominiam. Cæterum Epiphonema est, quod ad finem appenditur. Gaudeo sanè uos mihi compertos tales ut nihil sit in quo non debeam posthac de uobis confidere, neq; quicquam in posterum uerebor à uobis exigere. Sic uero aggressus ad sequentem quoq; causſam complanatus est.

Certiores autem uos facio fratres de gratia dei quæ data fuit in ecclesijs Macedoniæ, quoniam per multam probationẽ afflictionis exuberauit gaudium illorum, & profunda paupertas illorum exundauit in diuitias simplicitatis ipsorum. CAP. VIII.

Ad beneficentiam hortatur.

Constat ex ultimo cap. superioris Epistolæ, item ex 15. cap. eius quæ Roma. inscripta est, & ex 11. Act. capite, quod ista tempora totum fermè terrarum orbem Syriam in primis maxima afflixerit fames. Vnde Apostoli diligenter apud exteras ecclesias beneficentiam cõmendabant, ut consulerent Syriacis ecclesijs mira laborantibus penuria. Huius generis sunt duo cõsequentia capita quibus Achaiæ ecclesias exemplo Macedonicarum adhortatur ad beneficentiam. Exponit ergo artificioso dicendi genere quid fecerint Macedones, alieno exemplo docens quid ipsis quoq; faciendum sit. Nam in ecclesijs nunc agebat Macedonicis, ut monuimus capite secundo. Ciuile autẽ petendi genus est, quo non impudentius ipsi poscimus, sed quid alij fecerint ostendimus. Vtitur ad hanc rem uerbis selectissimis, cõmittit sibi contraria, breuiter amplificatione uegetat omnia. Beneficentiam & eleemosynam nouo ueluti more χάριν gratiam appellat. Ex gratia enim emergit beneficiũ, sed & ipsa eleemosyna gratia quædam est. Probauit Macedones afflictione tam persequentium ueritatem quàm inopia, at nihilo minus exuberat gaudium eorum. Gaudium uocat donum liberale. Opponit enim afflictioni & inopiæ quæ afferunt tristitiam. Sequitur enim per interpretationem, Et profunda paupertas illorum exundauit in diuitias simplicitatis eorũ. Quod ergo prius dixit probationem afflictionis, id nunc appellauit paupertatem profundam, metaphora sumpta à uase seu scrinio iam ad imum exhausto. Huic oppossuit exuberantes diuitias. Exuberant aũt quæ plena sunt. Contraria ergo sunt paupertas & diuitiæ, profundum & exuberans. Iam quod dixerat gaudium, nunc uocat simplicitatem. Ad Romanos enim 12. cap. Qui impartit, ait, in simplicitate, scilicet impartiatur. Hisce increpantur & redarguuntur auari quidam beneficentiam negantes hoc potissimum nomine quod pauperes sint. Dominus apud Isaiam, Frange inquit esurienti panem tuum, id est, tametsi non habeas nisi panem unicum, de eo tamen impartiri debes egentibus. Macedones cum summa omnium rerum laborarent inopia, simplici tamen syncero, promptoq; animo communicarunt pauperibus abundantissime.

Eleemosyna.

Nam pro uiribus (testor) etiam supra uires prompti fuerunt, multa cum obtestatione rogantes nos ut beneficium & societatem ministerij susciperemus in sanctos, ac non quatenus sperabamus, quin etiã semet ipsos dediderunt primum domino, deinde & nobis per uoluntatem dei, in hoc ut adhortaremur Titum, ut quemadmodum ante cœpisset, ita & consummaret hanc quoq; erga uos beneficentiam.

Etiam his amplificat Macedonum beneuolentiam, idem penè dicens quod iam dixerat in genere. Tantum, inquit, abest ut ab illis extorserimus quicquam aut nostra sponte

priores ab illis quicquam emunxerimus, ut cum nil tale auderemus uim potius ab illis simus passi. Priores enim à nobis petierunt, imò & coëgerunt, ut beneficium istud acciperemus ab eis. Hic iterum posuit χάριν gratiam: interpres noster recte uertit beneficentiam. Deinde κοινωνίαν, hoc est, communionem siue participationem posuit. De qua alibi. Interpres noster uertit societatem. Sanctos per baptisma & sanguinem Iesu Christi lotos, spiritúq; sancto sanctificatos appellat, non diuos quos nulla uexat inopia. De uiuo sanctorũ loquitur collegio, de quo & articulus fidei exponendus est, Credo sanctam ecclesiam sanctorũ communionem. Pertinet & illud ad amplificationem & laudẽ Macedonũ quod ait, οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν, id est, multo amplius quàm sperare audebamus, contulerunt scilicet. Accedit & aliud quod hoc ipso est maius, Imò semetipsos dediderũt primum domino, deinde & nobis per uoluntatem dei. Quasi dicat, Quid uero multis opus est? totos se nobis dediderunt, adeò ut nihil ab ipsis exigere possimus amplius. Ob seruandum autem quanta prudentia ubiq; in dicendo scribendoq; utatur Apostolus. Noluit dicere, Sese nobis dediderunt Macedones: sed primũ domino, deinde uero se nobis dediderunt, ubi iterato repetit, per uoluntatem dei. Vsqueadeo cauit ne ullas ecclesias priuato quodam iure sibi uendicaret, sed uni deo agglutinaret. Quod quàm turpiter neglexerint apostatæ quidam uerius quàm apostolici turpe est uel dicere. Curemus nos quibus cordi est Christus & ueritas Euangelica ne se nobis ecclesiæ dei secus quàm per uoluntatem dei dedant. Ministri dei sumus, ecclesiæ serui, non domini. Christus caput est & sponsus ecclesiæ. Tandem uero commodo tranſitu descendit ad id cuius gratia exemplum produxerat Macedonicum, dicens, Ea Macedonicarum promptitudo ecclesiarum effecit, ut uos quoq; per Titum inhortari cœperim ad simile studium, maxime cum idem hoc ipsum apud uos cœpisset priusquam ad me in Macedoniam ueniret. Placuit ergo, imò consultum uidebatur, ut quod cœpisset absolueret, uos autem cum sitis in alijs rebus laudatissimi, in hac quoq; re laudem promereamini. D. Ambrosius, Per Titum ait ad hoc opus exhortari Corinthios facilius posse significat, ut quomodo in cęteris rebus exhortationis suæ habuit fructum in eis, haberet etiam in hac gratiam, ut ad ministerium sanctorum promptos eos faceret.

Sancti.

Imò quemadmodum ubique abundatis fide & sermone, & scientia & omni diligentia, & in ea quæ ex uobis in nobis est charitate facite ut in hac quoq; beneficentia abundetis.

Nunc ipse calcaria adhibet Paulus ut ultro currentes acrius incitet. Monet autẽ prioris uitæ, imò in memoriã reuocat uetera dona, suadetq; ut ueteribus benefactis nouum illud addant beneficium. Ne, ait, obsecro defitis uobis. In cæteris donis excelluistis, ne patiamini ut in hoc cæteris ecclesijs inferiores sitis. Celebrat autẽ hoc loco Corinthiorum non uulgaria dona, sed uere maxima, Fidem quæ certa & constans est in deum fiducia, Sermonem prædicationem scilicet ueritatis. Theophylactus, Sermonem inquit indubitata uocat sapientiæ uerba. Scientiam cognitionem uidelicet rerum diuinarum & humanarum. Diligentiam siue sedulitatem in rebus quibuslibet agendis. Charitatem uero qua erga Paulum & ministros ueritatis erant affecti Corinthij. D. Ambro. uidetur in uertere pronomina, Illa quæ ex nobis in uobis est charitate, hoc est, abundatis ea charitate quam ex nobis didicistis. Sed superior sensus uidetur esse planior & simplicior. Hinc autẽ discunt sancti quibus debeant rebus præcellere & celebres esse in ecclesia Christi, in fide scilicet, in uerbo ueritatis, in scientia, diligentia, charitate & beneficentia.

Celeberrima ecclesiæ dona.

Non secundum imperium loquor, sed per aliorum solicitudinem, & ut charitatis uestræ ingenuitatem explorarem.

Mitigat simul orationis ardorem & laude generosa corda ducit, & peregrina exempla adhibet propius. Scholiastes sensum huius loci probe explicauit, dicens, Non exigo quasi imperans uobis, nec compello quenquã ad id quod non possit, sed exemplo Macedonum uos prouoco, ut ultro ingenuitatem uestram declaretis. Græca enim sic habẽt, οὐ κατ'

οὐ κατ' ἐπιταγὴν λέγω, ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς. Defectiua enim uidetur esse oratio, quæ sic sit sartienda, Sed per aliorum diligentiam siue studium (interpres uertit sollicitudinem) uos scilicet ad beneficentiam prouoco. Sequitur, καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων, id est, & charitatis uestræ ingenuitatem siue synceritatem explorans. Interpres noster uertit approbans. Sensus autem est, Non hæc scribo ut imperio quicquam à uobis extorqueam, sed ut explorem quàm sit ingenua charitas uestra. Atq; hoc modo maxime per charitatis genium ad benefaciendum rapit, laude incendit & exemplo urget. Miri enim hic sunt stimuli, mira orationis uis, ut uiuidiora nõ inuenias in ullis prophanarum rerum scriptoribus.

Nostis enim beneficentiam domini nostri Iesu Christi, q̃d propter uos pauper factus sit, cũ esset diues, ut uos illius paupertate ditesceretis.

Ab exemplo Christi argumentum ducit, quod adeò euidens est ut prorsus uideatur petra durissima qui hoc nihil mouetur. Si enim nostri caussa in hasce terras descẽdit dei filius, quid nos obsecro fratrum & nostri gratia facere conuenit? Tale argumentum est & illud quod legis ad Philipp. 2. Is affectus sit in uobis qui & in Christo &c. Plurimum autem is locus ad expositionem præsentis facere uidetur. D. Ambrosius pie & eleganter hunc locum enarrans, sic scribit, Pauperem Christum dicit factum, quia deus nasci dignatus est homo, uirtutem potestatis suæ humilians, ut hominibus diuinitatis diuitias acquireret, ut diuinæ, quod Petrus ait, essent consortes naturæ. Homo ergo factus est ut hominem in deum assumeret sicut scriptum est, Ego dixi Dij estis. Hoc modo exhortatur, ut largiendo quasi pauperes fiant, ut profit paupertas eorũ, sicut Christi paupertas profuit nobis. Christus quidem nostri non sui caussa pauper factus est, nos autem ut nobis proficiat. *Christus pauper factus.*

Et consilium in hoc do. Nam hoc uobis conducit, qui quidem non solum facere uerumetiam uelle iam cœpistis anno superiore. Nunc autem & illud quod facere cœpistis perficite, ut quemadmodum uoluntas prompta fuit, ita & perficiatis ex eo quod potestis.

Hortatur à facili. Res, inquit, quam efflagito non est operosa aut difficilis. Iam olim hoc cœpistis, imò quasi absoluistis, ad quod absoluendum uos inhortor. Nam & in superiore epistola cap. 16. collectæ meminit. Vnde coniectura est hanc epistolam posteriorem altero à priore anno scriptam esse. Paraphrastes sensum huius loci probe sic reddidit, Quemadmodum superioribus literis cœlibatum à uobis non exegi, sed uestris consulens commodis suasi: ita & in hac re consulo non impero, & ob id consulo quod existimem in uestrum compendium cessurum, præsertim cum quod nunc suadeo uos ipsi citra meum suasum non solum facere cœperitis uerumetiam ultro uelle. Nunc igitur supereſt ut quod ultro cœpistis facere perficiatis, ut quemadmodũ iam pridem animum istum sponte susceptistis, ita Macedonum exemplo perficiatis, non supra uires q̃d ab illis factum est, sed pro facultate cuiusq;. *Proximo anno à priore scripta est hæc epistola.*

Etenim si prius adsit animi promptitudo, ea iuxta quicquid illud est q̃d possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia, sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore uestra copia illorum succurrat inopiæ, & illorum copia uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas.

Hoc dicit, Si modo adsit animi beneuolentia & promptitudo, iam acceptum deo est quicquid tandem secundum uestras facultates conferatis. Non enim est acceptum beneficium quod confertur ab inuito. Neq; exigitur à quoquam ut donet quod non habet. Atq; hic eleganter & suo loco de modo dandi largiendiue differit. Facit enim & illud ad largiendum promptos et hilares. Qui enim partem facultatum suarum expendit interim omnes erogandas credit, graui & perplexo animo expendit: at qui intelligit in distribuendo & possidendo modũ esse acceptumq; deo si uel portionem de suis opibus, *De modo dandi largiendiq;.*

nō totas, eroget, & partem ſibi in neceſſarios uſus reſeruet, alacris iam & lætus impartit. Paulus certe ſcripſit, οὐ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλῖψις. Eſt autem ἄνεσις remiſſio & relaxatio laborum. Ambroſius uertit refrigerium. θλῖψις uero preſſura eſt. Ambroſius anguſtiam dixit, nimirum ut eſt in re familiari. Iam ſi aliquid ſubintelligas hic erit ſenſus uerborum, Non ſic doceo exercendam benignitatem ut ij quibus donatur ſuauiter & in otio uiuant, qui uero donant redigantur ad inopiam. Quid igitur? Vt æquabilis quædam inter uos cōmutatio fiat. Vos opes habetis, illi pietatem. At in præſentiarum inopia & annonæ caritas diuexat Hieroſolymitas & Syros. Volo igit̄ ut ex opibus ueſtris quibus abundatis, ſuccurratur illorum egeſtati: ac uiciſſim illorū pietas (ab illis recepiſtis prædicationē euangelīj) qua ſuperant, penſet ſi quid eſt in uobis diminutum, itaq; fiat ut utriſq; cōmunicātibus alteris, neutris deſit aliquid, ſed ſit æquabilitas. Quærit Theophylactus quæ eſſe poſſit parilitas inter ſpiritualia & carnalia? Et reſpondet nō in reipſa eſſe comparationem, ſed in dandi & recipiendi ratione. Cum enim ipſi, ait, q̄d ſupereſt largiemini, & illi q̄d nimium eſt condonabunt, & rurſum quæ uobis defuerint accipietis, & illi contra quibus indiguerint accepturi ſint: ita fit ut æqualitas dici poſſit. Quid aūt dicent ad hanc præſcriptionem Monachi noſtri ac heremitæ qui ſuauiter uiuunt & otiantur in alieno ſudore ac labore? Si eñ peccat qui facultatibus affluit & egentibus nihil diſtribuit, profecto ſcelus deſignat qui in otio ex ſudore inopis uiuit, quiq; alimentum pauperi detrahit, ut ipſe ingluuiem ſuam farciat & uomat. Væh hominibus nequam, mancipijs ſathanæ & uentris. Diues epulo in euangelio non damnatur quod diues eſſet, ſed quod cum diues eſſet pauperum non miſereretur, ſed cuticulam modo curaret. Proinde errant qui hodie omnes eos damnant qui non ad Cratetis ſtulti uerius dicam quàm philoſophi exemplum opes profundunt temere. Non enim intelligunt uerbum domini, Vade uende omnia quæ habes & da pauperibus, hinc uero ueni & ſequere me. Quibus uerbis tamen dominus beneficentiam modo præcepit, auaritiam & pecuniæ ſtudium damnauit. Si enim iuxta literam quod dicitur intelligas, quid aliud quàm mendicitatem præcepit, & ut noſtra profundamus, deinde fratribus oneri ſimus & ex eorum uiuamus laboribus? Cæterum id ſtudium ac inſtitutum per omnem damnatur ſcripturam. Proinde Chriſtus dominus longe aliud uoluit quàm iſti ſentiunt. Monachi prætextu uerborum Chriſti ſua ſe deſerere et paupertatem amplecti fimulant. Verum ut opes ſuas (ſi quas habent) non diuidunt pauperibus, ita è paupertate in maximas penetrant uoluptates opes & delitias. Ocioſi enim & ſecuri ſuauiter ex aliorum uiuunt laboribus, & tamen in laboribus hominum, ut ait propheta, non ſunt, & cum hominibus non flagellantur. Scriptura potius laborem præcipit. Notiſſima enim eſt Paulina ſententia, Qui furabatur non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum eſt ut poſſit impartiri ei qui opus habet. Et multo clarior illa, Obſecramus ut quieti ſitis & agatis res proprias & operemini proprijs manibus ueſtris, ſicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honeſte erga extraneos et nulla re uobis ſit opus. Sunt autem qui egregie ſibi placent cum rapta ex ſudore & ſubſtantia pauperū per fraudem & impoſturam, in egenos diſpartiunt, paucula dummodo diſpergentes centum ut plurimum de mille. Atqui ſcriptum eſt, Honora deum de tua ſubſtantia. Et Zacheus ait, Ecce domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quem defraudaui reddo quadruplum. De iuſtis ergo & bene quæſitis grata eſt deo eleemoſyna. Nemo rapiat ut offerat. Miſericordia deo placet nō ſacrificium. Si uero quis rapuit imitetur Zacheum. Verum de his omnibus de beneficio conferendo & ſubuentione pauperum ſcripſit immortali gloria clariſſimus uir Ioannes Lodouicus Viues duos uere aureos libellos, è quibus plura qui uelit petat. Clara certè quod modum & rationem elargiendi attinet ſunt uerba Pauli, quibus conſonant quæ leguntur in Tobia non inutili libello, Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynā, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec à te auertatur facies domini. Quomodo potueris ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire. Proinde ut à deo accipis ſic illi reddito. Si ille affluenter dat tibi, cur tu illi retribuis tam

Pſal. 73.

Epheſ. 4.

1. Theſſ. 4.

De iuſtis & bene partis detur eleemoſyna.

tam arcte & maligne? præcipue cum nihil dederit tibi propter te unum. Quis oro noſtrum expoſtulationem illam domini ſuſtinere poterit, Serue nequam cur ex meo non dediſti quod ipſe iuſſeram? quid feciſſes de tuo? Itaq; æterna hæc bona mea non poſſidebis in quibus proculdubio fidelis non eſſes qui in mundi uanitate infidelis fueris. Sic enim dicit in Euangelio dominus, Qui fidelis eſt in minimo, & in maiore fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiore iniquus eſt. Si ergo in iniquo mamona fideles non fuiſtis quod uerum eſt quis credet uobis? & ſi in alieno fideles non fuiſtis quod ueſtrum eſt quis dabit uobis? Verum ut ad modum diſtribuendi & magnitudinem beneficij redeamus, idem dominus in euangelio diſputans quis ſit proximus, cui benefacere conueniat, & quibus modis elegantem pro ipſa re narrationem fictam proponit in medium, fingens miſerum quendam incidiſſe in latrones & ſemianimem omnicq; exutum ſubſtantia relictum, quem neglexerit quidem ſacerdos et leuita, receperit collegeritcq; Samarita. Hoc autem demonſtrauit eum eſſe proximum qui & beneficium conferat, & miſericordia indigeat. Sic enim ſequitur in Cataſtrophe ſiue exegeſi, Quis horũ trium uidetur proximus eſſe ei qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui exercuit miſericordiã in illum. Porrò quis ſit miſericordiæ modus mira exponit εναργεια. Viſo enim eo miſericordia motus eſt Samarita, & accedens obligauit uulnera eius, infundens oleum ac uinum. Deinde imponens illum iumento ſuo duxit in diuerſorium & curam eius egit. Poſtero uero die egrediens depromptos duos denarios dedit hoſpiti, inſuper addens, Curam illius habe, & quæcunq; præterea inſumpſeris ego cum rediero reddam tibi. Quid his obſecro uel cogitari poterat appoſitius melius euidentius? Principio miſericordia mouetur et ad ſe miſeriam inopis pertinere putat. Accedit ergo et medetur. Non abhorret à uulnerum liuore ac corruptione, nec in alium reijcit medendi obligandicq; curam, ipſe admouet manus & præſentibus utitur medicaminibus oleum & uinum infundens, donec melioribus uti liceat. Deinde uero nullis neq; impenſis neq; laboribus parcit, ipſe terra ſublatum iumento imponit, iumentum in proximi quoq; uſum non ſuum modo uſurpans. Et cum in ædes proprias inducere non poſſet, in diuerſorio proſpicit miſero, adeocq; ipſe eius curam gerit, quod res in diuerſorijs neglectius nonnunquam gerantur. Ipſe ergo quoad licet inſeruit miſero. Diſcedens pecunias expromit, commendat, fide iubet. Curam inquit huius habe, & quæcunq; præterea inſumpſeris ubi rediero reddam. Totũ ergo ſe illi impendit. Quid ergo? Subiungit dominus, Vade ergo & tu fac ſimiliter. Habes itaq; benefaciendi modũ hac deſcriptum parabola. Atqui indignus eſt ais cui cõferam beneficium. At Ariſtotiles homo Gentilis & malus quum malo homini nummũ roganti dediſſet admonentibus amicis ꝺ beneficiũ contuliſſet in indignum, Nõ inquit illius ſum miſertus ſed naturæ. Maxime ergo decet nos deũ in largiẽdo ſpectare qui dixit, Quicqd uni ex minimis iſtis feciſtis mihi feciſtis. Idem apud Matthæum dicens, Omni petenti da, in eo quem iam citauimus Lucæ loco nil ſecernit, ſed eum uocat proximum qui benefacit & beneficio indiget. Et Tobias, Noli ait faciem tuam auertere ab ullo paupere. Quæ omnia ut planiſſima ſunt, ita iudicium in hiſce rebus non auferunt. Paulus enim in epiſtola ad Galatas, Dum inquit tempus habemus operemur bonũ erga OMNES, maxime autem erga DOMESTICOS FIDEI. Iudicium ergo in dando adhibendum. Omnibus quidem dandum: ſed expendendæ neceſſitates, aliĳ aliĳs plus egent. Et aleatoribus ociofis bibulis nebulonibus conferre beneficium damnum uerius quàm beneficium eſt. Præſtat ergo frugi hominibus & uere inopibus talentum conferre quàm aliĳs obulum. Sed hoc diſcrimen (ut prudenter cenſet Viues) nõ quemadmodum nunc facimus expendendũ eſt, ut pluris apud nos ualeat cognatio aut notitia aut cõmunis patria familiaritas officia, quàm ſapientia mores uirtus neceſſitas. Hinc enim ſumendum diſcrimen non illinc, unde & ſacerdos & leuita cæcati miſerum à latronibus poſtratum neglexere. Vere fratres ſunt quos peculiari quodã & ſancto modo regenuit Chriſtus, apud quem non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem dominus omniũ, diues in omnes qui inuocant illum. Sed certe in hoc ſumma rei uertitur, referantur omnia ad bonum illud præcipuũ, ut tantum iuuetur quiſq; quatũ ad hoc

Magnitudo beneficij.

Cui debeamus beneficium.

uidebitur indigere, & cuiq; demus plurimum profutura & diu quantũ ratio uel neceſſitatis eius uel facultatum noſtrarum feret. Nolo enim ut quiſquam ſe & familiam ſuam negligat. Pauperies enim ſiue mendicitas ut inimica eſt bonis moribus, ſic mater dicitur impudentiæ. Paulus, Non ſic elargiendum puto, ait, ut alijs relaxatio ſit, uobis anguſtia. Et ſanctiſſimus patriarcha Iacob inquit, Et nunc quando curabo etiã ego domũ meam? Et iterũ Paulus ad Timotheum ſcribit, Si qua uidua liberos aut nepotes habet diſcat primum propriã domũ pie tractare et uicem rependere maioribus. Hoc enim eſt honeſtũ et acceptum coram deo. Quod ſi quæ ſuis & maxime familiaribus nõ prouidet, fidẽ abnegauit & eſt infideli deterior. Cauebis aũt ne hic tibi nimium licere credas. Sunt qui prętextu rei familiaris & neceſſitatis uel auaritiæ ſtudent, uel beneficentiã iniuſte denegant. Neq; uero neceſſitates noſtras ſic conuenit metiri nos, ut luxũ & diffluentiam inter neceſſitates ponamus, ſicut ſericis ueſtiri, auro et gemmis fulgere, ſtipari magna frequentia miniſtrorũ, quotidie epulari opipare, genio indulgere. Cæterũ genuina et fraterna charitas certiſſima erit in hiſce rebus agendi regula. De qua copioſius Ioannes in Canonica.

Genesis 30.

Quemadmodum ſcriptum eſt, qui multum habebat, huic nihil ſuperfuit: & qui paululum habebat, is nihilo minus habuit.

Iam & ſcripturæ loco ſiue exemplo adducto ad beneficentiã trahit & ab auaritiæ ſtudio rapit. Recte autem in euangelio monuit dominus, Videte & cauete ab auaritia quia nõ in abundantia cuiuſquam uita eius eſt ex ijs quæ poſſidet. Siue ut clarius dicam, Salus hominis nõ ex eo æſtimanda eſt quod multa poſſidet. Non enim uiuit homo ut facultatibus abundet, ſed ideo rebus ad uitæ uſum ſpectantibus utitur ut uiuat in pręſenti. Neceſſitas autem paucis contenta eſt. Habentes enim uictum & amictum his contenti ſumus. Qui his plura uolunt adeoq; & habere uidentur, plura tamen, niſi cum maximo ipſorũ detrimento, uſurpare nequeunt, & ut à morte permulta relinquant, ipſis interim nihil ſuperfuit. Videmus et tenuioris fortunæ homines paucis quidem abſolutum uitæ curſum abſoluere, ut interim nihil deſit ad neceſſitatem, tametſi ijs quæ ad uoluptatem pertinent careant. Breuiter facultates homini ad neceſſitatẽ non ſalutem deſtinatæ ſunt. Qui ergo multas poſſident opes, cogitent ſe nihil inde percepturos quàm quæ poſcit neceſſitas, reliquas egentibus eſſe impartiendas, ut qui paululum habent diteſcant illis quibus uos abundatis copijs. Opes enim à deo ſunt ad neceſſitatẽ humanam ſubleuandam diſpoſitæ. Id quod olim in deſerto dilucido commonſtratũ eſt paradigmate. Depluit deus populo ſuo manhu: atq; hic alij alijs plus colligebãt, ut uel hodie alij alijs ſunt opulentiores. Sed quid ait ſcriptura? cum metirentur per gomer non excedebat is qui multum collegit, nec defectum habuit qui parum collegit, quiſq; pro alimonia ſua collegit. Hæc ergo æqualitas ſeruanda, hic finis & hic ſpectandus ut opes nobis diſpenſentur pro alimonia. Sequitur enim in uerbis Moſi, Sed uiri quidam reſeruarunt ex eo uſq; mane, & produxit uermes atq; computruit. Opes enim per nimiam aſſeruatæ auaritiam computreſcũt, uel dum auarus perit, quemadmodũ dominus in euangelio Lucæ cap. 12. oſtendit: uel opes inculpa ſunt ut iniquus poſſeſſor infamia, & omni ſcelerum genere cõputreſcat, & uermes, id eſt tormenta conſcientiæ ſentiat. Locus Moſis extat Exodi 16.

Gratia autem deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro uobis in corde Titi, qui exhortationem acceperit, quin potius cum eſſet diligentior ſuapte ſponte ad uos uenerit.

Non ego ſolus, ait, hoc ſaxum uoluo, idem ante me egit Titus, dum inhortaretur uos ad beneficentiam, ſponte ſua ad uos ueniens. Loquitur autem de priore aduentu Titi ad Corinthios. Ab his enim in Macedoniam uenerat ad Paulum, ut paulò ante oſtendimus. Magis autem mouent nos preces et exhortationes quæ fiunt à pluribus. Et occultum quodpiam argumentum in eo eſt quod gratias agit deo, ueluti monens munere quodpiam dei occulto factum eſſe ut Titus Corinthum uenerit. Siquidem deum opera Titi excitaſſe ipſorum mentes ad miſericordiam.

Miſimus

Misimus autem unà cum illo fratrem eum cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias, nec id solum, uerumetiam delectus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia quæ administratur à nobis ad eiusdem domini gloriã & ad animi uestri promptitudinem: declinantes hoc ne quis nos carpat in hac exuberantia, quæ administratur à uobis, procurantes honesta non tantum coram domino, sed etiam coram hominibus.

Fidelibus dispensatoribus committenda eleemosyna.

Loquitur hic Apostolus de reditu Titi ad Corinthios. Literis enim, id est hac secunda epistola instructum remittit Paulus ad Corinthios ut rem eleemosynæ quam cœperat absoluat. Pertinent autem & ipsa ad exhortationem. Cum enim dicit quanta diligentia sit procuraturus ne qua fraus in collecta fiat pecunia, profecto quodammodo ad conferendum incitat. Promptiores enim sumus cum audimus optima fide eleemosynam nostram curari. Cæterũ de quo fratre locutus sit quem miserit non satis constat, nec adeò scire retulerit, uirum spectatæ probitatis fuisse constat. D. Hieronymus uerba Pauli de Luca exponit euangelista, quod is euangelicam scripserit historiam ob quam in ecclesia insignis & celebris sit habitus semper. Cum tamen de prædicatione uerbi potius quàm scripta historia Pauli uerba intelligi debeant. Alij exponunt de Apollo, qui quid spectarint non uideo. Non uidentur autem desipere qui de Barnaba exponunt. Nam uerba Lucæ in Actibus apostolorum scripta hisce in omnem modum respondent, consulantur ea in cap. 11. & 13. Iam & obscuritas est in uerbis consequentibus. Sensus ergo hic est, Barnabas delectus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ ut beneficentiam, id est eleemosynam colligat, quæ nimirum & à uobis iam administratur ad ipsius domini gloriam, quem unũ hac in re respicitis & ut animi uestri promptitudinem declaretis. Quæ certè honesta et ciuilis quædam est petendi formula. Caussam quoq; aliam addit cur Titum & Barnabam miserit, ut scilicet finistram de se suspicionem auerteret. Poterat enim ut fit suspicio suboriri quod tantam pecuniæ uim sibijpsi nõ pauperibus colligeret Paulus. Præclara autẽ hic nobis præscribuntur præcepta. Delegendi enim sunt ad eleemosynas distribuendas uiri, sed fide et integritate præstantes, quales hic delegit Paulus & in Actis apostolicis ecclesia, Acto. 6. Nemo publicam gerens functionem rem agat priuatam. Honesta quoq; uobis non modo corã domino, sed hominibus quoq; procuranda sunt. Coram illis potissimum quibus æquum & iustum probatur. Sed & impijs & nihili hominibus nulla est reprehendendi subministranda ansa. Et quo plus periculi est in diuitiarum administratione hoc plus animi & prudentiæ adhibere conuenit.

Misimus autem unà cum illis fratrem nostrum quem probauerамus in multis sæpenumero diligentem, nunc autem multo diligentiorem, ob multam fiduciam, quam habeo erga uos siue Titi nomine qui socius meus est & erga uos adiutor, siue aliorũ qui fratres nostri sunt & legati ecclesiarum, gloria Christi.

Cõmendat uiros bonos.

Addit tertium Siluanum fortassis qui & Silas dicitur, aut alium quempiam. Deinde hos omnes summo studio cõmendat Corinthijs. Sensus enim ex superiori uerbo misimus absoluitur, ad hunc modum, Titum Barnabam atq; Silam misimus ad uos quod uobis omnibus fidamus plurimum, proinde ut digni sunt opinor suscipietis eos. Titus collega meus est & omnium particeps laborum, si me benigne exciperetis uenientem, collegam quoq; meo nomine beneuole suscipite. Quod alios duos attinet, fratres sunt, legati ecclesiarum sunt, adeoq; & gloria Christi, decus & ornamentum euangelij. Audimus autem quales & quibus ex rebus ministri uerbi ecclesijs & uiris bonis sint commendandi.

Proinde documentum charitatis uestræ & nostræ de uobis gloriationis in eos demonstretis etiam in conspectu ecclesiarum.

Illationem ponit sed argumentis refertam. Proinde hos uobis ait habete commendatos. Id uero flagitat ipse charitatis genius, qui suadet omnibus benefaciendũ, omnes cum honore excipiendos humaniterq; tractandos esse eos maxime qui fratres, adeoq; & ecclesiarum apostoli imò & gloria Christi & euangelij decus sunt. Deinde plurima apud Barnabam ac Silam de fide probitate & humanitate Corinthiorum iactarat Paulus. Nunc ergo obsecrat humani fint erga illos ne sine caussa apud illos fit gloriatus, idq; in conspectu ecclesiarum, id est palàm, ut & cæterę ecclesiæ exemplum habeant imitandi Corinthios. Theophylactus eum locum secus exposuit. Erasmus, Quod officij, inquit, contuleritis in hos, in omnes ecclesias contuleritis quorum nomine ueniunt legati.

CAP. IX. Nam de subministratione quidẽ quæ fiat in sanctos superuacuum est mihi scribere uobis. Noui enim promptitudinem animi uestri, quã de uobis iacto apud Macedones. Quoniam Achaia parata est ab anno superiore, & uestrum exemplum prouocauit complures.

Perstat etiamnum in argumento eodem exhortans ad cõferendam eleemosynã. Ab initio aũt protinus prefatiuncula utitur quæ speciem habet occupationis. Dicit em̃ non necesse esse ut quicq̃ de διακονία, idest ministerio, hoc est subministratione in sanctos dicat, cum tamen de ea maxime dicat. Protinus enim argumenta subdit quibus moueat. Quod autẽ factũ cuperet, id factũ dicit. Præterea laudat ut laude trahat. Multa inquit de uobis iacto apud Macedones, assero uos iam olim fuisse paratos. Iucundum aũt illud est q̃d ipsa ῥῆba quibus utebatur apud Macedones recenset. Sunt aũt illa, Quoniam Achaia parata est ab anno superiore. Vrget aũt illud maxime q̃d addit, Et uestrũ exemplum prouocauit cõplures. Ad quæ iam cordatus quilibet inferre poterat, Turpissimũ igitur foret si nõ abundantissime facultatibus uestris iuuaretis inopes, cum alij nostro prouocati exemplo sese sumptibus in pauperes quasi exhauserũt. Quid dicã? nescio si qd aliud hodie extet maiori artificio scriptũ uel apud disertissimos rhetores hac Pauli exhortatione.

Misi tamẽ hos fratres ne gloria nostra qua glorior de uobis inanis fiat in hac parte, ut quemadmodum dicebam parati sitis, ne quo pacto fiat, ut si mecũ uenerint Macedones & offenderint uos imparatos nos pudore suffundamur, ut ne dicam uos in hoc argumento gloriationis.

Diligentia & cura in agendo prudens.

Dicat aliquis, Si noras nos superiore anno paratos, si superuacuum erat de subministratione scribere, quid opus erat & fratres mittere & epistolam scribere? Respondet hisce & ait se istud sancta quadam sollicitudine fecisse, non tam ut gloriationem suam de Achaicis apud Macedones iactatam confirmaret, quàm ut ignominiam prohiberet ab Achaicis, hoc est curare uoluisse ne periclitaretur ulla in re maxime in hoc gloriationis argumento Corinthiorum gloria. Relinquitur ergo certum quod hac in caussa agatur gloria Corinthiorum. Qui uehemens est ad incitandum stimulus. Aliud igitur agens subinde ad largiendũ urget, mira & incredibili arte dissimulans quod facit, hoc est quod petit. Commendatur autem nobis hoc in loco prudentia & diligens rerum cura. Optima spes de Corinthijs erat quod liberaliter essent curaturi eleemosynam, nihilominus urget Paulus scripta epistola, & tantum non adigit ipsos nuncijs missis. A qua diligentia uehementia & ardore sancto quantum abssimus hodie turpe est uel dicere. Eò enim deuenerunt res nostræ ut nullius nos pudeat inertiæ.

Proinde necessariũ arbitratus sum adhortari fratres ut prius accederent ad uos et præpararent iam ante promissam bonam collationẽ uestram ut ea sit in promptu, sic tanq̃ bona collatio et nõ tanq̃ fraudatio.

Hisce absoluitur sententia, cœpta superioribus uerius quàm absoluta. Verba plana sunt & sententia exposita. Nisi quod postrema uerba apud Latinos quidem obscuriora, apud Græcos magis sunt perspicua & euidentia. Sic autẽ scripsit Paulus, οὕτως ὡς εὐλογίαν, καὶ μὴ ὡσεὶ πλεονεξίαν, id est, Sic ut sit collatio liberalis, non ueluti extorsio ab inuitis.

uitis. Quod Germanice forsan sic explicauerimus significantius, *das es ein frye gaab vñ schencke sye, vnd nit ein trurige erschundne gaab.* Venuste enim inter se opponuntur εὐλογία & πλεονεξία benedictio & auaritia. Et Erasmus in Annota. Benedictionē hoc loco, ait, uult intelligi beneficentiam, nō manum motam. Nam ante λογίας id est collectiones eleemosynas uocauit, hic easdem εὐλογίας uocat, à λέγω colligo, uelut à bona benignaq; collectione dictam. Poterat ergo εὐλογία uerti munificentia largitas collatio liberalis. Inuenias id uerbi eodem significatu usurpatum ad Roma. 15. πλεονεξία auaritia proprie est & circumuentio. Habet autem hæc uox hoc in loco metalepsim. Quia enim auari grauatim dant, πλεονεξία hic usurpatur pro extorsione quæ fit ab inuito. Discimus aūt quali animo eleemosyna danda sit. Sponte tribuat qui uelit & quantum quisq; uelit.

Illud autem (dico) qui seminat parciter parciter & messurus est, & qui seminat in benignis collationibus in benignis collationibus et messurus est: unusquisq; secundum propositū cordis non ex molestia aut necessitate. Nam hilarem datorem requirit deus.

Hilarem datorem requirit deus.

Explanatius nunc de eo loquitur quod sponte & liberaliter non coacte aut grauatim dandum est. Non nesciuit sacrum pectus carnis nostræ malitiam, quæ uel sibi blanditur ne quicquam dare cogatur, cum ait, Nolo facultates meas dispartiri alijs & postea è fratrū laboribus siue collectis uiuere: uel nimio habendi studio cæcata grauatim dat si quid dat, & omne sibi periisse putat quod egenis contulerit. Illam ergo carnis malitiam iam refrenans dicit, Quo quisq; largius contulerit, hoc copiosius præmium reportabit: quo uero partius quisq; dederit, hoc tenuius commodum recipiet. Id uero eleganti exornat allegoria siue metaphora sumpta à re rustica. Qui enim parce seminat parce & metit. Nostrum est sementum facere. Deus augmentum addit, sed secundum sementis rationem ac modum. Paulus certè hæc mutuauit ex 11. cap. Prouerb. ubi clarius & copiosius de hac re disseritur. Iam & illud monet qualia esse debeant munera, spontanea scilicet è libero pectore è benefico & munifico data. Neq; enim stulta sunt illa uulgi Diuerbia, Bis dat qui cito dat. Munerum animus optimus. Largius enim ac libentius dat qui sponte dat. Malignius donat, qui cum mœrore ueluti coactus donat. Pulchre ergo & uere Paulus, Vnusquisq; det secundum propositum cordis, id est libenter & ex animo uolenti, non ex molestia aut ex necessitate. Huc enim iam pertinet illa καθολικὴ γνώμη, Hilarem datorem diligit deus. Nam & Iesus ille filius Sirach in Sapientia sua cap. 35. dixit, Bono animo gloriam redde deo & non minuas primitias manuum tuarū. In omni dato hilarem fac uultum tuum & in exultatione sanctifica decimas tuas.

Potens est autem deus efficere, ut totum beneficiū in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiā habentes exuberetis in omne opus bonum, quemadmodum scriptum est, Dispersit dedit pauperibus iusticia eius manet in sæculum.

Præmium propositum misericordibus.

Præmium proponit amplissimum ut proliceat teneat capiat. Omnipotentiam allegat dei, quæ omnisufficientiam quoq; habet. Satis est sibiipsi deus ad omnia & ut omnia possit suppeditari cultoribus suis, quæ ipsis quidē prosunt & necessaria uidentur. Tantum ergo abest, inquit apostolus, ut perdatis beneficium egentibus præstitum, ut totum in uos tandē redundare possit, efficiente deo ut uobis & pecunia semper suppetat quantum ad usum uitæ satis est, & insuper exuberetis & ditescatis omnibus pietatis officijs. Vtitur autem hoc loco uerbo Græcanico eleganti & uiuido, dicens, ἵνα ἐν παντὶ πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες. Est autem αὐτάρκεια ubi quis suis est contentus, nec aliunde quicquā desyderat. Vere autem diues est si quis sua fit sorte contentus. Auaro enim nō tam deest quod non habet quàm quod habet. Nunquā ergo quiescit. Nihil se habere credit cū uel nihil nō possidet. Iam & animi opes tanto præcellūt fortunas externas quanto præstantior est corpore animus. Et uere pauper est qui animo malo & impio præditus est. Tales enim opes noxiæ sunt. Rectissime enim Aurelius Prudentius in uita D. Laurentij dicit,

Pudor per aurum ſoluitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipſæ intercidunt. Et iterum,
Si quæris aurum uerius
Lux eſt & humanum genus.

Proinde ueræ opes pietas ſunt, & mens ſua ſorte contenta. Poſt hæc in medium producit ſanctum ſcripturæ exemplum ut plus uirium haberet oratio. Exemplum petitum eſt à uiri pij & boni deſcriptione, quæ habetur Pſal. 112. Scriptus eſt is in genere præceptiuo, docens quæ deceant uiros bonos, quæ felicitas & in hiſce terris & in futura patria eos maneat. Potens inquit erit in terra ſemen eius, beata erit familia rectorum. Abundantia et diuitiæ in domo eius, iuſtitia eius permanet in æternum. Beatus is eſt qui miſericordia mouetur erga pauperes & mutuo dat. Dabit enim illi dominus eam prudentiam, ut diſpenſare ſciat reliqua quæ tractanda illi erũt cum iudicio, id eſt recte & quemadmodum decet. Memoria illi erit perpetua, eaq; candida & laudata. Immotus & illæſa fama ſtabit ſemper. Non obturbabunt calumniæ & rumores finiſtri. Firmũ ſemper cor eius in domino. Nec peribit quin prius uideat ſupplicium dare infidiatores atq; impios æterno numini. At ipſe uir bonus diuidit, non in unum confert, & donat imò diſpergit indigis, non ſcurris ioculatoribus & ociosis hominibus qui luxu profundant, de facultatibus ſuis, & proinde res eius ſaluæ erunt cum gloria, imò cornu robur fœlicitas ſacietas gloriaq; augebitur & euehetur aſſidue, adeo ut hoſtis uideat inuideat frendat & contabeſcat. Cæterum deſyderium impij atq; auari quo honores ambiunt & uoluptates opibus alienis inhiant pios extinctos uolunt, peribit: iuſtus & beneficentia in æternum manebit. Quæ omnia in eo traduntur Pſalmo quem citauit Paulus. Ferreum autem is habet pectus qui iſtis promiſſionibus ad miſericordiam & beneficentiam non permouetur. Vehementiſſima ergo ſunt argumenta, quibus Apoſtolus & Corinthiorum & omnium fidelium animos ad beneficentiam rapit.

Porrò qui ſuppeditat ſemen ſeminanti, is & panem in cibum ſuppeditet, & multiplicet ſementem ueſtram, & augeat prouentus iuſtitiæ ueſtræ, ut in omnibus locupletemini in omnem ſimplicitatem, quæ per nos efficit ut gratiæ agantur deo.

Iterum ab utilitate petit argumentum: ſed per bene imprecandi formulam effert. Paraphraſtes ſenſum hiſce uerbis probe reddidit, Comprecor autem ut is qui ſuggerit ſemen facienti ſementem et panem in cibũ ſuppeditat quiq; ſortem largitus eſt unde nunc ſuccurritis inopiæ ſanctorum ſemper ſuffulciat facultates ueſtras, quo ſubinde poſſitis illis ſuccurere, atq; ita multiplicet ſementem ueſtram ſimulq; augeat prouentum iuſtitiæ ueſtræ ut in omni uirtutũ genere locupletemini ſemperq; proficiatis in omnem animi ſimplicitatem atq; candorem & indies uiliores habeatis pecunias, quæ dum erogantur non in quoslibet ſed in ſanctos, fit ut ueſtra liberalitas redundet in gloriam dei dum ueſtra munificentia refecti pij per uos gratias agũt deo, ut mihi quoq; nonnihil hinc præmij uindicem, qui negotium procurem. Hæc Paraphraſt. Pie uero Ambroſius, Omnia inquit dei ſunt. Et ſemina & naſcentia dei nutu creſcunt & multiplicantur ad uſus hominum. Deus ergo qui hæc dat ipſe & iubet de his cõmunicari eis qui indigent. Præterea uidetur Apoſtolus hiſce uerbis tacite admodum quorundam erigere fidei imbecillitatem. Dolebant nonulli opum cumulos per eleemoſynam decreſcere: timebant non tantum ſupereſſe quantum neceſſe eſt ad uitæ uſus. Paulus ergo, Is inquit qui ſemen uiuificat & multiplicat ita ut panem tandem ſuppeditet in cibum, idem & facultates ueſtras poterit augere ut ſatis ſit uobis opum in hac terra. Minuit aceruum qui ſeminat, ſed eundem locupletat cum metit. Et domino fœnerat qui indigo communicat. Item ab externis opibus ad animi bona tranſit. Meminit enim prouentus iuſtitiæ. Beati enim miſericordes quoniam miſericordiam conſequentur. Et in dando præcipue requiritur

ſimplici-

simplicitas. Hæc uersutiam & animum fœneratorium nescit, candida est, uerbum domini & necessitatem proximi spectat.

Nam functio huius ministerij nõ solum supplet ea quæ desunt sanctis uerumetiam exuberat in hoc quod per multos agantur gratię deo, qui per probationem ministerij huius glorificant deum super obedientia consensus uestri in euangelium Christi, & de simplicitate communicationis in ipsos & in omnes & in illorum oratione pro uobis qui desyderant uos propter eminentem gratiam dei in uobis. Gratia autem deo super inenarrabili suo munere.

Gratiarũ actio uaria ex beneficentia.

Quod tribus penè uerbis dixerat, Eleemosyna uestra facit ut gratiæ agantur deo, id iam copiosissimis explicat uerbis, recensens id quoq; utilitatis oriri ex eorum beneficentia quod deo eximiæ agantur gratiæ. Theophylactus horum uerborum sensum probe assequutus uidetur. In hũc enim propè modum exponit. Non modo suppletur per uos fratrum egestas, sed etiã abundat, id est ultra quàm satis est. Vel, hoc quoq; nomine exuberat, & præstans est, quod ij quibus uestras subministraftis facultates gratias deo referunt & quidem quàm maximas. Præterea deum laudant propter maximum euangelij apud uos prouentum. Nam ex probatione ministerij, id est ex probata ista administratione siue eleemosyna, facile colligunt quantus sit euangelij apud uos cõsensus & quantum studium. Euangelium namq; eleemosynam impartiri instituit. Et opera beneficentiæ approbant si quis uere ueritatis euangelicæ studiosus sit. Iam & hanc ob caussam deum extollunt, quod simplicitas illa & bonitas uestra non in paucos modo, sed omnes fideles paupertate oppressos diffunditur. Neq; enim hi ut reliqui pauperes liuore inguntur. Accedit præterea quod uestri gratia deum precantur. Egregie quoq; fauent uobis. Desyderant autem uidere uos, non pecuniarum gratia, sed diuinæ gratiæ uobis concessæ præstantia. Cæterum totum hoc negotium claudit pulcherrimo Epiphonemate, Gratia deo super inenarrabili munere suo. Tria autem hic obseruanda sunt. Primum, quod in omnibus gratiæ deo agendæ sunt. Secundũ, quod uelle & agere in omni actione bona ad deum authorem non nostras uires sunt referenda. Tertium, quod Paulus mira arte gratias agit super munere quod nondum acceperat, sed sperabat modo. Hac enim ratione mirũ est quàm urgeat Corinthios. Hæc uero de negotio collationis in pauperes. De qua & alijs in locis disputauimus.

CAP. X.

Cæterum ipse ego Paulus obsecro uos per lenitatem & mansuetudinem Christi qui iuxta faciem quidem humilis sum inter uos, absens tamen audax sum erga uos. Rogo autem uos ne præsens audeam ea fiducia, qua existimor audax fuisse in quosdam, qui putant nos ueluti secundum carnem ambulare.

Paulus tyranni dis insimulatus.

Respondet nunc pseudapostolorum calumnijs, docens se nullibi sua abusum potestate. Iactat præterea donum & ministerium suum quod à domino acceperat. Vt autem in omnibus negotijs ordinẽ sequitur pulcherrimum, ita hic quoq; pulchra ratione primum aduersariorum recenset calumniam, deinde uero respondet. Calumniam autẽ ita recenset ut aliud interim uoluisse uideatur. Incipit enim obtestari Corinthios atq; orare: sed quid oret non edicit nunc, sed quid pseudapostoli faciant & dicant exponit, postea demum explanat quid petat. Videntur certe pseudapostoli Corinthijs pietate præclaris cum stomacho neq; citra nasum obiecisse Pauli nomen. Sic enim per Ironiam sub iecit, Humilis ille inter uos, absens tamen audax. Per Mimesin enim uerba recitauit hostium. Ita ergo deblacterabant. Egregius ille Paulus uester nouit uos blanditijs & turpi seruitute simulataq; benignitate irretire dum apud uos ambiret imperiũ: iam uero cum libera colla uestra sub iugum demisit, nouit imperio & tyrannide uos premere adeoq; opprimere, id quod in mœchi istius enituit supplitio, sed & ex epistolis eius acerrimis &

hoſtilibus colligere licet. Id ſcilicet humilitate ſua ſimulata quæſiuit ueterator ut ueſtri dominaretur. Hic apoſtolus innocentiſſimus memor lenitatis et manſuetudinis Chriſti ad tam atrocem calumniã modeſtius reſpondet et obſecrando diluit. Orat ergo per lenitatem & manſuetudinẽ Chriſti, ita uitam ſuam inſtituant Corinthij ne cogatur preſens, hoc eſt cum ad ipſos uenerit, poteſtate ſua in eos hoc eſt noxios uti audacius, qua iuſte in mœchum uſus erat, non affectum carnis ſequens, ſed iudicium certum. Dicebant enim iſti Paulum omnia ſecundum carnẽ inſtituere & fingula ex affectibus agere. Diſcamus & nos ratione nõ fuore, ueritate non tergiuerſando, manſuetudine nõ clamoribus pugnare in rebus ad religionẽ ſpectantibus. Agnoſcant et illi ſuo uitio fieri q̃d acerbius aliquando increpantur, qui impudentius peccãt. Nemo certè lædit niſi à ſemetipſo. Impij hodie uerbi miniſtros nulla alia cauſſa inſimulant tyrannidis & affectati regni quàm q̃d grauiter audiunt ea accuſari ſcelera fine quibus illi ſe uolupe uiuere nõ poſſe credunt.

Nam in carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Siquidem arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt ſed potentia deo ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur et omnem celſitudinem quæ extollitur aduerſus cognitionẽ dei & captiuam ducimus omnẽ cogitationẽ ad obediendũ Chriſto, et in promptu habemus uindictam aduerſus omnẽ inobedientiã dum impleat̃ ueſtra obedientia.

De poteſtate eccleſiaſtica.

Iam differit de poteſtate eccleſiaſtica ſiue miniſtrorum uerbi & eius ſano uſu, docetq; ſe illa nulla in re abuſum quicquam. Senſus quidem planiſſimus eſt, ſed uerba et ſententia eiuſmodi, ut eam omnes epiſcopi non aureis modo literis ſuis inſcribant muſæis, ſed uiuis quoq; characteribus ipſis inſculpant pectoribus. Eleganter enim & pie optat Eraſmus, Vtinam liceret omnibus epiſcopis maximeq; ijs qui in Pauli locum ſucceſſerunt tam uere ſuoq; iure hanc uſurpare uocem quàm ipſe Paulus uſurpauit, Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed fortia deo nõ ad demolitionem oppidorum arcium ſed impiarum cogitationũ. Hæc ſunt arma hæc bella hæ pugnæ hæc uictoria hi triumphi digni ſucceſſoribus apoſtolorũ. Allegoria utitur apoſtolus à re militari tracta. Adiunctæ ſunt uoces aliquot propriæ quibus ceu clauibus aperitur orationis figura. Pſeudapoſtoli cauſſabantur Paulum eſſe hominem qui et errare poſſet & in errorem abducere. Homo enim eſt, aiebat ille, humani ab ipſo nihil alienum. At nihil homini perinde agnatũ atq; error. Sic hodie audias blaſphemas multorum uoces, Euangelici ſubinde obijciunt nobis, Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum. Qui uero fuerunt apoſtoli, an nõ & ipſi homines? Quid ergo ſcriptis illorum adhæremus ut infallibilibus cum homines fuiſſe conſtat? Reſpondet Apoſtolus, Infitias ire nõ poſſum, homo ſum, carne mortali circundatus. Nam in meliorem partem uſurpat hoc loco id quod ad Rom. 8. uſurpauit durius cum dixit, Qui in carne ſunt deo placere non poſſunt. Ad Philip. 1. cap. eadem loquendi formula pari ratione qua hic uſus eſt, cum dixit, Manere in carne magis neceſſarium eſt propter uos, id eſt cum mecum reputo quid ueſtris expediat commodis, uideo neceſſariũ eſſe ut adhuc uiuus et ſuperſtes maneam in hac uita. Proinde cum Paulus hoc loco ait, Nam in carne ambulantes nõ ſecundum carnem militamus: hoc dicit, Quanquam homines ſumus, negotium tamen quod agimus minime humanũ eſt, ſed diuinum. Sic & apoſtolus Petrus de prophetis teſtatus eſt, quod ſpiritus Chriſti fuerit in ipſis, quibus & euangelium reuelatum ſit, quod non ſibijpſis ſed nobis miniſtrarent. Et iterum, Non uoluntate hominis allata eſt olim prophetia, ſed à ſpiritu ſancto impulſi loquuti ſunt ſancti dei homines. Doctrina ergo prophetarum & apoſtolorũ dei eſt non hominũ. Deus enim prophetis atq; apoſtolis uſus eſt ut organis. Vnde et Paulũ nuncupauit uas electionis, id eſt, hominem inſignẽ & inſtrumentũ delectiſſimum. Modulatio quidem tibiæ eſt, niſi aũt operam ſuam conferret tibicen tibia uocem nõ æderet, adeo ut nunc modulatio in uniuerſum ſit tibicinis nõ tibiæ, quanq̃ uox ſine tibia nõ fiat. Et prædicatio quidẽ ueritatis ſolius dei eſt, ſed fit ea per apoſtolos, at ita ut dei in uniuerſum ſit uerbũ prophetæ. Hinc toties in pphetis audimus, Hæc dicit dominus, Quia os domini

Diuerſum hodie uidere eſt.

Licet apoſtoli homines ſint, doctrina tamen eorum non eſt humana.

1. Pet. 1.

2. Pet. 1.

loquutum

loquutum est &c. Militia ergo prædicandi functio est. Duces huius militiæ apostoli & uiri apostolici sunt. Arma doctrina ueritatis. Pulchre enim Ambr. Arma spiritualia inquit fides est incorruptæ prædicationis. Per hæc uincit deus principes & potestates, qs constat ut sibi usurpent imperium extolli contra fidem Christi, cogitationibus hominum se inferentes ut auocent eos à dei dominio, quas cogitationes destruit ueritas fidei. Militia enim hæc spiritualis est, proinde arma nõ sunt humano more ferro aut chalybe ualida, sed dei afflatu & uirtute. His inquit demolimur munitiones, hoc est cõsilia & omnem celsitudinem quæ extollitur aduersus cognitionem dei. Perstat enim adhuc in metaphora alludens ad militiã. Ambro. Munitiones, inquit, principes dicit & potestates & spiritalia nequitiæ qui se extollunt, & armant infideliũ animos ad contradicendũ Christo, contra quos pugnat dei lex, dissipans consilia eorum. Sic & Theophylactus, per munitiones & consilia intelligit Gentilium syllogismos & captiones quibus ueritatem impugnant. Breuiter, omnis hic intelligenda est impietas & quicquid aduersatur scripturæ sanctæ, cuiusmodi sunt errores, scelera, proditiones, idololatria, adulteria, rapinæ, cædes, furta, stupra, incestus, ambitio, tyrannis, usura, & si quæ alia sunt huius generis. Prę terea addit, Neque deĳcimus modo sed & subigimus & captiuam ducimus omnem humanam cogitationem, ut posthac obediat Christo cui prius rebellis erat. Captiuum enim ducere nihil aliud est quàm ueritate ereptum ex mendatio in officio retinere. Et de seruitute hac sancta pluribus egit idem apostolus ad Romanos 6. Id uero in primis obseruandum uidetur omnibus uerbi dei ministris quod primo quidem demoliendum est omne id quod aduersus cognitionem dei extollitur, deinde uero mentes hominum capiendæ non ad lucrum priuatum aut ut dominemur captis, sed ad obediendum Christo. Quidam tantum demoliuntur. Alĳ capere uolunt priusquã uicerint hostẽ. Alĳ non urgent uictum nec capiunt. Dominus certe ad Ieremiam sic locutus est, Feci te hodie ut uisites super Gentes et super regna, ut euellas & cõfringas, perdas & demoliaris, ædifices & plantes. Et paulò post, Et tu accinge lumbos tuos & surge & loquere ad eos oĩa quæ mando tibi, ne timeas à facie eorũ, ne forte te timere faciam coram eis. Et ego ecce posuĩ te hodie in ciuitatem munitam & in columnã ferream & in murũ æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, sacerdotibus eius & populo terræ, Et pugnabunt contra te et non præualebunt tibi: quia ego tecum, dicit dominus ut liberem te. Ad hæc uero uerba Paulus uel allusit, uel sua ex ĳs mutuauit. Proinde potestas ecclesiastica siue uerbi ministeriũ tantæ est uirtutis & ita est institutũ à domino ut nulli parcat mortaliũ, confringat omnia iniqua, diruat impia, parcat nemini nisi cui deus parci uoluit. Sequitur enim hic quod paulò est asperius, Quod si quis obstinate rebellet habemus et uindictam in promptu. Iam ut arma nõ sunt carnalia ita nec uindicta est carnalis, sed spiritualis & ỹbi dei. Neq; illa in eos quàm inobedientes deo & uerbo eius exerceri debet. Neq; uicissim ea cessare donec obedientia iusta impleatur. Atq; hæc quoq; nec alia est clauium potestas. Quid enim aliud sunt claues quàm uerbi dei prędicatio? Fortes ergo simus fratres & symmistæ chariss. Non deerit nobis dominus modo ipsi nobis ipsis nõ desimus. Potestas illa erepta nobis hactenus Roma. Pont. improbitate, constantia & uirtute nostra imò nõ nostra sed dei potest restitui, si officio nõ defuerimus nostro, si curauerimus nosipsos probatos exhibere deo, operarios nõ erubescendos recte secantes uerbum ueritatis. Consulatur cap. Malachiæ 2. Hisce uero demonstrauit Paulus qd nil iniuriæ intulerit correctione Corinthĳs, sed pro officio suo fecerit quod æquum & iustũ suaserit. *Clauiũ potestas*

Quæ in cõspectu sunt uidetis? Si quis de seipso confidit quod Christi sit, illud rursum perpendat ex seipso quod quemadmodũ ipse Christi est, ita & nos Christi sumus.

Apostrophe est ad Corinthios acerba admodum. Quasi dicat, An uero æquum est ut ex rebus modo præsentibus iudicetis, hoc est ut proxima quæq; arripiatis & in alterutram declinetis partem altera nondum audita? Pseudapostoli ampullis uerborum strepitu & præsentia sua plurimum apud uos ualent, ideo mei et meorum sermonum obliti

ad proxima quæq; oculis ſcilicet ueſtris ſubiecta obſtupeſcitis ſtulti admiratores. Verum obiiciebant illi, Chriſti diſcipuli ſunt qui nunc nobis prædicant. Reſpondet apoſtolus, Id ſi tantum apud uos ualet, ſum & ego Chriſti diſcipulus. Atq; ad hunc modum expoſuit et Theophylactus dicens, Iactabant falſi apoſtoli Chriſti ſe ſectatores eſſe, eumq; forſan & propriis oculis aſpexiſſe: hic autem Paulus dicit nihil plus illos quàm ſe aſſequtum. Omnibus enim par eſt clauium tradita poteſtas, idem talentum omnium, ſed aliis quidem id duplicatum, aliis uero triplicatum, & excellunt alii alios in munere & præſtantia gratiæ. Plus enim, alibi ait Apoſtolus, laboraui quàm cæteri omnes, at non ego ſed gratia dei quæ mihi data eſt.

Nam ſi & amplius quippiam glorier de poteſtate noſtra, quam dedit dominus nobis in ædificationem & non in deſtructionem ueſtri, non pudefiam, ne uidear ceu perterrefacere uos per epiſtolas.

Poteſtas data ad ædificationem nõ deſtructionem.

Hæc pertinent ad confirmationem ſuperiorum. Dixerat enim & ſe eſſe Chriſti diſcipulum, iam addit probationem, Id uero approbare poſſem ſi cordi eſſet iſtorum more uocibus gloriоſis omnium animos onerare. Si enim ἢ περισσότερον & amplius, id eſt ampliſſime (eſt enim graduum enallage) glorier de poteſtate noſtra, non opinor pudefiam. Iam ne quis illa uerba calumniaretur, intertexit, Quam dedit dominus nobis in ædificationem & non in deſtructionem ueſtri. Dominus inquit poteſtatem dedit mihi, nihil ipſe mihi priuata authoritate uindico. Et modus eſt & certus finis huius poteſtatis. Nolo enim quiſquam putet poteſtatem nocendi mihi datam à domino, ſed benefaciendi et promouendi pietatem quocunq; modo. Quibus uerbis tectius quidem pſeudapoſtolorum notauit corripuitq; ſtudium, quo nõ tam ſuas quàm eccleſiæ res agebant. At dixerit hic aliquis, Si poteſtatem in ædificationẽ non in deſtructionẽ accepiſti Paule, cur ergo minitaris, cur mœchum Sathanæ tradis? Huic forſan reſponderit Paulus, Fateor equidem hanc me in primis ad ædificationẽ accepiſſe poteſtatem, uerum ſi quis inſanabili morbo laboret ad perniciem profecto demolitione utendum. Vrit & ſecat medicus aliquoties & membrum integrum deperdit, ſed in hunc finem omnia ut ſanet & ſeruet. Mœchum ſanè tradidit Sathanæ, ſed ad interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini Ieſu. Alibi ergo ſignificantius dixit, Inſta tempeſtiue intempeſtiue argue increpa exhortare cũ omni lenitate & doctrina. Hic uero locus aureus certe iis annotandus eſt qui ſummi pontificis authoritatem ſumma impudentia & impietate adeò extollunt ut aſſeuerent uni homini nequam uniuerſum eccleſiæ corpus debere cedere, atq; adeò ut ſi animas omnes deduceret ad inferos non fore ius illi reſiſtendi. Proh ſcelus & propudium nephandiſſimũ. Paulus ipſam authoritatem ſuam non à Petro ſed Chriſto ipſo acceperat, & tamẽ ingenue fatetur hoc quicquid eſt poteſtatis in hoc datũ ut proſit non ut lædat. Atqui nunc tanta tribuitur ab impiis hominibus turpiſſimo nonnunquã nebuloni poteſtas. Cæterum liber Actuum apoſtolorum hiſce uerbis poteſtatem Paulo datam deſcribit, Et dixit Ananias, Deus patrum noſtrorum præparauit te, ut cognoſceres uoluntatem ſuam et uideres quod iuſtum eſt & audires uocẽ ex ore eius. In hoc enim apparuit tibi Ieſus ut conſtitueret te miniſtrum ac teſtem eorum quæ audiſti & uidiſti & eorum in quibus apparebit tibi, eripiens te à populo et gentibus in quas nunc te mittit, ut aperias oculos eorum ut conuertantur à tenebris ad lucem & à poteſtate ſathanæ ad deum ut accipiant remiſſionem peccatorum & ſortem cum iis qui ſanctificati ſunt per fidem in Chriſtum. Quid uero aliud hiſce traditum eſt uerbis quàm quod hiſce euangelii uerbis expoſitum legimus, Quorumcunq; remiſeritis peccata remittentur, & quorum retinueritis retenta erunt? Hæc ergo eſt clauiũ poteſtas. Quod ſequitur, ne uidear ceu perterrefacere uos, hunc ſenſum habet, Nolo in immenſum epiſtola gloriari, ne q̃d mihi impingunt uidear minacibus territare epiſtolis. Sic autẽ tranſitum facit ad diluendam aliam calumniã, quæ tamen eiuſdem generis eſt cum ea de qua nunc diſputauimus.

O perfidiam.

In 26. cap. hæc ab ipſo domino recitantur.

Nam epiſtolæ quidem, inquit, graues ſunt & robuſtæ, at præſentia corporis infirma & ſermo cõtemptus. Hoc reputet qui iſtiuſmodi eſt, quod

quod quales ſumus ſermone per epiſtolas cum abſumus, tales ſumus & cum adſumus, facto.

Paulus eſt ſui ſimilis.

Ipſe aduerſariorum recenſet obiectionem cui protinus ſubiungit reſponſionẽ. Sensus uerborum hic eſt. Eſt inter uos aliquis quem honoris gratia nondum nomino, is dicit, Paulus epiſtolas mittit arrogantes & potentes. Cæterum cum adeſt ipſe iam ſui diſſimilis & corpore uidetur imbecilli quod nihil præ ſe ferat maieſtatis, & oratio contemptibilis non refert eam authoritatem qua tonant & fulminant epiſtolæ. Cæterum falluntur ait qui hoc ſibi de me perſuadent. Talis enim ſum facto præſens qualis ſum ſcripto abſens. Porrò hæc commendant nobis robur animi & conſtantiam, hoc eſt ut in rebus ſanctis & bonis nobis perpetuo ſimiles ſimus. Cæterum ſi apoſtoli ſemper fuerunt ſui ſimiles, profecto traditionibus uiuis non tradiderunt eccleſijs quod ipſorum repugnat & aduerſum eſt epiſtolis. Ex epiſtolis ergo apoſtolicis certius petieris teſtimonium, quàm ſi traditionem allegaris apoſtolorum. Non enim aliud tradere & aliud ſcribere potuerunt. Et uerbis oſtentare quod re præſtare non auſis, pſeudapoſtolorum erat non Pauli: quocirca ſubdit.

Non enim ſuſtinemus inſerere aut conferre nosipſos cum quibuſdam qui ſeipſos commendant. Sed iſti non intelligunt quod ipſi inter ſeſe ſeipſos metiuntur & comparant ſemet ſibi.

Pertinent etiam hæc ad ſuperiora: pulchre enim regerit in pſeudapoſtolos quod falſo impingebant apoſtolo. Puderet me inquit in iſtorum eſſe albo. Tum autem eſſem in iſtorum albo cum hoc facerem quod iſti me facere fingunt, iactare uerbis ampullofis abſentem, præſentem eſſe contemptibilem. Hoc enim illi re uera ſunt quando ipſorum gloria tam tenuis eſt ut ipſi ſeipſos cõmendent. Id quod ignauorum proprie eſt. Quod autem hoc non uident inq; rebus ſuis occæcati ſunt, fit quod ſeſe ſibijpſis comparant. Hoc qui faciunt turpiter ſibi non blandiũtur modo, ſed imponunt quoq;. Qui cordatus & prudens eſt comfert ſe cum præſtantioribus, ne qua nimium efferatur & ſemper in alijs diſcat quo fiat melior.

At nos non in immenſum gloriabimur, uerum iuxta menſuram regulæ qua partitus eſt nobis deus menſura pertingendi etiam uſque ad uos. Non enim quaſi non pertingamus uſque ad uos extendimus nos ipſos ſupra modum. Nam uſq; ad uos quoq; peruenimus in euangelio Chriſti non in immenſum gloriantes ſuper alienis laboribus.

Paulus non fuit nimius in recitandis ſuis laudibus.

Verba paulò obſcuriora ſunt licet copioſius diducantur, ſenſus ſtrictior eſt, Pſeudapoſtoli impingebãt Paulo arrogantiam & quod iactaret res ſuas nimium, hoc eſt quod in immenſum gloriaretur. Illis paucula hæc oponit. Is arrogans eſt & in immenſum gloriatur qui excedit metas quas ſibi præſcripſit deus, hoc eſt, qui in immenſum gloriatur ſuper alienis laboribus. Atqui ego non prætergreſſus ſum limites glorię quos mihi præſcripſit deus. Gloriari ſoleo de uobis & ueſtra fide. Atqui dominus per miniſterium meum à tenebris uos ad lucem conuertit. Non ergo quaſi non pertingamus uſq; ad uos extendimus nosipſos ſupra modum. Interim occulte arrogantiam & nimium gloriandi ſtudium reijcit in pſeudapoſtolos. Hi enim in immenſum gloriabãtur ultra menſuram regulæ. Ingreſſi enim in labores Pauli metebant quod ille ſeminarat, hoc eſt id laudis ſibi uendicabant quod debebatur Paulo. Hic enim Corinthum primus ad fidem Chriſti conuerterat, non ſcioli illi arrogantes qui contempto Paulo magno ſe uenditabant. Regulam ergo hic uocat menſurã & limitem ſiue terminum, metaphora ſumpta à regulis fabrorum. Gloriantur & principes ſe longius prorogaſſe ditionis ſuæ terminos. Gloriatur ergo & apoſtolus quod principis ſui Chriſti regnum propagarit adiecta & Corintho. Hic inquit modum & regulam non exceſſimus cum de ueſtra fide gloriati ſumus. Subdit enim quod allegoricum ſermonem aperiat, Nam uſq; ad uos quoq; peruenimus in euangelio Chriſti &c. Docent autem hæc modeſtiam in re qualibet eſſe ſeruan-

dam, et turpissimum esse si quis arrogantius in laboribus alienis iactando grassetur. Desyderatur hodie illa modestia in omnis generis hominibus, in eruditis autē & qui loco saltem eruditorum haberi uolunt præcipue. Atqui æquum erat ut quisq; secum habitaret & alteri eam non inuideret gloriam quam dedit dominus. At qui agnoscit se à domino accepisse quod glorietur, & ipse modeste gloriatur nunquam nō animo uoluens quod apostolus breuiter sed accute dixit, Quid habes quod non accepisti? Porrò si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?

Sperantes futurum ut suboleſcente fide uestra in uobis magnificemur iuxta regulam nostram in exuberantiam, ut ijs quoq; regionibus quæ ultra uos sunt euangelisem nō per alienam regulam, ut de his quæ parata sunt gloriemur.

Auctario quodam absoluit sententiam: quasi dicat, Tantū abest ut gloriando excesserim modum ut magis sperem gloriam meam propediem latius fore propagandam. Significantius autem D. Pauli uerba sic legas, Spem habentes, fore ut augescente fide uestra, in uobis amplier iuxta regulam nostram in abundantiam ad euangelisandū ea quæ ultra uos sunt, nō ut in aliena regula in his quæ parata sunt gloriemur. Significat enim se sperare futurū ut indies crescente fide Corinthiorum crescat & ipse ac maior maiorq; reddatur, adeò ut iam prædicatio sua longius porrigatur etiam ad eos qui ultra Corinthios sunt, idq; iuxta suam regulam nō alienam, hoc est suo Marte, ne uideatur gloriari de ijs, quæ iam parata sunt & ab alijs laborata, quemadmodum faciebant pseudapostoli.

Sed qui gloriatur in domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed his quem dominus commendat.

In domino gloriandum.

Abrumpit iam hunc sermonem & ait, Verum omissis his solius dei gloriam omnes quæramus, cuius negotiū agimus. Dei nomine glorietur qui gloriari uult. Quam sententiam & in prima ad Corinth. 1. cap. posuit. Præterea sententiam addit generalem, qua docet eum modo probatum esse, quem deus ac sancta uirtus probat, non qui propriæ laudis buccinator sese extollit. Legimus & Prouerb. 27. cap. Laudet te alienus & non os tuum, extraneus & non labia tua.

CAP. XI.

Contra inanem gloriationem.

Vtinā toleraſſetis me pauliſper in inſipientia mea, imò et ſuffertis me.

Totus nunc erit in ebuccinandis suis laudibus, nō ut uulgi more glorietur, sed ut authoritatem nominis sui iustam contra pseudapostolorum calumnias asserat. Actum est de doctrina propemodū cum doctoris labefactatur authoritas. Nihil ergo hic agit Apostolus propter gloriam suam priuatam & humanam, sed in his quoq; quærit gloriam dei, dum propter uerbum ueritatis integram cupit esse gloriam famamq; suam. Cupit ergo se & nomen suum pectoribus infinuatum Corinthiorum, sed nō suo quinimo ueritatis nomine, & ne pseudapostoli corda ipsorum occupent ad detrimentum ueritatis. Nemo ergo hinc rapiat gloriandi ansam & iactantiam uanam hoc prætextu uestiendi. Id enim uitij uel apud ethnicos nunquam non male audijt. Extat apud Martialem epigramma in Attalum quendam hominem uanissimum quod in gratiam ardelionum in commentarios nostros in hoc retuli ut uideant homines nihili quid de gloriosis Thrasonibus uel ethnici iudicarint. Est autem epigramma eiusmodi,

Declamas belle, causſas agis Attale belle,
Historias bellas, carmina bella facis,
Componis belle mimos, epigrammata belle,
Bellus grammaticus, bellus es astrologus,
Et belle cantas & saltas Attale belle,
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ:
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle,
Vis dicam quis sis? magnus es ardelio.

Fœdum ergo pudendumq; uitium est uana iactantia, aliena prorsus à uiris prudentibus

bus, tantum ābeſt ut eo uitio pudendo corruptus fuerit D. Apoſtolus Paulus. Vtitur hic exordiolo. Nō inquit mihi tempero quin aliquid de me prædicem magnificentius, cęterum à uobis impetratas uellem paulò patientiores aures. Scio enim inſipientiæ dari ſi quis præco ſit laudis propriæ. Addit protinus ſubiectionem, Imò & ſuffertis me, id eſt, non dubito quin laturi imò bene conſulturi ſitis hæc quæ nunc ſubijcio, maxime cum præſtantes ac graues cauſſæ ſint quæ illa extorquent.

Nam zelotypus ſum erga uos dei zelo. Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginē caſtam exhiberetis Chriſto, ſed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum ſerpens Euam decepit uerſutia ſua ita corrumpantur ſenſus ueſtri à ſimplicitate quæ erat erga Chriſtum.

Zelus ſanctorū epiſcoporum erga eccleſias ſuas.

Hæc enim præmittit laudibus ſuis ut ſibi demereatur Corinthios & arctius obſtringat. Cauſſas enim honeſtas recenſet cur cupiat ſe ſolum ſuſpici & amari apud Corinthios. Zelus inquit in culpa eſt, adeoq; dei zelus, zelus inquam iuſtus & bonus. Nō ambio honores, nō amo ut deplumem, ſed nihil non metuo, imò miſere timeo, ne temere ſeducamini. Per zelum enim intellexit amorem propemodū moroſum & impatientē, qui omnino alium non admittit amatorē nec ullo modo ferre poteſt. Eraſmus, ut uim uocis explicaret, Zelotypia uſus eſt, dicens: Nam Zelotypus ſum erga uos. Zelotypiam Cicero in 4. Tuſcula. quæſt. ægritudinem uoluit eſſe ex eo quod alter quoq; potiatur eo quod ille ipſe concupiuerit. Ita ipſe deus zelotes & zelotypus dicitur, quod ſolus adorari & coli uelit ex toto animo & fortitudine tota, nolitq; cultorem illum, qui aliū amauerit quàm deum uerum. Et Paulus non ſibi erat zelotypus ſed Chriſto domino. Id quod omnibus uerbi miniſtris diligenter obſeruandū cenſeo, ut diſcant etiā ipſi eſſe zelotypi & nomine Chriſti erga Chriſti ſponſam eccleſiā zelo bono ardere. Sequitur enim, ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ deſpondi adiunxi ſiue adaptaui uos uni uiro. Nam ἁρμόζω Græcis proprie eſt apte & concinne applico uelut ea quæ glutino & ferrumine committuntur. Metaphoram uero traxit à pronubis, qui uirginem aliquam ſponſo copulant. Senſus autē eſt, Hoc nomine zelotypus ſum erga uos quod in Chriſtiana fide uos rite inſtitui, & metuo ne qua à recepta fide excidatis ſupplantati quorundam uerſutia, eorum uidelicet qui me ſuggillant, quibus uos credere & mei cœpiſtis obliuiſci. Atq; hic eſt ſimplex uerborū ſenſus, interim omnia inſtructiſſima & affabre picturata ſunt, quæ orationi non modicam addunt gratiam & lectori conferunt utilitatem maximā. Adiunxi inquit uos uni uiro. Quemadmodum uero glutino ita coniunguntur aſſeres ut eos nulla uis neq; ferri neq; ignis dirimat niſi ex integro cōminuantur abſumanturq; : ita nullum quantumuis grande periculū à Chriſto diſiunxerit quos ſpiritus ſancti & uerbi dei glutinum Chriſto affixit. Vni autē uiro dixit, quod & ipſe Chriſtus ſit zelotypus qui unus & ſolus à fideli anima diligi cupit. Huc pertinet quod ſequitur, Vt uirginem caſtam exhiberetis Chriſto. Incorrupta enim uereq; fidelis anima recte cōparatur uirgini incorruptæ. Hoc enim fecit et Ezechiel in cap. 16. Exhibent autem ſe uirgines caſtas Chriſto, qui incorrupta fide ſecundū doctrinam ueritatis indiuulſe Chriſto hærent & hunc innocenti uita colunt, creaturas omnes contemnunt, mundum ipſum abnegant, carnem item cum concupiſcentijs ſuis crucifigunt & in uno Chriſto omne gaudium & præſidium collocant, & quemadmodum ſponſa neminem niſi ſponſum audit & huic ſoli pudorem ſuum illibatum cuſtodit, ſic hi nullius niſi paſtoris uocem agnoſcunt & corda ſua illibata ſeruant quæ uni Chriſto conſecrarūt. Poſterioris collationis partem probè explicans Paraphraſtes, Sed metuo ait, ne qua fiat ut quemadmodū olim ſerpentis aſtutia ſimplicem Euæ mentē corrupit, uitiata puritate, in qua fuerat condita, ita per pſeudapoſtolorum uerſutiam, ueſtra quoq; ſimplicitas corrumpatur, ac degeneretis ab illa puritate qua hactenus eſtis uſi erga ſponſum Chriſtum Ieſum qui purus puris uobis per nos eſt traditus. Paradigma quod adducit extat Gen. 3. Verſutiæ oppoſuit ſimplicitatē. Simplicitas uera ipſa fides eſt nō contaminata doctrinis humanis aut uerſutijs. De quibus & apoſtolus ad Epheſ. 4. Error enim uerſutia ſe defendit, ueritas uero ſimplicitate

A Chriſto abducebant ad legalia.

gaudet. Theophy. ſerpenti conferens pſeudapoſtolos ait, Serpens ingentia pollicendo Euam decepit: & pſeudapoſtoli mendaces ac iactabundi permagna ediſſerũt ut ſua uerſutia ueſtram circumueniant ſimplicitatem. Cauendum ergo nobis hodie quoq; ne ſeducamur ab illis qui uni Chriſto non omnia tribuunt, ſed ſimul ſtulta & ſuperſtitioſa legalibusq; longe inferiora hominum inuenta prædicant per quæ ad ſalutẽ patere uiam mentiuntur, at ea uerſutia ut neſcias uerum an falſum dicant, adeoq; iures nonunquam uera illos dicere, tam inſtructam habent ad mentiendum ſuppellectilem. Quin etiam uanitas homini agnata libentius ijs aſſentitur quæ uel à fabulis re uera parum diſtant, uel ueri ſpeciem habere uidentur, auro & ſplendore lucent Perſico, & ex carne enata infirmitatem carnis referunt. Hinc enim factum ut paucis annis adeò creuerint & miſſarum & monaſteriorũ fundationes, cum hodie uix ſummis laboribus quicquam quod ueram religionem deceat impetrare poſſimus. Verum id futurum præuidens dominus apud Ioannem dixit, Si de mundo fuiſſetis mundus quod ſuum eſt diligeret. Quia uero de mundo non eſtis ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Qui autem ueri dei filij ſunt incoruptam uirginem ſe Chriſto exhibent in ſimplicitate ſua perſeuerant. Vani auditores uerbi dominici per hæreticorum uerſutiam ſupplantantur. Poſthabita enim ſimplicitate periculum amant & in periculo pereunt.

Nam ſi is qui uenit alium Ieſum prædicat, quem nõ prædicauimus, aut ſi ſpiritum alium accipitis, quem non accepiſtis, aut euangeliũ aliud quod non accepiſtis, rectè ſuſtinuiſſetis.

Hactenus cauſſam reddidit cur Corinthiorũ animos ſibi ſoli addictos cupiat, quod ſcilicet Chriſti nomine ſit zelotypus & metuat ne uerſutia pſeudapoſtolorũ peruertantur. Huc pertinet & illud quod hic ſequitur. Senſus enim eſt. Nõ eſt quod alijs nouisq; poſt me doctoribus utamini. Merito quidẽ aſciſceretis uobis alios apoſtolos ſi illi alium uobis Chriſtum & aliud prædicare poſſent euangeliũ, nunc uero (ſic enim incommodum orationis imperfectæ ſarciendũ) cum aliud nihil prædicare poſſint, modo uerum dicere uelint quàm q̃d nos hactenus multo uiuidius & purius tradidimus uobis, quid eſt quod nobis propemodum faſtiditis illorũ præferatis inſolentiam? Hoc enim longe certiſſimum eſt, quod illi apoſtoli ueſtri aut hoc ipſum prædicant quod nos prædicauimus, aut diuerſum. Si idem prædicant cur nos contemnimur? cur illi ſeſe nobis præferunt? Si diuerſum prædicant, profecto impoſtores & nebulones ſunt: cur ergo fidem datis impoſtoribus fidelem doctorem contemnitis? Non eſt aliud euangeliũ quàm q̃d uobis prædicauimus. Alius Chriſtus & ſpiritus dei nullus quàm quẽ docuimus & quẽ accepiſtis. Proinde ſi quis uobis prædicauerit euangeliũ præter id quod accepiſtis anathema ſit. Euidens eſt hic locus contra Pontificios qui hoc nomine aſſerunt nõ omnia nobis quæ ſalutis ſunt tradita eſſe ab apoſtolis, ut perſuaſis & hac impietate irretitis hominibus facilius imponant figmentis ſuis, quæ apoſtolicarum traditionũ titulo dignantur & exornant. Væh impoſtoribus nequam. Vnũ eſt euangeliũ, unus Chriſtus dominus, unus ſpiritus arrabo fidelium. Et apoſtoli Chriſti plene optimaq; fide non uerbis modo uiuis ſed ſcriptis quoq; ut teſtibus locupletiſſimis totum religionis & uitæ negotium expoſuerunt. Cum quibus pugnant quæ à pontificibus adiecta ſunt de primatu Romani pontificis, de indulgentijs, ſimulachris habendis, de reliquijs & uenerationeſanctorum, de Miſſis pro expiatione mortuorum, de confeſſione & ſatisfactionibus, de ingreſſu religionis & monachatu, de cœlibatu presbyterorũ, de cultu templorũ & ceremoniarum obſeruatione. Quis autem enumeret ſuperſtitionũ genera ſingula, cum tota fermè papiſtica religio parum à ſuperſtitione gentilitia differat, imò euangelium Chriſti & epiſtolæ apoſtolorũ iſtarum rerum nihil agnoſcant quæ iſti inter potiſſima habent? Euolue noui teſtamenti libros, & uerũ dixiſſe iurabis. Nihil nos retinet in hac religione papiſtica imò in hiſce ſordibus humanis quàm finiſtra opinio, ignorantia ueri & timor mundi, nec minimas hic partes habet aſuetudo. Perſuaſimus nobis honeſta & bona eſſe quæ ueluti per manus accepimus à maioribus. Sed fallimur, honeſta & bona ſunt quæ

Vnum modo euangelium quod abſolute tradiderunt eccleſijs apoſtoli.

à prophe-

à prophetis apostolis & Christo prophetarũ & apostolorum domino didicimus. Horum quæso instituta inuestigemus & teneamus. In his est uita & uerus dei cultus. In illis stultitia perditio & deo exosa superstitio.

Arbitror enim me nihilo inferiorem fuisse eximijs apostolis. Cæterum licet imperitus sim sermone, non tamen scientia. Verum ubiq; manifesti fuimus in omnibus erga uos.

Paulus nihilo inferior apostolis cæteris.

Hic tandem ad institutam laudem suam descendit, ut tamen sensum uerborum ex superioribus deducat. Dixerat Corinthios nõ habere caussam cur alios sibi post Paulum doctores asciscerent, quod plene omnia ipsis tradiderit, quæ ad absolutam religionem & uitam consequendam pertineant: iam ne quis obijceret Petrum Iacobũ uel Ioannem maiores Paulo apostolos. Illorũ enim discipulos esse fingebant qui Corinthiorũ subuertebant fidem. Illorum inquam cõmentum erat apostolo apostolum esse præstantiorem & maiorem. Veritas enim nullum nouit discrimen inter apostolos, nisi quantũ ipsa gratiæ & donorum quantitas alterum altero celebriorem facit: respondet & ait, Quod si quis mihi ipsos domini apostolos primarios obijciat, is sciat me nihilo inferiorem esse eximijs apostolis. Id uero nemo credat dictum in præiudiciũ & contumeliam aliorum apostolorum, sed in calumnias pseudapostolorum, qui multa de apostolis domini iactabant, quos neq; uiderant neq; audierant. Aliàs Paulo cum cæteris apostolis & his cum illo optime conuenisse testantur Acta apostolorum cap. 15. item cap. ad Galat. 2. & ult. cap. posterioris epistolæ Petri. Iam & serio in 1. ad Corinth. 15. cap. Copiosius inquit quàm omnes laboraui, nõ ego tamen sed gratia dei quæ mihi adest. Quæ tamen & ipsa in præiudicium aliorum apostolorũ dicta non sunt. Quod enim Moses in omni domo dei fidelissimus seruus plus cæteris laborauit prophetis, inde non est quod quis credat Isaiæ Ieremiæ Danielis Zachariæ & aliorũ prophetarum gloriam esse nullam. Quilibet enim iuxta gratiam sibi datã munere & laude excellit, ut interim alterius gloria quæ minor est nõ obscuretur. Nam ut nemo sanctorum dei donis effertur & alios contemnit, sic nemo piorũ gratiam dei alij copiosius datam inuidet. Purgatis ergo mentibus hæc Pauli uerba excutienda sunt. Neq; Paulus hoc loco se cæteris præfert, sed æquat modo quodam. Si inquit labor diligentia fides constantia afflictio deniq; & fructus euangelij spectetur, nõ arbitror me præcipuis apostolorum fuisse inferiorem. Modestissimũ sanè loquendi genus est. Non dixit superiorem, neq; parem, sed non inferiorem. Discamus & nos modeste loqui de rebus nostris etiã excellentibus. Pseudapostoli sermone comptiores uenditabant sese uerborũ phaleris. Paulus ergo licet inquit sermone sim imperitus non tamen scientia. Id est nil mihi deest in cognitione rerũ in quibus uersatur uera pietas, iam si illas non potuero compto dicendi genere pronunciare attamen pronunciare possum ut me intelligant quibus loquor. Laurentius Valla merito hic illos ridet qui ex hoc loco colligunt Paulum impeditæ fuisse linguæ. Et hic patrocinium quærunt insciticæ & barbariei. Et D. Augustinus asserit hæc uerba nõ esse palàm fatentis sed concedentis ac donantis: ueluti si dicas, Fac me esse imperitũ sermone, certè non sum imperitus scientia. Isti absolute exponunt, quasi fassus sit se sermone imperitũ esse. Sed quod Apostolus hic adijcit, id nos quoq; opponimus stolidis & barbaris hominibus, Verum ubiq; manifesti fuimus in omnibus erga uos. Hoc est, non opus est multis me apud uos iactare, nostis uos qd possim scientia & eruditione, sermone atq; prolocutione, scripta & opera nostra quæ toti mundo manifesta sunt testant qualis sim aut quid possim. Oibus eñ officijs apostolicis declarauimus uim in nobis agentis dei. Eusebius Cæsarienfis epi scopus uir in literis sanctis et prophanis laudatissimus, Paulo quoq; sermonis insignem tribuit peritiam. At de sermonis uel Græcanici (Græcus enim erat) elegantia dextre potuit iudicare. Verba eius hæc sunt, Deniq; Paulus qui inter omnes apostolos eruditior etiã in uerbis uidetur & in sensibus præpotens, nõ amplius quàm paruũ epistolarũ suarum corpus reliquit, qui utiq; immensa contineret intra se atq; innumera sacramenta, utpote qui etiã usq; ad tertiũ cœlũ raptus, quę gererent inspexerat et in ipsum quoq; deo

Eruditio Pauli.

dignum paradysum abductus audierat ibi ineffabilia uerba & doctrinā (quæcūq; inibi illa est) siue corporeus siue incorporeus illius interim scholæ discipulus effectus exceperat. Hactenus Eusebij rerba retulimus lib. eccle. hist. 3. cap. 24. Et D. August. lib. de doctri. Christ. 4. cap. 7. ex præsenti Pauli cap. docet Paulo iustam nō defuisse eloquentiam. Verum illa non est usus ad ostentationem, neq; gloriam in hac humanam quæsiuit, ut nunc multi solent. Noluit enim sæcularibus studijs & philosophia mundana obturbare limpidissimum ueritatis fontem. Scientiam ergo iactat, periciam sermonis non item, quod eloquentia sine scientia nocentissima sit.

Num illud peccaui quod meipsum humiliarim ut uos exaltaremini? quod gratuito uobis prædicarim euangeliū dei? Cæteras ecclesias depredatus sum accepto ab illis stipendio, quo uobis inseruirem. Et cum apud uos essem & egerem, nō onerosus fui cuiquam. Nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui uenerant è Macedonia, & in omnibus sic me seruabam, ne cui essem onerosus, atq; ita seruabo.

Paulus ecclesiæ dei nō fuit onerosus.

Dicit se abstinuisse à iure suo. Cum enim accipere potuisset stipendium ab ecclesijs propter uerbi ministerium, id tamen renuit, qua in re longe excelluit omnes alios apostolos. Cum uero id quàm simplicissime potuisset efferre maluit uti ironia increpatoria: quasi dicat, Nunquam fastu meo uos oppressi, semper me humiliaui & ad infima quæq; deieci, certè ut exaltaremini uos: præterea nunquam oneraui uos sumptu, cum onerare potuissem: hinc nimirum mihi conflata est inuidia apud uos unde potius mei studium & amor in uobis excitandus erat. Ea scilicet condigna merces est qua uobis uidebantur nostra beneficia esse recompensanda. Iam uero factum hoc suum amplificat quàm uehementissime. Cæteras inquit ecclesias depredatus sum, accepto ab illis stipendio quo uobis inseruirem. Vtitur aūt uocabulis militaribus. Macedonicas aūt intelligit ecclesias Philippensiū maxime. Sequitur enim, Quod mihi deerat suppleuerūt fratres qui uenerant è Macedonia. Proinde illos se expoliasse dicit, quod Achaicis inseruiēs pepercerit, ab ijs aūt acceperit quæ ad uitam sustentandam necessaria sunt quibus non inseruiebat. Ad amplificationem pertinet & illud, Et cum apud uos essem & egerem, id est optimo iure necessitatisq; telo urgente uictum siue stipendium accipere potuissem, attamen nō onerosus fui cuiquam. Annotauit aūt Erasmus uocem καταναρκησα dictam esse ab otio & torpore. Nam hi premunt & iminent alijs, unde petunt assidue, dictione composita à ναρκᾶν quod est torpere: unde & νάρκη torpedo piscis, & præpositione κατὰ quæ frequenter in malam significat partem. Hierony. in libello ad Algasiam admonet uocē esse Cilicibus peculiarem. At si Paulus noluit cuiquam esse onerosus, qui tantū laborauit, qua fronte quidā expilant plebem, cum nulli sint usui? Semper hi uerborū Pauli meminisse deberent, In omnibus sic me seruabam, ne cui essem onerosus atq; ita seruabo. Idem & alibi dixit, Beatius esse dare quàm accipere. Proinde cōscientia eos carere necesse est quos non pudet publico ecclesiæ stipendio ali, cū interim ipsi publicæ sint ueritatis & ecclesiæ pestes, non ociosi modo & inutiles, sed pernitiosi quoq;. Maxima profecto sunt hominum nostri sæculi peccata, & usqueadeo magna ut non dubitandum sit maximum nobis paratum esse supplicium, quod cœlitus suo tempore de nobis proculdubio sit sumendum. Nam supra quàm dici potest oneratur imò concinditur et disperditur ecclesia Christi. Iacent studia, patent opes ecclesiasticæ sacrilegis & conscelerati hominibus, præterea pauperes fame inedia nuditate et morbis contabescūt. Aluntur ex bonis ecclesiasticis canes scorta mimi & ne dicam aliud turpius uulgi fex, conducunt milites in perniciem optimorū uirorū, corrumpuntur animi principum & armantur ad persequendum euangeliū Christi. In hos scilicet usus expenduntur opes ecclesiasticæ. Alibi expilatione prauissimorum hominū & hypocritarum uersutissimorū depereunt, ut nescias quo amplissimæ deuenerint opes. Vbiq; ferè & apud omnes dominat cupido habendi, priuatum studium, luxus & splendor rerum quarumlibet. Atq; hic nemini dolet hisce ponderi-

In eos qui non desinunt ecclesiæ esse onerosi imò & pernitiosi.

ponderibus non premi modo sed opprimi Christi ecclesiam. Quod si quis animosius & zelo ueritatis & pietatis incensus consceleratione istam accuset, protinus damnatur ut seditiosus aut sacrilegus. Sed aderit propediem iudex iustus qui unicuiq; tribuet secundum opera sua. Nos redimus ad Paulum.

Est ueritas Christi in me, quod hæc gloriatio non interrumpetur contra me in regionibus Achaiæ. Quapropter? an quod non diligam uos? deus nouit. Verum quod facio idem & faciam, ut amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionem, ut in eo de quo gloriantur, reperiantur quemadmodum & nos.

Clarius exponit quomodo hac in re excellat apostolos alios, simul etiam caussam reddens cur nihil accipiat præmij aut stipendij à Corinthijs, non quod odio munificẽtiam eorum aspernetur, sed quod occasionem uelit præripere pseudapostolis ne hi se Paulo possint æquare, & gloriari se similes esse illi. Vtitur autẽ in hisce uerbis macrologia, quæ sententiam reddit obscuriorem. Et quo omnia apud Corinthios maius haberent pondus obtestatione graui omnia confirmat. Potest & hic uerbis inesse sensus, Propterea nihil à uobis accipio, ut pseudoapostoli non habeant quo se nobis præferant. Hoc enim se nobis præferũt, quod gratis prædicant cum aliâs satis sint instructi opibus. Iam ergo uolo ut in eo quo gloriantur quod scilicet nil à uobis accipiunt, nihilo maiores sint nobis, imò sint sicut nos quoq;, qui & ipsi nihil accipimus. Sed huic sententiæ aduersantur ea quæ mox sequuntur, Suffertis enim si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit. Vnde & Ambrosius non indiligens Pauli interpres, Duabus ex caussis inquit oblatos sumptus refutauit, ne & pseudapostolis similis inueniretur, qui non ad gloriam dei sed ad suam utilitatem prædicabant, ut non occasionẽ acciperent deprædandi. Alio enim non accipiente non potest alter multum expetere: & ne uigor euangelicæ potestatis torpesceret. Qui enim à peccantibus accipit, arguendi authoritatem amittit. Sic ergo exaltantur cum ideo ab eis non accipitur ut correpti emendẽtur à morte eleuati ad uitã. Prior ergo sententia uidetur esse magis genuina.

Siquidem istiusmodi pseudapostoli operarij dolosi sunt, sumpta persona apostolorum Christi, atq; haud mirum, quandoquidem ipse sathanas transfigurat se in angelum lucis. Non magnum est igitur si & ministri illius personã in se transferunt quasi sint ministri iustitiæ, quorum finis erit iuxta opera eorum.

Pseudapostoli sathanæ artes imitantur.

Occupatione præuenit quod obijciebatur, apostolos Christi esse & apostolorũ Christi discipulos qui Corinthi prædicabãt & Paulo aduersabãtur. Respondet enim ad hunc modum, Huiusmodi non apostoli sed pseudapostoli sunt, hoc est falso titulo apostoli. Nam sumunt in se personam apostolorum, cum re uera nihil habeant apostolici. Sunt enim operarij dolosi quia auaritiæ caussa (ut ait Ambrosius) non religiosa mente, neq; missi prædicabant Christum, imò legis opera magis quàm fidem urgebant. Hinc enim & ad Philip. malos operarios uocat. Deinde comparat illos sathanæ cuius nimirum & filios & apostolos tectius quidem facit. Paraphrastes id significantissime exposuit, dicẽs Est autem hoc pernitiosissimum impostura genus, fuco pietatis impietatis uenenum inferere. Christum authorem prætexunt cum sathanæ rem agant. Neq; mirum si discipuli suum exprimunt magistrum. Hic uero artes magistri paucis sed euidentibus uerbis exponit. Transfigurat se inquit in angelum lucis, uel cum speciem sumit angeli boni & lucidi ut decipiat, uel cum tenebras suas suis coloribus fic ornat ut à luce distare nihil uideantur. Decepit hisce artibus multos. Euæ apparuit sub specie serpentis. Alijs imponit angeli specie & forma. Omnia uero sua tanquam summe bona præponit hominibus. Ad Euam enim dixit, Non moriemini, sed uiuetis. Multa garriunt monachi de apparitione angelorũ qui patres sanctos (sic enim uocãt monachos suos) instituerint in ijs quę

aperte ſcripturis repugnant. Cui uero hic dubium eſſe poſſit miſeris impoſitum eſſe à ueteratore Sathana, qui ſe transfigurauit in angelum lucidum quo facilius in eam allice-ret naſſam in quam orbem uolebat pertractum? Pſeudapoſtoli certè referebant ſuum magiſtrum duplici quoq; ratione, & quod apoſtolos Chriſti ſe fingerent cum re uera eſſent apoſtatæ, & quod euangelium & iuſtitiam prædicaſſe uideri uellent, cum menda-cium & iniuſtitiam traderent. Hic ad finem addit Apoſtolus, Quorum finis erit iuxta opera eorum, minitans ipſis interitum. Quaſi dicat, Finis illorum operibus reſponde-bit, iam cum opera id eſt ſtudia conſilia & acta illorum mala atq; peruerſa ſint, neceſſe eſt & finem fore peſſimum, id eſt tandem ipſos fore puniendos miſere, ubi uidelicet diuina longanimitas ſatis fuerit contempta. Copioſius de interitu et pœna pſeudapoſtolorum ſcripſit apoſtolus Petrus 2. Pet. 2. cap. Cæterum hæc conſulto monent ne cuiuis creda-mus ſpiritui, ſed probemus magis an ſpiritus ex deo ſint. Plura de his idem apoſtolus ſcripſit ad Coloſſ. 2. cap. monens caueamus ne quis palmã nobis interuertat data opera per humilitatem & ſuperſtitionem angelorum &c. Caueamus item ne omnes promi-ſcue recipiamus qui ſe à Chriſto miſſos iuſtitiæ ſeruos eſſe mentiuntur. Horum autem apoſtolorum hodie totus orbis plenus eſt, ut nobis diligenter uigilandum ſit.

Iterum dico ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin & iam ut in-ſipientem accipite me & paululũ quiddam & ego glorier. Quod dico non dico ſecundum dominum ſed uelut per inſipientiam in hoc argu-mento gloriationis.

Encomium ſui intermiſſum interruptumq; redintegrat exordiolo inſerto. Hoc au-tem eſt quod dicit, Quod prius dixi iterum repeto de inſipientia, id eſt nimia laude mei. Non enim uolens in hanc deſcendi harenam ſed ab æmulis meis ui quapiam impulſus. Quod ſi hæc ratio parum apud uos ualet, agè ut inſipientem audite, fintq; hæc mea à me non domino profecta. Multa de ſe æmuli mei prædicant, permittatur et mihi paululum quiddam de me ipſo gloriari. Ipſum ergo argumentũ rei præſentis & gloriatio pſeud-apoſtolorum encomium hoc meum mihi extorquet. Atq; hunc ſenſum ſequutus eſt & paraphraſtes in hæc uerba ſcribens, Quod nunc dicturus ſum non ſapiet purum illum Chriſti ſpiritum ſed humanam potius ſtultitiã. Quandoquidem ſuper hiſce rebus glo-riaturus ſum quæ nos deo nihilo gratiores reddunt, ſed ſunt huius generis de qualibus ſtultum uulgus ſeſe iactitare ſolet cum ex his non oriatur uera gloria. Nemo autem ex his colligat Paulum hac expoſitione peccaſſe quicquã. Quoties enim ſancti ſuas de ſeſe uirtutes prædicant, ſed in gloriam dei? Id cum & Paulus faciat peccauit expoſitione hac nihil, magis autem commendauit modeſtiam nobis, ut de rebus noſtris licet amplis & ueris cum timore loquamur, ut ne quid nimis aut arroganter. Et ubiq; cauit Paulus ne uel uerbulum Chriſti titulo decoratum proponeret in medium quod Chriſtus non di-xiſſet. Hinc in 1. ad Corinthios, Reliquis ait ego dico non dominus. At quàm turpiter huius obliti ſint qui apoſtolorum & apoſtolicorũ titulo gloriantur, turpe eſt uel dicere. Eò enim impudentiæ uenerunt ut Chriſti nomine quiduis audeant præcipere tametſi Chriſti doctrinæ ex diametro aduerſetur.

Paulus uerbi Chriſti purus prædicator.

Quandoquidem multi gloriantur ſecundum carnem & ego gloria bor. Libenter enim ſuffertis inſipientes cum ſitis ſapientes. Suffertis enim ſi quis uos in ſeruitutem adigit, ſi quis exedit, ſi quis accipit, ſi quis attollit ſeſe, ſi quis uos in faciem cædit, iuxta contumeliam loquor.

Pſeudapoſtoli cupiunt domi-nari.

Hæc abſoluunt ſuperiora, habent tamen ironiæ plurimum aſperſum. Si inquit aliis licet apud uos gloriari, licebit & mihi. Secundum carnẽ uero gloriari dixit pro eo quod eſt de rebus externis gloriari. Quæ uero ſequuntur ironiam habent & obiurgationem. Id quod ait, Libenter ſuffertis inſipientes cum ſitis ſapientes, propemodũ eam gratiam imò eam habet amaritudinem quam Germanorum diuerbium, *Wyſe lüt müſſend narren haben*. Cæterum Paulina ſententia antiphraſim habet, ſapientes enim dicit qui minime

erant

erant ſapientes. Cætera aperta ſunt niſi quod oblique detorquentur in pſeudàpoſtolos. Hi enim eccleſiæ dominari non ſeruire cupiebant, exedebant ſumptu immodico, accipiebant munera adeoq; & auiditate inſatiabili ſubinde deplumabant eccleſiam, præterea arrogantia intolerabili inſoleſcebant, tyrannidem item exercebant in illam contumelijs afficientes immeritam. Id enim intellexit per illud quod dixit, Si quis uos in faciem cædit. Hoc enim eſt extremæ contumeliæ. Tandem addit, Iuxta contumeliam loquor, id eſt cogor iſta uobis obijcere & oſtendere quàm contumelioſe uos tractent, ſi uel damno affecti ſapere incipiatis. Vel, Hæc dico propter obſcuritatem quam iſti nobis tribuunt ac uere tribuunt, ſumus enim quod ad iſta pertinet plane infirmi, quippe qui uos nunquã adigerimus in ſeruitutẽ aut expoliauerimus ut illi ſolent. Atq; ita erit σαρκάσμός. Theophylactus ſic expoſuit, Vides ut Corinthiorum & ignominiam auget & iniuriã, quandoquidem his haud ſecus ac ſeruis falſi illi uterentur apoſtoli. Hæc autem dicit non quia in faciem cæderentur Corinthij, ſed quia nõ minoris eſſet iniuriæ quæ illi patiebantur quàm ſi in faciem uapulaſſent, quod ſanè his ad uituperationẽ obiecit. Quid enim hoc fieri uel inhoneſtius uel turpius poteſt? quando his ipſis libertate adempta honore priuatis et demum ſubtractis pecunijs uterentur pro ſeruis. Porrò is eſt ſtulti populi genius ut deglubatores & malit & magis adamet quàm liberatores libertatisq; defenſores. Sic enim & Iſraëlitæ contempto Samuele maluerunt ferre iura faſtuoſi & tyrannici regis. Et hodie pleriſq; ſordet ſanctum Chriſti Euangelium quod à nemine quicquam exigit niſi pietatem & charitatem, nil ſibi dari poſtulat, egenis omnia conferre iubet, non ut alijs relaxatio nobis fit anguſtia, ſed ex æquabilitate copia noſtra pauperum ſuccurrat inopiæ. Neminem item tyrannide opprimit. In hoc enim Chriſtus clamat, Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me quod mitis ſim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris. Iugum enim meum commodum eſt & onus meum leue eſt. Præterea omni liberat ignominia, aſperſos maculis abſtergit & reponit in gloriam. At leges humanæ & Roma. Pont. decreta tantum non extorquent opes, quin & à mortuis tributũ petunt. Non ceſſant iſti petere niſi euacuarint prius omniũ loculos. Hic enim redimendæ indulgentiæ, mox dona Diuorum altarijs inferenda ſuadent, mox fabricanda aiunt ſimulachra, eaq; protinus uel ornare uel ex integro ueſtire iubent. In confeſſionibus auricularibus tot tantisq; artibus aurum emungunt ſtolidis mortalibus, ut ne mercatorũ quidem artes uel inſtructiſſimæ artes uideri poſſint his collatæ. Quin nemo hodie uiuit qui euidenter ſatis pontificiorũ fraudes quibus Chriſti eccleſiam in ſeruitutem adigũt, exedunt, deplumant, tyrannide opprimunt & contumelijs afficiunt, orbi ualeat retegere. Et tamen homines inuenias hodie qui Euangelium plus quàm Vatiniano oderint odio, Pontificiam & monachicam religionem malint. Hos ſi noſceret Paulus aut ſub oneribus hiſce uaſtiſſimis incedere uideret, non dubium quin grauius in ipſos quàm ullos deſtomacharetur Corinthios. Et ſanè qui ſordeſcere malunt propria puniuntur ue ſania, præterea digni ſunt qui rapina fiant & libidini impudentiſſimorum nebulonum pateant. Sic enim ipſe quoq; dominus ulciſcitur cõtemptum uerbi ſui uiuifici in impijs hominibus mendacium præ ueritate complectentibus.

Stultitia & peruerſus animus contemptorum Euangelij.

Perinde quaſi nos infirmi fuerimus, imò in quocunq; audet aliquis (per inſipientiam loquor) audeo & ego. Hebræi ſunt, ſum & ego. Iſraëlitæ ſunt, ſum & ego. Semen Abrahæ ſunt, ſum & ego.

Proſequitur encomiũ eoq; progreditur ordine quo gloriari ſolebant æmuli. Hi enim de generis uetuſtate, maioribus & proſapia inclyta gloriabantur. Heber autem qui erat filius Sælah pater Pæleg genti nomen dedit ut appellari cœperint Hebræi. Notatur eo uocabulo uetuſtas gentis. Iſraël uero idem ille eſt qui & Iacob pater Iudæ, unde Iudæi cognominati ſunt ſicut ab ipſo patre Iſraël Iſraëlitæ. Præſtans fuit hic in omni uirtutũ genere & celebris in tota ſcriptura canonica. Et Abrahæ patri credentium factæ ſunt promiſſiones, ipſe accepit circunciſionem, fide iuſtificatus & amicus dei uocatus eſt. Huius filijs ſiue ſemini debetur hæreditas: maximum itaq; erat ſemen Abrahæ & dici & eſſe.

Encomium Pauli.

Nemo neſcit quantopere nomen Abrahæ iactarint Iudæi apud Ioan. in cap. 8. Et pſeudapoſtoli ad eundem modum in carne gloriantes Hebræos ſe eſſe Iſraelitas & ſemen Abrahæ iactabant. Subdit ergo Paulus, Id ſi quid apud uos ualet poſſum & ego gloriari de his omnibus. Cæterum apud deum is uerus Iſraelita & ſemen Abrahæ eſt qui deo per Chriſtum ipſum uerum ſemen Abrahæ credit, & uita ſancta Abrahæ imitatur exemplum. Contextus uero huius loci ſic dependet à ſuperioribus. Pſeudapoſtoli perinde faciunt ac ſi ego nullius fim penſi nec habeam quo gloriari poſſim, uerũ ſi quid eſt in quo alius ſe præſtare credit, ipſe quoq; excellere crediderim. Hic autem per parentheſim interponit, Per inſipientiam loquor. Nam antea dixerat, Non loquor ſecundum dominum ſed uelut per inſipientiam. Tandem uero encomium canere pergit. At quæ hic paucis perſtringit, copioſius perſequitur in Actis cap. 22. et ad Philip. 3. Equidem turpiſſimum eſt gloriari de maiorum noſtrorum uirtutibus quibus tamen minime reſpondemus. Pulchrum uero eſt bene natos proſapiam nobilitare uirtutibus. Extat ſuper hac re elegans oratio Marij apud Saluſtium in bello Iugurthino. Certè nullam agnouit uetuſtas nobilitatem quàm quæ beneficijs uirtutibus & præclaris eſſet parta facinoribus. Ignobiles illi erant quicunq; uita corrupta alijs exemplum præferebant nequitiæ & luxus, quibuſcunq; tandem nati eſſent progenitoribus.

Gloriari de maiorum uirtutibus.

Miniſtri Chriſti ſunt (delirans loquor) excellentius ſum ego, in laboribus copioſius, in uerberibus ſupra modũ, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter.

Elegantior eſt hic Pauli locus quàm quiſquam poſſit aſſequi. D. Aug. lib. de doctr. Chriſt. 4. cap. 7. diligenter in hoc uerſatur ut oſtendat quanta arte hæc ſcripſerit apoſtolus. D. Ambroſius, Vera de ſe dicens, inquit, inſipientem ſe pronũciat, ut intelligatur coactus ad laudem ſuam prorupiſſe. Nam qui ſponte refert quæ ad laudem eius proficiant imprudentem ſe non dicit. Oſtendit ergo quæ ſint quæ faciant illum miniſtrum Chriſti magis eſſe quàm ſunt reliqui prædicatores. Idem ſubdit, Ideo in laboribus plurimis ait, quia & illi laborauerunt, ſed non tantum. Hic enim à mane uſq; ad quintã horam uictum manibus quærebat, & exinde uſq; ad decimam horam diſputabat publice, tanto labore ut contradicentibus ſuaderet. Verbera quæ pertulerit ipſe poſtea explicabit. Sæpius uero in carceres abductum referunt Acta apoſtolica. Porrò moritur quilibet cum mortem ob oculos palàm aſtare uidet, quem ſe effugere poſſe minime ſperat. Sic in 1. ad Corin. 15. cap. Indies ait morior per gloriationem noſtrã quam habeo in Chriſto Ieſu.

Laborauit manibus D. Paulus

A Iudæis quinquies quadragenas (plagas) una minus accepi. Ter uirgis cæſus ſui, ſemel fui lapidatus, ter naufragiũ feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus ſæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deſerto, periculis in mari, periculis inter falſos fratres.

Verborum et rerum congerie propemodum adobruit auditorem. Significat autem primo membro ſe quinquies uapulaſſe, & uno quoq; tempore quadraginta plagis cæſum fuiſſe, una minus. Id quod à Iudæis paſſum credimus quod Deut. 25. ſic ſcriptum legamus, Et cum quis fuerit filius impius dignusq; qui uapulet, deijciat eum iudex & cædat ipſum in conſpectu ſuo iuxta impietatem eius ſecundũ numerũ. Quadraginta (plagis) uerberet eum & non addat, ne forte ſi addiderit uerberare eum ultra cædem illã magnam deficiat frater tuus in oculis tuis. Apparet ergo quod Iudæi ſimulata humanitate quadrageſimam non addiderint plagam, interim uero ſummo ſuperati odio ad quadrageſimum uſq; deuenerint numerum. Impenſe enim oderant Paulum. A Gentium lictoribus ter uirgis cæſus fuit. Lyſtris uero urbe Lycaoniæ lapidatus legitur Paulus in Actis cap. 14. Et qui noctes atq; dies in profundo egit pelagi, ſæpius certè nauẽ fregiſſe potuit. Sæpius enim per mare Aegeũ et Icarum tranſmiſit uel in Græciã uel Aſiã. Sæpius quoq; oberrauit in mari Mediterraneo, Syriaco maxime, Carpatico, Ionio alijsq;. Itinera quæ ſuſce-

Paulus uerus Hercules monſtra domuit horrenda.

ſuſceperit uix multis abſoluunt Acta apoſtolica. In his ſæpe nimirum incidit in pericula fluminum quæ tranſeunda erant, in pericula quoq; latronum & prędonum. Inſidiabantur & illi qui contribules erant Pauli, Iudæi ſcilicet abominandum genus hominũ. Inſidiabantur & Gentes quibus idololatriam labefactari dolebat. Periclitabatur ſæpius in urbium mœnĩs ueluti carcere ſeptus. Antiochiæ certè Iconĩ quoq; Philippis, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi & Epheſi nõ uulgares excitati tumultus miſere anguſtiarunt ſacrum pectus. E Damaſcenorum urbe effugit ſporta demiſſus à mœnĩs. Pericula ſenſit quoq; in deſerto non à feris modo ſed prædonibus. Vt et in mari periclitatus eſt non piratarum modo improbitate, ſed eorum quoq; nequitia & inſidĩs qui in eadem nauigabant naui. At illud uidetur eſſe longe periculoſiſſimũ diſcrimen quod de falſis refert fratribus. Minus enim nocere poteſt hoſtis uerus quàm amicus falſus. Id ſceleris ut fœdiſſimum acriter inſequitur in Pſalmis Dauid. D. Ambroſius, Falſi fratres hi ſunt inquit de quibus dicit ad Galatas, Titum circumcidi propter obiter ingreſſos falſos fratres qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtrã quam habemus in Chriſto Ieſu. Hi enim partim Chriſtiani partim Iudæi erãt, in neutro perfecti, qui zelo legis apoſtolo inuidiam excitabant, eò quod prædicato Chriſto legem iam ceſſare dicebat. Fuerunt & alĩ fratres ſicut Demas & Hermogenes. Hodie quidem tantus eſt falſorũ fratrũ numerus, quantus eſt arenæ ad littus maris Libyci. Nuſquam enim tuta fides. Omnia occupauit hypocriſis atq; ſimulatio. Loquitur quiſq; dolum cum proximo ſuo. Inuenias nebulones, fures, periuros, proditores, adulteros, ciuitatecp; ob flagitia eiectos qui alibi auſint iurare euangelĩ gratia damnatos ſe eſſe exilio. Atq; hi ſunt qui euangeliũ infame reddunt, imò & perſequtionem iuſtitiæ cauſſa ſuſtinentibus male conſulunt. Negligun tur enim à uiris nonunquam cordatis quod fucum & impoſturam timeant, quam deprehenderunt in falſis fratribus. Proinde magnum ſupplicium ſumetur aliquando de nequiſſimis hiſce nebulonibus. Nam ut afflictionis iuſtorũ non obliuiſcitur dominus, ita certo animaduertet in illos qui fuco ſanctimoniæ & iuſtitiæ nequitiã ſuam obtegunt. *Falſi fratres.*

in labore & moleſtia, in uigilĩs ſæpe, in fame & ſiti, in ieiunĩs ſæpe, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinſecus accidunt incumbens mihi quotidiana cura omnium eccleſiarum.

O uere deo dignum apoſtolum. Gloriatur in ĩs de quibus noſtri erubeſcerent antiſtites. Sed in illis laus eſt, in his uero quibus noſtri delectantur dedecus & opprobrium. Laborauit Paulus non modo manibus ſed prædicatione quoq; operoſa periculoſacp. Moleſtiã prope intolerabilem ſentit qui eccleſiæ Chriſti fideliter ſeruit. Cura & ſollicitudo uigilias habet graues. Nihil hic loquitur de ſtultis & inutilibus uigilĩs pontificĩs. Pulchre enim Ambroſius, Multæ fuerũt eius inquit uigiliæ, ſed aliæ uoluntariæ, aliæ ex neceſſitate. In preſſura enim poſitus neceſſe erat ut uigilaret dei quærens auxilium, & nõ ſolum diebus, ſed noctibus doceret: ſicut dicit in Actibus apoſtolorũ cap. 20. Iam Fames & Ieiunium in hoc differunt quod fames ex neceſſitate ieiunium oritur ex uoluntate. Famem & ſitim ſentiebat cum grauiſſima illa per maria & per terras ſuſciperet itinera, item cum in carceres recluderetur. Ieiunio ſiue abſtinentia macerabat corpus cum afflaret fortunatior aura. Frigus & nuditas perurgebant & ipſæ cum uel proficiſceretur ad prædicationem euangelĩ, uel uinculis teneretur. Hic aũt miror qua fronte Roma. Pontifex & reliqua huius ſex antiſtites religionis hoc eſt ſuperſtitionis cardinales epiſcopi abbates & prælati nomen audeant iactare apoſtolicum, utpote qui apoſtolorum non modo ſucceſſores ſed uicarĩ quoq; & dici & eſſe uelint, cũ tam diſſimiles ſint utrorumcp; mores diſſimilia ſtudia atq; ingenia quàm angelorum & dæmonum. Paulus gloriatur in labore, moleſtia, uigilĩs, fame, ſiti, ieiunĩs, frigore et nuditate. Hi uero ſi qui tales ſint mendicos eſſe iudicant & aſpernantur. Iactant enim otium, uoluptates, noctes ſecuras, opiparas dapes, egregia & uaria uina, luxum, purpuram, oſtrum, ueſtem Damaſcenam, aurum, gemmas, & quicquid in orbe precioſum eſt. His enim abundant, his ſeſe oſtentant, hiſce denicp inſtructi ornaticp fulgent. Piget pudetcp tales paupertatis Chriſti, ma-

lunt opes & pompam antichristi. Sed hunc & illos propediem abolebit Christus dominus glorioso aduentu suo, Amen. Addit post tanta & aliud quod priora omnia superat in molestia negotium, curam omnium ecclesiarum incumbentem. Nemo enim nisi expertus facile crediderit quàm hæc cura uel ualentia & robusta corpora, imò mẽtes quoq; instructissimas exercitatissimasq; debilitet cõficiatq;. Sequitur enim quod hęc exponat.

Cura apostolica pro ecclesijs.

Quis infirmatur & ego non infirmor? quis offenditur & ego non uror? Si gloriari oporteat de his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

Tanta erat in Paulo pro ecclesijs sollicitudo ut quicquid illis accideret putaret sibi accidisse. Hinc quoq; amplificatione uerborum usus est, Quis infirmatur & ego non infirmor? Morbum ergo aliorum in se transfert. Quis offenditur inquit & ego non uror? Zelum enim non angentem modo sed exedentem absumentemq; intelligit, metaphora petita ab igne. Vtinam multos eiusmodi doctores hodie haberemus. Quia enim pleriq; ut nobis bene sit imò ut extra teli iactum tuto consistamus loco cogitamus, ecclesiarum cura parum nos reddit sollicitos, inde est quod pereunt & perplexæ hærent plurimæ ecclesiæ. Nemo Christi negotium agit ex animo, nemo alieno tangitur malo, hinc uero frigent omnia. Ad calcem ueluti clausulam adiecit, Si ergo omnino gloriandum est, gloriabor certè de his quæ infirmitatis sunt, æmuli mei de rebus magnificis gloriantur. Hæc autẽ arrogantes opulentosq; nostri æui antistites deijciũt, proculcant, imò & conficiũt.

CAP. XII.

Deus & pater domini nostri Iesu Christi qui est laudandus in sæcula nouit quod non mentiar. In Damasci ciuitate gentis præfectus nomine Aretæ regis excubias posuerat in Damascenorum urbe, cupiens me comprehendere, ac per fenestram in sporta demissus fui per mœnia effugiq;.

Pauli fuga.

Notissima est hæc historia, utpote quæ diligenter à Luca exponitur in Act. cap. 9. D. Ambro. Deũ testem dat, inquit, ut quæ dicit facile credãtur. Addit Theophy. antiquiora hæc esse & obscuriora, inde uero ipsa ueluti iureiurando fuisse confirmata. Equidem insigne factum esse quod refert nemo negare potest. Id uero maxime mirandũ est quod in fuga gloriatur. Verũ instituit de his quæ infirmitatis sunt gloriari. Et fugisse suo loco & tempore, uicisse est. Areta hic Arabum rex socer fuit Herodis. Recepta enim Herodias de Aretæ regis filiam repudiauit. Author est Iosephus antiq. lib. 18. cap. 9. & 11.

Gloriari sanè non expedit mihi. Veniam enim ad uisiones & reuelationes domini.

Visiones Pauli.

Varie exposita est hæc sententia ab interpretibus. Quidam retulerunt ad præcedẽtia, quidam ad sequentia. D. Ambrosius ad hunc modum enarrat, Gloriandum dicit quia euasit: sed non expedit inquit propter superbiam, quia de humilitate crescitur, & auxiliũ dei mitibus proficit, non elatis. Præterea qui gloriatur se mortem euasisse quæ pro fide infertur, inane uideri significat pati pro Christo, ideo non expedit gloriari. Cæterum hic qui sequitur sensus uidetur esse simplicior & minus coactus. Equidem non uideo quid mihi conferat in ijs gloriari quæ infirmitatis sunt, ueniã ergo ad uisiones. Vt prior pars ironiam habeat, & transitus fit ad aliud gloriationis argumentum. Non dubium quin pseudapostoli de reuelationibus sibi peculiariter factis gloriari sint soliti. Id enim uel hodie maximi quiq; impostores solent. Proinde Paulus illorũ impudentia coactus est de uisionibus suis gloriari non mendacibus sed ueris. Sic enim propemodum comparatum est ut maximis quibusq; uiris ad res maximas destinatis se deus reuelationibus peculiaribus reuelarit aperueritq;. Ita enim legimus dominum apparuisse Abrahæ, Mosi, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, prophetis alijs & præcipue tribus ad hoc à domino delectis discipulis in monte, apud Matt. in 17. Porrò de uisionum generibus multa scripsit D. Augustinus, maxime in hunc Pauli locum lib. de Gene. ad literam 12. Nos paucula annotauimus in cap. Act. 10.

Noui

Noui hominẽ in Chriſto ante annos quatuordecim: an in corpore, neſcio: an extra corpus, neſcio, deus nouit, raptũ huiuſmodi in tertium cœlum: & ſcio huiuſmodi hominem an in corpore an extra corpus neſcio, Deus nouit, raptum fuiſſe in paradiſum, & audiſſe arcana uerba quæ fas non ſit hominem loqui.

Viſione confirmatus Paulus.

De ſe loquitur modeſtiſſime. Recenſet autem quod deus ipſi arcana uerba, id eſt recondita et cœleſtia aperuerit negotia, diuinos ſcilicet theſauros paratos nimirum iis qui dominũ amarint in ueritate perſeuerarintq; in uia iuſtitiæ & ſanctitatis. Apparet autem D. Paulum hac uiſione non primo quidem inſtructũ eſſe cum Damaſci cæcus decumberet, ſed in ipſo euangelij curſu & laborum moleſtiarumq; frequentia confirmatum. Sæpius enim Deus fideles ſeruos ſuos amœnis recreat uiſionibus, quo alacriores porrò capeſſant negotium et maiori ardore ad æterna bona tendant contemptis rebus mundi fluxis & perituris. Quin & annorum numerus cogit fateri nos reuelationẽ hanc Paulo in ipſo prædicationis curſu non initio factam eſſe. Annis enim 17. prædicarat Chriſtum priuſquam unà cum Barnaba aſcenderet Hieroſolymam: cuius quidem profectionis meminit Lucas in Actis cap. 15. Ab ea uero profectione multos certè poſt annos hanc ſcripſit epiſtolam. Prius enim Macedoniam ingreſſus Atticam quoq; ad Chriſtũ conuertit, inde regreſſus traiecit in Aſiam, abijtq; in Syriam, à qua per Galatiam & Phrygiam deuenit Epheſum, à qua ſoluens uenit in Macedoniã, è qua ſecundam hanc Corinthum miſit epiſtolam. Cæterũ hæc uix abſoluit intra ſexennium ut minimum ſupputemus. Relinquitur ergo quod circa decimum conuerſionis ſuæ annum hac uiſione fuerit ab ipſo numine refocillatus. Sed nihil hic temere aſſeruerim, uiam modo aperuerim hæc (ſi utilis uideat quæſtio) diligentius certiusq; inueſtigandi. Iam de tertio cœlo alij permulta diſputarunt exiſtimaruntq; bis raptum eſſe Paulum, hinc uſq; in tertium cœlum, inde uero in paradiſum uſq; terreſtrem, cui etiam id ſuffragari uidetur quod uiſionum nõ uiſionis meminit. Verum ego crediderim poſteriori membro prius eſſe expoſitum, adeoq; id ſignificantius paradiſum appellatum, quod paulò obſcurius uocarat tertium cœlum. Proinde tertium cœlum aliud nihil eſt quàm paradiſus. Porrò paradiſus proprie hortus ille in Eden ad ortum dicitur, quem plantarat dominus & in quem hominem collocarat, ut delitijs & uoluptatibus frueretur. Hortus uero ob cultum dicta eſt. Solent enim horti & cultiores & amœniores eſſe, quemadmodum hic quoq; locus cæteris fuit inſtructior ornatiorq;. Cæterum ubi fuerit paradiſus uariarunt ſententiæ. Apparet certe illam fuiſſe in terra ſiue regione Eden ad ortum. Veſtigia certè nominis relicta ſunt. Celebratur enim in Meſopotamia Edenna ſiue Edeſſa, ſacra quoq; ciuitas dicta, forſan ob ueterem paradiſi memoriam, quam nimirum diluuij abluit eluuium. Et Ezech. in 27. cap. Iſaias quoq; in 37. Eden loci meminere. Fuit ergo paradiſus terreſtris ad Taurũ montem (ſi diuinare licet, nihil enim de hiſce aſſerere poſſumus) in Meſopotamia, quæ irrigatur fontibus & ſemper fuit amœniſſima regio, quam & Rabſakes in hiſtoria ſacra commendabat. Et ſcriptura unius modo meminit fluuij dicens, Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandum hortũ, & inde diuidebatur in quatuor capita, ubi & diuerſa ſortitus eſt nomina. Primo Phrat propter latitudinem, is Euphrates eſt. Secundo Piſon accipit nomen. Hauilah uidetur uicina regio Meſopotamiæ, quam Lucas in 3. cap. uocarit Abilene. Tertio Tigris ubi miſcetur Euphrates Tigri. Quarto ubi ſe exonerat in ſinum Perſicum Gihon dicitur in terra Kuſcha. Et Gihon euolutionem ſignificat. Annotandũ & illud quod Euphrates non in Eden ſed Armenia oritur. Tranſit ergo terram Eden modo: unde Moſes egrediens poſuit pro tranſiens. Quanquam et egredi recte dicatur ſi ſpectes Aſſyriam & alias regiones quas perfluit. Cæterum hic locus cæteris & amœnior & fertilior poſt primi parentis lapſum omnino exoleuit ipſaq; beatitudo in alium translata eſt locum, ad ſuperos uidelicet, ut poſthac non ſimus in illa futuri paradiſo. Atqui ſedes beatæ duplici ſunt munitæ cuſtodia. Obſident enim illas ſpiritus angelici, deinde coruſcatio gladij ſiue flamma ignea. Non enim gladius poſitus

Galat. 1. & 2. cap.

Paulus in Paradiſum raptus.

eſt, quod plericq; autumant, ſed coruſcatio ad modum gladij micantis rutilans, nimirum zona ignea. Hoc eſt deus uoluit ut poſthac ipſa beatitudo & ſedes fœlices quàm longiſſime à terra ſupra omnes cœlos exaltatæ crederentur. Has nobis ipſe dominus Ieſus morte reſurrectione atq; aſcenſu apperuit. Errarunt ergo ueterum quidam qui multa diſputarunt de Paradiſo quam poſt iudiciũ ſint inhabitaturi ſancti. Quid enim animæ aut ſpiritui, deniq; cœleſti & glorificato corpori cum paradiſo terreſtri? Verũ de his in præſentiarum copioſius differere nõ eſt animus. Aliò feſtinat oratio. Deinde Paradiſus metaphorikῶς dici cœpit quilibet locus amœnus, idq; ad ſimilitudinẽ et ſecundũ alluſionem paradiſi terreſtris cuius iam meminimus. Ita legimus Gene. 13. de planitie Sodomitica quod fuerit ſicut paradiſus ſiue hortus domini. Sed & cœlorum regia ob fœlicitatem abſolutiſſimã paradiſus dicta eſt. Hinc in Euangelio dixit dominus, Hodie mecum eris in paradiſo, non utiq; terreſtri ſed in cœlorum regia. Proinde Paulus aſſerens ſe in paradiſum raptum, per alluſionem ſignificat ſe cœleſti & eximia refocillatum uiſione. Quod autẽ ſequitur, An in corpore an extra corpus neſcio, deus nouit, & ipſum ſignificat uiſionis excellentiam. Maximam enim fuiſſe intelligimus quæ ipſum ſibiipſi eripuerit. Ita enim & Petrus unà cum reliquis duobus diſcipulis legitur claritate transfigurantis ſe domini oppreſſum extaſiq; raptum neſciſſe propemodum quid ageret aut ubi nam eſſet. Theophylactus non omnino pœnitendam ſequtus ſententiam, Paulus in ea loca arreptus eſt, inquit, quæ circa trinitatem ſunt & ſublatus: hoc eſt omnia creata transſcendens & neq; in corpore quidem exiſtens, quippe qui nihil pro corporis ſenſibus tunc factitaret: neq; extra corpus, nam & interea cum ſic raperetur uel intellectus ipſe in eo ceſſarat ita ut nihil poſſet uera cognitione complecti. Vacat enim diuinis in rebus mens omnis humana & pœnitus torpet cum homo à deo fuerit arreptus & ita ut ab eo educi neceſſe ſit & à corpore ipſo efferri, & eiuſdem ductu omnia operari.

Super huiuſmodi homine gloriabor, de me ipſo uero non gloriabor, niſi ſuper infirmitatibus meis.

Paulus gloriatur de interno homine.

Abſoluit ſententiam quam cœperat. Iterum autem modeſtiæ ſtudens de ſe loquitur quaſi hæc de alio quopiam cũ laude exponat. Et ſanè duo homines in eodem ſunt homine, internus & externus. Secundum internum hominem raptus eſt in paradiſum, ſecundum externũ infirmitates ſenſit, crucem, contumeliam, perſequtionem. In utroq; ergo gloriatur apoſtolus qui ſe dicit nihil gloriaturum de ſeipſo, hoc eſt de externo homine, niſi ſuper infirmitatibus. Atq; eiuſmodi loquendi genus grammaticis Aſyſtaton appellatur.

Nam ſi uoluero gloriari non ero inſipiens: ueritatem enim dicam: ſed parco (uobis) ne quis de me cogitet ſupra id quod uidet eſſe me aut quod audit ex me.

Μετάνοια eſt. Simul autem reſpicit & ad ea quæ dixerat in cap. 11. Quod dico non dico ſecundum dominum, ſed uelut per inſipientiam. Hic ergo ſubdit, Iam uero ſi cordi eſſet gloriari excellentius, nihil peccarem aut ſtoliditatis deſignarem. Nam uane & ad oſtentationem nihil, uere autem facerem & dicerem omnia. Quibus uerbis proculdubio notauit pſeudapoſtolos uanos oſtentatores. Atq; hic iterum correctionem ſubijciens cauſam addit cur nolit gloriari impenſius, ne ſcilicet ad Paulum offenderent corruerentq; Corinthij, hoc eſt, ne quis ſeductus gloriatione nimia exiſtimaret Paulum ſupra hominem aliquid id eſt deũ quendam eſſe. Sic enim & Theophylactus expoſuit adducens locum ex Actis 14. cap. dicensq;, Nam ſi tauros illi immolare & pro deo colere ſignorũ ſtupore contenderant, quid ei honorũ deferre intermiſiſſent, ſi & reuelationes quas habuit ædidiſſet? Verũ aliud uidebant in Paulo ſancti, aliud quoq; audiebant ex ipſo. Videbant enim ipſum eſſe hominẽ mortalẽ affectibus et miſeria humana obnoxiũ. Sic enim & ad Lyſtranos dicebat, Iiſdem quoq; quibus uos obnoxij eſtis malis ſum obnoxius homo. Deinde audiebant ex ipſo unum deum eſſe colendum, adorandum, & inuocandum, ſigna quæ faceret ipſe non ſua uirtute, ſed dei beneficio & potentia fieri: uni igitur deo fi-

Superſtitioſus & impius diuorum cultus profligatur.

dendũ

dendum esse. Ita & ad Lystranos aiebat, Venimus autem annunciaturi ut ab istis uanis conuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt. Et hunc ipsum ex Actis locũ egregie citauit D. Augustin. de Ciuitate dei ad Marcell. lib. 10. cap. 19. ostendens uni deo & semper & in omnibus nullæ autẽ quantumuis excellenti creaturæ supplicandũ. At in hanc saluberrimã doctrinam uidemus grauissime peccatum ab ijs qui encomia Diuorum sic cecinerunt, ut uulgus plus nimium de ipsis & cogitare & ipsis deferre cœperit, sed non absq; luculento lucello encomiastarũ. Cœperũt enim Diuis extrui templa, aræ dicari, uarij generis sacrificia offerri, sed quæ ingluuiem farcirent encomiastarum. Cœperũt & ipsi diui inuocari pro dijs qui morbis mederi, opes conferre, malaq; possint depellere. Quod flagitij superstitioni et auaritiæ quorundam acceptum ferre debemus, maxime uero quod isti in uia ueritatis simpliciter & constanter non perstiterunt. Apostoli ministri Christi sunt, per quos nobis deus uerbũ euangelij uiuificum annunciauit, horum prædicationi credere & exempla imitari, ipsos uero nequaquam colere aut inuocare debemus.

Et ne excellentia reuelationum supra modũ efferrer datus est mihi stimulus carni angelus sathan, ut me colaphis cæderet ne supra modũ efferrer. Super hoc ter dominũ rogaui ut discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus mea per infirmitatem perficitur.

Præcipuam è uisionibus claris expressit uerbis, cęteras intellexit. Verisimile enim est perfrequentius illum uisionibus cœlestibus fuisse restauratum. Deus uero sanctorum suorum patronus fidelissimus & pater clementissimus diligenter curat ne muneribus suis incommodet. Nostra enim culpa subinde fit ut optima dei dona nobis cedant in malum, uel cum illis abutimur & nostro uitio adulteramus, uel cum ipsis nimium elati superbimus. Proinde cum bonus & beneficus Deus præclaris excellentissimisq; uisionibus seruum & apostolum suum confirmasset, addit simul triste aliquid, per quod suæ conditionis et miseriæ memor modeste de se sentiret, néue insolentius elatus superbiret. Datus est autem stimulus carni, σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν. Theophylactus per stimulum carnis intellexit Veneris incitamenta quibus maxime fuerit obnoxius. Sed pericula, uigiliæ, carceres, uincula, itinera, labores in sacratissimo corpusculo non sinebant impuros lasciuire affectus. Diuus Hieronymus epistolam Pauli ad Galatas exponens refert quosdam sensisse stimulum hunc fuisse corporis aduersam ualetudinem, & quod Paulus crebro capitis dolore solitus sit afflictari. Alij fuerunt de quorum numero Aquinas est, annotante Erasmo, qui existimarunt Paulum morbo laborasse iliaco. Reuera σκόλοψ palus præacutus est, hic uero metaphorice accipitur pro aduersitate subinde excruciante carnem totumq; apostoli corpus. Sequitur enim per interpretationem Angelus sathan. Significat autem angelus nuncium & ferè ministrum, sathan uero aduersarium. Posuit ergo Apostolus speciem pro genere, uel personam pro re, ut intelligas cuneum aduersariorum, pseudapostolos & persequutores uerbi dominici, uel omnis generis aduersa quæ affligebant carnem Pauli. Atque ad hunc modum exposuit & D. Ambrosius dicens, Hoc remedium datum est Apostolo, ut iniurijs pressus animo non possit extolli magnitudine reuelationum, quia ociosum pectus necesse habebat in his quæ uiderat extolli. Ad eundem modum & Paraphrastes, Permissu propitij numinis ait additus est stimulus & afflictio corporis, quæ & me mei commonefaciat, & apud omnes me mortalem arguat communibus obnoxium malis. Huc pertinet quod addit, Vt me colaphis cæderet. Intellexit enim calumnias ignominiam & omnis generis aduersa quæ sanctis irrogantur ne donorum munere & excellentia superbiant. Iam ipsa quoq; Pauli uerba euincunt quod humani nihil ab ipso alienum fuerit, sed uarijs & intolerandis afflictus malis miseri in morem supplex orauerit. Sequitur enim, Super hoc ter rogaui dominũ ut discederet à me. Vides aũt quantopere iam fit deiectus. Satis nunc negotij misero cum aduersarijs & malis undiq; ingruentibus. Hæc diuexant, urgent, et angunt ut reuelationum propè obliuiscatur, miserum modo se

Paulo datus stimulus.

esse conqueratur, cui si non ferat opem dominus, succubuerit. Impedito autem & obscuro dicendi genere usus est cum ait, Ter rogaui dominũ ut discederet à me. Non enim rogauit ut dominus à se discederet, sed ut angelus sathan discederet. Deinde hæterosi usus est certum pro incerto numero ponens. Multoties enim rogauit dominum. Nunc uero audi quàm non conueniat securis nobis esse & otiosis. Sufficit tibi, inquit dominus, gratia mea. Nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Hoc est potentia mea tum se exerit maxime cum humanũ cessat consilium, cum omnia uidentur desperata, adeoq; cum aduersarij dei & ueri ceu uictores triumphant. Imbelles enim uicisse nõ est uicisse, at uictores uictoriaq; securos fudisse triumpho dignum facinus est. Permitto ergo hostibus uictoriam & triumphos, ut & ipsi se rem omnem ad animi sententiã probe confecisse credant, & sancti de se & negotio dei actum propemodũ timeant. At hic demum diu expectatus aduenio sanctis, talemq; impijs me exhibeo qualẽ minime expectassent: atq; ita potentia mea per infirmitatẽ perficitur. Proinde ut in te quoq; Paule exerceam uires meas potentiamq; in hostibus tuis perficiam, multis malis te premi fino. Nõ præstaret te omni cura liberatum agere securum, finem specta & cur te affligi patiar, certe ut potentiam per infirmitatem perficiam. Hic nihil tibi post gratiam meam opus fuerit. Hanc cum expromptam & paratissimam noris, sufficiat tibi gratia illa mea, quæ una in malis aduersitatibusq; confirmare consulere & seruare potest. Huius propemodum generis illud est q̃d Iosephus scribit 18. antiq. lib. de Philone qui legatione ad Caium Cæsarem fungens ut caussam ageret Iudæorum, sed cum iniuria eiectus à Cæsare, dixit ad Iudæos qui ipsi astabant, Bono animo nos esse oportet quibus iratus est Caius. Quia necesse est adesse diuinum ubi humanum cessat auxilium. Hæc autem omnia omnibus præmodũ sunt utilia. Vtinã omnes uiuis literis in nostra insculperemus pectora. Tunc enim minus esset murmuris contra deũ, minus inconstantiæ & timoris in pijs. Videas hodie multos metu mali & periculorum à uero deficere, aut quæ uera & simplicia sunt peruertere, obscurare, uel uerborum inuolucris obducere, quo minus incommodent confessa. Timent illi ne cœlum ruat: non intelligunt per imbecillitatem istud granum synapis creuisse perpetuo. Bono igitur animo simus & nos, securi de gratia dei quã nemini digno negauit unquam. Digni autem sunt qui simplici & sancta fide deo se committunt, gloriam dei spectant, religioni puræ ueritatiq; simplici adhærent & hanc confitentur, ut ut ferociat mundus.

Virtus in infirmitate perficitur.

Libentissime igitur gloriabor potius super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Quamobrem placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persequtionibus, in anxietatibus pro Christo. Cum enim infirmus sum, tunc robustus sum.

Hoc inquit responsi cũ acceperim à domino posthac nulla de re libentius gloriabor quam de infirmitatibus. Hic iterum repetit superiorem sententiam, Vt inhabitet in me uirtus Christi. In infirmis enim operatur imò perficitur uirtus Christi. Proinde denuo infert sed clarioribus uerbis quod iam iam dixerat, διὸ εὐδοκῶ, Propter quod æquo & tranquillo animo sum (*Ich bin wol zefriden*) in infirmitatibus. Præterea per enumerationem specierũ exponit quid per infirmitates intellexerit hactenus, contumelias, necessitates, nuditatẽ, fitim, famem, persequtiones & anxietates, nec quaslibet sed quas pro Christi nomine pertulit. Nemo enim, inquit Petrus, ut fur aut facinorosus affligatur. Atq; hic tertio tandem superiorem repetit sententiam, Cum infirmus sum tũc robustus sum. Quia tunc uincit Christianus (Ambrosij uerbis utor) cũ perdere putatur: & tũc perdit perfidia, cũ se uicisse gratulatur. Plaudit ergo cum illi insultatur, & surgit cum premitur. Certè quo plus decedit exteriori homini, hoc magis accedit interiori. Sic aũt post multas & uerborum et sententiarũ ambages pulchre ad initium reduxit circulum apostolus. Initio enim dixit se gloriaturũ super infirmitatibus, interim quædã immiscuit de uisionibus cœlestibus, hic uero iterum redit ad infirmitatẽ. Cæterũ quod hic de se prædicat Apostolus id in uniuersa Christi ecclesia semper uidimus fuisse uerũ. Plus uiriũ habuit

Christi

Christi ecclesia cum caleret martyrum sanguine & funditus euerti uideretur Cæsarum Regum Principũ tyrannide, quàm interim habuerit dum tuta & secura sub hominum uixit defensione & præsidio. Nemo ergo terreatur ira regum. Impleãt mensurã patrum suorum, insaniant, ferociant, sanguinem innoxiũ propter fidem Christi effundant. Nihil efficient. Vincet enim rex Christus rex omnium sæculorũ & sempiternus. Huius ecclesia cum infirma est tum maxime ualet. Hunc oportet regnare donec ponantur inimici eius scabellum pedum ipsius. Sæpe ergo hæc D. Pauli uerba inspicienda nobis, hisce animus noster afflictus consolandus. Gloria & ueritas dei omnipotentis uidebatur in Babylonica captiuitate prorsus esse afflicta attrita & exoleta: sed re uera non fuit æque illustris, id quod historia Danielis approbatur. Vnus em̃ Daniel homo miser seruus et captiuus non semel potentissimum totius orbis uictorem & monarcham Nabuchodonosorem uicit, adeoq; & idololatriã attriuit. Nemo ergo desperet, Virtus dei per infirmitatem perficitur. Pergamus nos modo in uera animi humilitate, in scripturæ simplicitate & fidei ueritate. Profecto dominus aderit nobis, qui cultoribus suis nunquam defuit.

Factus sum insipiẽs gloriando. Vos me coegistis. Nam ego debueram à uobis commendari.

Interfatione quadam in officio retinet auditores. Quasi dicat, Sed quò me rapit sermonis impetus? Video me nimium esse in gloriando & hoc nomine auditorũ animos onerare. Verum condonate mihi hanc noxam. Si enim quis alius hoc nomine culpandus est, uos maxime in culpa estis. Vos enim coëgistis me hoc facere quod feci. Quum enim credidistis delatoribus æmulis meis famam meam mihi lædentibus, certè coactus sum gloriatione iusta meam mihi authoritatem uindicare. His per increpationẽ adiungit, Atqui æquum fuerat ut quod officij uestri erat prædicassetis de me, quæ nunc indecore cogor de meipso prædicare. Merito enim curamus ne lædatur fama bonorum uirorum, maxime si nos illorum beneficijs et opera aliquando usi sumus. Gratitudo enim requiritur à uiro bono. Ingrato homine nil peius terra profert.

Nulla enim in re inferior fui summis apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidem apostoli peracta fuerunt inter uos cum omni patientia & signis & prodigijs & potentibus factis.

Veluti epilogo repetit quæ in 11. cap. proposuit, causas etiam ostendens cur merito ipsius causam egissent Corinthij contra obtrectatores uanosq; iactatores pseudapostolos. Nõ enim est in me quicquam cuius uos merito pudeat pigeatq;. Nihil enim est quo inferior fuerim non mediocribus modo uerũ & summis apostolis, absit uerbo inuidia, non enim nescio quàm sim facultatum modicarum, & quod gratia dei sum quod sum. Interim respondere cogor illis qui ministeriũ meum conãtur infamare. Verũ scio quid obijciant, Paulum non à Christo electum aut missum esse apostolum, sed post Christi ascensionem in cœlos, sua sponte & libidine natum potius quàm delectum esse apostolum. His respondeo. Etsi apostolici nominis dignitatem immerito tribuerem mihijpsi, negare tamen non potestis quin apostoli signa inter uos fuerint peracta. Primum ac precipuum argumentum apostolici pectoris est, euangelij gratia nihil non libenter perpeti, hac certè nota præstiti apostolum. Neq; defuerunt illa quibus ad tempus ob incredulitatem quorundam deus fidem arrogat sermoni nostro, quod genus sunt ostenta, prodigia, factaq; potentia. Atq; huius generis quædam etiam in priori epistola scripsit cap. 9.

Paulus uerus Christi apostolus.

Marci ultimo.

Nam quid est in quo fuistis inferiores cęteris ecclesijs, nisi quod ipse ego non fuerim uobis onerosus? Condonate mihi hanc iniuriam.

Alio argumento apostolum se esse approbat. Cæteri inquit quos apostolorum nomine dignamini ecclesias ædificarũt, & hoc nomine apostolos se domini esse approbarunt. Atqui illis ecclesijs nihil fuistis inferiores qui à nobis ædificati estis. Nihil em̃ alijs collatũ est ecclesijs per apostolos summos, quod per me uobis nõ sit collatũ. Proinde uelitis nolitis uerũ me domini apostolum esse confiteri cogemini. Per ironiã uero adiecit

quod ſequitur, Niſi quod ipſe nõ fuerim uobis oneri. Condonate mihi hanc iniuriam. Beneficium enim contulerat, iniuriam non irrogarat. Sed & hac in re cæteros omnes ut in 11. cap. indicauimus antecellere uoluit, tantum abeſt ut peccatũ agnouerit. Ironia ergo orationis incommodum tollit. Porrò ſi Corinthiorum eccleſia recte à Paulo fuit inſtituta, ſi hæc cæteris eccleſijs, à ſummis apoſtolis inſtitutis, nihil fuit inferior, caruit autem ijs inſtitutis quibus hodie gloriantur Pontificij, certũ eſt inſtituta pontificia non pertinere ad conſtitutionem iuſtæ ueræq; eccleſiæ.

Ecce tertio propenſus animo ſum ut ueniam ad uos, nec ero uobis oneroſus. Non enim quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos. Non enim debent filij parentibus recondere, ſed filijs parentes. Ego uero libentiſſime impendam & expendar pro animabus ueſtris, licet uberius uos diligens, minus diligar.

Ad ſuperiora pertinent. Pergit enim exponere quàm ſit in Corinthios animo benefico, ut qui non modo ipſos grauarit nunquam, ſed nec in poſterum grauaturus ſit. Tertio, inquit, paratus ſum uenire ad uos. Semel modo Corinthum uenerat tum cum fide Chriſtiana ipſam imbueret. Et ſecundo illam repetere ſtatuerat, quemadmodum ipſe teſtatur in 1. cap. huius epiſtolæ, ſed negotijs alijs præpeditus redire nõ potuit. Tertio tandem Macedoniam tranſiens Corinthum uenit, ut expoſuimus in cap. huius epiſtolæ 2. & paulo poſt ſequetur in cap. 13. Cæterum cauſſam ob quam ſtipendio accepto nolit oneri eſſe Corinthijs adijciens, Non enim quæro, ait, quæ ueſtra ſunt, ſed uos. Id eſt, quod pecuniam à uobis nullam accipio, non ideo facio quod uos odiam aut uobis nolim eſſe obſtrictus, ſed ut declarem me ambire ſalutem ueſtram: id eſt, ut credentes ſalutem conſequamini, non ut opes de facultatibus ueſtris mihi cumulem. Patris non raptoris animum erga uos gero. Recondunt aũt patres filijs, filij patrum aiunt munificentia. Cum ergo uos filiorũ loco colerem, nolui patri reconderent filij. Imò quemadmodum patres non opes modo ſed ſeipſos impendunt filijs: ſic ego paratus ſum, ſi ſic exigat ſalus ueſtra, meipſum ipſamq; uitam meam uobis impendere. Atq; ad hunc modum expoſuit etiã D. Ambro. Hæc enim ſunt ſancti huius uerba, Nunc aperte affectũ & charitatem quã circa eos habebat oſtendit, quando non ſolum ſua pro eis impendere & propenſius impendere paratum ſe dicit, ſed & ſeipſum pro ſalute animarũ eorum etiam mori: ſicut & apoſtolus Ioannes dicit, Quia exemplo ſaluatoris pro fratribus (inquit) etiam animas noſtras debemus ponere. O fidem raram, ô mentem paternam apoſtolo Chriſti digniſſimã. Innumeri hodie doctores ſunt, patres pauciſſimi. Omnes ferè quæ ſua ſunt quærunt, pauci ut eccleſiæ bene habeant cogitant. Nemo eſt qui ſe impendat pro ſalute ouiũ. Atqui eiuſmodi exemplum prætulerat Chriſtus paſtoribus populorũ. Væ ergo nobis niſi omni ſtudio & Chriſti domini & Pauli apoſtoli exemplũ exprimamus charitate in plebem Chriſti ſancta. Præterea non citra criminationẽ ſiue exprobrationem ad finẽ addit, Non neſcio mihi uſu uenire in uobis q̃d uulgo ſolet parentibus in liberis, ut cum impenſiſſime uos diligam, nõ perinde diligar à uobis, poſthabitus ijs qui non æque bene uolunt uobis atq; ego. Atqui hæc eſt uulgi ingratiſſima peruerſiſſimaq; conſuetudo.

Paulus paternũ in eccleſiam geſſit animum.

Sed eſto, ipſe non grauaui uos, uerum cum eſſem aſtutus dolo uos cepi. Num per quenquam eorum quos miſi ad uos, expilaui uos? Rogaui Titum & unà cum illo miſi fratrem. Num quid à uobis extorſit Titus? An non eodem ſpiritu ambulauimus? an nõ ijſdem ueſtigijs?

Recenſet uerba pſeudapoſtolorum per mimeſim. Sic autem ogganniebant, Fatemur equidem Paulum nihil uos aggrauaſſe hactenus: uerũ addimus id magis ab ipſo aſtutia quapiam uel dolo malo quàm beneficentia & animo integro fieri. Dum enim ſe beneficum fingit, commode opera ſymmiſtarum à uobis pecunias emungit. Vel ſubdolus in animos ueſtros irrepit ut uos ſibi penitus agglutinet, agglutinatos capiat, captos tandem

Hæ potius Romanenſes quàm Paulinæ artes ſunt.

tandem prorſus deprædetur. His reſpondet Paulus, Neminẽ deprædatus ſum unquam neq; deprædabor quenquam, ſiue mea improbitate ſiue aliorum malitia. Hic uero uos ipſos (apoſtrophe fit ad Corinthios) aduoco huius negotij teſtes. Dicite ſi poteſtis, an per quenquam eorum qui nomine meo uenerunt ad uos extorſerim uel obulum. Miſi ad uos Titum collegam, addidi Lucam: hic edicite mihi quid hi à uobis uel poſtularint uel acceperint? Nihil opinor. Vani ergo & mendaces ſunt qui beneficentiam meam calumniantur. Quod enim doctrinam & uitæ inſtitutum attinet eodem ſpiritu ijsdemq; ueſtigijs ambularunt illi nobiſcum & nos cum illis. Nos uerum Chriſti euangeliũ prædicauimus, idq; gratis: hoc ipſum factitarunt & diſcipuli mei. Id quod uehementer illorum redarguit improbitatem, qui mendacia ſua apoſtolicorũ titulo nobis obtrudunt. Cum enim impoſturas et ſtolida capitis ſui figmenta apoſtolorum ſcriptis aduerſari uident, protinus obijciunt Apoſtolicorũ eſſe traditionem nõ ſcriptam. Atqui apoſtoli & apoſtolici in ijſdem ueſtigijs eodemq; ſpiritu ambularunt, proinde nebulones iſti mentiuntur. Quidquid enim ſcriptis aduerſatur apoſtolorum, hoc ipſum & traditionibus aduerſatur apoſtolicorũ, maxime cum apoſtolici nihil tradiderũt niſi quod ab apoſtolis acceperũt. Verum quis dicat id acceptum ab apoſtolis q̃d apoſtolorũ repugnat ſcriptis?

Rurſum arbitramini quod nos uobis excuſemus? In conſpectu dei in Chriſto loquimur, ſed omnia chariſſimi pro ueſtri ædificatione. Nã metuo ne qua fiat ut ſi uenero non quales uelim reperiam uos & ego reperiar uobis qualem nolitis, ne quo modo ſint contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, ſuſurri, tumores, ſeditiones: ne iterum ubi uenero humiliet me deus meus apud uos, et urgeam multos eorum qui ante peccauerint et non pœnituerint ſuper immunditia & libidine & impudicitia quam patrarunt.

Paulus compulſus & inuitus plura ſcripſit, ſed in ædificationem omnia.

Obijciebant pſeudapoſtoli Paulũ ſcriptis ſuis nihil aliud quàm cauſſam ſuam agere, ſe quærere, contendere, ut parum utilitatis poſſit ex illis ad ipſos redire. Sancte ergo obteſtatur Chriſtumq; dominũ uocat in teſtem, quod quæcunq; uel agat uel dicat in commodum ſiue ædificationem Corinthiorum agat & dicat. In omnia enim ſe uertebat, & nihil nõ tentabat quo ipſos redderet correctiores. Proinde patris in morem miſere metuebat ne correctiores ſed deprauatiores inueniret aliquando, unde & in eos deſeuire cogeretur. Atqui id illi nolebant, ſed interim quod Paulus uolebat (cupiebat aũt ſanctimoniam & innocentiam) negligebant. Hodie quoq; omnes cupimus nobis dari præcones uerbi benignos, placatos, minimeq; acerbos, interim nemo id uel corrigit uel deponit cuius gratia præcones uerbi coguntur eſſe ſeueri. Vellent nimirum & hi plebem correctiorem, quemadmodum & hæc optat præconem uerbi placidiorem. Scelera autem quæ hic commemorat taxauit & in priore epiſtola. Quædam expoſuimus in 1. cap. epiſto. ad Roma. Ad conſequentia uero per Zeugma repetendũ eſt uerbũ ex ſuperioribus, Metuo ne iterũ ubi uenero humiliet me deus meus apud uos. Habent aũt ea occultã quandã antitheſim. Quaſi dicat, Non eſt ut æmuli mei mihi obijciant animi elationẽ & arrogantiam, plus illi me humiliant quàm qui ſuperbire queam. Sic em̃ agunt et docent apud uos ut ſcelera omnino inter uos regnent, ut ut illi iactitẽt & ſe & uirtutes ſuas. Cæterum, impudentes et corrupti ueſtri mores me in luctum conijciunt. Non enim dolere non poſſunt, idq; ex animo qui rite inſtitutam à ſe eccleſiam deprauari uident ab alijs, qui item bona cũ fide docentes operã & impenſam perdunt. Et Corinthus ſemper libidinis & luxus uitio infamis fuit, ut in 1. epiſt. 6. cap. annotauimus. Diſcant aũt ex hoc loco eccleſiarũ præſides urgere peccatores, urgere aũt paterno affectu ad pœnitentiam.

Hic tertius erit aduentus meus ad uos, In ore duorum teſtium aut trium cõſtituetur omne uerbum. Prædixi & prædico, ut præſens cum eſſem iterum ita & abſens nunc ſcribo ijs qui ante peccauerunt & reli- CAP. XIII.

quis omnibus, quod si uenero denuo non parcam. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga uos non est infirmus, sed potens est in uobis. Nam quamuis crucifixus fuit ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute dei. Siquidem & nos infirmi sumus in illo, sed uiuemus cum illo ex uirtute dei erga uos.

Paulus non infirmus sed potens in Christo.

Occasione ex fine 12. cap. accepta minatur Corinthijs apostolus se exercitaturum in ipsos suam potestatem, ni meliores reddantur continuo. Propemodum autem epilogo colligit quæ extra eleemosynæ caussam in hac disputauit epistola. Hoc autem est quod dicit, Videor æmulis meis uana quædam tonare uerba dum me ad uos uenturum minitor, forsan quod negotia me mea imò Christi non mea semel atq; iterum remorarunt. Quando uero lex ratum esse iubet quod ore duorum aut trium testium confirmatum fuerit, & ego iam tertio me aduenturum recipiam, profecto adero nunc. Quod autem secundo aduentu meo, id est cum secundo me aduenturũ pollicerer 1. Cor. 4. dicebam, id nũc absens repeto, præsens certo exequar. Cum uirga enim ueniam ad uos, nec parcam ijs qui impudenti uita cœtum commacularunt sanctum & pœnitentiam salubrem respuerunt. Verum aiunt æmuli mei absentem me robustum præsentem omnino esse infirmum. Quando ergo experiri libet quæ mihi à Christo uires datæ sint, age exeram istas in illos, ut sentiant non me istud saxum uoluere, sed Christum per meum operari ministerium. Christum opinor nequaquam imbecillem dicent. Quanquam enim is secundum infirmitatem crucifixus sit, reuixit tamen uirtute diuina. Sed & signis & prodigijs per nomen Christi factis declarauimus potentiam eius. Et nos quidem qui apostoli eius sumus infirmi ab incredulis iudicamur, sed nõ deest nobis potentia à deo data, quibus & uitæ æternæ spes per Christum restituta est. Plura cap. 10. de potestate apostolica disputata sunt.

Deut. 17.

Loquentis pro agentis.

Vosipsos tentate num sitis in fide, uosipsos probate. An non cognoscitis uosipsos quod Iesus Christus in uobis est? nisi sicubi reprobi estis. At spero uos cognituros quod nos non simus reprobi.

Qui uere credunt, uigorem fidei in cordibus sentiunt.

Probat Christum in Corinthijs non infirmum sed potentem, præterea & ministerium suum inter ipsos fuisse euidens. Si recte, inquit, credidistis uerbis nostris, uigorem certè Christi sentitis in uobis ipsis, sentitis conscientiam tranquillam. Cogemini ergo fateri & Christum & ministerium nostrum non fuisse in uobis infirmum. Nisi forsan non recta mente nos nostramq; receperitis doctrinam. At tum uobisipsis imputabitis imbecillitatem, non nobis. Cæterum quo ardentior esset oratio figurauit eam interrogatione & membris concitata breuitate intercisis. Ad finem enim festinat oratio, at tum maxime flagrare debet.

Opto autem apud deum ne quid mali faciatis, nõ quo nos probati appareamus, sed ut uos quod honestum est faciatis, nos uero ueluti reprobi simus. Non enim possumus quicquam aduersus ueritatem sed pro ueritate. Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus, uos autem ualidi fueritis.

Paulus uult sibi esse male, ut ecclesia ualeat bene.

Inuenias hominũ genus quod regna et urbes integras interire finat dummodo ipsum uicerit & prudenter egisse dicatur. Sed Paulus diuerso instructus genio, quia dixerat Corinthiorum culpa designatum si quid sit inter ipsos reprobi, ne uideretur suæ gloriæ plus æquo auidior, per occupationem addit, Hæc non in hoc dico, ut uestræ integritatis periculo meam probitatem asseram. Libenter enim reproborum titulo notari patiar, modo ne uos fitis reprobi. Omnia ergo quæ de potestate nostra iactamus huc pertinẽt, ut quod honestum est faciatis. Hæc uero munit duplici sententia. Prior, Nulla nobis potestas facta est aduersus iusta & res ueras, sed contra mendacia et scelera. De quo dictum est in cap. 10. Posterior, Tantũ abest ut cupiam cum detrimento nominis uestri laudari, ut potius

ut potius gaudium sit infirmari ut uos fitis consummati. Hæc obsecro legite & pectoribus uestris imprimite, qui præestis populo siue gregi dominico.

Hoc autem insuper optamus uestram integritatem. Propterea hæc absens scribo, ne cum præsens fuero rigidus sim iuxta potestatē quam dedit mihi dominus in extructionem & non in destructionem.

Absoluunt hæc superiorem sententiam planioremq; efficiunt. Iterum autem memori mente præfidibus ecclesiarum retinendum quod dominus potestatem ecclesiasticam AD AEDIFICATIONEM non destructionem dedit.

Quod superest fratres, ualete, integri estote, consolationem habete, unanimes este, in pace agite, & deus charitatis & pacis erit uobiscum. Salutate uos mutuo sancto osculo. Salutant uos sancti omnes. Gratia domini nostri Iesu Christi, et charitas dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus uobis, Amen.

Diligētius hæc expende Lector.

Clara sunt quæ dicit, expositionem non postulant. Hisce enim claudit epistolam saluberrimam. Quod autem Paulus Corinthijs id ego uobis quoq; amici Lectores, tibi uero in primis Dionysi frater in domino uenerande imprecor. Operam autem hanc meam æquis & gratis animis excipite. Christo domino sit laus & gloria semper.

IN D. APOSTOLI PAVLI AD GALATAS, EPHESIOS, PHILIPPENSES, Et Colossenses epist. Commentarij.

CLARISSIMIS VIRIS D. AMBROSIO BLAVRERO ET IOANNI ZVICCIO CONSTANTIEN. PRAESVLIBVS, CONrado item Zuiccio & Thomæ Blaurero patritijs & senatoribus fratribus, Heinrychus Bullingerus Gratiam & uitæ innocentiam à Domino.

NOVA dexteritate enarrauerim hactenus aliquot Apostolorum epistolas, norunt ecclesiæ penes quas D. Paulus uoluit de prophetijs esse iudicium. Ego quidem de puritate fidei simplicitateq; mihi bene conscius, nunc demum & de ecclesiarum approbatione bene ominari incipio, posteaquam magni nominis uiri pietate & eruditione celebres, fratres item sancti & cōplures, ut in reliquas quoq; epistolas commentari pergam urgere non cessant. Remorantur equidem uel plurima conantem frequentes illæ contiones publicæ: remorantur negotia uaria. Quid quod temporis angustia ac breuitas nō modo mihi meipsum surripit, sed conatus meos uehementissime fraudat? At illi nihilominus nō omnem aiunt deperdendam esse occasionem, arripiendum esse quantulumcunq; superfit temporis illoq; bene utendum. Cæterum scribendis Commentarijs non posse me utiliorem pijs collocare operam. Dum uero obijcio doctas & sanctas multorum tam priscorum quàm recensiorum enarrationes in Apostolicas extare epistolas, inde protinus isti colligunt planum fieri quod diuersa semper fuerint in ecclesia munera dei & suum cuiq; donum uel hodie datum sit, quod nisi improbitatis accusari uelimus fideliter in proximorum utilitatem sit erogandum: quum hoc ipsum uideamus factitasse & ueteres, qui tametsi in epistolam Pauli ad Galatas extarent quinq; libri Origenis & decimus Stromatum liber, non reuocarunt à commentatione calamum suum. Equidem constat ueterē ecclesiam plurimorum simul expositiones legisse uel huius (ut cæteras non commemorem) ad Galatas epistolæ. Nam Hieronymus author est post Origenem in epistolam ad Galatas scripsisse Didymum Alexandrinum, Appollinarium Laodicenum, Alexandrum quendam, Eusebium quoq; Emesenum & Theodorum Eracleotem. Verum illa non peruenerunt in manus nostras. Nam iniuria temporum interciderunt. Venerunt autem ad nostram memoriā quæ scripsere D. Hiero. Ambro. Augusti. & Theophylactus, ut alios taceam. Putarunt ergo isti exactores Commentariorum nostrorum nihil me contra maiorum peccare exemplum, si post

maxima maximorum uirorum munera æra minuta duo mittam in gazophylacium domini, peccaturum autem si negem in cõmune deferre quod contulit gratia domini. Prodijsse sanè aiunt in lucem etiam hodie Annotata & commentationes in epistolam Pauli ad Galatas doctissimorum uirorum Laurentij Vallæ, Fabri Stapulensis, Eras. Roterodami, Martini Lutheri, Gasparis Megandri & Ioannis Pomerani, uerum adeo non debere illorum diligentiam absterrere à scribendo ut incitet potius, utpote qui enarratione ipsorum diligenti plurimum possim iuuari.

Vicit tandem obstinatiam meam ratio, operis difficultatem cum ueterum tum recensiorum diligentia. Non enim quod nonnulli solent erubesco aliorum bene uti & uerbis & sententijs. Quorsum enim attinet ueritatem uere & simpliciter propositam nolle nisi peregrina & noua ueste tectam recipere? cum ipsa uetustas nonnihil authoritatis rebus addat, & fœlicius nonunquã purius & appositius apud illos reddita sit quàm hodie à nobis reddi possit. Atqui sic dicat aliquis, Præstaret solis priscis omnem collocasse operam, neglectis nuperis illis tractatoribus, qui ex retextis aliorum sertis nouas subinde corollas concinnare gaudent. Verum notum est prouerbium uulgatissimum τῷ πλεόνωμ ψήφῳ νικᾷ. Neq; enim unus omnia uel uidit uel didicit. Nec uero probandi sunt consarcinatores stolidi qui citra iudicium quælibet congerunt. Necesse enim est ut quælibet suo dicantur loco. Gemma est proprium uerbum suo loco insertum, ut de sententijs taceam. Alium ordinem & tractatum alia requirunt tempora. Quid quod alij interpretes aliud atq; aliud spectarunt? Requiras in alijs ordinem, in alijs perspicuitatem, copiam in his, breuitatẽ in illis. Sunt qui in asserendo infirmi, in refutando maioribus polleant uiribus. Sunt alij qui in locis cõmunibus tractandis non infœlices, at in enarrandis authoribus id est reddenda mente authoris sint infantissimi: utpote in quos competit illud Caij, Harena sine calce: & illud Ciceronis, Scopæ dissolutæ. Videas alium interpretem qui in sacris exponendis nihil nisi tropos & idiomata obseruet. Alium uero qui linguas modo conferat. Certat tertius aliquis contra hæreses & hæreticos: & hi fortassis negligunt quæ faciunt ad ædificationem fidei, consolationem afflictæ conscientiæ et ad exhortationem ad sanctimoniam & integritatem uitæ. Iam qui hæc superstitiose etiam curat, ferè reliqua omnia negligit. At diligentis & absoluti interpretis erat ista omnia obseruare. Id quod non in hoc dico quod ipse uiderim aut hoc ordine & hac diligentia commentarijs nostris sacra enarrauerim, sed ut morosi quidam amentesq; uideant hodie non inanem ludere operam qui commentarijs ædendis accurate inuigilant. Scriptura enim amplissimus ingeniorum campus est. In quo tamen illi modo fœliciter exercentur, qui metas fidei & charitatis non transgrediuntur. Item qui gloriam dei non suam quærunt. Notissimum certe illud Comicum, Nullum est iam dictum quod non dictum sit prius. Quod si nihil posthac dicendum nisi quod prius non sit dictum, silendum profecto erit omnibus. Verum quis hoc ab homine exigat? Loquendum ergo omnibus quorum loqui interest, quorum loquutio sana est atq; prodest. Quod me attinet malo ego in spongiam recidere & interire scripta mea si non prosunt ecclesiæ, si non per omnia congruunt scripturis canonicis. Hæ enim merito cynosuræ loco sunt omnibus per hoc fretum nauigantibus. Deus autem & pater domini nostri Iesu Christi mihi testis est quod hanc operam iuuandi, non aliorum scripta uel obscurandi uel calumniandi suggilandi uel uellicandi studio suscepi.

Data autem opera statui quatuor hasce Pauli epistolas ad Galatas uidelicet, Ephesios, Philippenses & Colossen. uno hoc uolumine & cõplecti & exponere, quod in his totius religionis Christianæ summa appositissime uideatur exposita. Eiusdem quidem argumenti sunt duæ priores & postrema, sed nõ pari filo & ratione conscriptæ. Nam in epistola ad Ephesios simpliciter exponit cognitionem suam in mysterio Christi, id est quæ sit uera Christi cognitio secundum euangelium. In Galatis uero hoc ipsum docens maxime contra renitentes & Iudaismum pro Christianismo obtrudere uolentes disputat. In utraq; uides doceri quæ sit fides Christiana, quæ uera religio cognitióue Dei per Christum, sed aliter atq; aliter exponi. Et Coloss. dicata epistola nihil discrepat ab ea quæ scripta est Ephesijs, nisi illam huius epitomen uocare malis, quemadmodum epistola Pauli ad Galatas eius quæ ad Romanos scribitur epitome est quod iustificationis attinet negotium. Nam quæ ibi de uocatione Gentium disputauit fusius, succinctius constringit in epistola ad Ephesios. Hisce autem tribus epistolis commodum coniungitur epistola ad Philippẽ. quod in hac mira contineatur consolatio in afflictionibus, exhortatio ad charitatis perseuerantiæ & uirtutum studium, quæ omnia ijs præmodum sunt necessaria quibus innotuit cognitio Christi & modus iustificandi per gratiam dei. Nam hi uarijs afflictionibus explorantur, nonnunquã uel inertia uel corrupta doctrina et hæresibus à simplicitate abducuntur, ut pharmaco aliquo aduersus hos morbos sit opus, quod quidem cœlestis medicus Paulus ea parauit epistola.

Cum autem circumspicerem cui pro more hasce Commentationes laborem meum dedicarem, primum occurrit integritatis uestræ quaternio firmissime sibi fide nobilitate gloria & sanguine connexa. Non spectaui ego dedicatione mea quod multi solent. Alij enim suo labore eos illustrare cupiunt

piunt quibus opera dedicant, ego uero operam meam ex uestra authoritate gloria & uirtute ornari cupio. Ambiunt alij dedicationibus magnorum hominum fauorem & amicitias demereri, illos & ad officia sibi quasi obnoxios obstringere satagunt. Multi encomia istorum artificiose componentes non citra adulationis crimen ipsos ab ijs laudant uirtutibus quas eis inesse uellent. Hisce autē apud uos nihil mihi erat opus, ut qui amaueritis me officiosius semper quàm unquam sim merendo. Nec ego uel lucrum facere uel encomia canere instituí. Adulari non didici. Neq; uobis adulatore opus est qui absentes uirtutes quas præsentes cupiat laudibus uehat & ita ueluti stimulum infigat & calcar addat. Ipsi per diuinam adiuti gratiam uobisipsis satis estis ad gloriam. Nec uno aliquo uobis opus panegyrista. Nam urbes præclaræ doctrinam uestram sanam, pietatem religiosam, prudentiam item senatoriam raram, sapientiam & fidem præclaram, eruditionem quoq; præsignem & humanitatem excellentem suspiciunt, hasce in uobis prædicant populi, de hisce gratulantur ecclesiæ, inuident has impij, uenerantur illas in uobis sancti, & fausta quæq; imprecantur. Accedit præterea gloriæ uestræ castissima illa soror uestra Margarita Blaurera, quæ post pudicitiam uirginalem & multa & magna in pauperes hoc est in Christum sponsum officia beneficiaq;, eximijs alijs dotibus multis & uarijs eruditionem quoq; & peritiam Latinæ linguæ coniunxit, pia & Deo dicata per omnia. Agnoscitis nimirum dona Dei. Non ignoratis quantum tota uestra familia ob præclara Dei dona accepta debeat ecclesiæ. Nihil habemus quod non acceperimus. Nemo de acceptis dei donis perinde gloriari debet quasi nō acceperit. Et quæ dantur à domino in hoc dantur ut prosimus quàm pluribus. Equidem uos nemini nō prodesse obesse nemini studetis, beneficos & humanos exhibetis uos omnibus. Eatenus ergo uosipsos & nobis impendite, ut uestri nominis auspicio hi commentarij nostri exeant in publicum, id est, ut uestri nominis authoritate uendibiliores magis propitios habeamus lectores. Salutant uos fratres, Leo Iudæ, Conradus Pellicanus, Theodorus Bibliander & cæteri symmistæ. Valete in Domino, Tiguri Mense Iulio. Anno domini 1535.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD GALATAS.

CONSTAT ex ipsis causis omnes res certius educi et planius cognosci posse, quo circa de occasione huius epistolæ dicendum erit ut melius intelligatur scriptoris sacri institutum. Oberrabat per ecclesias sancte ab apostolis institutas male feriatum genus hominum: ueteres Nazareos uocarunt. Hi ex factione descendebant Pharisaica, professione enim erant Iudæi, nomine uero Christiani. Nondum enim tenentes gratiæ Christi beneficium, legem miscebant euangelio, contendentes neminem saluari posse per Christum nisi & circumcisus esset & legem Mosi seruaret. Id nos copiosius prosequuti sumus in 15. cap. Actorum & in epistolam ad Romanos scribentes. Paulus uero non ita didicerat Christum neq; ad istorum modum uel Galatarum uel aliarum gentium ecclesias instituerat. Prædicabat enim lege peccata nostra proferri nō auferri, solam autem fidei gratiam per Christum iustificare omnes gentes. Inde uero Nazarei suspectum habere cœperunt Apostolum Paulum tanquam male fidei ministrum, qui neq; modum aliorum apostolorū in prædicanda ueritate euangelica seruaret, neq; sibijpsi per omnia constaret. Fingebant enim & apostolos domini eius dogmatis esse authores quod nihil prosit Gentibus euangelium nisi opera quoq; legis implerent. Et sanè patrocinabatur in speciem hisce uerbis apostolica imbecillitas. Quod scilicet sibi per initia à cō gressu temperabant Gentium. Nam Petrus cum esset Antiochiæ sese subduxit ad Iudæorum & Iacobi aduentum à Gentibus. Addebant ipsum quoq; Paulum prædicationis suæ insolitæ male conscium nunc legis uti ceremonijs, ut qui Timotheum suum circumcidisset, nunc damnare legem, asserere modo gratiam. Potius ergo audiendos esse qui apud Petrum & Iacobum uersati fuissent, quiq; ipsum uidissent dominū Iesum. Paulum enim illum & dominum non uidisse & discipulorum modo discipulum esse. Hisce uero in speciem ueris accusationibus turbarunt ecclesias multas recte per Paulum in fide institutas, Galatarum uero propemodum subuerterant. Fauit impostorum cœptis diuturna Pauli captiuitas. Oberrabant isti impune, & specie boni multorum mentes subuertebant, hic uero quod semel fœliciter plantarat diligentius rigare non poterat, donec officiosa charitas & cura sedula consilium quo obstaret uastatoribus uineæ domini inueniret. Parat enim epistolam ad Galatas qua æmulorum confringat ferotiam, gratiam dei per Christum uindicet, & Galatas sibijpsis restituat, depulsis ab ouili Christi lupis istis grassatoribus. Occasio huius epistolæ.

Tria ergo hac potissimum epistola agit. Principio euincit se uerum & à Deo missum esse apostolum, quod euangelium suum nō didicerit ab ullis hominibus imò ne ab ipsis quidem apostolis, qui ut nihil ipsi contulerint, ita socias dextras dederint, & quod Petrus ipse Antiochiæ mœtu superuenientium Iudæorum sese è Gentium conuictu subducens grauiter à se increpitus sit, tantum abesse ut ipsi uel à Petro uel alijs apostolis tantillum accesserit qđ ad perfectionē prædicationis euangelicæ uideatur pertinere. Deinde ipsam rem aggrediens ipsamq; Argumentum.

euangelij uim et ſummam explicans multis iiſdemq; firmiſsimis argumentis & demonſtrationibus oſtendit iuſtificari hominem non legis aut operum, ſed gratiæ dei per fidem in Ieſum Chriſtum beneficio. Hoc eſt, quod ſola euangelij gratia ad ſalutem conſequendam uel ſine legis adminiculo, ſatis ſit. Hic autem uarij occurrunt loci de fide, de lege, de libertate Chriſtiana, de peccato, & peccatorum remiſsione. Poſtremo adhortatur Galatas ut in doctrina fidei ſana & libertate per Chriſtum parta perſeuerent, ab impoſtoribus hoc eſt operarijs malis Nazareis uidelicet ſibi caueant: interim uitã uiuant ſanctam quæ deceat ſpiritu & fide renouatos. Hic enim diligenter & copioſe diſſerit de officijs pietatis et fructibus fidei bonis. Quælibet autem harum cauſſarum binis fermè abſoluitur capitibus.

Præſtantia huius epiſtolæ.

Maximæ autem authoritatis & exiſtimationis fuit hæc Pauli epiſtola ſemper apud ueteres imò apud omnes eccleſias. Et certè nemo facile expoſuerit quanta ſit eius & nobilitas & utilitas. Simpliciter exponuntur in ea maxima religionis myſteria, ſed non citra artem eximiam. Breuis eſt, ſed in hac ipſa breuitate ſi excutias eam paulò diligentius admirandam reperias copiam. Neruos in hac ut in nulla alia extendit. Sed et acris eſt omnibus alijs concitatior. Primam cauſſam expedit per artificioſiſsimam & tamen naturalem expoſitionem. Nihil enim in hac affectatum nihil uiolentum, omnia leni ductu fluunt & lectorem ueluti aquis leni murmure præterlabentibus inuolutũ abducunt quo decurrit oratio. Secundam uero contrauerſiam docta euidenti & firma argumentatione inſtitutam abſoluit. Atq; hac tam aduerſarios ſuos quàm Galatarum animos in ſuam ſententiam illicit rapit conſtringit. Poſtremum autem negotium uerſatur & in deliberatiuo & præceptiuo genere.

Apparet autem hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ex urbe Roma. Alij exiſtimant ex Epheſo miſſam, priuſquam inde per tumultum à Demetrio excitatum eſſet expulſus. Veriſimilior uidetur eorum ſententia qui è uinculis hanc ſcriptam credunt. Quemadmodũ enim in calce epiſtolæ ad Epheſios ſuæ meminit catenæ, ſic in fine huius epiſtolæ ad Galatas meminit afflictionis ſuæ dicens ſe ſtigmata domini Ieſu portare in corpore ſuo. At certo conſtat epiſtolam Epheſijs ſcriptam ex uinculis à Roma eſſe miſſam. Vtcunq; uero hæc res habeat, hoc interim certum epiſtolam ſero tandem eſſe ſcriptam & poſt alias fermè omnes. Vnde & plurimum habet grauitatis authoritatis et prudentiæ ſenilis. Huc accedit quod ipſe Paulus hanc ſua ipſius manu propria conſcripſit. Alias fermè omnes excipientibus librarijs ſcribisúe dictauit, demum & manu ſua ad calcem conſignauit, qui ueterum mos creberrimus fuit. Proinde ſi cui cordi eſt Pauli apoſtoli reliquias craneũ oſſa uel ueſtes uenerari, exoſculetur hanc epiſtolam multo & meliores & certiores D. Pauli reliquias. Veſte præſtablius eſt corpus, corpore nobilior animus. Animi uero reliquiæ literæ ſunt. Præſtant ergo hæ ſanctorum reliquiæ, quæ animi & fidei ſunt reliquiæ. Has amplectere relictis aridis iſtis & ſuccu carentibus oſsibus.

INSCRIPTIO.

CAP. I.

PAulus Apoſtolus, nõ ab hominibus neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum ac deum patrem, qui ſuſcitauit illum ex mortuis, quiq; mecũ ſunt omnes fratres, eccleſijs Galatiæ, gratia uobis & pax à Deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto qui dedit ſeipſum p peccatis noſtris, ut eriperet nos ex præſenti ſeculo malo, iuxta uoluntatẽ Dei & patris noſtri, cui gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

Titulus & perioche huius epiſtolæ, id eſt quid ſcripſerit in hac epiſtola Paulus.

Inſcriptiones Paulinæ ueluti libris tituli ita hæ epiſtolis præfiguntur. Quæcunq; autem in ipſis uel libris uel epiſtolis traduntur, in titulis ſiue inſcriptionibus ceu in tabula per compendiũ inſculpta proponuntur ſpectanda lectoribus. Ita enim hac inſcriptione tria illa mira breuitate conſtrinxit quæ in hac epiſtola tractari diximus in argumento. Nam præter id quod nomen ſuum prodit ex more illorũ quoq; nomen expromit quibus ſcribit, ipſisq; fauſta imprecatur, proponit ſe eſſe apoſtolũ, ſalutem nobis cõtingere ex morte Chriſti, qui & à præſenti ſæculo malo eripuerit. Atq; hæc tria capita potiſſimum hac tractantur epiſtola. Sed libet ſingula propemodum uerba diligentius uerſare excutereq;. Principio cum diſertis uerbis ſe Apoſtolum eſſe dicit, conſcienitam aduerſariorũ ſuorum ferit, qui negabant ipſum eſſe apoſtolum. Iam cum addit non ab hominibus neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum ac deum patrẽ qui ſuſcitauit illum ex mortuis, uehementer amplificat dignitatẽ apoſtolici ſui muneris. Nõ enim temere meminit reſurrectionis. Hęc enim certũ eſt diuinitatis Chriſti argumentũ. Proinde prę-

Pauli apoſtolatus nobilis.

ferſe quo-

se quodammodo cæteris apostolis, ꝗs uocarat dū adhuc humilis ageret in terris. Rectè enim Paraphrastes, si merito, inquit, pro magnis apostolis habentur quos ille mortalis adhuc inter homines hominem agens designauit, certè non inferior habendus uideor quem è cœlis non ut homo iam sed ut Deus ad apostolicum munus obeundum exciuit. Cæterū ꝗd addidit deum patrem Iesu Christo, significare uoluit unam atq; eandem esse patris et filij substantiam potestatem & uoluntatē. Probe enim ex hisce Pauli uerbis collegerunt uetusti utriusq; in Christo naturæ testimonia cōtra Manichæos Hebionitas & Photinianos. Nam si Paulus neq; ab hominibus neq; per hominem ad munus apostolicum uocatus est. Per Christum aūt uocatus est, consequens est, Christum non modo hominem fuisse uerum sed & deum uerū. Rursus si idem ille mortuus & exuscitatus est, certè homo est. Deus enim purus morti nequaquam est obnoxius. Iam ꝗd exuscitandi uerbum nefasti quidam homines eò rapiunt ut inde colligant patre minorē esse filium, non uident amentes id propter assumptam naturam humanam ita esse prolatum. Cur nō & illa expendunt testimonia, Soluite templum hoc & in triduo excitabo illud. Item, Potestatem habeo ponendi animam meā & rursum potestatem habeo sumendi illam? Miretur autem aliquis cur Paulus non modo dixerit ab hominibus sed addiderit etiam per hominem. Sed D. Hieronymus hunc scrupulum eximens, Quatuor, inquit, genera apostolorū sunt, Vnum quod neq; ab hominibus est neq; per hominem sed per Iesum Christum & Deum patrem. Aliud quod à Deo quidem est, sed per hominem. Tertium quod ab homine nō à Deo. Quartum ꝗd neq; à Deo, neq; per hominē neq; ab homine sed à semetipso. De primo genere potest esse Isaias cæteriq; prophetæ & ipse apostolus Paulus. De secundo Iesus filius Naue, qui à Deo quidem est minister cōstitutus, sed per hominem Mosen. Tertium genus est cum hominū fauore & studio aliquis ordinatur, ut nunc uidemus plurimos non dei iudicio sed redempto fauore uulgi in sacerdotium subrogari. Quartum est pseudoprophetarū & pseudapostolorū. De quibus apostolus, Istiusmodi, inquit, pseudapostoli, operarij iniquitatis, transfigurantes se in apostolos Christi, qui dicunt, Hæc dicit dominus, & dominus non misit eos. Hæc D. Hierony. Voluit ergo Paulus gemminatione illa significare se immediate, ꝗd aiunt, dei uocatione esse apostolum non hominū ordinatione. Nec satis est illi dixisse, Paulus apostolus per Iesum Christum & deum patrē (addendum uocatus) addit præterea, Et qui mecū sunt omnes fratres. Quamuis eñ sufficeret authoritas eius, nec posset, ut inquit Ambrosius, refutari, tamē ut grauet factum illorū, quo à prima fide destiterant multos secum accensos ad errorem illorū arguendum designat. Addit Hierony. Plurimum quippe facit ad populum corrigendum multorum in una re sententia atq; consensus. Certè hinc colligere licet catholicam tum fuisse eam quam prædicabat Paulus doctrinā. Recalcitrasse ei superstitiosos modo & subuersæ mentis homines. Id quod hodie quoq; fit, tametsi sua inuenta pro catholicis & auitis uenditent dogmatis. Quod aūt omnibus Galatiæ ecclesijs scribit, admonet omnes penè pseudapostolorum ueneno fuisse infectas. De Galatia et Galatis scripsit in epitome sua Vadianus noster. Præcipua is in Galatia opida recensет Ancyram, Gordium, Laodiciam, Pessinū, & reliqua, per quæ transiens apostolus sanctas fundarat ecclesias. De particularibus loquimur, aliàs cōstat unam modo esse ecclesiam Christi sponsam. At illud uehementer impugnat Anabaptisticam hæresim quod eas urbes ecclesiarū nomine dignatur, quę per Nazaræos à Christo ad ceremonias erant abductæ. Verū spes erat istas post correctionem ad mentem & fidei sobrietatem redituras, proinde nō ueretur illas appellare ecclesias. Sapiens nonnunquam dicitur qui tametsi per omnia non sapiat, cœpit tamen sapere. Ita legimus prophetam dixisse, Argue sapientem & diliget te. Qui autem plenæ consummatæq; uirtutis est, ut ait Hieronymus, correptione nō indiget. Iam quæ sequuntur de Christo domino, duplicē habent usum. Primo enim dicitur ꝗd Christus Iesus dederit se pro peccatis nostris. Ex hoc enim consequitur quod salus & iustitia merito Christi non nostrorū operum meritis ascribenda sit. Si enim ex lege est iustitia Christus frustra mortuus est. Et dare seipsum pro peccatis nostris, Hebraico idiomate dixit pro eo ꝗd est sponte sua sese ad mactandum & mortem

Vtræq; in Christo naturæ.

Ioan. 2.

Ioan. 10.

Genera apostolorum.

Morbidam & penè subuersam ecclesiam, ecclesiam uocat Paulus.

In Christo est uita nostra.

offerre pro emundatione peccatorũ nostrorũ. Sed de morte siue hostia Christi copiosius disputatum est in epistola ad Hebræos. Deinde additur quod non modo passus sit ut à peccatis nos expurgaret, sed ex præsenti sæculo malo nos eriperet, id est, ut negata impietate & mundanis cõcupiscentijs sobrie & iuste & pie uiuamus in præsenti sæculo, nempe ne accommodemus nos ad figuram sæculi huius, sed transformemur per renouationem mentis nostræ. Præsentis enim sæculi hæc est malitia ut nec creatori suo Deo debitam reddat reuerentiã, dum multos sibi deos fingit error humanus, nec restauratori Christo meritas referat gratias. Porrô is demũ gratus est qui uni fidit. Fingit aũt sæculum præsens ceremonias quibus gloriam soli Deo debitam prophane & impie tribuit. Mortuus est ergo Christus ut pararet sibi peculiarẽ populum, liberũ uidelicet qui sibi in sanctitate & iustitia seruiret. At in hoc sacrũ dei cõsilium peccarant Galatæ qui per ceremoniarum et legis umbras deo uero cultum instituebant. Sæculum aliàs q̃d est spacium temporũ non per semetipsum aut bonũ aut malũ est, sed propter eos qui in illo sunt aut bonũ appellatur aut malum. Detestamur enim gladiũ quo humanus effusus est cruor, non gladij peccato sed eius odio qui eo male usus est. Manichæus his & huius generis alijs locis abutebatur, uitium impingens creaturis Dei bonis. Ad finẽ huius inscriptionis appendit, Iuxta uoluntatẽ Dei & patris nostri, cui gloria in sæcula sæculorũ, Amen. Illo autem pulchre firmat & commendat nobis ipsum euangelij negotium, quod non ab homine ortum, sed diuino consilio sit ordinatũ. Quasi dicat, Cum salutem & uitam prædicamus conferri per mortem & oblationem corporis Christi fidelibus, & cum tradimus per Christum nos in libertatem à præsenti sæculo malo adeoq; ipso legis onere assertos, nemo hanc prædicationem ceu nuperam & pridem per Christum aut per nos apostolos ipsius compositam putet. Hæc enim omnia sapienti Dei consilio ab æterno constituta sunt. Voluit enim is hac ratione paternum suum erga nos animum approbare nobis. Vnde iam æquum est ut omnis gloria uni huic & gratiæ eius non autẽ operibus nostris transcribatur & æternum à toto mundo per Christum laudetur. Fiat.

Christus est lux nostra & liberator noster. Titum 2. Rom. 12.

Lucæ 2.

Euangelium est uetus doctrina æterno Dei consilio orta.

EXORDIVM.

Miror q̃d à Christo qui uocauit uos per gratiã adeo cito transferamini in aliud euangeliũ quod nõ est aliud nisi q̃d quidã sunt qui turbãt uos & uolũt inuertere Euangeliũ Christi. Verũ etiamsi nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangeliũ prẽter id q̃d prẽdicauimus uobis anathema sit. Quemadmodũ ante diximus & nunc iterum dico, Si quis uobis prẽdicauerit euangeliũ prẽter id q̃d accepistis, anathema sit.

Inscriptioni subiungit Exordium siue Expositionem uocare malis. Vt enim inscriptione de qua re dicturus sit proposuit, ita hic quo consilio scripserit exponit. Sunt autem omnia pathetica & prorsum concitata, temperata tamẽ affectu quodã paterno leni quidem sed grauissimo simul. Expostulat enim cum Galatis suis protinus ab initio epistolæ. Accusat illos leuitatis & inconstantiæ. Sed ne quid nimis, ab his cõuersus sæuius obiurgat ipsorum doctores hoc est impostores, quibus potissimũ eum impingit casum. Illos enim ut filios pater reuocat ad simplicitatem euangelij, grauiter damnatis seductoribus. Vides aute pulchro ordine exponi his consilium Pauli q̃d hac secutus est epistola. Nempe quæ causſæ ad scribendum impulerint, & quò spectarit, id est, in quẽ finem scripserit. Translatos audiuit Galatas in aliud euangelium, ideo hanc mittit epistolam ut reuocet. Auspicatur aũt ab abrupto per admirationem à persona Galatarum, dicens, Satis demirari nõ possum quæ causſæ uos impulerint deficere à Christo domino, cum huius euangelio nihil possit uel uerius uel firmius dici aut fingi. Verum quomodo à Christo defeciſſe dicuntur (ais) qui Christi nomen adhuc confitebantur? Deficiunt à Christo qui gratiæ eius beneficium non agnoscunt, aut non uni omnem gloriam tribuunt. Si enim ex operibus est iustitia, iam Christus fruſtra mortuus est. Et in 5. cap. Paulus, Ecce ait ego Paulus dico uobis quod si circumcidamini Christus nihil uobis proderit. Con-

Quo consilio scripserit hanc epistolam Paulus.

Qui à Christo deficiant.

teſtor autem omnem hominẽ qui circunciditur quod debitor eſt totius legis ſeruandæ, Chriſtus uobis factus eſt ocioſus, quicũq; per legem iuſtificamini à gratia excidiſtis. Et in præſentiarum Apoſtolus diſerte & ſignificanter dixit, Miror quod à Chriſto qui uocauit uos per gratiam adeo cito transferimini. A Chriſto inquam qui uocauit uos per gratiam. Quaſi dicat, defeciſtis à Chriſto cum per opera quæritis iuſtificari. Nam Chriſtus, ut in 2. ad Timoth. 1. cap. legimus, ſaluos fecit nos & uocauit uocatione ſancta, nõ ſecundum opera noſtra ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam quæ data eſt nobis per Chriſtum Ieſum. &c. Vtinam autem diligentius hęc expenderent qui hodie neglectis clariſſimis ſcripturæ teſtimonijs iuſtificationem non operibus modo ſed & ſacramentis tribuunt. Ad amplificandum inconſtantiæ & leuitatis crimen illud facit quod in tempore adhibet temporis circumſtantiam, & ait, Tam cito. Tametſi enim procliue ſit in errores prolabi noxios, turpe tamẽ erat Galatas poſt tot tantosq; apoſtoli labores, poſt tam admirandam diligentiam, poſt dilucidiſſimam euangelij contra merita expoſitionem ad legem & operum fiduciam deficere, adeoq; aliud euangeliũ ſuſcipere. Aliud autem euangelium dixit Apoſtolus, non quod ſentiret aliud eſſe poſſe euangelium uerum quàm quod ipſe prædicarat, ſed quod pſeudapoſtoli in modo & ratione euangelij tradenda uariarent. Non negabant iſti quod ipſi aſſerebant Apoſtoli Ieſum Chriſtum uerum eſſe dei filium, incarnatũ è ſpiritu ſancto ex Maria uirgine, paſſum, exuſcitatum, aſcendiſſe cœlos, ſedere ad dexteram patris, inde uenturum ac iudicaturũ uiuos & mortuos. Negabant autem per unum Chriſtum conferri omnia. Ideo ſimul cum Chriſto legem prædicabant quaſi ad ſalutem non ſatis eſſet meritũ Chriſti niſi & legis acceſſiſſet obſeruatio iuſtificatioq;. In modo ergo tradendi & in ipſa euangelij uirtute uariabant: unde aliud euangelium iſtorum prædicationẽ appellat. Huc pertinet uerbũ μετατίθεσθε quod interpres noſter recte uertit transferimini. Eſt enim μετατίθεμαι retractare & mutare ſententiam, item tranſponere. Videtur autem alluſum ad plantas quæ tranſpoſitæ eandem quidem ſpeciem ſeruant, alio tamen ſuccu uegetante aliud induunt ingenium. Ita & tenor quod uerba attinebat idem retinebatur in prædicando euangelio apud Galatas, ingenium autẽ diuerſum indebatur ipſi à Nazaræis hoc eſt Chriſtianis Iudaizantibus. Proinde non omnes qui uerba recitant euangelij euangelium habent, ſed qui ſpiritu Chriſti animantur in cordibus ſuis, qui ſimplicitatem euangelicam ſuppoſititijs nõ adulterant, item qui carne & ſanguine Chriſti ita ſaturantur ut nihil poſt Chriſti epulas ſitiant aut eſuriant, imò alium cibum nolint. Recitantur hodie à multis euangelij uerba, ſed dum his adduntur neſcio quæ hominũ figmenta, deperditur omnis fructus & prædicatur aliud euangelium quàm quod Chriſtus prædicare iuſſerat. Interim uero inflati clamitant: An non & nos euangelium habemus? An nõ maiores & patres noſtri euangelium prædicarunt? Prædicarunt quidem ſed humanis figmentis adulteratum. Atqui pure & ſimpliciter prædicandum erat ut inſolidũ omnis laus & gloria uni deo per Chriſtum cederet, non ceremonijs & meritis noſtris.

Aliud euangelium.

Verum Chriſti euangelium.

Et prædura quidem ſunt quæ ad primũ ſtatim congreſſum egit cum Galatis, proinde ne in deſperationem penitus conijcerentur, in pſeudapoſtolos conuerſus hiſce potiſſimum huius defectionis culpam impingit. Verũ facilis eſt lapſus, ait, maxime ubi ſpecies iuſti æqui & boni imponit ſimplicibus. Proinde nõ tam uobis crimen defectionis impingo quàm pſeudapoſtolis ueſtris, quorũ hypocriſi factum eſt, ut oculi mentis ueſtræ capti hallucinari cœperint. Cæterum prædicatio illorum nihil aliud eſt quàm conſcientiarum turbatio imò carnificina. Inuertunt enim euangeliũ Chriſti. Emphaſim autem & naſum habet quod de cognitis loquẽs pſeudapoſtolis ait, quidam. Solemus enim de hominibus nihili parũ frugi maleq; fidei fic loqui. Iam cum dicit, Turbant uos, alludit ad 15. cap. Actuum apoſtolorũ. Ibi enim legimus quoſdam è ſecta phariſaica prædicatores Nazaræos hoc notatos eſſe conuitio quod ſint turbatores eccleſiarum. A Chriſti enim gratia ad opera noſtra auocantes nõ modo turbabant conſcientias ſanctorũ, ſed et eccleſiaſticos bona pace in Chriſto conſentientes hoſtiliter inter ſeſe cõmittebant. Dum hi contenderent ſolam Chriſti gratiam conſcientias ſerenare & in tranquillũ cõponere

Qui turbas in eccleſia moueant.

ſtatum. Illi uero obtenderent legem non fruſtra eſſe datam, nimirum ut regula eſſet operũ, quæ iuſtificarent. Hinc iam acerrimæ inter fratres oboriebantur concertationes. Vides autẽ qui etiam hodie ſint turbarũ authores, operum ſcilicet ceremoniarum & meritorum prædicatores non gratiæ defenſores. Verum ut ſemper ita hodie quoq; lupo fontem turbat miſera ouis. Agnoſcit hæc paſtoris uocem, alienam non nouit. Atq; hæc illa ipſa eſt inobedientia quam nobis impingit ſacer ille Roma. epiſcopus. Porrò uerbum μετατρέψαι inuertere & detorquere ſiue in diuerſum rapere ſignificat. Intelligit ergo quod Pſeudapoſtoli euangelium contra uim & naturam ſuam ad ſua detorqueant ſomnia. Ipſum enim per ſe ſimpliciſſimum & puriſſimum tradit nos iuſtificari gratia per Chriſtum. Illi addebant non ſatis eſſe Chriſtum niſi & lex accederet. Itaq; detorquebant ſimplicem ueritatem ad ſpinoſiſſimorum & perplexorum ingeniorum ſuorum ſomnia. D. Hierony. Conuertit euangeliũ, ait, qui quod in facie eſt poſt tergum facit, & ea quæ poſt tergum ſunt uertit in faciem. Equidem iuſtificatio fidei eſt non operum, illi operibus tribuebant. Et pontifitij hodie non negant euangelium, ſed euangelicas ſententias detorquent ad aſſerenda ſua merita & uires liberi arbitrij. Atq; ad hunc modum obiter retexit artes & impoſturam Pſeudapoſtolorum.

Detorquere euangelium.

Iam errãtes in uia fidei & iuſtitiæ reuocat ad iuſtificantem fidem dicens, Verũ etiamſi nos &c. Hoc autem dicit, Atqui non oportebat tam cito & præter rationem à cognita diſcedere ueritate, quam ita animis ueſtris ceu æreis tabulis inſculpſiſſetis, ut ſi uel noſipſi uel angeli cœlitus immiſſi diuerſum ab illa prædicarent, ab eo ceu præſentiſſimo cauueretis ueneno, & ut ab execratione & impietate maxima fugeretis. D. Hierony. putat hunc ſermonem per hyperbolen accipi poſſe, non quod angelus aut Paulus aliud euangelium eſſet prædicaturus, ſed ſentit ab euangelio ſemel recepto nullo pacto recedendum. Hiſce uerbis addit Eraſmus, Quod ſi quis tropos & ſchemata reijciat in ſacris literis, ſæpenumero aut hęrebit perplexus aut frigidiſſimis rationibus ſe cogetur explicare. Certè cum conditione certa pronunciata eſt Pauli ſententia, quæ magis id uidetur ſignificare nullius hominis, adde ne angeli quidem authoritatem tanti faciendam eſſe ut uel tantillum recedamus à pura & ſimplici ueritate. Atque ad eum modum apparet Auguſtinum hęc intellexiſſe. Dicit enim, Veritas propter ſeipſam diligenda eſt, non propter angelum aut propter hominem per quem annunciatur. Qui enim propter annunciatores diligit eam, poteſt etiam mendatia diligere ſi qua forte ipſi ſua protulerint. His per omnia congruunt Eraſmi uerba. Is enim, Nullius hominis inquit, imò ne angeli quidem authoritas apud nos ualere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Certũ enim eſt uel ex 3. lib. Reg. ult. cap. immitti propter peccata ſpiritus impoſtores. Sed et maximos nonnunquã uiros decipi & decipere teſtatur 13. cap. Deut. Diſcimus ergo ex hoc loco pluris faciendã eſſe ueritatem ſimplicem & puram quàm eruditionem, linguas, miracula, ſplendorem angelicum & ſanctimoniam authoritatémue maximorum hominum. Quæ res ſi diligentius fuiſſet obſeruata ſæculis ſuperioribus non tam longe aberraſſemus à ſimplici & plana uia domini. Verum miraculis eruditione & ſanctimonia quorũdam utinam non hypocritica circumagitati ſumus. Breuiter. Paulus noluit euangeliũ propter ſe aut propter ullius hominis authoritatẽ, ſed propter ſeipſam recipi. Ergo authoritatẽ miniſtro cõciliat ueritas, nõ miniſter ueritati, tametſi exornet eã ſi ſit doctus eloquẽs pius. Voluit præterea tanti apud oẽs æſtimari euangelicã ueritatẽ ut neq; angelorum neq; ullorum quantumuis magnorũ hominũ reciperemus placita, ſi non per omnia puræ reſponderent ſimplicitati. Sed quæ illa, ais, pura ſimplicitas? Illa nimirũ quod deus totius generis mortaliũ miſertus. Naſcimur eñ omnes filij iræ, noſtrapte natura noſtriſq; uitiis ſaluari nõ poſſumus. Miſit ergo filiũ ſuum Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum qui pro peccatis noſtris paſſus ſalus totius mundi, mediator, ſatisfactio & iuſtitia factus eſt ſolus, apud quem omnia quæ ſalutis ueræ ſunt inuenit fidelis anima. Placuit enim deo in hoc inhabitare omnẽ plenitudinẽ, & per hunc nos abſolutos & æterni regni hęredes facere. Proinde qui hodie ſalutẽ tribuunt meritis humanis, iuſtificationẽ operibus, qui remiſſionem peccatorum acceptam ferunt indulgentijs, miſſis, uotis monaſticis, ſacrificijs, &id

Veritati euangelicæ hærendum indiuulſe.

ſimplicitas euangelica.

& id genus alijs figmentis prædicant euangelium præter id quod nobis pure & simpliciter ab Apostolis prædicatum est: & proinde Anathema sunt. Anathemate quidē ferit nos hodie Roma. Pontifex, sed præter rationem & meritum. Nihil enī peccamus in simplicitatem euangelicam. Ipse uero iam ante mille quingentos propemodum annos uero percussus anathemate non habet quo nos Christi fide instructos feriat. Abutūtur hoc loco quidam anathemate ferientes quæcunq; totidem uerbis ad syllabas propemodum numeratis non cōtinentur in euangelio & literis apostolorū. Sed Paulus disertis uerbis sic dixit, Verumetiam si nos aut angelus è cœlo εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, id est euangelizauerit uobis præter id quod euangelizauimus uobis anathema sit. Nam præpositio παρὰ hic tantūdem propemodū ualet quantū ἐκτὸς extra uel præter. Colligimus exgo omnia quæcunq; citra aut prēter scripturarum apostolicarum sententiam proferuntur anathema esse. Ex propheticis autem scriptis desumpta sunt Apostolica testante alibi apostolo se nihil aliud dixisse quàm quod prius dixerint prophetę futurum. Alibi uero dicit euangelium promissum esse per prophetas in scripturis sanctis. Proinde prophetica scripta Apostolicis sunt simillima. De uoce anathema dictum est in 9. cap. ad Roma. Detestationem significat: quasi dicat, Execrabilis & abominandus habeatur uobis. Quod autem eandem sententiam per anadiplosim repetit uehementiæ est. Et Augustinus, Ipsa inquit iteratio saluberrime intentionem mouet ad firmitatem retinendi eam quæ sic commendatur fidem. Erasmus putauit ideo repetitam esse sententiam ne quis eam Paulo ex ira animiq; impotentia putet excidisse. Nobis sanè diligenter infigenda est animo salutaris sententia ne quid recipiamus unquam prēter euangelij ueritatem, sed constanter sentiamus simplicitati euangelicæ & angelos & apostolos esse subiectos. Tantum abest ut nos impiam cardinalium & pseudapostolorum turbam scripturæ sanctæ iudicem ferre uelimus.

Nunc enim utrum homines suadeo an deum? aut quæro hominibus placere? Nam si hactenus hominibus placuissem Christi seruus haudquaquam essem.

Hinc claret Pseudapostolos Paulo crimen ambitionis impegisse, quasi ecclesijs dominari, et blandiloquentia sua obsequijsq; fauorabilibus plures sibi cęteris apostolis discipulos cupiuerit parare. Cui criminationi obiter respondēs, Cum uero ad hūc modum, inquit, nedum meijpsius ratione sed omnibus creaturis posthabitis uni Christo domino hæreri uolo, quis uestrū uel suspicari potest me hoc agere quod isti me moliri mentiuntur, quasi uos mea uelim demulcere blandiloquentia et in meam pertrahere sententiam, ut à uobis laudem merear. Ipsi quid ambiam expendite obsecro, quò spectem, quo consilio agam, quantis me exponam periculis. Si enim unquam meā quæsiuissem gloriam, aut quicquam in hominum gratiā facere statuissem profecto à Iudaismo ad Christianismum nequaquam defecissem. Ampla satis occasio parandæ gloriæ humanæ supererat si religionis institutū uel olim non mutassem uel nunc uestrorū apostolorū more prędicarem. Hi enim ne ob crucem Christi persequutionem patiātur circūcisionem & legem prædicant, nimirum ut iuxta faciem (sic enim ipse loquitur cap. ult.) in carne placeant. Ego uero dum solius dei in Christo gratiam contra legem & circumcisionē asserо omnium in me cōcito odia. Videtis ergo an hominibus placere, aut humana uobis persuadere cogitē. Humana tradunt qui meritis humanis niti docent. Hominibus placent qui humana prædicant. Atq; hic uidetur omnium simplicissimus esse sensus. Non nescio quàm hic uarient interpretum sententiæ. Faciunt autem hæc ad parandam beneuolentiam & depellendū odium. At is locus quàm familiaris adeoq; proprius est exordio. Discimus uero fideli Christi ministro contemptis odijs iniquorum neglectisq; periculis ex infidijs superstitiosorum ingruentibus solam dei gratiam & purum dei uerbum & spectandam & prædicandam esse. Idonei autem serui esse non possunt qui sub nomine domini uel proprijs lucris studēt, uel hominibus placere satagūt. Verba Christi his congruunt quę legūtur Ioan. 15. Sunt enim pusillanimes quidā scientes quidem diuina quæ

Paulus alienus ab ambitionis crimine.

Contemnenda odia impiorum

ſcilicet recta pura & uera ſunt, attamen pauore ſubuerſi humana profitentur. Rurſus in uenias cerebroſos quoſdam & perturbatioris ingenij homines qui credant neminem prædicare euangelium uere niſi omnium odijs expoſitus neminem habeat qui faueat ex animo. Si enim hominibus, aiunt, quæ prædicas placent, profecto humana prædicas non diuina. Atqui Paulus alio in loco, Ego omnibus inquit per omnia placeo. Proinde quemadmodum inauſpicatum eſt ſi quis placeat impijs, ita multo infelicius eſt ſi quis pijs & uiris diſpliceat cordatioribus. Rectius ergo iudicauit Hierony. qui dixit, Si fieri poteſt ut pariter deo & hominibus placeamus placendum eſt & hominibus. Siſi autem non aliter placemus hominibus niſi deo diſpliceamus, deo magis quam homnibus placere debemus.

QVOD PAVLVS VERVS ET A DEO VOCATVS APOSTOLVS euangelium ſuum non ab hominibus ſed ipſo deo didicerit.

Hactenus parauit auditorum animos exordio & perſonis & rebus congruentiſſimo, nunc uero aggreditur ipſum negotium & ait.

γνωρίζω. Notum autem uobis facio fratres euangelium quod prædicatum eſt à me non eſſe ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

Propoſitio eſt copioſius quidem expoſita. Satis enim fuiſſet ſi dixiſſet, Demonſtrabo uobis quod euangelium illud meum uobis prædicatum, nõ ab homine ſed deo profectum ſit. Nunc uero conduplicat & ueluti cauſſam ſubijcit & ait, Neque enim ab homine accepi illud neque didici ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Hac enim ceu interpretatione ſubiecta propoſitionem & amplificat & illuſtrat. Igitur ſecundum hominem, pro eo dixit quod eſt humanum ſiue ab homine profectum. Sequitur enim, Neque enim ab homine accepi illud neque didici. Putauit autem Hieronymus differre nõnihil inter ſe illa duo Accipere & diſcere. Ego poſterius crediderim prioris eſſe expoſitionem. Niſi prius referre malis ad uocationem, poſterius ad inſtitutionem. Vt ſit ſenſus. Functionem prædicationis euangelicæ nemo mihi hominũ iniunxit, præterea ipſum euãgelij ſenſum nemo hominum inſtillauit, inſpirauit aũt Chriſtus dominus. Et de reuelatione quidem illa cuius hic meminit ſcribit copioſius Lucas in Act. Apo. Neque enim Ananias Paulum primo inſtituit, ſed baptizauit modo & quid faceret oſtendit. Dominus enim dixerat, Surge ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Ananias uero, Dominus miſit me, ait, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uiſum recipias & implearis ſpiritu ſancto. Item, Deus patrum noſtrorum præparauit te ut cognoſceres uoluntatem ſuam, & uideres id quod iuſtum eſt & audires uocem ex ore eius, quia eris teſtis illi apud omnes homines eorum quæ uidiſti & audiſti. Audis Paulum euangelij myſteriũ uidiſſe imò audiſſe ipſam Chriſti uocem, non per interpretem ſed ex ipſo Chriſti ore. Proinde Chriſti reuelatione & non Ananiæ inſtitutione euangelium didicit Paulus. Sunt autem hæc blaſphemis quibuſdam obijcienda qui clamitant, Quis iſte Paulus? An nõ eccleſiam Chriſti perſequutus eſt? Vbi refertur nomen eius inter alia apoſtolorũ nomina in euangelijs? Cum ergo homo fuerit, quid uetat quo minus dicamus doctrinam eius fuiſſe humanam? Habes ergo hoc loco quod reſpondeas. D. Auguſtinus Euangelium quod ſecundũ hominem eſt (inquit) mendatium eſt. Omnis enim homo mendax. Quia quicquid ueritatis inuenitur in homine non eſt ab homine ſed à deo per hominem. Ideo iam quod ſecundum hominem eſt nec euangelium dicendũ eſt. Probatur item ex hiſce Pauli uerbis Chriſtum uerum eſſe deum. Nõ enim didicit euangelium Paulus ab homine, Chriſtus ergo deus eſt. Didicit enim ex reuelatione Ieſu Chriſti.

Paulus Chriſto doctore didicit euangelium.

Audiſtis enim meam cõuerſationem quondam in Iudaiſmo quod ſupra modum perſequebar eccleſiam dei ac depopulabar illam et proficiebã in Iudaiſmo ſupra multos æquales in genere meo, cum uehementer eſſem ſtudioſus à maioribus meis traditorum inſtitutorum.

Confirmatio

Confirmatio eſt ſuperioris propoſitionis. Sumitur ab anteactis. Adaptatur per expoſitionem ſiue narrationem hiſtoricam. D. Hieronymus quem & Ambroſius ſequitur iſta ſic expoſuit, Plurimum prodeſt Galatis (ait) iſta narratio quomodo Paulus uaſtator quondã eccleſiæ & Iudaiſmi acerrimus defenſator ad Chriſti fidem repente conuerſus ſit. Et hoc eo tempore quo crucifixus primũ annunciabatur in mundo quo nouum dogma & à Gentibus & à Iudæis totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant, Si ille qui à parua ætate Phariſæorum inſtitutus eſt diſciplinis, qui omnes coëtaneos ſuos in Iudaica traditione ſuperabat, nunc defendit eccleſiam quã quondam ualidiſſime perſequebatur, & magis Chriſti gratiam & nouitatẽ uult habere cum inuidia omnium quàm uetuſtatem legis cum laude multorum, quid nos facere oportet qui ex Gentilitate cœpimus eſſe Chriſtiani? Atq; hæc quidem de conſilio totius narrationis appoſitius & uerius dicuntur quàm de præſenti inſtituto apoſtoli. Vult enim euincere quod Euangelium ſuum non ab homine ſed ipſo Deo didicerit, hoc eſt quod tam ipſa doctrina quàm uocatio eius non humana ſed diuina ſit. Id nunc approbat ex priſtina uitæ conſuetudine. Hic autem multis exponit quàm acer fuerit religionis Chriſtianæ perſequutor. Vnde iam cogitandum relinquit auditoribus animum uſqueadeo durum non potuiſſe niſi diuina potentia tam repente emolliri. Atqui cum conſtet Paulum in momento propemodum eſſe conuerſum, ſimul & illud conſtat quod uocatio & inſtitutio Pauli cœlo ſint profecta. De perſequtione quã eccleſijs intulit Paulus legis Actorum 8. 9. 22. & 26. cap. Vehementer autem incaleſcit oratio, nimirum ut appareat diuinæ uirtuti tribuendum eſſe quod in inſtituta Chriſti conceſſerit. Audiſtis, inquit, quomodo olim & uitam & ſtudia mea inſtituerim in Iudaiſmo, id eſt dum in Iudaica adhuc religione uerſarer. Tanta enim fuit Pauli ferocia ut remotiſſimæ etiam Gentes de illa mirarentur. Deinde hanc ipſam ipſe Galatis quondam expoſuerat. Imò hic protinus ſubiungit, qualis fuerit ipſius conuerſatio. Non perſequebar eccleſiam ut cæteri, ſed ſupra modum. Nec ſufficiebat perſequutio grauiſſima, niſi & graſſatoris immaniſſimi in morem & prædo crudeliſſimus deuaſtaſſem eccleſias uel in exteras proruens urbes. Atque hæc quidem de zelo dixi. Iam quod ſtudia & uitæ ſanctimoniam attinebat, neminem ex coëqualibus generis mei id eſt ex Iudæis habui parem, adeo excellebam in Iudaiſmo. Nam & ad Philippenſes, Si quiſquam alius, inquit, uidetur fiduciam habere in carne ego magis habeo, circumciſus octauo die, Iſraëlita ex genere tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Phariſæus, iuxta zelum perſequens eccleſiam, iuxta iuſtitiam quæ eſt in lege factus irreprehenſibilis. Cauſſa uero quæ Paulum in hũc agendi ardorem incendit, & quæ multos uel hodie ad paria propemodum impellit, eſt zelus traditionum à patribus acceptarum. Per traditiones autem non modo eas intelligimus quas legi Dei aſſuerant Phariſæi, ſed ipſam quoq; legẽ Dei quod ſcilicet ceremonias ritus & figuras attinet. Hic enim licebat tumultuari & obiũcere, Egóne eam ſuſciperem religionem quæ abolet circumciſionem, templum, ſacerdotium & ſacrificiorum ritum? An non Abraham circumciſus eſt? An non Moſes inſtituit diuinũ illum cultum? An nõ Aaron ſacerdotali munere functus eſt? Quid de Dauide & Solomone omnium mortalium ſapientiſſimo dicam, quorum ille rerum diuinarum ſtudioſiſſimus cultor, hic uero illius celeberrimi et nobiliſſimi templi extructor fuit? Igitúrne tantos uiros deliquiſſe aut mihi à Deo tradidiſſe credam quod impium ſit? Abſit. Diligentiſſime ergo maiorum meorum inſtituta ſectabor tueborq;, contempta illa doctrina nuper à neſcio qua hominum fece exorta. Agnoſcis nimirum noſtri ſæculi hominum querelas. Audias enim ſuperſtitioſulum aliquem dicentem, Merito pluris æſtimauero ſanctorum patrum inſtituta & obſeruationes eccleſiæ per multa ſæcula ſancte cuſtoditas, quàm dogmata & prædicationes quorundam nuper exortas. Haud uero conſentaneum eſt pleroſq; Romanorum Pontifices, aliquot pios reges & Cæſares, tot Vniuerſitates & doctorum hominum collegia prorſus & toto erraſſe cœlo. Illis ergo me credere malo quibus ſe maiores mei crediderunt quàm male feriatis illis euangelicis. Atq; hæc maiorum iactantia & perſuaſio pleroſq; omnibus ſæculis in errore retinuit. Atqui pluris ſemper

Paulus hoſtis & perſecutor Chriſti, non niſi à Chriſto reuocari potuit.

Philip. 3.

Traditionibus patrum hærere.

æstimari oportebat ipsam ueritatem, uerbum ac præceptum domini quàm hominum quantumuis magnorum obseruationem & assensum. Expendendum item erat qua ratione aut quo consilio uel suscepissent uel obseruassent quælibet patres. Id enim ubi fecisse apostolus legi & ceremonijs nõ tantum detulit, sed ab errore liberatus pro umbris ipsum corpus uera fide complectebatur. Verum his nimiũ immoramur. Præterea hinc liquet duplicem esse Zelum. Alium quidem bonum & secundum scientiam, qualis fuit Mosis & Heliæ. Alium uero malum & nõ secundum scientiam, qualis Pauli persequentis ecclesiam Dei & omnium qui uel hodie religionis amore, hoc est superstitionis hactenus obseruatæ bella & Deo & euangelio eius mouent. De his nihil dicimus qui uel cognitam ueritatem auersantur & blasphemant, uel priuati cõmodi gratia calumniantur priscam fidem suis prætexentes cupiditatibus. Palàm enim prophani & impij sunt.

Zelus.
Roma. 10.

Ast ubi Deo qui segregauerat me ab utero matris meæ & uocauit per gratiam suam, in hoc ut reuelaret filium suum per me, uisum est ut prædicarem ipsum inter Gentes, continuo non contuli cum carne & sanguine, neq; redij Hierosolymã ad eos qui ante me fuerant apostoli, sed abij in Arabiam ac denuo reuersus sum Damascum.

Vocatio Pauli.

Admirabilis industriæ est structura narrationis huius. Breuitati enim studens & eò expositione properans ut euincat se prædicasse euangelium priusquam uel uidisset apostolos uel contulisset cum ullo apostolorũ, id propemodum omisisse uidetur quod maximum in hac caussa erat, nempe quod euangelium ab ipso Christo didicerit regnante & quomodo acceperit. Cæterũ ut hoc ex toto expositionis contextu elici potest, ita non desunt uerba quibus id infinuatur obscurius quidem sed significantissime tamen. Meminit enim segregationis suæ & uocationis ad hoc ut reuelaret filium dei inter Gentes. Atqui properans oratio hæc propemodum excutit lectori, ut in hiatum orationis incidisse se credat. Cum tamen expositio Pauli reuera ad hunc propemodũ instituta sit modum, Audistis conuersationem meam quondam in Iudaismo, quod scilicet traditionibus à patribus acceptis obstinatius inhærens euangelicam prædicationem prorsus excindere cogitauerim, eiusq; rei gratia immanissime Christi ecclesiam persequtus sim. Atq; eum quidem conatũ ad tempus dissimulauit bonus dominus, donec scilicet illud appeteret tempus quo me in suorum collegium coaptare statuisset. Tum uero misertus mei, me ex gratia uocauit, in euangelica disciplina instituit, deinde uero hoc ipsum euangelium quo imbutus eram Gentibus prædicare iussit. Ego uero cum sic essem cœlitus institutus non existimabam hominis authoritate comprobandum quod ipsius Christi iussu esset delegatũ. Protinus ergo concessi in Arabiam ut Arabibus euangelium quod didiceram crederem, genti scilicet barbaræ. Priusquam autem eò proficiscerer euangelium meum nõ contuli cum ullo mortalium qui ante me Christo crediderat: neq; Hierosolymam ascendi ut cõferrem id cum apostolis, aut ut quicquam ab illis discerem, sed protinus quod dixi ad Arabes profectus per tres integros annos apostolica functione usus sum priusquam quenquam conueniissem apostolorum. Sed quorsum Hæc? Vt intelligamus Paulum euangelium suum non didicisse nec accepisse ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. Versatur autem hæc expositionis pars postrema potissimum circa circumstantias loci & temporis. Cætera nunc perstringemus. Segregatum se ab utero matris dixit ad imitationem illius Ieremiæ prophetæ, Priusquam te formarem in uentre cognoui te, & antequã prodires de utero sanctificaui te & prophetam gentibus dedi te. Simili loqutione usus est in 1. cap. ad Roman. Tertullianus 5. aduer. Martionẽ libro existimat Paulum in Genesi quondam fuisse promissum. Nam inter figuras illas inquit, & propheticas super filios suos benedictiones Iacob cum ad Beniamin dixisset, Beniamin ait lupus rapax ad matutinum comedet adhuc & ad uesperam dabit escam. Ex tribu enim Beniamin oriturum Paulum prouidebat lupum rapacem ad matutinum comedentem, id est prima ætate uastaturum pecora domini, ut persequutorem ecclesiarum, dehinc ad uesperam escam daturum, id est deuergente iam ætate oues Christi educaturum

caturum ut doctorem nationum. Vtcunq; uero hæc res habeat, certum est Apostolum æterno Dei consilio in apostolicum hoc munus à Deo fuisse ordinatum. Quæ res plurimum authoritatis Paulo conciliat. Ad ipsam uero rei summam illud spectare uidetur quod se per gratiam Dei uocatum dicit. Nam uel sic explodit merita, quæ in contumeliam mortis Christi asserebant Pseudapostoli. Plura de hac sua uocatione ipse Paulus scripsit 1. Tim. 1. Faciunt huc quoq; quæ leguntur in 3. ad Titum cap. Finis autem propter quem uocatus est, ut reuelaret filium suum per Paulum, hoc est ut Paulus prædicaret Christum inter Gentes. De quo plura legis Acto. cap. 9. Atq; hic tandem occurrit locus elegantissimus & utilissimus, quod cœlestis doctrina & ueritas diuina humana authoritate non comprobatur. Hinc enim Paulus, Continuo nõ contuli ait cum carne & sanguine neq; redij Hierosolymam ad apostolos, sed abij in Arabiam. Per carnem & sanguinem intellexit Theophylactus ipsos domini apostolos. Hos namq;, ait, carnem uocat et sanguinem à natura eos denominans. Sed si hæc fuit Pauli sententia quid opus erat in altero membro ipsos palàm recensere apostolos? Magis ergo arridet sententia quàm mox in hæc uerba subiungit, Vel simpliciter de uniuerso genere hominũ loquitur, perinde ac si dicat, à nemine ipse mortalium quicquam perdidici. Vel forte de necessarijs & sanguine sibi coniunctis nunc dicit. Quia nulla illorũ habita ratione protinus se ad Christi nomen uulgandũ contulerit. Atq; huius forsan generis illud est quod apud Matthæum ad Petrum dixit dominus, Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Rursus cum idem apud Ioannem dicit, Ego testimonium ab homine nõ accipio, quid aliud sensit quàm quod hoc loco Paulus significauit humana authoritate ueritatẽ dei neq; probari neq; explorari? Videant ergo quid agant qui dicunt, nullam euangelio fidem fuisse habendam nisi ecclesiæ accessisset approbatio. Sanè relatiua quadam ratione sese mutuo respectant Euangelium & Ecclesia, & coniugata sunt Fides & Fideles, inde uero nõ sequitur quod ecclesiæ authoritas maior sit euangelio, aut quod hoc nihil sit futurum nisi accedat ecclesiæ assensus. Ad Romanos enim ait Apostolus, Num incredulitas quorundam fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus uerax, omnis autem homo mendax. Tametsi ergo orbis non recepisset euangelium, nihilominus futurum erat euangelium & uerum & sanctum quidem. Imò ubi nõ est euangelium ibi nõ est ecclesia. Ecclesia enim fidelium cœtus est. Fides autem à spiritu Dei per euangelium & non per carnem & sanguinem reuelatur. Ita uides ipsam ecclesiam Dei sanctam uerbo euangelij uiuere agitari uegetariq;, tantum abest ut ecclesia euangelij sit robur & firmamentum primarium. Est autem maximus et certissimus totius ecclesiæ in euangelio consensus, de quo alibi monuimus Augustinum dixisse, Euangelio non crederem nisi ecclesiæ authoritas me commoueret. Cæterum quo sensu in cap. 2. dixerit Apostolus ascendisse se Hierosolyma et cum apostolis contulisse euangelium paulo post excutiemus. Iam quod palàm asserit se noluisse Hierosolymam proficisci conferendi cum Apostolis gratia, non id quidem in contemptum & contumeliam aliorum apostolorum dixit, sed in defensionem euangelij sui. Pluris enim apud nos pendi debet ipsa ueritas quàm maximorum hominum adde & sanctissimorum hominum authoritas. Et Ambro. Hoc ideo loquitur, inquit, ut ostendat non aliud tenendũ esse quàm quod docet, nec hominibus credi sed Deo. Plurimũ ergo hac caussa commendatur nobis Apostolica doctrina quam uidemus non è terra sed ipso cœlo esse profectam. Abijt Paulus in Arabiam, nimirũ ut Genti barbaræ Christum prædicaret. Nemo adhuc discipulorũ Christi Arabibus Christum annunciarat. Præterea cogebat Apostolus ad remotissimas proficisci Gentes, donec per uicinia Iudææ deferuescret atrox de crudelissima ipsius in Christianos persequtione fama. Nemo per eas regiones quæ Christum cœperant sapere per initia ipsum audisset, sed timuissent omnes ut persequutorem. Prudenter ergo cõcessit ad Arabes. Porrò scriptores trium meminere Arabiarũ, Petreæ, Desertæ & Fœlicis. Incertum aũt an Petream modo an etiã Desertam peragrarit. Lucas in Actis nihil de hac re prodit. Regressus aũt ex Arabia, Damascũ uenit ut uisitaret quibus rudis adhuc prædicarat gratiam Dei. Dubium aũt est an primo ad Damascenorum urbem aduentu

Doctrina euangelica non comprobatur humana authoritate.

Matth. 16.

Ioan. 5.

Roma. 3.

Paulus Arabibus prædicauit.

ſporta è mœnijs demiſſus aufugerit Arabiam, an rediens ex Arabibus per ſportam demiſſus Hieroſolymam abierit. Verisimilior uidetur eſſe poſterior ſententia. Nam Areta rex Petreæ dominus haudquaquam permiſiſſet Paulo cui inſidias Damaſci urbe ſua poſuerat libere per Arabum urbes Chriſtum prędicare. Redeunti forſan haſce excubias ut ſeditioſo & turbatori regni ſui collocauerat, quas ipſe ſporta demiſſus eluſit, Hieroſolymam fugiens. Hiſce propemodum ea uidentur fauere quæ leguntur Actorum cap. 9.

Deinde poſt annos tres rediĳ Hieroſolymam ut uiderem Petrum, & manſi apud illum dies quindecim. Alium autem ex Apoſtolis non uidi quenquam niſi Iacobum fratrem domini. Porrò quæ ſcribo uobis ecce coràm deo non mentior. Deinde ueni in regiones Syrię Cilicięq;. Eram autem ignotus iuxta faciem eccleſijs Iudææ quæ erant in Chriſto. Sed tantum hic rumor apud illos erat: qui perſequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem quam quondam expugnabat, & glorificabant in me deum.

Tota expoſitio ſic eſt inſtructa à Paulo, quod ſępe repetendũ eſt, ut demonſtret quod euangelium non didicerit ab homine ſed à Ieſu Chriſto. In conſequenti ergo hiſtoriæ contextu recenſet quod per tres integros annos & plures euangelium prædicarit priuſquam quenquam conuenerit apoſtolorum, & quando conuenerit poſtea non diſcendi ſed uidendi gratia conueniſſe. Plana eſt expoſitio, niſi id alicui uideatur obſcurum quod protinus ab initio noua occurrit amphibologia. Incertum enim eſt an Damaſci poſteaquam ex Arabia rediĳt hæſerit annos tres, an uero totum illud tempus quo relicto Damaſco Arabiam peragrauit indeq; rediens per Damaſcum Hieroſolymam uenerit tribus terminarit annis. Video autem pleriſq; tractatoribus ſacris priorem probari ſententiam. Ego poſteriorem improbare non poſſum. Vtcunq; uero hæc res habeat, dubium non eſt Paulum aliquot annis prædicaſſe Chriſtum priuſquam quenquam compellaſſet Apoſtolorum. Certo enim nunc habemus annos tres, ut illud tempus non ſupputemus quo uixit in Arabia. Id enim incertum. Et nunc cum Hieroſolymam adĳt, uidendi modo non diſcendi cauſſa uenit. Paulus peculiari quodam uerbo uſus eſt ἱστορῆσαι. Eſt autem ἱστορεῖν congredi, colloqui, inuiſere, item hiſtorias commemorare. Venit ergo Paulus Hieroſolymam uidere Petrum, hoc eſt ut inuiſeret ut colloqueretur & res geſtas exponeret. Legimus enim Acto. cap. 9. Barnabas aũt apprehenſum Paulum duxit ad apoſtolos ac narrauit illis, quomodo in uia uidiſſet dominũ & quod locutus eſſet ei, & quomodo in Damaſco fortiter egiſſet in nomine domini Ieſu. D. Ambro. inter alia, Voluit, ait, uidere Petrum, nõ utiq; ut aliquid ab eo diſceret, qui iam ab authore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus, ſed propter affectum apoſtolatus et ut ſciret Petrus hanc illi datam licentiam quam & ipſe acceperat. Veniens ergo ad eum hoſpitio receptus eſt & apud eum manſit diebus quindecim quaſi unanimis coapoſtolis. Hæc ideo manifeſtat, ut oſtendat concordiam ſe cum Apoſtolis habuiſſe nec in aliquo diſſenſiſſe: ſicut ſuſurrabant de eo Pſeudapoſtoli, ut eum apud eccleſias Gentium deformarent & ſua mala ſimplicioribus inſererent, dicentes ea conuenire cum doctrina apoſtolorũ maiorum. Præterea negat ſe præter Petrum & Iacobum Alphæi fratrem domini, hoc eſt conſanguineum ut uocant dictum, quenquam apoſtolorum conueniſſe, ne quis obĳceret, Tametſi à Petro & Iacobo nihil didiceris, ab alĳs tamẽ didiciſti. Interim alios domini apoſtolos ad miniſterium euangelĳ per orbem iam diſperſos nõ contemnit, ſed authorem euangelĳ ſui Chriſtum facit. Rurſus cum tota expoſitio ceu figmentum quodpiam æſtimari & contemni poterat ab æmulis Pauli, ipſe iureiurando interpoſito uerba ſua confirmat dicens, Quæ ſcribo uobis, ecce coram deo non mentior. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Quæ ſcribo uera ſunt, id quod per eum teſtor deum, coram quo ſtamus quem nihil latet & qui nos iudicabit. Exemplo ergo apoſtolico licet iureiurando interpoſito ueritatem quoties gloria dei & ſalus proximi flagitat confirmare. Porrò profectionis in

Paulus uidendi Petri cauſſa Hieroſolymam abit. Acto. 9.

regiones

regiones Syriæ & Ciliciæ meminerunt Acta Apostolica cap. 9. & 11. Quod autem in fine appendit, Eram autem ignotus iuxta faciem ecclesijs Iudææ quæ erant in Christo, id est quæ Christianæ erant, miram habet euidentiam. Quasi dixerit, Tantum abest ut quicquam à Iudaicis didicerim ecclesijs ut me non nouerint, imò prædicatorem euangelij prius agnouerint q̃ uiderint. Prudentissime autem etiam his subiecit, Et glorificabãt in me deum. Hac enim particula sese humiliat & omnẽ gloriam deo dat. Quasi dicat, Quæ autem exposui hactenus nõ ad iactantiam sed dei gloriam exposui. Et sanè deo gloriam & laudem obtulerũt qui hæc de me quæ narraui audiuerunt. Pertinent ergo omnia Sanctorum opera ad gloriam & laudem dei, non ad spem & fiduciam in ipsos alendam.

Deinde post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam unà cum Barnaba, assumpto simul & Tito. Ascendi autem iuxta reuelationem & contuli cum illis euangelium, quod prædico inter Gentes, sed priuatim cum his qui erant in precio, ne quo modo inuanum currerem aut cucurrissem. CAP. II.

Perseuerat adhuc in instituto suo docens se euangelium suum à Christo ipso nõ ab apostolis didicisse. Ita tamen ut simul ostendat probe sibi conuenire cũ apostolis. Meminit ergo secundi ad Hierosolymorum urbem accessus. Et mirum est quàm circũspecte hunc circũstantijs instituat & muniat. Annos eñ adnumerat quatuordecim, quos si addas tribus prioribus colliges annos 17. atq; totidẽ prędicarat Christũ priusquã cum apostolis euangeliũ suum conferret. Euidens autẽ est hæc temporis circumstantia ad comprobandum quod euangelium suũ non didicerit ab apostolis. Iam quod itineris sui socios nominat plurimum ad ipsam caussam facit. Barnabas enim erat ex Iudæis, Titus ex Gentibus. Præterea non erant uel inter Iudæos uel Gentes hisce duobus eruditiores & maioris authoritatis uiri. In quãcunq; ergo partem nimium declinare uoluisset Paulus, aderat ex altera parte qui obstitisset. Ambro. addit, Duo iungũtur Paulo uiri ut si quod de eo haberent scandalum horũ testimonio tolleretur. Deinde quid impulerit Hierosolymam ascendere ostendẽs ait, Ascendi autem κατὰ ἀποκάλυψιν iuxta reuelationem siue institutionem Antiochenæ nimirũ ecclesiæ. Sic enim legimus Act. 15. Et quidam qui descenderant à Iudęa docebant fratres, Nisi circumcidamini secundũ morem Mosis nõ potestis esse salui. Cum orta ergo seditio & disceptatio esset non exigua Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt ut ascenderet Paulus & Barnabas & quidam alij ex illis ad apostolos & presbyteros Hierosolymam super hac quæstione. Quod autem Antiochena ecclesia decreuit legationem adeoq; ipsum Paulum ad Hierosolymorum urbem mittere, nimirum ex inspiratione sancti spiritus decreuit. Cui Paulus reluctari noluit ne uideretur præfractior aut qui sibi male conscius non auderet prodire in lucem & cõferre cum Apostolis maioribus. Neq; uero & Antiochena ecclesia dubitabat de fide quam prædicantibus Paulo & Barnaba acceperat, sed cum non ignorarent eandem esse & Pauli & Apostolorum aliorũ doctrinam interim uero Nazaræi diuersam esse contenderent, placuit hac legatione litem discernere, ut scilicet ipsis Apostolis testibus pateret Paulum recte docere, Nazaræos uero ecclesias turbare. Sequitur iam quod huc quoq; facit plurimum, Et contuli cum illis euangelium quod prædico inter Gentes. Nam D. Hieronymus, Sermo Græcus, ait, ἀνεθέμην aliud quiddã sonat quàm apud nos intelligitur, cum scilicet ea quæ nouimus conferimus cum amico & quasi in sinũ eius & conscientiam reponimus, ut pari consilio uel probanda sint uel improbãda quæ nouimus. Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est, inter docentem & discentem minor est ille qui discit. Hæc Hieronymus. Proinde hic locus non pugnat cum eo quem in 1. capite habuimus, Non contuli cum carne & sanguine. Ab initio enim cum nemine mortalium contulit. Imò ne nunc quidem ut disceret contulit, sed ut ipsa collatione planũ faceret se uera docuisse. Germanice diceremus, *Vnd hab mich mit jnen vnderredt*. Iam quod addit, Sed priuatim cũ his qui erant in precio, emphasim habet. Intelligit enim prima-

Paulus proficiscitur Hierosolymam.

rios apoſtolos, Petrũ ſcilicet Iacobũ & Ioannem, quos ſui dogmatis authores faciebant Nazaræi. Hic aũt ſuſpenditur ſententia. Abſoluitur poſt aliquot uerſus ad hunc modũ, Ab his aũt qui uidebantur aliquid eſſe &c. Cæterũ ipſe Paulus candide de ipſis domini apoſtolis ſenſit. Proinde hæc nõ per contemptũ, ſed per imitationẽ uerius pronunciat. Nazaræi enim ſubinde in ore habebant magnos domini apoſtolos illuminatos & precioſos, apoſtatam Paulum humilem & erronem contemnebant. Cum illis ergo, inquit, ô Galatæ, cum illis inquam ipſis contuli euangelium de quibus apoſtoli illi ueſtri tanta in mei contemptum iactitant. κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι priuatim ſiue ſingulatim, *in ſonders mit denen die &wol geachtet ſind.* Quod autem ſequitur, Ne quo modo inuanum currerem aut cucurriſſem, nemo ſic intelligat quaſi id ex ſententia Pauli dictũ ſit qui iam per hoſce 17. annos male ſibi conſcius adeoq; de ueritate euangelica incertus, nunc demum ab apoſtolis ſit confirmatus: uerum ex ſententia magis eorũ ſic loquitur qui perſuaſi à pſeudapoſtolis exiſtimabãt Pauli miniſterium in euangelio hactenus peractum fuiſſe inutile, imò nunc quoq; eſſe uanũ, quod legem non miſceret euangelio. Traxit enim metaphoram ab ijs qui in ſtadio currunt, ſtrenue quidem ſed inuanum quod non aſſequuntur brauium cuius gratia curritur. Proinde ut omnibus perſpicuum fieret, ait, me bonam & iuſtam in prædicando euangelio Chriſti nauaſſe operam, aſcendi Hieroſolymam, ut uel aliorum apoſtolorũ accedente calculo, æmulorũ obdurarentur ora. Atq; hanc expoſitionem ſequuti ſunt omnes fermẽ interpretes priſci. Ambroſius, Cum apoſtolis, ait, ſecreto contulit, ut ſcirent non illum diſcordare à regula euangelica, hoc eſt ne putarent illum inuacuum currere aut cucurriſſe, ſicut exiſtimabant aliquanti ex Iudæis credentibus. Nec eñ aliquid ab eis diſcere poterat qui à Deo fuerat inſtructus. Sed propter concordiam & pacem Dei nutu factum eſt ut tolleretur ſcrupulus aut ſuſpicio fratribus aut coapoſtolis eius: & ut Gentibus proficeret cognoſcentibus. Quia concordabat euangelium eius cum apoſtolis. Paria his ſunt quæ in hæc uerba ſcripſit D. Hierony. Adĩt Hieroſolymam Paulus, non quo timuerit ne per decem et ſeptem annos falſum in Gentibus euangelium prædicaſſet, ſed ut oſtenderet præceſſoribus ſuis nõ ſe inuacuum currere aut cucurriſſe ſicut putauerunt ignorantes. Hoc nimirũ inſtituto conuenere quondam & priſca Veterum Conſilia, non ut de authoritate ſcripturarum uel ſtatuerent uel de rebus fidei ſua authoritate præciperent, ſed ut collatione ſancta quid ſcripturis conſentaneum quid aduerſum & repugnans eſſet diſpicerent. Hodie cupit Roma. Pontifex & conſilio præeſſe et ſcripturas pro ſua ratione tractare, deq; ipſa fide pro libitu pronunciare. Secus egiſſe Apoſtolos domini uel hic locus euincit.

Cæterum neq; Titus qui mecum erat cum eſſet Græcus compulſus fuit circumcidi.

Euentu nunc & certo quodam indicio demonſtrat Galatis quod aduerſarij in conuento Hieroſolymitano nihil prorſus obtinuerint. Contendebant illi circumciſionem ad ſalutem eſſe neceſſariam. Paulus uero prædicabat fidem modo in Chriſtum ſaluare credentes, circumciſionem non eſſe neceſſariam. Id nunc uerum eſſe comprobauit Titi exemplo. Niſi eñ euiciſſet aduerſarios ſuos errare Titus circumcidi fuiſſet compulſus. Atq; hoc quidem euidentiſſimum eſt argumentum ceu à pronunciatis productum.

Propter obiter autem ingreſſos falſos fratres qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Ieſu quo nos in ſeruitutem adigerent. Quibus ne ad tempus quidem ceſſimus per ſubiectionem ut ueritas euangelij permaneret apud uos.

Paulò obſcuriora ſunt hæc Pauli uerba ob orationis incommoditatem. Putant alij omittendam eſſe particulam δὲ autem quod non habeat partem quæ illi reſpondeat. Cæterũ uidentur hæc duplici quadam ratione pendere ex præcedentibus, ad hũc fermẽ modum. Principio dixit, Aſcendi Hieroſolymam et contuli cum his qui erant in precio euangeliũ quod inter Gentes prædico ne quo modo inuanũ currerem aut cucurriſſem.

Nunc

Nunc ergo per interpretationem ſubiicit, Id autem ne ſcilicet inuanum currerem dixi, imò id quidem quod Hieroſolymam aſcendi factum eſt propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui è libertate euangelica in ſeruitutem legis abducere conabãtur ſimplices. His autem ut nunquam ceſſi quoad euangelium inter Gentes prædicaui, ita nũc maxime in Synodo Hieroſolymitana ne tantillum quidem detuli, ut euincerem euangelium quod cum uobis Galatis tum oñibus Gentibus tradidi uerum eſſe genuinumq; euangelium. Deinde dixit, Non compulſus fui Titum circumcidere. Nunc ergo cauſſam ſubdit, Idq; factum eſt propter falſos fratres, ne Tito circumciſo iſti gloriarentur euangelicam libertatem de qua hactenus gloriati ſumus ſublatam & ſeruitutem legis & circumciſionis, quam illi omnibus obtrudere ſatagunt, eſſe inductam. Proinde ut oñibus manifeſtum fieret quod Gentibus uerum euangelium prædicarim, nolui ego iſtorum poſtulatis uel tantillum deferre, uel latum culmum cedere. Oculte autem ſubmonuit quid cauſſæ fuerit quod Timotheum circumciderit, ne uidelicet accuſaretur inconſtantiæ. Quaſi dixerit, Ratio fuit habenda infirmorum. Hi uero cum quibus nunc mihi negotium erat non infirmi ſed improbi erant exploratores. Vnde nos colligimus infirmis merito deferri quędã per initia, improborum autẽ nullam eſſe habendã rationẽ. Nam ſi his aliquid dederis protinus abutentur benignitate tua ad ſubuerſionem ueritatis. Hoc enim unice cogitant quomodo ſuperſtitionẽ ſuam ſtatuant. Proinde interualla illa quę illis permittuntur ut cum tempore ad uerũ accedant uiuida quædam ſunt interſpiracula quibus animati ualidius cum tempore in ipſam irruant ueritatem hancq; ſubuertant. Iam & inſolẽtia illa uerba nobis erunt annotanda, παρεισάκτους ψευδαδέλφους, id eſt, ſubreptitios falſos fratres uocauit nomine quidem Chriſtianos, re ipſa impoſtores. Subrepſerant enim in eccleſiam Chriſti non Chriſtum ſed Iudaiſmum profitentes, prætexebant tamen nihilo minus nomen & religionem Chriſti atq; hoc facilius imponebant ſimplicioribus. Per conſequentia ergo exploratoribus comparat qui artibus in caſtra & urbes penetrãt dein de hoſtibus uel exercitus uel urbium libertatem produnt. Finge igitur bina caſtra uel urbes duas. Atq; in hac quidem regnare Chriſtum, ſubeſſe huic populum liberum, fide & charitate obedientem. In alia uero regnare Moſen, ſubeſſe ſeruilem populum legi & circumciſioni addictum. Iam uero oberrare uerſutum quoddam ex ſeruorum urbe genus hominum penetrareq; in liberorum ciuitatem idq; Chriſti regis prętextu quẽ dicant ſe colere & uenerari, interim uero uanis pollicitationibus ſollicitent ſimplicium animos pelliceantq; ut ad ſeruorum deficiant policiam deſerto Chriſto. Tales inquam erant de quibus hic uerba facit Paulus. Prouerbiali autem figura dixit, Quibus ne ad horam quidem ceſſimus ſubiiciendo uel obediendo. Significauit enim paruum momentũ et quod nihil illis ceſſerit, τῇ ὑποταγῇ per ſubiectionem, ex more linguæ additur. Deinde, Vt ueritas euangeliĩ permaneret apud uos, dixit pro eo quod eſt, ut euinceretur quod ipſum uerum euangelium Chriſti inter uos ſit prædicatum. Nazaræi enim & ipſi euangeliũ prædicabant, ſed Chriſto legem iungebant. Paulus unum modo Chriſtum prædicabat, unde ab illis male audiebat quaſi falſum prædicaret euangelium.

Nil dandum improbis & pertinacibus.

Ab his autem qui uidebantur aliquid eſſe (quales aliquãdo fuerint nihil mea refert. Perſonam hominis deus non accipit) nam mihi qui uidebantur eſſe in precio, nil contulerunt.

Redit nunc ut ſuperius cœptam abſoluat orationem. Dixerat paulò ante, Aſcendi iuxta reuelationem & contuli cum illis qui erant in precio euangelium meum. Nunc uero ſuſpenſam ſententiam abſoluit docens quod nihil contulerint aut docuerint. Ab his ait qui uidebãtur aliquid eſſe, intellige nihil adiutus ſum. Rurſum enim incœptam orationem interrumpit inſerta parentheſi. Hac uero abſoluta ingerit, Nam mihi qui uidebantur eſſe in precio nihil contulerunt. Annotauit autẽ Eraſmus, Contulerũt hoc loco non ſignificare idem quod addiderunt. Nihil enim illos potuiſſe addere Paulo qui ne communicarint quidem de ſuo euangelio. Contulit eñ cum illis ſuum euangeliũ Paulus, illi nõ contulerũt uiciſſim ſuũ, ſed duntaxat probarunt euangeliũ Pauli. Sed quorſum hęc?

Reliqui Apoſtoli Paulo nihil contulerunt.

Vt intelligamus Paulum euangelium ſuum nõ didiciſſe ab hominibus, imò ne ab apoſtolis quidem ſed à Ieſu Chriſto. Deinde mentiri Nazaræos qui dicebãt Paulum diuerſam quandam rationem ab apoſtolis cæteris ſequi in tradendo euangelio Chriſti. Hic enim eſt huius narrationis ſcopus. Quod autẽ per parentheſim hic quædam interclufit huc pertinet, Vrgebant Apoſtolum Nazaræi cæterorum apoſtolorum authoritate. Non ergo nunc iſtam eleuare uult, ſed, Per me quidem, ait, licet iſtis eſſe præclaris. Ego uero hic de Doctrina & euangelio nõ de perſona hominum ago. Et Deus quidem noluit perſonã in iudicio reſpici. Nolo & ego in negotio ueritatis ullius hominis perſona premi. Veritas nobis ſpectanda eſt. Atqui hic qualeſcũq; tandem fuerint Apoſtoli certe nihil contulerunt mihi. Diſcamus ergo & nos ipſam rem uerum & iuſtum ſpectare, nõ ipſas quantumuis excellentes perſonas. Perſonam uoco quicquid hominũ iudicio præclarum & inſigne creditur. Perpetuo autem quod ſæpius iam repetĩ hæc non dicuntur in contumeliam & contemptum aliorũ apoſtolorũ ſed in gloriam euangelicæ ueritatis.

Perſona præſtantior ueritas.

Deut. 10.

Imò contra cum uidiſſent mihi concreditum fuiſſe euangelium præputĩj quemadmodũ Petro circumciſionis (Nã qui efficax fuit in Petro ad apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit et in me erga Gentes) cumq; cognouiſſent gratiã mihi datam Iacobus & Cephas & Ioannes qui uidebanť eſſe columnę, dextras dederũt mihi ac Barnabę ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi uero in circumciſionẽ apoſtolatu fungeremur, tantũ ut pauperũ memores eſſemus, in quo & diligens fui ut hoc ipſum facerẽ.

Hæc expoſitionis pars præ cæteris efficax eſt. Nam hac non modo oſtendit q̃d euangelium ſuum ab Apoſtolis non didicerit, qui tamen huius expoſitionis unicus ſcopus eſt, ſed quod parem cum cæteris apoſtolis poteſtatem acceperit, imò quod Apoſtoli præcipui calculum ſuum addiderint euangelio Pauli. Id quod uehementer cõfundebat Nazaræorum iactantiam. Hi enim Apoſtolos domni faciebãt authores euangelĩj ſui, Paulum aiebant diuerſum ab illorum ſententia prædicare euangelium. Nunc uero Paulus per Antiſtrephon probat ipſos domini Apoſtolos euangelium Pauli ut ſuum approbaſſe. Hoc eſt ipſos domini apoſtolos agnouiſſe q̃d euangeliũ Pauli per omnia reſpondeat ei euangelio quod ipſi prædicabant: atq; adeo unũ & idem ſit omniũ apoſtolorum euangelium. D. Hierony. putat hic eſſe longum hyperbaton, ut multis quæ in medio ſunt interiecta ſublatis ſic breuiter legamus, Mihi qui uidebantur eſſe aliquid nihil contulerunt, ſed econtra dextras dederũt mihi & Barnabæ ſocietatis. Nos ſingula nũc perſtringemus. Euangeliũ præputĩj & circumciſionis forma loquendi Hebraica dixit pro euangelio Gentium et Iudæorum, hoc eſt quod Gentibus & Iudæis prædicabatur. Monuimus enim alibi Præputiũ uſurpari pro ipſis præputiatis hoc eſt Gentibus incircumciſis. Circumciſionem uero pro circumciſis, hoc eſt Iudæis. Deinde cum dicit, Nam qui efficax fuit in Petro ad apoſtolatum circumciſionis &c. hoc ſentit, quicquid per Petrum effectum eſt non ipſius uiribus ſed Deo authore perfectum eſt, cuius ope præfidioq; & ipſe adiutus non minora patraui inter Gentes quàm illi inter Iudæos. Multos ad fidem Chriſti cõuertit Petrus, ſed multo plures D. Paulus. De Petro ſcribitur quod populus Hieroſolymitanus in plateas exportarit infirmos et poſuerit in lectulis et grabatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem eorũ. De Paulo uero legimus, Virtutes nõ uulgares ædebat Deus per manus Pauli, ita ut etiã ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicincta & recederent ab eis morbi & ſpiritus mali egrederentur. Hinc colligimus æquam apoſtolis fuiſſe poteſtatẽ. Aequat enim ſe Petro Paulus, neq; ullius Apoſtoli alterius authoritate premi ſe patitur, ſed euangelicam ſimplicitatẽ & ueritatem omnibus rebus in mundo & per omnia præfert. Vbi ergo ſunt qui faciunt Petrũ Apoſtolorũ principem, hoc eſt regem & caput? Cyprianus certè in Tracta. de Simplicitate clericorũ diſputans de illo uerbo domini, Tibi dabo claues regni cœlorũ: item de hoc, Paſce oues meas. Hoc erant utiq; (ait) & cæteri apoſtoli q̃d fuit Petrus, pari conſortio prædi-

Aequa poteſtas & una doctrina omnium Apoſtolorum.

Actor. 5.

Actor. 19.

prædi-

prædiți & honoris & poteſtatis, ſed exordiũ ab unitate proficiſcitur ut eccleſia una monſtretur. Hæc Cyprianus. Cumq; cognouiſſent gratiã mihi datam.) Gratiam uocat miniſterium & prædicationẽ gratiæ per Chriſtum, item miſericordiam & beneficentiam domini. Quemadmodum legimus, Gratia Dei ſum id quod ſum. Et gratia eius nõ fuit inanis in me. Quod aũt Petrum Iacobũ & Ioannem columnas eccleſiæ uocat exponens D. Hierony. Columnæ igitur ſunt eccleſiæ, inquit, apoſtoli, & maxime Petrus Iacobus & Ioannes, ex quibus duo aſcendere merentur cum domino in montem, quorũ unus in Apocalypſi ſaluatorem introducit loquentẽ, Qui uicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, docens omnes credentes qui aduerſarium uicerint poſſe columnas eccleſiæ fieri. Et quæ ſequuntur. Metaphora igitur eſt ab ædificijs ſumpta. Columnæ enim fulcra ſunt quibus maxime innititur ædificium. Inde uero homines in religione primarij & qui duces uerbi ſunt tam columnæ quàm proceres dicuntur. Dextras ſocietatis idiomate Hebræo dixit pro dextris ſocijs. Eſt autem dextra fidei concordiæ & ſocietatis ſymbolum, et confertio manuum fœderũ pactio confirmatioq;. Inde illud Aeneæ apud Maronem Aeneid. 8. *Fœderantur in euangelio apoſtoli.*

Accipe daq; fidem. Et paulò poſt rex Euander ait,
Ergo & quam petitis iuncta eſt mihi fœdere dextra,
Et lux cum primum terris ſe craſtina reddet,
Auxilio lætos dimittam opibusq; iuuabo.

Et Pythagoras μὴ πάντι ἐμβάλλειν δεξιάν, id eſt, Ne cuiuis porrigas dextram, monens non temere quemlibet in amicitiam eſſe recipiendum. Apoſtoli ergo conſertione manuum & conſenſum teſtati ſunt in euangelio firmum, et operam mutuam polliciti, præterea fœdere & quadã iureiurandi ſpecie ſeſe obſtrinxerunt, & alteri alteris ſeſe fecerunt obnoxios. Pręterea functionem euangelicam amice inter ſeſe partiti ſunt. Obuenerunt aũt Petro Iudæi, Gentiles uero Paulo. Non quod neutri liceret alterutris prædicare, ſed quod peculiariter & præcipue Paulus Gentium, Petrus aũt Iudæorum rationẽ haberet. Aliàs certo conſtat Petrũ Gentibus quoq; prędicaſſe, & Paulum in omnibus penè urbibus ſynagogas primũ ingreſſum Iudæis Chriſtũ annunciaſſe. Atqui ex hoc loco colligitur Petrum ſi modo Romam uenit quod uetuſti penè omnes teſtantur, ſero tandem ueniſſe. Hic enim numerabatur decimusoctauus ad minimum à morte Chriſti annus, ſi altero à cruce Chriſti anno Paulus conuerſus eſt, tribus annis in Arabia & Damaſco Chriſtũ prædicauit, & poſt 14. annos iam aſcendit Hieroſolymã. Erat fortaſſis is annus Claudij Cæſaris decimus. Regnauit eñ Tiberius annis 23. 18. anno occiſus eſt Chriſtus. 29. ad minimũ conuerſus Paulus. Reſtant ergo anni 4. Accedunt Caligulæ anni 4. His ſi addas 10. Claudij, habes annos 18. Atqui hoc anno imponitur Petro ſimul & Ioanni & Iacobo functio prædicandi circumciſis. Quando igitur abijt Romam? Sero tandem ſi modo abijt. Sed quid hæc ad pietatẽ ſiue Romam uenerit ſiue nõ uenerit? Nos id annotamus ut uideas falſum dicere qui aiunt Petrũ 2. Claudij anno Romam ueniſſe, Romanamq; ſtultitiam fulcris niti infirmis. Obſeruandũ præterea in hac diſputatione utili & eleganti, Primum q̃d admirabilis eſt conſenſus omniũ apoſtolorũ in Euangelio Chriſti. Aequam enim poteſtatẽ nacti ſimiliter omnes unam eandemq; docendi Chriſti rationem ſeruabant. Deinde q̃d mira fuit in Apoſtolis modeſtia & humilitas. Nã citra contentionem & ambitionem protinus atq; æqualitas in docendo apparuit utrinq; ſotiæ dextræ conſertæ ſunt. Prius Tertullianus in Præſcrip. hæret. breuiter & dilucide ſic expoſuit, Paulus ſicuti ipſe enarrat aſcendit Hieroſolymã cognoſcendi Petri cauſſa ex officio & iure ſcilicet eiuſdem fidei & prædicationis. Nam & illi nõ eſſent admirati de perſequutore factum prædicatorẽ, ſi aliquid contrarium prædicarit, nec dominũ præterea magnificaſſent, quia aduerſarius eius Paulus obuenerat. Itaq; & dextram ei dederunt ſignum concordiæ & conuenientiæ, et inter ſe diſtributionem officij ordinauerunt non ſeparationẽ euangelij, nec ut aliud alter, ſed ut alijs alter prædicarent, Petrus in circumciſionem, Paulus in nationes. Verũ plura de hoc concordi apoſtolorũ conſenſu in euangelio contra calumnias pſeudapoſtolorum diſſidium inter apoſtolos fuiſſe perſuadere

uolentium mundo legis. Acto. 15. Posterius admonet & nos modestiæ & humilitatis. Inuenias hodie morosos quosdam qui tametsi non negare possint alios paria docere & unum cum ipsis Christum prædicare, cupiant tamen se religionis Dominos appellari, imò à se profectũ esse euangelium Christi. Verum si sic agendum erat in ecclesia Christi cur nõ Petrus quoq; Paulo obiecit, Nos multa Euangelij gratia Hierosolymis passi sumus, à nobis primum progressa est euangelij prædicatio. Vnde tua collatione opus nõ habemus. Agnosce nos euangelij tui authores. Cæterũ nihil tale audis. Simus ergo & nos modesti & concordes. Pauperum rationẽ diligentissimam à Paulo habitam testantur eius epistolæ, illæ in primis quæ Corinthijs & Romanis scriptæ sunt. Affligebatur tum Iudæa præ cæteris nationibus fame. De qua alibi scripsimus. Et episcopi est accurata diligentia consulere pauperibus, quos unice nobis commendauit dominus.

Cum autem uenisset Petrus Antiochiam palàm illi restiti eo quod reprehensibilis esset.

Paulus Petrum reprehendit.

Aliam & nouam historiam eamq; præclaram in medium producit duplici ni fallor consilio. Hærens enim in eodem argumento initio hac historia demonstrat tantũ abesse ut ipse quicquam didicerit ab apostolis, ut nonnihil etiam Petro contulerit, certè reprehenderit acriter. Deinde commodum transit ad ipsam caussam quam secundo loco diximus tractari, quod gratiæ beneficio non legis sed per fidem in Christũ & non per opera iustificemur. Mire autem ad hoc negotium expediendum faciebat hæc historia, quæ sola penè satis esse poterat Galatis. Nam ut pseudapostolos hac penitus prosternit, sic authoritatem non mediocrem sibi conciliat, & ueram iustificandi rationem indicat. Cæterũ hanc quod tamen mirum est nullibi reperias uel in historijs sacris uel Actis apostolicis scriptam, sicut & profectio in Arabiam ab ipso tantum Paulo uno atq; altero adumbratur uerbo. Quid uero causæ sit omnibus scriptoribus tacentibus ego quoq; referre non possum. Videtur tamen Antiochia illa cuius hic meminit Syriæ esse Antiochia. De qua plurima in Epito. sua Vadianus noster. Iam q̃d sequitur palàm illi restiti, Græce est κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, id est, iuxta faciem illi restiti, aut certè in facie, id est, propalam & in conspectu omnium siue in os obstiti. D. Hieronymus accipit Secundum faciem, pro eo quod est non ex animo, sed ut ijs qui aderant speciem reprehensionis exhiberet, quo Petri simulatio quam uidebat noxiam fore Gentibus simulata reprehensione corrigeretur. Cæterum coactior uidetur ea expositio. Verbum enim Pauli aliquid habet constantiæ & acrimoniæ: ueluti si Germanus dicat, *Ich stůnd jm ins antlit. Ich sagts jm vnder ougen.* Sapiens enim, Melior (inquit) est correptio aperta quàm dilectio secreta. Fidelia sunt uulnera amantis & dura oscula odientis. Quidam immisso in fratres iaculo fugituros se credunt, cum potius animũ aduerterent atq; ita loquerentur tanquam rationem aliquando reddituri. Sequitur caussa cur illi restiterit in faciem, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, id est, quoniam reprehensus erat & damnatus (ut ait Erasmus) ab ijs qui male de illo iudicabant. Idem in Paraphra. reprehensibilis exponit dicens, Neq; dubitaui metum illius ac uacillationem coram omnibus reprehendere, cum ipsa res uel hoc nomine reprehensibilis esset, quod in grauem multorum perniciem uergeret &c. Atq; hæc lectio magis mihi probatur. Hoc enim sentit, Quod autem in faciem Petro restiti, non gloriæ assequendæ inuidiæue exercendæ gratia aut ullo ex affectu malo feci, sed quod rem ageret quæ omnino reprehensionem merebatur. De hac paulò post dicemus, iam uero duo his uidentur esse adhibenda. Prius, confutatos iam olim à D. Hieronymo qui sentiunt à Paulo non ipsum apostolum Petrum sed Cepham quendam unum ex LXXII. discipulorum numero fuisse reprehensum. Nam alterius, inquit, nescio cuius Cephæ, nescimus nomen. Eius modo nouimus qui & in euangelio & in alijs Pauli epistolis & in hac quoq; ipsa modo Cephas modo Petrus scribitur. Non quod aliud significet Cephas aliud Petrus, sed quod quam nos Latine & Græce Petram uocamus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter se uiciniam Cephan nuncupent. Posterius, fuerunt semper impij & blasphemi in euangelicam ueritatẽ homines qui istam reprehensionem

Libertas in dicendo.

Prouer. 27.

Cephas ille Petrus est.

Ioan. 1.

ad hoc

ad hoc obtenderunt ut suspectam redderent omnem Apostolicam doctrinam. Nam sceleratus ille Porphyrius conatus est Petro maculam erroris inurere, Paulo autē procacitatis. Cæterum eum nodum pauciſſimis uerbis explicans Tertullianus ueteribus respondens hæreticis, Si inquit, reprehensus est Petrus quod conuixisset ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu, utiq; conuersationis fuit uitium non prædicationis. Et sanè si totum hunc locum diligenter uoluas & reuoluas comperies in doctrina consensum maximū, in conuersatione à Petro nonnihil esse peccatum, ut iam à doctrina omnis tollatur falsi supicio. Hoc enim est quod rectissime toties nobis inculcatur sanctorum doctrinam uita & conuersatione multo esse & præstabiliorem & certiorem. Doctrina enim si iusta est & è spiritu profecta, non fallit, conuersatio fallere potest, si non per omnia respondeat doctrinæ. *Tametsi reprehensibilis Petrus, irreprehensibilis tamē doctrina eius.*

Nam antequam uenissent quidam à Iacobo unà cum Gentibus sumebat cibum, cum autem uenissent subduxit ac separauit se ab illis, metuēs eos qui erant ex circumcisione ac simulabant unà cum illo cæteri quoq; Iudæi, adeò ut Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem.

Hactenus in genere & uerbis pauciſſimis totum hoc negotiū complexus oculis proposuit spectandum, iam uero fusius singula exponit, nempe quomodo peccarit Petrus, item quomodo reprehenderit eum Paulus. In præsentiarū de errore Petri agit & libere quidem. Nihil dissimulat, sed iuxta Græcorū prouerbium τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων, id est, ficus q; ficus ac ligonem nominans ligonem. Propemodum enim peccatum Petri amplificat tantum abest ut ciuiliter extenuet. Frontem enim hæc omnia habent, Subduxit se, Metuens circumcisos, Simulabant cum eo & cæteri Iudæi. Quid quod paulò post subiiciet, Vbi uidissem quod non recto pede incederent ad ueritatem euangelij. Vides nil parsum aut datum dignitati Petri sed euangelij negotium prælatum rebus omnibus. Subducunt enim se qui sibi male conscij cū pudore elabuntur. Et metus & simulatio in primis in Apostolo uitia fœda sunt, imò hoc pernitiosiora quo pluribus incōmodant. Hic certè metus & simulatio Petri maximum uirum Barnabam implicarat ut etiam ipse claudicaret, præterea dubium non est quin cæteri omnes hos duos simulando imitati fuissent nisi acri manifestaq; obiurgatione fuisset itum obuiam. Cæterum quo hæc plenius intelligantur repetenda erunt quædam paulò altius, Contentio erat inter credentes, Gentes ne pertinerent ad populum Dei, an nō pertinerent. Paulus & Barnabas aiebant illas pertinere ad populū Dei modo in Christū crederent. Nazaræi uero et magna pars eorū qui ex circumcisione crediderant addebant Gentes Dei futuras si ad fidem legem quoq; seruarent & circumciderentur. Imò contendebāt illas sine lege & circumcisione populum Dei esse nō posse. Inde uero abstinebant ab eorum consortio, ut maxime immundorū. Neq; enim hæc de communibus modo cibis uel ciborum delectu exponenda sunt. Huc enim pertinent quæ legimus in Actis, Petrus enim ait ad Cornelium & suos, Vos scitis non esse phas uiro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. Et iterū dicit scriptura, Audierunt aūt Apostoli & fratres qui erant in Iudæa q̄d & Gentes recepissent uerbū Dei. Cumq; ascendisset Petrus Hierosolymam disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione dicentes, Ad uiros præputium habentes introisti et edisti cum illis. Et Petrus quidem probe doctus à Domino sciebat Deum Gentium quoq; deum esse. Didicerat in admirabili Cornelij & suorum uocatione quod circumcisio & lex ad uitam assequendam nihil conferret sed gratia domini per fidem tantum iustificaret. Proinde dum Antiochiæ ageret, cum Gentibus ad Christum conuersis sed præputiatis tamen libere & secure conuersabatur. Atq; ita quidem nihil peccabat sed recto pede incedebat ad ueritatem euangelicam. Solus enim Christus ad salutem & perfectionem satis erat. Deniq; ipse Petrus quondam dixerat, Reuera comperio quod nō sit personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente quæ timet ipsum & *Error & simulatio Petri.* *Actor. 11.* *Actor. 10.*

Acto. 15. operatur iuſtitiam is acceptus eſt illi. Et alibi, Et qui nouit corda Deus teſtimonium ait præbuit Gentibus dans illis ſpiritum ſanctum ſicut & nobis, nihilq; diſcreuit inter nos & illos cum fide purificarit corda illorum. Nunc ergo quid tentatis Deum ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum quod neq; patres noſtri neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam domini Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros ſicut & illos. Hactenus ergo recto pede ad ueritatem euangelij inceſſerat Petrus. Sed metus & perſonarum reſpectus ab hac excutiebat. Venientibus enim quibuſdam Iudæis ad Chriſtum conuerſis à Iacobo Hieroſolymorum epiſcopo, qui coactus loci & temporum illorum iniuria cogebatur obſeruare & ferre quæ correctiora & perfectiora uoluiſſet plurima, ut liquet ex 21. Acto. cap. ſubduxit ſe Petrus in aduentantium gratiam, q̃d nõ neſciret illos iniquo laturos animo, ſi cernerent ipſum ſecure conuerſari cum incircumciſis. Proinde Petrus non neſciuit Gentes fide eſſe purgatas & quod ad eam mundationem nihil conferret circumciſio. Inde enim unà cum Gentibus ſumebat cibum, ſed partim metu Iudæorum ſuperuenientium partim in gratiam ipſorum fecit quicquid fecit, nimirum no lens offendere ipſos. Et charitati quidem inſeruiuit hactenus etſi metus nõ deeſſet. Habenda tamẽ erat ratio eorũ quoq; qui ex Gentibus crediderant ne & ipſi offenderentur.

Imbecillitas humana. Charitas enim ita iubet inſeruire his, ut non negligamus interim illos. Admirandum porrò & ualidum imbecillitatis humanæ argumentũ eſt, quod tantus apoſtolus imò & Barnabas ille uir omniũ conſtantiſſimus gratiæ prædicator in hanc deuoluuntur ſimulationem. Inſignis contra & maxima Pauli laus eſt quod ſolus in hoc certamine uictor perſtat nihilq; horum authoritate & amicitia cõmotus uacillat. Inde certe colligere licet gratia quid faciat. Intelligis item nõ omnia hominum facta poſſe ſcandali & charitatis prætextu defendi. Charitas quidem non excidit, affectus tamen noſter illam nonnihil infirmare poteſt ſi accedat. Quanquam dubio procul Petrus ſe nequaquam ſubduxiſſet à Gentibus paucorũ quorundam gratia, ſi æſtimare potuiſſet multo plures hac lenitate ſua offenſum iri. Nolo ego operoſius factum Petri quorundam more defendere. Semel enim erratum eſt in conuerſatione contra doctrinã ipſam quam prædicarat ipſe Petrus, & peccatum reprehendit Paulus. Sequitur enim quomodo Petrum reprehenderit.

QVOD GRATIA CHRISTI PER FIDEM ET NON LEGE PER opera iuſtificemur.

Verum ubi uidiſſem quod non recto pede incederent ad ueritatem euangelij, dixi Petro corã omnibus, ſi tu cum ſis Iudæus Gentiliter uiuis ac non Iudaice cur Gentes cogis Iudaiſare?

Scopus huius diſputationis. Altera huius epiſtolæ parte abſoluta, qua approbauit quod euangelium ſuum nõ didicerit ab hominibus imò ne ab ipſis quidem apoſtolis, ſed à Ieſu Chriſto ad dextram patris regnante, aggreditur iam alteram qua ipſam euangelij ſummã exponit & aſſerit, docens totum genus mortalium gratia Dei per fidem in Ieſum Chriſtum & non lege per opera iuſtificari, qui ſanè unicus euangelij ſcopus eſt et cardo in quo uertunt omnia. Verum ubi uidiſſem inquit, quod non recto pede incederent ad ueritatem euangelij. Significanter autẽ dicit Ad ueritatem euangelij. Nam hac ſimulatione uehementer concutiebatur ſimplex euangelij ueritas. Crediderant enim Antiocheni gratiæ beneficio ſe populum Dei uocatum in Chriſti fide perfectos eſſe, circumciſionem & legem ad perfectionem nihil conferre. Iam uero cum Petrus unà cum Barnaba multis q; aliis ſe à Gentium conſortio ceu immundo ſubduxiſſet, cogitare poterant ſibi ad perfectionem deeſſe aliquid, nimirum quod Iudæis aderat circumciſio: & proinde gratiam Dei per fidem Ieſu Chriſti ad iuſtificationem non ſatis eſſe ſed circumciſionem & legem ad hanc omnino eſſe neceſſariam. Id quod ueritati repugnabat euangelicæ. Rectè ergo dicit, Cum uidiſſem ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. Vnica enim uoce uſus eſt ὀρθοποδοῦσι prouerbiali figura inconſtantiam & errorem notans. Contrarium huic eſt illud Græcorum diuerbium τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδόν, id eſt, Rectam ambulare uiam.

Dicitur q;

Diciturq; de eo qui nusquã deflectit à uero. Huc fortassis pertinet illa Heliæ sententia è libris Regũ petita, Vsquequo claudicatis in duas partes? Nam Petri simulatio aliud nõ erat quàm claudicatio, ut qui non nesciret tam Iudæos quàm Gentes sola Dei gratia per fidem Iesu Christi purificari, interim uero à Gentibus ceu immundis se separabat. Itaq; dignus erat qui à Paulo κατὰ πρόσωπον, id est palàm & in cõspectu omnium corriperetur. Augustinus ergo, Quod hoc ei, ait, corã omnibus dixit, necessitas coëgit ut omnes illius obiurgatione sanarentur. Non enim utile erat errorem qui palàm noceret emendare in secreto. Hic uero cõmemoratur Pauli oratio ad Petrum habita, quæ quidem fine huius capitis terminatur. Prudenter aũt huc translata est. Nam breui compendio comprehendit totam de iustificatione disputationem, de qua per consequentia capita copiosius disserit. Primum argumentum ab ipsius Petri exemplo ductum & per comparationem aptatum tale est, Iudæus es Petre. Nam circumcisus parua ætate sub lege uixisti hactenus. Si ergo tanti momenti erat Iudaismus merito ab eo non defecisses. Nunc uero uiuis gentiliter, hoc est ad Gentium morem, non quarumuis quidem sed earum quæ ad Christum conuersæ citra legem & circumcisionem saluari se credunt sola gratia Dei per fidem Iesu Christi: quæ cum ita habeant & tu firmiter credas & Iudæos & Gentes per gratiam Christi & non per legem Mosi iustificari, cur itaq; contra animi tui sententiam, cur contra uitæ tuæ institutum cogis Gentes Iudaisare, cum tu Iudæus non Iudaice sed Gentiliter uiuas? Et sanè separatione illa sua potenter cogebat Petrus Gentes Iudaisare, id est, circumcidi & ad exemplum superuenientium à Iacobo Iudæorum è lege & non à gratia tantum sperare & quærere salutem. Si enim gratia iustificati erant Antiocheni, si lex & circumcisio ad iustificationem nihil conferebat, nõ subduxisset se ab ipsis Petrus. Subduxit autem se & ad aduentum quidem eorum Iudæorũ se subduxit qui credebant gratiam Dei nõ satis esse ad salutem nisi & circumcisio & legis obseruatio accederet. Separatione ergo illa uidebatur Petrus illorum opinioni accedere. Quid ergo aliud cogitare poterant Antiocheni quàm circumcisionem & legem ad perfectionem pertinere Christianam, neq; se saluos futuros nisi & ipsi se per circumcisionem legi astringerent. Id uero ex diametro quod dicitur pugnabat cum ueritate euangelica. Claret autẽ ex hoc Pauli argumento quod Paulus Petrum conuersationis & non doctrinæ aut fidei male accusauerit.

1. *Regum* 18.

Gentiliter uiuere sumitur in bonam partem.

Nos natura Iudæi & non ex Gentibus peccatores, quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christũ credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi & non ex operibus legis. Propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro.

Alterum argumentum superiori attexit ducens id à pronunciatis & à cõmuni sensu regulaq; certissima, cui nemo bonus repugnauerit. Nam illud de quo contrauertebatur inter Galatas, quod scilicet lege nemo iustificaretur, ueluti decretum & certã sententiam allegat. Et certe apud apostolos domini certum erat pronunciatum de quo nemo dubitabat, quod scilicet gratia Christi sola iustificarentur credentes. Cæterum ipsa orationis compositio paulò est intricatior. Explicauit hanc in hæc uerba Erasmus, quibus & genuinus argumenti sensus exponitur. Nos sumus nati inquit Iudæi ex sanctis patribus orti, sub lege sancta nati, non autem ethnici qui sine lege ex impijs ac prophanis maioribus producti sunt. Et tamen ipsi sic nati cogimur diffisi legi nostræ ad Christi fidẽ confugere, si uelimus esse salui, quo minus persuadendum est ethnicis ut à lege Mosi sperent salutem. Habet ergo & hoc ipsum argumentũ comparationem. Multa autem est fiducia magna libertas & euidentia præpotens in uerbis singulis, quæ quidem diligentius notanda uidentur. Nos ait natura Iudæi & nõ ex Gentibus peccatores. Natura autem Iudæus est qui ex sanctis ortus maioribus circumcisus quoq; præterea promissionum Dei hæres natus sub legis disciplina uiuit. Sic enim legimus ad Roma. 2. Ecce tu Iudæus cognominaris & adquiescis in lege & gloriaris in Deo & nosti uoluntatem eius, & probas

eximia, institutus in lege &c. Paria legis in 9. cap. ad Roma. Gentes uero non ideo peccatores dicuntur quod Iudæi non sint peccatores, sed quia orti parentibus immundis & idololatris qui sine lege prophane & impie uixerunt. Nam Paulus ad Ephes. 2. ad Gentes, Mementote, inquit, quod uos quondam Gentes in carne uocabamini præputium à circumcisis, & quod eratis in tempore illo sine Christo abalienati à repub. Israëlis & extranei à testamentis promissionis, spem nõ habentes Deoq; carentes in mundo. Iam ex his euidentissimum contexitur argumentum ad hunc modum, Si nobis nõ profuit quicquam uel ipsa circumcisio uel lex, si deniq; ipsa sancta natiuitas nostra apud Deum non pluris reputata est quàm quod ad gratiã Dei per fidem Iesu Christi confugere compulsi sumus si modo iustificari uoluimus, cur non potius Gentes recta ad gratiam Dei perducimus? cur obsecro ad ea tandem relegamus recta incedentes à quibus nos ut inefficacibus ad iustificationem defecimus, illudq; ipsum quod istæ nunc sequuntur sectati sumus & hodie sequimur? Hoc nimirum erat quod prouerbio Græcanico celebratum est, Ἀφ' ἵππου ἐπ' ὄνδε, id est, ab equis ad asinos, & insequendo colligere quod alius quispiam ceu infirmum & usibus suis minime aptum abiecerat. Deinde magna cum confidentia pronunciandũ est quod ait, Scimus nõ iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Nam apud omnes non apostolos modo sed reuera fideles maximo consensu confessum erat gratia non operibus legis iustificari hominem. Hominem autem indefinite dixit pro quolibet homine siue is Iudæus siue Gentilis sit. Iustificari autem mundari siue absolui est. Cum ergo disputatur Fides ne an lex, gratia Dei an opera nostra iustificent? hoc inquiritur an operum nostrorum an misericordiæ Dei respectu saluemur, hoc est, an peccata nobis condonentur et secura tranquilláue contingat conscientia per gratiam an per opera? Vel an merita nostra an gratia Dei nos inserat populo Dei efficiatq; ut æternæ uitæ hæredes simus? Sic enim legimus iustificandi uerbo usum Isaiam in 53. cap. Loquens enim Deus de filio suo, In cognitione sui (inquit) iustificabit iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ergo per interpretationem additur, Et iniquitates ipsorum ipse portabit. Hisce enim uerbis exponitur quid sit iustificari, nimirum à peccatis absolui. Nam quid aliud est portare peccata quàm expiare peccata? Christus enim suo corpore dependit peccatorũ nostrorum pœnas. Id quod fide percipimus. Recte ergo Isaias, In cognitione sui, inquit, iustificabit multos. Nam cognitio Christi fides est. At fide iustificatur tota illa & Iudæorũ & Gentium multitudo. Fides ea donum Dei est quod in cordibus docet quid nobis à Deo in Christo seruatore datum sit, remissio scilicet peccatorum, conscientia tranquilla & uita æterna. Proinde & iustificatio aliud non est quàm absolutio, peccatorũ remissio, tranquilla conscientia & certa spes uitæ æternæ. Iam quod quidam per opera legis ceremonias legis tantum intelligunt, confutauimus in Comment. in epist. ad Roma. scriptis. Certè omnis generis opera intelligit quæ ab homine fiunt. Nam & Abraham qui aliquot sæculis ante legem uixit fide non operibus iustificatus est. Et Christus in Euangelio, Amen amen dico uobis, ait, nisi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem habet uitam æternã, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerus ille cibus est, & sanguis meus uerus ille potus. Qui edit meam carnẽ & bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. Et paulò ante hæc ῥ̃ba edisserens quomodo carnem illam suam nobis in cibũ præparaturus sit, Et panis (hoc est cibus) quem ego dabo caro mea est quam ego dabo pro mundi uita. Id est corpus meum tradam in mortem atq; ita reparabo generi humano uitam amissam, ut scilicet cibus & uitæ sit conseruatio credentibus. Nam in hac ipsa oratione docet quid sit manducare nimirũ credere. Dicit enim, Amen amen dico uobis qui confidit mihi habet uitam æternam. Item, Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam. Ex his clarum fit sola fide nos à peccatis absolui conscientiamq; nostram gratia Dei serenari. Nam ut exclusiua particula usus est Paulus, Nisi per fidẽ Iesu Christi, sic eandem quoq; usurpauit Christus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis et biberitis eius sanguinem non habetis

Quid sit iustificare & iustificatio.

Opera legis omnis generis opera.

Ioan. 6.

Hic dixisset qui bibit me non sitiet unquam.

habetis uitam in uobis. Omnia ergo alia excludunt, solæ dei gratiæ per Christum iustitiam tribuunt. Plura de hac re diximus in 3. & 4. cap. ad Roma. Ad euidentiam huius negotij & id maxime facit quod idem secundo repetitur & ad hunc propè colligitur modum. Cum ergo certò deprehendissemus quod homo non iustificetur ex operibus legis, nisi per fidem tantum, credidimus & nos in Iesum Christum ut iustificaremur ex fide Christi & non ex operibus legis. Satis fuisset si dixisset, Didicimus fidei non legis esse iustitiam, proinde credidimus. Cæterum maluit singula conduplicare & eandem rem sæpius inculcare ut certa euangelij ueritas nemini esset obscura. Quid quod Sententiam ut superiorum caussam hoc ipsum quod bis dixerat tertio iam repetentẽ subijcit & ait, Propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro? Significanter autem dixit omnis caro, & non omnis homo, imbecillitatem generis humani indicans. Idem enim Paulus ad Roma. 8. Quod inquit impossibile erat legi eò quod infirmabatur per carnẽ, hoc deus proprio filio misso in similitudine carnis peccatricis præstitit, ac per peccatum condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Caro enim nostra sese diligit, ad res honestas torpet, ad inhonestas prorui t, legem dei odit, & ut spiritus dei imperio prematur grauius insolescit tamen ac assurgit. Id quod Apostolus pluribus ostendit in 7. ad Roma. cap. Nil igitur mirum si nulla caro ex operibus legis omnes autem homines gratia dei per Christum iustificantur. Porrò sententia hęc Paulina totidem penè uerbis legitur & ad Roma. cap. 3.

Quod si dum quærimus iustificari per Christum reperimur & ipsi peccatores, num ergo Christus peccati minister est? Absit.

Ab absurdo petitur argumentum, cuius uim & genuinum sensum perspicacibus & copiosis uerbis Paraphrastes sic reddidit, Quod si semel amplexi fidem euangelicam nihilo secius comperimus nos adhuc peccato obnoxios ut rursus alio remedio sit opus, id quod nobis usu uenit in lege Mosaica, ut frustrati spe cogamur ad legem semel relictam denuo refugere, quid dicemus? an quod Christus quem authorem perfectæ iustitiæ credidimus potius iniustitiæ fomes sit, qui non solum non auferat iniustitiam pristinam, uerum etiam per occasionem addat iniustitiæ cumulo & adeò non conferat speratam salutem ut grauiorem insuper adducat condemnationem, quandoquidem huius fiducia legem reliquimus, ad quam si cogimur redire, uidemur uitio reliquisse, atq; huius mali Christus uidetur occasionem dedisse. Sed absit ut quisquam ita sentiat existimetq; euangelicæ gratiæ quicquam deesse, quod à Mosi lege sit petendum, ad consequendam salutem. Hactenus Paraph. Porrò ex his certo colligitur blasphemos in Christũ esse qui uel legem uel quodcunq; opus miscent euangelio, quasi gratia Christi nostris ut subsidiarijs opus habeat fulcris, cum reuera per se subsistet & sola sibi ad perficiendum omnes credentes satis sit. Simile fermè contexuit argumentum in 1. ad Corinth. 15. cap. cum pari modo ab absurdo intulit, Si Christus nõ resurrexit, ergo adhuc estis in peccatis uestris. Hic autem subiungendũ quod tacet Paulus, Expurgati autem estis à peccatis, ergo Christus resurrexit. Ita hoc quoq; loco colligendum, Si Christus non est satis ad iustificationem sed legem quoq; accedere oportet à qua auocauit Christus, certe Christus peccati minister est. Sed istud omnino falsum est, uerum ergo quod Christus ad iustificationem solus satis sit. Ioannes enim dixit, De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiã pro gratia. Quia Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. D. Hieronymus tropo quodam pro Christo reponit fidẽ in Christum. Verba eius si quis requirat hæc sunt. Quod si recedentes à lege in qua saluari non potuimus, transcendimus ad fidem in qua non carnis quæritur circumcisio sed cordis puri deuotio, & nunc à Gentibus recedendo hoc agimus ut quicunq; non fit circumcisus immundus fit, ergo fides in Christum in qua nos putabamus ante saluari magis peccati est ministra quam iustitiæ, quæ aufert circumcisionem, quam qui non habuerit immundus est. Sed absit ut quod semel destruxi & sciui mihi non profuisse rursum uendicem, &c.

Christus author gratiæ & iustitiæ. Rom. 5.

Ministerium Mosis lex & ira, Christi siue Messiæ gratia & condonatio.

Nam si quæ destruxi ea rursum ædifico, transgressorem meipsum constituo.

Ἐξήγησις hoc est expositio est superioris argumenti & ueluti παράδειγμα. Hoc enim dicit, Dixi Christum peccati ministrũ fore si nõ solus ad salutem consequendam sufficiat, id quod meo comprobo exemplo. Hactenus enim docui sola fide in Christum purificari corda, iam si ordiar prædicare ad iustificationem legem quoq; fore necessariam, quid aliud quàm transgressorem me effecero, utpote qui denuo id extruere incipiam quod olim demolitus sum? At quis in hanc culpam & transgressionem me coniecit quàm Christus in cuius gratiam deserta lege ad euangelij instituta concessi? Traducta est autem metaphora ab ædificantibus. Nec infrequens est in scripturis ædificare pro docere poni, destruere pro euertere confutare & argumentis dissoluere.

Ego enim per legem legi mortuus fui ut Christo uiuerem, unà cum Christo crucifixus sum.

Lex occidit, ergo non uiuificat: gratia uiuificat, ergo fides iustificat.

Ostendit quomodo à lege ad Christum transierit, argumentumq; à legis uiriue infirmitate ducit, præterea & contraria inter se quodam modo opponit mortem & uitam. Quid alij inquit ex lege utilitatis perceperint nescio, hoc scio quod iustitiam & uitam ex illa nunquam haurire potuerim, imò per legem legi mortuus fui, id est per ipsam legem didici quod salutẽ in lege minime sperare debebam, ideoq; in Christi instituta concessi ut huius gratia & beneficio uiuerem. Nam ad Roma. 7. Absq; lege, inquit, peccatũ erat mortuum. Ego autẽ uiuebam sine lege quondam. Porrò ueniente mandato peccatũ reuixit, ego uero mortuus sum &c. Quod insuper addit, Vnà cũ Christo crucifixus sum, per zeugma absoluendũ est, ut uiuerem Christo unà cum Christo crucifixus sum, id est omnino dedidi me cruci Christi ex hac sperans uitam, & omnibus me periculis huius gratia obijciens.

Viuo tamen non iam ego sed uiuit in me Christus. Vitam autem quam nunc uiuo in carne per fidem uiuo filij dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.

Vita fidelium nõ est opus lex aut meritum, sed Christus.

Epanodo & resumptione quadã copiosius exponit, quomodo uita sit in Christo, id est quomodo fides in Christum uiuificet. Superius enim docuit quod lex occidat. Etsi, inquit, Christus crucifixus sit & ego Christo, uiuo tamen, non ego, id est quod nõ mihi meisq; uiribus arrogem istam, sed uiuit in me Christus, id est Christi in me regnantis et agentis beneficio uiuo. Iam significantius subijcit, Vitam aũt quam nunc uiuo in carne per fidem uiuo filij dei. Id est quod uiuo quod iustificatus sum fidei est beneficium, non meum meritum, tametsi iuxta spiritum Christi uiuam & innocentiæ studeam. Additur caussa, Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Id est, ideo uiuo quia ille dilexit me & mortuus est pro me ut uiuerem morte eius. Ergo Ioannes rectissime, In hoc apparuit charitas dei ait, quod filium suum unigenitum misit in mundum ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, nõ quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexerit nos & misit filiũ suum propitiationẽ pro peccatis nostris. Et in sequenti cap. Deus inquit uitã æternam dedit nobis, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filiũ uitam habet, qui non habet filium uitam non habet. His autem & similibus locis exponuntur uerba Pauli quæ huc pertinent ut doceant Christi solius gratia uiuere credentes non legis aut operum. Obseruandæ ergo loquendi formæ, Viuo ego, non iam ego, hoc est homo humanis fretus uiribus, sed uiuit in me Christus. Constat enim in uno homine duos esse uetere & nouum. Secundũ ueterum ergo nõ uiuimus, sed secundum nouũ uiuit in nobis Christus. De qua re alibi disputatur, præcipue ad Roma. 7. & 8. cap. In carne uiuere honestius & melius hic usurpauit quàm in epist. ad Roma. 8. Significat enim in carne uiuere in humanis agere. Et ex hoc loco colligimus fidem in Christum lumen esse omniũ functionum humanarum, directorium mentis, regulam uitæ, animam deniq; omnium operationum. Hæc si uera sit & uiuifica uiuunt in nobis omnia, adeoq; ipse in nobis Christus uiuit,

uiuit, uiuificans nos & cõseruans ad uitam æternã, uegetansq; ad sancta opera, ut indies destructa carne nostra in spiritu ueritate & iustita seruiamus deo. Egregie D. Ambro. Quoniam futura inquit uita promissa est Christianis, ideoq; qui nunc in hac uita auxilio dei munitus uiuit, in fide uitæ promissæ uiuit. Hic enim imaginẽ eius contemplatur quasi pignus habens uitæ futuræ quæ per dei nutum Christi amore nobis quæsita est. Hic ergo non est ingratus Christo qui in fide eius perdurat, sciens NVLLIVS se habere beneficium nisi huius, & ad contumeliam eius proficere si ALTERVM EI COMPARAT cuius auxilium habere non potuit. Hactenus Ambrosius.

Non aspernor gratiam dei. Nam si per legẽ est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est.

Ab absurdo & quasi impossibili argumentans fortissime urget aduersarios. Habet enim stomachũ argumentatio. Quasi dicat, Aspernetur qui uelit dei gratiam, ego certè nõ ero contumeliosus in Christum. Nam οὐκ ἀθετῶ significat, Non reiicio, nõ repello, non sperno. Ambrosius legit, Non sum ingratus gratiæ dei. Augustinus, Non irritam facio gratiam dei. D. Hierony. altero adiecto membro ex enthymemate syllogismum concinnat talem, Si per legẽ est iustitia, Christus frustra mortuus est. Christus aũt non est gratis mortuus: nõ igitur per legem est iustitia. Addit idem ille, Id uero ualde necessarium est aduersus eos qui post fidem Christi putãt legis præcepta seruanda. Dicendum quippe eis, Si per legem iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Aut certe doceant quomodo non Christus gratis mortuus sit si opera iustificent. Sed quamuis sint hebetes, dicere non audebunt Christum sine caussa mortuũ. Et quæ sequuntur. Certè hinc colligimus omnes eos aspernari dei gratiam qui per opera qualiacumq; se ad iustificationem penetrare posse credunt. Aperto enim argumento de se produnt quod gratiam dei inefficacem esse credunt. Si enim ad iustificandum efficax est, profecto stulti sunt qui iustitiam aliunde petunt. Quid obsecro Lector amice, facerent Pontificij si tam aperta & euidentia testimonia scripturæ contra nos proferre possent? Ad rauim nimirum uociferantes copia malorum uerborũ nos obruerent clamarentq;, Euangelici isti erga deum ingrati sunt, gratiam eius aspernantur & in Christum contumeliosi sunt. Aiunt enim hunc frustra suppliciũ crucis subijsse, & ut maxime fateantur ore Christum passum esse, uim tamẽ mortis eius sua peruersa opinione obliterant. Cæterũ quid nos illis iure possemus obijcere æquis lectoribus relinquimus æstimandũ. D. Ambro. hæc Pauli uerba enarrans, Nil tam apertũ est, ait, Quia si per legem potuisset homo iustificari Christum non oportuerat mori. Sed quia lex dare remissionem peccatorum non poterat neq; secundam mortem detriumphans expoliare captiuis quos tenebat caussa peccati, idcirco Christus mortuus est ut ea præstaret quæ lex non poterat, ac per hoc nõ gratis mortuus est. Mors enim eius iustificatio peccatorum est. Hæc Ambro. Et sanè si potuisset alia uia & ratione consuli saluti generis humani, profecto præter caussam et rationẽ certam tantum supplicium subijsset Christus. Atq; utinam digne expendant hanc Pauli argumentationem quotquot existimant operum siue meritorum beneficio iustificari homines. Hactenus credimus orationẽ Pauli in Petrum magna cũ authoritate pronunciatã trahi.

Nulla omnino opera iustificant.

O stulti Galatæ, quis uos fascinauit ut non crederetis ueritati? quibus præ oculis Iesus Christus fuit depictus, inter uos crucifixus. CAP. III.

Nunc uero Apostropha quadã conuersus ad Galatas exordiolo uiam sternit ad consequentia, tragice ab exclamatione auspicans uehementer increpat accusatq; inconstantiæ & imprudentiæ, quod scilicet neglecta dei gratia ad legem se conuerterunt. Adhuc enim uersatur in eo negotio quod fide per Christum & non operibus per legem seruemur. Vehementissimi ingenij & iudicij est hac in caussa Apostolus, sed ubiq; tamen uideas elucere pietatẽ paternam. Argumenta inserit argumentis, urget & constringit aduersarios, Galatas capit & leni ductu in suam sententiam pertrahit. Omnia hic uiuunt inuictoq; stant robore pacta. Non inuenies uel apud Græcorum uel Latinorũ scriptores orationem uel instructiorem uel solidiorem. Principio Stultos ἀνόητους uocauit Ga-

Vecordes Galatæ.

latas, non affectui indulgens aut famam istorũ commaculare cogitans, sed quod reuera erat opprobrans: ut nihil peccarit in præceptũ domini, cuius meminit Matth. in cap. 5. Amentes enim et iudicio tenui adeoq; nullo erant quibus res usq; adeo absurda persuaderi potuerat ut libera colla denuo iugo inseruerint seruitutis. D. Hieronymus aliam quoq; sententiam refert, quod scilicet apostolus Galatas suæ regionis proprietate uel uitio pulsarit. Vnamquamq; enim prouinciam suam habere proprietatem, Cretenses esse mendaces, uanos Mauros, Dalmatas feroces, timidos Phrygas, leues Græcos, grauicordes autem Israëlitas. Ita dici quoq; Galatas amentes & crassos siue rudes. Verum prior sententia ut simplicior est, ita plus habet apostolicæ grauitatis. Iam cũ paucis dicere potuisset, Stulti profecto estis quibus tam facile imponi potuit, maluit tamen id omni orationis uirtute instructum pronunciare. Figurat ergo sententiam interrogatione, extollit amplificatione & hyperocha. Quis, inquit, uos fascinauit? metaphorã trahens à præstigiatoribus. Fascinare eñ dicuntur Latinis qui aspectu malefico lædũt. βασκαίνειν quidẽ apud Græcos, ut ait Eras. & inuidere significat. At Paulus uidetur hoc uerbũ usurpasse pro eo q̃d est incantauit & oculis ueluti præstigio imposuit. βασκαίνειν eñ Græcis dictũ est παρὰ τὸ φάσι καίνειν quod per oculos noceat fascinator. Et præstigiũ genus est ut id q̃d coram cernas nõ uideas, tum id quod non est id uidere te putes. Et Galatæ animi oculis uidere se existimabant ex lege esse iustitiam, & quod planum expositumq; erat per Christi gratiam conferri iustitiam non uidebant. Huc pertinet quod sequitur, Vt non crederetis ueritati. Veritatem enim opponit fascino. Hoc enim falsa specie imponit. Vera quasi natiua sunt & omni falsa specie carent. Hoc ergo dicit, Stulti estis qui creditis rebus quæ non sunt, & ea quæ re uera sunt contemnitis præ illis. Et πείθεσθαι multo euidentius est quàm quod reddi possit per credere tis. Nam πείθομαι est persuaderi & obtemperare. Certa autẽ ueraq; ratione persuasi à Paulo Galatæ crediderant ueritati: mirum ergo erat quomodo à certissima persuasione potuerãt abduci. Sunt qui hoc in loco multis agunt de præstigijs & fascino, sed non in loco. D. Hierony. Non hoc dixit quod scierit inquit Paulus esse fascinum, qui uulgo putatur nocere, sed usus est sermone triuij & ut in cæteris ita in hoc quoq; loco uerbum quotidianæ sermocinationis assumpsit. Deinde auget indignitatem rei ut simul etiam commendet dignitatem & certitudinem euangelij. Quibus præ oculis, inquit, Iesus Christus fuit depictus: siue ut uetus interpres reddidit, Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est. Et γράφειν Græcis & scribere & pingere est. Pingere autem non is modo dicitur qui coloribus rem quampiam exprimit, sed qui proprie & euidenter uiuaq; oratione rem auditoribus ueluti ob oculos statuit. Hinc enim & prouerbio iactatum est, Tuis te pingam coloribus, pro eo quod est, talem te describam qualis es. Et Hieronymus legit præscriptus, hoc est antescriptus. Augustinus & Ambrosius proscriptus, sed prorsus alieno sensu à Pauli consilio. Id quod propter imaginum defensores annoto. Miseri enim hinc sui erroris quærunt patrocinium. At Eras. Hac, inquit, hyperbola notat certissimam illorum fidem qui certius crediderint Christum morte sua liberasse genus hominũ quàm qui coram conspexerant illum sublatũ in crucẽ &c. Nam citra tropum Hierosolymis & non apud Galatas crucifixus est dominus. Vere interim & recte dicitur apud Galatas crucifixus, quod uera fide crederent eum esse crucifixum. Fides enim quodam modo res multo certius apprehendit quàm sensus. Iuxta hanc rationem et hunc loquendi morem uel hodie confitemur Christum inter nos esse crucifixum, hunc ipsum inter nos immolari in cœtibus sacris, astare & manducari à fidelibus. Quis uero tam stupidus & improbe affixus literæ ut contendat naturaliter & carnaliter Christum inter Galatas esse crucifixum? Inuenias tamẽ qui ausint magna confidentia asserere corpus Christi & immolari & manducari corporaliter. Nos quidem non negamus illum uel immolari uel manducari, sed nolumus addere ascititia illa uerba carnaliter, corporaliter, & similia quæ ex morositate accesserunt humana. Nemo ait Paulum mentitũ qui dixit, Christum inter Galatas crucifixum. Nemo autem nescit ubi sit re uera crucifixus: proinde omnes intelligunt uerbis subesse tropum.

φθονεῖν offutijs imponere.

Præstigiæ.

Christus apud Galatas pictus

Christus apud Galatas crucifixus.

Hoc

Hoc ſolum cupio diſcere à uobis utrum ex operibus legis ſpiritũ accepiſtis an ex prędicatione fidei? Adeò ſtulti eſtis cum ſpiritu cœperitis nunc carne conſummamini? Tam multa paſſi eſtis fruſtra, ſi tamen & fruſtra? Qui igitur ſubminiſtrat uobis ſpiritũ & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operibus legis an ex prædicatione fidei id facit?

Spiritus ſanctus datur per fidẽ, non per opera.

Turmatim nunc per confertiſſimas phalanges producit argumenta quibus oſtendat gratiæ per fidem in Chriſtum non operum per legem eſſe iuſtitiã. Primum uero argumentũ apparatu quodam inſtructum & ſuſpenſis nonnihil auditorũ animis ad hũc propè modum inducit, Verum ut alia innumera hic non cõmemorem quibus ueſtram opinionem ſubuertere poſſem, hoc tantum nunc obiecero ueſtroq; ex ore ſententiã ſuper contrauerſia noſtra pronũciari poſtularo, An per opera legis an per prædicationem fidei acceperitis ſpiritum ſanctum? Hic ſi uerum fateri uolueritis ueſtro etiam iudicio uicero. Cæterum ipſa Pauli uerba duplicem habent ſenſum. Prior ut efficiens pro effectu accipiamus, ſpiritum ſanctũ pro ipſa animi trãquillitate quæ paratur dono ſpiritus ſancti. Ita argumentum ductum erit à cauſſis hac fermè ratione. Iuſtificatio aliud nihil eſt q̃ tranquillitas conſcientiæ & certa ſpes uitæ æternæ. Hæc autem ſecuritas non cõtigit uobis per opera legis. Subinde enim inuenias in operibus tuis quod deſideres. In deo nihil eſt quod non omni parte beatum ſit & abſolutum. At hic ſe nobis in Chriſto per fidem communicat impenditq;. Fidei ergo eſt iuſtificatio, non operum. Poſterior, qui uidetur eſſe ſimplicior & magis genuinus, ut ſpiritũ accipiamus pro teſtimonio diuinæ gratiæ, ſpiritum inquam, id eſt dona uaria, ſanationis ſcilicet, prophetiæ, linguarũ & uirtutum. Nam paulò poſt ſubdit, Qui igitur adminiſtrat uobis ſpiritũ & operatur uirtutes in uobis, poſteriori membro exponens quod priori obſcurius dixerat. Nam ſpiritum ſubminiſtrare aliud non eſt q̃ uirtutes operari. Spiritus enim dei digitus & uirtus dei eſt. Proinde ſpiritum accipere aut uirtutes operari eſt certiſſimũ ſignum quod is qui accepit dei ſit. At quid aliud eſt iuſtificatio q̃ certificatio animi ſolida quod dei ſis et deus uiciſſim ſit tuus? Iam ergo argumentũ Apoſtoli ducetur à pronunciatis ſiue teſtimonijs & ad hunc modum aptabitur inſtituto. Vel ex lege uel ex fide accepiſtis ſpiritũ. Porrò ex lege non accepiſtis. Non enim uel legem uel circumciſionem ſed Chriſtum crucifixum prædicaui uobis. Vos autem credidiſtis & quod ipſi noſtis accepiſtis ſpiritum: ergo ex fide accepiſtis ſpiritũ. Quod ſi per fidem datus eſt ſpiritus, fidei certè eſt iuſtificatio nõ operum. Hoc eſt illud ipſum celeberrimũ & euidentiſſimũ argumẽtum quod toties repetitur in Actis apoſtolorum. Petrus enim in 15. cap. Noſtis inquit, uiri fratres, quod deus me ex uobis ante multos dies elegit, ut per os meum audirent Gentes uerbum euangelij credentq;. Et qui nouit corda deus teſtimoniũ præbuit illis, dans illis ſpiritum ſanctũ ſicut & nobis, nihilq; diſcreuit inter nos & illos, cum fide purificarit corda illorũ. Loquitur autem de conuerſione Cornelij & ſuorum, qui abſq; circumciſione & lege acceperunt ſpiritum ſanctum, teſtimonium ſcilicet fauoris diuini & remiſſionis peccatorũ, quæ ex gratia non merito, per fidem non per legẽ obtigit. Significanter ergo dixit, Nihil diſcreuit inter nos & illos, cum fide purificarit corda illorum, ſignificans tam Iudæos q̃ Gentes fide purificari. Si enim ex legis obſeruatione erat iuſtificatio ſiue donum ſancti ſpiritus, Gentes id nequaquam accepiſſent. Acceperunt autem, ergo fidei eſt iuſtitia & peccatorum remiſſio. Poſt hæc mira quidem breuitate contexta non ſine ſtomacho appẽdit, Adeò ſtulti eſtis ut cum ſpiritu cœperitis nunc carne conſummamini. Non enim expectata reſponſione aut ſubiecta (ſciebat enim illos aliud nil reſpondere poſſe q̃ ſpiritum ſe per prædicationem fidei citra omne legis adminiculum accepiſſe) grauiter iſtorum & craſſitiem & inconſtãtiam increpitans, ad Germanicam ferè loquendi normam ait, *Sind jr dann ſo gar doll vnd vnuerſtanden*. Porrò ſpiritum uocat ipſam gratiam euangelicam in cordibus credentium arrabone ſpiritus obſignatam. Carnem uero ipſam legem & merita humana. Paraphraſtes iſta omnia pulchre copulans & mira euidentia enarrans, Chriſtus ait efficacem ſpiritum ſuum ob fidem alienis à lege Moſaica impartiuit certum arra

Acto. 10.

bonem promiſſæ felicitatis. Cur nunc aliunde ſperatis ſalutem, quàm unde pignus ſalutis habetis tam euidens? Si circumcifionem uobis prædicaui & huius fiducia uobis obtigit ſpiritus Chriſti, nil obſto, quo minus aliquam ſalutis portionem acceptam feratis legi Moſaicæ: ſin nihil præter Ieſum Chriſtum à me didiciſtis & in hunc unum coniecta fiducia eaſdem dotes in uobis experti fuiſtis quas per baptiſmum accipiunt Iudæi, quid eſt cauſſæ cur uobis Iudaiſmum grauem & inutilem accerſitis in contumeliam Chriſti? Cordatorum eſt ab utcunq; cœptis ad meliora proficere. Vos contra à tam præclaris orſis ad deteriora relabimini. Iudæi ſub legis craſſæ ſeruitute nati relictis maiorum ceremoniis ad ſpiritualem euangelij doctrinam ſe conferunt. Vos contra cum ab euangelio ueſtram profeſſionem ſitis auſpicati, in Iudaiſmum degeneratis. Illi ex Iudæis fiunt Chriſtiani, uos cupitis è Chriſtianis fieri Iudæi. Si lex Moſaica confert ſalutem quid opus erat dare nomina Chriſto? Hactenus Paraphraſtes. A damno petitū eſt quod ſequitur, Tam multa paſſi eſtis fruſtra? Hoc enim eſt quod dicit, Maximam feciſtis iacturam & ſine fructu & laude tuliſtis hactenus carceres, contumelias, bonorum direptiones, & calumnias ſi fides in Chriſtum iuſtificare non poteſt niſi recurratis ad circumcifionis & legis ſubſidia. Nam propter Chriſtum crucifixum & non propter legem à Iudæis & Gentibus oppropria multa pertuliſtis & pſequutiones maximas ſuſtinuiſtis. Si ergo legi debetur iuſtitia non fidei tantum, merito & propter errorē atq; adeò fruſtra id eſt citra laudem & fructum iſta eſtis paſſi. Pręterea ſi nunc à fide Chriſtiana ad legem defeceritis fruſtra hactenus tanta certamina ſubiiſtis. Nemo enim coronatur niſi & legitime certauerit & in finem uſq; perſtiterit inuictus. Atq; hic demū per ſubiectionem ipſe ſubiicit, Si tamen & fruſtra. Quaſi dicat, Sed abſit ut fruſtra pertuleritis illa, abſit ut aliunde petatis iuſtitiam quàm à fide, cuius cauſſa etiā uitam ueſtram maxima cum laude & fructu ampliſſimo toties conieciſtis in diſcrimen. Poſtremo repetit hoc ipſum argumētum quod iam iam in aciem produxerat, ſed nunc quidem paulò planius & imperfectum ueluti abſoluens. Quaſi dicat, Cum ergo certo conſtet ſpiritū etiam uobis licet incircumciſis eſſe datum & hunc in uobis licet Gentibus ſola fide purificatis exerere uires ſuas: præterea cum conſtet ſpiritum illum arrabonem & teſtimonium eſſe redemptionis iuſtitiæ & ſalutis noſtræ, quis poſt hac non uideat fidem citra legis pręſidium iuſtificare?

Sic Abraham credidit deo & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Agnoſcite igitur quod qui ex fide ſunt ij filij Abrahæ ſint.

Abraham fide non operibus iuſtificatus eſt.

Argumentatur ab exemplo. Ad hunc inquit modum quem ſcilicet docuimus præſcripſimusq; iuſtificatus eſt & Abraham, per fidem inquam non per legem. Vſus eſt autem ueteris ſcripturæ uerbis, quo plus authoritatis haberet argumentatio. Nam hæc de Abraham totidem uerbis leguntur Gene. 15. cap. Cæterum hoc argumentum fuſiſſime tractatur in 4. cap. ad Romanos. Hæc tamen omnium breuis ſumma eſt, Abraham neq; per circumcifionem neq; per legem iuſtificatus eſt, ſed per fidē, ergo fides iuſtificat citra adminiculum legis & circumcifionis. Antecedens probatur. Nam cum Abraham nondum eſſet circumciſus ſed crederet domino conſequutus eſt teſtimonium iuſtitiæ dicente ſcriptura, Credidit Abraham deo & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, hoc eſt illa ipſa Abrahæ fides ipſi ad iuſtitiā imputata eſt, cum adhuc ageret in præputio. Deinde lex poſt 400. annos demum addita eſt. Non poterat ergo lege abſolui quæ nondum erat. Imò ne quis ullo operum generi aut merito iuſtitiā Abrahæ aſcriberet in 4. ad Roma. cap. idem Apoſtolus, Si Abraham ex operibus inquit iuſtificatus fuit, habet quod glorietur, at nō apud deum. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abraham deo & imputatū eſt ei ad iuſtitiam &c. Conſequens ita probamus, Abraham pater eſt omnium credentium tam Iudæorum quàm Gentium, nec alia ratione ulli mortaliū iuſtificabūtur quàm qua Abraham iuſtificatus eſt. Sed fide iuſtificatus. Omnes ergo filij Abrahæ id eſt hæredes & iuſti iuſtificantur fide. Plura huius generis & dilucidiora pete ex 4. cap. ad Rom. Huc iam pertinet Illatio quæ protinus ab ipſo Paulo in hanc ſententiā infertur, Ex hoc autē Abrahę

exemplo

exemplo discite quod fideles ueri sunt filij Abrahæ: id est, quod hæreditas Abrahæ promissa debeatur credentibus. Hæreditas autẽ illa non fuit temporaria & peritura, sed æterna, iustitia scilicet & æterna uita. Hæc ergo non alia ratione confertur filijs q̃ patri. Huic per fidem collata est, ergo & filijs per fidem cõfertur, iustificat itaq; fides. Accedit autem huic argumento multum roboris ab ijs quæ Dialectici uocãt Ad aliquid. Iudæi quidem maxima & confidentia & arrogantia iactabant se esse filios Abrahæ, eo quod cum Abraham circũcisi à Mose accepissent legem, & nunc sanctificatione legali mundarẽtur quotidie. At Paulus hoc loco semel subuertit omnem illorũ gloriationem promiscue oñes eos Abrahæ filios appellitans qui fidem sequantur Abrahæ, tametsi nec circumcisi sint nec sub legis iugo oppressi, uel obseruatione sudent, uel sacrificando purificationem ambiant.

Metalepsis est.
Filij hæredes sunt, hæredes filij dei sancti et iusti: ergo filij Abrahæ dicuntur iustificati.
Ioan. 8.
Roma. 9.

Præuidens autem scriptura quod ex fide iustificet Gentes deus prius euangelizauit Abrahæ, Benedicentur inquiens in te omnes Gentes. Itaq; qui ex fide sunt benedicuntur cum fideli Abraham.

A pronunciatis ducitur hoc argumentum in hanc sentẽtiam, Nihil noui prædicatur uobis ô Galatæ, neq; Abrahæ modo exemplum habemus, sed & promissionem dei & clarissimum & uetustissimum scripturæ locum, iustificationem fidei tribuentem. Dixit enim dominus ad Abraham, Benedicentur in te omnes Gentes. In te autem dixit pro eo quod est in semine tuo. At paulò post idem Apostolus hanc promissionem exponens, In semine tuo inquit qui est Christus. Seminis enim uocabulũ ex prima illa promissione repetitur, Inimicitias ponam inter te & inter illam mulierem, inter semen tuum & semen illius, ipsum conteret tibi caput, & tu conteres eius calcaneum. Semen ergo ipsum Christum appellauit propter naturam humanam assumendam. Et, In te, dixit scriptura loquens de Abraham, quod Messias secundum carnem de semine sit Abrahæ. Benedictio autem prosperitas & felicitas est. Nam benedicere est fortunare & beatificare imò omnibus bonis felicitare, adeoq; & iustificare ut nostro loquamur more. Iam cum dicit, Omnes Gentes, neminem ex hac gratia excludit, imò & omnes homines in hanc ita includit ut uideamus neminem posse iustificari & beari nisi per hoc Abrahæ semen. Iudaica ergo hic omnia excluduntur ueluti quæ ad salutem & felicitatem consequẽdam non sunt necessaria. Recte ergo infert Apostolus, Itaq; qui ex fide sunt benedicuntur cũ fideli Abraham. Id est, Cum Abraham fide perceperit benedictionẽ, cõsequens est quod fide modo percipiatur benedictio, hoc est quod fides iustificet. Neq; enim ipsa pietas permittit alia nobis ratione salutem parare, q̃ qua Abraham sibi parauit. Vel enim benedictionem assecutus est, uel non assecutus est. Negare illum benedictionem consecutũ esse impudẽtiæ & sacrilegij crimen est. Rursus aliam rationem fingere præter eam quæ scripturis prodita est, qua benedictionem consecutus sit, est spiritum sanctum negare & uerba domini adulterare. Atqui scripturis proditum est Abrahamũ in Christo esse benedictũ: proinde benedictio omnibus filijs Abrahæ non circumcisionis & legis, sed beneficio Christi & fidei in ipsum obtingit. Porrò emphasim habent hæc duo προϊδοῦσα & προευηγελίσατο, præuidens & anteeuangelizauit. Nam fundamenta huius doctrinæ in æternam dei prouidentiam collocauit adeoq; in decretũ illud immutabile. Deinde tacite innuit euangelium illud quod prædicet, priscis quoq; fuisse & prædicatum & iucundum. Nam & Theophylactus, Prouidens autẽ inquit scriptura, id est deus ipse qui legem tulit, non ex lege sed ex fide prædestinauit iri hominem iustificatum. Neq; reuelauit dixit, sed pronũciauit (ita ille exponit προευηγελίσατο quod reddi quoq; poterat prius rem lætam & gaudium annunciauit) ut intelligas & Abrahę iucunditati fuisse iustificãdi hunc modum, & ut res hunc exitum haberet optasse. Hieronymus quoq; illud enarrans, Præuidens autem scriptura, quod Theophy. exposuit, Præuidens autẽ deus, Hierony. Non quo ipsa scriptura (inquit) atramentum uidelicet & membranæ quæ insensibiles sunt possint futura prænoscere, sed quo spiritus sanctus & sensus q̃ in litera latet multis post sæculis uentura prædixerint. Obseruandus ergo est tropus.

Promißio dei tribuit benedictionem fidei.
Gene. 22.
Gene. 3.
Euangelij principia.

Nam quotquot ex operibus legis ſunt execrationi ſunt obnoxij. Scriptum eſt enim, Execrabilis omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.

Omnes qui ſub lege ſunt maledicti ſunt.

Ex contrarijs argumentatur. Opponitur enim Benedictioni Execratio. Per fidem inquit in Chriſtũ contingit benedictio, per legem uero maledictio: ergo ex lege nemo expectet iuſtitiam. Quod autem dixit, Qui ex operibus legis ſunt, ad illam loquendi formam dixit qua ſuperius, Qui ex fide ait ſunt, pro eo quod eſt qui fideles & fidei Abrahæ imitatores ſunt. Ergo ex operibus legis eſſe dicuntur qui per opera legis iuſtificari quærunt. At hos pronũciat Apoſtolus eſſe maledictos, idq; probat ſententia ex quinto lib. Moſis 27. cap. deſumpta. Ea ad uerbum ſic habet, Maledictus qui non implet uerba huius legis ut faciat ea, & dicet omnis populus Amen. Sed quæ illa inquis probãdi ratio? Si enim maledictus eſt qui non impleuerit legem, certè benedictus dicetur qui impleuerit. Illi uero qui ex operibus legis ſunt legem implere ſatagunt, ex lege ergo benedictionem conſequuntur. Cæterũ deeſt aliquid in argumentatione Pauli certa ratione omiſſum quod ad hunc modum ſarciri poteſt. Sic enim ſtruenda eſt orationis ſeries. Omnes legis præuaricatores maledicti ſunt. Omnes autem homines legis præuaricatores ſunt: ergo omnes homines maledicti ſunt. De Maiore quam uocant nemo ambigere debet cũ ſententia Moſis approbata ſit. Nec quicq̃ uel obſcuritatis uel dubij eſt in propoſitione altera. Nemo enim poteſt explere legem & cuncta facere quæ iuſſa ſunt. Id quod clariſſimis uerbis edocuit idẽ hic Apoſtolus ad Roma. 8. At hinc educit iam argumentationem ſuam Paulus. Si enim nemo poteſt legem explere, Si maledicti ſunt qui legem non explẽt. Quid ſupereſt niſi ut fateamur execrationi eſſe obnoxios quotquot ex operibus legis ſunt? Dum enim iuſtitiam quærunt propriam quæ coram deo nihil minus eſt q̃ iuſtitia, ueram Chriſti iuſtitiam quæ fide percipitur amittunt. Nam ab execratione legis ſolum Chriſti opus & meritum liberat. Quod paulò poſt explicabit copioſius.

Quod autem in lege nullus iuſtificetur apud deum, palàm eſt. Siquidem iuſtus ex fide uiuet. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo uiuet in ipſis.

Prophetæ tradiderunt fide iuſtificari ſanctos

Iterum à teſtimonijs ad hunc modum ſententiã ſuam confirmat, Iuſtus ex fide uiuit. Lex non eſt ex fide, ergo lex non uiuificat uel iuſtificat. Ipſe tñ illationẽ propter perſpicuitatem & euidentiã probationi præfigit. Quod autẽ iuſtus fide ſua uiuat, id eſt quod fide iuſtificentur ſancti tradidit ſanctiſſimus propheta Abacuk cap. 2. Vnde Paulus ad Roma. 3. cap. iuſtitiam fidei uocat iuſtitiam teſtimonio legis & prophetarum comprobatam. Iam quod ſubijcit, Lex autem non eſt ex fide, non citra tropũ dixit. Intellexit enim opera legis & omnes qui per legem iuſtificari uolunt. Hi enim non nituntur fidei, ſed ſuis fidunt operibus. Huc enim pertinet quod ſequitur, Sed qui fecerit ea homo uiuet in illis. Sentit enim operibus legis & iuſtitiæ nomen parari apud homines & declinari ſupplicia quæ infligit lex trãſgreſſoribus. Hinc enim antitheſi quadam præmiſit quod nullus in lege, id eſt per legis opera iuſtificetur apud deum: apud deum inquam, nam apud homines uiuunt qui per legem iuſtificãtur. Et ad Roma. 10. opponitur item hæc iuſtitia iuſtitiæ quæ deo probatur. Perpetuo autem cogitabis Paulum de lege iſtorum more loqui quibus cum ipſi certamen erat. Hi enim conſilium & inſtitutũ legis non intelligentes lege abutebantur in contumeliam dei & fidei. Vſum legis ipſe paulò poſt explicabit. Nunc uero cum dicit, Lex nõ eſt ex fide, nemo offendatur. Re uera enim fidei ceu ex diametro erat oppoſita Nazaræorum de lege opinio, quam confirmabant uerbis Moſi & ipſis ad ſuam opinionem detortis. Putabant illi ſe ex legis operibus uicturos, quod ſcriptũ eſſet, Qui fecerit ea homo uiuet in ipſis. Hinc factũ ut Paulus ei loco Moſis oppone ret locũ prophetæ Abacuk exponendi Moſis cauſſa, & ut per antiſtrephon aduerſarios ſubuerteret, hoc eſt ut euinceret uitã deberi fidei, uitã inquam qua æternũ apud deũ uiuimus. Eſſe enim & aliam uitã qua uiuimus apud homines, ſed de ea iam non diſputari.

Leuit. 18. Ezech. 20.

Nam

Nam & Augustinus hunc locũ enarrans, Legem hic ait pro ipsis operibus legis posuit, quod de posterioribus manifestatur. Ait enim lex non est ex fide, sed qui fecerit ea uiuet in eis. Non ait, Qui fecerit eam uiuet in ea, ut intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. Qui autem uiuebant in his operibus, timebant utiq; si non ea fecissent lapidationem uel crucem, uel aliquid huiusmodi paterentur. Ergo qui fecerit ea inquit uiuet in illis, id est habebit præmium, ne in ista morte puniatur. Non ergo apud deum, cuius ex fide si quis in hac uita uixerit cum hinc excesserit tunc magis habebit præsentissimum præmium. Non itaq; ex fide uiuit quisquis præsentia quæ uidentur uel cupit uel timet. Quia fides dei ad inuisibilia pertinet quæ post dabuntur. Hactenus August. uerba recensui. Habes ergo iustitiam duplicem, sed & uitam duplicem. Ex fide autem uiuit iustus apud deum, sed ex lege uiuit tutus & securus adeoq; & iustitiæ laude insignis apud homines quisquis legis præscripta non uiolat.

Christus nos redemit ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in Gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem.

Epanaphora ad superiora transiens planius exponit quæ strictius perstrinxerat. Dixit maledictionem manare ex lege, benedictionem à Christo. Id iam egregia quadam ratione ostendit. Quasi dicat, Quando uero omnes homines execrationi erant obnoxij, quod nemo legem posset implere, iuste quidẽ potuisset nos æterna abdicatione & morte interimere deus, sed cum interitum creaturæ suæ diuina bonitas & clementia nequaquam ferret, æquissimum adinuenit medium quo & miseris consuleretur mortalibus, & nihil peccaretur in sanctam dei iustitiam. Filium ergo proprium in carnem misit, ut is indebita morte mortem exarmaret æternã, siue ut Paulinis utar uerbis, Christus factus est pro nobis execratio, ut ab execratione legis nos redimeret. Nõ erat ulla causa in Christo cuius gratia merito potuerat esse execrabilis aut maledictus. Aliunde ergo ascisendum erat ut maledictum fieret. Hic uere commodum se obtulit ignominia & execratio crucis, quod scriptum sit Deuter. 21. Execrabilis omnis qui pendet in ligno. Proinde in crucem sublatus atq; ita execratio siue execrationis expiatio factus, benedictionem contulit omnibus credentibus. Id quod ipsus apud Ioannem ad Nicodemum hisce uerbis pronunciauit, Et quemadmodũ Moses serpentem in deserto suspendit, ita oportet exaltari siue suspendi filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Sunt autem quidam impurius hunc Pauli locum excutientes, & satis irreligiose & temere de hac execratione pronunciãtes. Reuerentia Christi domini longe alios reddit theologos. Multo sanctius & melius D. Ambrosius ita docet Christum factum esse execrationem ut peccatum. Nemo autem uel modice in scripturis uersatus nescit peccatum frequentius usurpari pro hostia & expiatione pro peccato. Iam ergo quæ necessitas aut religio iubet nos Christum sanctum domini agnum immaculatum catalogo omnium scelerum & flagitiorum onerare? Quod si quis uerba requirat Ambrosij, hæc sunt: Quoniam nemo inquit poterat implere legem, rei erant omnes maledicto legis ut uindicaret in eos, Christus autem homo natus oblatus à patre pro nobis redemit nos à diabolo. Morti enim uolenti offerens illum pro his qui maledicto legis erant obnoxij. Maledictũ illum fecit hoc modo sicut in lege hostia pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur: propterea pro maledictis oblatus factus est maledictũ. Nam & à Iudæis factus est maledictũ dum quasi peccator occiditur. Ideo non dixit, Factus pro nobis maledictus, sed maledictũ. Is enim qui propter peccatũ propriũ morti offerebat maledictus fiebat. In sua em̃ causa moriebatur. Et si propius aspicias, uidebis Christũ maledictũ eorũ factũ à quibus occisus est. Crux em̃ saluatoris peccatũ & maledictũ est Iudæorũ. Hæc Ambr. D. etiã Hierony. Iudæis respondens obijciẽtibus infamiã Christi qui fuerit sub dei maledicto. Certũ est illũ esse maledictũ, inquit, qui dignũ facinus patibulo patrauit, nõ eũ qui iniqtate iudicũ & inimicorũ potẽtia uel clamore uulgi aut uirtutũ inuidia aut

Christus solus liberat ab execratione legis.

Quomodo Christus factus sit maledictum.

Ioan. 3.

regis ira fuerit crucifixus. Verum quid hac opus responsione, cum certo constet sermonem crucis Iudæis esse scandalum, Gentibus stultitiam, credentibus uero Iudæis et Gentibus salutarẽ dei potentiam? Locus qui ex Deut. citatur ad sensum adductus est. Verba quædam adiecit quædam adempsit, nihil tamen præter certas & æquas causas. Quæ uero sequuntur superiora exponunt & usum siue fructum eorum indicant. Quod autem ait, In crucem sublatus maledictum factus est, in hunc finem maledictum factus est ut benedictio Abrahæ promissa in Gentes quoq; manaret. Benedictio enim Abrahæ nihil aliud est quàm redemptio & peccatorum remissio adeoq; & iustificatio. Proinde ut hæc iuxta uerbum & promissionem domini omnibus obtingeret gentibus passus liberauit à lege, iustitiã conferens gratis. De qua re copiosius disputatur ad Ephe. & Colos. 2. cap. Ethnici enim qui quondam longinqui fuerãt propinqui facti sunt per sanguinem Christi. Christus enim omnium tam Iudæorũ quàm Gentium pax ex utrisq; unum fecit & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam legem mandatorum in decretis sitam abrogans &c. Iam quod semel satis clare dixerat iterum repetit sed alijs uerbis ne non inculcaret fide nos per Christum non operibus per legem iustificari, Vt promissionem spiritus, inquit, acciperemus per fidem. Nam promissio spiritus aliud non est quàm benedictio Abrahæ promissa, spiritus uidelicet sanctus arrabo salutis nostræ, sanctificatio nostra, testimonium redemptionis nostræ. Filij enim dei efficimur secundum spiritum non secundum carnem, idq; per fidem in Christum. Vides autem quàm anxie sudarit Paulus, quanta diligentia laborarit, quantis argumentorum nodis constrinxerit aduersarios, ut toti mundo persuaderet euangelicam gratiam citra legis præsidium satis esse ad salutem, hæreditatem scilicet æternam cõsequendam. Hæc autem hactenus inseruit exponendi negotij illustrandiq; gratia, iam redit ad argumentationem.

Fratres secundum hominẽ dico, Hominis licet testamentum si modo comprobatum sit nemo reijcit aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit et seminibus, tanq; de multis sed tanquam de uno, Et in semine tuo (inquit) qui est Christus.

Testamento decreuit deus nobis per solum Christum benedicere.

Formula loquendi est Paulo familiaris, Secundum hominem dico, repetita & ad Romanos 6. & in 1. ad Corinth. cap. 15. Id autem pollet ut negotium hoc magis intelligatis fratres, adducam humanũ exemplum. Simile enim producit & id negotio suo aptat per collationem, in hunc modum, Si tanta est religio testamentorum quæ semel humanis suffragijs aut uoluntate suprema comprobata & decreta sunt, ut detestabile sit flagitium si ea quis rescindat, adimat, inuertat, aut addat aliquid præter uoluntatem testatoris. Hic iam omisit Apostolus membrum quod huic ex æquo respondet imò quod sensum absoluit & sic sarciri debet, Quanto magis dei decretum & testamentum sancta religio custodit illibatum ut huic neq; addat neq; adimat quicquam? Nam pactum dei uel mutare uel rescindere est piaculare. Quàm sancta aũt fuerint apud priscos testamenta testatur uel hodie Ius Cæsareum. Cicero in 2. Philippica, In publicis inquit actis nihil est lege grauius, in priuatis firmissimũ est testamentũ. Et testamentũ hoc loco usurpat pro ordinatione & legatione certa hæreditatis adeoq; pro promissione & decreto quo aliquis quid post mortẽ fieri uelit decernit. Vlpianus enim, Testamentũ ait est uoluntatis nostræ iusta sententia de eo quod post mortẽ fieri uoluerimus. Sed quorsum hæc pertinent? Absoluitur ergo argumentatio Pauli per consequentia. Iam enim indicat q̃d nam dei pactum siue testamentũ sit, illud uidelicet quod benedictionem & iustificationẽ conferre uelit per unicum Christũ non per legem. Hoc enim est quod dicit, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, Et seminibus tanquam de multis, sed tanquam de uno. Idq; exponens, Et in semine tuo, inquit, qui est Christus. Id est, hoc est testamentũ dei sanctum decretũ inuiolabile quod credentes in Christum uult iustificare, hoc est q̃d per Christum tantũ uult benedictionẽ conferre, non per legem, non per merita humana. Semen eñ dixit scriptura, non semina, innuens in solo Christo et in nullo

Testamentum & promißionem pro eodem usurpat Apostolus.

præterea

præterea mortalium uim iuſtificandi eſſe. Hoc enim & Petrus ſignificans in Actis dixit, Non eſt in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomen datum eſt inter homines in quo oporteat nos ſaluos fieri. Similia his legas 1. Ioan. 5. Roma. 5. 1. Timoth. 2. Hebræ. 10. Ambro. Hac diſputatione inquit ſua apoſtolus quaſi reos falſati teſtamenti deſignat, qui credentes in Chriſtũ & de lege aliquid ſperant, ut non ſolum ſalus promiſſa in Chriſto ſed in lege ſit. Ideo probat promiſſionem benedictionis in SOLO Chriſto factam. Hæc Ambroſij ſunt. Porrò ſi quis argumentum Pauli in compendium contractum audire cupiat, tale eſt. Teſtamento nihil uel addi uel adimi debet. Teſtamentũ autem eſt quod deus per Chriſtum modo, omnibus Gentibus benedicere decreuit. Huic ergo nemo quicquã uel addere uel adimere debet. Itaq; inuicta iam munitiſſimaq; aduerſus omnes omnium aſſultus perſtat Chriſtiana illa ueritas Sola nos fide in Chriſtum iuſtificari. Si quis huic ueritati uel iotam detraxerit, uel legem, uel opera et merita humana adiunxerit, falſati teſtamenti reus erit. Reſipiſcite ergo & Chriſto domino date gloriam quicunq; per merita ſanctorum, per uota, Miſſas & res omnino friuolas benedictionem aſſequi ſtuduiſtis hactenus. Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à deo iuſtitiaq; & ſanctificatio & redemptio: ut quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur in domino glorietur. *Actor. 4.*

Hoc autem dico, teſtamentum ante comprobatũ à deo in Chriſtum lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit non facit irritum ut abroget promiſſionem.

Explicatius dicere parat quod ſatis dilucide propoſuerat. Hoc inquit eſt quod dico. Ad hunc modum ratiocinationẽ meam intelligetis. Huc enim ſpectat orationis ſiue diſputationis meæ conſiliũ ut toti mundo perſuadeam ſola fide parari iuſtitiam et nequaq; lege. Si enim teſtamento nemo addit aliquid, teſtamentum aũt eſt q̃d per unicum ſemen Abrahæ Chriſtum confertur benedictio, certè deus non addidit legem ut teſtamentum ſiue promiſſionẽ infirmaret. Infirmaſſet enim illam imò irritam feciſſet ſi per legem pararetur iuſtitia. Ita enim promiſſio priſcis inefficax fuiſſet ad iuſtificationẽ, utpote cum in hac nulla legis facta ſit mentio, ſed Chriſti tantum. Iniuſtitiæ præterea rei agerentur omnes ſancti patres qui uixerunt ante legem latam annis 430. imò qui uixerunt ab ipſo mundi exordio annis bis mille quadringentis quinquaginta propemodũ. Id uero impium fuerit uel cogitare de illis quibus omnis ſcriptura iuſtitiæ teſtimoniũ ampliſſimũ ſane dedit. Conſequens ergo eſt quod per fidem iuſtificemur nõ per legem. Energiam autem habet quod dicit, Teſtamentũ ante comprobatum à deo in Chriſtum. Hoc enim dicit, Deus aliquot ſæculis ante legem legitima tranſactione ſtatuit per Chriſtum ſaluos facere credentes, id quod lege lata minime reſcidit. Quod ad annorum ſupputationem attinet credo Paulum hãc tranſcripſiſſe ex 12. cap. Exodi. Nam ibi ad hunc modũ legis, Habitatio autem filiorũ Iſraël qua manſerunt in Aegypto triginta fuerunt anni & quadringenti anni. Cæterũ ſynekdocha uſum eſſe Moſen nemo ambigere poteſt, maxime cum hoc loco apoſtolus 430 annos à promiſſione facta Abrahæ ad legem uſq; numeret. Aliâs enim nõ plures inuenies annos quàm 210. quibus inhabitarũt Aegyptũ Iſraëlitæ. Præterea Euſebius in Chronicis, D. Hieronymus enarrans hæc Pauli uerba & Auguſtinus in libro quæſtionum ſuper Exodum unanimiter à prima illa promiſſione ſupputationem annorum incipiunt. Et ſanè ſuffragatur huic ſupputationi plurimum ipſa ſcriptura Canonica. Sic enim legimus Geneſis 15. Sciendo ſcias quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſeruient eis & illi affligent eos quadringentis annis. At quadringenti hi anni intra natiuitatem Iſaac & liberationem filiorum Iſraël ex Aegypto uelut intra metas præſcriptas currunt. Toto autem hoc tempore peregrini fuerunt Iſraëlitæ in terra non ſua, non Aegypto tantum, ſed Paleſtina quoq; & Chananea. Priuatim tamen ſeruierunt Aegyptijs à quibus & grauiter afflicti ſunt. Moſes ergo Aegyptum modo nominans Exodi 12. reliquas etiam peregrinationis eorum regiones intellexit. Iam ſi ſupputationem quadringentorum annorum quorum mentio fit Geneſis 15. requiras hæc eſt, Iſaac natus annos ſexaginta genuit Iaacob, Geneſis 25.

Fides lege antiquior.

Supputatio annorum 430.

Hic uero Aegyptum ingrediens & coram Pharaone ſtans numerat annos uitæ ſuæ 130. Geneſis 47. Colliguntur ergo ab Iſaac ad deſcenſum in Aegyptum anni 190. Proinde reſtant anni 210. quibus incoluere Aegyptum. Atq; hic nihil certi & præſcripti ex oraculis ſacris proferre poſſumus, coniecturis autem ex illis erutis ad hunc modum colligimus. Leui genuit Cahat, hic Amram ex quo ſatus eſt Moſes Exodi 6. At Moſes authore Stephano Acto. 7. octageſimo ætatis ſuæ anno eduxit Iſraëlem ex Aegypto. Remanẽt ergo 130. anni inter natiuitatem Moſis & deſcenſum Iacobi in Aegyptum. Hos ſi partiaris in Amram & huius patrem Cahat, ita ut Cahat annos natus 67. genuerit Amram patrem Moſis, Amram uero 65. ætatis annum agens genuerit Moſen, colliges 132. annos. Et duo quidem anni Cahat extra hanc ſupputationem accedunt ex eo tempore quo pater Leui adhuc fuit in Chananea. Cahat enim bimulus cum auo Iacob & patre Leui in Aegyptũ abductus eſt. Si enim Iacob deſcendens in Aegyptum natus erat 130. annos & Ioſeph 39. certè hunc genuit ætatis ſuæ anno 91. Leui autem 87. Hic quadragenarius uxores duxit & tres filios ex illis ſuſcepit, quorum mentio fit Numeri 6. ut primogenitus Gerſom trium annorum, Cahat bimulus, & Merari unius anni fuerit cum uenirent in Aegyptũ. Leui autem 43. qui aliàs uixit annis 137. Cahat uero annis 133. ſed Amram 137. Numeri 6. Licebit & ad hunc modum rationem ſubducere. A natiuitate Iſaac uſq; ad deſcenſum Iacobi in Aegyptũ colliguntur anni 190. reſtant 210. Hos licebit hoc modo partiri. Dum Iacob in Aegyptũ deſcenderet & uitæ ſuæ annos 130. numeraret, Ioſeph 39. annos natus erat. Numerat enim ſcriptura annos ætatis eius 30. cum præficeretur à rege toti Aegypto. His addendi ſunt 7. anni fertilitatis & duo ſterilitatis, hoc eſt anni 9. Altero enim ſterilitatis anno Iacob deſcendit in Aegyptum, Gene. 45. uixitq; in terra Aegypti annis 17. At 17. hic annus Ioſephi ætatis erat 56. Quibus ſi adiicias quod reliquum fuit ætatis eius nempe annos 54. colliges omnes annos uitæ Ioſeph centũ & decem, ſeptuaginta autem à deſcenſu in Aegyptum Iacobi. Supererunt ergo 140. anni ad liberationem. Hic uero oportuit Moſen natum eſſe 60. anno à morte Ioſeph. Nam octogenarius eduxit populum. Itaq; ueriſimile eſt afflictionem & tyrannidem duraſſe circiter 130. annis, cœpiſſeq; ſub Amenophi ſeu Amenopte Pharaone. Sed ubi interim ais anni 30. ſupra 400? Hi petendi ſunt ex Abrahæ annis. Septuagenarius fuit is cum euocaretur ex Vra Chaldæorum. In Charris autem hæſit annis 5. Deinde in Chananeam profectus poſt 25. annos cum iam eſſet centenarius genuit Iſaac. A uocatione ergo Abrahæ ad natiuitatem uſq; Iſaac colliguntur illi 30. anni quibus ex integro egit peregrinũ. Verum his immoramur nimium, redibo nunc ad Paulum, ſi prius annotaro pari euidentia & luce colligi traditionibus humanis, Miſſis, uotis, & religione Pontificia non parari ſalutem, quando illa puræ religioni poſt multa demum ſæcula acceſſerunt. Vel enim priſci illi primitiuæ eccleſiæ ſancti damnati ſunt, uel traditiones iſtorum non iuſtificant.

Gene. 50.

Nam ſi ex lege eſt hæreditas, non iam eſt ex promiſſione. Atqui Abrahæ per promiſſionem donauit deus.

Legi oponitur promißio.

Faciunt etiam hæc ad expoſitionem ſuperiorum. Nam ueluti ex repugnantibus colligit ad hunc modum. Si beneficio legis ſiue operum confertur hæreditas hoc eſt iuſtitia & uita, iam planum eſt quod non obtingit teſtamenti ſiue promiſſionis uirtute. Lege enim caruerunt qui ſub teſtamento & promiſſione uixerunt, caruerũt ergo uera iuſtificandi uirtute, ſi modo ex lege eſt iuſtitia. Cæterum Abrahæ per promiſſionem donauit deus, hæreditatem uidelicet iuſtitiam & uitam: iuſtificamur ergo gratia per fidem, non operibus per legem. Hoc ipſum argumentum repetitur uerbis copioſioribus ad Roma. cap. 4. Et euidens uis eſt in uerbo donauit. Id enim meritum noſtrum proſcribit penitus, gratiam uero commendat unice. Operæprecium uero uidebar facturus ſi uerba aſcriberem Ambroſij egregia planè illa quibus Pauli hunc locum illuſtrat. Sunt autem huiuſmodi. Si per legem iuſtificatio eſt excludit promiſſio. Et ſi excluſa fuerit promiſſio fine dubio fruſtrabitur fides Abrahæ. Quod ne audire quidem patiuntur Iudæi, ſcientes quia promiſſio ex fide eſt Abrahæ, quæ promiſſio ex fide iuſtificat nõ per legem ſicut

& Abraham ex fide iuſtificatus eſt. Hi ergo hæredes ſunt promiſſionis Abrahæ qui illi ſuccedunt ſuſcipientes fidem, in qua benedictus & iuſtificatus eſt Abraham. Teſtimonium ergo promiſſionis Abrahæ teſtamentum appellatur, ut poſt mortem eius hæredes eſſent in promiſſione filij eius facti per fidem. Quę cauſſa currit uſq; ad Chriſtum Abrahæ repromiſſum, ut poſt mortem Chriſti credentes hæredes eſſent fidei Abrahæ per teſtamentum ſanguinis Chriſti. Donum ergo quod promiſſum eſt Abrahæ filijsq; eius, in Chriſto ſolutum eſt, quamuis & ipſe Abraham conſecutus ſit donum hoc illic ubi iuentus eſt. Tantum Ambroſius.

Quid igitur lex? propter trãſgreſſiones addita fuit, donec ueniret ſemen cui promiſſum fuerat ordinata per angelos in manu interceſſoris. Interceſſor autem unius non eſt, at deus unus eſt.

Diuus Hieronymus putat ordinem huius loci eſſe confuſum, & hyperbato perturbatum, reſtituit ergo ipſum ad hunc modum. Lex poſita eſt per angelos in manu mediatoris propter tranſgreſſiones ordinata, donec ueniret ſemen cui repromiſſum erat. Hactenus uero demonſtrauit fide in Chriſtum iuſtificari credentes non per legem: nunc ergo de uſu & cauſſis legis per occaſionem breuiter diſſerit. Poterat enim obijcere aliquis, Si fide cõſtat iuſtitia adeoq; ad ſalutem conſequendã nihil confert lex, ſi teſtamento multis ante legem ſæculis decretum eſt quod benedictio non niſi per promiſſum ſemen conferri debeat fidelibus, inutilis nimirũ cenſenda eſt lex. Quid enim opus erat illã addere teſtamẽto, ſi teſtamentũ per ſe erat abſolutũ & credentes iuſtificabat? Ad hanc obiectionem ſiue quæſtionem planius reſpondebit in conſequentibus, docendo legem non in hoc latam ut iuſtificaret, ſed ut peccatum erueret & ob oculos ſtatueret, atq; hac ratione hominem ſibi ereptum Chriſto adduceret. Id quod per allegoriam pueri alicuius ſtulti atq; pædagogi demonſtrat euidentius. Idem penè hic dicit, ſed intricatius & obſcurius. Nam cauſſas legis excutit indagatq;, oſtendẽs cur lex lata ſit, & quis eius finis: interſerit item myſterium de mediatore, unde denuo liceat colligere benedictionem conferri per Chriſtum non per legem quæ in manu mediatoris ſit ordinata per angelos. Lex ait propter tranſgreſſiones addita fuit. Hoc eſt, ideo lata eſt lex quod populus in Aegypto idololatrarum conſortio ueluti contagio corruptus fœdisq; infectus erroribus non modo deum patrum ſuorũ neſciebat, ſed quid rectum, quid prauum, quid peccatum aut quid iuſtum eſſet ignorabat: promulgauit ergo legem uitæ regulã peccatiq; indicem, qua conuicti cogerẽtur fateri ſolum deum eſſe bonum, omnem autem carnem corruptiſſimam. Nam ad Roma. quoq; 3. cap. Scimus, inquit, quod quæcunq; lex dicit, his qui ſub lege ſunt dicat, ut omne os obturetur & obnoxius fiat totus mũdus deo, propterea quod ex operibus legis non iuſtificabitur ulla caro in cõſpectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Huc pertinet quod ad expletionem ſententiæ ſtatim ſubiũgitur, Donec ueniret ſemen cui promiſſum fuerat. Hoc enim dicit: Lex propter ipſum Abrahæ promiſſum ſemen promulgata eſt, nempe ne quis interim ſuis fretus uiribus iuſtitiam & uitam in ulla alia re quàm promiſſo ſemine quæreret. Hinc enim addita eſt lex ceu pædagogus qui recta ad Chriſtũ duceret, ab omnibus alijs rebus abduceret, ab idolis, à creaturis, à meritis & iuſtitijs noſtris. Vni enim deo affigit lex, & omnes ſub peccatum concludit, ut intelligamus promiſſionem, id eſt hæreditatem, iuſtitiã & uitam dari ex fide Ieſu Chriſti credentibus. Theophylactus hanc ſententiam Pauli ſic enarrauit, Nec tamen data eſt lex in perpetuum ſed ad Chriſti uſq; aduentum cui promiſſum eſt fore ut in ſe gentibus benedicerentur: ſi igitur quoad Chriſtus aduenerit lex tradita eſt, quid ultra illã ſectaris? Quæ expoſitio ut nil falſi, ita prior plus firmamenti habet ex conſequẽtibus, ſed & ſimplicior eſt. Nec negligendum nobis quod emphaſi quadam dixit, Lex addita eſt, προσετέθη, appoſita, adiuncta. Quaſi dixerit, Lex ita addita eſt teſtamento dei æterno, ut hoc neq; ſub uerterit, neq; alieno ſenſu uiolarit, imò iuuerit, cõfirmarit ac expoſuerit magis. Sic enim ad Roma. 5. cap. νόμος ait παρεισῆλθεν lex obiter intrauit ſiue irrepſit, intellige ut promiſſionem non aboleuerit, uel ipſa peccatum donarit, ſed euicerit potius peccata condona-

Cauſſæ legis.

Addita eſt lex ut teſtamentum nõ ſubuerterit.

ri nobis per promiſſionem. Cui promiſſum fuerat, poſuit pro eo quod eſt, cui promiſſio debebatur, id eſt qui benedicturus erat omnes gentes. Annotat Eraſmus ſe in codice quodam legiſſe ὃ ἐπήγγελται, id eſt quod promiſſum fuit. Idem hunc locum ſic enarrauit, Inſtituta eſt lex donec euolutis ſęculis ueniret ſemen illud unicũ per quod deus Abrahæ promiſerat ſalutem omnibus legitimis filiis Abrahæ. Sequitur, Ordinata per angelos in manu interceſſoris. Hiſce autem uerbis pauciſſimis maxima myſteria reuocat in memoriam. Principio enim occulta antitheſi legi opponit euangelium, imò quodã modo hoc illi præfert. Stephanus enim in Actis capite 7. Accepiſtis legem ait ad Iudæos, per diſpoſitiones angelorum. Horum enim miniſterio uſus eſt deus in lege promulganda. At de euãgelio inquit ad Hebræos Apoſtolus, Deus olim multifariam multisq; modis loquutus eſt patribus per prophetas, extremis diebus loquutus eſt nobis per filium, quem conſtituit hæredem omnium &c. Proinde multo excellẽtius lege eſt ipſum euangelium. Præterea ordinata eſt lex in manu mediatoris. Qua ſententia demonſtrat quod non ſit in poteſtate ullius hominis legi ſatisfacere. Sic enim legimus Deuteronomij 5. ad quæ hiſce allufit Paulus, Facie ad faciem loquutus eſt dominus uobiſcum in monte de medio ignis. Ego ſequeſter & medius fui (ait Moſes) inter dominum & uos in die illo, annunciaui uobis uerbum domini: uos enim timuiſtis à facie ignis, & non aſcendiſtis in montem. Iam ne quis de Moſe hęc interpretaretur ſed omnes potius intelligerent Chriſtum illum eſſe mediatorem cuius beneficio à legis execratione liberemur, ex interpretatione nominis ad hunc modum argumentatur, Lex ordinata eſt in manu mediatoris. Manum autem mediatoris potentiam & uirtutem eius, quod & diuus Hieronymus tradidit, intelligere debemus. Atqui interceſſor aut mediator inter duos aut plures ordinatur diſſidentes. Iam in hoc legis negotio deus, qui natura unus eſt, non poteſt à ſeipſo diſſidere. Quia uero deus ſanctus eſt, nos prophani ſumus, & lex dei ſancta & bona eſt, nos uero corrupti & ſub peccatum uenditi ſumus, inde diſſidium eſt inter deum & homines, quod diſſidium per legem proditur. Hinc enim & Iſraëlitæ ad montem Sina non potuerunt audire legem aut deum ſibi loquentem, mediatoris opem implorabant. Hic autem pro tempore Moſes datus eſt, non quod uerus eſſet mediator, ſed ut ueri mediatoris typũ gereret. Oportet enim mediatorem inter deum & homines utriuſq; naturæ eſſe participem, utriſq; partibus appoſitum & coæqualem. Talis autem Moſes non erat, proinde uerus mediator inter deum & hominem eſſe non poterat. Cæterum cum non niſi unus ſit deus & natura dei indiuiſa, non potuit mediator uerus conſtitui, niſi ipſe deus ille unicus hominem indueret, & inimicitiã ex lege obortam aboleret, ſublata legis maledictione collataq; benedictione Abrahæ promiſſa credentibus. Id quod factum eſt, dum uerbum caro fieret, & nos per crucem ab execratione legis liberaret. Sic inquam lex in manu mediatoris ordinata eſt. Ita iam quilibet intelligit legem in hoc datam ut peccati reos ageret omnes homines, deinde ad Chriſtũ perduceret in quo eſt benedictio, uita & ſalus noſtra, qui eſt perfectio legis ad iuſtificationẽ omni credenti. Verboſius iſta quidem expoſuimus, ſed nõ abs re. Breuitas enim Paulina orationi multam induxit obſcuritatem. Proinde quædam ſarcienda erant, quædam copioſius exponẽda, quædam clarius in lucem proferenda. Galatis tamen hæc utcunq; expoſita erant quod aliquando copioſius eadem apud ipſos enarraſſet Apoſtolus.

Lex ordinata in manu interceſſoris.

Lex igitur num eſt aduerſus promiſſiones dei? Abſit. Etenim ſi data fuiſſet lex, quæ poſſit uiuificare, uere ex lege eſſet iuſtitia: ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Lex teſtamento ceu fulcrum eſt adpoſita.

Explicatius iam loquitur de cauſſis latæ legis, de ui & uſu eius, oſtendens legem & teſtamentum ſibi mutuo non aduerſari. Per promiſſionem enim nil aliud intelligit quàm teſtamentum. Repetit autem obiectionem, ſed alia ſpecie orationis. Eſt enim hic uerborum ſenſus. Quid igitur lex, dicat aliquis, an inutilis quod iuſtitiam non confert? aut ſi confert nónne cum teſtamento pugnat? Huic reſpondeo longe abeſſe à piorum animis

ut uel

ut uel legem dicant inutilem uel testamento dei æterno cõtrariam. Rationẽ huius duco ex contrario: Si enim ulla unquã à deo lex lata esset in hunc finẽ ut uiuificaret cultores, nihil sanè peccarent qui per legis opera iustificari quærunt. Nunc uero cum non modo leges dei, sed uniuersa scriptura sancta omnes homines peccatores esse argumentis approbet insolubilibus, quis non uideat tum legem ipsam tum omnem scripturã sanctam adeo non aduersari testamento, ut magis euincant necessario iustificationem gratuito conferri per fidem Iesu Christi credentibus? Planissima sunt quę conscribuntur ab apostolo, nec copiosiore egent enarratione. Nam qui per legem peccati reus factus intellexit se totum peccati mancipium naturaq; sua prorsus corruptum nihil habere penitus quo in conspectum sanctissimi numinis prodeat, cogitur de sese uiribusq; suis desperare & ad Christum confugere & sese totum huic dedere, utpote qui à patre factus sit nobis redemptio salus & sanctificatio. Obseruanda tamen est orationis maiestas grauitas & ardor. Diserte & minime obscuris uerbis dicit, Lex non potest uiuificare. Denuo autẽ per legem opera legis intellexit. Mira uero energia est in uerbo conclusit. In epistola ad Roma. hoc ipsum alia proposuit similitudine, dicens, Scimus quod quæcunq; lex dicit his qui sub lege sunt dicat, ut omne os φραγῇ sepiatur siue obduretur & obnoxius fiat totus mundus deo. Paraphrastes ergo hunc Pauli ad Galatas locum exponẽs, Lex sic eos constrinxit, ait, ut non possent elabi, quin faterentur se commeruisse pœnam, quando negari non poterat, honestum esse quod lex præscriberet. Et iterum, Ne igitur suis operibus freti negligerent gratiam Christi, in hoc data lex est, quæ pręscriberet quid agendũ quid uitandum, ut omnes intelligerent sese peccatis obnoxios, dum quod per legem didicerunt esse nefarium, non uitant tamen, nimirum uicti suis prauis cupiditatibus, atque ita morbum agnoscentes suum auidius amplecterentur oblatum euangelicæ gratiæ remedium. Deinde euidentius est quod dixit, Conclusit scriptura omnia sub peccatũ, quàm si dixisset, Conclusit scriptura omnes sub peccatum. Omnia enim uniuersitatem ueluti comprehendit. Et ad Roma. pari maiestate scripsit, Et obnoxius fiat totus mundus deo. Ecce hic ait Totus mundus. Addit, obnoxius fiat, ὑπόδικος id est, reus & ad pœnam obligatus. Hic uero conclusit ait omnia sub peccatum, ut nemo posthac gloriari possit se peccato exemptũ esse. Sequitur Illatio. Ex his colligitur quod benedictio per Christum confertur credentibus & quod fidei non operum sit iustitia.

Cęterum antequam uenisset fides sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda.

Lex concludit omnes in Christum.

Plana & eleganti sententia adhuc ostendit quomodo Lex Testamento nõ repugnet imò adminiculũ potius ferat. Exponitur item sententia prior, Conclusit lex omnia sub peccatum, ut promissio ex fide daretur. Iterũ enim de ui institutoq; legis disserit. Per fidem autem intellexit ipsum semen benedictũ Christum dominum cui credimus. Eum tropum annotans Ambro. Antequã, ait, ueniret saluator sub legis custodia agebamur. Hoc enim est quod dicit, Antequam nasceretur Christus & semen Abrahę promissum orbi innotesceret lege ueluti septis et uallo coercebamur ne uel idololatria uel sceleribus à deo prorsum alienaremur, aut etiã operibus nostris fisi excideremus gratia dei. Lata ergo lege uoluit nos deus concludere in fidem reuelandã, id est, uoluit euincere quod per reuelandum filium suum seruaremur ab ira, & quod fides in ipsum iustificatura esset impios. Hunc sensum agnoscens etiam Theophylactus. Quia enim lex, ait, cum his aperiret delicta, nequiret autem ab his quenquam eruere, necessario fidem significabat homines iustificare, quæ & si erat occultior, reuelata est tandem cum in carne manifestatus est deus. Hactenus Theophy. Manifestissime uero docet hic Pauli locus eandem fuisse ueteribus & nobis iustificandi rationem. Vnde consequens est eundem esse populum eandemq; ecclesiam ueterum & nostram. Nam & ad Cor. Omnes ait eandem escam spiritualem comedebant & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant enim de spirituali quæ illos comitabatur petra, Petra uero erat Christus.

Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christũ ut ex fide iustificaremur.

At postquam uenit fides, non amplius sub pædagogo sumus. Omnes enim filij dei estis eo quod credidistis Christo Iesu.

Lex pædagogus est ad Christum.

Per allegoriam siue similitudinem eandem rem dicit, sed explicatius & quodam modo uiuidius. Legem enim pædagogo assimilat, homines pueris stultis & affectui obsequentibus. Quemadmodum ergo pueri per adulescentiam lubricam nulla ratione uel temporis uel rerum suarum habita quò cupiditas stulta uocat sequuntur: ita homines ex æquo omnes cupiditati prauæ & affectui corrupta suggerenti obtemperamus. Alius enim idololatriam sectatur, alius per hypocrisim sanctã deceptus sibi fidit plus nimium & sese dei loco adorat. Quemadmodũ diuersa quoq; sunt puerorũ studia, quibus à uirtute abducuntur ad uitia. Est enim qui uoluptatibus sese ingurgitat, alius perit in scortorum amplexibus, hic præproperam sibi mortem consciscit compotationibus: est autem præcipua ingeniorũ pestis arrogantia & nimia sui fidutia. Proinde additur pueris pædagogus, qui erũpentes affectus uel coërceat uel moderetur, rectaq; adducat ad magistram Virtutem. Ita & hominum generi, Iudæorũ in primis, Lex lata est, quæ mala (cuiusmodi sunt idololatria, uarij generis flagitia, præcipue aũt sui fidutia) prohibeat, metu terreat, pollicitationibus proliciat, atq; ita ad Christũ rectà ducat, qui solus est perfectio legis, salus & iustitia credentium. Atq; hoc est quod additur, Vt ex fide iustificaremur. Hic enim est scopus unicus huius pædagogi legis, ut ad Christũ sibi concreditos ducat, hisq; persuadeat, quod nõ in ulla carne, in ullis operibus inuentisq; hominũ, sed in solo Christo uita & redemptio sit. Quod si æquitas & pietas admittit ut puer in pædagogũ insurgat, huicq; conuicietur bene merenti, certè & religio concedit ut spreta lege dei procacius de ipsa cõmentemur. Pro sceleratissimo autẽ habetur quisquis præceptoribus fuerit ingratus. Impijssimus ergo erit qui de lege irreuerenter fuerit locutus Et hęc quidem de lege, nunc quædã de libertate Christiana deq; abrogatione legis disputabit. Nos alibi de his fusius cõmentati sumus, perstringemus ergo hæc manu leui, tum quod & ipsa sint satis aliâs perspicua expositaq;. Porrò lex dei non eo lata est consilio ut homines urgeat perpetuo. Posteaq̃ enim nos ex creaturarum & uitiorum insidijs erutos imò nos nobisipsis ereptos nudos iam & omni exutos præsidio ad Christũ semen promissum pertraxit, defuncta est munere suo. Deinceps uero permittit homini liberũ ut suis uiuat legibus, hoc est legibus spiritus qui ingenuos agitat. Hoc enim est quod ait, At postq̃ uenit fides, id est postq̃ nos peruenimus ad Christum & fides illuxit in cordibus nostris, nõ amplius sub pædagogo sumus. Libero enim & spontaneo Christi spiritu agimur & recta perducimur, ut non sit opus exactore aut pædagogo. Quotquot enim credidimus & lege duce ad Christũ peruenimus, cum Petro clamamus, Dñe ad quem iremus nisi ad te solum? Tu eñ uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Perstat aũt in metaphora cœpta Paulus, ut magis perspicuum esset negotium. Pædagogus non sic additur pueris ut semper adsit, sed tantisper donec adulti iam sua sponte ferãtur ad ea quæ expetenda sunt, nec opus habeant ut metu & imperio adigantur, sed patris amore rationisq; ductu uolentes iam faciant quæ recta sunt. Quia ergo spiritu dei imbuti sua sponte abhorrẽt ab idololatria, à sceleribus, à sui fidutia, solum autem deum in cordibus suis magnificant, & salutem non aliunde quàm à Christo sperant, hinc liberi sunt. Huc enim pertinet caussalis illa sententia sequens, Omnes enim filij dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu. Nam hæc est genuina uerborum Pauli sententia, Filij liberi sunt, Vos autem estis filij, & proinde liberi. Quod autem filij sint inde patet quod alibi scriptum est, Quotquot receperunt eum dedit eis ut liceret filios dei fieri, qui credidissent in nomen ipsius. Et hic repetitur, Oñes estis filij dei, eo scilicet quod credidistis Christo Iesu. Huc pertinet quod apud Ioannem dominus dixit, Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem nõ manet in domo inæternũ, filius manet inæternũ. Si ergo uos filios liberos reddiderit, uere liberi eritis. Hinc uero patet quid sit legis abrogatio & uera libertas Christiana, non utique diuinæ legis proscriptio & contẽptus, aut peccãdi licentia, sed uitæ custodia sancta & uoluntaria, legisq; absoluta perfectio. De qua re alibi disputauimus. Inde certè tãta de lege spirituali

De libertate Christiana et legis abrogatione.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

ſpirituali per omnem ſcripturam diſputatio. Quis uero eſt ſpiritus legis niſi ipſe Chriſtus ipſaq; Chriſtiana fides? Quid quæſo aliud quàm fidem præcipit lex? Interim non ignoro ad quid potiſſimum inſtituta ſit. Oportebat ergo theologos quoſdam multo reuerentius de lege & abrogatione eius, adeoq; & de Chriſtiana libertate loqui quàm ſolitum ſit hactenus. Ipſa enim lex ſi recte tractetur modo quodam fidei quoq; doctrina eſt, quanquam & aliud interim habeat officium, de quo ſatis iam diſputatum eſt.

Nam quicunq; baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus ac fœmina. Omnes enim uos unus eſtis in Chriſto Ieſu.

Credentes ſunt filij dei.

Probat etiam his credentes eſſe filios dei & proinde liberos ac hæredes. Omnes inquit baptizati eſtis, ergo omnes filij dei eſtis. Quicunq; enim baptizantur Chriſtũ induunt. At Chriſtum induere eſt idem cum ipſo fieri, adeoq; incorporari ipſi. Sumus enim mẽbra corporis eiuſdẽ ex carne eius & ex oſſibus eius. Huc & illud pertinet quod ſequitur, Oẽs uos unus eſtis in Chriſto Ieſu. Huius uero ſymbolum baptiſmus eſt, qui nos initiat et inſerit corpori Chriſti. Loquimur autẽ de baptiſmo non ut nudo ſymbolo ſed reuera ſancto dei myſterio. Aliàs recte annotauit hoc loco D. Hierony. eũ, qui aquæ tantum lauacrum quod oculis cernitur carnis accipit, Ieſum Chriſtum non induere. Simonem eñ cuius mentio fiat in Actibus apo. lauacrum quidem aquę accepiſſe, ſed quia ſpiritu ſancto caruerit dominum Ieſum non induiſſe. Induunt ergo Chriſtum qui nõ ſymbolum modo percipiunt, ſed re ipſa interim non carent, gratia ſcilicet & fide. Reuera eñ filij dei ſunt quorum miſertus eſt deus & qui domino fidunt. Paulus in præſentiarum ita de fidelibus iudicat ut nos iudicare poſſumus. Animum ſolus deus nouit. Ex ſymbolis & externa profeſſione nos iudicamus. Volens ergo apoſtolus probare credentes eſſe filios dei, à ſymbolo baptiſmi ducit probationem. Quotquot baptizati eſtis Chriſtũ induiſtis, id eſt membra Chriſti facti eſtis & proinde filij quoq; dei. Nemo autem neſcit baptiſmũ fidelium eſſe adeoq; baptiſmo nos in numerum referri recipiq; fidelium. Sed de baptiſmo diſputatum eſt aliàs. Iam quod neminem ab hac excluſiſſet gratia, ſed generatim dixiſſet, Omnes filij dei eſtis, exponit id planius per enumerationem, in qua omnes æquat quod ſpem ſalutis attinet. Omnes enim ſumus eiuſdem capitis membra, diuites, inopes, docti, indocti, ingenui, ſerui, mares, fœminæ. Differunt tamen inter ſe mẽbra officijs & dignitate, omnia tamen eiuſdem capitis mẽbra ſunt. Atq; hæc quidem aduerſus eos pugnant qui Gentes præputiatas auerſabãtur & Iudæos modo deo acceptos eſſe autumabant. Quod ſi unus ſumus quotquot in Chriſtum baptizamur, cur obſecro alienis uiuendi modis et religione diuerſa ab eccleſia ſeparãtur monachi? Si unus quaſi nouus homo & eiuſdem capitis membra ſumus quotquot ſuſcepimus ſacrum baptiſma, nihil planè religioni ueræ perinde aduerſatur atq; inimicitiæ lites ſimultates & bella. Membrum membro condolet, & homo homini pernicies eſt.

Quod ſi uos eſtis Chriſti, igitur Abrahæ ſemen eſtis & iuxta promiſſionem hæredes.

Fideles ſunt ſemen Abrahæ.

Epiphonema eſt argutiſſimum compendioſa breuitate totum hoc negotium conſtringens. Aequipollent autẽ hęc tria Chriſti eſſe, Chriſtũ induere, & baptizari. Et Abrahæ ſemen ſunt qui credũt & in ueſtigijs patris Abrahæ incedũt. Nam Ioan. 8. dominus, Si ait filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis, Abraham exultauit ut uideret diem meum & uidit atq; gauiſus eſt. Iam uero Abrahæ & ſemini ſiue hæredibus eius facta eſt repromiſſio, fore ut ipſe cũ uniuerſo ſemine per Chriſtum benedicatur. Si ergo creditis, eſtis filij Abrahæ, & per conſequẽs hæredes benedictionis per Chriſtum. Colligitur ergo neceſſario quod iuſtitia & ſalus non Iudæis modo, ſed omnibus Gentibus nõ per legem, ſed per fidem in Chriſtũ Ieſum conferatur. Hiſce quoq; demonſtrari poteſt quod & ueteres ante Chriſtum natum fuerint Chriſtiani. Conuertuntur enim inter ſe hæc duo Chriſtianũ eſſe, & ſemen Abrahæ eſſe. Qui enim Chriſti eſt, ſemen Abrahæ eſt, ergo qui ſemẽ Abrahæ eſt Chriſti eſt. Paraphraſtes hũc Pauli locũ enarrans breuibus ſed

perſpicuis uerbis ut cætera ferè omnia, Quod ſi inquit Chriſtus eſt illud ſemen Abrahæ per quod deus pollicitus eſt omnibus Gentibus benedictionem, uos quoq; Chriſto inſiti, poſteritas Abrahæ eſtis oportet. Si poſteri Abrahæ, igitur uelut hæredes in ius promiſſi uenitis. Si nomen filij datur per Chriſti conſortium & in hoc omnes ex æquo recipiuntur per fidem ac baptiſmum, hæreditas ad omnes ex æquo pertineat neceſſe eſt.

CAP. IIII.

Dico autem, quandiu hæres puer eſt, nihil differt à ſeruo cum ſit dominus omniū, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſq; ad tempus quod pater præſcripſerit. Sic & nos cum eſſemus pueri ſub elementis mundi eramus in ſeruitutem redacti. At ubi uenit plenitudo temporis emiſit deus filium ſuum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus.

Libertas & legis abrogatio.

Planius adhuc & copioſius diſputaturus de libertate Chriſtiana, de uſu et genio legis huiuſq; abrogatione ex more formulam præfigit expoſitiuam, Dico autem. Hoc enim more loqui ſolet Paulus, quod ſæpe iam annotauimus, quoties ingreditur interpretari quę dixerit. Proinde authore Eraſmo dilucidius erat, Quod dico tale eſt: aut, Illud autem eſt quod dico. In fine enim cap. 3. meminerat pædagogi hæreditatis & hæredum, inde ergo occaſione accepta, per eandem allegoriam orationis ſeriem continuans in eodem adhuc uerſatur argumento. Similitudinem ſumpſit è legibus Romanis de quibus in Pandectis lib. 16. D. Hieronymus, Legitimum inquit tempus quod Romanis legibus ſancitum eſt uigintiquinq; annorum ſpatio terminatur. Nihil διαφέρει differt à ſeruo, dixit pro eo quod eſt, filius ſeruo nil præſtat aut ſeruum nil antecellit. Et quos Græci uocant ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους, hos Latini uocant curatores, procuratores ſiue cōmiſſarios, & œconomos & rei familiaris diſpenſatores. Eraſmus, Pueris ait dabantur tutores, furioſis & adoleſcentibus curatores, qui pro illis rem adminiſtrarent, licet exiſtimem & hos actores dici. Cæterum ut ad ſenſum Pauli exponendum deſcendamus, Similitudo hæc duo habet membra totidemq; ex oppoſito ſibi reſpondentia. Nam quemadmodū pueri agunt ſub procuratoribus, ita nos ſubditi fuimus legi. Quemadmodum uero tutela illa præſcriptum habet terminum ad quem adoleſcens ad iuſtam libertatem pertingat: ita Chriſti gratia exoriens nos in libertatem aſſerit. Hæreditas ſemper eadem hæredibus eſt propoſita, at non eadem eſt hæredum conditio. Tantiſper enim ſub tutoribus & ueluti ſerui ſunt quoad ratione carent. Liberi uero ſunt & relicta tutorum diſpenſatione hæreditate pro libitu utuntur ubi acceſſerit iudicium. Eadem quoq; hæreditas, iuſtitia ſcilicet & uita æterna oīnibus ſæculis propoſita fuit. Sed dum pueri eſſemus duceremurq; affectibus uarijs, ne penitus hanc prodigeremus hæreditatem, legi tanquam tutori fideli ſumus ſubditi, non ut illa nobis dominaretur perpetuò, ſed tantiſper donec ueniret promiſſum ſemen, anniq; pueritiæ noſtræ matura ætate ſuperueniēte ceſſarent, & fides imperium obtineret in cordibus noſtris. Poſteaquam ergo Chriſtus natus eſt, poſteaq; fide imbuti iudiciū de rebus diuinis nacti ſumus, iam anni ſeruitutis noſtræ expleti, domini legis & hęreditatis promiſſæ facti in iuſtam libertatem aſſerti ſumus. Sponte enim nunc & uolentes perq; fidem omnia noſtra inſtituentes firma ſpe nouimus aliquādo æternæ nos per Chriſtum hæreditate potituros. Ex his iterum colligere licet quæ ſit libertatis Chriſtianæ indoles, quæ legis abrogatæ ratio. Liberi eñ ſunt qui filij ſunt. Sunt autem filij qui credunt. Et qui credunt ſpiritu dei agūtur. Hic in omnibus rebus imperium habet, affectū premit, & cupiditates coërcet. Lex uero eſt perpetua dei uoluntas. Lege enim declarat nobis quid uelit deus, qualis ſit, quid à nobis exigat & quid ipſi placeat, nimirū ut uni hæreamus, per filium eius ſalutem ſperemus uiuamusq; innocēter in conſpectu eius. Adduntur his minæ & pollicitationes præclaræ. Breuiter per legem inducimur in cognitionem dei, peccati & Chriſti. Iam qui deo per Chriſtū fidit, à lege liber eſt. Habet enim legis ſpiritū quo poſthac agitur ut lege, id eſt legis ductu & impulſu non ſit opus, neq; illa execrationibus ſuis damnare poſſit. Viuit hic in Chriſto & ad officia pietatis ſuapte

ſuapte iam genio bono animatur. Huiuſmodi ergo hominibus lex nō eſt poſita, impijs autem & irreuerentibus poſita eſt. Et eatenus à lege liberi ſumus. Porrò quod puero tutor eſt (ut illud quoq; non neſcias) id nobis omnino lex eſt. Puer arbitrio & inſtitutione tutoris ueluti ſeruus ad adultam uſq; ætatem ducitur. Et nos per legem ceu per elementa & rudimēta religionis inducimur in cognitionem peccati & Chriſti. Alluſit enim ad elementa omniū artium. Habet enim quæq; ars ſua rudimenta. Nemo uero in his conſeneſcit, per hęc enim prouehitur quiſq; ad eruditionem ſolidiorem. Nemo ergo in lege hærere debet, ſed eluctari magis ad fidem quæ in hoc negotio abſoluta eſt ſapientia. Plura de Elementis hiſce annotaui in 5 cap. ad Hebr. Proſequemur iam reliqua. Plenitudo temporis eſt eius temporis terminus quem pater præſcripſerat. Innectitur enim hæc locutio ſuperiori membro, Puer ſub tutoribus eſt uſq; ad tempus quod pater præſcripſerit. Subditur ergo, Vbi uenit plenitudo temporis, id eſt, ubi tempus æterno dei conſilio præfinitum explebatur, emiſit deus filium ſuum. Iterum autem exponit in trāſcurſu modum redemptionis per Chriſtū. Principio autem egregie exprimit utramq; in Chriſto naturā dicens, Emiſit deus filium ſuum, factum ex muliere. Emphaſim autem habet uerbum emittendi. Nam apud Ioan. ad Iudæos, Si, inquit, deus pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me. Ego enim ex deo proceſſi & ueni. Neq; enim à meipſo ueni, ſed ille me miſit. Et iterum ad diſcipulos, Exiui à patre ait, & ueni in mundum, iterum relinquo mūdum & uado ad patrem. Plura habes huius generis ad Hebr. 1. Humanam Chriſti naturā exprimit cum dicit, Factus ex muliere. Id autē multo euidentius eſt q̄ ſi dixiſſet, Factus homo. Primo enim alluſit ad illud Gene. 3. Inimicitias ponā inter te & inter (האשה) illam mulierem. Mulier autē utrobiq; ſexus nomen eſt, non cōditionis. Conſtat enim aliās Chriſtum uirgine eſſe natum. Vnde Moſes ſpecificatiua adiecta particula ſignificat ſe loqui non de quauis, ſed certa & inſigni muliere, uirgine ſcilicet. Nam ita appellauit Meſſiæ matrem Iſaias. Deinde uero clariſſime teſtari uoluit Chriſtum aſſumpſiſſe carnem ſuam de ſubſtantia uirginis intemeratæ. Nam diuus Hieronymus, Diligenter, inquit, attendi te quod non dixerit, Factū per mulierem, quod Martion & cæteræ hæreſes uolunt, quæ putatiuam Chriſti carnem ſimulant: ſed ex muliere, ut non per illam, ſed ex illa natus eſſe credatur. Hactenus Hieron. Ad illud confirmādum id quoq; facit, quod in prima promiſſione ſemen dictus eſt Meſſias, quaſi quis uerū & naturalem hominem dicat ex uero homine natum, è ſubſtantia ſcilicet uirginis. Sed plura de uera Chriſti carne diſputata ſunt ad Hebr. 2. cap. Hic ergo ad eum modū inſtructus redimere potuit. Ad modum enim redemptionis explicandum illud pertinet quod ſequitur, Factum legi obnoxium, ut eos qui legi erāt obnoxij redimeret, ſiue ut Græca habet ueritas ἐξαγοράσῃ, id eſt emeretur, hoc eſt dato pretio aſſereret in libertatem. Tantū uero pollet hæc locutio quantum ſuperior, Factus eſt execratio ut nos ab execratione legis redimeret. Quæ enim nobis propter carnis imbecillitatem impoſſibilia erant in lege, ipſe adimpleuit, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem uerſamur, ſed ſecundum ſpiritum. Agnoſcis nimirum Pauli uerba ad Rom. 8. Sequitur, Vt adoptione ius filiorū acciperemus. In hoc inquit legi obnoxius factus eſt dominus, ut nos adoptaret in filios, hoc eſt ut ius illud ſiue priuilegium quo gaudent filij, nobis impetraret. Paulus unicam modo dictionem poſuit υἱοθεσίαν. Natura quidem ſumus filij iræ, at per gratiam in locū & dignitatem filiorum aſſumpti ſumus.

Ioan. 8.

Ioan. 16.

Iſaiæ 7.

Quoniam autem eſtis filij, emiſit deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem Abba pater. Itaq; iam non es ſeruus, ſed filius: quod ſi filius, ergo hæres dei per Chriſtum.

Chriſtiani ſunt filij dei.

Probationē tra hit probatio.

Iterum perſpicatius exponere, imò & approbare conatur quod iam dixerat nos per Chriſtum filios dei factos eſſe, ut inferret ex illo quod in hac epiſtola potiſſimū eſt, per Chriſtū hæredes nos dei factos eſſe, hoc eſt, ſaluari nos per Chriſti gratiam. Ex hoc inquit apparet quod filij dei ſimus, quod deus ueluti genium filij ſui id eſt ſpiritum filij ſui nobis indidit. Teſtat hic in cordibus noſtris quod ſimus filij. Clamat eñ ad deū Abba

pater. Nunquam enim auderemus dicere, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c. nisi de conscientia spiritus habitātis in nobis. De acclamatione hac Abba pater dictum est ad Roma. 8. Pluribus hic disputat D. Hieronymus aduersus eos qui tertiam in sancta trinitate personam negant. Est enim uetus hæresis quæ hodie à sciolis quibusdam & male feriatis maleq; affectis hominibus uelut ab auerni faucibus reuocatur. Cur non potius sancta simpliciq; fide triniratem in unitate adoramus, quum tam clara sint unitatis & trinitatis dei testimonia? quæ tam non possunt sibi mutuo aduersari quàm lumen lumini, aut ueritas ueritati. Idem unusq; dei spiritus indifferenter ob naturæ societatem nunc patris dicitur esse nunc filij. Quid uero clarius dici potuit q̄ quod dictum est, Baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti? Et iterum, Diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus: diuisiones quoq; ministeriorū sunt, sed idem dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est deus efficiens omnia in omnibus. In Actis apostolorum dixit ad Ananiam Petrus, Cur impleuit satanas cor tuum ut mentireris spiritui sancto? Et paulò post, Non es mentitus ait hominibus sed deo. Verū non instituimus hic disputare de spiritu sancto, de quo satis copiosè disseruit Didymus Alexandrinus, ut alios non cōmemorem orthodoxæ ueritatis propugnatores. Paulus post hæc infert quod tota epistola intendit, Itaq; iam non es seruus sed filius. Seruum autem esse, est sub legis seruitute agere. Liberos ergo pronūciat & hæredes. Si enim filij sumus, ergo hæredes dei sumus per Christum. Per Christum notanter addit, ut excludat merita nostra. Et hæreditas quæ à deo nobis obuenit iustificatio est & uita æterna, confirmata & delegata nobis per mortē filij dei. Diuus Hieronymus hoc loco annotauit, Quod in hoc loco dicimus in cæteris quoq; obseruare debemus, de toto genere hominum singulari numero disputari. Omnes enim credentes unum sumus in Christo Iesu, & membra corporis eius & in perfectum uirum redacti, illum habemus caput, Quia caput uiri Christus est. Porrò ex hoc loco confutantur errores aliquot. Tradiderunt enim Sophistæ nescire hominem an sit in gratia dei. At Paulus asserit nos habere testimonium gratiæ dei, ipsum inquam dei spiritum sanctum in cordibus nostris clamātem Abba pater. Non clamat, Sancte Petre ora pro me, sed Abba pater. Vanitatis ergo doctores sunt qui intercessionem diuorum tradunt.

Spiritus sanctus tertia in trinitate persona.

Matth. 28.

1. Corinth. 12.

Acto. 5.

Canon scripturæ.

Sed tum quidē cum ignoraretis deum seruiebatis his qui natura non sunt dij. At nunc postquā cognouistis deum quin potius cogniti estis à deo, quomodo cōuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis?

Digreditur & increpat Galatas.

Satis clare & copiosè negotium fidei legis & Christianæ libertatis proposuit Galatis, nunc paululum digreditur, ita tamen ut non currat extra, quod dici solet, oleas. Faciunt enim consequentia ad summam causſæ plurimum. Mutatum est nonnihil dicendi genus, causſæ nihil mutatum, idem enim agit. Docuit hactenus, posthac obiurgabit. Nam increpat Galatas quod defecerint à cognita ueritate, omnibusq; modis reuocat palātes, ubiq; amaris miscens dulcia. Amplificat autem errorem Galatarum collatione erroris pristini. Quasi dicat, Tolerabilis utcunq; erat error uester cum pro auito more seruiretis iis qui natura non sunt dij. Rudes enim atq; indocti eratis, utpote quibus cognitio dei nondum innotuerat: nunc uero cum ipse se deus uobis aperuit per fidem Christi, intolerandum plane & nulla uenia dignum crimen est, quod à prisco illo errore erepti alteri iam & nouo rursus implicamini. Aggrauat enim peccatum uestrum quod ex euangelij prædicatione cognouistis deū, imò magis ab ipso edocti scitis quod ut idololatria offenditur, ita obseruatione legis nō placatur. Imò didicistis legem nil aliud esse quàm pædagogum, tutorem & isagogen in Christum. Cur ergo hoc neglecto ad legem reditis? cur uolentes & scientes peccatis? Ad perfectiora subinde nitendum. Vos retrogrado gressu ab equis, quod dici solet, descenditis ad asinos. Olim seruiebatis his qui natura non sunt dij, nunc iustitiam & uitam ex illis parare uobis conamini, ex quibus re uera nulla est iustificatio, imò execratio potius. De errore ergo nihil mutatum est, in modo uariastis. Et

nunc

nunc quidem prãsens ille error uester multo fœdior est quàm fuerit prior. Nunc enim à deo docti estis, olim deum ignorabatis. Et hæc quidem de sensu huius loci dicta sufficiant. Annotanda porrò erunt leuicula quædam, sed utilia admodum. Et plures quidẽ dñi coluntur in mundo, unus tamen natura id est uerus deus est, cuius natura est unum solum æternum, uerum, sapientem, potentem, benignum, & per se existentem esse, qui omnibus aliis esse tribuat & conseruet. Communicatione sanè participationéue fiunt quidam dñi hoc est beati, sed gloriam suam alteri non dat uerus ille beatus. Solus enim adorari, inuocari, & coli uult, quæ uera dei gloria est. Tametsi ergo præstantissimos quosq; homines in consortium suum assumat deus, beatitudinẽ quidem & uitam ipsis confert, neminem tamen illorum sibi æquat aut cõcedit ut adoretur, colatur & inuocetur. Proinde cultus diuorum siue deorum ex diametro pugnat cum numine & uera religione. Et uerbo Seruiendi cõplexus est omnis generis cultus & religiones. Sic eo uerbo & Moses in libris suis usus est. Deos inquit alienos non adorabitis, neq; coletis, non seruietis eis, sed soli domino deo uestro, Porrò idololatria & multorum ac falsorum deorum cultus oritur ex ignorantia dei. Id quod planioribus exponitur à Paulo ad Romanos primo. Qui uero à deo docti norunt quæ sit numinis natura, protinus & plures deos contemnunt & idololatriam damnant. Proinde qui hanc nondum damnarunt nondum nouerunt deum, sicuti nosse oportebat. Cogniti estis à deo peculiari quodam loquendi genere dixit, pro eo quod est docti estis à deo. Nemo enim uenit ad Christum & euangelicæ ueritatis cognitionem quàm qui didicit à patre. Nam caro & sanguis ueram religionem non docent Infirma & egena elementa legem nuncupauit. Nam ad Hebræ. 7. Abrogatur ait Paulus præceptum propter imbecillitatem & inutilitatem. Nam nihil ad perfectionem contulit lex, uerum erat introductio ad spem potiorem, per quam appropinquamus deo &c. Merito igitur succenset Galatis quod iterum conuerterentur ad infirma & egena elementa, quibus πάλιν ἄνωθεν rursum ab initio seruire uolebant. Est autem hoc inopinatum & absurdum. Alij enim à principijs primis ad perfectiora enituntur, Galatæ à perfecta cognitione redibant ad principia.

Natura unus uerus deus est.

Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Metuo de uobis ne frustra laborauerim erga uos.

Exponit sese quid intellexerit per elemẽta infirma, obseruationes scilicet legales. Per species enim notat genus, & per partes significat totũ. Nam pseudapostoli legem omnino reducebant, circumcisionem, sacrificia, uota, obseruationem ciborum & dierum, baptismata & id genus uaria. Atq; his adeò tribuebãt iustificationem ut sine his assererent fidem in Christum ad salutem inefficacem esse. Recte ergo subiungit, Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Habet autem hæc sententia affectum paternum. Nam metui addita spes est. Et metus patris ingenuos filios cohibet quo minus patrent quod pater metuit. Addit D. Hierony. Sine caussa laborat magister cum ipse prouocat ad maiora discipulos, & illi retrolapsi ad minora & humilia reuoluuntur Vel frustra laborauit quod ipsi legalibus tribuerent iustificationẽ, ex quo consequebatur Christum ipsis frustra fuisse prædicatũ. Nam in 5. cap. Si circumcidamini, inquit, Christus nihil uobis proderit. Commentatores pleriq; hunc Pauli locũ sic exposuerunt ut intellexerint per Dies sabbata & neomenias, per Menses primum & septimum, per Tempora festa illa Paschę, Pentecostes & Tabernaculorum, per Annos, annos remissionis & iubilei. D. Hierony. in loco quærit, Si dies obseruare non licet, an igitur Christiani peccent qui & ipsi statis conueniant diebus, & quasdam celebrent festiuitates, diem scilicet dominicam, Pascha, Pentecosten? &c. Et respondet non eandem esse rationem inter illorum & nostras festiuitates. Et post quædam, Ne inordinata, inquit, congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unũ pariter omnes ueniremus. Non quo celebrior sit dies illa qua conuenimus, sed quo quacunq; die conueniendum sit ex cõspectu mutuo lætitia maior oriatur. Disputauit præterea & Paulus de delectu dierum in 14. cap. ad Romanos, ea consule.

De diebus festis.

Eſtote ut ego ſum, Quandoquidem & ego ſum ut uos. Fratres rogo uos. Nihil me læſiſtis.

Reuocantur ab errore.

Reuocat hiſce errantes ad ſimplicitatem puritatemq; doctrinæ euangelicæ. Plus autem in receſſu habet hæc oratio quàm fronte promittat. Vehemens enim & pathetica eſt. Admouet illorum animis preces ardentes, paternum affectum & ſuum exemplum, indicat quo animo hęc egerit cum ipſis hactenus. Paraphraſtes illa omnia ſed & partem ſuperioris ſententiæ proprijſſime explicans, Si uere, inquit, Chriſto fiditis, unde iſta ſuperſtitio? Si non fiditis, uereor ne fruſtra tantum laboris ſuſcepetim in uobis inſtituendis. Siquidem exciditis à Chriſto ſi Iudaiſmum admiſcetis. Ne committatis ut & ego meam operam luſerim qui per uarias afflictiones uobis euangelium tradidi, & uos tantum malorum fruſtra pro Chriſto paſſi ſitis. Quin potius tales ſitis qualem me uidetis eſſe neglecta legis obſeruatione ſoli Chriſto fidentem. Quãdoquidem & ipſe quondam fui quales uos nunc eſtis, arbitrans eximiam quandam eſſe pietatem circumcidi, ſeruare ſabbata, delectum ciborum, pecudum uictimas, quarum rerum zelo tum perſequebar eccleſiam dei, quæ omnia nunc ut inutilia negligo. Fratres quod hæc uobiſcum uehementius expoſtulo, ueſtrum, mihi credite, non meum ago negotium. Ipſe poteram recti conſcientia cõtentus eſſe. Non ideo uobis infenſus ſum quod me afficeritis iniuria. Veſtri me miſeret, ſi à cœptis tam præclaris degeneretis. Facite ut ſitis conſtantes ſemperq; ad meliora proficite potius quàm ad deteriora relabamini. Ego me (primum prædicans uobis euangelium Ieſu Chriſti) ad ueſtram imbecillitatem deieci, uos uiciſſim nunc ad meam firmitatem aſſurgite. Nolite præclaram illam fidei ueſtræ gloriam amittere. Hæc Paraphraſtes. Ad eundem fermè modum exponit & diuus Hieronymus, qui commodum & pie adiecit, Illa quidem & nos ad humilitatem prouocant, & ſupercilium decutiunt epiſcoporum, qui uelut in aliqua ſublimi ſpecula conſtituti, uix dignantur uidere mortales & alloqui conſeruos ſuos. Diſcant ab Apoſtolo errantes & inſipientes Galatas fratres uocari. Diſcant poſt increpationem blanda uerba dicentis, Obſecro. Quid putas dixiſſet Hieronymus, ſi noſtrorum epiſcoporum non ſupercilium modo ſed faſtum & tyrannidem uidiſſet?

Noſtis quod per infirmitatem carnis euangelizauerim uobis prius, & experimentum mei quod erat in carne non eſtis aſpernati, neq; reſpuiſtis, ſed me uelut angelum dei ſuſcepiſtis uelut Chriſtũ Ieſum. Quę ergo erat beatitudo ueſtra? Teſtimonium enim reddo uobis, quod ſi fieri potuiſſet oculos ueſtros effoſſos dediſſetis mihi. Igitur inimicus factus ſum uobis uera loquendo uobis?

Per collationem denuo oſtendit ex priſtinis factis Galatarum, quàm turpis ſit error ipſorum, & quàm fœda defectio, nimirũ ut reuocet ac illos ſibijpſis reſtituat. Perpetuo autem diſſimulat membrum oppoſitum. Id enim ipſis æſtimandum relinquit. Et habebat id quidem minus inuidiæ, gratiæ uero plurimum. Poterant enim ipſi ex propoſitis ad hunc modum colligere, Si in ipſo euangelicæ prædicationis aggreſſu & initio tantopere obſeruaſtis Paulũ, turpe profecto uobis eſt ſi in ipſo curſu & propemodũ in ipſa rei conſummatione illum & aſpernari & ab ipſo deficere incipitis. Solent enim res quęlibet per initia difficiliores aſperioresq; eſſe. Vnde & Ambroſius, Ruborem, inquit, illis incutit, quia poſthæc laudabilia circumuenti fuerant. Proinde quanto magis increſcit eorum gloria ex ijs factis quæ protinus à prima euangelij prædicatione patrarunt, tanto maior illis nunc pudor incutitur, quando ad metam propemodum uenientes labaſcũt ac hærent. Equidẽ de factis prioribus loquitur magnifice. Noſtis, ait, uos enim ipſos teſtes aduoco. Non enim opus mihi ut quicquam affingã uel de negotijs meis auguſtius q̃ pro re differã: noſtis inquam ô Galatę, cum per initia uobis traderem euangelij, quod nihil præ me tulerim magnificum ſed humilis & abiecti humunculi ſpeciem geſſerim.

Videbatis

Videbatis hominem tenuem, obnoxium malis & uarijs aduersitatibus tentatum (Nam πειρασμὸν μοῦ experimentum mei siue tentationem meam posuit pro uarijs malis quibus exercitabatur 2. Corinth. 12.) simplici quoq; & rudi sermone instructum, nec aliud scientem & prędicantem quàm Christum eumq; crucifixum: & tum quidem tanta erat fidei uestræ promptitudo, ut hisce rebus nihil offensi non reieceritis me neq; spreueritis euangelium nostrum: imò summo cum honore excepistis me, non ut Paulum aut uilem aliquem homuncionẽ, sed ut angelum dei, quid autem dico angelum dei, quin magis ut ipsum dominum Iesum. Et hæc quidem supra modum exaggerata exclamatione iniecta amplificatione euidentiore extollit, Quæ erat tum beatitudo uestra? id est, quàm uero tum eratis felices. Germanice multo euidentius reddemus, *O wie stünd es do so wol vmb üch, wie warend jr do so sälig.* Id uero iterum auget per consequentem hyperbolen & caussalem, Testimonium enim reddo uobis, quod si fieri potuisset oculos uestros effossos dedissetis mihi. Est autem & uulgi celebratissimo sermone usitatum prouerbium, Ne oculis quidem parcere: uel, Oculos impartiri, cum summam uolunt animorum coniunctionem, amorem summum & fidem omnium maximam significare. Tandem & inopinatum subiungitur, Igitur inimicus factus sum uobis, uera loquẽdo uobis? Hoc enim magis erat diligendus & suspiciendus. Paulus ergo, Nihil est, inquit, quod ego quidẽ sciam cuius rei gratia animos à me uestros alienaueritis, quàm quod libertate mea erga uos usus, simpliciter & uere monuerim quæ uidebam ad uestram salutem pertinere. Quod si hæc res meretur odium, agè insectamini male de uobis meritum. Si uero ueritatem uobis proponens ex animo bene uolui, redite ad mentem, & quem ad tempus ut hostem auersati estis, nunc ut fidelissimum & amantissimum patrem excipite. Atq; hic est huius expostulationis siue increpationis scopus. Plurima autem hic ueniunt nobis cõsideranda & obseruanda & utilissima quidem illa, quod scilicet animus rectus & nullis imbutus cupiditatibus siue affectionibus prauis ueritatem & ministros ueritatis amat officiosissime. Excipiendi enim sunt ministri ueritatis ut angeli dei, imò ut ipse Christus dominus, qui dixit, Qui uos recipit me recipit. Vos inquam meum agentes negotium & uerbum meum afferentes: Qui uos spernit me spernit. Reuerẽtes ergo sunt sancti erga apostolicos. Huius uero rei exemplũ sunt Galatæ, priusquam scilicet essent corrupti à pseudapostolis. Nam ubi ipsorum animus aliena esset opinione infectus, protinus ex amicissimis fiunt inimicissimi. Apud corruptos ergo animos locũ habet illud Comicum, Obsequium amicos, ueritas odium parit. Non enim ostenditur scenario eo quid oporteat fieri, sed quid uulgo fiat. Nam inter ueros amicos nil ueritate melius, iucundius, antiquius. Cæterum odium illud & ueritati & ministris eius opera satanæ cõflatur ab adulatoribus & impostoribus qui uel inuidia marcescunt uel sua quærunt. Id quod uel hodie euidentissimis exemplis comprobatur ab Anabaptistis eorumq; complicibus. Nihil autem ueritati uel ministris eius incommodat liuidum illud odium, sed ijs magis nocet qui in bene merentes iniqua odia exercent. Nam & hostes pro amicis colunt, & felicitatem omnem amittunt, dum à uero excidunt, & prauis noxijsq; immerguntur opinionibus. Hinc quoque colligere licet quæ sit uulgi inconstantia. Protinus enim eundem implacabili persequitur odio, quem pridem amarat impotentius. Proinde qui sapiunt populi proceres non efferuntur, tametsi uulgus omnem polliceatur operam imò sancte iuret uitam quoque suam ad illos depositurum. Statim enim atq; acrius contrectaris ulcus ipsorum efferuescunt & ueluti incitati crabrones in capita etiam eorum inuolant quos hactenus coluerunt maxime. Gratulabantur Galatæ cum prima prædicatione liberationem polliceretur Paulus, nunc uero cum ipsos in officio retinere uult, deficiunt, imò hostiliter in eum insurgunt. Hodie quoque uideas quosdam impotentius etiam officiosos quondam dum sibi carnalem libertatem pollicerentur, nunc non modo attonitos cessare, sed ueritatem quoq; insectari. Atqui in ijs turbis prudenter agendum. Exemplum autem agendi suppeditat hoc loco Paulus. Quidam imprudentissime oleum camino infundunt.

Consule 1. Cor. 2. 1. Thess. 2.

Quales animi uulgarium erga prædicationem euangelij.

Ambiunt uos non bene imò excludere uos uolũt ut ipsos æmulemi

ni. Bonū autem est æmulari in re bona semper, & non solum cum præsens sum apud uos.

Zelus pseudapostolorum.

Iam & artes & fucum pseudapostolorum detegit, ut ad se, hoc est ad ueritatis studium reducat. Scio, ait, quid æmuli aduersariꝫq; mei prætexant, pietatem scilicet & quod gloriam dei quærant, ideoq; uos cupiant suos esse imitatores, qui & ipsi de lege sentiretis quod ipsi sentiunt, atq; ita libera colla submitteretis iugo Mosaicæ legis. Cæterum si illud susceperitis, libertate excidistis legiq; inuoluti hæretis perplexi. Equidem ζηλοῦσιν ὑμᾶς idem pollet ac si dicat, Ambiunt uos, siue, zelotypia laborant erga uos, ut scilicet ipsos æmulemini, id est ut ipsis anxie hæreatis, & per admirationem quampiam magno studio ipsos imitemini. Sed quid inde ad ipsos utilitatis rediturum sit exponens interserit, Excludere uos uolunt. Est autem huius loci duplex lectio, Alia, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, id est, Sed excludere uos uolũt, intellige à libertate per Christum parta. Alia uero ἀλλὰ ἐγκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, id est, Sed includere uos uolunt, intellige legi & seruituti. Vtraq; lectio quadrat et sensus in idem recidit. Vtrunq; reddidit Paraphrastes sensum huius loci explicans. Dicit enim, Ambiunt uos quidã ac ueluti mihi inuidentes captãt, at non syncero animo. Non enim hæc faciunt quo uobis consulant, sed ut uos ab euangelij libertate secluſos retrahant in Iudaismum cui ipsi sunt obnoxij. Quærunt enim alios sui similes reddere quo uideantur ipsi rem præclaram ac mirificam sectari pariter & docere. Atq; hic quoniam Galatę citra iudiciũ ex affectu imitabantur quoslibet & quidlibet, sententiam subiungit moralem, dicens, Bonus est zelus, si modo id sit bonum cuius nomine zelo æstuamus. Vel, Alios quidem imitari & studio ardenti flagrare salubre est, si modo recta, iusta & uera tradant & sentiant quos imitaris. Alitâs constat aliũ quoque esse zelum stultũ quidem illum & noxium, imitationem quoq; aliam, sed in re mala & proinde malam. Cuius generis est istorum zelus, qui superstitioni paternæ mordicus hærentes pietatem esse credunt si decreta scripturæ non audiant, simpliciter autem & constanter in uijs, ut aiunt, patrum pergant. Hi non expendunt ueráne an falsa sint quæ obseruarunt patres, sed quia obseruarunt æquum & pium esse credunt si & ipsi inexquisita fide, hoc est stolida persuasione hoc ipsum credant, & superstitionem illorum imitentur. Indidit autem aculeũ huic sententiæ Paulus dicens, Aemulari res bonas semper est bonum, etiam cum non sum præsens apud uos. Reprehẽdit enim Galatas occultius cum dicit, Etiam cum non sum præsens. Quasi dicat, Si agnoscitis bonum esse æmulari res bonas, quid opus est alios imitari præceptores, cum semel me cœperitis ut ueritatis doctorem æmulari? Hic ego à uobis nonnihil desidero constantiæ. Oportebat enim absenti ut pręsenti adhærere, & nequaquam proxima quæq; arripere atq; his insinuari. Veritas enim tenenda & honestũ sequendũ est, etiam cum is abest qui tradidit. Sed hoc est ingenium uulgi ut nouis moueatur quibuslibet, ueteribusq; tametsi iustissimis & rectissimis neglectis, subinde proxima quæq; citra delectum arripiat.

Optima semper æmulanda nobis.

Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis.

Reparat beneuolentiam.

Exclamatio est omnino pathetica & querula paternam spirans curam & præsignem diligentiam. Quasi dicat, O quantis distringor curis, quantis ô chariſſimi filij laboribus & molestijs maceror, priusquam æquam & iustam Christi formam recipiatis. Traxit allegoriam à parturientibus mulieribus quæ susceptο semine in utero creduntur fœtum formare, deinde maximis nixibus & doloribus parere. Hoc autem in loco seminis uice est uerbum euangelij. Et hoc quidem formam Christi recipit in corde hominis opera & informatione spiritus sancti & uirorum apostolicorum. Porrò hæc forma Christi in pectore fideli nihil aliud est quàm ueritas & fidei iustitia. Hæc enim facit in nobis Christum uiuere, præterea prouehit in mensuram ætatis plene adultæ Christi, ne circumferamur quouis uento doctrinæ aut affectibus nostris, Ephes. 4. Et sanè Galatæ exuta forma Christi transierant in formam Iudaicam. Oportebat ergo denuo in ipsis formari Christum, id quod cõmode fieri non poterat, nisi exuissent Iudaismum. Redit ergo ad institutum pristinum Paulus quod interiecta expostulatione intermiserat, & ait.

Vellem

Vellem autem adeſſe apud uos nunc & mutare uocem meam, quoniã perplexus ſum in uobis. Dicite mihi qui ſub lege uultis eſſe, legem ipſam non auditis? Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla, & unum ex libera. Verum is qui ex ancilla natus eſt ſecundũ carnẽ natus eſt, qui uero ex libera per repromiſſionem.

Epilogus et hypotypoſis totius cauſſæ.

Extremam manum impoſiturus huic negotio quod à maxima ſecundi capitis parte hucuſq; ſumma diligentia proſequutus eſt, tandem totam illam cauſſam ueluti uiua pictura reuocat ob oculos perſpiciendam. Hiſtoria enim eſt uiua pictura & exactiſſimum rerum geſtarum exemplum. Hanc ergo proponit mira cum ſuauitate, gratia & luce ſpectatoribus, atq; per hanc demonſtrat quod lege nemo iuſtificetur, imo oñes per legem redigamur in ſeruitutem: item quod ſoli fideles liberi ſint, liberi uero hæredes, hoc eſt, quod per ſolam fidem conferatur toti hominum generi iuſtitia & ſalus, & quod per fidem à lege liberi ſimus. Priuſquam tamen id auſpicaretur præmiſit quædam, quibus pararet ſpectatorum animos, hoc eſt, ut auditores nonnihil excitaret inq; beneuolentia retineret. Hoc enim eſt quod dicit, Vellem equidem quod præſens hoc negotiũ apud uos poſſem agere. Cæterum cum ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν, id eſt perplexus & animi dubius ſim in uobis: id eſt, cum ipſi dubijs in me animis ſitis prædíti, ut non ametis nunc Paulum ueſtrum ſicut amauiſtis aliquando, ergo ne dicẽtis perſona negotij officeret æquitati boni tatiq;, optarem mihi dari uocem aliam, optarem uultum alium, deniq; totam corporis formam eſſe mutatam, optarem & uos auditores meos perſuaſos alium uobiſcum loqui quàm Paulum: mutaretis illam lege imbutã mentem ſat ſcio, rediretis ad Chriſtum. Tanta enim eſt cauſſæ quam ago euidẽtia, tanta lux & perſpicuitas, ut uictoriam certius non optarem ſi modo odium nominis mei ipſum quoq; negotium non redderet inuiſum. Ergo ſi daretur mihi ignoto uobiſcum agendi & diſſerẽdi facultas, ſic utiq; proponerem negotiũ. Atq; hic uenuſtiſſimo dialogiſmo quid dicturus fuiſſet exponit adeoq; & cum Galatis expoſtulans ait, Dicite mihi qui ſub lege uultis eſſe, cur ipſam legem non auditis? Id eſt, Vobiſcum mihi ſermo eſt qui per opera legis iuſtitiam & ſalutem aſſequi uultis. Si enim tantum apud uos lex ualet quantum ſubinde iactatis, qui fit ut huius authoritate nihil cõmoueamini, quare obſecro non creditis legi hoc ipſum tradenti de iuſtificandi modo quod ego hactenus tradidi? Atq; hic ex lege ſcripturaq; ueteri inſignem allegat locum, ex pluribus conſcriptum hiſtorijs, nempe ex cap. Gene. 16. 17. 18. & 21. Copioſiſſimam uero hiſtoriam in breuem redegit ſummam, id modo perſtringẽs quod ad ſuum inſtitutum faciebat. Myſterium duorum horum filiorũ Iſmaëlis & Iſaac, matrum quoq;, ancillæ uidelicet, hoc eſt Hagar, & liberæ, id eſt Saræ poſt aliquot uerba explicabimus: nunc quod dixit Secundum carnem natum eſſe Iſmaëlem exponemus. Et Ambroſius quidem, Quia ait iuxta conſuetudinem natus fuit, dicitur Iſmaël natus ſecundũ carnem. Iſaac uero non ſecundum conſuetudinem, ſed ſecundum prouidẽtiam dei uirtute natus eſt, quippe cum Sara & anus eſſet & ſterilis. Zuinglius uero, Secundum carnem, inquit, natus eſt, id eſt ex cõſilio carnis, hoc eſt uxoris Abrahæ. Legimus enim Gene. 16. Dixit autem Sarai ad Abram, En prohibuit me dominus ne parerem, ingredere quæſo ad ancillam meam ſi forte ædificer ex ea. Et obediebat Abram uoci Sarai. Vterq; ſenſus congruit inſtituto Pauli.

quæ per allegoriam dicũtur. Nam hæc ſunt duo teſtamenta. Vnum quidem à monte Sina in ſeruitutem generãs, qui eſt Agar. Nam Agar Sina mons eſt in Arabia, confinis eſt autem ei quæ nunc uocatur Ieruſalem, ſeruit autem cum filijs ſuis. At quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quę eſt mater omnium noſtrum. Scriptum eſt enim, Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama, quoniam multi liberi deſertæ magis quàm eius quæ habet uirum.

Duplex populus.

Mysteriũ huius loci & historiæ Legis ipse Paulus exponit licet breuibus uerbis. Quæ inquit per allegoriam dicuntur, id est quæ per allegoriã exponi debent. Nam lex eodem apostolo authore umbram habuit futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum. Et allegoria quid sit explicant Grammatici. Alij quidem uolunt allegoriam perpetuam esse metaphoram. Quintilianus in 9. Allegoria inquit, quam inuersionẽ interpretamur, aliud uerbis aliud sensu ostendit, ac etiam interim cõtrarium. D. Hierony. Allegoria inquit aliud prætendit in uerbis aliud significat in sensu. D. Augustinus in libris de doctrĩna Christ. & de Trinitate 15. finit allegoriam esse tropum quo aliud ex alio intelligatur. Omnium autem appositissime Plutarchus in uita Homeri, Allegoria est ait, qua per alterum aliud παρίστησιν id est in mediũ producitur et ceu uiua imagine ob oculos statuitur. Habet enim allegoria peculiarẽ quandam uim, ut non dicere modo sed hypotyposi uideatur rem oculis obijcere, idq; per typum & figuram alterius rei. Vnde recte dicta est demonstratio alterius rei per alteram. Et hoc quidem in loco per historiam duarũ uxorum ac duorum filiorum Abrahæ demonstrat duo esse testamẽta duplicemq; populum, sed liberos id est credentes modo consequi promissam hæreditatem, seruos uero hoc est ex ancilla natos non item. Nemo autẽ offendatur quod duorum testamentorũ fit mentio. Reuera enim unum modo Testamentum est quod pepigit deus cum omnibus credentibus in sempiternũ. Ideoq; propter discrimen populi & administrationem religionis uariam duo cœperũt dici testamẽta. De quo nos alibi satis prolixe disputauimus. Quod ad præsens attinet institutum sic rem accipe. Duæ illæ Abrahæ uxores Hagar & Sara (Paulus enim dicit ἅτινά ἐστι) synagogam & ecclesiam significant. Hæ porrò duos genuerant filios Ismaël & Isaac, hoc est ex synagoga & ecclesia duplex emergit populus. Ex Hagar quidem quæ ancilla & typus legis est, nascitur Ismaël seruus. Ex matre enim serua non nascitur filius liber. Ismaël ergo typum gerit legalis populi, qui secundum carnem natus operibus & meritis suis adeoq; carnali seruitute & externa ceremoniarum obseruatione hæreditatem assequi satagit, sed quo strenue magis id conatur hoc arctius seruitute constringitur. Nam lex non liberat, sed seruitute premit. At quid poterat de Iudæis Nazareis eorumq; complicibus Galatis & Pharisęis dici appositius? Gloriabantur se natos esse stirpe sancta Israelis, sed & ex consilio carnis ex lege iustificari uolebant. Spiritus enim & legis & Christi aliud iubebat. Iactabant ergo circumcisionẽ, ceremonias sacras, legalem deniq; obseruationem, & opera legis iusta. His tribuebant salutem & mundationem. Verum lex non poterat eos absoluere et purificare liberaréue, proinde serui ut à matre serua nati erant manebant. Cæterum uerba Pauli quibus hæc exponit paulò sunt obscuriora. Vnum, ait, à monte Sina in seruitutem generãs, qui est Agar. Palàm autem de lege loquitur quæ lata est in monte Sina & filios suos id est cultores generat in seruitutem, id est seruitute premit. Nam omnes qui ex operibus legis sunt, maledictioni sunt obnoxij. At lex per Agar significata est. Addidit ergo, Qui est Agar. Nam de monte ceu lege ipsa loquitur. Est enim Metalepsis species, siue Metonymiæ. Deinde per interpretationem clarius addit, Nam Agar Sina mons est in Arabia. Admonẽt autẽ Græcorũ scholia cumq; his Theophylactus montem Sina Arabum lignua Agar appellari. Quod si uerum est, certe addidit hæc Paulus confirmandi gratia. Cæterum multo simplicius est si intelligas per Agar significari Sinam hoc est legem, quæ in seruitutẽ generat. Agarenus enim populus qui montem habitabat in deserto per Arabiam seruiebat. Sequitur: Confinis est autem ei quæ nunc uocatur Hierusalem. Eam sententiam alij exponunt de confinio ut sic dicam consanguinitatis, quod Ismaël frater fuerit Isaac. Alij uero, Coniunctus est, inquiunt, mons Sina Hierusalem, hoc est uicinus est & contiguus. Videtur tamen magis significare quod Sina, id est, lex fuerit monti Zion siue Hierusalem ecclesiæ scilicet cœlitus renatæ confinis, id est contigua & ueluti introductio ad Christum & fidem euangelicam, quædamq; ecclesiæ consociatio. Nam εὐσοίχειμ dicuntur οἱ τὸ αὐτὸ σοίχοῦντες, hoc est, οἱ ἐφ' ἑνὸς τεταγμένοι qui scilicet sunt unius stationis & ordinis: ut συζυγεῖμ οἱ ἐμ τῷ αὐτῷ ζυγῷ, qui sunt sub eodem iugo. Iterum autem seruitutis nomen ingerit ut omnino non ambigerent per legem nequaque conferri hæreditatem. Venimus

Vnum modo testamentum est.

Omnes interpretes exposuerunt EST *per significat.*

Ecclesia cum filijs suis libera & hæres est.

nunc

nunc ad populum alterum. Ex Sara ergo quæ libera & typus ecclesiæ est nascitur Isaac liber. Liber enim ex libera nascitur. Isaac ergo typum gerit populi ecclesiastici, id est fidelis, qui secundum promissionem natus, operibus & meritis suis diffidens, per gratiam Christi sperat se iustificatum iri, spiritu & fide deum colere satagit. Id quod Paulus obscurius extulit, quia breuissimis usus uerbis, dixit, Quæ autem ἄνω sursum siue è supernis est Ierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Loquitur uero non de terrestri sed cœlesti Ierusalem, hoc est de ecclesia in terris ex omnibus gentibus collecta, sed per spiritum cœlitus renata. Atq; huius quidem rei nota est particula ἄνω sursum, siue ut liberius reddam cœlestis. Allusit nimirum Paulus ad uaticinia prophetarum, Haggæi in primis & Zachariæ, qui omnino frequentissimi sunt in mentione huius cœlestis Ierusalem, imò Zacharias totam ecclesiæ catholicæ faciem sub typo & nomine urbis Hierosolymorũ describit graphice & copiosissime in cap. 2. 4. 6. 9. Proinde multò firmiora sunt hæc figurata Pauli uerba, quàm si dixisset, At Sara libera est, quæ mater est omnium nostrum. Nunc autem quid per Saram intellexerit etiam prophetarum testimoniis cõprobatum enũciauit, cœlestem uidelicet Hierosolymã, id est ecclesiam. Quia uero omnium nostrum mater est libera, consequitur nos omnes esse liberos qui sumus filij Saræ. Sunt autem filij Saræ, filij promissionis, hoc est qui credunt: ergo omnes credentes liberi sunt & proinde hæredes quoq; summi boni. Id quod paulò post explicabit copiosius. Quia uero dixerat, Cœlestis Ierusalem omnium nostrum mater est, neminem uel separãs uel excludens, hinc ex Isaiæ 54. cap. producit testimoniũ, quo probet omnes non modo Iudæos sed Gentes quoq; pertinere ad hanc hæreditatem supremi numinis. Erant enim quod superius quoq; annotauimus, qui adhuc abhorrerẽt à Gentilibus ut impijs & exclusis è populo dei. Verba prophetæ sic habẽt, Exulta sterilis quæ non paris, prorumpe in laudem & iubila quę non parturis, quoniam plures sunt filij desolatæ q̃ filij maritatæ, dicit dñs. Significat autem Gentium ecclesiam pertinere ad populum dei, hancq; multo fore copiosiorem synagoga. Nam idem propheta in cap. 49. prædicit uix tantum superfore spatij quantum sufficiat capiendis turbis ad ecclesiam turmatim properãtibus. Additq; statim, Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos, cum ego fuerim sterilis & soli taria exulans & abducta? Et quæ sequũtur. Tacite interim alludit Paulus hocce testimonio ad historiam Saræ quæ sterilis quidem in multam fuerat ætatem, quemadmodũ & ecclesia Gentiũ aliquot sæculis deo caruit marito, & aliena fuit à testamentis promissionis uelutiq; effœta penitus. Et sanè nullos fidei & uirtutũ fructus protulerant hactenus. Atqui ubi hæc per Christi sanguinem in populum peculiarem est suscepta, non tantum uirtutibus omnigenis ornata & sanctificata, sed per uniuersum orbem sparsa est, ut nũc sterilis illa & pulcherrimis suauissimisq; plena fructibus & multo sit facta fœcundior q̃ aliquando fuerit Iudæorum non exigua & inornata synagoga.

Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.

Facit hoc ad explendum allegoriæ mysterium. Nos, inquit, qui ex Sara libera nati sumus, non secundum Ismaëlem aut secundum carnem, sed secundũ Isaac, id est quemadmodum Isaac ex promissione nati sumus, hoc est ex gratia dei & fide facti sumus filij dei, & proinde hæredes iustitiæ & uitæ. Plura de filijs promissionis ad Roma. 9.

Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc. At quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium illius. Non enim hęres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

Concertatio inter fidei asserores & legaliũ defensores.

Pertinent etiam hæc ad absoluendum sensum allegoriæ mysteriumq; causſæ præsentis. Hisce uero ostendit conflictum illum & concertationes prædictas typoq; delineatas esse quibus per initia Christianæ religionis aduersus gratiæ & fidei assertores decertabant legalium defensores. At scripturæ firmatus robore protinus adiungit, Legalia autem abrogata esse & abiecta unà cum filijs istis carnalibus, hoc est cũ seruis illis nequam, illusoribus & responsatoribus, omnemq; hæreditatem translatam esse ad filios promis-

sionis: hoc est iustitiam & uitam non deberi legi, sed fidei per gratiam Christi. Atq; hic est unicus huius caussæ scopus, quem nusquam amittit Paulus. Verum ut singula explicemus copiosius sic habet negotiũ, Ismaël lusit cum Isaac, id est per puerilem lusum molestiam exhibuit Isaac. Aut certè, quæ Hieronymi sententia est, Ismaël Isaacũ præ se contempsit uilissime. Se enim primogenitum & paternarum opum hæredem esse iactauit: quam ob rem succensens Sara omnino postulauit abdicari & eiici libero suo filio molestissimum & glorioſum illum ancillæ filium. Et initio indignius quidem id tulit Abraham, tandem uero cum immutabile uideret numinis decretum uiatico instructos & matrem & filium ablegat. Diximus autem Saram cum Isaac typũ gerere ecclesiæ, & fide in Christum iustitiam & uitam quærentium. Agar uero cum Ismaële figuram esse legis siue synagogę omniumq; eorum qui ex operibus & externa legalium obseruatione salutem sperant. Hic ergo Ismaël, hoc est populus Iudaicus qui per opera sua & ceremonias iustitiam ambit, molestiam exhibet Isaac, hoc est populo fideli ac Christiano. Nam hunc ut immundum & nisi circumcidatur & legem seruet alienum, imò excluſum à populo dei auersatur. Deniq; simplicitatem fidei Christianæ suggillans se iactitat uerum esse hæredem, idq; propter res ludicras, ceremoniarum scilicet obseruationem quam & oñibus nobis obtrudere odioſe etiam contendit. Id quod uel Galatarum apostoli satis sua prædicatione contra Paulum declarabant. Cæterum imprudens hoc Iudæorum studiũ damnans mater illa nostra non permittit illis quod uolũt. Petrus enim in cœtu illo sancto
Acto. 15. rum omnium Hieroſolymis huius rei gratia coacto exurgens clamat, Nunc ergo quid tentatis deum ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri neq; nos portare potuimus: sed per gratiã domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodũ & illi? Præterea apostoli, presbyteri & fratres omnes Hieroſolymitani spiritu sancto docti nolebant quicquam oneris ex legalibus imponere humeris ecclesiæ ex Gentibus collectæ, imò eiiciebant illa potius. Imò scriptura illa uetus Gene. 21. cum stomacho quodam Saræ matris nostræ uerba referens, Eiice ait, ancillam istam & filium eius. Non enim erit hæres filius istius ancillę cum filio meo Isaac. Rursus ne quis existimaret hoc consilium Saræ ex carnis affectu esse subnatum, audi quid scriptura subiungat, Et ualde displicuit uerbum istud in oculis Abrahæ super negotio filij sui. Sed dixit deus ad Abraham, Non displiceat in oculis tuis super puero & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara audi uocem eius, quia in Isaac uocabitur tibi semen. Quid uero poterat hisce dici clarius? Deus iubet obsequi nos ecclesiæ, at hæc eiicit legẽ, abdicatq; eos qui lege iustificari uolunt, solos liberos cõscribit hæredes. In Isaac, inquit ipse dominus, uocabitur tibi semen. Quod quid aliud est quàm ij demũ erunt ueri Abrahæ filij qui ex libera nascũtur liberi, filij scilicet promissionis, hoc est fideles? Vnde consequitur hæreditatem nobis conferri gratia per fidem, non autem merito nostro per legem, quæ exposa est ut agnosceremus omnem perfectionẽ sperare è semine promisso. Hisce uero nihil potuisset uel fingi huic negotio accommodatius. Et relucet in hoc uelu ti lucidissimo speculo insignis & præclara eruditio Pauli. Nos quia semel cœpimus pau cis refidua huius allegoriæ adiiciemus, Abraham indignius fert repudium Agar & abdicationem Ismaëlis. Et apostoli maxime conquesti sunt excidium Gentis & urbis, ui-
Roma. 9. cemq; doluerunt reliquiarum populi Iudaici. Veritatem inquit Apostolus dico in Christo, attestante simul conscientia mea per spiritum sanctum, quod dolor mihi sit magnus & assiduus cruciatus cordi meo. Optarim eñ ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem. Præterea nemini ignotum est quid horum gra
Acto. 21. tia & fecerit & tulerit D. Iacobus. Cæterũ uincit tamen ueritas ecclesiastica, hoc est Christiana. Nam & ipsi apostoli Iudaicam Gentem uiatico, aqua uidelicet & pane instructam
Qua ratione apostoli tulerint ad tempus infirmitatem Iudaicam. eiiciunt, ut Isaac sit hæres. Id est, apostoli Iudæis nonnihil permiserũt, sed interim docue runt gratiæ & fidei esse iustitiam. Ad tempus enim tulerunt istorum morositatem iuue-runtq; illorum imbecillitatem, quod & ipse dominus concessisset pœnitendi. Cæterum ubi aqua illa & panis absumptus esset, posteaquam nequicquam diuina longanimitas expectasset frugem meliorẽ, & apostoli humanitate sua nihil apud Gentem proficerent

contuma-

contumaciſſimam, nec commeatus ille alio datus eſſet conſilio quàm ut certo præſtituto{que} proficiſcentes in itinere ſuſtentaret, deſtructum eſt templum ipſum, ſubuerſa quo{que} urbs, & ipſe populus abiectus eſt, ut palantes nunc Iudæi per totum orbem errent in deſerto. Neq; his alia ſpes ſalutis reſtat niſi fons ſeptemplicis gratiæ, nempe ſi per Euangelium docti oculos recipiant & uideant confiteanturq; neminem poſſe animarum ſitim reſtinguere niſi is de quo in Euangelio Ioannis legimus, Si quis ſitit ueniat ad me & bibat, Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de uẽtre eius fluent aquæ uiuæ. Et hęc de præſenti habuimus allegoria. Iam uero D. Aureli{ni} Auguſtini uerba ex Epiſtola ad Bonifacium de Coercendis hæreticis propter nouos quoſdam Donatiſtas aſcribam. Quidam enim non obſcuri omnino nominis uir, ſubinde hunc Pauli locum de Iſmaële perſequente Iſaac contra nos producit iubentes ſcelera & ſceleratos hæreſes & hæreticos coercere ne porrò ſerpant & tandem in pernitiem uergant totius corporis eccleſiaſtici. Et quanquam abunde ſatis illi reſponſum ſit ſuperioribus ex quibus facile colligere licet aliud eſſe Pauli inſtitutum quàm iſtius patrocinetur factioni, aſcribam tamen Auguſtini uerba quibus Donatiſtis idẽ ex hoc loco Pauli cum iſto aſtruere uolentibus reſpondens per antiſtrephon telũ in ipſos ſic retorquet. Si illa uera eccleſia eſt quę perſequutionẽ pati tur non quæ facit, quærant ab Apoſtolo quam eccleſiã ſignificabat Sara quando perſequutionem faciebat ancillæ. Liberã quippe matrem noſtrã cœleſtem Hieruſalẽ id eſt ueram dei eccleſiã in illa muliere dicit fuiſſe figuratã quę affligebat ancillam. Si autẽ melius diſcutiamus magis illa perſequebatur Sarã ſuperbiendo, quàm illam Sara coercendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriam, iſta imponebat ſuperbiæ diſciplinã. Deinde quæro ſi boni & ſancti nemini faciunt perſequutionẽ ſed tantummodo patiuntur, cuius putãt in Pſalmo eſſe uocem, ubi legitur, Perſequar inimicos meos et comprehendã eos et non conuertar donec deficiant? Si ergo uerum dicere uel agnoſcere uolumus, eſt perſequutio iniuſta quam faciunt impij eccleſiæ Chriſti: & eſt iuſta perſequutio quã faciunt impijs eccleſiæ Chriſti. Iſta itaq; beata eſt quæ perſequutionẽ patitur propter iuſtitiã, illi uero miſeri qui perſequutionẽ patiuntur propter iniuſtitiã. Proinde iſta perſequitur diligendo, illi ſæuiendo. Iſta ut corrigat, illi ut euertant. Iſta ut reuocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem. Deniq; iſta perſequitur inimicos & comprehendit donec deficiant in uanitate ut in ueritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia illis conſulimus ad æternam ſalutem, etiam temporalem nobis conantur aufferre, ſic amantes homicidia ut in ſeipſis ea perficiant quando in alijs perpetrare non poſſunt. Et quę ſequuntur. Nam multa alia huius generis ſubiungit. Nos redimus ad Paulum.

An pij iure quosdam impios poſſint perſequi.

Duplex eſt perſequutio.

Itaq; fratres non ſumus ancillæ filij ſed liberæ.

Clauſula eſt qua breui compendio repetit quæ diſputauerat, & infert quod hactenus intenderat, liberatos ſcilicet eſſe à lege credentes fideiq; in Chriſtum beneficio uiuere. Ambro. Fuimus ait ancillæ filij, dum peccatis eramus obnoxij, ſed accepta remiſſione peccatorum à Chriſto liberati ſumus.

IN LIBERTATE PERSTANDVM ET INNOCENTIÆ ſtudendum eſſe.

Hortatur modis omnibus per conſequentia ut in libertate per Chriſtum parta perſeuerent Galatæ, ab inſidiatoribus huius libertatis pſeudapoſtolis ſcilicet caueant, præterea libertate non abutantur ad licentiam carnis. Vbi occaſionem accipit diſſerendi de officijs fidei & pietatis, hoc eſt de innocentiæ ſtudio.

CAP. V.

In libertate igitur qua Chriſtus uos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini.

Primo loco propoſitionem collocat, & hanc quidem copioſe per contrariũ enunciatam. Satis fuerat dixiſſe, perſiſtite in ea libertate quæ uobis per Chriſtũ obtigit: cæterum per interpretationem adiunxit contrarium, Et ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. In libertate enim Chriſtiana non perſtant qui ſola Chriſti gratia non contenti ad legem

animos adiiciunt, quasi Christus ad saluandum non sufficiat, sed legis quoq; præsidio opus sit. Ediuerso autem in libertate perstãt qui uni Christo fisi animos suos à legalibus liberarũt, & bonitati clementiæq; numinis nitentes, mortem & æternum non uerentur interitum. Atqui hæc libertas nemini obuenit nisi probe & egregie cognoscẽti gratiam Christi. Proinde Apostolus non ex abrupto iubet Galatas perstare in libertate per Christum parta, sed ex præcedenti disputatione ad hunc propè modũ colligit ac infert. Cum ergo ex iis quæ tractaui hactenus intellexeritis quid nobis per Christũ à patre collatum sit, quod hic à patre nobis factus sit iustitia, redemptio, satisfactio, omnisq; plenitudo, quod hic ab execratione legis liberatos filios & hæredes dei effecerit, annitẽdum uobis ut in ea libertate quã semel estis assecuti persistatis. Nam perseuerantia ut in rebus omnibus ita in religionis negotio in primis est necessaria, adeoq; ipsissima omniũ uirtutum & functionum anima, sine qua nihil uiuere & rectè habere beneq; administrari potest. Per iugum uero legem in seruitutem redigentem intellexit, metaphora sumpta à rebus rusticis, sicut annotauimus olim in 15. cap. Acto. apostolorum. Ad euidentiam rei facit etiam uerbum ἔνέχεσθε, id est implicemini siue illaqueemini.

Constantia.

Ecce ego Paulus dico uobis, quod si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit.

Soli Christo debetur omnis gloria.

Vt persuadeat recensẽt nunc incommoda, probra & blasphemias consequuturas, nisi in parta perstent libertate. Ardent autem omnia. Et primo quidem obtestatione utitur graui, nomine suo præfixo & ueluti fide deposita. Vt cum Germanus dicit, *Hab dir deß min trüw zepfand, vnd laß mich Paulum dir das gesagt haben.* Est enim talis loquutio certissima confirmandi rei indubitatæ & longe certissimæ formula. Habent præterea illa occultam quandam occupationem. Nam Galatæ non omni modo abnegabant Christum aut hunc nihil prodesse aiebant, sed Christum confitentes simul & legem obseruandam credebant. Quod alibi copiosius expositũ est. Id omnino & per omnia solebant quod hodie quoq; faciunt Pontificiæ religionis cultores. Non negant Christum, fatentur nobiscum hunc uerum esse dei filium, iustitiam æternam, mediatorem benignum, hostiam pro peccatis mundi sacrosanctam, sacerdotem æternum, interim uero aliis quoq; rebus iustificationem tribuunt, plures pro peccatis hostias, intercessores innumerabiles, sacerdotes imò sacrificos plures quàm sint gramina terræ, agnoscũt. Atqui Paulus uni Christo omnem gloriam dari cupit. Id quod Paraphrastes admirabili eloquentia & perspicuitate exponens dicit, Fortassis sic uobis ipsis blãdimini, Non descisimus à Christo, sed legem cum Christo copulamus quo certior fit salutis expectatio. Christus totum hoc beneficium ut omnibus esse uoluit commune, ita sibi SOLI acceptũ ferri uoluit, non patitur in hoc negotio consortium. Atq; ut intelligatis quanto periculo meditemini Iudaismũ, En ego uobis non ignotus Paulus Gentium apostolus institutus ab ipso Christo, palàm edico uobis, si circumcidamini Christus nihil uobis profuturus est. Etenim si uere creditis ab hoc perfectam salutem omnibus præstari posse cur accersitis circumcisionem? Sin diffiditis, nondum agnoscitis beneficium Christi cuius participes esse non possunt qui diffidũt. Nam SOLI FIDEI DATVR, NON MERITIS. Aut plane Iudæi estis oportet abdicato Christo: aut plane Christiani estis oportet reiecto Iudaismo. Non fert ille claudicantes utroq; pede, non uult uinum nouum infusum utribus ueteribus, non uult uetus infusum nouis utribus. Non fert assutum pannum nouum uestimento ueteri, non fert uesti nouæ ueterem pannum admixtum. Hactenus Paraphrastes. Idem ergo hic dicitur quod in 2. cap. Si ex lege est iustitia, Christus frustra mortuus est. Proinde quod hic circumcisionem nominat in 2. cap. legem appellauit. Nam circumcisionem hic ponit pro uniuersa lege: id quod etiam sequentibus manifestum fiet.

Contestor autem omnem hominem qui circumciditur quod debitor est totius legis seruãdæ. Christus uobis factus est otiosus, quicunq; per legẽ iustificamini à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitiæ expectamus.

Eandem

Eandem rem iterum fermè dicit, sed grauiore propè uerborum pondere μαρτύρομαι δὲ πάλιν ait, Denuo uero contestor, id est quod prius monui repeto iterum & certo pronuncio. Vel ut Germanice reddam, *&wil ouch yedem wär darumb sin*, quod uniuersæ legi se astringit quicunq; circūciditur. Porrò quicunq; se legi astringit, propterea astringit quod ex lege salutem sperat: tali uero nihil prodest Christus. Tantum enim pollet hæc loquutio κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, *So gilt Christus nüt me by iuch*. Subiungitur & aliud æquipollens, A gratia excidistis, quicunq; scilicet debitores legis estis, hoc est quicunq; per legem iustificamini. Inconsistentia enim (ut sic dicam) sunt lex & gratia, meritum & donum. Donatur nobis uita æterna per Christum, & gratia saluamur per fidem nō per opera. Proinde qui ex lege & operibus suis iustitiam expectant, apud hos nullius momenti est uel ipsa dei gratia uel Christus redemptor & iustitia orbis unica & æterna. Atq; hæc omnia declarant nobis quomodo blasphemetur Christus ab ijs qui non perstant in libertate Christiana, sed Christo aliud quoq; addunt, ne soli omnis cedat gloria. Huc pertinet q̄d sequitur, Nos enim spiritu ex fide spem iustitię expectamus. Est enim ratio superiorum. Quasi dicat, Nos enim qui aliud à spiritu sancto didicimus q̄ meritis nostris quærere iustitiam speramus nos iustificandos spiritu ex fide, non litera per merita. Opposuit enim spiritum rebus carnalibus adeoq; legi, & intelligit nos per fidem in Christū iustificari. Vnde & Ambro. ait, Apertum est quod dicit, quia spes iustificationis in fide est per spiritum non per opera legis. In fide enim spiritualiter seruitur deo deuotione mentis & puritate cordis. Vnde dicit dñs ad Samaritanam, Deus spiritus est, & adorantes eum in spiritu & ueritate adorare oportet, &c. Hæc de sentētia & consilio Apostoli. Iam si quis miratur qui fiat ut is qui circumciditur debitor fiat totius legis seruandę, expendat apud se quod quemadmodū per baptismum Christiani Christo toti dedicantur, ita qui circumciduntur, toti consecrantur legi. Sacramentis enim religioni cuipiam consecramur. Vel lem autem hunc Pauli locum ijs esse perspectissimum & usitatissimū quibus nondum satis est Christus. Huic enim absolutissimæ hostiæ pro peccatis totius mūdi friuola quædam addunt, quibus cum maxima gratiæ dei blasphemia iustificationem tribuunt.

Nam in Christo Iesu neq; circumcisio quicquam ualet neq; præputium, sed fides per dilectionem efficax.

Et hæc ratio est cur prudentiores spem iustitiæ spiritu ex fide & non lege per merita expectent. Inutilia enim sunt illa, sola fides sufficit. Qui enim Christum norūt, præ hoc omnia alia contemnūt. Sciunt enim hunc solum iustificandis impijs esse satis. At si neq; præputium neq; circumcisio quicquam ualet, si legis obseruatio non iustificat, quid uotis & monachorum factionibus, indulgentijs, idq; genus alijs nugis Romanenſibus tribueremus? Paulus certè per has duas species enumeratas intellexit omnia alia quibus uel Iudæi uel Gentes poterant gloriari. Solam fidē Christi extollit. Porrò ne quis per fidem intelligeret opinionem inefficacem & cognitionē uanam, addit notam ueræ fidei, quod ea scilicet sit ἐνεργουμένη efficax, euidens per dilectionem agens scilicet & uim suam exerens per charitatem. Non dicit Paulus charitatē aut opus charitatis iustificare, sed fidem se per charitatem exerere & declarare. Fides apprehēdit bonitatem dei & gratiam æterni numinis, intelligit quod per Christū recepti simus in hæreditatem uitæ æternæ. Atq; in hoc cōquiescit. In hac scientia sua iustificat ipse Christus (ut Isaias inquit) uniuersam sanctorum multitudinem. Ad hoc negotium nihil confert ullum opus humanum. Sola enim Christi gratia sufficit. Soli Christo debetur hæc gloria. Cæterum ubi hæc Christi & felicitatis æternæ scientia hoc est fides est, ibi quoq; exerit sese. Neq; enim latere potest tanta uis. Exerit autem se per opera charitatis. Nam ad hunc modum ait Ioannes in sua Canonica, In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexerit nos & miserit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Proinde fides quæ comprehendit charitatem dei erga nos & in hac iustificatur, ipsa etiam exerit se per charitatem, non ut opere hoc iustificet, sed naturam & genium suum euidentissime prodat. Ex

De uera fide.

1. Ioan. 4.

De bonis operibus.

his autem claret apertissime quæ sint illa opera uere bona quæ deo placeãt, non quæ ipsi nobis & citra & contra uerbi dei regulam comminiscimur, sed quæ deus præcipit iudicium iustitia & beneficẽtia siue Christiana charitas. Claret item quæ sit doctrina nostra de fide iustificante & operibus uere bonis. Quidam fidem modo iactant opera non habent. Quidam uero fidem se habere gloriantes operibus tribuunt iustificationem. Quidam opera habent fidem non habent hypocritæ. Quidam rursus nec fidem habent nec opera ut impij. Nulli ex his probantur nobis. Primos confutauit Iacobus apostolus in sua canonica. Secundos Paulus in hac ad Galatas epistola & ea quam scripsit ad Romanos. Reliqua duo hominum genera hypocritas & impios insectatur tota scriptura.

Currebatis bene, quis uos impediuit ut non crederetis ueritati? nempe persuasio non ex eo profecta qui uocat uos. Paululum fermenti totam consperſionem fermentat.

Reuocãtur Galatæ ab errore.

Iterum opprobrat illis inconstantiam cum stomacho reuocans ipsos ad constãtiam & synceram fidem amplexandam tenendamq;. Vnde & D. Ambrosius, Exercitium illorum ait in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos ne cursum suum efficacia perseuerantiæ consummarent: unde ut resipiscant hortatur, de cætero nulli eorum credentes, qui ut opera legis seruanda suaderent, euangelicæ ueritati eos obedire non sinebant. Teophy. putat uerba Pauli deplorantis esse, non interrogãtis. Quasi dicat, Ecce ad perfectionis culmen euaseratis, lugendũ ergo est quod sic è fastigio estis deiecti. Sed uidetur esse subiectio, ut sit sensus, Quis uos bene currentes impediuit? nimirum quorundam persuasio, quę non est profecta à Christo qui à lege & litera uocauit ad gratiam & spiritum. Nam hi contraria ratione à fide reuocant ad opera, à gratia ad legem. Metaphoram uero traxit à currentibus in stadio. Et currere prouerbiali figura dicuntur qui feliciter & inoffense in re aliqua progrediũtur. Nam & currentem incitare, est adhortari quempiam ad id ad quod iam suapte sponte tendit ac propendet. Cæterum crediderim Paulum ludere in dictionibus, πείθεσθαι & πεισμονὴ crederetis & persuasio. Quasi dixerit, Quod nõ perstitistis firma in Christum fide in caussa est persuasio, id est, temere estis inducti & persuasi id uerũ esse quod falsum est, & quod falsum est uerum esse. Persuasio ergo non usurpatur hoc loco pro ipsa fide & persuasione indubitata, sed pro opinione temere concepta. Veluti cum Germani dicunt, Er *hat sich bereden lassen*, hoc est imponi sibi passus est. Sequitur prouerbialis sententia, Paululum fermenti totam consperſionem fermentat. Est autem sensus, Atqui ea re id uobis usu uenit quod iactatur prouerbio, Modicum fermenti totam consperſionem reddere acidam. Pauci enim Nazaraicæ factionis uiri ingressi in uos omnium animos suaues prius ex fide nunc legis fermento reddiderũt acidos. Repetitur hoc prouerbium etiam in 1. ad Corinth. 5. capite, & dominus apud Matthæum in 16. monet discipulos caueant sibi à fermẽto pharisaico, id est à traditione humana. Equidem humana traditio erat quicquid de iustificante lege commentabantur Nazaræi. Prudenter monet hoc loco Hieronymus modica illa errorum & turbarum initia non esse aspernanda, sed principijs protinus obstandum.

Principijs obsta.

Scintillula inquit parua res est, & penè dum cernitur non uidetur, sed si fomitem cõprehenderit & nutrimenta sui quamuis paruus ignis inuenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus regionesq; consumit. Fermentũ quoq; res modica uidetur & nihili, sed cum farinæ consperſum totã massam suo uigore corruperit in illius uim trãfit omne quod mixtum est. Ita & doctrina peruersa ab uno incipiens uix duos aut tres primũ in exordio reperit auditores: sed paulatim cancer serpit in corpore, & iuxta uulgare prouerbiũ, Vnius pecudis scabies totũ gregem cõmaculat. Igitur & scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, & fermentum à massæ uicinia semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellẽdum, ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arrius in Alexãdria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma depopulata est. Tantum Hierony. Sentient autem principes, urbes & populi aliquando quàm recte iudicarit Hieronymus, sed tum demum

demum ubi maxima cum iactura ſapere didicerũt. Nunc enim Catabaptiſtis & reliquis id genus monſtris nimis ſunt propitij. Sentient ergo quid ſerpentis alant in ſinu, egregieq; multis permoliti plagis pœnas dabũt ſupinæ inertiæ. Atq; utinã uanus ſim uates.

Ego confido de uobis in domino quod nihil aliud ſenſuri ſitis. Cæterum qui conturbat uos portabit iudicium quiſquis fuerit.

Mitigat obiurgationem, & quod impetratum cupit de eo ciuiliter quaſi accepto gratulatur. Eſt enim ſenſus. Quando uero aliorum potius uerſutia & impoſtura quàm ueſtra peccaſtis malitia, ſpero futurum ut in priſtinam illam ueritatis uiam redeuntes id de Chriſto, fide, lege & libertate ſenſuri ſitis quod prius præſens prædicatione, nũc autem abſens epiſtola docui. Deinde uero minatur pſeudapoſtolis obturbatoribus iudiciũ domini, à quo non ſit liberatura cuiuſquã exiſtimatio uel authoritas, qua tamen uehementer intumeſcebãt æmuli apoſtoli Pauli. Conturbat autem dixit, alludens ad uerba 1. cap. Quod non eſt aliud q̃ quod ſunt quidam qui turbant uos &c. Cæterum de iudicio pſeudapoſtolorum lege 1. Corinth. 3. cap. & 2. Petri 2. cap. Micheæ 4. & Ierem. 23. Obſeruanda interim eſt inſignis Apoſtoli prudẽtia. Omnia enim ſua ita moderatur, ut & Galatas reducat in uiam iuſtitiæ retineatq; in officio, parcens per inſcitiam peccantibus, & pſeudapoſtolos reuincat erroris, à grege abigat, & ſecum habitare doceat, ut norint quàm ſit ſibi curta ſuppellex, nihil his parcens, nihil condonans. Nam indigni erant quibus uir bonus parceret. Hæc nobis diligenter ſunt imitanda.

Ego autem fratres ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Abolitum eſt igitur offendiculum crucis. Vtinam & abſcindantur qui uos labefactant.

Commentatores ad unum fermè omnes tradunt Paulum hiſce uerbis reſpondere calumniæ aduerſariorum. Inſimulabant enim Paulum inconſtantiæ. Nam ut Galatas deciperent, Non modo Petrus & Iacobus, aiebant, Ioannes cæteriq; in Iudæa apoſtoli circumciſionem & alia legis opera obſeruant, ſed ipſe quoq; Paulus qui uos aliter docuit q̃ ſe rei ueritas habet, Timotheum circumcidit, & Iudæis ſæpiſſime factus eſt Iudæus. Ad hoc reſpondens, Si uerum eſt, inquit, quod iſti aiunt me circumciſionem prædicare, cur me Iudæi tam obſtinatis odijs in hunc uſq; diem perſequuntur? Hoc enim iſtorum tam impotens odium ſatis magno argumento uobis eſſe poterit quod circumciſionem non prædico. Aliud certè eſt pati circumciſionem, aliud prædicare circũciſionem. Paſſus ſum ut circumcideretur Timotheus, nunquã docui oportere circumcidi. Imò omnibus promiſcue & Iudæis & Gentibus per crucem Chriſti polliceor perfectam ſalutem abſq; circumciſionis & legis præſidio. Hinc uero illæ manant Iudæorũ lachrymæ, inde ſunt tantæ in me odij furioſiſſimi cauſſæ. Addit rationem aliam. Igitur offendiculũ crucis abolitum eſt. Senſus autem eſt. Si ſimul cum cruce domini prædico circumciſionem ceſſauit offendiculum crucis. Hoc enim offendit Iudæos potiſſimũ quod uni crucifixo poſthabita lege tribuimus iuſtificationẽ, ſanctificationem & redemptionẽ. Iam ergo ſi non uni Chriſto ſed legi quoq; ſalutem tribuimus, adeò ut quod pſeudapoſtoli tradunt, ſine lege nil proſit Chriſtus, nil habent Iudæi quod in prædicatione noſtra execrentur. Scandalum autem patiuntur propter uerbum crucis. Quia inceſſanter flagitant circumciſionem ut ad ſalutem conſequendam omnino neceſſariam. Nihil ergo mihi cõmune cum Iudaico illo dogmate aut cum circũciſione. Hic iam per dolorem erumpit & ait, Quãdo ergo tam pertinaciter placet illis circũciſio, ut me quoq; huius inſimulent cultorem, faxit deus ut non ſolum circũcidantur, uerum etiam prorſus abſcindantur (ἀποκόπτονται) amputentur ſiue reſecentur, ut affatim habeãt quod amant. Præſtat illos perire ſolos, q̃ alios tam multos ſecum in ruinam trahere. Præſtat illos reſecari à ueſtro conſortio ſancto & libero quàm unà cum illis totam eccleſiam iugo ſeruitutis implicari. ἀνασατοῦντες id eſt, qui uos à ſtatu dimouent. Reſpexit enim ad id quod dixit in initio capitis, State. Et labefactatur quod à ſtatu ſuo dimouetur. Theophylactus huius uerbi uim explicans, quemadmodum inquit, quum ciuitas aliqua ui capitur cives aliò traducuntur, ſic &

Paulus nũquam prædicauit circumciſionem.

Alluſit ad circumciſionem.

Galatę libertate amiſſa & ad Ieruſalem terrenam à ſuperna illa abducti ad legem & Iudaicam utilitatem cõpulſi ſunt. Cæterum multa hic eſt inter eruditos diſputatio, num peccarit Apoſtolus dira imprecans pſeudapoſtolis, & an liceat Pauli exemplum execrando malisq; maledicendo imitari? Omnium uero ſimpliciſſima & optima inter omnes alias uidetur eſſe reſponſio Hieronymiana. Ea eſt huiuſmodi, Paulum non tam furoris in aduerſarios quàm dilectionis in eccleſiam dei uerba eſſe loquutum. Videbat quippe totam prouinciam quam ipſe ſuo ſanguine & periculis ab idololatria ad Chriſti traduxerat fidem, ſubita perſuaſione turbatam, & dolore apoſtolico, dolore patris ſe tenere non poterat, mutabat uocem, & quibus blanditus fuerat iraſcebatur, ut quos nequierat lenitate, ſaltem obiurgatione retineret. Nec mirum fuit ſi Apoſtolus ut homo & adhuc uaſculo clauſus infirmo, uidensq; aliam legem in corpore ſuo captiuantem ſe & ducentem in lege peccati, ſemel fuit hoc loquutus in quod frequenter ſanctos uiros cadere perſpicimus. Hæc Hieronymus. Reſpondent autem noſtra ſæcula Pauli temporibus. Si enim Pontificem Romanum & decreta Chriſto copularemus, ceſſaret omnis perſecutio protinus, atqui dum unum prædicamus Chriſtum dominum, proſcribimur ut ſeditioſi & omnium ſæculorum impiſſimi hæretici.

An liceat malis imprecari mala.

Vos enim in libertatem uocati fuiſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem (detis) carni, ſed per charitatem ſeruite uobis inuicem. Nam tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc, Diliges proximum tuum ut teipſum. Quod ſi alius alium uiciſſim mordetis & deuoratis, uidete ne uiciſſim alius ab alio conſumamini.

Ab obiurgatione delabitur ad libertatem de qua in principio capitis dicere cœperat. Iam ergo modum libertatis præſcribit & quomodo illa utendum ſit indicat. Abutũtur enim libertate quidam putãtes hanc licentiam eſſe carnis. Cum ſuperioribus autem ita cohærent, Fruãtur ſua ſeruitute fœda & pereant quibus ita collubitum eſt, & qui omnino ſaluari nolunt. Vos autem qui didiciſtis in quam ſitis libertatem per Chriſtũ tranſlati in hac perſeuerate. Hic tamen cauete ne occaſione ex nomine libertatis accepta credatis licere uobis quidlibet, atq; ita caro occaſionem accipiat imperitandi. Nam hæc libertas ſpiritualis libertas eſt, qua per Chriſtum liberamur à maledicto legis, à peccatis, & à ſempiterna morte. Quod legem uero attinet, hoc eſt uoluntatẽ dei & officia Chriſtiana, libero donamur ſpiritu, ut noſtra ſponte feramur ad optima quæq;, præcipue autem ad charitatem mutuam. Hæc enim omnium functionum fons & regula eſt. Id quod ex uerbis domini oſtẽdit quæ allegans, Nam tota, inquit, lex in uno uerbo completur, nempe hoc, Diliges proximũ tuum ut teipſum. Hoc enim uerbum Chriſti eſt ut liquet ex Matthæi 7. & 22. cap. Cæterum de libertatis Chriſtianæ uſu & abuſu, de charitate item diſputatũ eſt copioſius in epiſt. ad Hebræ. ad Rom. 6. & 13. item in epiſt. Ioan. & 1. Pet. 2. Quod autem incidiſſet in mentionem charitatis & lætalia inter ſe exercerent Galatæ odia, hinc adiecit, Quod ſi alius aliũ uiciſſim mordetis & deuoratis, uidete ne inuicem alius ab alio conſumamini. Alluſit autem ad immanium ferarum ritum quo mutuis ſeſe conficiunt uulneribus. Habet ergo increpationem grauem oratio. Quaſi dicat, Audiſtis quid ab homine in primis exigat lex diuina, charitatẽ mutuam. Sed quid hæc apud uos recito qui beluarũ more uos mutuo mordetis arroditis ac deuoratis? Quod ſi ſic ut cœpiſtis perrexeritis inuicem laniare, ad beluarũ quoq; exemplum interibitis. Argumentum petitum à Damno, ut reuocaret ad cõcordiam. Nec aliud uel hodie expectandum quibuſdam q̃ ut intereant funditus, quandoquidem odijs implacabilibus, calumnijs, conuicijs, & furijs execrandis ſeſe dilaniare non ceſſant. Sed huc prolabũtur qui magis ſuam q̃ dei gloriam quærunt, qui legem dei ſuis metiuntur commodis & incommodis.

Libertas Chriſtiana non eſt carnis libertas.

Dico autem, ſpiritu ambulate & concupiſcentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc aũt inter ſe mutuo aduerſantur, ut non quæcunq; uo-

lueritis eadem faciatis. Quod si spiritu ducimini non estis sub lege.

Exponitur qui sint uere liberi.

Referuntur hæc ad superiora per interpretationem ad hunc modum. Dixerat, cauebitis ne libertatem detis in occasionẽ carni, iam uero exponit quomodo id caueri possit, nempe si spiritu ambulemus. Sic enim inquit concupiscentiam carnis non perficietis. Porrò quid sit spiritu ambulare liquet ex octauo cap. ad Romanos, ita uidelicet instituere uitam nostram, ut spiritus dei sanctus ipsa inquam fides dictat. Nam secundũ carnem ambulant qui omnino carnis cupiditates sequuntur cõtempto spiritus imperio. Qui enim carnales sunt, quæ carnis sunt sentiunt, neq; deo placere possunt: at qui spirituales sunt quæ spiritus sunt sentiunt, & spiritu facta corporis mortificãt ut uiuant. Nemo quidem alienus est à concupiscentia, ergo Paulus non dixit, Spiritu ambulate & non concupiscetis: sed, Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Premenda igitur spiritus imperio cupiditas, ne erumpat & perficiat quod molitur. Perpetua enim pugna est in corpore sanctorũ carne & spiritu ancipiti prælio per singulas horas cõcertantibus. Atq; hanc describit hoc loco Apostolus breuiter quidem sed graphice, certè ut auditores ad studium uigiliæ & uictoriæ excitet. Caro ait concupiscit aduersus spiritum. Id est concupiscentia rerum malarum nunquam intermoritur in animo hominis, sed semper rebellãs spiritui honesta & bona dictanti nititur totum sibi uendicare hominem, ut totus sibi seruiat in omni scelerum genere. Obijcit enim opes, uoluptates, honores, atq; hæc per fas & nefas persequi & rapere iubet. Spiritus uero quæ fidei uirtus cœlestis est, contra nititur, & illa aspernanda esse clamitat, æterna potius esse ambienda suadet. Obijcit ergo Christi exemplum, honesti rationes, pœnas & præmia. Incrudescit ergo pugna hæc crudelissime partibus inter sese utrinq; selectissimis concertantibus copijs adeò ut homo nonnunquam contra animi sui sententiam ad peiora se inclinet. Paulus ipse huius rei exemplum est ad Roma. 7. Velle enim ait adest mihi, at ut faciam bonum nõ reperio. Non enim quod uolo, facio bonum, sed quod non uolo, malũ, hoc facio. Et quæ sequuntur. Nam is locus Commentarij uice ad hunc fuerit. Post hæc cõmode iam infert, Quod si spiritu ducimini non estis sub lege. Paucis enim quod cœperat absoluit, docens quatenus liberi simus & qui uere liberi sint, qui scilicet spiritus sequuntur imperiũ & ductum. Hi enim libertate non abutuntur ad licentiã carnis, ut quod deus uel præcepit uel uetuit impudenter faciant, sed sua sponte & uolẽtes ad ea perficienda properant alacriter ad quæ duxerit spiritus. Plura de hac re legis ad Rom. 6. & 8. cap. Vide nunc q̃ sint impudentes & prophani qui sic de libertate loquuntur Christiana, quasi illa omni nos iustitia, honestate & æquitate liberarit, libidini uero arbitrioq; nostro prauo permiserit, ut quod libet licere quoq; arbitremur. Væ propudiosis & conceleratis nebulonibus.

Pugna carnis & spiritus.

Porrò manifesta sunt opera carnis quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia de quibus prædico uobis, quẽad modũ & prædixi quod qui talia agunt regni dei hæredes non erunt.

Opera carnis.

Paraphrastes hunc locum cum superioribus pulchre sic connectit. Ac res quidem in uisibilis est spiritus, res inuisibilis caro de qua loquimur in præsentia. Neq; tamen difficile est colligere carnis arbitrio seruiat aliquis an spiritus ductũ sequatur. Cuiusmodi sunt fontes eiusmodi sunt ea quę proficiscuntur ex fontibus. Vita mores factaq; hominis testantur habitũ animi. Ac ne de dubijs aut occultis in præsentia loquamur, hæc sunt quæ palàm declarent hominem adhuc carni seruire, etiamsi baptismum adeptus sit ac legis seruitutem effugerit, adulterium, scortatio &c. De sceleribus uero hisce quorum in hoc meminit catalogo diximus in epistola ad Roma. cap. 1. & 13. item in 1. ad Corinth. 5. 6. 7. & 10. cap. item in 1. Petri 4. cap. In capite quarto ad Ephesios ἀκαθαρσίαν καὶ ἀσέλγειαν immunditiam & lasciuiam coniunxit. Intellexit autem impuritatem, spurcitiem, petulantiam, turpiloquium, obscœnitatem in gestu & corporis habitu, denique omnis

generis libidinem. Pulchre D. Hieronymus, Quemadmodum in ueteri lege de nephandis criminibus quæ in occulto fiunt, & ea nominare turpissimum est, ne & dicentis os & aures audientium polluerentur generaliter scriptura complexa est dicens, Verecũdos uel reuerentes facite filios Israël ab omni immunditia: sic in hoc loco cæteras extraordinarias uoluptates ipsarum quoq; opera nuptiarum si non uerecunde & cum honestate quasi sub oculis dei fiant, immunditiam & luxuriam nominauit. φαρμακεία ueneficium uarias comprehẽdit species, maleficas scilicet artes, φίλτρον, id est poculum amatorium. Quia sæpe magicis artibus & medicamentis & amare miseris euenit & amari. Comprehendit & intoxicata pocula Italis Romanensibus & alijs quibusdam populis notissima: adeoq; & propemodum medicamenta, id est corruptiones uini, auri, rerumq; similium permixtiones. Inimicitiæ simultates sunt. ἔρις lis rixandi studium habet immodicum *kyb vnd ghåder*. ζῆλοι æmulationes quæ oboriuntur ex inuidentia & nimio nostri studio. Germani uocant *verbunſt, yfer vnd vffſatz*. Iræ θυμοὶ efferatior animi commotio. De qua multis agit Seneca. Concertationes Græce ἐριθεῖαι Germanice *Tratz, zangk, vnnd anlåßige reitzige wort ze zangk geben*. D. Hieronymus, Ερίθεια inquit est cum quis semper ad contradicendum paratus stomacho delectatur alieno & muliebri iurgio cõtendit & prouocat contendẽtem. Seditiones διχοστασίαι factiones proprie sunt quoties scinditur studia in contraria uulgus, cũ pater à filio, uxor à marito, magistratus à populo & hic à magistratu dissidet. De hac dictum est alibi copiosius. Differt hæc ab hæresi siue sectis, quod illa de dissidio fermè quolibet generatim usurpatur: hæc uero quodam modo & peculiariter de doctrina & fide ponitur. αἵρεσις autem Græce (ut inquit D. Hieronymus) ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisq; eligat disciplinam quã putat esse meliorem. Addit idem, Quicunq; ergo aliter scripturam intelligit quàm sensus spiritus sancti flagitat quo conscripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est eligens quæ peiora sunt. At D. Augustinus censet non omnem errorem protinus esse hæresim in lib. de hæresibus ad Quoduultdeum. Idem in libro de utilitate credendi ad Honoratum, quod in Acta apostolorum scribentes annotabamus. Hæreticus est ut mea fert opinio inquit, qui alicuius temporalis commodi & maxime gloriæ principatusq; sui gratia falsas & nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Atqui ex his omnibus colligere licet quàm deprauatum sit nostri sæculi iudicium. Damnant pro hæreticis qui dogmata sua non modo scripturis probare, sed & sensum scripturarum ex scripturis ostendere possunt, qui nouas & falsas opiniones è superstitione ambitione & auaritia ortas destruunt, & auitam simplicemq; ueritatem reuocant. Contra uero laudantur ut catholici & orthodoxi qui hominum sectantur commẽta, nuper & ante aliquot sæcula excogitatos ritus ornant, & Biblicam ueritatem non modo nõ audire, sed ferro & igne deuastare pergunt. Subiacent hi horrendo & grauissimo domini maledicto per Isaiam pronunciato, Væ his qui dicunt bonũ malum & malum bonum, dulce amarum & amarum dulce. Iam in consequentibus est elegans agnominatio, φθόνοι καὶ φόνοι, id est inuidiæ & cædes. De quibus ad Roma. 1. D. Hieronymus, Inuidia, inquit, aliena felicitate torquetur & in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est aliquid in eo in quo alium esse non uult: aut aliũ esse uidens meliorem, dolet se ei non esse consimilem. Pulchre quidam de Neotericis Græcum uersum transferens elegiaco metro de inuidia lusit dicens, Iustius inuidia nil est, quæ protinus ipsum authorem rodit, excruciatq; animum. Legatur D. Cypriani liber de zelo & liuore. De reliquis disputatum est aliàs. Cæterum hic locus Pauli, Prædico uobis quemadmodũ & prædixi, quod qui talia agunt regni dei hæredes non erunt, non ita est intelligendus quod è regno cœlorum exclusus sit qui semel atq; iterum uel adulterium uel cædem patrauit, sed qui perpetuò secũdum carnem ambulat in huiusmodi operibus carnis computrescit. Sic enim exponitur propè hæc Pauli sententia in 1. ad Corinth. 6. cap. Et uehementes illæ tremendæq; minæ apostolorum & prophetarum admodum aptæ & efficaces sunt ad impellendum repellendumq; auditorum animos. Proinde non oportet illis abuti ad desperationem peccatoribus incutiendam, sunt tamen ita moderandæ interim ut non præbeant

Hæresis & hæreticus.

Inuidia.

ansam

ansam securius peccandi & abutendi bonitate & longanimitate numinis.

Contra fructus spiritus est charitas, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui uero sunt Christi carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

Non dicit iam opera spiritus sed fructus spiritus. Sunt enim hæc suauissimis similia fructibus qui & delectant & prosunt. De charitate non est quod multis agam, de qua tot ies disputatū est, & quæ nuspiam in sacris non obuiam proruit. Hæc sanè omnium bonorum operum fons & origo, absolutio & firmamētum est, sine qua nihil prorsus perfectum est, 1. Corinth. 13. Et Gaudium cuius meminit post charitatem Paulus non tale gaudium est quale mundus prædicat, lutulentum uidelicet de rebus corruptissimis, sed cœleste de rebus æternis. Moderatū tamen in timore dei gaudiū de rebus externis non damnant prophetæ. Nemo tamen uero gaudio lætabitur, nisi serena & tranquilla præditus conscientia. Gaudium enim impiorū ut de rebus impuris est, ita & impurissimum finem sortitur. Sancti in deo gaudent & lætātur. Pax tertius spiritus fructus est, complectitur autem conscientiarum tranquillitatem præcipue, deinde studium concordiæ & unitatis, odium litis, iræ, dissentionum & belli. Lenitas Græce est μακροθυμία longanimitas uirtus quæ non statim assurgit in iram aut uindictam, sed aut condonat noxio culpam, aut si ea non meretur ueniā sensim tamen ad meritas descendit pœnas sumendas, subinde expectata spe melioris frugis. Comprehendit etiam patientiam malorúmue tolerantiam. χρηστότης benignitas. Hæc est uirtus authore diuo Hieronymo lenis, blanda, tranquilla & omnium bonorum apta consortio, inuitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Bonitas autem uirtus est quæ prodest siue ex qua oritur utilitas, siue animus ad optima quæq; propensissimus. Boni enim uiri est optimis rebus amicum, prauis infensissimū esse, omnibus benefacere, & quod malum est uitare. Fides πίστις significat hoc loco constantiam & ueritatem in dictis & factis potius q̄ cognitionem dei atq; fiduciam. Germanice Trüw. Opponitur perfidiæ. Mansuetudo πραότης gschlachte, tractabilitas, aduersa est iræ, rixis, dissentionibus, placabilis ipsa & suauis. Ejicit ex animo omnem sæuitiam & ferociam, inserit autem animū prorsus mitem & humanum. Temperantia ἐγκράτεια abstinentia est & modus rerum omniū, præcipue autem cibi, potus, uestium, somni, idq; genus rerum similium. Opponitur crapulæ, luxuriæ, libidini, lasciuiæ, immunditiæ & profusioni abusuiq; rerum. Iam subdit quod absoluit sententiam, Aduersus huiusmodi non est lex. Id est qui hisce prædīti sunt dotibus à lege liberi sunt: proinde qui operibus carnis inuigilant strenue, sub lege adhuc sunt. Iusto enim lex non est posita, sed iniustis & inobsequētibus. Vnde Theophylactus hunc Pauli locum enarrans, Anima, ait, quæ ista spiritu suggerente peregerit nihil indiget legis instructione cum præstantior ipsa fit & lege sublimior, sicuti equi natura uelociores non indigent calcaribus. Paulus itaq; non reiecit legem quod iniquior sit, sed quia spiritus libertate est inferior. His omnibus adjicitur sententia generalis, Qui uero sunt Christi carnem crucifixerunt cum concupiscentijs. Quasi dicat, Quid uero pluribus opus est? hoc longe certissimū est, quod qui re uera Christiani & spiritu Christi imbuti sunt affectus & concupiscentias per mortem Christi coërcere didicerunt. Intellexit ergo per carnem opera carnis: per παθήματα perturbationes animi, cuiusmodi sunt ira, dolor, inuidia: per concupiscentias, desideria carnis, adulteriū scilicet, scortationem &c. Iam & per crucifigere schemate quodam intellexit affectus & cupiditates, hoc est opera carnis gladio spiritus iugulare. Hic uero gladius ille spiritualis fides est quæ credit Christum pro uniuerso mortalium genere crucifixum, partim ut peccata nostra expiaret, partim ut peccata mortificāda in carne doceret. Huc pertinet etiam baptismi significatio, Roma. 6. Huc pertinet & illa sententia epiphonematis loco posita quæ sequitur.

Fructus spiritus.

Si uiuimus spiritu, spiritu & incedamus.

Hoc est, Loquimur hic de uita quadā spirituali, hoc est docemus quomodo per Chri

ſtum æternum ualeamus uiuere: nihil hic agimus de uita corporea. Qui ergo credunt ſe uiuere & animari per Chriſtum, nimirum impelluntur per eundem ſpiritum, ut uitam mores dicta & facta inſtituant ad inhabitantis Chriſti domini ingenium. Omnino cõſequens eſt, ut qui ſpiritu uiuunt, ſpiritu item incedant. Hoc eſt, fieri non poteſt ut nõ ſancte uitam ſuam inſtituant qui ſemel per Chriſti ſpiritum nouam uitam uiuere cœperũt. Hæc uehemẽter urgent porcos noſtros qui ex euangelio nil aliud q̃ libidinari didicerũt.

Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes.

Contra uanam gloriam.

Abſoluit negotium libertatis Chriſtianæ & exhortationẽ ut in hac perſtent Galatæ, nunc ſubiũcit præcepta morum ut inuitet ad innocentiæ ſtudiũ, & ne opera carnis perficiant. κενοδοξία autem, hoc eſt uana gloria craſſiſſimum carnis opus multos uexat admodum, concordiã hæc dirimit, contentiones gignit, iurgia & iniurias excitat, dei gloriam obſcurat, ueritatem deniq; omnem conſcindit. Nam ipſe dominus apud Ioannẽ, Quomodo poteſtis credere inquit gloriam quærentes ab inuicem? Et apud Galatas præcipui religionis antiſtites uiriq; primarij hoc morbo laborabant grauiter, iccirco Paulus ſumma cũ authoritate, Ne inquit efficiamur inanis gloriæ cupidi. Et quia κενοδοξία ſtudium prouocandi & inuidendi habet, utraq; hæc adiungens, Ne prouocemus nos mutuo, inquit, ne inuideamus inuicem. Iſti uero morbi peſtilentiſſimi eccleſiam hodie inſidijs & perſequutionibus ſatis afflictam peſſundabunt (uereor) propediem penitus. Qui enim κενοδοξία laborant uiri primarij alios non modo contemnunt & calumnijs proſcindũt ſed prouocant quoq;, inuident & ſuo ſplendori per hos nonnihil ſibi deceſſurum miſere metuunt. Quid fit? Hi qui patiuntur iniuriam qui iſtorum calumnijs apud omnes eccleſias traducuntur, ne ueritas periclitetur apologiam meditantur. Id cernentes eccleſiæ obſtupeſcũt turbantur ac hærent. Quibus uero aduerſa eſt ueritas & qui hoc negotium ſecus geri nollent protinus clamãt, Videtis ut hæc Babylonica turris artificibus ſibijpſis compugnantibus & impediatur ne in nubes ſubducatur, & ædificantes diſſipentur. Ad hæc triumphales acclamationes ædunt impij, ſimplices uero uacillant, ſed & firmiores ueniunt in pericula & tentationes. Id uidelicet faciunt iſti ſua illa & κενοδοξία & inuidia & prouocationibus plus quàm impudentibus & proteruis. Satis aliâs ſupereſt hereſum ſcelerum & impietatum quæ expugnanda forent. Quin ergo contendendi ſtudio relicto & uana gloriatione noſtra abiecta, ſi modo Chriſti gloriam ex animo quærimus, unanimes in ſcelera & abominationes ſatanæ impetum facimus, ut eccleſia Chriſti repurgata à ſordibus Chriſto in ueritate ſanctitate & iuſtitia ſeruiat, Amen.

CAP. VI.

Fratres, etiamſi occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis inſtaurate huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis, conſiderans temetipſum ne & tu tenteris.

Lapſos & infirmos ſuſcipiendos cum manſuetudine.

Hiſce docet neminem eſſe contemnendum qui non obſtinata mente nitatur aduerſus ueritatem. Erant eñ apud Galatas, quales apud nos ſunt Anabaptiſtæ, arrogans & ſupercilioſum hominũ genus, qui omnes præ ſe alios contemnebant, phariſæũ in hoc imitantes cuius mentio fit apud Lucã in cap. 18. Paulus ergo, Nolo uos ait efferri et uobis ipſis placere nimiũ aut plus æquo ſeueros eſſe in miſeros quoſdam. Tametſi eñ fit inter uos προσλκφθῇ id eſt occupatus aliquis hoc eſt præuentus anteq̃ cauere potuerit, qui ſpiritu ampliore eſtis donati nec ceſſiſtis cupiditati carnis, ut hominem καταρτίζετε id eſt re-

Roma. 14.

ficite ſiue ſarcite hoc eſt reſtituite ut reſurgat à lapſu, idq; ſpiritu manſueto non contentioſo & aſpero qui ad deſperationem adigat. Vere enim Paraphraſtes, Hypocritarum eſt inquit huiuſmodi ſupercilium & fæuitia. Chriſti ſpiritus quoniam cupit omnes ſaluos fieri manſuetudine pellicit ad reſipiſcendum. Ac ſæpe flectit ac humiliat lenis fraternaq; correptio quos prorſus alienat iurgatrix auſteritas. Ad hæc ut permoueret illorum animos adhibet argumenta. Quaſi dicat, Huc uero in primis id te pertrahere debet qui ſeuerior es erga fratrum lapſus, quod hoc ipſum tibi uſu uenire poteſt quod illi obuenit cui tu implacabiliter iratus es. Aliorum ergo lapſus docere debet quemlibet ne ſibi fidat quiſ-

quiſquam aut erigat criſtas, imò ut quiſquis ſic agat cum lapſis quomodo ſecum agi cupiat ſi quid ſimile ſibi ueniret uſu. Hæc autem penitius ſunt cordibus inſculpẽda noſtris ne noſtræ infirmitatis obliti aliorum lapſus nimium exaggeremus.

Inuicem alij aliorum onera portate, & ſic complete legem Chriſti.

Exẽplo & lege Chriſti hortatur Galatas infirmos lapſósue inſtaurent. Nam lex Chriſti alia non eſt quàm ipſa charitas Chriſtiana. Exemplum Chriſti nullũ aliud quàm lenitas. Leniſſime enim pertulit peccatores, qui nonagintanouem ouibus in deſerto relictis unam modo in deſerto oberrantem perſequitur, & præhenſam non arbori illidit, ſed humeris impoſitam officioſiſſime ad caulas regerit. Metaphoram porrò traxit ab ijs qui grauiter ſub ſarcinis gementes leuãtur à ſubeuntibus & ſarcinas in ſe quoq; æquali pondere recipientibus. Et propheta de peccatis loquens, Iniquitates meæ (inquit) eleuatæ ſunt ſuper caput meum, quaſi onus graue grauatę ſunt ſuper me. Similia propè legas ad Romanos 15. capite. *Ioan. 13. 14, 15. 17. 1. Ioan. 3.*

Nam ſi quis ſibi uidetur aliquid eſſe cum nihil ſit, ſuum ipſe fallit animum. Opus autem ſuum probet unuſquiſq; & tunc in ſemetipſo tantum gloriationem habebit & non in alio. Vnuſquiſq; enim propriam ſarcinam baiulabit.

Obſtruit fontem unde manat fratrum contemptus, is eſt arrogantia. Hac enim fit ut nobiſipſis nimium placentes digniores noſipſos exiſtimemus quàm qui humeros alienis ſubmittamus ſarcinis. Id porrò inde rurſus emergit quod noſipſos nõ ex nobiſipſis ſed aliũs metimur, id eſt quod noſipſos non æſtimamus ex uirtutibus noſtris, ſed uitijs alienis, ideo nos ſanctos eſſe putantes quod nõ ſimus ſicut profligatiſſimi quiq;, tametſi nihilo interim uiuamus ſanctius. Senſus ergo uerborũ Pauli hic eſt, Legem uero Chriſti complere haud fuerit difficile, cum nihil penitus ſit cuius gratia merito quis eius legis incommoditatem cauſſari poſſit, niſi forſan ſe credat digniorem quàm qui fratrum onera portet. Is uero id in primis apud ſe expendere debet quod φρεναπατᾷ, id eſt mentem decipit, id eſt ſua illa de ſe concepta opinione ſeipſum fallit. Nam hoc ipſo nihil eſt quo ſe cogitat eſſe aliquid: id eſt arrogans ille fratrum contemptus & ſuperba animi elatio ſatis magno argumento eſt quod plurimũ huic ſapientiæ & religionis ueræ deeſt, & quod nondum aſſecutus eſt quod ſe credit accepiſſe. In humilitate enim & charitate fraterna, in miſericordia & humanitate proficitur. Deinde qui talis eſt ſuo ſe pede metiatur non alieno, id eſt è ſuis ſe factis æſtimet non alienis. Expendat an ipſe uirtutibus propriis clarus ſit. Nemo enim ideo clarus eſt quod ſe confert deterioribus. Hic autẽ omittitur quo ſenſus perficitur. Addendum enim, Quod ſi quis ſeipſum ſuo metiatur pede nõ alieno, comperiet etiam ſe aliorum in gerendis ſarcinis propriis egere opera, tantũ abeſt ut ipſe quenquã contemnat merito propter onera, comperiet non tantis ſe uirtutibus eſſe præditum quãtis exiſtimabat. Proinde cognita ad hunc modum infirmitate propria diſcet agere moderatius & clementius ſapereq; humilius, conſiderãs ſemetipſum quod & ipſe homo à quo nihil humani alienum ſit. Huc iam pertinet ſuppacta ſentẽtia, Vnuſquiſq; enim propriam ſarcinã baiulabit. Hac enim rationem reddit cur quilibet in ſeſe debeat deſcendere, & nemo ſe ex alienis uitijs purgatiorem æſtimare. Omnes enim nos manifeſtari oportet (ut Paulus ad Corinthios dixit) ante tribunal Chriſti ut reportet unuſquiſq; ea quæ fecit. Non damnabitur hic quiſquã ob aliena ſcelera, nec abſoluetur quiſquam propter alienas uirtutes, quiſq; propriam baiulabit ſarcinam: quiſq; ergo ſeſe inſpicere debet quid agat, non quid agant alij. Atq; ita uides hanc ſententiam non pugnare cum ſuperiori. In ſuperiori enim præſcriptum eſt omnibus Chriſtianis quales ſe exhibeant errantibus fratribus. In hac uero demonſtratur quale ſit futurum iudicium & nemo alieno merito uel prauo uel bono damnetur aut abſoluatur. Vnde diuus Ambroſius ipſam ſic enarrauit, Ad poſtremum hoc uoluit innoteſcere ſuperbis, quia nõ inquinatur quis alieno peccato dummodo diſſentiat, ut nemo ſe uereatur iungere peccatori aut accedentẽ ad ſe ſuſcipere ut eum lucretur. Hic porrò ſenſus nil pugnat cum eo quem *Arrogantia & Φιλαυτία explodituꝛ. Subita eſt mutatio.*

paulò ante oſtendimus. Annotauit autem in hunc Pauli locum D. Hieron y. quod te latere nolui. Eſt enim utile in primis omnibuſq; piis gratiſſimum, ſed Italicis Cananæis proculdubio ingratiſſimum. Obſcure licet docemur, ait, per hanc ſententiolam nouum dogma quod latitat, dum in præſenti ſæculo ſumus, ſiue orationibus ſiue conciliis inuicem poſſe nos coadiuuari: cum autem ante tribunal Chriſti uenerimus non Iob non Daniel nec Noë rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemq; portare onus ſuum. Qua ergo fronte audent ſacrifici Romani Pontificis defunctorum neceſſariis polliceri diuorum interceſſiones, & pro peccatorum expiatione uendere Miſſas? Hæc profecto impoſtorum ars eſt, non ſacra ſacerdotum dei fides.

Communicet autem qui catechizatur ſermone ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Ne erretis, deus non irridetur. Quicquid enim ſemina uerit homo, hoc & metet. Nam qui ſeminat per carnem ſuam, de carne metet corruptionem: ſed qui ſeminat per ſpiritum, de ſpiritu metet uitam æternam.

Verbi miniſtris debẽtur neceſſaria uitæ.

Quod in aliis epiſtolis ſolet, id hic quoq; facit. Commendat Galatis uerbi miniſtros, & iubet ne ingrati ſint erga ipſos, ſed uitæ neceſſaria ſuppeditent. Catechizare uero eſt tradere myſteria religionis Chriſtianæ, idq; uiua uoce, hoc eſt prædicatione inſtruere. Vocabulum enim hoc eccleſiaſticis notiſſimũ eſt. Ab hoc enim eſt uox Catechumenus & Catecheſis. Bona uero in præſenti iuxta uulgi conſuetudinem uictum & ueſtitum, & cætera quæ homines inter bona numerãt, appellauit. De ſalario autem uel uictu qui debetur miniſtris uerbi ipſe etiam dominus diſſeruit in euangelio apud Matth. cap. 10. id quod Paulus expoſuit in 1. ad Cor. cap. 9. Quod ſequitur, Ne erretis, deus non irridetur, Paraphraſtes ſic expoſuit, Porrò qui perperam tradita doctrina euangelica præmiũ accipit ab eo quem inſtituit, hominem quidem fallit, imò ſeipſum fallit, cæterum deum non fallit. Quare moneo ut ſyncere doceatis. Nam deus non irridetur, &c. D. Hieron y. uero ad hunc modum expoſuit, Præuidens ſpiritu eos qui docentur & debent magiſtris ſumptus & uitæ neceſſaria miniſtrare poſſe obtendere paupertatẽ & dicere, Ager meus hoc anno aruit ficcitate, uineam grando contriuit, redditus qui eſſe poterunt tributa rapuerunt, non habeo unde tribuam quod iubetur, adiecit, Nolite errare, deus non irridetur. Scit (inquit) corda ueſtra, non ignorat facultates. Atq; hæc Hieron y. ſententia uidetur eſſe negotio præſenti accõmodatior. Mox enim utilitate propoſita adhortatur ad communicandum. Quicquid enim ſeminauerit homo, ait, hoc & metet. Petit autem ſententiam hanc à uulgi opinione & rei euentu. Qui enim parce ſeminant, parce etiam metũt. Ita & qui uerbi miniſtris parce uictũ ſuppeditant, frugem quoq; à deo recipient tenuem. Vſus eſt hac alluſione idem Paulus & in 1. ad Cor. 9. cap. & in 2. ad Cor. 9. cap. His iam addit generalem quandam ſententiam quæ non tam ſuperiora exponat q̃ de omni bono opere inſtituat. Videtur eñ uti anagoga. Subducit enim ſenſum ad altiora, iam non de communicatione tantum loquens, ſed de omni opere bono. Rectiſſime enim D. Hieron y. Omne, inquit, quod loquimur, agimus, cogitamus, in duobus ſeminatur agris, carne & ſpiritu. Si bona ſunt quæ de manu, ore, corde promuntur ſeminata in ſpiritu, uitæ æternæ fructibus redundabũt. Si mala ab agro carnis excepta, corruptionis nobis ſegetem pullulabunt. Intelligis ergo Paulum generalem pronunciaſſe ſententiam quod intereat quiſquis carnis ſequutus affectum carnalia patrauerit, contra uero æternum ſaluetur qui ſpiritu dei doctus ſpiritus æderit fructus.

Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim ſuo metemus non defatigati. Itaq; dum tempus habemus operemur bonũ cum erga omnes tum uero maxime erga domeſticos fidei.

Perſtans in eadem allegoria cohortatur ipſos ad perſeuerantiam in operibus bonis, maxime uero in beneficentia & communicatione. Opponit autem laboris faſtidio fructum ampliſſimũ & quietem nunquam ceſſaturam. Qui aratro terrã proſcindit, raſtro

hanc

hanc uerrit, seminat et uarijs defatigatur laboribus, hoc uno se consolatur & in opere retinet quod sperat messem labori responsuram. Paulus ergo æterno præmio proposito retinere uult fideles in officio. Quoties igitur benefaciendo defatigatur aliquis, cogitet affore tẽpus quo uicissim absq; omni cessatione fit æterna fruiturus requie. His iam commode infert, Itaq; dum tempus habemus operemur bonum cum erga omnes tum uero maxime erga domesticos fidei. Ex qua illatione intelligimus quod hactenus non de beneficentia in ministros uerbi tantum sed in omnes homines loquutus est, adeoq; & de omnibus alijs bonis operibus quorũ tamen præcipuum est beneficentia, domino apud prophetam attestante, Beneficentiam uolo non sacrificium. Cæterum per domesticos fidei intellexerunt alij cum quibus nobis religionis & fidei contubernium est. Vt sit sensus, De omnibus quidẽ bene merendũ est, præcipue autẽ de ijs quos scimus nostræ hoc est Christianæ religionis esse cultores. Et de delectu in Eleemosyna habendo nonnihil disputatum est in posteriorẽ ad Corin. Alij quorum è numero D. Hiero. est per domesticos fidei intelligunt ipsos ecclesiarum præsides operarios in uinea domini & ecclesiæ dei ædiles siue œconomos. Liquet autem ex hoc loco iterum posteaq̃ hinc excessum fuerit nullum superesse locũ pœnitentiæ. Hic hic amittitur uita (Cypriani uerbis utor) aut recuperatur. Nugę sunt quę quidam referunt de Purgatorio. Quamdiu enim uersamur in hoc mundo licet deum benefactis demereri, licet alijs opitulari, posteaquã hinc exierimus nec nostris benefactis locus erit nec alienis subleuabimur. Egregia admodũ sunt quæ in hunc locum commentauit D. Hiero. ea non pigebit ascribere, non fuerit opinor lectori molestum ea legere. Tempus sementis ut diximus inquit, tempus est præsens & uita quam currimus, in hac licet nobis quod uolumus seminare, cum ista uita transierit tempus operandi aufertur. Vnde & saluator ait, Operamini dũ dies est, ueniet nox quando iam nullus poterit operari. Ortus est nobis dei sermo sol uerus & cõgregatæ sunt bestiæ recedentes in cubilia sua, procedamus ut homines ad opus nostrum & usq; ad uesperã laboremus. Et post aliquot uerba, Breue inquit est uitę huius curriculũ. Hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit aut deperit. Titus filius Vespasiani qui in ultionẽ dominici sanguinis subuersis Hierosolymis Romam uictor ingressus est, tantę dicitur fuisse bonitatis, ut cũ quadam nocte sero recordaretur in cœna quod nihil boni ea die fecisset dixerit amicis, Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum ociosum uerbum loquimur pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij?

Purgatorium.

Iactura temporis nil periculosius.

Videtis quanta uobis epistola scripserim mea manu. Quicunq; uolunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt uos circumcidi, tantum ne ob crucem Christi persequutionem patiantur. Nam qui circumcidũtur ne ipsi quidem legem seruant sed uolũt uos circumcidi ut in uestra carne glorientur.

Concludit iam epistolam, & primo quidem authoritatem ei addit, deinde uero quæ potissima sunt in ipsa repetit. Solemus enim ultimo paucissimis uerbis repetere quæ penitius infixa uolumus auditorũ animis. Authoritatẽ addit epistolæ hisce uerbis, Videtis quanta uobis epistola scripserim manu mea. Iisdẽ commendat etiã Galatis studiũ suum. πηλίκοις enim uox quam interpres reddidit quanta, qualibus significat, sed ita ut magnitudinem & admirationem significet. Refertur ergo ad affectum Pauli (Eras. authore) cui hæc res adeo fuerit cordi ut non grauatus sit suapte manu super ea re scribere. In cæteris non item obseruauit, per notarios enim scriptas epistolas subscripsit tantũ. Id quod alibi annotauimus. Ista uero sunt potissima huius epistolæ capita, quod circũcisio adeoq; uniuersa lex ad salutem & iustitiam parandã non sit necessaria: quod Pseudapostoli hãc prædicantes non gloriam dei sed suam ipsius quærant, quod cuticulæ suæ nimium metuant: quod sola Christi crux iustificet citra adminiculum legis aut ullarum adiectitiarum rerum: proinde ueram religionem non tradere externa, sed animi innouationem renascẽtiamq;, ueramq; pietatem uersari circa fidem per dilectionẽ efficacem. Ista porrò

Epilogus epistolæ.

omnia pulchro hic ordine & docta breuitate non citra affectuum cõmotionem repetun tur. Et primo quod attinet pseudapostolos & circumcisionem, Quicunq; inquit & qua lescunq; tandem sint, cuiuscunq; authoritatis & dignitatis, siue illi se à Petro missos, siue prorsum apostolicos esse glorientur, quicunq; cogunt (id est necessitate quadam salutis impetrandæ) uos circumcidi & legi subĩci, hi iuxta faciem (nam inuersus ordo est) uolunt placere in carne, hoc est ut Germanice reddam, *Die wöllend nun dem fleisch ougendienen.* Hoc est, non quærunt gloriam dei, sed carnalibus illis hominibus carnalia urgentibus & adulari & placere uolunt. Additur alia caussa, Tantum ne ob crucem Christi persecu tionem patiantur. Id est metus crucis hoc est afflictionũ extorquet istis istud nouum do cendi genus quo Christo copulant legem. Si enim solam Christi crucem, id est hostiam mortem & expiationem (est enim locutio qualis in 1. ad Cor. 1. cap. Sermo crucis ijs qui pereunt stultitia est) prædicarent neglectis legalibus, ut ad iustificationem non necessa-rijs, & Gentibus ob Christum & Iudæis ob legem & præputium essent inuisi, id quod mihi usu uenire uidetis & 5. cap. docuimus. Vt ergo declinent & hoc subterfugiant peri-culum, utraq; sibi male compingunt. Hanc artem hodie imitantur quidam male feriati & meticulosi homines, qui Papismũ miscent Christianismo & singula dogmata sic mo derantur ne ulla partium offendatur, Cœnam sacram Missæ prophanæ inserunt & quo dam modo comparant, turbam intercessorum sacerdotio Christi ingerunt, idola cate-chesi: breuiter nihil tam purum tam simplex, quod isti non inuoluant sua illa arte com-posititia. Hi norunt & unicam Christi hostiam prædicare & missare interim, ita sacerdo tium & benedictam Christi incarnationem laudare, & diuorum intercessionem & cul-tum in pectora hominũ inserere, tantum ne ob nudam Christi crucem persecutionem patiantur. Aliâs non ignorant imò in proprijs conuicti conscientijs apud sese fatentur Christi mortem unicam, unicam & æternam esse pro peccatis totius mundi hostiam. Fa tetur idem & mundus sed ore tantũ, opere enim negat, & simplicem ueritatẽ simpliciter confitẽtes persequitur ut hæreticos & sanctorũ rituum contẽptores. Id uero metuentes isti ritus istorum cum mysterijs Christi copulant, ut extra omne periculũ tuti agant. Ad confirmationem superiorum pertinet quæ sequitur ratio. Nam qui circumciduntur ne ipsi quidem legem seruant. Hoc enim dicit, Si tanta apud hos lex esset quantã uideri uo-lunt, hoc est si uera Mosis religione tenerentur, qui nihil q̃ Mosen, legem & circumcisio nem iactant, profecto ipsi seruarent legem: iam uero non seruant, produnt ergo quo ani mo legem urgeant, nempe ut in carne uestra glorientur, hoc est ut se de uobis apud suos iactitent quod ipsis authoribus ac magistris Iudaismum receperitis. De hoc quædam di cta sunt prius in cap. 4. Ambiũt uos, sed non bene &c. Plures hodie quoq; inuenias qui magisterium hoc anxie & cum conuitijs quoq; ambientes in carne gloriari cupiunt.

Christũ & Papam traditiones humanas et euangeliũ copulare.

Ego uero, absit ut glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nam in Christo Ie-su neq; circumcisio quicquã ualet neq; præputium, sed noua creatura.

Solus Christus salus & unica gloria fideliũ.

Colligit hisce secundo loco quæ multis disputauit de fide iustificante & sola Christi gratia ad salutẽ sufficiente. Et cum simplici orationis genere proferre potuisset, Sola mi-hi mors Christi ad salutem fuerit satis, maluit tamen id efferre per abominationẽ in hũc modũ, Absit ut glorier nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Iterũ autem per crucem intellexit mortem, hostiam & expiationem Christi domini totumq; redemptionis ne-gotium. Congruit autem hæc Pauli sententia cum illa quæ in hæc uerba legitur in 1. ad Cor. 1. cap. Christus Iesus factus est nobis sapientia à deo iustitiaq; & sanctificatio & re-demptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in dño glorietur. Congruit & cum illa in Canonica Ioannis, Hoc est testimonium dei quod uitam æternã dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitã: qui non habet filium dei, uitam non habet. Possem ergo gloriari inquit Paulus in carne, in circumcisione, in lege, in operibus bonis, in zelo & rebus amplissimis, sed absit ut luce Gentium & gloria Isra-ẽlis Christo scilicet dño meo neglecto glorier in rebus carnalibus, nihili, fluxis & perituris.

ris. Omnia quæ miratur mundus præ hoc contempsi, imò toti mundo per Christum mortuus sum. In uno enim Christo reperio quod delectat, fortunat & beat, nihil est in ullis rebus quod non habeam & plenissime possideam in Christo. Absit igitur longeq; abſit ut huic quicquam uel addam uel præferam, SOLVS CHRISTVS animæ meæ desiderium, salus, felicitas, gloria, ancora sacra, refugium unicum, spes exoptatissima, expectatio dulcissima, & ueluti sufficiens omnium rerum & gaudiorũ copiæ cornu est. Hoc ipsum alijs uerbis sed sensu eodem sic extulit ad Philip. 3. Quæ mihi erant lucra ea arbitratus sum propter Christum damnum esse, quin etiam arbitror omnia damnum esse propter excellentiã cognitionis Christi Iesu domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi habeoq; pro ruderibus ut Christũ lucrifaciam, utq; reperiar in illo non habens meam iustitiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi. Et quæ sequuntur, est enim locus notissimus. Iam quod subdit, Nam in Christo Iesu neq; circũcisio quicquam ualet, neq; præputiũ, sed noua creatura, pertinet ad exponẽdum superiora. Reddit enim causſam cur nolit in ullis alijs q̃ cruce Christi gloriari. Nihil enim ad salutem cõfert uel circumcisum uel præputiatum esse, Gentili an Iudaico ritu uiuere, sed cœlitus renasci & deo per Christũ fidere adeoq; nouum hominem induere ueterem exuere. In hoc enim uersatur summa ueræ religionis, Galat. 5. *Coloſſ. 3.*

Et quicunq; iuxta hanc regulam incedũt, pax super eos & misericordia, & supra Israëlem dei. De cętero ne quis labores mihi exhibeat. Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro fratres. Amen.

Iam pollicetur obedientibus salutem ut pelliceat omnes in suam sentẽtiam, imò non suam sed Christi. Quicunq;, inquit, hanc secuti fuerint regulam quam hac descripsi epistola, quam & postremis uerbis ueluti in compendium redegi, in SOLO uidelicet Christo esse gloriandũ, non in circumcisione, lege uel quocunq; alio opere, his polliceor pacem siue animi trãquillitatem & misericordiã à deo & quod uerus sint Israël qui probetur deo tametsi non sint circumcisi. Duplicem enim Israëlem esse testatur epistola ad Romanos, spiritualem scilicet & carnalem. De spirituali locutus propheta dixit, Pax super Israël. Hinc uero clare licet colligere quæ sit uera regula, quis ordo sanctus nõ Franciſci uel Dominici, Benedicti uel Roberti, sed Christi domini, quam regulam hoc est uiuẽdi & credendi normã hac epistola descripsit Paulus, ut hæc epistola hoc titulo insigniri potuisset, REGVLA CHRISTI authore apostolo Paulo. Præterea certos collocat huius regulæ limites simul & authoritati nominis sui consulẽs. Dicit enim, Atq; hic murus aheneus esto, nolo autem ut quisq̃ mihi posthac super hac re faceſſat negotiũ. Veritas enim simplex est, hanc uero tradidi uobis simplicissime & absolutissime, adeò ut nulla uobis unquam possit proponi certior ueritas. Existimo autem authoritatem meam nonnihil apud uos ualituram. Si enim alij fidem apud uos obtinent quod gloriantur de circumcisione ceu certissima nota populi dei, si hac nota se credunt illustriores, ego stigmata & uibices acceptas è uinculis, lapidatione & uirgis ueluti certissima argumẽta proferã quod fidelis sim seruus Christi, cur ergo non creditis & mihi non minoribus aut ignobilioribus notis illustri? Varie expositus est hic locus ab interpretibus. Alij eñ sic exposuerũt, Ab hac regula non discedã ullis minis adactus. Cutis enim mea adeoq; totũ corpus aduersus eiusmodi mala occalluit. Alij uero, Obsecro ne uestris erroribus pergatis mihi facesſere negotia, aliâs satis superq; afflicto. Alij, Non feram posthac ut quisquam me insimulet hypocriseos. Excusationis enim loco habeo stigmata ob fidei prædicationem & non ob circumcisionem accepta. Si enim circũcisionem prædicarem, quod quidã aiunt, ceſſaret persecutio. Liberũ autem facio Lectori ut eum sensum qui simplicissimus sit & negotio Pauli appositissimus uideatur, recipiat. Cæterum qui hunc locum de S. Francisco exposuerunt, præ uesania & impudentia quid agerent nescierunt. Et pudet pigetq; me istorum impietatis & quod usq; adeo dati sunt in reprobũ sensum ut omnẽ abstersẽrint pudorẽ. Postremo imprecatur Galatis gratiam à qua epistolã cœperat. FINIS. *Certa & certis limitibus circũscripta est regula fidei Christianæ.* *Psalmo 124.*

ARGVMENTVM EPISTOLAE D. PAVLI AD EPHESIOS.

NON necesse esse arbitror multis exponere qui fuerint Ephesij, quæ Ephesiorum superstitio, quanto cum fructu quantáue cum authoritate, uirtute, fide & sedulitate Euangelium Christi his prædicarit apostolus Paulus. Ea enim exposuit fusissime Lucas in Actis capite 19. & 20. Certè huius ecclesiæ maximam habuit rationem, & in hanc præ cæteris affectu maximo præditus fuit. Biennio enim in ipsa sedit, discedens Timotheum charissimum sibi discipulum ibi reliquit, interim ipse hortari, monere urgereq; noctes atq; dies non cessauit adeò ut ipse triennium numerarit laboris in ipsos impensi, cum ab Epheso Miletum euocatis presbyteris profecturus ipse Hierosolymam quid facerent præscripsit. Præterea coniectus in uincula Ephesios subinde desiderabat, pro Ephesijs uarijs curis & paternis distringebatur solicitudinibus. Metuebat quod plerunq; fieri solet ne uinculis Doctoris sui attoniti deficerent à doctrina aut certè concuterentur uehementius, proinde hanc iam conscribit epistolam ab urbe è uinculis scilicet per Tychicum, ut ipse testatur in fine epistolæ.

Scopum ergo habet certissimum hæc epistola. Exponens enim breui compendio summam euangelij hortatur ut in hac certa euangelij doctrina perstent, deinde studeant innocētiæ. Hoc enim esse consilium suum in hac epistola ipse testatur in cap. 3.

Nos, ut Lectori omnia sint perspicua & teneri possint facili memoria, partiemur hanc epistolam in partes duas. Prima absoluitur tribus primis capitibus. Secunda tribus consequentibus. In prima parte exponit breuissimo compendio absolutam euangelij summam, nempe quomodo deus in Christo toti orbi omnem dederit plenitudinem, hoc est remissionem peccatorum, sanctificationem, innocentiam, spem uitæ æternæ & omnium bonorum amplissimum inexhaustumq; aceruum: item quomodo omnes homines natura sint filij iræ & iustificentur gratis per gratiā & fidem Iesu Christi, non per uires humanas aut opera nostra. Addit præterea Gentes in hoc iustificandorum consortio contineri. Christum enim unam ex Iudæis & Gentibus fecisse ecclesiam, uerbumq; euangelij & Gentibus destinasse. Atq; his iam affigit exhortationem ut in instituto sancto & intellecta euāgelij doctrina pergant. In secūda parte instituit mores & de sanctimonia uitæ disputat & hortando tradit qua debeant concordia, constantia & ueri iustiq; incremento illustres esse fideles. Differit item contra uaria & grauissima scelera, contra immunditiam, mendacia, fraudes, iram, inuidiam, spurcitiam, libidinem, luxum, & crapulam. Præterea optima instituit officia Christiana, erudiens quid deceat coniugatos, parentes & liberos, dominos ac seruos. Postremo uero armat Christianum militem panoplia spirituali, se quoq; & res suas precibus ipsorum ad deum commendans.

De genere dicendi quo in hac usus est Paulus absolutissimus dicendi artifex Erasmus sic iudicauit, Idem in hac epistola Pauli feruor, eadem profunditas, idem omnino spiritus ac pectus, uerum non alibi sermo hyperbatis, anapodotis, alijsq; incommoditatibus molestior, siue id interpretis fuit quo fuit usus in hac, siue sensuum sublimitatem sermonis facultas non est assequuta. Certè stilus tantum dissonat à cæteris Pauli epistolis ut alterius uideri possit, nisi pectus atq; indoles Paulinæ mentis hanc prorsus illi uindicaret. Hactenus Erasmus.

CAP. I.

PAulus apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei, sanctis qui sunt Ephesi & fidelibus in Christo Iesu, Gratia uobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo.

Inscriptio est familiaris Paulo nobisq; notissima. Sæpius enim expolita est. Clarissima autem expositione declaratur hoc loco quod sancti apud Paulum fideles siue credentes sint. Per interpretationem enim subiungit, Et fidelibus in Christo Iesu. Sed & sancti ficati in sacris literis seperati & mundati dicuntur. Cæterum fide purificantur corda nostra. Sancti ergo fideles sunt. Et de his sanctis (id quod sæpe repetimus) intelligendus est fidei ille articulus, Credo sanctam ecclesiam, sanctorum communionem, id est quæ nihil aliud est quàm cœtus omnium fidelium & Christo fidentium. Diuus Ambrosius existimat deum ideo patrem nostrum appellatum quod nos condiderit, Dominum autem dici ipsum Christum dei filium quod ipse se pro nobis offerens redemerit nos & ueluti in peculium sanguine suo nos mercatus sit. Plura in septimo capite ad Romanos annotaui.

QVOD

QVOD DEVS IN CHRISTO IESV SE TOTVM IN nos effuderit, omnesq; thesauros scientiæ & salutis in ipso nobis aperuerit.

Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo, quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamẽta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem.

Hisce uerbis sanè pauciſſimis comprehendit ſummam totius euangelij: eandem poſt hæc copioſioribus uerbis & ſententijs plenioribus dilatat & expolit. Nunc orditur negotium à gratiarũactione & laude diuinæ beneficentiæ. Et quia inuolutus eſt ſenſus uerborum Pauli explicabimus hunc paulò dilucidius. Laudandus inquit eſt ſummus ille deus qui eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti, eo quod fortunarit, hoc eſt ditauerit nos omnigenis bonis, nõ terrenis aut carnalibus corruptibilibũsue quibus delectatur mundus, ſed ſpiritualibus, hoc eſt cœleſtibus & æternis, cum uidelicet miſit nobis filiũ ſuum dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum. In hoc enim eſt iuſtitia abſolutiſſima, ſalus certa & uita æterna. Nil ergo hæc ſumma euãgelij Hebraico quidem dicendi idiomate inuoluta ſed ſenſu plana aliud ſignificat q̃ cum in euangelijs planiſſimis uerbis legitur, Deus miſit filium ſuum ut omnes ſaluentur per ipſum. Vel ut Paulus alibi dicit, Ieſus Chriſtus uenit in mundum ut peccatores ſaluos faceret. Vſus eſt tamen hoc loco benedicẽdi uerbo quod id eſſet ei ſæculo notiſſimum & aptiſſimũ perfectiſſimæ felicitatis uocabulum. Vel alluſit ad illam Abrahæ ſacram benedictionẽ, de qua dictum eſt in 3. cap. ad Galatas. Et (Chriſto) ad finem ſententiæ abſolute adijcitur, quaſi dicat, quæ benedictio & copiæ cornu ſalutis æternæ Chriſtus eſt. Addit præterea huius benedictionis conſiliũ cauſſas ſiue originem dicens, Et ſanè ad hunc modum benedixit nobis quemadmodum elegit nos in ipſo, id eſt ſic elegit ut per Chriſtum benediceret & ſeruaret, non per noſtra merita. Idq; fecit priuſquã hic mundus eſſet conditus, priusq; noſipſi prodiſſemus in lucem, ut nullus merito noſtro relinqueretur locus. Quid eñ mereatur qui nondũ eſſe cœpit? Elegit ergo nos æterno ſuo decreto ex gratia pura. Ideo aũt non ſequitur quod quidam inferunt, Ergo excidere non poſſum ut ut graſſer per omnes ſcelerum & flagitiorũ ſpecies ſi electus ſum: omnes enim maculas illas eluet ſanguis domini innoxius. Addit ergo, Elegit autem εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους, id eſt ut eſſemus ſancti ſiue integri & inculpabiles ſiue qui nullo iure reprehendi queant, idq; coram ipſo, id eſt uere & ex animo (hypocriſis enim mũdo probatur) id autem fit per charitatem qua & deum in Chriſto diligimus ſuper oñia, & proximis facimus quæ nobis fieri uelimus. Hæc breuiter de ſententia Pauli expoſita ſufficiant. Iam hi loci diligenter ſunt notandi. Primus, quod Chriſtianorum iuge ſacrificiũ eſt laus & gratiarumactio quæ deo ſemper offerenda ſunt pro beneficijs. Secundus, quod benedictio, iuſtitia & ſalus noſtra non eſt meritorũ noſtrorum, ſed puræ dei gratiæ qua elegit nos ut per Chriſtũ liberaremur. Tertius, quod cum reuerentia & timore dei loquendum eſt de Electione dei, non ut quidã ſolent, Si electus fuero nil nocebunt uel profligatiſſima ſcelera, ſi non fuero electus nil proderũt optima quæq; in homines collata beneficia, cum abſoluta neceſſitate alij damnentur, alij ſaluentur: ſed ita potius loquendum eſt ut ſcriptura loqui docet, Omnes ſcilicet electos eſſe qui credunt in Ieſum Chriſtum, hunc uero omnes inuitare ad fidẽdum ſibi. Nam ſcriptum eſt deum uelle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire: unde etiam ad apoſtolos dictum legimus, Ite in orbem uniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui ergo non credunt ſua culpa non credunt & pereunt, 2. Cor. 4. Ioan. 3. Cæterum qui credunt, dei beneficio & miſericordia credunt, & in timore dei ambulant, ut ſancti & irreprehenſibiles in Chriſto per charitatem uiuant. Nemo uero ſanctorũ unquam temere iactauit dei electionem. Quartus locus eſt, quod uerus dei cultus eſt in charitate dei & proximi, non in rebus externis & nihili.

Summa euangelij.

Electio dei.

Qui prædeſtinauit nos ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, in

ſeſe, iuxtā beneplacitum uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ qua charos nos reddidit per dilectum, per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ ſuæ.

Quod iam dixerat idem repetitur hic per epanaphoram, ſed uerbis aliquanto ſignificantioribus & copioſioribus. Nam prius dixit, Elegit nos ante conſtitutionem mundi, idē iam unico eoq; propriſſimo uerbo effert (προορίζας) prædeſtinauit, id eſt certo conſilio certisq; limitibus eam ſalutem quam condēdo homini præſtiturus erat præſcripſit, nempe ut per Chriſtum adoptaret nos εἰς αὐτὸν in ipſum uel in ſeſe, in filios inquam, ſimul & hac particula exponens quæ ſit illa cœleſtis benedictio ὑιοθεσία, uidelicet, nempe quod ipſe deus per Chriſtum adoptat & in uicem & ius filiorum (ſumus enim natura filij iræ) recipit, & ſibiipſi ita conglutinat (id eſt εἰς αὐτὸν) per fidem & charitatem ut illius membra facti unū ſimus cum ipſo. Hæc igitur eſt uera prædeſtinationis ratio quod nullis præcedentibus meritis noſtris imò priuſquam hic mundus fieret deus certum apud ſe decretum condidit quod per Chriſtum ſaluos facere uelit credētes atq; adeò merito alieno in cōſortium recipere proprio delicto & originali uitio corruptos mortales. Atq; huc etiam pertinet quod ſequitur, Iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ. Iterū enim cauſſam & fontem huius diuini & admirandi conſilij adaperit, omnia referens ad abſolutam dei beneficentiā, bonitatem & gratiam. Vnde Paraphraſtes piiſſime & propriſſime hunc locū enarrans, Sic illi placuit (inquit) qui natura bonus eſt quo gratuitā ſuam in nos beneficentiam redderet orbi magis illuſtrem ac dilucidam. Et εὐδοκέω ſignificat propenſo animo ſum erga aliquem, ſiue bene ei uolo & promptam uoluntatem habeo. Vnde εὐδοκίαμ qua dictione hic uſus eſt Paulus alij uerterunt complacentiā, alij bonam uoluntatem, alij beneplacitum, Budæus omnium appoſitiſſime ſpontaneam & conſentientem propenſamq; affectionem. Notauit ergo Paulus propenſum erga nos animum dei beneq; uolentem nobis, qui aliās natura non bonus modo, clemēs & beneficus eſt, ſed ipſa etiam bonitas, clemētia beneficentiaq;. Iam & uſus & fructus huius conſilij dei oſtenditur cum dicitur, Vt laudetur gloria gratiæ ſuæ. Quaſi dicat, Tametſi gratis conferatur nobis ſalus per Chriſtum, deus tamen ſalutis hæreditatisq; æternæ hæredes non uult eſſe otioſos, ſed gratitudinem & laudes requirit ab ipſis. Ita ante aliquot uerba dixit, Vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo per dilectionem. Vnde facile colligere licet quæ ſint prædeſtinatorum & electorum filiorum dei officia, non iactare dei prouidentiam, genio indulgere & impie ac ſecure fineq; timore dei uiuere, ſed pietati operam dare, ſancte & inculpate uiuere, gratias & laudes deo perpetuo offerre. Quod autē ſequitur ex eodem ductum iugo gratiæ, Qua charos nos reddidit per dilectum, rationem reddit & clarius exponit, quomodo adoptarit nos in filios per Chriſtum, ſic, Eramus nos, q̄d noſtras attinebat uires, nil aliud q̄ hoſtes dei ſerui nequā & reprobi, ipſe uero noſtri miſertus per eū quē diligit ineffabiliter nos ſibi recōciliauit, hoc eſt dilexit nos ut filios, idq; propter amorem quo complexus eſt filium unigenitum. Non enim potuit odiſſe illos quos ſuo ſanguine redemerat & ſibi quodammodo in peculium conſecrauerat unigenitus. Notabis ergo uerbū ἐχαρίτωσεμ, quod ſignificat gratificauit ſibi charos, gratos ac dilectos reddidit adeoq; & placatus eſt: deinde obſeruabis quod propter dilectū nos dilexit, non propter nos aut noſtra merita ſed propter Chriſtū. Hoc ipſum ſignificatum eſt & uoce cœlitus ſuper Chriſtum delata huiuſmodi, Hic eſt filius meus dilectus in quo placata eſt anima mea, id eſt, Hic ille filius meus eſt qui quod ſit dilectiſſimus animum meū humano generi ob defectionem iratū placauit, adeò ut iam huius gratia non poſſum non promptiſſimo & ad benefaciendum ſtudioſiſſimo animo cōplecti quibus iratus fuerā hactenus. Atq; per conſequentia nunc fuſiſſime exponit quomodo per Chriſtum nobis omnes theſauros cœleſtes aperuerit deus, quomodo per hūc abſoluerit credentes ut nihil his deſit, ſed omnem in ipſo habeant plenitudinē. Dicit ergo, Per quē habemus ἀπολύτρωσιμ redemptionem, id eſt remiſſionem peccatorum, quemadmodū per interpre-

Prædeſtinationis ratio.

Prædeſtinatorū officia.

In Chriſto ſumus completi, ipſe eſt redemptio noſtra.

interpretationem ſequitur, Idq; per ſanguinem Chriſti, id eſt quæ remiſſio peccatorum facta eſt per mortem & effuſionem ſanguinis Chriſti. De qua pluribus agitur ad Roma nos 3. cap. & ad Hebræ. 9. & 10. cap. Adijcitur præterea, Iuxta diuitias gratiæ ſuæ, ut ſuperſtitioſo quoq; dicendi genere & eadem ſemper repetente inculcaret ſalutem & uitam fidelium beneficij eſſe dominici, nõ meriti noſtri: quod & D. Aurelius Auguſtinus in lib. de prædeſtinatione ſanctorũ contra Pelagianos ardentiſſimo dicendi genere urget. Notiſſimam autem eſſe arbitror illam dicẽdi formam Hebraicam Diuitias gratiæ poni pro ampliſſima prædiuite & inexhauſta gratia.

de qua ubertim nobis impartiuit in omni ſapientia & prudentia, patefacto nobis arcano uoluntatis ſuæ, iuxta beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſeipſo uſq; ad diſpẽſationem plenitudinis temporum, ut ſummatim inſtauraret omnia per Chriſtum & quæ in cœlis ſunt & quæ in terris per eundem.

Per Chriſtũ uera aperitur & traditur ſapientia.

Audiuimus quod per Chriſtum nobis collata ſit redemptio, id eſt peccatorũ remiſſio, audiemus quod ſecundo loco per eundem nobis aperitur traduturq; uera ſapientia. Nam in uera ſapientia & libertate iuſta conſiſtit uera felicitas, quæ per Chriſtum nobis obuenit. Non ſolum, ait, redemptio & peccatorũ remiſſa nobis per Chriſtũ collata eſt, ſed iuxta inexhauſtam illam dei gratiam per eundem omnes nobis diuinæ ſapientiæ theſauri aperti ſunt, adeoq; & ubertim & ampliter in nos omnia huius philoſophiæ tranſfudit. Nihil enim in hac neglexit, nihil per inuidiam occultauit. Per ſapientiam ergo & prudentiam, plenam intellexit abſolutámue rerum diuinarum cognitionem. Nam per ſpecies ſignificauit genus, ut non neceſſe ſit hoc loco multis diſputare de ſapientia & prudentia, aut quatenus inter ſe hæ differant uirtutes. Sequitur quomodo erudierit nos in omni ſapientia & prudẽtia, & quæ nam ſit illa cœleſtis & abſoluta philoſophia. Erudijt ergo cum nobis myſteriũ ſiue arcanum (Paulus utitur uoce myſterij uel Latinis notiſſima & huic loco appoſitiſſima) uoluntatis ſuæ patefecit. Proinde myſterium uoluntatis ſuæ, illa eximia eſt ſapientia. Hic autem pro ſuo more ut meritũ noſtrum excludat addit κατὰ τὴν εὐδοκίαν, id eſt iuxta beneplacitum eius, repetendum autem eſt per zeugma uerbum patefecit. Senſus enim eſt, patefecit nobis arcanum uolũtatis, ſiue id myſterij quod apud ſeſe decreuerat, idq; pro ſua in nos beneuolentia fecit. Verum paulò ante de εὐδοκία diſputatum eſt. Alij ſic exponunt ut ſit occupatio, quaſi dicat, Quod ſi quis roget cur hoc tam diu cælatum nunc primum aperiat? nil habeo quod reſpondeam, niſi quod ſic uiſum fuerit ei qui nihil poteſt uelle niſi quod optimum eſt. Deinde conſequẽtia his ſic coniungunt, Quod uero nobis nouum eſt apud deum non eſt nouum, Quod enim nũc miſſo filio patefecit orbi, hoc ab æterno decreuit. Cæterũ ad priorem ſenſum ſic quoq; aptari poterunt, ut etiam hæc, ſuperiora adhuc obſcura ſatis illuſtrent ad hunc modum, De eo myſterio loquor quod deus propoſuerat ἐν ἑαυτῷ in ipſo uidelicet Chriſto: uel ut quædam exemplaria habent ἐν ἀυτῷ, id eſt, in ſeipſo ſiue apud ſemetipſum, id eſt, quod uel complere in Chriſto uel apud ſeſe latere uoluit donec impleretur certum illud & opportunum tempus quod cõmode huic præfinierat negotio. Certũ enim tempus euangelico negotio præſcriptum fuiſſe audiuimus & in Galat. cap. 4. Et ut plane quod ſentiam explicem, de hoc dei myſterio ſiue uolũtatis arcano, decreto uel propoſito loquor, quo deus ſtatuit omnia per Chriſtum ἀνακεφαλαιώσασθαι, id eſt, recapitulari & ueluti in ſummam & compendium referri, ut ab hoc uno ceu omnium bonorum aceruo iam petatur quod prius ueluti per partes à multis petitum eſt. Multa quidem eſt apud interpretes de hoc uerbo diſputatio, ſed acceptum uidetur ab oratoribus qui ἀνακεφαλαίωσιν recapitulationem uocant, eam ſcilicet quæ ſparſim ac fuſius dicta in breuem redigit ſummam. Paraphraſtes omnium appoſitiſſime uidetur eius uſum apud Paulum hiſce uerbis explicaſſe, Deus inenarrabili conſilio decretum ſuum abditum eſſe uoluit donec impleretur tempus ab ipſo præfinitum huic arcano mortalibus aperiendo, quo iam abolitis ſuperiorum temporum diſpendijs per quæ felicitas fruſtra quærebatur, alijs per

Deus uoluit in Chriſto omnia recapitulari.

obſeruationem legis Moſaicæ,alijs per ſtudium philoſophiæ,alijs per ſuperſtitioſam religionem cultumq; dæmonum,ſumma cunctorum quæ ad ueram innocentiã ueramq; beatitudinem pertinent conferretur in unum Chriſtum,extra quem nihil iam eſſet cuiquam expetendum, cum ab hoc unico fonte peti poſſet quicquid bonorum uel cœlum habet uel terra. Hunc enim pater deus caput omnium eſſe uoluit, ab hoc uno uoluit omnes pendere,ab hoc ſperari quicquid uere ſit expetendum, huic acceptum ferri quicquid nobis ſua benignitate largitur. Hactenus Eraſmus. Interim uero non erraueris ſi hæc uerba,Et quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, non tantũ de bonis quæ uel cœlum uel terra habet intelligas, ſed quod ueluti diſtributione explicare pergat quod neminem excluſerit cum dixit,Omnia. Non quod in cœlis ſint uel angeli uel ſpiritus qui redemptionem per Chriſtum expectẽt, ſed quod hac diuiſione partitionéue uniuerſitatem uoluit complecti. Huius ferè generis locutio eſt iſta apud Matthæum, Qui dixerit uerbum aduerſus ſpiritum ſanctũ non remittetur ei neq; in præſenti ſæculo neq; in futuro. Id enim planius exponens Marcus,Qui conuitium ait dixerit in ſpiritum ſanctum non habet remiſſionem inæternũ,ſed obnoxius eſt æterno iudicio. Ad eundem modum enumerantur in ſecundo præcepto primæ tabulæ cœlum, terra & aqua, & intelligitur rerum uniuerſitas, nempe quod non debeat fingi ſimilitudo ullarum rerum quæ ueniunt ſub res conditas aut ſub ſenſum. Ita & Paulus partitione ſua uniuerſitatẽ uoluit exprimere. Nemo enim ab hac cõmuni ſalute excluditur, niſi qui ſua perfidia & culpa ſeſe excluſerint. Eiuſmodi enim locutiones,Omnes homines uult ſaluos fieri, Benedicẽtur in te omnes Gentes,Apparuit ſalutifera gratia oñibus hominib. Oñes ſaluabis dñe,eiuſmodi ſunt quaſi tu dicas,Omnes qui ſaluandi ſunt ſaluantur. Sunt aũt ſaluandi qui credunt. Nam ſcriptũ eſt, Qui credit in me habet uitam æternam, qui nõ credit morietur in æternum. At non omnes credunt,non ergo omnes ſaluantur. Omnibus tamen uerbum euangelij deſtinatũ eſt,ipſo domino dicente, Ite in orbem uniuerſum & prædicate euangelium omni creaturæ. Itẽ, Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra,euntes ergo docete omnes gentes. Quod ergo non credunt quidam,nõ dei iniquitate, inuidia aut moroſitate non credunt,ſed ſua culpa. Sed ut ut iniquis externum illis uerbum prædicetur,corda tamen ipſorum non attrahit gratia domini, donum ſpiritus non confert. Confert ſanè & aurem impij uellicat dominus, ſed prophanus iſte donum dei pro dignitate non æſtimat. Magis enim diligit tenebras quàm lucem, ideo & hoc talentum ab eo aufertur, & tenebris atq; erroribus permittitur. Quod uero alius ille donum ſibi à deo collatum pro dignitate æſtimat,quod auctionem accipit, non uirtutis ſuæ aut meriti proprij eſt,ſed diuinæ gratiæ. Id quod propter quoſdam annotamus, quorum alij meritum contra dei gratiam iactitant: alij citra diſcrimen boni & mali omnes ſaluandos fore credunt: alij uero peccata & incredulitatem ſuam deo impingunt authori.

Nemo ex communi ſalute excluditur, niſi qui ſeſe excluſerit.

Quæ ſit uera ſapiẽtia & philoſophia.

Locus autem communis qui hic obſeruandus eſt infignis eſt,quod euangelij prædicatio ſiue cognitio dei per Chriſtum cœleſtis utiq; philoſophia illa uera ſapiẽtia eſt,multo præſtantior humana philoſophia. Si enim ſubiectum efficit philoſophiam aliquam præclaram, noſtra quæ circa deum ſummi uidelicet boni cognitionem uerſatur antecellit. Si uero finis ſpectandus eſt noſtræ ſapientiæ, finis eius æterna uita eſt. Præterea cum haud exigui momenti eſſe creditur ſi uitæ aliquod inſtitutum uetus ſit,ſi ab authore illuſtri profectum & clariſſimorum uirorum calculis & imitatione approbatum,certè euangelica philoſophia nulla unquam emerſit maior nec unquam emerget melior, utpote quæ uetuſtate omnia præcedat tempora. Ab æterno enim decreta,certo cõſtitutoq; tempore per ipſum dei filium authorem certè ſanctiſſimum & omnium maximum prodita eſt,ſed à ſanctiſſimis ſuſcepta hominibus, in quibus nemo bonus unquam deſideranuit quicquam uel prudentiæ,uel eruditionis, uel integritatis,uel ſynceritatis,uel iudicij: ut nunc ipſos non commemorem diuinos prophetas, qui & ipſi huius ſacræ philoſophiæ ſectatores egregijs libris ſcriptis & poſt ſe relictis poſteritati quales fuerint atteſtarunt. Relinquitur ergo certiſſimum quod ueritas Chriſtiana & prædicatio gratiæ euangelicæ,uera ſit philoſophia,cui merito cedant quæcunq; à ſapientibus huius mundi Platone,

tone, Aristotele, Zenone alijsq; id genus miseris sunt prodita mortalibus. Super omnia uincit ueritas Christiana. Et olim quidem superauit cum Iosepho Israëlis filio Moses omnes Aegypti sapiẽtes. Daniel quoq; omnibus Orientis magis, philosophis & gymnosophistis multis gradibus prælatus adeoq; & potentissimo orbis monarchæ propemodum collatus est. Quid quod in fine temporum deus per stultam prædicationem crucis perq; incompositam piscatorum orationem infatuauit sapientiã omnemq; totius mundi eloquentiam? Benedictus autem & in sempiternum laudatus sit deus, qui ueritatem suam uel hodie triumphare facit contra hostes uerbi sui ualidissimos. Ipsi gloria in sæcula, Amen. Erubescant autem Christianorum adulescẽtes, qui deserta aut contempta hac philosophia uera ceu barbara & incompta, ornata malũt mendacia atq; hæc miro etiam ardore sectantur, adeo ut ad sacrum, si dijs placet, philosophiæ nomen obstupescant, attoniti scilicet numinis huius reuerentia, ad Biblia uero ipsam ueram dei philosophiam & æternæ felicitatis disciplinam uel rideant uel nauſea affecti matulam poscant. Hic certè animus reprobus est, hoc iudicium corruptissimum ô stolidissimi mortalium. Philosophiæ studia non damnamus adulescentes optimi, sed modice & eatenus delibãda esse censemus quatenus sacris inseruiunt literis. Studiorum scopus sit ueritas & æterna felicitas, non theatrica uanitas, loquentia, aut uana literarum ostentatio. Artes diligẽter sed sobriæ discendæ sunt, parandũ iudicium, hoc est legenda & ediscẽda sunt optima quæq;, potissimum quæ ad dicendi, iudicandi & rerum naturam cognoscendam faciũt, omnia tamen in hunc finem ut ad sacra nobis seruiant. Redeundũ enim ad sacra perpetuo, non hærendum in scopulis illis Syrenijs. Dulce canit in animis immundorũ musa prophana, sed suauius in cordibus sanctorum cõcrepat Dauidis cithara. Proinde ad sacra ut ad cynosuram unicam semper sit recursus, hoc sit alueare in quod ueluti sedula apicula omnes opes tuas ex uariegato floribus studiorum campo cõgeras, sed digeras quoq; ne fœtidarum & noxiarum herbarum nidore suauissimam ueritatis fragrantiam corrumpas, huic eximmũda & insyncera philosophia ingerens quod polluat egregiam diuini mellis & ceræ sanctæ structuram. Delectus ergo habendus est in rebus. Iudicium adsit oportet. Id paratur sedula lectione sacra, frequenti pietatis studio, & crebris ac ardentibus ad deum precibus. Prophani enim in hac philosophia nihil proficiunt.

Verum philosophiæ studiũ.

per quem & in sortem asciti sumus, prædestinati secundum propositum ipsius, cuius ui fiunt uniuersa, iuxta decretum uoluntatis ipsius, ut simus nos in laudem gloriæ eius.

Vel eadem repetit alijs uerbis, ut salutis negotium diligentissime inculcet, Vel particularem contexit epilogum, quo colligat breuem summã eorum quæ hactenus copiosius tractauit. Summa est huiusmodi, Hæredes cõscripti sumus à deo uitæ æternæ, idq; Christo debemus domino per quem adoptati sumus in ius filiorum non uiribus nostris aut merito nostro. Ratio huius negotij hæc est. Deus cuius ui fiunt uniuersa secundum consilium uoluntatis ipsius, id est cuius potentia & sapientia omnia ita geruntur sicut ipse æterno iusto & summe bono decreto præfiniuit, etiã certo præfiniuit iuxta propositum suum qui sint saluandi qui minus. Id uero propositũ tale est, quod fideles per Christum uult saluos facere, incredulos perdere. Oportuit ergo hac ratione & nulla alia constare salutem, nempe quod nemo saluandus sit merito suo, omnes autem credentes seruandi sint per gratiam Christi. Sic enim hoc ipsum dei propositum exposuit ipse Paulus in 2. ad Timoth. cap. 1. Repetitur & illud quod per superiora non semel ingeminauit, quod scilicet hoc dei consilium, hæc gratia non faciat otiosos, sed gratitudinem & laudes perpetuas excitet in electis. Hinc sub finem addit, Prędestinauit nos ut simus nos in laudem gloriæ illius, id est, ut laudemus nos gloriam nominis eius clementiam & bonitatẽ eius. Iam & illud uidetur monendum quod ipsam hæreditatem, ipsam inquam uitam æternam uocauit sortem, alludens ad partitionem terræ Chanaan typum hæreditatis æternæ. Præterea sortem nominauit quod hæreditas sorte plerunq; diuiditur. In primis uero obseruanda est hæc Paulina sententia, Cuius ui fiunt uniuersa, iuxta decretum uolun

Epilogus.

1. Pet. 2.

Opera dei non temere ſed ex uoluntate dei æſtimanda eſſe.

tatis ipſius. Hæc enim recte docet iudicare de operibus dei, quod ſcilicet opera eius ex uoluntate ſint æſtimanda. Hæc cum ſit ſancta æqua & bona, malum ſcelus aut impietatem facere non poteſt. Quidã ſententiæ poſteriori membro nempe hoc, Iuxta conſilium uoluntatis ipſius, neglecto ex membro priori nempe hoc, Cuius ui fiunt uniuerſa, quidlibet deo obtrudunt, quaſi uero is, quod tamen abſit, profligatiſſima quæq; ſcelera operetur in impijſſimis quibusq;. Quid quod alij hanc ſententiam, Iuxta decretum uoluntatis ipſius, ſic exponunt, quaſi quis noſtrum dicat, Omnia agit pro ſua libidine? Cęterum impia eſt ea expoſitio. Summa enim ſapientia iuſtitia & æquitas eſt in conſilijs & uoluntate dei. Eſt & ratio certa quam & per ſacra oracula nobis reddit, ut non ſit neceſſe illum reſpondere pro ſeſe, Ego pro mea libidine res meas ago, quid ueſtra retulerit eligam ne hunc an illum reijciam. Proinde diuinus uates clamat, Iuſtus dominus in omnibus uijs ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Quoniã non deus uolẽs iniquitatem ipſe, nec habitare poterit cum ipſo malignus. Verum de hoc negotio diſputabitur commodiore loco copioſius.

qui priores ſperauimus in Chriſto, in quo ſperamus & nos audito uerbo ueritatis, euãgelio ſalutis ueſtræ, in quo etiã poſteaq; credidiſtis obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, q eſt arrabo hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis in laudem gloriæ ipſius.

Chriſtum omnibus eſſe ſaluatorem.

Docuit hactenus deum in Chriſto omnia præſtitiſſe quæ modo ad ueram & abſolutam pertineant felicitatem, iam uero oſtendit quibus hęc collata ſit felicitas, non ſolis uidelicet Iudęis ſed Gentibus quoq;, imò omnibus ſæculis. Cõmittit autem orationis contextum cum ſuperioribus & ait, Qui priores ſperauimus in Chriſto, loquẽs de ſe et tota Iudæorũ cõgregatione quæ Chriſtũ receperat. Deinde ſubdit, In quo ſperamus et nos, loquens de gentibus quibus ſe iam iungit ſocium ut illorũ ſibi animos arctius conſtringeret. Senſus ergo eſt quod ad participationem huius æternæ felicitatis tam Gentes q̃ Iudæi hoc eſt omne mortalium genus pertineat, modo Chriſto fidat, in hunc ſperet, & talem ſibi à deo datum credat qualem dedit, aceruũ ſcilicet omniũ bonorũ, à quo petenda

Ordo quo abſoluũtur ſancti.

ſint quæcũq; ad ſalutẽ ſint neceſſaria. His per occaſionẽ quandam addit ordinẽ quo iuſtificantur et abſoluuntur ſancti, ſiue rationẽ uocare malis qua ſuſcipitur Chriſtus et fit nobis aceruus omniũ bonorũ. Primo prædicatur uerbũ euangelij, deinde prędicato creditur. His accedit obſignatio ſancti ſpiritus. Sequitur autẽ laus glorię dei & inſignis gratitudo. Hæc in genere diximus iam ut ſpeciatim ſingula explicemus. Principio diſerte & pulchre prędicationẽ euangelij binis exornauit epithetis. Nam et uerbũ ueritatis et euangelium ſalutis appellauit. Nam & ueritas diuina & ſalus æterna magno & felici cum auſpicio prædicatur nobis. Nemo de hac dubitet. Certa ſunt quæ referuntur nobis de parta ſalute per Chriſtum, deq; ſanctimonia & diſciplina uitę ſancte cuſtodienda, item quæ promittuntur de hæreditate futuræ uitæ. Quotquot ergo ſacro ſanctam euangelij prædicationẽ uel erroris uel hæreſeos inſimulant, quotquot ne prædicetur hominibus ſeſe uel uafris ac ſubdolis cõfilijs opponunt uel carcere igne & ferro in expugnationem ueri proruunt, non modo dæmone prognatos ſe et mendatiorum propugnatores eſſe ſed et æterna ſalute excidiſſe palàm teſtantur. Deinde non ſatis eſt audiſſe uerbum euangelij niſi & credamus. Fides porrò ea donum dei ac iuſtitia eſt. Sequitur hanc obſignatio de qua in cæteris Pauli apoſtoli epiſtolis ſæpe diximus. Paraphraſtes de hac ipſa egregie, Amputata inquit præputij pellicula, ſignum eſt quo Iudęum ab Ethnico dignoſcas: at euangelij ſignum latius patet, neq; corpori imprimitur, ſed animo. Hoc ex æquo obſignantur omnes cuius cuius nationis fuerint qui doctrinam euangelicã amplectentes credũt illius promiſſis. Idem in Annotatis, Obſignati eſtis, ait, quemadmodũ tabulas obſignamus in pactis &c. Hanc obſignationẽ qualis ſit clarius explicans, Spiritus promiſſionis ſanctus inquit illud eſt ſignaculum quo obſignati eſtis. Promiſſionis autem ſpiritũ hoc eſt promiſſum ſpiritũ uocauit propter frequẽtia prophetarum teſtimonia, item propter ampliſſimas Chriſti de ſpiritu ſancto promiſſiones. Notiſſimi ſunt loci Iſaiæ 44. Ioẽ-

Actorũ.

lis 2.

lis 2. Ezech.36.Ioan.7.14.15.& 16. item Acto.2. Sequitur usus fructus & uis spiritus sancti signaculi scilicet nostri. Qui est arrabo ait, hæreditatis nostræ. Hoc est spiritus sanctus in certum datus est nobis argumentum quod certo simus æternæ hæreditatis, hoc est uitæ futuræ hæredes. Solius ergo spiritus officium & uirtus est certificare corda de certa salute. Sacramenta conscientias cultorum non nisi suo more certificant. Latini porrò inter arrabonem & pignus authore diuo Hieronymo, sic discriminant, ut Arrabo futuræ emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum detur, Pignus uero pro mutua pecunia opponatur, ut cum illa reddita fuerit reddenti debitum pignus à creditore reddatur. Iam per interpretationē denuo sequitur, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, id est in redemptionem acquisitionis, hoc est spiritum sanctum dedit nobis in testimonium certissimum quod illam acquisitionem, id est nosipsos quos proprio sanguine sibi ceu in peculium acquisiuit suo tempore redempturus sit & sibi uindicaturus quātumuis crebris & grauibus malis in hoc corpore uexemur. Hæc autem omnia consolationis plenissima sunt, & ideo nobis edisc enda, hoc est cordibus insculpenda nostris. His iam iterum ingerit sæpius repetitam sententiam, In laudem gloriæ ipsius, præscribens scilicet quid nos deceat, hoc est admonens nos nostri officij. De quo iam sæpius diximus.

Quapropter & ego cum audissem eam quæ in uobis est fidem in domino Iesu, & charitatem in omnes sanctos, nō desino gratias agere pro uobis mentionem uestri faciēs in precibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, per agnitionem sui, illuminatos oculos mentis uestræ, ut sciatis quæ sit spes ad quam ille uocauit, & quàm opulenta gloria hæreditatis illius in sanctis.

Officia pietatis euangelio tradita.

Quæ hic commemorat in media expositione, in cæteris epistolis exordij loco præmittit. Non tamen citra caussam certam hæc fiunt. Reficit enim nunc auditores nonnihil oppressos graui illa expositione interim & gratulando & laudando officia Christiana formar, & bona ipsis imprecans ostendit quid sedulo à deo petant, & quod incrementa uirtutum exornent uere fideles. Officia Christiana sunt fides & charitas, perstare in uero, crescere in uirtutibus, & sedulo orare dominum. Ex his manant reliqua omnia. Fides in deum est. Charitas inseruit sanctis omnibus. Imprecans autem ipsis agnitionem dei, indicat fidem puram & spem certam potissimum à deo esse petendam, & augmenta harum uirtutū absoluere sanctificatos. Et sanè in his pergere & sese in exercitio horum quodammodo uincere uera pietas est quæ euangelio traditur. Contextus orationis paulò inuolutior est, cæterum D. Martinus Bucerus Argentoratensis ecclesiæ antistes, cuius in hanc epistolam & docti & copiosi extant Comment. hunc explanans locum obscurum aliâs ad hunc modum illustrauit, Ea propter cum & ego audiuissem qua uos in dominum Iesum fide quaq; dilectione in sanctos omnes estis præditi, non desino gratias pro uobis agere memor uestri in precibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater ille glorioſus aspiret uobis sapientiam & reuelationem ut ipsum cognoscatis illuminatisq; oculis mentis uestræ sciatis quid ex uocatione uestra uobis sperandum sit, & quæ opulentia sit gloriæ hæreditatis quam donauit sanctis. Hæc Bucerus. Iam facile & expositum fuerit cuilibet formas illas loquendi ex Hebraico idiomate Paulo familiares intelligere. Pater ergo gloriæ idem est ac si quis nostrum diceret pater glorioſus. Dicitur autem glorioſus uel cui omnis debetur gloria, uel cuius maiestate, robore & gloria omnia plena sunt. Ita spiritum sapientiæ & reuelationis posuit pro spiritu sapientiam conferente & arcana dei nobis reuelāte, 1. Corinth. 2. Porrò id arcanum reuelat cum ueram dei cognitionem inspirat. Sapientiam confert cum oculos illuminat. Aperit autem allegoriam siue metaphoram cum addit mentis. Sunt enim oculi & corporis & mentis. Cuius uero animus illuminatus est & qui uere agnouit deum, is simul nouit quæ sit spes, id est quanta sit hæreditas quam nos accepturos speramus. Vsurpat enim spem, ut aliâs sæ

pe,pro reſperata, imò per interpretationem ſequitur, Vt ſciatis quàm ſit opulenta gloria hæreditatis illius in ſanctis.Spes enim noſtra hæc eſt quod poſt hanc uitam accepturi ſimus opulentiſſimam & glorioſam hæreditatem quam parauit omnibus diligentibus ſe,1.Corinth.2. Vides autem quod in hac breui & compendiaria expoſitione totius illius euangelicæ doctrinæ pulchre ſibi inuicem copularit fidem,ſpem & charitatem.Ex his enim pendet uera pietas. Verum id neminem turbare debet quod Patrem illũ æternum uocat deum domini noſtri Ieſu Chriſti.Sic enim loquendum eſt propter naturam humanam aſſumptam & diſpenſationis myſterium.Nam quod diuinitatem attinet patre nihilo minor filius eſt.

Et quæ ſit excellens magnitudo potentiæ illius in nos qui credimus ſecundum efficaciam roboris fortitudinis eius quam exercuit in Chriſto cum ſuſcitaret eum ex mortuis, & ſedere fecit eum ad dexterã ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum ac poteſtatem & uirtutem & dominium & omne nomen quod nominatur nõ ſolum in ſæculo hoc ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedes illius, & eum dedit caput ſuper omnia ipſi eccleſiæ quæ eſt corpus illius, complementũ eius qui omnia in omnibus adimplet.

Glorificatio Chriſti noſtra eſt.

Imprecatur & cognitionem potentiæ dei, quam potiſſimum exercuerit pater in filio cum ipſum excitaret ex mortuis, atq; ita redit iterum ad Chriſtum ut huius quoq; gloriam exponat.Hactenus enim de humilitate & morte ſiue redẽptione eius diſſeruit,nũc copioſius de exaltatione & gloria eius diſputat uerbis oñino magnificis utens. Scopus autem omniũ hic eſt,Gloriam Chriſti ſplẽdide tractat,ut nos tanta gloria illuſtri prompte fideremus.Deinde exemplo glorificationis Chriſti oſtendit noſtræ quoq; glorificationis modum. Atq; ita proponitur nobis Chriſtus perfectiſſimus in quo omnis ſit plenitudo & perfectio.D.Ambroſius ad eundem modum hæc intelligens, exemplum ſalutis credentium & gloriæ,inquit,in reſurrectione ſaluatoris conſiſtere profitetur, ut ex ea cognoſcant fideles quid eis promiſſum ſit. Simili enim modo extollentur ſupra cœlos futuri cum Chriſto,ſicut & ipſe dicit,Pater uolo ut ubi ego ſuero & hi mecum ſint & uideant gloriam meam. Tantum Ambroſius.Et certè huc proprie pertinent quę in initio ſtatim horum uerborum leguntur, Imprecor uobis ut agnoſcatis quæ ſit excellens magnitudo potentiæ eius in nos qui credimus ſecundum efficaciam roboris fortitudinis eius quã exercuit in Chriſto,&c. Id eſt,Precor ut agnoſcatis inſigne illud robur in Chriſti reſuſcitatione præſtitum propter nos eſſe præſtitum,nimirũ ut crederemus nos quoque per eandem potentiam excellentem,in morte uiuos fore ſeruãdos,& mortuum corpus in die iudicij excitandum.Genus autẽ dicendi quo utitur his explicandis uehementer ardẽs & amplificum eſt. Negotium enim ipſum eſt arduum & omnem penè ſenſum exuperans. Fides modo iſta capere poteſt. De reſuſcitatione Chriſti plura diximus in 1. ad Corinth.15. Porrò quid ſit ſedere ad dexterã patris alibi ſæpius expoſitum eſt, & hoc loco clariſſimis uerbis explicatur, nempe omni re corruptibili exuta in cœleſti beatitudine agere & ſuper omnia exaltatum pari cum gloria & maieſtate cum patre regnare. Et Dextera locus eſt honoratior apud homines imperij & dignitatis, in ſcriptura quoq; ſalutis ac felicitatis.Non pigebit ſuper hac re uerba aſcribere diui Hieronymi.Is enim hũc enarrãs locum,Per humanam ſimilitudinem,inquit,dei potentiam demonſtrauit:non quo ſolium ponatur & deus pater in eo ſedeat, ſecumq; filium habeat reſidentem, ſed quo nos aliter iudicantem atq; regnantem niſi per noſtra uerba intelligere nequeamus. Et poſt aliquot uerba, Sicut ergo proximum eſſe deo, uel ab eo procul recedere non ſecundum locorum ſpatia,ſed iuxta merita ſentiendũ eſt,quod ſancti iuxta eum ſint, peccatores uero de quibus ait propheta,Ecce qui elongant ſe à te peribunt,ab omni eius uicinia ſubmoueantur.Sic & in dextris uel in ſiniſtris dei eſſe accipiendum eſt,quod ſanctĩ à dextris eius ſint,peccatores uero à ſiniſtris:ſaluatore quoq; id ipſum in euãgelio com-

Sedere ad dexteram patris.

probante

probante cum oues à dextris, hædos uero memoret esse à sinistris. Sed et ipsum uerbum Sedere regni significat potestatem per quam beneficium eis deus tribuit super quibus deus sedere dignatur, quod scilicet regat eos & in cursu suo habeat & ad nutum proprium uaga prius & libera colla conuertat. Hęc Hieronymus. Cæterum disputant hic quidam de ordinibus angelorum, potestatibus scilicet, thronis & dominationibus. Ego ue ro hac uerborum congerie comprehensa crediderim quæcunq; uel in cœlo uel terra uidentur esse momenti maximi. In orbe enim nil uidetur esse maius potentatu, & robore exercitus. Huc illud quoq; facit quod ad enumerationem tandem illam adiecit, Et omne nomen quod nominatur. Nomen em̃ posuit pro ipsa re quæ nomine significatur. Nam & Acto. cap. 4. Petrus dicens, Nec est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat saluos fieri, intellexit nullum medium, rem in orbe nullam aliam hominibus esse datam per quam saluandi sint quàm uirtutẽ Christi domini. Proinde Paulus hoc quoq; loco intellexit per hanc uerborum & rerum congeriem uniuersitatem rerũ in mundo potissimarum, nec mundanarũ modo, sed & cœlestium, dominiũ scilicet omniũ uisibilium rerum & inuisibilium. Iam quod sequitur, Et omnia subiecit sub pedes eius, facit etiam ad explicationem superiorum ut intelligamus quid superiori enumeratione uoluerit, nempe nihil excluſum esse rerum præcellentium futurarum & præsentium uisibilium & inuisibilium quòd non sit potestati Christi subditũ. Subsunt ergo & angelici spiritus, qui primas obtinent in futuro sæculo. Paria his traduntur in 1. & 2 cap. ad Heb. item in 1. ad Cor. 15. & 1. Pet. 3. item Philip. 2. Quod autem omnium cœlestium bonorum participes sint qui Christo fidũt, approbatur illo quod nos membra sumus corporis Christi, ipse caput nostrum. Ecclesiæ enim caput Christus est, qui sua plenitudine totum corpus absoluit perficitq; . Nulla enim est apud nos integritas syncera, at is omnia quæ desunt, in nobis omnibus implet, id est sarcit & perficit. Vnde Paraphrastes non minus pie quàm docte, Atq; quo certiorem nobis faceret spem, inquit, nos quoq; uenturos ad huius gloriæ consortium, eundem sic uniuersis rebus prælatum uoluit esse caput toti gregi credentium, qui sic Christo cohæret ut capiti totum corpus connectitur, nec alterum ab altero potest diuelli. Porrò capitis gloria membris item cæteris communis est, quibus sic præsidet caput ut sua bona transfundat in singula. Nec corpus absolutum est nisi caput accedat, & capiti uidetur aliquid desyderandum, nisi corpus omnibus membris consummatum accesserit, in quę singula sic suas dotes transfundit Christus ut idem impleat oñiat iamq; totus & integer uiuat ac regnet agglutinatis sibi membris omnibus. Tantũ Paraphra. His uero cõfutantur errores aliquot horrendi. Colligũt enim quidam ex his Pauli uerbis, Qui omnia in omnibus adimplet, deum absolute omnia etiam profligatissima scelera operari in nebulonibus turpissimis, cum magis loquatur apostolus de eo quod omnia cœlestia bona quæ desunt nobis unus deus in nobis per Christum adimpleat id est suppleat & perficiat. Docuit enim hactenus Christũ τὸ πλήρωμα id est plenitudinem & illud supplementum esse fidelium, quo scilicet sua infirmitate destituti & plane diuinarum rerum uacui adimpleantur & absoluantur. Alij uero fingunt impijssimũ quenq; Pont. Roma. catholicæ ecclesiæ esse caput. Qua blasphemia nescio si quæ alia possit fingi magis impia. Si uero per caput ecclesiæ intelligunt summum uel generalem episcopum, probent ex scripturis quod iure diuino Romanus episcopus uniuersæ ecclesiæ & omnibus cæteris episcopis sit præpositus. Nos uero ex scripturis didicimus omnes apostolos & uiros apostolicos pari consortio præditos esse honoris & potestatis. Nihil ergo nobis cum Romana illa Romani præsulis monarchia. Dominus simpliciter dixit, Reges gentium dominantur: uos autem non sic. Plura de hac re inuenies in 1. Pet. 5. cap. Hactenus uero demonstrauit quod deus in Christo Iesu se totũ in nos effuderit omnesq; thesauros scientiæ & salutis in ipso nobis aperuerit.

Christus est caput ecclesiæ.

QVOD OMNES HOMINES SINT PECCATORES, iustificentur autem gratis per fidem.

Et uos cum essetis mortui delictis ac peccatis in quibus aliquando CAP. II.

ambulastis iuxta sæculum mũdi huius, iuxta principem cui potestas est aëris qui est spiritus nunc agens in filijs immorigeris, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ facientes quæ carni & menti libebant, & eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri.

Quod breue compẽdium euangelij attinet, & quod satis erat paulò prudentioribus, satis perspicue in primo capite expositum: sed ne salutaris illa lux ulli esset obscura homini quantumuis simplici, significantissime eandem rem dicit sed alio modo proponit. Nam hæc est summa eorum quæ proponit, Omne genus hominum peccato fuit obnoxium, proinde nemo hominum suapte uirtute potuit saluari, imò mortui sunt propter peccatum quotquot ab Adamo nati homines appellãtur. Deus autem nostri misertus filium in carnem misit ut moriens in ipsa uiuificaret nos qui credimus in nomen eius. Quod ergo in 1. cap. expositum est, per Christum nobis peccata esse remissa & æternam uitam collatam, idem hic repetitur, sed alia ratione. Caussæ ibi à parte dei ab electione & gratia eius ductæ sunt, hic ex parte nostra adducuntur quod scilicet sumus filij iræ, quod in delictis & peccatis sumus mortui, quodq; carnis ingenium deprauatissimum sequimur. Hinc enim facile colligere licet cur salus nostra solius diuinæ gratiæ sit & nõ meritorum nostrorum. Sunt autem singula nobis diligentius excutienda. Principio inabsoluta est Pauli oratio, quæ post sententias aliquot uix absoluitur per uerbum conuiuificauit. Sensus enim hic est, Cum essetis mortui delictis & peccatis, deus misericors conuiuificauit uos per Christum. Atq; hæc quidem propositio est quæ per consequẽtia expolitur. Per delicta autem ac peccata intellexit omnis generis uitia ac flagitia. D. Hieronymus inter illa duo uocabula distinxit ut παραπτώματα quasi initia peccatorum sint, cum scilicet cogitatio tacita subrepit & ex aliqua parte conniuentibus nobis necdum tamen nos impulit ad ruinam: ἁμαρτία uero sit cum quid opere consummatum peruenit ad finem, id quod longe grauius est. Ad expolitionem imò expositionem huius faciunt iam cõsequentia, In quibus aliquando ambulastis iuxta sæculum mundi huius. Hoc est, mortui eratis delictis & peccatis quod ambularetis iuxta sæculum mũdi huius: id est quod totam uitam uestram componeretis ad huius mundi ingenium. Id quale sit expositum Ioannes in 2. capite 1. epistolæ dicens, Omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex mundo. Martinus Bucerus, Voluit forte Paulus, inquit, per αἰῶνα, hic exprimere q̃d Hebraice חֵרֶל dicitur, & tempus uitæ præsentis significat, ut ex Psalmo 39. & Isaiæ 38. liquet, ut intellexerit per uiuere secundum sæculum mundi huius uiuere pro cupiditate uitæ præsentis sæculi & temporis quo in hoc mũdo agimus. Qua sanè cupiditate quisq; sua tantum quærit & ad opes dignitatesq; & uoluptates eluctatur, siue id cum commodo siue incommodo proximi fiat, siue modus seruetur siue minus, imò nunquam absq; iniuria proximi & cum modo decenti. Et quæ sequuntur. Quin & huic alia additur expositio per consequentia, Iuxta principẽ cui potestas est aëris qui est spiritus agens in filijs immorigeris &c. Per principem uero aëris potentem, intellexit deum huius sæculi, hoc est diabolũ. Sumitur enim aër pro infima illa regione, ut idem hoc loco polleat quod alibi mundus. Quod ergo aliquando ambulastis, inquit, iuxta ingenium huius mũdi, id quidem dei huius sæculi culpa factum est cui præbuistis mentes uestras excæcandas. Est enim princeps iste spiritus ille nequam, qui uires suas exerit in filijs ἀπειθείας immorigeris siue rebellibus. Et rebellio siue impietas omnium malorum fons est & origo. Ex hac enim est cõcupiscentia carnis, id est corrupta illa natura hominis, quæ nil aliud quàm contra decreta spiritus concupiscit. Et per partitionem sequitur ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν, id est facientes uoluntates carnis & mentium. Sunt enim alia peccata alijs crassiora. Alia enim carnis sunt, ut libido, ebrietas, gula. Alia animi, ut perfidia, hæresis, idololatria. Horum uero omnium stipendium mors est. Vnde sequitur, Et eramus natura filij iræ. Id est, ex quibus omnibus colligere licet quod per uires nostras per naturam nostram ser-

Hyperbaton.

2. Corinth. 4.

uari

uari non potuimus. Corruptissima enim existens euicit nos apud deum esse filios iræ, id est damnationi obnoxios. Nam ira pro ipsa damnatione iusta ponitur, ut ad Roma. quinto. Alij expossuerunt φύσει pro omnino, penitus, uere ac proprie: sed prior sensus uidetur esse simplicior. Atq; ex hoc peccatorum, id est, perditorum numero neminem excluſum esse innuit cum subinde & se & alios huiusmodi esse inculcat. Primo enim, inter quos & nos omnes, ait, conuersabamur aliquando. Deinde, Quemadmodum & cæteri inquit. Neminem ergo excipit. Relinquitur ergo notissimum quod totum genus hominum corruptum adeò non potuerit sua natura suisq; ad uitam amissam eluctari uiribus ut potius his se in æternam coniecerit damnationem, in qua & hæreat & perplexum in desperatione lugeat. Hæc fusius tractata sunt in 1. & 2. cap. ad Roma. Qui autem hæc omnia legerint animoq; inspulserint diligentius minus sibi arrogabunt sanctimoniæ. Iactitant quidam suarum esse uirium quod pœnitere & ad uitam possint ingredi, sed hi nihildum in uera philosophia profecerunt quæ candidatis id initio proponit, Nosce teipsum. Breuiter, Natura sumus filij iræ. Proinde per gratiam confertur nobis salus & uita in Christo, unde iam sequitur.

Sed deus qui diues est in misericordia propter multam charitatem suam qua dilexit nos etiam cum essemus mortui per delicta conuiuificauit nos unà cum Christo (per gratiã estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Iesu, ut ostenderet in sæculis superuenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per Christum Iesum.

Salutis negotium.

Cum inquit actum iam esset de communi hominum salute, neq; ulla spes esset fore ut morte condemnati uiuerẽt unquam, deus qui natura bonus ac benignus est diues in misericordia ex gratuita illa clementia & charitate in nos sua per filium suum nos mortuos restituit uitæ. Idq; non merito nostro aut bonis prouocatus operibus fecit, sed gratis. Atq; hic iam repetuntur quæcunq; huius generis de redemptione per Christũ in 1. cap. dicta sunt. Sed & modus & ratio salutis ac uitæ ostẽditur, nempe quod per mortem Christi indebitam à cõmerita morte simus liberati, imò & per resurrectionem eius uitæ restituti. Nam cum Christũ excitauit è mortuis pater, utiq; & oñia membra eius cũ ipso excitauit. Hoc est certam nobis omnibus spem indidit quod & nos & corpora nostra restituenda sint suo utiq; loco & tempore, & quod æternũ uictura sint in cœlis omnis iam corruptionis expertia & solide beata. Et D. Hierony. hunc locum exponens, Præteritis inquit usus est pro futuris, idq; eius rei gratia ne quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet & uacillet, ea quę deus futura cognouit apud quẽ nihil ambiguum est quasi iam facta memorantur: ut, quia præterita secundũ philosophos quoq; fieri infecta non possunt, qui audierint quasi iam facta habeant quæ futura sunt. Et quæ sequuntur. Præterea ne quis obijceret, Quid uero mea retulerit aut quid profuerit quod ante aliq̃t sæcula Christus præclara quædã fecit & dira quædã passus est? adijcit, Id factũ est ut superuenientibus sæculis ostenderet eminentẽ opulentiã gratiæ suæ. Hoc est, semel uoluit deus Christo in mundum misso declarare q̃ impense amaret genus mortaliũ, & quo uel let illud erga se animo esse prẽditũ, nempe optimo & spei plenissimo, quod uidelicet sua illa benignitate charitateq; qua Christũ cõplexus est uelit omnes sibi per Christũ fidentes complecti. Alij uero hunc locum exponunt de reuelatione gloriæ in futuro sæculo. Nam Paraphrastes, Per Christum, ait, habemus communiter quicquid habet ille caput nostrũ, ac nũc spe possidemus quicquid sumus mox reipsa possessuri. Idq; ita uisum est illi, quo tempore resurrectionis (in fine uidelicet sæculi) cum apparebũt illius promissa, declaret cumulatissimam beneficentiam suam quam pro sua gratuita benignitate uoluit effundere in nos non ob benefacta nostra, sed ob merita Christi Iesu. Sequitur ergo.

Cur scriptura præteritis utatur pro futuris.

Gratia enim estis seruati per fidem idq; non ex uobis, dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, nam ipsius sumus figmentum con-

diti in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit deus ut in eis ambularemus.

Sola gratia dei per fidem iustificamur.

Significantissime & ueluti per epilogum iam exprimit quod salus nostra gratiæ dei & nequaquam operibus nostris debeatur. Sæpius enim iterandum est quod oportet altissime infixum esse pectoribus humanis. Equidem ut quod uerum est dicam uix alium locum in Paulo inuenias in quo & breuius & euidentius adde & plenius exposuerit rationem salutis nostræ. Diligenter ergo obseruandus & fideli recondendus est memoria. Et cum multa non egeat expositione quod per se sit planissimus nos tantũ perstringemus eum. Per gratiam ergo aliud nihil intellexit quàm diuitem illam dei misericordiã & charitatem copiosam de qua iam iam uerba fecerat, & de qua D. Ambrosius elegãter & pie, Hæ ueræ, inquit, diuitiæ sunt misericordiarum, ut non quærentibus ultro misericordia præstaretur ficut dicit Isaias, Palàm factus sum non quærẽtibus me. Hoc enim est abundare misericordia, ut non postulantibus tribuatur. Hæc tamen charitas dei est erga nos, ut quia fecit nos nolit perire nos. Diligit enim opus suum. Ideo enim fecit, ut amaret q̃d fecit. Nemo enim laborem suum odio habet. His Ambrosij uerbis congruunt illa quæ legimus 3. capite epist. ad Titum, Postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri dei non ex operibus quæ sunt in iustitia quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Christum. Cæterum gratia hęc dei per fidem à nobis percipitur. Hinc enim additur, Per fidem: non quod fidei tanquam operi nostro salus tribuatur, sed quod fides (quod & in Roma. epistola monuimus) totum tribuat diuinæ miserationi. Et sanè fides donum dei est, non nostrarum uirium opus. Vnde iterum additur, Idq̃ non ex uobis, donum dei est. Nam in 2. ad Corinth. 3. cap. idem Paulus, Non inquit idonei sumus ex nobisipsis cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Et in 11. cap. ad Romanos, Quod si per gratiã saluati sumus ait, iam nõ ex operibus, quandoquidẽ gratia iam nõ est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia. Quãdoquidem opus iam non esset opus. Item ad Galatas 3. Si ex lege est hæreditas, iam non est ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionem donauit deus. Imò ne quis ulli operũ generi iustificationem tribueret, omnis generis opera iam palàm excludens iterum superaddit, Non ex operibus, ne quis glorietur. Audis nolle deum ut in aliquo ueluti de nostro gloriemur. Quid enim habes (alibi ait Paulus) quod non accepisti? Quod si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Similia his legis & in 3. & 4. cap. ad Roma. Ieremias quoq; in cap. 9. quem & in 1. ad Corinth. 1. cap. citauit Paulus, Non glorietur ait sapiens in sapientia sua, neq; glorietur fortis in fortitudine sua, nec glorietur dives in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, si intelligat & cognoscat me, quoniam ego sum dominus qui facio beneficentiam, iudicium & iustitiam in terra, & hæc sunt quæ ego desidero, dicit dominus. Et Paulus ad Galatas, Absit ut glorier, inquit, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Idem ad Rom. ait, Vbi igitur gloriatio? ait, Excluſa est. Per quam legem? Operum? Non, imò per legem fidei. Vnde certo colligimus iustificari hominem absq; operibus legis. Et quæ sequitur ratio causſam item ostendit cur gratiæ per fidem tantum adscribatur salus, & non nobis. Nam ipsius sumus figmentum, conditi in Christo Iesu ad opera bona &c. Id est, quod uiuimus quod spiramus (ut ait Hierony.) quod intelligimus & credere possumus, ipsius est quia ipse conditor est. Cur ergo figmentum siue lutum eleuaret se erga figulum à quo habet quicquid est? Iam quod conditos nos dicit in Christo Iesu ad opera bona, exponit ipse dominus in euangelio dicens, Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Omnẽ palmitem in me non ferentem fructũ tollit, & omnem qui fert fructum purgat ut fructum copiosiorem afferat. Et sicut palmes non potest fructũ ferre à semetipso nisi manserit in uite, sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructũ multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si qs in me nõ mãserit eiectus est foras sicut palmes & exaruit &

colligunt

colligunt & in ignem conijciunt & ardent. Habes quid fit quod dicit nos in Chriſto Ieſu conditos eſſe ad opera bona: habes item quæ ſint uere bona opera, quæ ſcilicet ad exemplum Chriſti per fidem ſiue uirtutẽ Chriſti fiunt, non quæ ipſi nobiſipſis fingimus. Iam quod ſequitur, Quæ præparauit deus ut in eis ambularemus, dilucide quoq; exponitur in euangelio, dicente domino, Quis ueſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem qui regreſſo ab agro dicat, Statim tranſi & accũbe: ac nõ potius dicit illi, Para quod cœnem ac præcinge te & miniſtra mihi donec edero & bibero & poſt hæc edito aut bibito tu? Num gratiam habet ſeruo illi, qui fecit quæ ei imperata fuerant? Non puto. Sic & uos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Proinde cum conſtat nos conditos & obligatos eſſe ad opera bona, nil habemus quod propter illa gloriemur. Tollitur ergo omnis gloriatio, omnis inquam ſpes operum & meritorum noſtrorum: contra uero ſola dei gratia extollitur, quæ per fiduciam meritorum noſtrorum euacuatur, quemadmodum audiuimus in 2. & 5. cap. ad Galat. Reſpondetur his quoq; illis qui fidem quandam iactitant, operibus uero deum negant. Non enim ideo conſequitur omnia opera bona ueluti inutilia eſſe exploſa quia ſola fide iuſtificantur fideles. Nam fides per dilectionem efficax eſſe debet. Neque uera fides fuerit niſi fructus quoq; bonos tulerit. Interim non omnia opera quæ bona uocãtur bona opera ſunt, ſed quæ præparauit deus ut in eis ambularemus. Sed tum ambulamus in ijs operibus bonis ad quæ præparauit deus cum Chriſto per fidẽ inſiti per charitatem ſeruimus inuicem, & per patientiam ueſtigia ipſius imitantes crucem nobis impoſitam forti animo portamus, cum innocentia uitæ nos approbamus deo. Proinde duplex hic error confutatur, tam eorum qui operibus noſtris tribuunt iuſtitiam, q̃ eorum qui opera à fide ſeparant, opinionem quandã iactitant & impie uiuunt. Media uia nobis retinenda & ad dextram uel ſiniſtram nequaquam inclinandum. Itaq; ſimpliciter confitendum eſt, quod per fidem ſola dei gratia ſaluemur, Chriſtiq; domini exemplum imitantes charitati & innocentiæ ſtudendum, deo item perpetuæ offerendæ ſint laudes, non ut per hæc ſaluemur, ſed ut pro ſalute per Chriſtũ parta grati ſimus deo, quem certo nouimus ſanctis propitium impijs uero prorſus eſſe iratum. Iccirco cum in ſacris literis uidetur ſalus noſtra aſcribi operibus noſtris bonis, non propter merita id noſtra fit, ſed propter gratiã. Ponitur eñ remotius pro propinquiore. Vnde & D. Aur. Auguſt. in lib. de gratia & libero arbitrio ad Valent. cap. 8. quęrit, Si uita æterna bonis operibus redditur ſicut apertiſſime dicit ſcriptura, Quoniam deus reddet unicuiq; ſecundum opera eius, quomodo gratia eſt uita æterna, cũ gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur? Et poſt aliquot uerba reſponſionem ſubiungẽs, Iſta ergo quæſtio, ait, nullo modo mihi uidetur poſſe diſſolui niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra quibus æterna redditur uita, ad dei gratiã pertinere, propter illud quod ait dominus Ieſus, Sine me nihil poteſtis facere. Et ipſe Apoſtolus cum dixiſſet, Gratia ſalui facti eſtis per fidem. Et quæ ſequuntur.

De fide & bonis operibus.

Iacob. 2.

Vita æterna quomodo tribuatur meritis noſtris.

DE VOCATIONE GENTIVM ET VNA omnium ſanctorum eccleſia.

Quapropter mementote quod uos quondam gentes in carne uocabamini præputium ab ea quæ uocatur circũciſio in carne, quæ circumciſio manibus fit, quod inquam eratis in tempore illo ſine Chriſto, abalienati à republica Iſraëlis, & extranei à teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes deoq; carentes in mundo.

Gratia dei exuberans in Gentes.

Amplificat nunc præclaram illam dei gratiam de qua hactenus diſſeruit. Huic autem uelut antitheſi quadam opponit priſtinam illam gentium hoc eſt Epheſiorum conditionem. Hactenus quidem in genere diſputauit de gratia dei, nunc ſpeciatim de gratia Gentibus præſtita ſcribit, docens illam etiam ad has pertinere. Simul autem has & ad humilitatem & gratiarum actionem prouocat. Nam hic eſt uerborum Pauli planiſſimus ſenſus. Vt autem planè intelligatis quanta ſit illa dei gratia quã toti mundo deus pater per

filium unigenitum innoteſcere uoluit,uobis in primis ethnicis, ipſi apud uos expendite ô Epheſij,quales olim fueritis & quales nunc poſt datam fidem eſtis. Deprehendetis enim beneficium dei inæſtimabile. Nam quondã eratis ſine deo & ſpe uitæ æternæ,utpote impij & gentes prophanæ: nunc uero deum eſtis nacti patrem & Chriſtum ipſum dei filium in uitæ æternæ pignus. Per hunc enim recepti eſtis in ſanctorum numerum. Hęc ſummatim perſtrinximus, Singulas autem partes ipſe Paulus copioſius expoſuit, & primo quidem quales aliquando fuerint, deinde quales nunc ſint, hoc eſt quàm efficax ſit gratia domini. Ea nos leui manu nunc perſtringemus. Principio autem liquet ex ſacra hiſtoria circumciſionis appellationem honorificam, præputij autem fuiſſe probroſam. Nam 1. Samuelis 17. de Goliath Getheo loquens Dauid cum contemptu maximo, Et quis, inquit, eſt ille Philiſteus incircumciſus, qui contumelijs afficit acies dei uiuentis? Itaq; incircũciſum aut præputiatum eſſe probro reputabatur à ſancto dei populo. Nam & filij Iacob Gene. 34. Non poſſumus aiunt, ſororem noſtram dare uiro qui habet præputium. Nam id nobis opprobrio eſſet. Paulus ergo Vocabamini dicit præputium à circumciſis. Quod autem carnis interim meminit & circũcifionis quæ manibus fit, occulte & in tranſcurſu ſignificat ſpiritualem & carnalem eſſe cum Iſraëlem tum circumciſionem, id quod & ad Roma. 2. cap. idem annotauit & clarius expoſuit. Et Hierony. hunc in locũ Pauli annotauit quod in multis alijs ſcripturæ locis poſſit eſſe uſui, nempe quadrifariam diuidi Gentes & Iudæos. Alios enim carne & ſpiritu circumciſos eſſe, ueluti Moſen, Aharonem, Apollos & Nathanaelem, de quo dominus dixit, Ecce uerus Iſraelita in quo non eſt dolus. Alios uero nec carne nec ſpiritu eſſe circumciſos, qualis fuit Pharao & Barbarárum gentium innumerabilis multitudo. In tertio loco eſſe qui cum carne circumciſi ſint ſpiritum tamen habeant incircumciſum, quales olim fuerint ad quos propheta dixit, Circumcidimini deo ueſtro & nolite circumcidere carnem præputij ueſtri. Et alibi, Omnes gentes incircumciſi carne, domus uero Iſrael incircũciſi corde. Extremos autem carne quidem incircumciſos, at ſpiritu eſſe circũciſos. Et huiuſmodi quidem plures fuerunt apud Gentes. Talis enim fuit quondam Melchizedek, Abimelech, Iethro ſocer Moſis, & innumeri alij. Cæterum cum minima pars Gentilium cor gereret circumciſum, præterea & ſecundum carnem, id eſt ritum externum omnes eſſent pręputiati, probroſa & communi appellatione à Iudæis cognominati ſunt præputiũ. At Paulus occulte interim taxans Iudæos, Sed nec Iudæi, ait, mihi hac parte uidẽtur quicquam uobis præſtare. Circumciſi enim ſunt circumciſione quæ manibus fit. Atqui neceſſe eſt ut ſpiritus omnesq; animi affectus ſint circũciſi. Sine Chriſto item dicuntur fuiſſe Gentiles, non quod Chriſtus, hoc eſt ſaluator ac redemptor ipſis non ſit promiſſus. Palàm enim Abrahæ promiſit dominus, In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. Et propheta, Ipſe, inquit, erit expectatio gentiũ. Sed & Rahab & Ruth ethnicæ mulieres numerantur in catalogo generis Chriſti apud Matth. in ca. 1. Proinde ſine Chriſto dicunt fuiſſe Gentiles, ideo quod Iudæis peculiariter promiſſus eſt. Tametſi eñ Gentibus quoq; promiſſus ſit, quod ſcilicet eſſet illos liberaturus, Iudæis tamen promiſſus eſt quod ex ipſis eſſet carnem aſſumpturus, & his ueluti peculiariter mittendus. De qua re dicitur & Roma. 9. & 15. & Matthæi 15. Hinc autem liquet myſteriũ Chriſti Iudæis ante incarnatum dominum non fuiſſe incognitum. Nam de Abraham dixit dominus, Abraham uidit diem meum & gauiſus eſt. Et prophetæ tanta luce & uerborum ſententiarumq; maieſtate prophetarunt de Chriſto, ut dubitare non poſſimus totum Iſraeliticum populum ab iſtis inſtitutum probe agnouiſſe Chriſtum. Apud Gentes uero non fuit illius cognitio tam uulgaris, hinc dicuntur fuiſſe ſine Chriſto. Interim negari non poteſt plurimos Gentilium placuiſſe deo, quum autem ſine Chriſto nemo placeat deo, conſequens eſt quod ne illi quidem oñino ſine Chriſto fuerint, tametſi forſan (ut & Bucerus unà cum multis ſanctis & doctis uiris ante me dixit) quà ille ratione eſſet uenturus & omnia inſtauraturus parũ diſtincte noſſent. Itaq; nemo omniũ qui ſaluatus eſt unq̃ ſine Chriſto ſaluatus eſt. Et Iſraelitę quoq; ipſi in modo redẽptionis Chriſti nõ omnia examuſſim & diſtincte uiderũt, nulli tamen ſine Chriſto ſalutem conſecuti ſunt, quanq̃ & alteri alteris

Diſcrimen Iudæorũ & Gentium.

clarius

clarius id negotiũ ex typis & prophetijs item reuelatione ſpiritus intellexerũt. Quod autem ſequitur, Abalienati à republica Iſraëlis, & extranei à teſtamentis promiſſionis, in duo quidem membra diſſectum eſt, ſed eandem rem ſignificant utraq;, niſi quod poſterius exponit prius. Habet hoc alluſionẽ ad ius & dignitatem urbis, quod Germani uocamus *Burgrächt*. Ergo quos hic abalienatos ἀπηλλοτριωμένους, id eſt alienos à ciuilitate ſiue republica Iſraëlis, ut noſter interpres uertit, appellauit, eos ipſos paulò poſt per interpretationem ξένους, id eſt hoſpites & extraneos à teſtamẽtis promiſſionis uocitat. Aequipollent ergo abalienati & hoſpites ſiue extranei, reſpublica item Iſraëlis & teſtamentũ promiſſionis. Habent urbes ſuas leges & priuilegia ſua, his modo fruuntur ciues nati & qui ciuitate donati ſunt, hoſpites non itẽ. Ita & populus dei Iſraëlitæ uidelicet ſoli habebant teſtamenta, conſtitutiones, & oracula, denicq; promiſſiones dei, Gentes non itẽ. Id quod in Deute. cap. 4. & 7. multis uerbis à Moſe oſtenditur, & à propheta in Pſal. 147. hiſce uerbis notatur, Qui annunciat uerba ſua Iacob, ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraëli, Non fecit taliter ulli genti, neq; cognouerunt iudicia eorum. Et in Actis apoſt. 3. cap. Petrus ad Iſraëlitas, Vos, inquit, eſtis filij prophetarum ac teſtamenti quod teſtatus eſt deus erga patres noſtros. Ex cognitione autem Chriſti ac promiſſionum exiſtit ſpes futuræ uitæ & reſurrectionis, cęterum cum Gentes ſine Chriſto & alieni à republica Iſraëlis fuiſſe dicantur, nil mirum ſi dicantur & ſine ſpe fuiſſe in hoc mundo. De hac ſpe locutus eſt Paulus in Actis apoſtolorum cap. 24. & 28. Poſtremo ἄθεοι Græcis dicuntur, quos Germani uocamus *Gottloß*, qui nullum credunt eſſe deum, iam & ſi credant, non tamen talem credunt qualis eſt. Et ſanè quotquot ſine uero uiuo & æterno deo ſunt recte deo carere dicuntur. Plura de hac re ſcripſit Oſeas in 2. *Roma. 9.*

Nunc autem per Chriſtum Ieſum uos qui quondam eratis longinqui propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit ex utriſq; unum, & interſtitiũ maceriæ diruit, ſimultatem per carnem ſuam legem mandatorum in decretis ſitam abrogans, ut duos conderet in ſemetipſo in unum nouum hominem faciens pacem, & ut recõciliaret ambos in uno corpore deo per crucem perempta inimicitia per eam, & ueniens euangelizauit pacem uobis qui procul aberatis & ijs qui propè.

Nunc exponit copioſiſſime quomodo Epheſij recepti ſint in numerum populi dei, hoc eſt, quales nunc ſint poſt collatam gratiam, item quomodo beneficium toti mundo præſtitum ipſis quoq; communicatum ſit, quid contulerit Chriſtus, & quomodo ipſos communioni omnium ſanctorum inſeruerit. Primo autem in genere ſummã totius rei paucis uerbis proponens, nunc autem per Chriſtum Ieſum inquit qui quondam eratis longinqui propinqui facti eſtis per ſanguinẽ Ieſu. Alluſit autem hiſce uerbis ad oracula prophetarum, Zachariæ in primis, qui in cap. 10. In longinquis, inquit, recordabuntur mei, & uiuent cum filijs ſuis & reuertẽtur &c. Senſus ergo eſt, Qui hactenus non fuiſtis populus dñi, iam eſtis populus domini. Modus quoq; indicatur per quem iſtud partum eſt, Per ſanguinem, id eſt mortem & ſacrificiũ Chriſti, non per merita ueſtra. Secundo fuſiſſime per expolitionem hanc ipſam ſummã in conſequentibus exponit. Ipſe inquit eſt pax noſtra. Id eſt Chriſtus ille eſt qui ueluti ſequeſter inter Iudæos & Gentes pacẽ fecit. Sequitur enim per interpretationem, Qui fecit ex utriſq; ſcilicet populis unũ, nempe populum. Hanc ipſam ob cauſſam Chriſtus & lapis angularis dicitur. Nam ut angularis lapis duos coniũgit parietes, ſic Chriſtus ex Iudæis & Gentibus unum facit populũ. Præterea modum oſtendit per quem id pararit, Et interſtitium, inquit, maceriæ diruit. Dixit autem, τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ interſtitium ſepis pro ſepe dirimente. Quod enim dirimit ædes ab ædibus μεσότοιχον uocatur. Cæterum alluſit ad uerba Moſis Geneſeos 38. quæ in hanc propè ſententiam leguntur, Factum eſt autem in tempore partus Thamar,

Vnus populus, una eccleſia Iudæorũ & Gentium.

Locus Gen. 38. cap. expoſitus.

& ecce gemelli in utero eius. Et factum est cum pareret quod unus proferret manum, & obstetrix accipiens coccinũ alligabat manui eius, dicens, Iste primus egressus est. Cumq; hic reduceret manum suam, ecce egressus est frater eius. Dixitq; illa, Quare diuisisti super te diuisionem? & uocatum est nomen eius Pharez. Postea uero prodijt & frater eius Zærah. Hæc autem per allegoriam intelligenda sunt. Vterq; enim populus in uno continetur utero, in una societate, adeoq; Gentes & Iudæi gemelli sunt. Ex illa uniuersitate primo producitur in lucem Zærah, typus populi Iudaici qui nititur operibus, & primo in peculium à deo delectus est. Et hic manum profert operis instrumentum, sed & huic circumligatur coccinũ, typus Leuitici & sanguinarij sacerdotij. Indicabat hoc quomodo peccata forent expianda per sanguinem Christi, at non ipsum externis sacrificijs expiabat. Et prior hic populus cruentam cæde prophetarum & Christi manum retrahebat, locumq; dabat posteriori populo Gentilium. Erumpit hic & colit deum: interim & interstitium siue diuisio disrupta, hoc est sublatum est id quod inter Iudæos & Gentes simultatem alebat, ceremoniæ uidelicet & circumcisio, adeò ut hic populus Gentilium uidelicet nomen acceperit à ruptura. Nam Christiani à Gentilismo conuersi ad fidẽ Christi apud Iudæos male audiebant quasi prophani & sacrorum essent temeratores. Posteaquam uero circumcisio antiquata, ceremoniæ abrogatæ, & templum Iudaicum esset subuersum, Gentes item in fidem susceptæ, tandem uero & Zærah in lucem prodijt, id est post uocationem & plenitudinem Gentium intrabũt & Iudæorum reliquiæ. Cæterum ex hac allegoria, quam rudi adumbrauimus Minerua, citra negotiũ intelligis quid per interstitium sepis intellexerit Apostolus, circũcisionem uidelicet legalia & ceremonias.

Abrogata sunt legalia.

Quemadmodum ergo medium aliquem in ædibus parietem aliquis diruens ex diuersis & duabus partibus unam facit domum: ita Christus abrogans legem quæ inter Iudæos & Gentes dirimebat ex duobus populis unũ fecit. Proinde ut intelligeremus quid proprie per interstitium sepis adumbrasset, legalia nimirum, subiungit, Simultatem per carnem suam abrogãs. Quid enim aliud uocauit simultatem quàm ipsas simultatis caussas ex quibus uidelicet oriebatur mutuum utriusq; gentis odiũ, legem? Sequitur enim, Legem mandatorum in decretis sitam abrogans. Proinde diruere abrogare est, & interstitium illud, simultas hæc non alia est quàm ipsa lex mandatorum, non quælibet tamen, sed in decretis sita. Nemo enim nescit amorem dei & proximi, fidem sanctam, obedientiam iustam, iustitiam ueram, pietatem synceram, & studium integritatis ardens nõ esse abrogatũ, sed legalia modo. Et illa quidem uerissimæ erant mutui odij caussæ. Dogmata ergo & decreta illas externarum rerum constitutiones & obseruationes intellexit, de quibus & ad Colos. 2. cap. disseruit. Ea autem abrogauit per carnem suam, siue per sanguinem suum, hoc est per sacrificium corporis sui, quo oblato cessarunt omnes umbrę, cessauit oĩs effusio sanguinis. Vnica enim hostia Christi absoluit sanctificatos in sempiternum, ut alijs non sit opus, dicente ad Hebręos eodem Apostolo cap. 10. Cum igitur fratres habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu &c. Post hęc demum sequitur in quem finem ea abrogarit & quod sensum absoluit, Vt duos conderet in semetipso in unum nouum hominem. Id est, ut per sui corporis hostiam ex duobus populis unum faceret, qui in nouitate uitæ ambularet. Ita uides unam atq; eandem rem subinde clarius, sed alijs atq; alijs exponi sententijs. Hoc nisi diligenter expendas, obscurissimus uidebitur non in hoc tantum loco, sed in tota hac epistola Paulus. Colligimus autem ex hoc loco unam atq; eandem esse Iudæorũ & Gentium ecclesiam. Nihil enim mutatum in illa nisi decreta, sublatum est interstitium & Gentes intromissæ sunt, nec eiecti sunt Iudæi, nisi qui interstitium hoc opponentes in consortio innouatæ ecclesiæ noui homines esse noluerunt. Vetera quidem sunt circumcisio & ceremoniæ Iudaicæ, idolatria & auita Ethnicorum superstitio. Hæc ad crucem Christi nudam abijcienda sunt utriusq;, induendus autem Christus, hoc est fide innouandus & imbuendus animus ut hic norit non in circumcisione, non in ceremonijs, non in meritis, non in cultu idolorum, non in superstitione patrum, sed in cruce domini nostri Iesu Christi esse uitam & salutem omnium credẽtium. Hic enim solus est cuius gratia nobis iratus pater placatus est.

est. Iam enim sequitur quomodo per Christũ obtigerit pax apud deum uniuerso mortalium generi, hoc est quomodo deus mundo per crucem Christi reconciliatus sit. Ambos inquit in uno illo corpore, id est utramq; gentem in unum prius redactũ populum demum reconciliauit deo, id est omnes credentes tam Iudæos quàm Gentes reconciliauit deo, idq; per crucem, id est, per hostiam corporis sui in cruce peractã, Colos. 1. Itaq; inimicitia quæ erat inter deũ & homines per eam uidelicet crucem sublata penitus euanuit. Pulchre ergo D. Ambrosius, Sublata inquit inimicitia morte sua Christus prius populos inter se reconciliauit, deinde deo patri pacificos fecit, ut homines naturę unius, quia diuersi facti fuerant per errorem, membra efficerentur unius corporis noui, cuius caput Christus est. His iam addit quod dominus euangelica prædicatione hoc salutis negotium uoluerit innotescere omnibus. Dicit enim, Et ueniens euangelizauit pacem uobis qui procul aberatis & ijs qui prope. Id quod nemo sic intelligat quod Christus Gentibus prædicarit euangelium, qui fuit apostolus circumcisionis, sed quod apertis significauit uerbis etiam Gentes hac fruituros pace, & has ad illam pertinere felicitatem. Disertis enim uerbis discipulis suis mandauit, Docete omnes Gentes. Item, Prædicate euangelium omni creaturæ. Cæterum quod pro more suo propinquos uocat Iudæos longinquos Gentes, id quidem sumpsit ex 57. cap. Isaiæ.

Christus nõ homines modo sibijpsis conciliauit, sed hominibus deũ quoq; reconciliauit.

Quoniam aũt per illum habemus aditũ utriq; in uno spiritu ad patrem, iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorum ac domestici dei, superstructi super fundamentum apostolorum ac prophetarum summo angulari lapidi ipso Iesu Christo, in quo quæcunq; structura coagmentatur ea crescit in templum sanctum in domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum dei per spiritum.

Per Christũ habemus aditũ ad patrem.

Colligit nunc uela & ueluti ex præmissis infert illationem. Quasi dicat, Proinde cum certo nobis omnibus liber ad deum obtigerit accessus per Christum, necessario consequitur uos Gentes quæ hactenus fuistis alieni à republica Israëlis & testamẽtis promissionis receptas esse non modo in ciuium sed ipsius quoq; dei consortium, nimirum ut subinde sanctis gliscẽtes auctibus sanctus & deo placens efficiamini populus. Atq; hæc quidem omnium summa est ad eum relata scopum, de quo paulò ante diximus, quod Apostolus Gentibus demonstrare uelit etiam ipsas euangelicæ felicitatis esse participes. Cæterum utitur etiam hoc loco copioso & ueluti Asiano redundantiq; genere dicendi per singula propè uerba ludens occulta scripturarum expositione, mysterijs & omnigenis figuris. Et προσαγωγὴν aditum siue accessum illam uocauit fiduciam qua audemus ad numen ipsum olim quidem iratum, at nunc cõmitigatum per filium uelut ad patrem benignissimum accedere. Allusit autem ad introductionem qua quis solet introduci in conspectum principis. Confutantur uero stulti diuorum cultores hisce Pauli clarissimis uerbis. Audiunt enim cuius proxenetæ aut intercessoris fauore, beneficio & conciliatione peccatores audeant prodire in conspectum dei altissimi, Christi scilicet domini, non ullius creaturæ. Atq; hoc ipsum docet & testatur in omnium piorum cordibus diuinus ille & unicus spiritus qui hanc fiduciam inspirat omnibus. Qui ergo hunc spiritũ non habent, per alios intercessores ad deum eluctãtur, sed non placet deo quod ab ipsius spiritu non proficiscitur. Sanctus ille dei & sanctorum spiritus in piorum cordibus clamat Abba pater: hic eiusdem semper ab initio genij fuit in omnibus sanctis. Proinde contra communem ecclesiæ sensum docuerunt qui per alios q̃ per unicum Christum docuere aditum patere ad patrem. Quod sequitur, Iam igitur non estis ξενοὶ καὶ πάροικοι ἀλλὰ συμπολῖται hospites & incolæ qui aliunde in hanc urbem commigrarunt, sed conciues, ijs opponit per antithesim quæ paulò ante sic extulerat, Mementote quod quondam eratis sine Christo abalienati à republica Israëlis &c. In eadẽ enim allusione adhuc perstat, nec tamen aliud significat quàm Gentes per Christum mundatas in consortium dei, salutis, promissionum, & in omnem hæreditatem cœlestem esse receptas. Domestici enim

dei sunt qui pertinent ad familiam dei, qui sunt filij familias & hæredes. Porrò hic occa-
Ecclesiæ facies. sionem à domo arripit & allegoria quadam quæ sit facies ecclesiæ ex utrisq; populis coa litæ pingit. Innititur hæc domus dei, id est hæc spiritualis ecclesia, fundamento apostolorum & prophetarũ, id est quod uel apostoli & prophetæ prędicarũt, uel cui & ipsi innixi sunt. Non em̃ intelligit uel apostolos uel prophetas huius ecclesiæ esse fundamentum, sed Christũ Iesum cui testimoniũ tulere apostoli & prophetæ, qđ is inquam ille lapis sit quẽ dominus in Zion fundauit, quod petra sit cui qui innititur in æternũ nõ com
Isaiæ 28. mouetur, quod aliud fundamentũ poni non possit nisi quod positum est, nempe Iesus
Psal. 117. Christus. Vnicũ ergo fundamentũ est cui omnes omniũ sæculorũ sancti innitũtur, non
1. Cor. 3. utiq; Roma aut Episcopus Romanus quẽ Papam uocant, sed Christus Iesus dominus
Matth. 16. noster. Vides em̃, licet ipse nõ ostendã, Romanenses nugas extreme blasphemas esse qui
1. Cor. 1. bus miseræ plebeculæ persuaserunt Romanũ illum antistitẽ ecclesiæ militãtis esse caput. Christus em̃ fundamentũ & caput ecclesiæ est, & in hac ipsa angularis quoq; lapis. Angulares autẽ lapides & parietes compingunt & totũ ædificiũ conseruant: ita & Christus glutinũ & bitumen est ecclesiæ suæ qui Gentes & Iudæos coniungit & hanc spiritualem structurã complexu & ui spiritus sui conseruat. Et de hoc angulari lapide copiosius dictum est in 1. Pet. cap. 2. Habes autẽ fundamentũ, angulos, robur & complexum tenacissimum huius structuræ Christũ, iam audi quomodo & nos huic ædificio inseramur ut liceat nobis templũ domini & domum spiritualẽ fieri. Fide in Christũ uera ceu uiui lapides inserimur huic ædificio, & uirtute fidei comprehẽsi ab angulari lapide succrescimus in uerum & uiuũ templũ dei, in quo inhabitat deus, in nobis uidelicet. Nos enim sumus illud templum dei uiuum qui in fide filij dei & sanctimonia uitæ ambulamus. De qua re pluribus dictũ est 1. Corin. 3. & 1. Pet. 2. Diligenter ergo hic locus obseruandus est qui tam breuibus sed euidentissimis uerbis totam ecclesiæ faciem pingit, fundamentum, caput, connexionem, ædificium, adeoq; &, quod prouerbio dici solet, proram ac puppim. Et hactenus disputatum est de uocatione Gentium & unica ex multis Gentibus collecta ecclesia.

CAP. III. Huius rei gratia ego Paulus uinctus sum Christi Iesu pro uobis Gẽ tibus. Siquidem audistis dispensationem gratiæ dei, quæ data est mihi in uos, quod secundum reuelationem notum mihi fecit mysteriũ, quem admodum ante scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi, quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominũ quemadmodum nunc reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis per spiritum, ut sint Gentes cohæredes & eiusdem corporis consortesq; promissionis eius in Christo per euangelium, cuius factus sum minister secundum donum gratiæ dei quod datum est mihi secundum efficatiam potentiæ illius.

Commendatio ministerij D. Pauli. Addunt hæc omnibus superioribus authoritatem. Hactenus em̃ mira euidentia prædicauit Ephesijs euangeliũ, iam uero demonstrat quid euãgelij caussa passus sit, & à quo prædicandi acceperit functionẽ: breuiter & functionẽ suam & prædicationis certitudinem adeoq; totum uerbi ministerium multis commendat. Principio autẽ recensetquanta mala huius gratia ab hostibus ueritatis pertulerit. Facit enim hoc ad cõmendationem & authoritatẽ conciliandam huic negotio. Huius inquit rei gratia, cuius inquam? quod doceo deum etiam uestri misertum trãscripsisse uos in numerũ populi dei, hoc est quod prophetarum promissiones hæreditatem quoq; æternæ uitæ ad Gentes posthac credulas pertinere, huius inquã rei caussa uinctus sum Christi Iesu pro uobis Gentibus, id est propterea quod uos Gentes Christo lucrifacere studeo, quodq; regnũ dei etiam ad uos pertinere contendo. Sic em̃ legimus Acto. 21. Asianos quosdã in templo Hierosolymitano clamasse, Hic est ille homo qui aduersus populũ & legem & locũ hunc omnes ubiq; docet,

docet,insuper & Græcos induxit in templum,&c. Et in 22. cap. cum in Apologetica illa responsione sua eousq; perduxisset orationem ut diceret, Et dixit ad me dominus, Vade quoniam ad Gentes procul mittam te, Iudæi protinus ad Gentium mentionem uociferabantur indignum esse qui uiueret, sed & furientium more spargebant in aëra puluerem, uel hoc gestu rei indignitatem testantes quod scilicet dixisset se ad Gentes esse missum. Deinde ostendit quod in hanc prædicationem & functionem ad Gentes abeundi, uocandiq; has ad Christum & uitæ hæreditatem à deo & didicerit & acceperit. De qua re pluribus egit in Actis cap. 9. & Galat. cap. 1. Primo inquit per gratiã suam uocauit me dominus: secundo hanc mihi imposuit prouinciam, ut euangelicam salutem dispensarem quaqua uersum & inter Gentes: tertio reuelatione cœlitus facta instituit me in hoc mysterio. Hinc uero testificatur se id bona fide illis tradidisse quod acceperit à domino. Maxima est autẽ huius epistolæ laus quod palàm & disertis uerbis confitetur se in duobus hisce capitibus adeoq; & tota epistola complexum esse breui compendio cognitionem suam in mysterio Christi, id est quid sentiat in uniuersum de Christo & religione eius. Abeant ergo ad cynosarges, qui aiunt non omnia quæ ad institutionem fidei ueræ pertinent literis comprehensa esse sacris. Fateor sanè & pluribus uerbis & planioribus & alibi & ab hoc ipso Paulo, denicq; & ab alijs apostolis negotium salutis nostræ & fidei nostræ absolutam scientiam tradi exponiq;, sed non diuersa ratione quod summam & ipsam rei quam uocant substantiam attinet. Facit & illud ad cõmendationem ministerij huius quod in alijs ætatibus nõ innotuit filijs hominum. Resipit aũt synekdochen oratio. Nam per filios hominũ non intellexit omne genus mortalium: constat enim uel ex ijs quæ superius annotauimus quod omnes pij gentis Iudaicæ mysterium Christi non nescierũt. Proinde de Gentibus loquitur, quas supra dixit fuisse sine Christo sine spe & alienas à testamentis promissionis. Deinde ut norint, alioqui tamen non adeo plene & clare nouerunt ut postea reuelatum est apostolis & prophetis, id est scripturarum interpretibus. Recte enim D. Hierony. Aliud est inquit in spiritu uentura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Equidem dubitantibus apostolis per initia religionis Christianæ num & Gentes uenirent in numerum populi dei citra circũcisionis & legis præsidium, datur spiritus sanctus ut erudiat, exhibetur Petro uisio in Act. apost. cap. 10. Quid uero multis opus? Multis & scripturæ testimonijs, & argumẽtis rationibusq; atq; ijs & euidentissimis & multo clarissimis iam aperiebatur illud dei mysteriũ, nempe quod Gentes per fidem ita sint conglutinatæ Iudæis, ut & in eiusdem hæreditatis uenerint consortium & in idem corpus coaluerint gaudentes communi capite Christo ac per hoc simul consortes omnium promissionum quæ de Christo & futura felicitate Israëli factæ sunt, si modo credant euangelio Christum & felicitatem hanc fidelibus annuncianti. Hæc enim appositorie & per expositionem subiunguntur. Iam ne quis crederet ipsum impudentius iactare ministerium suum, addit, Cuius factus sum minister secundum donum gratiæ dei. Id est gratiæ dei, non merito meo aut industriæ sapientiæúe meæ, id totũ transcribo, præterea & potentiæ dei quæ in me fuit efficax. Ex persecutore enim prædicatorem gratiæ dei me fecit.

Paulus cognitionem suã in mysterio Christi hac epistola exposuit.

Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc ut inter gentes euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi, & in lucem proferam omnibus quæ sit cõmunio mysterij quod erat absconditum à sæculis in deo, qui uniuersa condidit per Iesum Christum, ut notum fiat nunc principatibus ac potestatibus in cœlestibus per ecclesiam uehementer uaria sapientia dei secundum præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Iesu domino nostro, per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia quæ est per fidem illius.

Eandem rem dicit quam prius dixerat, sed alijs uerbis. Mira enim uerborum amplificatione extollit ministerium suum & gloriam euangelici negotij. Pleraq; uel ex ijs quæ

iam expoſuimus uel primi cap. enarratione æſtimari & intelligi poſſunt. Proinde quædam rudi Minerua perſtringemus, tametſi multa in his ſint ſalubria dogmata. Humilitatem maximam commẽdat lectoribus cum ſuam exiſtimationem adeò extenuat ac infimum ſe ſanctorum omnium appellitat, interim & miniſterij gloriam extollit aliud interim agens, ne periclitaretur ueritatis euangelicæ cauſſa. Dominus quoq; in euãgelio humilitatem à uerbi miniſtris poſtulans, Qui maior eſt in uobis, inquit, fiat ſicut iunior: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat. Iam euangelium exponit imperueſtigabiles diuitias Chriſti, non illas quidem quas nemo noſtrum percipere poteſt: ſic enim fruſtra prædicaretur nobis euangelium: ſed quod quiſq; pro modulo & dono ſuo tantum percipiat opum cœleſtium quantum ad ſalutem conſequendam ſatis eſt. Aliâs nemo hominũ explicuerit pretium, nobilitatẽ & excellentiã cœleſtis illius theſauri à deo nobis per Chriſtum exhibiti. Latuit hic theſaurus ad tẽpus, ſed & in deo fuit à ſæculis abſconditus. Statuit enim nos per Chriſtum ſaluare, idq; æterno decreto apud ſe ſtatuto, prius q̃ uidelicet iacerentur fundamẽta mundi: ſed deſtinato tempore uoluit id arcani in lucem proferri palamq; exponi per Paulum & alios apoſtolos quomodo per æternum ſuum conſiliũ ſtatuerit nos ſibi ipſi per Chriſtũ primũ, deinde per eundem reconciliare in unum corpus, cui ipſe demum ſe omnibus donis impendere & ſeſe totum nobis cõmunicare uelit. Hic iam obiter gloriã Chriſti exponit per quem hęc reconciliatio facta eſt. Omnia per hunc condidit pater. Proinde uirtus & potentia dei adeoq; ipſe deus eſt. Et oportuit hunc eſſe omnibus creaturis maiorem per quem exponi debuit toti mundo illa cœleſtis & uaria ſapiẽtia quæ & ipſa reuincit deum eſſe uerum qui per eccleſiam eam propagauit ſapientiam ad quam & angeli ipſi obſtupeſcũt. Poterat & hic ineſſe uerbis Pauli ſenſus. Omnia condidit per filium pater, ſed & in fine temporũ hunc ipſum deſtinauit ut nunc quidem toti orbi innoteſcãt per eccleſiæ diſpenſationem res illæ cœleſtes, hoc eſt illa uehementer uaria dei ſapientia. Vel ut uehementer uaria dei ſapientia innoteſcat principatibus & potentatibus in rebus cœleſtibus per eccleſiam. Quanq̃ hic ſenſus uideatur coactior. Hæc uero ſapientia ab æterno diuino prædefinita fuit conſilio, iam uero per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum palàm opere exhibita. Per hunc enim obtigit nobis magna libertas agendi, ſecuritas magna & aditus liberrimus ad patrem, ut ſupra quoq; expoſitum eſt in cap. 2. Cæterum hæc libertas hic aditus non niſi per fidem in Chriſtũ paratur. Vnde neceſſum iam eſt ut talem credamus eſſe Chriſtum qualem iam per hæc capita deſcripſimus & huic uni nos totos committamus.

Humilitas Pauli in miniſterio.

2. Corinth. 2.

ADHORTATIO AD CONSTANTIAM.

Quapropter poſtulo ne deficiatis ob afflictiones meas quas pro uobis tolero, quæ eſt gloria ueſtra.

Calumniæ ex cruce ſanctorum.

Deſcripſit paucis compendiũ euangelicæ ueritatis & religionis quã authore deo acceperit, iam adhortatur ut in accepta ueritate perſeuerent. Interim enim Hieroſolymis captus, & Romam abductus impijs & æmulis ſuis occaſionem calumniandi dedit. Vociferabantur enim, Si Paulus dei miniſter fuiſſet, ſi ueritatis egiſſet negotium, nequaq̃ uictus permittente deo ueniſſet in manus Romanorum. Vincula ergo eius ſatis magno argumento ſunt quod deum habeat iratum & cauſſam iniquã. Ad hæc porrò infirmorũ animi uehementer turbabantur afflictabanturq;. Vnde poſt cauſſæ iuſtæ, ſanctæ & æquæ expoſitionem hortatur ut in accepta fide & cauſſa bona perſeuerent, nec deficiant ob afflictiones eius. Rationes quoq; huius ſubiungit. Prior, Veſtra cauſſa patior uincula hæc. Non enim ſceleribus illa cõmeruit ſed quoniam gratiæ euangelicæ etiam uos participes eſſe contẽdo, inde enim Iudæi arreptum neci dediſſent niſi eripuiſſent Romani. De qua re dictũ eſt in initio huius cap. Poſterior, Cum ergo euangelij gratia uincula hæc geſto, ipſa uobis decori non probro ſunt. Vincula quæ ob ſcelera inijciũtur probroſa ſunt. Diſcamus ergo crucem Chriſti & omnium ſanctorũ martyria adeo non dedecori eſſe ueritati euangelicæ & ſanctæ eccleſiæ ut ornent magis illam. Id uero nouum hodie quibuſdam eſſe uidetur, uerum pretioſa eſt in oculis domini mors ſanctorum eius.

Huius

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis parentela in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ ut fortitudine corroboremini per ſpiritũ ſuũ in internum hominem, ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus ueſtris, fixis in charitate radicibus & fundamento iacto,

Oratiõis ratio.

Vt quis in re bona perſeueret opus eſt ardentibus ad deũ orationibus. Proinde Paulus teſtatur ſe continuo orare ad deũ ut Epheſijs robur concedat ad perſeuerantiam, interim præſcribit ſuo uidelicet exemplo propoſito & capitibus quibuſdam recẽſitis quid ipſos quoq; deceat Epheſios, quid potiſſimum orare & in quibus maxime debeant perſeuerare. Stilus notarij ſiue ſcriptoris reuera nouus eſt & paulò inuolutior, ſed & auguſtior q̃ in cęteris epiſtolis, id quod initio annotauimus. Inde uero eſt omnis huius epiſtolæ difficultas. Per geſtum orantiũ ſignificauit orationẽ. Flectũt enim orantes genua ſupplices ad deum & manus & oculos eleuant. Indecorũ enim eſt ut habitu uel ignauo uel arroganti appareas in cõſpectu principis à cuius nutu pendet ſalus & fortuna tua: decet ergo maiori cũ reuerentia in conſpectũ omnipotentis dei uenire. Orauit autẽ ad patrem domini Ieſu Chriſti, hoc eſt ad deum uerũ, ex quo πᾶσα πατρία, id eſt omnis familia eſt, omnium rerum quæ in cœlis & in terra ſunt, id eſt qui eſt pater conditor & gubernator omnium rerum uiſibilium et inuiſibilium, cœleſtium & terreſtrium. Alluſit autem ad patrem familias & ipſam familiam, quæ illum ſolum reſpicit in omnibus, à quo ſolo pendet, à quo item tota eſt propagata. Nihil ergo hoc nouo loquendi genere aliud dixit q̃ ſi deum ipſum conditorem & moderatorem omnium rerum appellaſſet. Hoc uero docet quis orandus uel inuocandus ſit, unus uidelicet & ſolus deus conditor & gubernator rerum omnium. Omnia enim poteſt, deinde quia pater eſt nihil grauatim uel dabit uel faciet quod modo æterna ſapientia uiderit ſalutare eſſe cultoribus. Stulti ergo ac ſuperſtitioſi ſunt qui creaturis uel hominibus ſupplicant infirmis et mortuis. Iam audi etiã quid orauerit ac diſce quæ potiſſimum & tu petas à domino. Oro inquit patrem æternum, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ ut fortitudine corroboremini. Diſcamus ergo animi robur illud eſſe in rebus religionis potiſſimum quod omnibus ambiendum eſt. Excitat autem fidem noſtram cum diuitis gloriæ meminit. Quia enim pater eſt & admodum diues (auget enim epiteton gloriæ) poteſt & uult abundanter impartiri nobis ea quæ nobis ſunt ſalutaria. Cæterum robur illud animi datur nobis per ſpiritum dei, qui & apoſtolorum corda adeo roborauit ut nihil ſubire recuſarent quod gloriam Chriſti et euangelij eius poterat promouere. Teſtis hic mihi erit Lucas in Actis illis apoſtolicis. Ad expoſitionẽ ſuperiorũ faciunt conſequentia. Precor, inquit, ut fortitudine corroboremini in internum hominẽ. Hac enim uelut certiſſima nota deprehẽdimus de qua loquutus ſit fortitudine, nõ corporis ſed animi, ut ſcilicet recte ualeat & fortis ſit homo ille noſter internus, de quo 2. Corin. 4. Porrò recte ualet et fortis eſt homo interior cum Chriſtus inhabitat in nobis. Ioan. 14. Inhabitat autem in nobis per fidem. Atqui fides per charitatem eſt efficax, iccirco fixis inquit in charitate radicibus et fundamento iacto. Neq; enim ſatis eſt ut dicamus nos credere, niſi & ex animo & uere credamus, ſolidoq; innitentes fundamento Chriſto domino, operibus charitatis ceu fructibus bonis approbemus arborem eſſe bonam, id eſt fidem in nobis eſſe uiuam. Et ſine operibus charitatis fides eſt uana. Charitate uero deum aliâs hominem aliâs complectimur.

ut ualeatis aſſequi cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & profunditas, & ſublimitas, cognoſcereq; præeminentẽ cognitioni dilectionem Chriſti ut impleamini in omnem plenitudinem dei.

Cognitio dei et religionis pleniſſima.

Fortitudini iungit abſolutam dei ac Chriſti cognitionem. Habet enim augmenta fides ſancta. Duxit autẽ allegoriam à rebus mathematicis, interim uero nihil aliud dixit q̃ quod paulò ſuperius cum imprecaretur ipſis ſpiritum reuelationis et ſcientiæ, per quem intelligerent quàm eximia eſſet ſpes uocationis ipſorũ & huiuſmodi reliqua, hoc ipſum

enim nunc repetens & alia orationis figura proponens rei magnitudinem, pretium & excellentiam uerbis selectis & magnificis uoluit complecti. Atq; hic uidetur omniũ simplicissimus esse sensus. Paraphrastes ista ad hunc modum intellexit, Vt possitis comprehendere quàm in immensum se porrigat dei patris bonitas, quamq; non angustis finibus cohibeatur, altitudine ad angelos usq; se proferens, profunditate ad inferos usq; penetrans, longitudine ac latitudine ad omnes huius mundi plagas sese dilatans. D. uero Ambro. ista de deo ipso exponit dicẽs, Vt possitis cum prophetis & apostolis omnibus immensum cognoscere deum omnia excedentem maiestate uirtutis suæ. Cum enim dicit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundũ, hoc utiq; significat, ut sicut in sphæra tanta longitudo est quãta latitudo, & tanta altitudo quantũ & profundũ, ita & in deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra enim definito modo concluditur. Deus aũt non solum implet omnia sed et excellit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet ut solus ineffabilis & infinitus habeatur. Et quæ sequũtur. Addit Paulus, Vt cum omnibus sanctis cognoscatis dilectionẽ Christi præeminentẽ cognitioni, id est quæ cognitione maior est, aut quæ excellentior est q̃ homo possit assequi. Nemo enim pro ipsa rei dignitate facile existimauerit dilectionem illam erga nos dei, qui filium suum pro nobis in mortẽ dedit. Et ut in sum̃a omnia cõplecteretur, Imprecor uobis inquit ut implea mini in omnem plenitudinem dei. Quam sententiam exponens Theophylactus, Bifariam hoc inquit nonnulli intellexerunt, Vel ut sciatis quemadmodum in patre & filio & spiritu sancto adorandus uobis sit deus. Hæc enim plenitudo dei est ipsa trinitas. Vel ut om̃i fitis uirtute repleti qua plenus est deus. Puto tamen id magis sentire Apostolum uidelicet ut om̃es perfecti sitis in omni secundũ deum perfectione, diuina omnia prout sunt pernoscentes.

Ei uero qui potest cumulate facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus iuxta uim agentem in nobis, sit gloria in ecclesia per Christum Iesum, in omnes ætates sæculi sæculorum, Amen.

Deus uota nostra superat sua liberalitate.

Audiuimus quantum sit constantiæ bonum in uero & bono, in quibus rebus oporteat perseuerare credentes, & quod precibus ardentibus constãtia paretur: iam ut fidem excitaret credentium & gratitudinem commendaret, finiens hanc priorem epistolæ partem, docet deum cumulate facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus. Hic addit, Iuxta uim agentem in nobis, id est, id quod ipsa fides & spes in pectoribus nostris attestatur, quod deus tam sit benignus ut uota nostra non modo æquet sed etiam superet ampliſſime. Paraphrastes eam sententiam sic exponit, Neq; uero hic quicquam nostris uel uiribus uel meritis agitur. Nos nihil aliud sumus q̃ organum potẽtiæ diuinæ, quæ uim suam exerit in nobis. Docet item hac clausula Apostolus, quod uni deo omnis debeatur gloria, laus & gratiarum actio, idq; in ecclesia per Christum. Quæ enim in unitate ecclesiæ & per Christi spiritum fiunt, quæ per Christum deo offerimus deo placent. Proinde uera dei ecclesia in solidum omnem gloriam & laudem uni deo per Christum transcribit atq; tribuit. Et hæc in primam huius epistolæ partem habuimus.

ADHORTATIO VT ECCLESIA IN VNO SPIRITV concors pergat in doctrina ueritatis.

CAP. IIII.

Hortor itaq; uos ego uinctus in domino, ut ambuletis ita ut dignũ est uocatione qua uocati estis cum omni submissione ac mansuetudine cum animi lenitate, tolerãtes uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis.

Concordia & pax potißimæ uirtutes in ecclesia.

Fidei & spei Christianæ summam tradidit in prima huius epistolæ parte, in altera mores instituit. Concordia autem & unitate in ecclesia nil melius est, quando discordia & schismate nil est pestilentius. In primis ergo adhortatur ad concordiam, ut scilicet ecclesia in uno spiritu concors pergat in doctrina ueritatis, à uitijs sibi caueat discordiã alentibus, uirtutesq; ambiat quæ concordiam pariunt. Porrò ad persuadendum & permouendos

uendos auditorũ animos id potissimũ facit quod per ipsa uincula sua obtestatur Ephesios. Quasi dicat, Quod uincula gesto non ob facinora gesto, sed ob salutem & gloriam uestram: si ergo ipse me totum uobis impendo, & uestri gratia me & uitã meam despondeo, hactenus modo uos mihi impendite ut ita uitam instituatis uestram quatenus uidere liceat illam per omnia respondere uocationi uestræ. Atq; hic alterum argumentũ ducit à uocatione. Vocauit autem nos deus in pace & ad sanctimoniam. Respondebit ergo uocationi nostræ uita nostra, cum in pace & sanctimonia uiuemus. Cæterum pacem & concordiam alunt consequentes uirtutes, ταπεινοφροσύνη, ea est animi submissio ac modestia modeste de se sentiens minimeq; arrogans. πραότης mansuetudo adeoq; tractabilitas est. D. Hierony. Mansuetudo, inquit, illa est, quæ nulla passione turbatur & specialiter ira & furore non rumpitur. μακροθυμία longanimitas est. Habet hæc patientiam quæ facit ut per charitatẽ feramus nos mutuo. Vbi autem hæ uirtutes sunt, ibi per uinculum pacis seruatur unitas spiritus: ubi uero contraria uitia sunt, arrogantia, intractabilitas, proteruia, ira, ferocia & præcipitatio animi siue fastus quo quisq; proximũ despicit, ibi etiam contentio, sectæ, & exitialis illa ecclesiæ pernicies discordia. Egregie ergo D. Ambro. hunc locum exponens, Nunc inquit dissensionẽ prohibet, charitati autem studendum monet ne spiritũ unitatis & pacis amittant, ac per hoc ut inuicem se sufferant cum patientia. Modestia enim profectum parit, quia cum se inuicem tolerãt cum lenitate animi monentes corriguntur ad effectum & pax in eis manebit, per quã filij dei non immerito uocabuntur, quia dixit dominus, Beati pacifici, quoniam filij dei uocabuntur. Perturbatio enim & inquietudo contentionem facit, quæ solet etiam ea quæ mala nouit uel l edefendere ne cedere uideatur: hinc oritur discordia quæ corrũpit pacis fœdera. Tantum Ambro. Minus autem turbarũ & plus pacis haberet hodie ecclesia si Pauli hæc uerba penitius insculperemus pectoribus nostris. Verũ oportet hæresibus res turbari, quo qui probati sunt manifesti fiant inter nos. *Galat. 5.*

Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodũ & uocati estis in una spe uocationis uestrę. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus & pater omniũ qui est super omnia & per omnia & in omnibus uobis.

Theophylactus hæc ita connectit superioribus. Nec simplicem quandam Paulus exigit charitatem, inquit, sed eam certè quæ ob mutuam coniunctionẽ uniuersos in unum redigat corpus. Cæterũ uidetur iam uarias subijcere causas quibus animet adeoq; adigat ad concordiam. Quasi dicat, Non conuenit eos inter se dissidijs animorum distrahi, quibus tam multa sunt communia. Primo una est omnium credentium societas, unum corpus, id est una ecclesia, cuius unicum caput Christus est, 1. Cor. 12. Ephe. 1. & 5. Vnum autem corpus est secundum spiritum. Nam uno spiritu dei animatur & regitur tota fidelium ecclesia. Nec alius est spiritus ueteris testamenti alius noui. Nam unus est omnium sanctorum spiritus. Deinde unus est finis omniũ ad quem omnes tendimus uita æterna. Omnes enim eiusdem patris filij eiusdem hęreditatis sumus participes. Id quod Paulus suo more proloquutus dixit, Quemadmodum uocati estis in una spe uocationis uestræ. Hinc unus modo dominus est omniũ, nempe Iesus Christus, proinde seruos illius conuenit esse unanimes, 1. Cor. 1. & 8. Eo quoq; loci oftẽdimus cur Iesus Christus potissimum dicatur dominus. Præterea una, inquit, fides est, eadem inquã fidei professio omnium, tam eorũ qui ex Iudæis in ecclesiam concessere q̃ eorum qui ex Gentibus aduocati uenerunt. Vbi autem eadem fides est, ibi discordia locũ non habet. Vera autem & unica hæc fides uni deo nititur per Christum, unicq; omnia salutis & iustitiæ tribuit, sed & in hoc uno omnia se habere credit. Id quod Act. 15. 4. 7. Hebræ. 11. & multis alijs locis annotauimus. Et hæc quidem illa prisca indubitata & uera fides est. Fateor sanè multas esse fidei professiones, atqui una modo uera esse potest, illa nempe quam cum patriarchis & prophetis Christi domini discipuli confessi sunt atq; nationibus tradiderũt. De qua & in Actorum capite secundo. Iam cum una modo uera fides sit non potest nisi unum

Vnitas rerũ ad unitatem nos inuitat.

esse baptisma, cumq; uno omnes baptismate tincti sumus, turpe est si inter nos mutuo dissideamus. Baptismate inserimur populo dei, abluimur à peccatis et cõsepelimur Christo. Vna est apud omnes uis & significatio baptismi, sed & in unum nomen patris & filij & spiritus sancti baptizamur, præterea in unum corpus. Hoc ergo uinculum & fœdus soluunt & in obtestationem illam sanctissimam inq; sacramentum sacrosanctũ peccant qui in ecclesia excitant discordiam. Hodie diruunt ecclesiæ ædificium atq; unitatem Catabaptistæ, idq; præsidio baptismi. Ita enim nouit satan uinculo concordiæ abuti ad discordiæ fomentum. De Eucharistia quoq; scribens Apostolus pari ratione, Vnus panis inquit unum corpus multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Nam par est ratio sacramentorum. De unitate & trinitate dei dictum alibi, quædam item annotauimus in cap. Acto. 17. quæ huc faciũt. Theophylactus paucis, Vnus inquit est deus qui cunctis præsidet, & omnia prouidentia & moderatione peruadit, & in nobis uniuersis inhabitat. Sed quid multis opus? Turpe est unius dei cultores, unius patris filios inter sese dissidere. Studeant ergo omnes concordiæ in ecclesia dei. Charitas enim filiorũ dei certissima nota est, contentio, arrogantia, separatio, φιλαυτία, inuidia & κενοδοξία præsentissimum ecclesiæ uenenum nec ex alio q̃ superbiæ, inuidiæ & contentionis patre diabolo est. Breuiter, in deum ipsum & omnia sacra peccant grauissime, qui ecclesiæ pacem interturbant.

Verum unicuiq; nostrum data est gratia iuxta modũ doni Christi: quapropter dicit, Cum ascendisset in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Cæterum illud ascendit quid est, nisi q; etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit idem ille est qui etiam ascendit supra omnes cœlos ut impleret omnia.

Donorũ diuersitas nõ pariat discordiam.

Quod in 12. cap. prioris ad Corinthios epistolæ tractauit idem hoc quoq; loco agit. Ne quis enim donorũ diuersitatem crederet officere unitati, ad deum authorem donorum omne negotium reiicit. Quasi dicat, Sanè unicuiq; collatum est suum donũ, uerum hæc ipsa donorum uarietas magis inuitare debet ad concordiam. Etenim dum nulli cuipiam membrorum sua præsidia constãt ex sese, fit, ut singula alterius egeant officio, nec sit quod aliud possit aliud cõtemnere. Cæterum hæc donorum partitio non à nobis sed à dei pendet arbitrio, qui cuiq; sua beneficia dispensat largius aut parcius utcunq; perspexerit expedire. Non est cur fastidiatur qui minus habet, nec est cur cristas tollat qui plus habet. Illud dispensantis est dei, hoc largientis, licet omnia per Christum qui simul hæc largitur cum patre. Hæc ex Erasmi Paraphrasibus huc transcripsimus quod paucis & planis uerbis exponant mentem Pauli. Discamus autẽ sorte & dono nostro contenti esse. Tantum enim cuiq; dispensat dominus quantum expedire nouit. Si minus habes non expediebat ampliori munere donatum esse. Iam quia donorum meminisset confirmationis uice subdit Dauidis testimoniũ ex Psal. 68. id de uerbo ad uerbum sic habet ex ueritate Hebraica, Ascendisti in altum, cœpisti siue captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona ab hominibus, etiam rebelles ut inhabitet dominus deus. Sunt autem hæc prophetæ uerba de ipso rege Dauid uictoria & triũpho eius intelligenda. Hic enim peruenit ad arces collibus præcelsis impositas, has expugnauit, hostes duxit captiuos, à deuictis abstulit spolia, inde uero in plebem suam dona dispersit. Solent enim uictores triumpho urbem ingredientes ostentare spolia & ex his æs spargere in plebem. Præterea uictorijs suis Dauid adeò promouit nomen dei, ut id quoq; inter rebelles locũ haberet. Moti enim felicitate regis & uirtute cœlitus collata cœperunt & ipsi deũ reuereri. Cæterum cum Dauid typũ gesserit Christi pulchre Apostolus hæc prophetæ uerba aptauit Christo, qui & ipse deuictis hostibus, peccato uidelicet, morte & diabolo, ab his opima abstulit spolia, totum uidelicet cœtum credentium, hunc enim ab istorum liberauit tyrannide, ipsis quidem hostibus superatis atq; conculcatis. Porrò uictoria parta & captis in libertatẽ assertis ipse triũphans cœlos ascendit, inde uero dona plebi suæ dedit, donãs spiritum sanctum, id est singulis dispertiens dona spiritus sancti prout cuiq; expediebat.

Victoria Christi & triumphus hic obiter describitur.

Permotæ

Permotæ uero gentes mortis, resurrectionis, ascẽsionis atq; missionis sancti spiritus miraculo, & ipsæ credere cœperũt quæ aliquando fuerant rebelles. Sed & in his cœpit deus per spiritum suum inhabitare. Quod ergo Paulus pro eo quod in Hebræo legimus, Accepisti dona ab hominibus, reddidit, Et dedit dona hominibus, ad sensum respexit. Qui enim spolia accipiunt uictores à deuictis hominibus, ut in suos homines spargant accipiunt. Quando uero nihil in nos sparsit quod à nobis accepit, maluit simpliciter dicere, Dedit dona hominibus. Dona autem dixit non donũ, ut diuersitatem donorũ notaret de qua in præsentiarũ agit. Ad expositionem horum faciunt iam & illa quæ sequuntur. Nam per relatiuam rationem colligit ex ascensu descensum. Per descensum aũt intelligit totum incarnationis & passionis mysterium, nempe quod exinaniuit seipsum, quod ad infima quæ in terris sunt sese demisit, ad ipsam inquam mortem crucis turpissimam, nimirum ut innocenti sua morte eum uinceret qui mortis habebat imperium, nempe diabolum, & liberos redderet eos quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Hisce ergo spoliis sanè opimis hosti ereptis ipse iam de omnibus triũphans hostibus, peccato, morte, inferno & diabolo, cœlos ascendit, imò ultra omnia cœlorũ fastigia elatus est ut impleret omnia, donis uidelicet suis. Exponit enim quid senserit prophe ta cum dixit, Cum ascendisset in altum, captiuã duxit captiuitatem, & dedit dona homi nibus. Hoc ergo ipso quod dona dat hominibus implet, id est sarcit omnia quę uidelicet desunt nobis: sarcit aũt per dona sua. Omnino enim idẽ hic repetijt paucis uerbis quod in 1. cap. multis exposuit. Quod enim hic dicit, Ascẽdit supra omnes cœlos, id in 1. cap. sic extulit, Et sedere fecit eum ad dexterã suam in cœlestibus supra omnem principatũ & potestatem &c. Item quod hic dicit, Vt impleret omnia, id ibi sic exposuit, Et dedit eum caput super omnia ipsi ecclesię, quæ est corpus illius complementũ eius, qui omnia in omnibus adimplet, omnia inquam quæ desunt nobis, implet autem spiritu suo. A capite enim defluit nobis corpori suo gratia. Et Paraphrastes hunc locũ enarrans, Humilitate sua Christus meruit ut rursum subueheretur ultra cœlorum omnium fastigia, ita nobis subducens corporis sui præsentiã, ut è sublimi cœlestibus donis impleret omnia, & alia quadã ratione iam nobis adesset efficacius q̃ adfuerat cum nobiscũ in terris uersaretur.

Nemo ergo huius loci præsidio ueteres excitet hæreses. Sunt enim qui dicant corpus Christi à cœlis delatum per uterũ uirginis ceu cannam transijsse. Sunt qui naturis cõmixtis infinitam faciunt humanitatem Christi. Cæterum ut ab æterno erat uerbũ, sic caro in tempore cœpit. Conceptus enim creditur è spiritu sancto & natus ex Maria uirgine. Ergo quod erat non desijt esse, & quod non erat assumpsit. Proinde quod de cœlo idem ille descendisse dicitur qui ascẽdit, perinde atq; illud in euangelio intelligendũ est, Exiui à patre & ueni in mundũ, iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Venit enim in mundum uerbum æternũ & uerus dei filius, sed reliquit mundum & iuit ad patrem uerbum caro factũ, hoc est uerus dei & hominis filius. Vna est persona inseparabilis filij dei & hominis, indiscriminatim ergo dicitur quod idem ille Iesus Christus sit ab æterno, quod descenderit de cœlo, quod natus & cruci affixus sit, quod resurrexerit & ascẽderit in cœlum, cum tamen secundũ diuinam naturam modo æternus sit secundũ humanam passibilis. Recte interim & secundum scripturam dicitur Christus æternus esse, mortalis quoq;, per omnia diffusus, nullo loco circumscriptus, interim uero & in cœlis residens. At si quis hinc colligere uellet humanitatẽ Christi in diuinitatem esse mutatã & immensam cum diuinitate per omnia pertingere & omnia diuinitatis more implere, atq; ita illum omnia esse in oñibus, longe fallitur. Nobis enim per omnia secundũ carnem similis factus est absq; peccato: sed & corpora nostra clarificata ad modũ corporis Christi clarificati glorificabuntur. Atqui nemo nescit quæ sit expectatio nostra, quæ corporum resurrectio. Hæc non mutabũtur in deum, nec fient immẽsa infinita & omnia implentia. Proinde humana Christi natura proprietatem suam in inseparabili illo cum diuinitate nexu nõ amittit. Vnde sancta Calcedoneñ. synodus aduersus Euthycen & Dioscorum collecta consentiens scripturis & sanctis patribus consona uoce confitebatur unũ eundemq; filium dñm nostrũ Iesum Christũ secundũ diuinitatem unius cum patre naturæ,

ſecundum humanitatem eundem unius naturæ nobiſcum, per omnia ſimilem nobis abſq; peccato, hunc unum eundemq; Chriſtum filium dominum unigenitum in duas naturas inconfuſe, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter cognoſcendum, in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas, magis autem ſalua utriuſq; naturæ proprietate & in una coëunte perſona, unoq; ſtatu concurrẽte non in duabus perſonis partiendum uel diuidendum, ſed unum eundemq; filium unigenitum deum uerbũ dominum Ieſum Chriſtum, ſicut ab exordio prophetæ de eo, & ipſe nos erudiuit & nobis tradidit ſymbolum. Huius autem generis alia multa conſcripſit Leo ille Roma. epiſcopus aduerſus Euthycen & Dioſcorum ad Flauianum & Iulianum. Et Aur. Auguſtinus citra contrauerſiam catholicorum omnium longe eminentiſſimus, de cuius fide nemo orthodoxorum unquam dubitauit, Epiſt. 57. ad Dardanum diſputans de præſentia dei, quod teſtimonium & alibi annotauimus, Noli inquit dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum unde uenturus eſt, memoriterq; recole & fideliter tene Chriſtianã confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, nec aliunde q̃ inde uenturus eſt ad uiuos mortuosq; iudicandos. Et ſic uenturus eſt illa angelica uoce teſtante quemadmodum uiſus eſt ire in cœlum, id eſt in eadem carnis forma atq; ſubſtantia, cui profecto immortalitatem dedit naturam non abſtulit. Secũdum hanc FORMAM NON EST PVTANDVS VBIQVE DIFFVSVS. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem aſtruamus hominis ut ueritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens ut quod in deo eſt ita ſit ubiq; ut deus. Nam & de nobis ueraciſſima ſcriptura dicit quod in illo uiuimus, mouemur & ſumus, nec tamen ſicut ille ubiq; ſumus, ſed aliter homo ille in deo, quoniam aliter & deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona deus & homo eſt, & utrunq; eſt unus Chriſtus Ieſus VBIQVE PER ID QVOD DEVS EST, IN COELO AVTEM PER ID QVOD HOMO &c. Hæc tam multis egi ne quis falſa expoſitione huius loci ſibi imponens pernitioſam imbiberet de commixtis Chriſti naturis opinionem. Qui ergo exponunt, Vt impleret omnia quæ ſcilicet de eo ſcripta erant, felicius planè & ſanius ſentiunt q̃ qui humanam naturam per omnia extendunt: uerum ſententia quam initio recenſui uidetur eſſe & ſimplicior & melior. Sequitur nunc quomodo per diuerſa dona hominibus diſtributa abſoluerit impleritq; omnia.

Et idem dedit alios quidem apoſtolos, alios uero prophetas, alios autem euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plene adultæ Chriſti.

Per dona ſpiritus impleuit omnia Chriſtus.

Non deſeruit ait corpus ſuum, ſed dotes ſuas ita impartitus eſt membris ſuis ut hæc uirtute ſua poſſint totum corpus eccleſiaſticum abſoluere, hinc enim miniſterium uerbi & miniſtros inſtituit, quos uarijs dotibus ornauit, nimirum ut quod in eccleſia deeſt ſarciant. Vna quidem & eadem eſt ratio ueritatis, unum atq; idem euangeliũ apud omnes. Proinde uaria illa unicæ functionis uocabula naſcuntur uel à tradendi modo, uel à circumſtantijs eorũ qui docent uel docentur, inde uero & uaria huius functionis uocabula in eundem recidunt, ut unus atq; idem dicatur apoſtolus, euãgeliſta, & propheta. Sed diuerſitatis hæc eſt ratio, Qui nullis certis affixi ſedibus regiones peragrando Chriſtum prædicabant, & ueluti legati ad uarias concedebant gentes, Apoſtoli dicebantur, qualis fuit Paulus, Barnabas, Sylas, Petrus & cæteri. Qui uero ſacris literis maxime inuigilabant exponendis & eruendis myſterijs, non tam plebis indoctæ quàm eruditorum rationem habentes, hi peculiariter uocabantur Prophetæ, quanquã & uatidicus quibuſdam ſpiritus datus ſit, ut Agabo. Euangeliſtæ autem dicebantur, qui plebe potiſſimum erudienda incumbebant, atq; euangelium huic q̃ ſimpliciſſime annunciabãt. Iam Paſtores proprie uigiles & Epiſcopi erant qui lupos depellebant ab ouili dominico, qui item accuſabant ſcelera, & tales ſe, ut uno uerbo dicam, exhibebant, quales ſe exhibere iuſſit in

Matth. 10.

1. Corinth. 14.

2. Tim. 4.

1. Petri 5.

prophetis

prophetis dominus. Doctores erant pædagogi cathechistæ, breuiter qui uel priuatim uel publice, præficiendos populo uel ipsum populum instituebant. Nemo autem est qui non uideat hæc uocabula inuicem confundi & alterum accipi pro altero. Nam apostolus etiam propheta, doctor, euangelista, presbyter atq; episcopus est. Et episcopus euangelista & propheta est. Propheta doctor, presbyter, & euãgelista. Proinde apostolus Paulus uarijs hisce uocabulis uaria illa dona significauit quæ dominus ecclesiæ suæ impertijt ad salutem. Quod uero dirimente particula subinde repetijt alios atq; alios, significauit non uni data esse omnia, sed alios alijs insignitos esse ornamentis spiritus, non ut quæstum faciant aut cæteris se præferant, sed dona sua in commune conferant. De qua re pluribus disputauit in 12. capite ad Romanos, item in 1. ad Corinth. cap. 12. Cæterum qui hisce Pauli uerbis Doctoratum illum pompaticum, ab hominibus quæstum & uanam mundi gloriam ambientibus inuentum, & certis hoc est stultis ceremonijs hactenus in uniuersitatibus collatum, fulciri credũt, nihilo prudentius faciunt, quàm qui episcoporum nostri sæculi pompam & tyrannidem illo defendi posse putant quod episcoporum meminit scriptura. Nescit ecclesia Christi pompam. Habet autem fidei & sanctimoniæ probationem, preces, & manuum impositionem. Vbi uero nunc sunt qui multa garriunt de ordinibus ecclesiasticis, de consecratione, sacrificis, & sacrificijs? Nos horum nihil agnoscimus. Quod autem apostolica tradidit authoritas toto pectore complectimur & ueneramur. Audiamus ergo in quem finem instituerit dominus ministerium uerbi & ministros πρὸς τὸν καταρτισμόν, id est ad instructionem. Significat autem & refectionem, ut annotauit Erasmus, siue reparationem aut restaurationem rei collapsæ. Homines enim sumus & in multis offendimus omnes, infirmantur alij, decidũt multi, perplexi hærent adeoq; & pereunt propemodũ alij. Hic qui uerbi minister est doctrina ueritatis infirmos confortare, collapsos erigere, ruentes sustentare, perplexos explicare, pereuntes seruare debet. Sic inquam per dona sua implet in nobis omnia Christus. Addit, εἰς ἔργον διακονίας in opus administrationis siue ministerij, id est ut opus ministerij procedat, uel ut corpus illud Christi, ecclesia, instructum sit ad omnem officij functionem. Sequitur enim, In ædificationem corporis Christi, id est ut ipsum corpus Christi ædificetur & absoluatur. Corpus autem Christi ecclesia est. Aedificatur hæc cum in fide & sanctimonia instituitur atq; crescit. Nam per expositionem subiungitur, Donec perueniamus omnes in unitatem fidei, id est in unam ueram & synceram fidem, quę est cognitio Iesu Christi filij dei, cognitio inquam solida & iusta. Fidei enim est omnis perfectio. Iam & ab incremento auctibusq; hominis & ætatum gradibus metaphoram ducens & sese exponens uult nos esse uiros perfectos, qui excreuerint ad iustam mensuram siue staturam plenè utiq; adultam, ad mensuram inquam Christi, in quo nil est imbecillitatis uel sceleris. Hoc est ministerium uerbi, in id dicit institutum esse ut per fidem inseramur Christo, & proficiamus per ipsum in omni uirtutũ genere. Proinde noua hac orationis figura nil aliud dixit quàm quod alibi iussit induere dominum Iesum, Superædificari Christo ueluti uiui lapides, Renouari spiritu mentis nostræ. Habet autẽ augmenta sua fides, habet suam infantiam, habet ætatem uirilem, habet senectam. Breuiter ministerium uerbi in hoc institutum est, ut ecclesiam subinde prouehat ad meliora, semperq; hortetur ut ad optimum Christi exemplum transformemur. Verum hæc allegoria demum per consequentia absoluitur.

Ieremiæ 1. Ezech. 13. & 34. Acto. 13.

Doctoratus & Episcopatus.

ut non amplius simus pueri qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominũ, per astutiam qua nos adoriuntur ut imponant nobis, sed ueritatem sectantes in charitate adolescamus in illũ per omnia qui est caput, nempe Christus, in quo totum corpus si coagmentetur & compingatur per omnem commissurã subministrationis, iuxta actum in mensura uniuscuiusq; partis incrementum corporis facit in ædificationem suĩ ipsius per charitatem.

In ueritate ſtandum, cauēdum autē eſſe ab impoſtoribus. 2. Cor. 14.

Tunc inquit uiri fueritis cum conſtantes in ueritate tradita non patiemini uobis illudi à ueteratoribus quibuſdam, qui non hoc agunt quod uideri uolunt ſed hoc potius ut artibus uos capiant ac teneant. Vtitur autem alluſionibus ſelectiſſimis. Puero enim nil ſtultius & mutabilius, adeo ut his quilibet citra negotium impoſuerit. Hinc Apoſtolus alibi, Fratres, inquit, ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis, ſenſibus uero perfecti ſitis. Iam & ad quemuis uentum ſe uertere prouerbiali figura dicuntur, qui parum conſtantes cum aura mutantur. Tropum explicat adiecta dictiuncula Doctrinæ. Hac enim exponit quid intellexerit, per quemlibet uentū cui nolit nos eſſe expoſitos, nempe quod nolit nos ad quamuis mutari doctrinam nouam. Solēt enim id curioſi magis quàm pie ſoliciti homines, quibus perpetuo noua magis quàm uera probantur. Iam uero qualis illorum doctrina ſit paucis perſtringit idq; uerbis miram gratiam habentibus, hiſce uidelicet, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, id eſt per aleationem ſiue uerſutiam hominum per aſtutiam qua adoriūtur nos ut imponant nobis. Alluſit enim ad luſorum quorundam artes quibus norunt colludenti fucum facere & tranſponere talos. κυβεύω enim annotante Eraſmo, idem eſt quod teſſeris ludo arteq; adhibita colluſorem circumuenire ſtudeo. Inde κυβεία aleatio, id eſt uerſutia & fallax artificiū, uel artificioſa fallacia. Et Theophylactus κυβόνται inquit dicuntur qui talis utuntur. Eiuſmodi ſunt falſi doctores tranſponentes ſimpliciores ceu talos prout uolunt. Significauit ergo Apoſtolus uerſutum eſſe ueteratoribus iſtis ingeniū & ad decipiendum appoſitiſſimum. Sequitur enim per interpretationem, Per aſtutiam qua adoriuntur nos ut imponāt nobis, κυβείαν enim expoſuit per πανουργίαν, quam dicere poſſumus improbam ſolertiam ſiue calliditatem. Et μεθοδείαν eſt adoriri quempiam ex inſidijs. Et pſeudoprophetæ rapaces animarum lupi nos uelut ex inſidijs & ſpeleis ſuis adoriuntur. Iſtis ergo incommodis, iſtis artibus & uerſutijs ipſorum ob oculos reuocatis adhortatur ut perſeueremus in doctrina ueritatis, caueamus autē à nuperis & diuerſis dogmatis, quæ tum mira ſolertia eccleſijs tradebantur à Nazaræis euangelio legalia miſcentibus. Cum his enim perpetua fuit Apoſtolo pugna, ut annotauimus in epiſtolam Pauli ad Galat. Neq; uero nobis uel hodie minus uigilandum erit, cum non minus callidos habeamus inſidiatores. Videas enim alium egregie inſtructū eſſe dicendi arte, alium perrara & ſanctiſſima quadam hypocriſi, alium authoritate plurima, alium deniq; puritate & ſermonis & uitæ excellentiſſima. Hi omnes iunctis copijs illisq; non uulgaribus armis adoriuntur nos ut à pura ſimplicitate abactos uerborū tricis inuoluant uel in ſtultiſſima quædam hominum ſentimenta præcipites agant. Verum audiamus cum Epheſijs Paulum ſancte nobis conſulentem dicentemq;, Sed ueritatem ſectātes in charitate adoleſcamus in illum per omnia qui eſt caput, nempe Chriſtus. Id autem dixit, Miſſis ergo iſtorum artibus, quando ſemel amplexi ſumus ueritatem euangelicam, in hac perſeueremus, iungentes huic ſynceram erga mortales omnes charitatem, huc indefatigabili ſtudio contendentes, ut in fide & dilectione adoleſcamus in illum qui caput noſtrum eſt Chriſtus, utq; hic totus uiuat ſpiritu ſuo in nobis, & nos illi per omnia reſpondeamus. Et ſequentibus oſtēditur quomodo Chriſtus dominus caput ſit eccleſiæ & uices capitis in corpore ſuo obeat. Cæterū de obſcuritate huius loci queſti ſunt cum Hieronymus tum Theophylactus, at omnium expeditiſſime & breuiſſime uidetur explicuiſſe Martinus Bucerus, qui uerba Pauli ſic reddidit, Ex quo omne corpus coagmentatū & compactum per omnem commiſſuram, qua fit ſubminiſtratio, ſecundum efficaciam pro portione cuiuſq; partis, incrementum accipit, ad inſtaurationem ſuijpſius per dilectionem. Tantum Bucerus. Habent autem Apoſtoli uerba collationem tacitam & ob breuitatem ſatis obſcuram. Confertur enim cum capite humano Chriſtus, cum corpore eccleſia. Vegetatur ac uiuificatur à capite corpus. Inde enim defluit uitalis ſpiritus in oñe corpus quod è diuerſis membris uarie compactum atq; coagmentatum eſt. Habet autem cōmiſſuras ſuas ac neruos per quos fit adminiſtratio, id eſt per quas penetrat atq; dilabitur uis illa uiuifica. Nec temere illa in membra deriuatur, ſed pro cuiuſq; qualitate ac portione. Sunt enim alia alijs membris infirmiora, tenuiora craſſioraq;. Aliud ergo alia pro ſua cuiuſq;

Qua ratione ſit caput eccleſiæ Chriſtus.

ratione

ratione requirunt: interim uero totum corpus accipit incrementum & reſtauratur ſubinde. Hæc uero altera eſt pars ſimilitudinis, huic iam adhibe alteram, Chriſtus caput eſt, eccleſia corpus ipſius, Viuit ergo è ſpiritu Chriſti eccleſia. Hęc in uaria membra quidem ſi ſpectes officia diſtributa eſt, ſed ſuas interim commiſſuras habet ſuos neruos. Neruus hic qui compingit corpus hoc myſticum, & per quem defluit gratia uaria charitas eſt & unitatis ſtudium. Neq; enim manus aut pes amputatus particeps eſſe poteſt uirtutis à ſummo capite proficiſcẽtis. Neq; uero fortuito aut temere uim illam in membra tranſfundit, ſed pro menſura membri cuiuſq;, hoc eſt ut quodq; capere poteſt, & quantum cuiq; expedit & ſat eſt. Omnia tamen cedunt ad eccleſiæ incrementum, & ut quiſq; donum ſuum conferat in medium quo per communem charitatem ædificemus nos mutuo. Habes nunc qua ratione dicamus Chriſtum unicum eſſe caput eccleſiæ ſuæ, item qua ratione nos dicamur corpus illius eſſe, & quare nemo mortalium nedum Pontifex Romanus poſſit eſſe eccleſiæ Chriſti caput. Hactenus uero diſputatum eſt de concordia & unitate eccleſiæ ſeruanda.

ADHORTATIO AD SANCTIMONIAM VITAE.

Hoc itaq; dico & teſtor per dominum, ne poſthac ambuletis quemadmodũ & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita dei propter ignorantiam quæ eſt in eis & excæcationem cordis eorum, qui poſteaquam peruenerunt eò ut dolere deſierint ſemetipſos dediderũt laſciuiæ ad patrandam immunditiam omnem cum auiditate.

Deſcriptio uitæ impiæ & prophanæ.

Principium huius loci refertur ad initium huius capitis. Dixerat enim, Hortor uos ut ambuletis ita ut dignum eſt uocatione qua uocati eſtis. Repetit ergo nunc, Hoc itaq; dico ne poſthac ambuletis ut reliquæ gentes. Exponit eñ nunc copioſius ad quid ſimus à deo uocati, nimirum ad pacem & uitæ ſanctimoniam atq; integritatem. Quia uero de pace & unitate hactenus differuerat pergit abſoluere partem alterã de uitæ ſanctimonia uel paranda uel cuſtodienda. Cæterum ut hanc formaret melius & pingeret pulchrius & euidentius, diligentiſſime cõtrarium reuocat ob oculos uitam uidelicet gentilem hoc eſt prophanam & impiam, partim ut moneret ſatis indultũ eſſe impietati, partim ut turpiſſima facie rei indigniſſimæ auocaret ad munditiam, integritatem & ſanctimoniam. Prudentiæ autem & ciuilitatis illud eſt quod non dicit, Obteſtor ne poſthac ambuletis quemadmodum prius ambulaſtis, ſed quemadmodum reliquæ gentes, alieno exemplo ab immunditia deterrens, quanquam ipſos non exceperit, cum dixit, Sicut reliquæ gentes. Eſt tamen hoc ciuilius quàm ſi ſolis hæc impegiſſet ſcelera. Vehemẽtiæ autem illud eſt quod dicit, Non ſolum moneo uerum etiam obſecro & obteſtor per dominũ Ieſum nimirum eum cui debetis ſalutem ueſtram. D. Hieronymus hunc Pauli locum egregia expoſuit paraphraſi. Opinor autem Lectori non ingratũ futurum ſi eius expoſitionem aſcribam. Eſt autem huiuſmodi, Hoc ergo dico uobis, ô Epheſij, uosq; conteſtor, ut quia occurſuri eſtis in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, nõ ambuletis ſicut ambulant Gentes quæ idolis ſeruientes & ſenſu & mente abutuntur in praua: quæ cum ideo acceperint animã & intellectum ut cognoſcerent deum abalienati ſunt à uita eius, quam aliam abſq; Chriſto non nouimus, & in ſui cordis ambulant cæcitate. Atq; utinam peccaſſe ſufficeret & uel ſero agerent pœnitudinem damnarentq; uitia in quibus iugiter inhiarunt: eſſet remedium reſipiſcere poſt errorem: nunc uero deſperantes ſe & in ritum irrationabilium beſtiarũ cœno uoraginiq; mergentes tradiderunt impudẽtiæ atq; luxuriæ, operantes quicquid corpus uoluit, mens deſiderauit, libido ſuggeſſit. Et cum omnino nihil prætermiſerint quod immundum ſit, hoc totum fecere in auaritia, dum nunq; luxuriando ſatiantur, nec eorum terminũ habet uoluptas: aut certè ultra conceſſam uiri ad fœminam ad maiora conſcendunt maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Hæc Hierony. Exiſtis uero intelligimus

Gradus uitæ impiæ.

uitam impiam habere gradus quibus ad auernum & baratrum perditionis descēditur. Primus gradus est uanitas mentis, mens uidelicet uacua numinis ac religionis, quæ notis illis à deo sibi insculptis perq; institutiones uarias expolitis uel contemptis uel expunctis cogitationes suas sequitur. Inde enim existit Obtenebratio, ut quod uerum simplex ac purum est non uideat idq; præ nebulis illis à carne nobis & uana mente offusis. Atq; qui eiusmodi sunt alienati sunt à uita quæ ipse deus est, hoc est ἄθεοι sunt, idq; propter ignorantiam dei quæ in illis est. Quemadmodum autem scientia & timor dei omnis boni fons est: sic dei contēptus & ignorantia omne de se malum fundit. Sequitur ergo excæcatio cordis, quæ obtenebratione grauior est. Excæcati enim apertis oculis nō uident & destinata malitia falsum pro uero amplectuntur. Sequitur igitur Indolentia. Et ἀλγεῖν Græcis dolere est ἀπηλγηκώς autem qui dolere desijt quiq; eo duritiæ peruenit ut ad omnem naturę sensum obsurduerit. Excæcati enim ueluti stupentes in omne ruunt uitium scelus flagitium. Vnde denuo sequitur, Dediderunt semetipsos τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ, id est lasciuiæ ad patrādum immunditiam omnē cum auiditate. ἀσελγείαν autem uocauit omnem incontinentiam, petulantiam, libidinem et impudicitiam, adeoq; uitam Sardanapalicam. Per interpretationem enim sequitur, Ad patrandum omnem immunditiam idq; libidine quadam noua immodica & insatiabili. Id enim pollet πλεονεξίαν. Plura require in 1. cap. ad Roma. Habes gradus impietatis quibus merguntur impij in profundum, contrarijs itur ad astra.

Vos autem non sic didiciſtis Chriſtum, Siquidem illum audiſtis & in eo docti fuiſtis, quemadmodū eſt ueritas in Ieſu deponere iuxta priorem conuerſationem ueterem hominem qui corrumpitur iuxta concupiſcentias erroris, renouari uero ſpiritu mentis ueſtræ & induere nouum hominem qui iuxta deum conditus eſt per iuſtitiam & ſanctitatem ueritatis.

Vitæ ſanctæ deſcriptio.

Prophanæ Gentiliū uitę Chriſtianam hoc eſt ſanctam opponit, hancq; nobis uarijs commendat nominibus. Vos inquit non ita in religione Chriſtiana inſtituti eſtis, ſi modo Chriſtus uere uobis in pectora loquutus eſt, ſi ſerio illius religionē ſuſcepiſtis. Suſcipiunt eñ quidā quod in quauis religione placet, quod aduerſum eſt reſpuunt. Audiſtis autē quod ueritas ſit in religione Ieſu Chriſti. Veritatē autem opponit uanitati excęcationi & immunditiæ, ut ueritas hoc loco hoc ipſum ſit quod fides iuſtitia & integritas. Sic enim apud Hebræos in prophetis ſæpe uſurpatur. D. Hieronymus exponit, Quomodo eſt ueritas in Ieſu, ſic erit & in uobis qui didiciſtis Ieſum Chriſtum. Cæterū ipſe Paulus exponit ſeſe quid per ueritatē intellexerit, cum dicit, Docti eſtis deponere iuxta priorem conuerſationem ueterē hominem &c. Proinde ueritas eſt ueteris hominis depoſitio. Et uetus homo aliud non eſt q̄ prior illa conuerſatio, prior inquā quàm in religionē Chriſtianam conceſſerimus, & qualem iam iam deſcripſit apoſtolus. Initio quidem ſanctum condiderat hominem deus, ipſe ſua culpa decidit ab innocentia & per propriam corruptus eſt concupiſcentiam, per quam & hodie corrumpuntur quotquot corrumpūtur. Inde enim et concupiſcentia erroris dicitur. Nam in errores atq; peccata abducit. Iccirco cum iubet deponere ueterem hominem, nil aliud iubet quàm uanitatem mentis, tenebras, ignorantiam dei, excæcationem, indolentiam & immunditiam ponere, contraria uero in locū ſurrogare. Sequitur enim, Docti eſtis renouari ſpiritu mentis ueſtræ. Mens enim actionum fons & origo eſt: hanc ergo renouari oportet, ſi ſancta conſequi debent opera. Renouatur autem per ſpiritum dei, qui facit ut prior conuerſatio nunc diſpliceat, iuſtitia autem et ſanctitas qui fructus ſpiritus ſunt placeant. Nam renouari non eſt aliud quàm nouum hominem induere. Veterem hominem gerimus dum ad exemplum Adæ uiuimus. Nouum hominē induimus dum ad ſimilitudinem Chriſti reformamur.

Vetus & nouus homo.

Iacobi 1.

Imago dei.

Hic reſtituit in nobis imaginem & ſimilitudinem dei ad quam eramus conditi. Hæc porrò uera ſanctitas integritas & iuſtitia eſt. Proinde qui iuſte & ſancte uiuunt & renouati

ſunt

sunt per spiritum, & nouum hominem siue Christum dominum induerunt, referunt item dei imaginem ad quam eramus conditi. In hoc enim conditi sumus ut sancti & integri coram ipso ambulemus. Mirus est hic locus & multis de caussis diligentissime obseruãdus, maxime quod tribus uerbis disputationem illam intricatam & à multis anxie tractatam de similitudine & imagine dei discutit. Ad sanctificationem porrò hanc absoluendam faciunt & consequentia.

CONTRA VARIA PECCATA ET SCELERA.

Quapropter deposito mendacio loquamini ueritatem quisq; proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Irascimini & non peccetis, sol ne occidat super iram uestram, neq; detis locum calumniatori. Qui furabatur non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut possit ei impartiri qui opus habuerit.

Rectè Gaspar Megander dilectus in Christo frater noster, cuius docti & pij in hanc epistolam extant commentarij, quorum nos opera in nostris non uulgariter iuuamur, Per Mendacium, inquit, omnem dolum, fraudem, calumniam & insidias intellige, quibus uersuti circumueniũt proximos suos in negotiationibus. Rursus per ueritatem, syn ceritatem, candorem, simplicitatem ac integritatem intelligit. Vera ergo sanctimonia fucum, artes & mẽdacia nescit. Pythagoras interrogatus quid nam homines potissimum simile dijs faciat? Cum uera, inquit, loquuntur. Et Christus dominus, Sit autem sermo uester est est, inquit, & non non. Nigidius uero apud Gelliũ, Vir bonus ait præstare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Huc iam pertinet delatio, calumnia, adulatio. Pari enim ratione hæc cum mendacio damnantur. Caussa adiungitur, Quoniam sumus inuicem membra. Atqui membrum membro nihil incommodat. Nemo enim posthac alteri nocere potest ut sibijpsi non noceat prius. *Mendacium.*

Iam cum Ira uiri iustitiã dei non efficit, subiungit, Irascimini & ne peccetis. Cæterum uerbis prophetę è Psal. 4. petitis non iubet nos irasci Apostolus, sed si contingat irasci, ut homines sumus affectibus & infirmitatibus obnoxij, ne peccemus, id est iram cõpescamus, ne ad iniuriã usq; progrediatur. Huc enim pertinet quod sequitur, Sol ne occidat super iram uestram. Id est, Si aliquando contigerit turbari atq; irasci, curate ne diuturna sit ira uestra. Est enim notatio periphrastica. Et Eras. in Annotat. Nec est, ait, iracundia Græce quæ uox Latinis non tam iram q̃ naturæ uitium aut certè habitum significat animi facile irascentis, sed παροργισμῷ, id est iram siue commotionem aut irritationem, ut intelligamus ei qui lacessitus sit iniuria, etiam si quid doleat, tamen eum dolorem breuem esse oportere, & citra retaliationem iniuriæ debere cõsistere inter Christianos. Sequitur caussa cur id conueniat facere, Ne detis locum τῷ διαβόλῳ calumniatori siue diabolo. Quidam enim referunt ad ethnicos, ut sit sensus, Ne scilicet uideamini ethnicis esse uindictæ cupidi aut contentiosi iræq; nimium dediti. Melius tamen referetur ad ipsum satanam, de quo D. Petrus scripsit, Circumit ueluti leo rugiens quærẽs quem deuoret. Vbi ergo repererit te retinentiorẽ iræ esse & ὑπόλοιπον intra pectoris secreta nutrire, obseruans occasionem non cessabit, donec illud uel per contentionem, uel rixas, uel iniuriã uel cædem eliciat, id est donec tu illud uitæ periculo animæq; detrimento maximo euomas. Nam iratus uel facinus consilium putat. Proinde tempestiue resecanda est diabolo occasio, expectorãda ira, ne tantum malum in nostri gliscat perniciem. Scripsit Seneca de ira ad Nouatum egregios libros tres, multa in his de hac sancte & Christiane disputans. *Ira.*

Ad Mendacium pertinet etiam Furtum, de quo nunc sequitur. Quia enim hi (ut ait Hieronymus) qui in uitæ istius negotijs uersantur propter alimenta & usus necessarios coguntur aliqua uel emere uel uendere & lucra de negotiatione sectari, & difficile est etiã eos qui à cæteris passionibus liberi sunt, fornicatione uidelicet, idololatria, adulterio & homicidio, hoc uitio non teneri, ideo nũc Ephesios monet ne sub occasione emolumenti, furti crimen incurrant, Furtũ nominans omne quod alterius damno quæritur. Neq; *Furtum.*

uero Christianus aliena non tollere iubetur, sed & laborare, ut de labore suo & se familiamq; suam sustentare, & quæ prius abstulerat repẽdere & sibi in futurum de iuste partis thesaurizare possit. Hæc enim est uera iustitia. Ita uitam suam instituêre ueteres illi ac sanctissimi patriarchæ. Illos imitari sanctum est, monachos uero & Anabaptistas otium quoddam & communitatem rerum prædicantes mireq; respub. perturbantes sequi, est per malitiã proximis officere & cum ratione quod dici solet insanire. Disertè autem dicit, Laboret manibus quod bonũ est, ut curiosas artes, imposturas usurasq; illicitas ex-
Labor. cludat. Laborant enim quidam satis strenue, sed præstaret otiosos esse. Expilant enim & deglubunt miseram plebeculam. Contra hos grauiter perorarunt prophetæ. Nolim tamen hic quenquam in explicandis Pauli uerbis esse superstitiosiorem, quasi uero omnis labor illicitus sit qui non fiat manibus. Sanè inuenias homines qui credant neminem laborare nisi qui aratro terram scindit, ligone fodit, rastro complanat. Si bonum & utile est reipub. quod agis, si neminẽ fraudas, sanctus est labor cui te dedidisti, siue manibus siue pedibus, siue corpore siue animo tandem labores. Nonnihil huius annotauimus & in 12. cap. prioris ad Cor. Sequentur quædam & in 1. ad Thessal. 4. cap. & 2. ad Thess. 3. cap. Cæterum si quis ad hoc tantum laborat ut ipse non egeat nec cuiquam cogatur esse oneri, interim à miseris & egentibus manum contrahit, quanquam applaudat sibi nondum tamen Apostoli præceptum impleuit. Nam aliâs quoq; scriptum est, Frange esurienti panem tuum, exulem induc in ædes tuas, nudum operi, mutuum da poscenti, neq; auerteris uultum tuum ab ullo paupere. Honora deum de tua substantia. Si tibi multæ cesserunt facultates, multum quoq; fis misericors: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude.

Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem quoties opus est ut det gratiam audientibus: & ne contristetis spiritum sanctum dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis.

Lingua mala. Theophylactus, Malum sermonem inquit non otiosum dicit, superuacaneum & intempestiuum, qualis scurrilitas est & fœde dictum, Græce tamen σαπρὸν habetur, hoc est putre & fœtidum: turpiloquium nanq; iurgia & detractationes putrida sunt & infecta. Tantum ille. Non ergo satis est manus habere cõtinentes dicit Apostolus nisi & lingua sit innoxia. Varijs modis solet esse pestilens mala lingua, turpiloquio inficit, obtrectatione infamat, delatione iugulat, mendacio fallit ac peierat. Nullus itaq; sermo malus proficiscatur ex ore uestro. Mentis imago est oratio. Si mente pura estis, non conuenit exire impurum sermonem. His per omnia congruunt etiam D. Ambrosij uerba quæ sic habent, Quid prodest mundam uitam habere & os sordidum, cum dicat dominus quod unusquisq; uerbis suis aut iustificeꝫ aut cõdemnetur? Nec credibile potest uideri bene uiuere eum qui male loquatur. Neq; uero satis est ut innoxius sit Christiani hominis sermo, nisi & utilis sit. Sequitur enim, Sed si quis est bonus ad ædificationem. Aedificationem autem dixit profectũ, unde scilicet meliores reddimur: id autem fit cum in tempore & loco quid dicimus. Appenditur enim ὁ χρεὼς, hoc est necessitatis, siue ut interpres noster uertit, quoties opus est. Ac si dicat, Nullum depromatur per uos intempestiue & incõmode dictum, neq; ultra uelim loquamini q̃ ferat necessitas. Vt scilicet det gratiam audientibus, id est, ut gratiam habeat apud audiẽtes atq; utile sit. Gratiam nullam habẽt putrida, utilitatis nihil. Rosam autem pertractat manibus & odoramenta odoris gratissimi percipit qui honesto & sancto assidet colloquio. Additur præterea caussa quæ à turpiloquio absterreat, Ne contristetis spiritũ sanctum dei per quem obsignati estis in diem redemptionis. Non quod ullam perturbationem sentiat diuinitas, sed quo ex uerbis nostris rei intelligamus indignitatem. Deinde quod qui spiritu sancto obsignati sunt per turpiloquium & detractionem contristentur. Sibi uero factum reputat deus quod suis fit. De obsignatione superius dictũ est. In diem redemptionis, dixit pro eo quod est, Obsignati estis spiritu sancto, ut magna spe expectare in integritate possitis eum diem quo

olim

olim eſtis liberandi ab omnibus malis & donandi æterno præmio. Ea dies cuiq; extrema eſt qua in fide diſcedit, deinde & iudicij extremi ad quod exuſcitabuntur corpora noſtra ut & ipſa cum animabus æternum uiuant. Hodie turpiloquentia & obſcœnitate, calumnijs item omnes conſeſſus ac congreſſus noſtri, omnia conuiuia noſtra, omnia deniq; colloquia noſtra ſqualent ac fœtent. Væ nobis ni corruptiſſimos emendemus mores. Peribimus enim propediem omnes.

Omnis amarulentia, & tumor, & ira, & uociferatio, & maledicentia tollatur à uobis cum omni malitia. Sitis autem inuicem alius in alium comes, miſericordes, largiẽtes uobis inuicem quemadmodum & deus per Chriſtum largitus eſt uobis.

Amarulẽtia & ira.

Plana ſunt quæ dicit. Vtinam illa tam fideliter præſtaremus q̃ facile intelligimus. Proprie autẽ Theophylactus, Suſtulit partim ſuperioribus iram, ait, nunc uero eandem radicitus tollit. Amaritudo nanq; iracũdiæ & furoris radix eſt, at ubi acrior iræ tempeſtas inhorruit uehementius oris operculum ſuperat fluctibus & per omne corpus diffundi tur, & hominem ipſum efferat. Sequitur ergo uociferatio & calumnia, conuitium & maledicẽtia cum omni ſimul malitia. At nos qui in nouitate uitæ ſumus uocati alios decent mores qui ſint ad exemplum dei & ſaluatoris noſtri deformati. Is autem condonauit nobis omnia delicta noſtra, condonemus & nos conſeruis noſtris. Non rependit ille conuitiũ conuitio, ne ergo & nos cõtentioſi ſimus. Nulla in illo indignatio (θυμὸς) ferocia, tumor & impetus concitati animi ac ira, ſimus ergo & nos placidi, benigni & benefici, ut per omnia reſpondeamus benigno patri. Vide Iacobi 3.

Sitis igitur imitatores dei tanquam filij dilecti & ambuletis in dilectione quemadmodum & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac uictimam deo in odorem bonæ fragrantiæ.

CAP. V.

Dilectio expungit omnem indignationem.

Dilectio opponitur iræ & indignationi adeoq; hac expungitur ex corde omnis amaritudo. Dilectio enim plena eſt fructibus ſuauiſſimis. Quod ergo cœpit in præcedẽti ſententia hoc ipſum hiſce nunc abſoluit plenius, ut inepte hæc diremerit qui Paulum in capita diſtinxit. Exemplo enim dei & Chriſti nos hortatur ad dilectionem. Per ſpiritũ ſanctum facti ſumus filij dei, at filiorum eſt geniũ patris referre moribus. Pater autem ipſa charitas eſt, & inſignem charitatem erga nos ſuam declarauit nobis, cum filiũ ſuum in mortem pro nobis dedit. Nec minore charitate filius nos cõplectens ſponte patris obſequens uoluntati ſeſe tradidit crucis ſupplicio. Si ergo ad hunc modũ dilexit nos cum patre filius, æquum eſt ut nos mutuo impenſe diligamus, 1. Ioan. 4. Obiter interim inſerit myſteriũ redemptionis Chriſti pro more ſuo. Alludens enim ad hoſtias à ueteribus oblatas deo, Tradidit inquit ſemetipſum pro nobis oblationem ac uictimã deo in odorem bonæ fragrantiæ: quod nihil aliud eſt q̃ ſi dixiſſet, Obtulit ſe deo patri ut grata eſſet hoſtia illumq; nobis placaret & nos illi gratos faceret. Proinde odorẽ ſuauitatis poſuit pro odore ſuaui & grato. Et Gen. 8. legimus, Et ædificauit Noë altare dño, & tulit ex omni pecore mundo, & ex omni uolatili mundo, & obtulit holocauſta in altari. Odoratusq; eſt dñs odorem recreationis, id eſt quo recreabatur, & dixit in corde ſuo, Non adꝺiciam ut amplius maledicã humo propter hominem &c. Itaq; & propter Chriſti hoſtiam patri gratiſſimam nobis placatus eſt, & maledictionẽ à nobis abſtulit, benedictionem autem in Chriſto contulit. Plura de hoſtia Chriſti diſputauimus in epiſt. ad Hebræos.

Cæterum ſcortatio & omnis immunditia aut auaritia ne nominetur quidem inter uos ſicut decet ſanctos, aut obſcœnitas, aut ſtultiloquiũ, aut urbanitas quæ non conueniunt, ſed magis gratiarumactio. Nam hoc ſcitis quod omnis ſcortator, aut immũdus, aut auarus qui eſt ſimulachrorum cultor non habet hæreditatem in regno Chriſti ac dei.

Fornicatio & auaritia.

Pertinent & hæc ad expletionem ſuperiorum in quibus mentionem fecit libidinis,

turpiloquiũ, impoſturæ & ſimilium ſcelerum. Exiſtimarũt autem Gentes Veneris uſum extra matrimonium ſimiliter & lucri pecuniæq; ſtudium neq; ſcelus eſſe neq; flagitium. Quibus haud impares impietate illi ſunt qui hodie dicunt, Fornicationẽ ſimplicem, hoc eſt concubitum ſoluti cum ſoluta (ſic enim loquuntur) non eſſe peccatum. At Paulus, Tam inquit alieni debent eſſe mores ueſtri à fornicatione, immunditia & auaritia (tria enim illa coniungit de quibus diſputarat in ſuperioribus) ut non modo ea feciſſe peccatum ſit, ſed uel nominaſſe turpiſſimũ. Eſt autem amplificationis ſpecies, ſignificans mores Chriſtianorum omni modo alienos eſſe debere ab illis. Germani eadẽ loquendi forma utẽtes dicimus, *Es hat nun nit nammen. Man ſols nun nit nemmen*, id eſt tam turpe eſt, ut ne nominari quidem mereatur, ſed præſtet memoriam eius omnino eſſe abolitam. Addit argumentum à decoro per contrarium, Sicut decet ſanctos. Illa prophana & ipſa immunditie immũdiora ſunt. Dedecent ergo ſanctos. Nos autem ſancti ſumus, quos fides per ſanguinem Chriſti ſanctificauit. Recenſet item ſpecies concomitantia & affixa ſcortationi aut immunditiæ. αἰσχρότης obſcœnitas, per quam ſcilicet flamma libidinis uel excitatur uel fouetur. Cuius generis ſunt carmina illa amatoria, fabulæ de amantibus compoſitæ, & impurorum hominum de re Venerea diſſertationes: ſed uerbis non eſt opus, extant multa impudicorum poëtarum turpia carmina, audiũtur quotidie obſcœnæ diſputationes eorum qui ſummã felicitatem in fœditate illa collocarunt, de qua & ſomniant, cantillant, & ubiq; & apud omnes perfricta fronte garriunt. μωρολογία ſtultiloquiũ eſt non eorum modo qui aliqua narrant turpia ut riſum moueant, & fatuitate ſimulata magis illudant eis quibus placere deſiderant, ſed etiam eorum (ut ait Hieronymus) qui ſapientes ſæculi putantur, & de rebus phyſicis diſputantes dicunt ſe arenas littorum guttas Oceani & cœlorum ſpatium terræq; punctum liquido comprehẽdiſſe. Germani uocabulo noſtro propè aſſequimur Græcanici uocis uim iocos appellantes, *Narrentåding vñ narrenwårck*. εὐτραπελία facetia eſt ſiue lepos & urbanitas, quæ etiam in bonam accipitur partem, hic autem ſcurrilem intelligit urbanitatem uiro graui indignã. D. Hieronymus uertit iocularitatem. Heluetice *Gůt ſchwenck*. Interim non præcipitur iſtis Pythagoricum ſilentium aut ſeueritas aliqua Stoica, ſed Chriſtiana temperantia & moderatio prudẽs. Additur enim τὰ οὐκ ἀνήκοντα, id eſt quæ non conueniunt, hoc eſt quæ uobis nil conferunt, nec ad bonos mores uel uitam honeſtam conducunt: ſed magis εὐχαριστία, id eſt gratiarũactio ſiue laus, id eſt eiuſmodi ſit quod proponitur ut uel deo referat gratias & laudem tribuat uel audientibus gratum & utile ſit, hoc eſt, eiuſmodi ſit ſermo tuus ut ex eo & deus laudetur & proximus in ſanctimonia ædificetur. His addit iam minas. De quibus diſputatum eſt in 1. ad Corinth. 6. cap. & Galat. 5. Auaritiam autem ideo appellauit idololatriam quod quemadmodũ omnes idololatræ praue de deo ſentiunt, & uanitate mentis ſuæ decepti ſimulachra deo ſuo erigunt in cultum & monimentum. Sic omnis auarus cupiditate ſua abductus pecuniam ueluti idolum complectitur. Cæterum Chriſti & dei non ideo dixit quod deus ſit diuiſus aut Chriſtus à deo, ſed quod deus parauit nobis regnum per fidem Chriſti hæreditate poſſidendam.

Ne quiſquam uos decipiat inanibus ſermonibus. Propter hæc enim uenire ſolet ira dei in filios inobedientes. Ne ſitis igitur conſortes illorum.

Corrũpunt bonos mores colloquia praua.

Erant apud Epheſios homines corrupti, ut hodie apud nos plurimi ſunt qui hæc ſalutaria dei præcepta cachinno excipientes obſtrepunt humanum eſſe quod faciant amatores, utile quod fœneratores, facetum quod ioculatores, & iccirco deum non uſq; adeo grauiter animaduertere in iſtiuſmodi lapſus, ſic enim norunt extenuare & luxare uerbũ domini. Propter peſtilentiſſimos ergo illos homines addit, Ne ſinatis uobis imponi friuolis ſermonibus quorundam immundorum hominum. Certum enim eſt uerbum dei quod exitiũ iſtis intentat, ut ut iſti ſcelus ſimul & pœnam ſceleris imminuant. Nam hoc ſentit cum ait, Propter hæc ſcilicet ſcortationem, immunditiam, obſcœnitatem, ſcurrilitatem, auaritiam & urbanitatẽ uenire ſolet ira dei in filios inobedientiæ. Iram autem poſuit

fuit pro uindicta. Filios autem inobedientiæ uocauit contumaces illos homines, qui & deum & legem eius respuunt atq; suggillant. Exempla iræ dei in scortatores immundos & auaros ubiq; in sacris obuia sunt. Occurrit enim protinus diluuiũ, occurrit excidium Sodomæ & urbis Gabaa, item interitus & strages filiorum Israël in deserto, Nume. 25. ut infinita alia taceam. His infert, Ne sitis igitur consortes illorum. Non iubet illos deseramus & in abdita syluarum nos recipiamus, sed ne simus consortes illorum, id est curemus ne uita nostra congruat cum illorum uitijs, 1. Petri 4.

Eratis enim quondam tenebræ, nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate (nam fructus spiritus situs est in omni bonitate, iustitia & ueritate) probantes quid sit acceptum domino, & ne commertium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius etiam arguite. Nam quæ secreto fiunt ab istis turpe est uel dicere: sed omnia dum produntur à luce manifesta fiunt. Nam quicquid manifestum redditur lumen est. Quapropter dicit, Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis & illucescet tibi Christus.

Stimulis uehementissimis adhortatur ad sanctimoniam. Olim, inquit, illorum eratis consortes, adeoq; non modo tetrici & fuliginosi sceleribusq; commaculati, sed ipsæ tenebræ eratis. Versabamini enim in nocte incredulitatis: at posteaquam consecrastis uos domino, annitendum uobis ut non lucidi modo sed ipsa sitis lux, hoc est, ut ambuletis uitamq; uestram instituatis sicut decet filios lucis. Cæterum filij lucis sunt qui ædunt de sese fructus spiritus. De quibus dictũ est in Galat. cap. 5. Sed & bonitatem opposuit amarulentiæ & iræ, iustitiam auaritiæ, furto & circumuentioni, ueritati uero mendaciũ. Iam qui hos proferũt fructus non quid hominibus placeat spectant, sed quid deo, cui placet bonitas, iustitia, ueritas, sicut ad Roma. 12. idem quoq; docuit. Præterea nullum habent filij lucis commertium cum operibus infrugiferis tenebrarum. Non separantur ab infidelibus quod tamen Catabaptistæ miris urgent clamoribus, sed cauent sibi ab impiorũ operibus quæ nullũ proferunt fructum q̃ dedecus & mortem. Nunc enim hoc planius exponit quod in superioribus breuioribus pronunciarat, Ne sitis consortes illorũ. Neq; uero satis est si non simus cõsortes illorum, nisi & arguamus opera, id est protrahamus in lucem quæ illi patrant in tenebris & occulto. De his autem nunc non est dicẽdi locus quando turpiora sint q̃ quæ commemorare liceat. Discimus autem ex uerbis Pauli arguenda esse scelera eorum quibus cum uiuimus, sed in tempore & loco, ut interim non obliuiscamur uerbi domini iubentis cauere à porcis, & canibus nequaq̃ obijcere sanctum. Verum de his quẽdam paulò post cõmonebit quemadmodũ annotauimus ex Ambro. Discamus item pudorẽ decere sanctos, ne scilicet nimis libere differant de rebus immundis & turpibus. Abutuntur hic quidã nimia licentia, egregiũ putantes si in hac re iuxta prouerbium, ficus ficus, & ligonem appellitent ligonem, cum re uera in Christianũ pecent pudorẽ turpissime. Paulus enim turpe iudicauit ea dicere quæ secreto fiunt à gentibus. His iam addit fructũ & utilitatem obiurgationis, ne uidelicet crederẽt omnẽ obiurgationem esse inutilem. Omnia ait dum produntur à luce manifesta fiunt. Quã sententiam exponens Ambro. Verum est, ait, quia tunc uidentur peccata cum obiurgantur. Quia qui peccat quandiu non corripitur minime sibi uidetur peccare. Sequitur autem & alia sentẽtia, Quicquid autem manifestum redditur lux est. Hoc est, Quæ peccata per obiurgationem protrahuntur in lucem, pudorem incutiunt, & proinde lumen esse incipiunt per pœnitentiam & fructum melioris uitæ cõsequentem. Iam in genere ad omnes conuersus, omnes hortatur ad consortium lucis. Quasi dicat, Atq; huc quidem uocauit iam olim propheta dicens, Expergiscere qui dormis & surge à mortuis & illucescet tibi Christus. Dormiunt autem qui in nocte cæcitatis securi sertuntur in uoluptatibus. Lœtalis illic somnus est, unde & à mortuis surgendum esse suadet, id est, iubet nos à nocte & tenebris scelerum emergere. Emergunt autem qui peccata sua agnoscunt, ipsáque

deo confitẽtur. At talibus Christus dominus propitium admodum sydus illucescit ad salutem. Cæterum perfrequens est in sacris literis allegoria lucis & tenebrarum. Et consequentes loci huc plurimũ conducunt Ioan. 3. 1. Ioan. 1. Roma. 13. & 1. Thess. 5. cap. Locus autẽ qui adducitur à Paulo uidetur sumptus esse ex 60. cap. Isaiæ, quod uidelicet sensum attinet non uerba. Detorsit enim locum illum nõnihil ad suum institutum, ut aliâs multa utitur libertate Apostolus in citãdis ueteris scripturæ testimoniis. Isaiæ uerba hęc sunt, Surge, fulgida esto, quia uenit lux tua, & gloria domini super te orta est. Ea si paraphrasi interpreteris & exponas quid sit surgere, quid lumen siue fulgidam fieri, & quod lux illa ueniens Christus sit, colliges uerba Apostoli, Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis & illucescet tibi Christus. D. Hieronymus negat usquã reperiri id in diuinis literis, sed uel ex apocryphis depromptum existimat, uel ab ipso Paulo prophetico spiritu proferri.

Videte igitur quomodo circumspecte ambuletis, non ut insipientes sed ut sapientes, redimẽtes occasionem quod dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas domini.

Prudentes sint Christiani.

Cum uero multo cum periculo coniunctum sit agere inter eos qui non modo luxui & nequitiæ consecrati sunt, quin potius in omni immunditia & iniquitate sese uolutantes quodammodo superare contendunt, hortatur nunc ut prudentes simus omniumq; rerum dispendio redimamus uerã parandæ salutis opportunitatem, ne uspiam excutiamur à parta salute per corruptissimum illud sæculum in quo agimus, sed probemus potius quæ sit uoluntas domini, 1. Thess. 4. Varie quidẽ hic locus expositus est ab interpretibus, uerum hæc uidetur omnium esse simplicissima explanatio, cui hæc interim addimus quæ in hæc uerba scripsit D. Ambro. Quoniam superius perfidiã & uitia uitæ à dei seruis arguenda mandauit, nunc ut prudenter ea ipsa arguantur propter scandalũ, subiecit ut inter perfidos cum prudentia cõuersandum sit maxime tempore quo perfidi regnant præsumentes de rege prophano, ut si uiderit Christianus inquietũ & iracundum contradictorem, dissimulet ab eo ne eum quidem incitet ad blasphemiã & tempestatem mouendã, illic autem uerba faciat ubi datur facultas. Hoc est enim prudentis scire quem admodum unicuiq; respondeat. Est enim qui quamuis perfidus sit, non tamen penitus intractabilis est. Est iterum in quo sic feruet zelus perfidiæ, ut non tantum non cum illo sed nec præsente illo tractetur de fide. Perstrepente enim illo & blasphemante multis fit scandalum. At hæc est uolũtas dñi, ut quæ agenda sunt à seruis eius cum modestia agantur. Perturbatio enim & strepitus siue contẽtio cum animositate inimicitiã generat. Vas ergo electionis Paulus, Si potest inquit fieri quod ex uobis est cum omnibus pacem habentes. Et ad Timoth. Seruum ait domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Hactenus Ambro. Plura de opportunitate siue occasione obseruanda in opere Adag. Erasm. Chil. 1. cent. 7. adag. 70. Nosce tempus.

Et ne inebriemini uino in quo luxus est, sed impleamini spiritu loquentes uobismetipsis per Psalmos et hymnos & cantiones spirituales canentes & psallentes in corde uestro domino, gratias agentes semper de omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri.

Contra ebrietatem.

Scortationis obscœnitatis & immunditię fomes est ebrietas siue conuiuia luxuriosa, iccirco scribit nunc contra ebrietatem & conuiuia luxuriosa. Maro sub finem 1. lib. Aeneid. egregie quoq; pinxit quid cõuiuia sequatur huiusmodi, strepitus, chori, cantilenę, amor cupidineus, uini profusio, & omnis intemperãtia. Nec frustra hic luxũ omnemq; intemperantiam posuit in uino. Notum est enim illud Comici, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Notus est & Lothi incestus qui ex ebrietate tradit̃ obortus. Est præterea ebrietas & contumeliarũ non uoluptatum modo fons, utrunq; sub intemperantiam refertur. Vnde Anacharsis ille Scytha prodidit uitem uuas tres ferre, primam uoluptatis, secundam ebrietatis, tertiam contumeliarũ. Alius quidam huic non absimile proferens,

Prima

Prima ait cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad uoluptatem, quarta ad inſaniam. Rectiſſime ergo apoſtolus, In uino inquit luxus eſt. Temulentiæ porrò opponit, Sed impleamini ſpiritu ſancto. Quę autem uis ſit ſpiritus ſancti, qui fructus, recitatum eſt in cap. 5. ad Galat. Temulentiam conſequuntur colloquia obſcœna, choreæ laſciuæ, ineptæ & turpes cantiunculę, hoc eſt elegiæ & carmina amatoria, clamores Bacchici hoc eſt indecori, tum enim Lyeum uocant, ut ille ait, tum uina coronant. His igitur omnibus opponit, Loquentes uobisipſis per pſalmos & hymnos & cantiones ſpirituales. Canentes inquam non indecoris clamoribus, qui ut auditum eſt, mos temulentorum eſt, ſed intus in animis & cordibus ueſtris. Non ergo eſt quod hinc præſidia quærãt qui ſub prætextu prolixarum precum domos deuorant uiduarum uendentes cantum illum templorum quem Gregorianum uocant. Nihil hic agitur de cantu templorum, ſed de eo qualia eſſe debeant Chriſtianorum conuiuia. Id enim occulta quadam antitheſi cum Gentium conuiuijs docet. Interim uero non damnamus ſanctum quarundam eccleſiarum ritum uulgari lingua, nullo pro precio, communiq; concentu canentiũ in templis Pſalmos & Hymnos pios. Neq; uero & illas damnamus eccleſias quæ nullos canunt. Satis enim eſt ſi apud has ſit ſancta & iuſta oratio. Sed & liberũ omnino eſt canere uel non canere, prout eccleſiarum ratio & decus flagitarit. Omnia enim decenter, inquit apoſtolus, et ſecundum ordinem fiant. Meminerint tamen illi diuerbij Ne quid nimis. Nã quo pauciores ritus induxerimus in eccleſias hoc minus incommodare poterunt cum tempore noxij abuſus. Quid uero differant Hymni à Pſalmis excuſſerunt alij curioſius, ego quodlibet doctum pium & utile carmẽ intelligo quo uel deus laudatur, uel uirtutes prædicantur, uel uita noſtra inſtituitur. Canimus autem corde tametſi taceat os, quoties alacri & hilari mente recolimus nobiſcum beneficia dei cum gratiarũactione. Cætera Pauli uerba omnia plana ſunt, niſi illud fortaſſis cuipiam uideatur annotandum quod ſuo iterum more loquutus eſt, deo & patri, dicens, nõ quod patrem ſeparet à deo, ſed quod explicet deum non tam omnipotentem eſſe quàm beneficum & patrem. Contra ebrietatem plura lege apud Iſaiam in 5. Amos 6. 3. Eztræ 3. cap. item apud Plinium lib. 14. cap. 22. et Senecam epiſt. lib. 12. ad Lucilium epiſt. 94. &c.

Cantus.

1. Cor. 14.

INSTITVIT VARIA CHRISTIANORVM OFFICIA.

Subditi eſte uiciſſim alius alij cum timore dei.

Præmittit caput & fundamẽtum omnium officiorum humilitatem & timorem dei. Nam ſine his languent omnia officia. Qui enim nec deũ timet, nec hominibus uult ſubijci ſed omnibus præeſſe & imperitare, ſuperbia ſua & impietate cœlum quod dici ſolet terræ miſcet. Homine enim impie arroganti & elato nil afflauit unquam peſtilentius aura. Qui autem deum timent & humiles ſunt, ad omne opus bonum appoſiti ſunt.

Timor dei & humilitas.

Vxores propríjs uiris ſubditæ ſitis ueluti domino. Quoniã uir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chriſtus caput eſt eccleſiæ et idem eſt qui ſalutem dat corpori. Itaq; quemadmodum eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & uxores ſuis uiris ſubditæ ſint in omnibus.

Matrimonium Chriſtianum haud temere primum inſtituit. Rectius enim atq; melius habebunt etiam reliqua officia ſi recte inſtitutum ſit coniugium. Iuuentus enim reipublicæ ſeges eſt: at ſi grando aut alia quædam calamitas ſegetem corrumpat, meſſis nulla fuerit ſpes reliqua. Et ſi recte inſtituantur aduleſcentuli atq; pueri, rectius per omnes ætatum auctus habebunt. Sed quid ſaperent aut diſcerent liberi in male inſtituto coniugio? Male inſtitutum coniugium eſt in quo rixis & uerberibus certatur de imperio, in quo nulla partium ſuum facit officium, in quo deeſt timor dei, nullaq; certa ratio rerum gerendarum habetur. Ita enim animo & corpore pereunt miſeri, perdunt & liberos. Sequitur inopia maleſuada, fraus, mendacium & omnis iniquitas, denique & extremum ſupplicium deſperatio. Proinde ut tanta mala è domo propelleret Chriſtiana Paulus, diligenter inſtituit matrimoniũ, & primo præſcribit uxori ſua officia. Huius partes ſunt

Coniugiũ Chriſtianum.

Titum 2.

maritum ſancte reuereri, huius imperium agnoſcere, obedire & ſponte quidem, imò & amare eundem candide, uere & ſynceriter. Arduum enim id eſt quod ſanctiſſimũ Chriſti & eccleſiæ exemplum proponitur, quo non ſanctius aliud inuenias. Neceſſe ergo eſt ſanctum quoq; ſit matrimoniũ & amor eius eximius. Omnia autem eloquitur proprijſſimis uerbis, Vxores, inquit, proprijs uiris ſubditæ ſitis. Proprijs inquit ſignificanter. Samaritana enim quinq; uiros habuit, ſed nõ ſuos, id eſt proprios. Notatur ergo fides matrimonij, excluditur ſcortationis uanitas atq; perfidia. Addit item, Veluti domino, ne qua arrogãtius obijceret, Egon' ſubderer illi uiro & huius ſubeſſem imperio? Sequitur cur obediendum ſit, aut quod ad obediendum commoueat. Quoniam uir eſt caput uxoris. Id quod tranſumpſit ex 3. cap. Gene. & mox ſimilitudine quadam exponit dicens, Quemadmodum & Chriſtus eſt caput eccleſiæ: ſic inquam eſt Chriſtus caput uxoris. Quomodo uero Chriſtus eſt caput eccleſiæ? Et idem eſt, inquit, qui ſalutem dat corpori. Hoc eſt per ſimilitudinem dicitur Chriſtus caput eccleſiæ. Nam quemadmodum caput toti corpori uidetur ſubminiſtrare uim uiuificam, ita eccleſia à Chriſti ſpiritu percipit quod eſt ac uiuit. Dicit ergo Apoſtolus, Quemadmodum caput ſic dominatur corpori ut ab hoc pendeat corporis ſalus, ita maritus ſic prælatus eſt uxori, non ut in illam exerceat tyrannidem, ſed ut illius ſaluti conſulat, erudiat, defendat, nutriat. Audiant hæc quibus perpetuo illud Pauli in ore reſonat, Vxoris caput uir eſt. Capitis eſt ſapere, non deſipere, regere nõ furere. Cauebitis ergo ne dum capitis nomine nimium gloriamini non gynæcephali quin potius cynocephali efficiamini. Cæterum nolim ideo criſtas erigant moroſæ quædam & rixoſæ uxores. Audiant potius Apoſtolum dicentem, Quemadmodum eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & uxores ſuis uiris ſubditæ ſint in omnibus. Iam uero nemo neſcit quomodo eccleſia Chriſto ſubdita ſit. Vni enim adhæret, alios uiros neſcit, ſolum audit, hunc ineffabili amore amat, huic ſeruire & immori gaudet, hunc cogitat, hunc ſomniat, hũc unice complectitur, & quocunq; ierit ſequitur: ad eundem ergo modum ſubdita ſit marito ſuo uxor Chriſtiana. In omnibus dixit, pro eo quod eſt, per omnia, ſancta inquam & honeſta quemadmodum per omnia Chriſto obedit eccleſia.

Ioan. 4.

Viri diligite uxores ueſtras ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbũ, ut adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam, eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut quicquã eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis.

Iam quid uirum deceat exponit. Proponit autem idem Chriſti exemplum & maritis. Qualem Chriſtus inuenerit eccleſiam exponitur apud Ezech. in 16. per omnia inquam ſqualidam, in peccatis uolutatã, madentem fœditate & fœtentem. At ab hac non abhorruit, nihil ei improperauit, ſuam mũditiem & puritatem non iactauit: ſed aſſumptam & è ſordibus leuatam, primo hanc lauacro aquæ purgauit, idq; in uerbo ſiue per uerbum. Elementũ enim per ſe purgare non poteſt, niſi accedat uerbum dñi uis inquam ſanctificans diuina & promiſſio certa quæ fide percipitur. Vnde docte & pie Auguſt. Accedit inquit uerbum ad elementũ, & fit ſacramentũ. Proinde in baptiſmo non materia modo conſideranda eſt, ſed res ſpiritualis quæ ſigno externo ſignificatur, ablutio ſcilicet peccatorum & gratia Chriſti. Itaq; aqua per ſe neminem purgat, ſola dei gratia per fidem purgat, interim dum ſigno tribuitur purgatio non ut elemento ſed ut ſacramẽto tribuitur. De qua re aliâs. Hæc enim de myſterio Chriſti & eccleſiæ dicuntur obiter & in tranſeurſu. Aliud enim agens hæc inſerit. Et de abſoluta illa ſanctificatione eccleſiæ non eſt quod multis agam. Talis enim locutio eſt qualis illa in Euangelio, Qui lotus eſt non opus habet niſi ut pedes lauet, ſed eſt mũdus totus. Et iterũ, Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum uobis. Tale eſt & illud in Canonica Ioan. Qui ex deo natus eſt non peccat: interim in 1. capite dixerat, Si dixerimus, Non peccauimus, mendacem facimus eum. Proinde abſoluta illa ſanctificatio nõ noſtra uirtute, ſed ſanguine Chriſti abſoluta eſt. Hinc enim clariſſimis uerbis cõmemorat, Expoſuit ſe pro illa ut ipſam ſanctificaret.

Diuus

Diuus Aur. Auguſtinus iſto loco nonnihil offenſus de nuptijs & concupiſcentia ad Valerium cap. 33. exponit iſta non de præſenti ſæculo, ſed de futuro. Verum nullum eſt periculum ut monuimus. Quod enim nos attinet, infirmi & peccatores ſumus quoad uiuimus in hac carne, cum ſcriptum ſit, Septies cadit in die iuſtus & reſurgit. Quod ſi ſpectes gratiam domini & emũdationem ſanguinis eius, nulla eſt in nobis macula. Deus enim eſt qui iuſtificat, quis ille qui condemnet? Roma. 8. Iam ut redeamus in uiam. Chriſtus dilectionem maximam approbaturus moritur pro eccleſia ſua morteq; ſua expurgat eam: ita & maritus ſumma dilectione uxorem ſuam complectatur, adeoq; pro ipſa ſi poſtulet neceſſitas mori ſit paratus: ſi uideat in illa maculam, ſi uitium, ſi rugam perplexitatis, eluat illam non pugnis & uerberibus, ſed amicis commonitionibus. Cum enim caput maculas in corpore deprehendit, cum morbos & uitia ſubnata uidet, non de ſeparatione ſed medela cogitat. Idẽ faciat & maritus, nec reluctetur uxor. Aliâs enim Solomon rebelli ac recalcitranti aſino baculũ parat. Intelligis præterea ex hoc Pauli loco quid confiteamur in Symbolo cum dicimus, Credo ſanctã eccleſiam catholicam ſanctorũ communionem. Sanctorum enim aggregatio illa eccleſia catholica eſt ſanctificata in ſanguine Chriſti mundata lauacro regenerationis per uerbum.

Sic debent uiri ſuas diligere uxores ut ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem ſeipſum diligit. Nullus enim unquã ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam ſicut & dominus eccleſiam.

Se diligit qui uxorem diligit.

Vinculum illud coniugij indiſſolubile facit ut duo in unum corpus coaleſcãt, ut iam non ſint duo ſed unus homo, una caro, unũ corpus. Inde uero occaſionem accipit Apoſtolus & ait, Ita debent uiri ſuas diligere uxores ut ſua ipſorum corpora. Et mox ab utili argumentum ducens, Qui diligit ſuam uxorem, inquit, ſeipſum diligit. Cui & aliud contrarium & ueluti abſurdum affigit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit. Quaſi dicat, Nemo unquam ſic obſurduit ad naturæ ſenſum ut corpus proprium uel oderit uel neglexerit utcunq; gibboſum, obeſum, macilentum, deforme, oneroſum & infirmũ. Hoc magis abdit & occulit illa uitia quo uidentur deformiora, deniq; totum illud corpus languidum nihilominus nutrit & fouet. Nec Chriſtus ideo repudiauit eccleſiam quod eſſet proſtituta, nec hodie abijcit quod fœda nonnihil, ſed aſſumptã ſubinde ſpiritu ſuo curat illius languores, diſſimulat multa, condonat & purgat eius uitia. Hoc ipſum faciat & in uxore maritus: & ut paucis oñia dicam, Vel exemplum Chriſti eccleſiã ſuam fouentis ſemper ob oculos reuocet, uel quid corpori ſuo fieri uellet & quo modo id ab alio tractari cuperet expendat: itaq; quod Chriſtum uidet facere eccleſiæ, & quod ſuo uellet corpori fieri, id faciat etiam ſuæ uxori.

Quoniam membra ſumus corporis eiuſdem ex carne eius & ex oſſibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori ſuæ, atq; è duobus fiet una caro. Myſterium hoc magnum eſt: uerum ego loquor de Chriſto & eccleſia: quanquam & uos ſingillatim hoc præſtate ut ſuam quiſq; uxorem diligat tanquam ſeipſum, uxor autem ut reuereatur uirum.

Nuptiæ & unio Chriſti & eccleſiæ.

Duplicem ſenſum hiſce Pauli uerbis ineſſe teſtatur ipſe Apoſtolus Paulus. Primo eñ intelligenda ſunt de eccleſia & Chriſto. Sequitur enim, Myſterium hoc magnum eſt, uerum ego loquor de Chriſto & eccleſia. Quaſi dicat, Parum myſterij habet ſi uxori iungatur uir, cum id uel apud ethnicos fieri uideamus: ſed de eo loquor quod prima Adæ & Euæ coniunctio typum habuit rerum futurarũ in Chriſto. Petitur enim mulier ex uiri dormientis latere, ita enim ex dormiente Chriſto emergit eccleſia quę aqua & ſanguine purificatur. Et ex demortui Chriſti latere fluit ſanguis & aqua. Coſta itẽ durior eſt pars corporis, & robur uxoris uir eſt, ita & eccleſię robur Chriſtus eſt. Ex latere & medio corpore producitur uxor, & Chriſtus dominus de ſubſtantia noſtra carnem aſſumpſit natus de intemerata uirgine, nobis per omnia ſimilis, excepto peccato. Recte ergo

dicimur nos membra corporis eiuſdem ex carne eius & ex oſſibus eius. Vnde & D. Hieronymus, Membra autem ſumus inquit corporis Chriſti, non ſecundum naturam diuinitatis æternæ, ſed iuxta id quod dignatus eſt hominem aſſumere. At D. Ambroſius, Hoc inquit ſpiritualiter intelligendum eſt. Vterq; uero rectè iudicauit. Nemo enim imaginari debet carnalem Chriſti & eccleſiæ unionem. Tametſi enim ille noſtram carnem realem acceperit, nos tamen ſumus eius membra ſpiritualia. Ideo enim unum corpus ſumus (ut ſuperius expoſitum eſt) quia de uno ſpiritu participamus. Quia uero tanta eſt inter Chriſtum & eccleſiam unio, quia ille carnem noſtram aſſumpſit & nos ſibi in ſpiritu uniuit, debemus utiq; Chriſti domini gratia amantiſſima quæq; relinquere ſi illa ab hoc ſponſo noſtro uelint nos abſtrahere. Vni enim indiuulſe debemus adhærere. Sumus enim unum corpus una caro cum Chriſto. Id uero magnum eſt myſterium, arcanum ſcilicet reconditum à ſæculis. Quod iuſte expenſum abripit animũ noſtrum in maxima & cœleſtia gaudia. Secundo intelligenda ſunt illa de connubio Chriſtiano. Sequitur enim, Quanquã & uos ſigillatim hoc præſtate ut ſuam quiſq; uxorem diligat. Quaſi dicat, Nolim uero iſta intelligi de ſpirituali tantum connubio Chriſti & eccleſiæ. Iam uero cum præcedentibus ita connectuntur. Dixerat, Qui uxorem ſuam diligit ſeipſum diligit. Item, Nullus unquam ſuam ipſius carnem odio habuit: nunc ergo cauſſam oſtendit cur uxorem carnem uiri appellarit, & quare ſeipſum diligat qui uxorem diligit. Nam uxor eſt portio uiri, ſumpta ex corpore uiri, ut ipſa ſit os ex oſſibus uiri, & caro ex carne eius. His iam addit quàm conueniat coniugium indiſſolubili nexu eſſe conſertum, dicens, Proinde cum unum corpus ſint deſeret homo patrem & matrem &c. Nam notiſſimus eſt locus Gene. cap. 2. Cæterum non præcipit ut parentes relinquamus, ſed collatione quadam oſtenditur matrimonij pretium. Magnum enim ſit oportet cui cedit præceptum de honorandis parentibus. Quanquam locum non habeat hæc ſeparatio niſi parentes ſanctum illud matrimonij uinculum diſſoluere tentent. In ſumma, Maritus ut ſeipſum ita uxorem ſuam diligere debet. Vxor uero maritum ſancte reuereatur, 1. Pet. 3.

CAP. VI. Filij obedite parentibus ueſtris in domino. Nam id eſt iuſtum. Honora patrem tuum & matrem, quod eſt præceptum primum in promiſſione, ut bene tibi ſit & ſis longæuus in terra. Patres ne prouocetis ad iram liberos ueſtros, ſed educetis eos per eruditionem & correptionem domini.

Officium liberorum. *Pſalmo 127.*

Poſt præcepta coniugij ſubijcit quædam de officio liberorum. Hi enim ueluti ſuauiſſimi fructus connubij ſunt. Propheta enim dixit, Vxor tua ut uitis frugifera erit in lateribus domus tuæ, & filij tui ſicut plantulæ oliuarũ in circumitu menſæ tuæ: Ecce ſic benedicetur uir qui timuerit dominum. Nec parum momenti habet prima inſtitutio, imò tota reliquæ uitæ ratio ab hac dependet. Rectiſſime enim iudicans poëta, Quo ſemel imbuta, inquit, recens ſeruabit odorem, Teſta diu. At nullius momenti fuerit illa niſi parentibus pædagogis, præceptoribus & ſenioribus quibuslibet honorandis liberi ſint per omnia obſequentes. Proinde Apoſtolus, Filij, inquit, obedite parentibus ueſtris in domino adeoq; tanquam ipſi deo, ſi modo honeſta & diuina præcipiant. Huic præceptioni addit ſtimulos, Nam id eſt iuſtum: quaſi dicat, Ipſa naturæ æquitas hoc poſcit. Theophraſtus enim ſcriptor ethnicus, Oportet inquit ante omnia dijs non tam multa quàm frequenter & pie ſacrificare, Deinde parentum alere ſenectutem eorumq; cõfilijs uitam accommodare. Qui autem hæc neglexerit contra naturæ & iuſtitiæ leges aget. Deinde in hoc allegat legem dei quæ habetur Exodi 20. Additur tertio loco utilitas & commodum quod potiſſimum ſpectatur ab hominibus, Vt bene ſit tibi, id eſt ut ſis felix & fortunatus, item ut ſis longæuus ſuper terram. Agnouerũt hoc commodum & Gentilium literæ. Extat enim huiuſmodi ſenarius, Ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς, id eſt, Viuaxeris ſenes parentes confouens. Cui haud abſimile illud Homericum eſt,

Nec nutricandi officium genitoribus unquam,
Perſoluit charis, breue at illi contigit æuum.

Promiſſio

Promissio ergo illa temporale habet commodum. Nec aliud est præceptum quod talem habeat promissionem, unde primum in promissione uocatur. Videtur sanè & secũdum præceptum promissionem habere, uerum declaratio potius est diuinæ iustitiæ & miseri cordiæ. Quanquã negari non possit multos fuisse qui parentibus obsequentes cito mor tui sint, multos item qui impij in parentes in extremam uenerint senectutem. Verũ sunt illa occulta dei iudicia. Nobis certè de uerbo domini non est dubitandum. Quod si quæ dam secus euenire uidemus quàm ipsa dei uerba polliceri uideantur, meminerimus nil temere ab æterno numine administrari, deniq; diligentibus deum omnia cooperari in bonum. Iam si cui contigerint filij per omnia obsequentes, ipse uero parens non norit certa ratione quemq; pro sui ingenij modulo instituere, sed uel nimiũ lenis uel nimium seuerus esse perrexerit, nil profuerit liberorum dextrum & tractabile ingenium. Depra uabitur enim parentum importuna uel lenitate uel seueritate. Proinde ad patres conuer sus Apostolus, Patres inquit μὴ παροργίζετε ne irritaueritis, id est grauius abutamini au thoritate uestra in illos. Cauendum enim ne senili morositate aut sæuis imperijs aut im moderata austeritate non sanetis sed exacerbetis illorum animos. Deinde modum præ scribit quid illis faciendum, Sed educetis eos ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ. Vtraq; autem uox Græcis, authore Erasmo, anceps est. παιδεία tum eruditionem tum castigationem signi ficat, à puero dicta, νουθεσία admonitionem & obiurgationem siue correptionem, inde dicta quod in animum alicuius ponas & ingeras quid factum oporteat. Præcipit ergo à cunis liberi sancta institutione formentur, non sæuis dictis præter meritum adobruan tur: utq; lubrici eorum mores sanis admonitionibus corrigantur subinde, non impor tuna morositate perturbentur, ut quid uel dicendum uel faciendum sit nesciant. Legant ergo & audiant uerbum domini, proficiant in timore dei, discant quid sit uera pietas, ue ritas, iustitia, temperantia, pudor, quid honestum & sanctum, idq; ex puris & limpidis fontibus uel scripturæ uel libellis è scriptura desumptis. Quibus si exemplum addideris sanctum, si nil fœdum dictu à te uel uiderint fieri uel audierint commentari, breui quàm amplissimum senties in puero fructum. Tradit ethnicus scriptor Aristoteles in Politicis suis, parẽtes liberis domi non ut dominus seruis, sed legitimi regis more qui patrem re fert imperare debere, liberos uero eos tanquam deos colere ac reuereri oportere. Extant autem plurimorũ authorum optimi libri de instituendis liberis. Et D. Hieronymus ue hementer hoc loco inuehitur in illos qui neglectis literis sanctis, filios suos erudiunt in prophanis. Et sanè non discitur ex illis pietas. Paulus uero, Educetis eos inquit in erudi tione & correptione, non qualibet, sed domini. *Officiũ paren tum.*

Serui obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem cum timore ac tremo re, cum simplicitate cordis uestri tanquam Christo, non ad oculum ser uientes uelut hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult deus ex animo cum beneuolentia, seruientes domi no & non hominibus, illud scientes quod unusquisq; quod fecerit bo ni hoc reportabit à deo siue seruus fuerit siue liber.

Postremo loco peruenit ad Seruos. Primo & summo loco habetur inter nos coniu gium sanctum, secundo liberi ex connubio sancto procreati, tertio loco substantiæ & possessiones. Quondam uero non minima substantiæ & possessionum siue opum por tio seruorum & uernarum erat turba. Seruus enim Abrahæ heri sui diuitias prædicans, Deus inquit benedixit dominũ meum ualde & magnificatus est, deditq; illi oues & bo ues, argentum & aurum, seruos & ancillas. Proinde de quibus hic loquitur seruis Apo stolus mancipia erant *lybeigen lüt*, non famuli siue ministri modo quales hodie sunt. Se quitur enim, Vnusquisq; quod fecerit boni hoc reportabit à deo, siue seruus fuerit siue liber. Ideo seruum opponit libero siue ingenuo. Et seruitus in Cham filio Noë incœpit. Priusquam hic peccasset nullus erat seruus. Itaq; ex peccato enata est seruitus, imò & im pudentiæ pœna facta est. Equidẽ animus ab omni ingenuitate alienus & in quo omnes *De seruitute.*

affectus mali obtinuerant imperium merito mancipabatur seruituti, & merito seruiunt quibus est seruile ingenium. Cæterum peccato Chami occasionē subministrauit patris ebrietas. Vnde prudēter D. Ambrosius, Manebat inquit antequam uinum inueniretur omnibus incōcussa libertas, nec hodie seruitus esset si ebrietas non fuisset. Habes autem originem seruitutis, iam subiungemus genera siue species eius, siue quot modis fiant serui. Tradunt ergo seruos aut nasci aut fieri. Et nasci quidem ex ancillis siue uernis nostris. Fieri autē iure Gentium, hoc est ex captiuitate, uel iure ciuili, cum homo liber maior uiginti annis ad precium participandum sese uenundari passus est. Veneunt etiam qui per luxum rem familiarem concoquunt, uel inertia sua rediguntur ad inopiam, uel alieno
Matth.18. ære ad eum modum se aggrauarunt ut emergere nequeant. Serui autem inquit Iurecon sultus Pomponius ex eo appellati sunt quod captiuos uendi imperatores iubere̅t ac per hoc seruare nec occideret qui & mancipia dicuntur, eo quod ab hostibus manu caperen tur. Et hæc paucis de generibus & conditione seruorum. Iam erant per initia religionis Christianæ qui crederent per Christum liberatos se esse à seruitutis iugo, Neq; enim de cere ut uel fidelis perfido seruiret ethnico, uel fidelis fidelem retineret sub iugo, cum in Christo Iesu non sit liber uel seruus, masculus uel fœmina. Hinc uero aut fugitiui aut malæ fidei serui nomen Christi blasphemabant. Paulus ergo perfidia ipsorum adactus hoc loco ut in alijs multis format seruorum officium. Cæterum nos ex tota institutione intelligimus, quod liceat homini Christiano uti opibus seruitio idq; genus alijs posses-
Officium seruo rum. sionibus. Quod attinet officium seruorum sic habet negotium, Serui inquit obedite do minis carnalibus id est temporarijs quibus potestas est in corpus uestrū. Animus enim semper liber est si sanctus & pius sit. Vnde Apostolus in 1. ad Corinth. 7. cap. Qui in do mino uocatus est seruus, ait, libertus domini est. Obedite aūt in timore ac tremore. Quæ loquutio metalepsim habet. Nam quæ per timorem fiunt plerunq; præter animi senten tiam inuita Minerua fiunt. Cæterum noluit Paulus ut quicquam facerent præter animi sententiam. Sequitur enim, Facientes quæ uult deus ex animo cum beneuolentia. Proin de significauit potius illis omni studio annitendum esse ut quàm exactissime obediant. Nam qui magna cum diligentia curaq; faciunt aliquid timent ac tremunt subinde me tuentes ne sat bene faciāt quod faciendum susceperunt. His adijcitur aliud, Cum simpli citate cordis, quo dolus malus & fraus excluditur. Solet autem seruorum præterea famu lorum ac ancillarum uulgus uehementer esse mendacijs furto et perfidia obnoxiū. Præ terea iubentur dominis suis ut Christo obedire, nimirum summa cum fide et reuerentia & in rebus sanctis iustis & utilibus. Non ad oculum seruientes, id est nō ipsis modo præ sentibus & spectantibus, sed dum absunt quoq; & nesciunt quid agatis interim de fide uestra nil dubitant. Ad expositionem huius facit hoc quod sequitur, Non uelut homini bus placere studentes, sed tanquam serui Christi, cui scilicet nihil placet quod fucatū & coactum est. Facientes quæ uult deus ex animo, id est candide omni nisu & promptitudi ne. Cum beneuolentia, ultro uidelicet, non animo murmurantes ac male precantes, non inuite quibus opus sit flagris minis et cōuitijs, sed qui sua sponte & perfecte faciāt quod iubet dominus. Id si feceritis inquit domino & non hominibus seruietis, et prę̄mium re cipietis amplissimum. Hoc enim uobis certo certius persuadete præmium ac pœnam pa ratam esse liberis & seruis, bona uel mala patrantibus. Exemplo fuerit Iacob seruiens La bano socero suo. Hæc si ad hunc modū docuissent quidam seditiosi prædicatores haud quaquam ante decennium tot miseri sanguinis esset effusum.

Et uos domini eadē facite erga illos, remittētes minas, scientes quod & uester ipsorum dominus est in cœlis nec personæ respectus est apud illum.

Officium domi norum. Format & Dominorum mores. Breuibus autem officium illorum præscribens iubet eos eadem facere, hoc est æquos & bonos esse, fideles, ueraces, dei timētes, nil in gratiam hominum facientes, ac beneuolos, beneficos quoq; & minus feroces, qui amentur ma gis à seruis quàm formidentur. His addit pari ratione stimulos ut prioribus, Scientes

quod

quod & ueſter ipſorum dominus eſt in cœlis. Admonet autem illos meminerint ſe habere in cœlis deum & iudicem, qui pauperum, pupillorum & afflictorum uindex ſit. Hic non reſpicit perſonã ait, proinde non excuſabitur quiſquam dominij titulo ſi iniuriam irrogauerit ſeruo. Audiant autem & intelligant hęc arrogantes uitæ & necis poteſtatem ſibi in homines ceu bruta pecora uendicãtes. Ariſtoteles homo prophanus in Politicis ſeruorum miſereri oportere ait quod quanquam ingenioſi natura minis aſſiduis & continuo metu uim ingenij conſilium q̃ amittãt. Et Seneca ad Lucilium lib. epiſtolarum 5. Quare non eſt quod faſtidioſi te deterreant quo minus ſeruis tuis te hilarem præſtes, & non ſuperbe ſuperiorem. Colant potius te quàm timeant. Non poteſt amor cum timore miſceri.

PVGNA ET ARMATVRA CHRISTIANA.

Quod ſupereſt fratres mei ſitis fortes in domino & in potentia roboris illius. Induite totam armaturam dei, ut poſſitis ſtare aduerſus aſſultus diaboli.

Vigilandum et cõſtanter in uero perſiſtẽdum eſſe.

Hactenus diſſeruit de officijs Chriſtianis, de concordia & uera uitæ ſanctimonia, contra uaria ſcelera atq; peccata. Qui uero in hac inſtitutione uiuere ſtatuunt, uarios hoſtes experiri coguntur, adeo ut in horas periclitentur pij, proinde Paulus commode ſub finem inſtitutionis ad conſtantiam & uigiliam inhortatur, oſtendens grauiſſimam immi nere pugnam, docens q̃ quibus armis in illam ſit Chriſtianis deſcendendum. Primo in genere dicit, Poſteaquam didiciſtis in quo ſita ſit uera religio, nil aliud reſtat niſi ut fortes atq; conſtantes ſitis in domino, ut ſcilicet intrepide in hac uia domini currentes nullis diſſoluamini uel minis uel illecebris. Porrò hæc fortitudo & conſtãtia non eſt ex nobis ſed ex deo, qui robore potens eſt, & tantum roboris quantum ſat eſt in nos membra ſua deriuat. Deinde in genere, Induite inquit armaturam, nec quamlibet uel æream uel ferream, ſed panopliam dei. Alluſit enim ad militiam & ab externis penetrauit ad interna, à terrenis & carnalibus ad cœleſtia & ſpiritualia. Finis autem ad quem nos armari iubet hic eſt, Vt poſſimus ſtare aduerſus inſultus diaboli. Fingit enim diabolum in nos uelut uiſibilem irruere hoſtem. Et ſanè animoſius nos inuadit q̃ ullus hoſtis aſſurgat irruat q̃ in hoſtem. Sequitur enim.

Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos rectores tenebrarum ſæculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus.

Hoſtis noſter diabolus eſt.

Deſcribitur hoſtis & docetur quanta cum prudentia & uigilia expectandus ac excipiendus ſit. Solent enim gnari duces hoſtis aſtutiam, uires & artes diligentius in hoc deſcribere militibus ut excitent animos ipſorum, qui ſi ſapiunt hoc ſunt uigilantiores & prudentiores, quo potentiorem & peritiorem rei bellicæ hoſtem expectant. Validiſſimus inquit hoſtis eſt caro & ſanguis, cupiditas inquam praua, magnatum tyrannis, perſequutio ueritatis, hominum uerſutia & malitia, ſed paruí momenti hæc fuerint & hoſtes minime metuendi ſi conferamus eos cum ſatana, & diabolico illo in nos irruente exercitu. Sic enim increſcit oratio per comparationem. Adhibetur præterea & mira uerborum turba, incrementum uidelicet amplificationis rhetoricum. De una enim re loquitur, perinde ac ſi plures ſint. Nihil enim plus dicit quàm diuus apoſtolus Petrus, Aduerſarius noſter diabolus tanquam leo rugiens obambulat quærens quem deuoret, cui reſiſtite ſolidi fide. Iccirco uaria illa & grauia uocabula eidem cõpetunt ſatanæ, qui nunc princeps nunc dominus mundi dicitur, item rector ac princeps tenebrarum, & cui poteſtas eſt aëris, ſimiliter & deus huius ſæculi 2. Corinth. 4. Paraphraſtes illa quàm ſimpliciſſime exponens, Eſt nobis conflictatio inquit cum impijs ſpiritibus, inimicis & hoſtibus Chriſti, quorum hi qui nos impetũt ſatellites ſunt & organa. Per hos è ſublimi nos impugnant principes ac poteſtates dæmoniacæ in mundi huius uitijs addictos ſibi ty-

rannidem occupantes, & in hiſce tenebris inſidiantes ijs qui lucem amant euangelicam. Aduerſus hos inquam nobis colluctandum eſt non ſolum uiribus potentes uerumetiam ſpirituali uerſutia inſtructos atq; id etiam in cœleſti regione quo & facilius nos impetant & difficilius à nobis queant præhendi. Porrò hæc omnia non in hoc tam grauiter proponuntur ut deſperemus aut meticuloſi deſpondeamus animum, ſed ut uigilemus diligentius, ut cordibus noſtris in cœlum ſubleuatis poſcamus indefeſſe auxilium à domino. Maior autem eſt qui in nobis eſt quàm qui in mundo.

Quapropter aſſumite uniuerſam armaturam dei ut poſſitis reſiſtere in die malo & omnibus peractis ſtare.

Illatio eſt: quaſi dicat, Cum ergo uideatis uobis negotium eſſe cum hoſte periculoſiſſimo, facite quod ſtrenui ſolēt milites: induunt arma, ſtant in procinctu Martis, omni niſu innituntur in hoc ut & hoſtem repellant & ipſi omnibus peractis quæ ſtrenuos decent milites, ſtrenue ſuum locum & defendant & teneant. Vobis ergo hoc ipſum imitandum eſt, ut ſcilicet repulſis hoſtibus conſtanter in fide & ſanctimonia uitæ conſiſtatis.

State igitur lumbis circūcinctis baltheo per ueritatem, & induti thoracem iuſtitiæ, & calceati pedibus, ut parati ſitis ad euangelium pacis, ſuper omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere, Galeamq; ſalutis accipite, & gladium ſpiritus qui eſt uerbum dei,

Arma militis Chriſtiani.

Iam deſcribit armaturam illam ſpiritualem, & perſeuerat in allufione ad militiā mundanam. Sunt autem arma duplicis generis, alijs enim tegimus munimusq; corpora, ne ullus uulneri pateat locus, alijs in manus arreptis propellimus & conficimus hoſtem. Baltheo, thorace, galea, calceis & ſcuto munitur corpus, gladio repellitur hoſtis. Baltheum zona ſiue cingulum erat coriaceum bullatum, à quo dependebant laminæ medium obtegentes hominem, ipſa inquam ilia, uentrem atq; lumbos. Thorax crates & pectus hominis adeoq; partes ſuperiores muniebat, galea operiebat caput, pedes ac ſuras conueſtiebant calcei, ut expeditior & tutior eſſet curſus, & minus læderentur crura. Porrò ſiniſtra gerebant milites ſcutum quo exciperent omnis generis tela, dextra gladium quo pugnarent. Iam cum nobis pugnandum ſit contra hoſtes ſpirituales ſpiritualibus quoque armis nos munit Apoſtolus. Pro baltheo prēcingit nos ueritate, pro thorace munit iuſtitia, pro calceis inducit euāgelium, pro galea imponit ſalutare dei, pro clypeo autem porrigit fidem, pro gladio uerbum dei. Ante omnia uero robuſtum animū, intrepidum & conſtantem flagitans in milite Chriſtiano, State, inquit, immobiles & impauidi. Sunt enim inertes quidam qui ad primum protinus congreſſum uel non uulnerati concidūt metu, uel ſeſe in pedes conijcientes loco ſuo turpiter cedunt, & fuga ſibi conſulunt. Nobis uero ſtandum eſt, uigilādum & forti animo omnibus malis obuiandum. Cæterum in lumbis maxima uis eſt ſtantium. His male affectis contrahitur corpus aut certè uacillans uel modice impulſum corruit, & in ueritate, hoc eſt integritate conſiſtit robur noſtrum. Deme Chriſtiano ueritatē, & corruet protinus. Intra crates pectoris abdita ſunt uitalia illa membra, quæ uel modice impulſa mortem homini conſciſcūt. Iuſtitia autem uera quæ deo reddit quod dei eſt, hominibus quod hominum eſt, cauet ne lœtali uulnere concidat anima. Sumpta eſt hæc portio ex 59. capite Iſaiæ. Quod ſi pedes & tibias non probe munieris ocreis, periculum eſt ne transfixis illis aut certè grauiter uulneratis concidas. Paulus ergo euangelica doctrina muniri uult animum noſtrum, quæ greſſus noſtros dirigat in uiam pacis, Lucerna enim pedibus meis, ait propheta, uerbum tuum & lux ſemitis meis. Et ſumma doctrinæ euangelicæ pax eſt, ut ſcilicet ſecura & pacata conſcientia quieſcamus in deo per Chriſtum, & quantum in nobis eſt cum omnibus hominibus pacem habeamus. Hæc ſi animo infideant noſtro uia noſtra plana erit nec impingemus grauiter. Iam uulnera quæ infliguntur capiti & ipſa ſunt lœtalia, cæterum ſi illud ſalutare dei Chriſtus dominus gratia & ſpiritu ſuo tueatur nos qui factus eſt caput eccle-

Galea ſalutaris quæ ſcilicet ſalutaris eſt & tutatur.

fiæ

fiæ ſuæ, nullo lætali uulnere concidet anima. Sed & hæc portio tranſumpta eſt ex Iſaiæ 59. cap. Super hæc omnia neceſſe eſt militi Chriſtiano ne fide deſtituatur & uerbo domini. Fides clypei loco, uerbum dei gladij uice erit. Ignea in nos torquet iacula diffidentiæ & cupiditatũ Sathan. Sentimus ardorem illorum in carne & conſcientia noſtra: at fides quæ indubitata eſt in uerba dei fiducia & uitæ ſancta cuſtodia facile extinguet cum conſcientiæ tum carnis flagrantes curas. Et uerbo domini non repellitur tantum ſed iugulatur etiam Sathan. Id quod in pugna illa Chriſti & diaboli uidere eſt apud Matth. in 4. Nam ad omnem cõgreſſum educit uerbum dei dominus & hoſtem proſternit. Proinde ſi nos quoq; adhæſerimus præceptis domini & ſcripturarũ obiecerimus authoritatem, neq; diabolus neq; hæreticus aliquis neq; ullæ mundi illecebræ nos uincent, imò longe ſuperiores ſemel hac ſpatha oñes trucidabimus hoſtes. Et hic planè latiſſimus campus ingenioſis patet. Poterat rerum ſacrarum peritior multis philoſophari ac commentari de pugna illa graui ſpiritus & carnis, mundi & religionis, Sathanę & hominis. Non infeliciter in hoc genere ſcripti uerſatus eſt Aur. Prudentius, cuius extat hodie Pſichomachia. Extat & Eraſmi Enchiridion militis Chriſtiani, ego breuibus & craſſioribus hiſce contentus pergo.

in omni deprecatione & obſecratione orantes, in omni tempore, in ſpiritu, & ad hoc ipſum uigilantes cum omni ſedulitate & deprecatione cum omnibus ſanctis & pro me, ut mihi detur ſermo in apertione oris mei cum libertate ut notum faciam myſterium euangelij mei ſuper quo legatione fungor in catena ut in eo libere loquar ſicut oportet me loqui.

Oratio pugnantibus neceſſaria

Bellũ hoc auſpicijs geritur Chriſti imperatoris noſtri, ab hoc ſimul uires ſunt & uictoria, at hæc ab illo puris petenda ſunt precibus. Format ergo hoc loco preces noſtras docens quales eſſe oporteat. Principio uehemẽtes. Neq; enim ſimpliciter dixit orantes, ſed addidit, In omni deprecatione & obſecratione, id eſt per omnẽ orandi & precandi intentionem deuotiſſimam. Deinde indefeſſæ ſint, inquit, non ſtatutis modo præfinitis horis ſed omni tempore. Chriſtus enim Oportet ſine intermiſſione orare ait Lucæ 18. Hinc ex animo & corde fiant. Multi enim battologia utentes uerborũ copia ſeſe deo gratos arbitrantur futuros, ſed deus affectum non uerba orantium ſpectat. De qua re Matt. in 15. & 6. cap. ſcripſit. Accedere debet & uigilia et ſedulitas, item ut non pro nobis modo oremus nec ſoli, ſed pro omnibus ſanctis & cum oñibus ſanctis. Vigilia & ſobrietas acuit orationem. Vbiq; ergo in ſacris iungitur orationi uigilia. Plenus enim uenter inertes profundit preces. Et athletæ qui crapulæ dediti ſunt neq; pugnare poſſunt neq; uincere norunt. Preces autẽ ſedulæ & à multis ceu iunctis copijs & impreſſione facta uiolenti, deo oblatæ, permultũ poſſunt. Religioſe eñ Tertull. in Apologetico cap. 39. Coimus in cœtum, ait, & aggregationẽ ut ad deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Inter cætera uero petit ut pro ſe orent. Vnde nos diſcimus non errare qui aliorum ſe precibus inſinuant. Paulus enim electionis uas, in quẽ ſumma quæq; dona tranſfuderat dei bonitas, non erubeſcit eccleſiæ Epheſinæ preces ad deum pro ſe poſtulare. Duo autem iubet illos à deo petere: Alterum ut aperiatur ipſi os & eloquentia concedatur qua non ſua ſed dei eloquia eccleſijs proponat: Alterum ut fortiter & intrepide contemptis uinculis & aduerſarijs ueritatem proloquatur neq; quicquam uel dicat uel diſſimulet in gratiam hominum. Vtraq; enim hæc in fideli ueritatis præcone inueniantur oportet, & ut cuilibet inſint indefeſſe orandum eſt. Exemplum eius habes Acto. cap. 4. Porrò euangeliũ Ieſu Chriſti ſuum appellauit euangelium, idq; propter miniſterium. Super quo legatione fungor in catena dixit: pro eo quod eſt, Legatione mea fungor & euangeliũ etiam catena oneratus & in uincula ſiue cuſtodiã coniectus prędico. Legimus eñ Acto. 28. Permiſſum eſt Paulo ut maneret ſolus cum cuſtodiente ſe milite. Et paulò poſt, Manſit autem Paulus biennio toto in ſuo conducto et ſuſcipiebat omnes qui ingre

diebantur ad ipſum prædicans regnum dei, ac docens quæ ſunt de domino Ieſu cum omni fidutia, nemine prohibente.

ut autem ſciatis & uos quæ ad me pertinent, quid agam, de omnibus uos certiores reddet Tychicus dilectus frater & fidus miniſter in domino, quem miſi ad uos in hoc ipſum, ut cognoſceretis de rebus noſtris, & conſolaretur corda ueſtra.

Prudentiæ eſt quod illa quæ dei ſunt fidei & religionis literis commendauit perpetuis, quæ uero priuata erant de negotijs Pauli peculiaribus fido commiſit exponenda legato. Hæc enim uel ignorata nihil officiunt ſaluti, cum illa non poſſint citra ſalutis noſtræ periculum ignorari. Quanquam & hæc pertineant ad conſolationem ac confirmationem fideliũ. Paulo enim uincto tam præſens & dexter aderat dominus, ut propemodum ex uinculis plus accederet gloriæ dei & eccleſiæ utilitatis quàm ex libera Apoſtoli prædicatione. Et hac quidem cauſſa ablegatum aſſerit Tychicum, ut ſcilicet Epheſijs exponeret res Pauli, atq; ita corda ipſorum conſolaretur. Quod autem hunc legatum ſuis laudibus ornat prudenter agit. Stultus enim eſt qui quælibet credit cuilibet. Proinde haud inconſulte feceris ſi fratres pios teſtimonio uero & iuſto illis commẽdaueris quibus hactenus fuere ignoti. Perreptãt enim omnes angulos impoſtores quidam multa de euangelio & perſecutione ſibi à neſcio quibus illata garrientes, quibus tamen credidiſſe ſummo cum periculo fuerit coniunctum.

Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre & domino Ieſu Chriſto. Gratia ſit cum omnibus diligentibus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum ſynceritate. Amen.

Fauſta imprecatione finit pñſſimam & utiliſſimam epiſtolam. Imprecatur autem fratribus fidem, charitatem & pacem, in qua ternione uerſatur ſumma ueræ religionis, id quod ſæpius monuimus. Imprecatur & fauorem & beneficentiam domini omnibus qui ſyncera & minime corrupta ac hypocritica mente colunt atq; diligunt dominum Ieſum Chriſtum. Nam in 1. ad Corinthios ultimo capite, Si quis, inquit, non diligit dominum Ieſum Chriſtum ſit anathema maranatha. Oremus ergo fratres ſpiritum ſuum impartiatur nobis bonus dominus, ut Chriſtum dominum uere & ex animo diligentes æterna illa & feliciſſima benedictione ſemper perfruamur.

FINIS.

ARGVMENTVM EPISTOLAE D. PAVLI AD PHILIPPENSES.

EAdem cauſſa & occaſio hanc ad Philippenſes epiſtolam extorſit Paulo quæ Epheſijs ſcriptã extorſerat. Tenebatur in uinculis Apoſtolus, oberrabat pſeudapoſtolorum uulgus, eleuabant Pauli doctrinam, ſed & uincula eius in ſiniſtram abripiebant occaſionem. Et hactenus quidem nil profecerant apud Philippenſes, in fide uera & doctrina apoſtolica conſtantiſſimos. At quid interim Paulus cogitare potuit quàm Philippenſes eſſe homines, qui grauibus illis uinculis ſuis offendi, & pſeudapoſtolorum artibus ſubuerti poſſint, cupiens ergo amans ſuæ familiæ bonus pater tempeſtiuo aliquo remedio periclitantibus ſubuenire, hanc adornat epiſtolam, in qua mirifice illos in fide recepta confirmat, & omnia ea expungit quæ poterant uel abſtrahere à uero uel currentes in uia domini impedire, quo minus procederent. Principio ergo collaudatos ob fidei donum & ſanctam conſtantiam erudit, ne cruce & uinculis ſuis offendantur, ut pote ex quibus plus commodi quàm diſpendij ſit enatum hactenus. Se quidem illis nequaquam exanimari aut angi difficilius planè teſtatur, ut qui paratus ſit mori pro Chriſto. Deinde hortatur ut in percepta ueritate perſtent, & ut ſuam uocationem deceat ambulent, id autem futurum putat ſi ſint concordes, ad quod deinceps ardentiſſimis inflammat argumentis, ubi & de myſterio Chriſti diſſerit, & quædam de Timotheo & Epaphrodito adijcit. Tertio loco monet à pſeudapoſtolis ſibi caueant, legem & operum merita Chriſto miſcentibus. Ibi uero demonſtrat omnem iuſtitiam & omne quod mundo uidetur eximium Chriſto collatum non damnum modo ſed excrementis eſſe ſimile. Cauendos ergo cenſet pſeudapoſtolos. Quartum caput refertum eſt ſalutationibus & ſalutaribus quibuſdam tum dogmatis tum exemplis.

Scripta eſt hæc epiſtola ex uinculis ab urbe Roma, perlata per Epaphroditum. Varia eſt, ſed docta grauis & utilis. De Philippenſibus lege Epitome Vadiani noſtri, præcipue uero Lucam in Actis apoſtolorum capite decimoſexto.

PAulus ac Timotheus ſerui Ieſu Chriſti omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu qui ſunt Philippis unà cũ epiſcopis ac diaconis, Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & dño Ieſu Chriſto. CAP. I.

Nihil eſt in hac inſcriptione quod non expoſuerim in alijs, niſi quod Apoſtolum ſe tacet, quod ad eos ſcriberet qui rectè de ipſo ſentiebant. Deinde quod ad Epiſcopos & diaconos non ad plebem modo ſcribit. Inde uero liquet quàm in immenſam frugem ex creuerit ſemen illud dominicũ olim ab apoſtolo Paulo multo cum labore ſeminatum. Habebat enim nunc ea urbs epiſcopos & diaconos quæ olim Paulum & Sylam non ferens bene meritos cõiecerat in uincula. Et epiſcopi ſunt uigiles ſiue paſtores uerbiq; dominici prædicatores. Diaconi eccleſiæ miniſtri, qui uel ad uerbi aluntur miniſterium, uel eleemoſynæ diſpartiendæ præficiuntur. Neſciuit uetus & apoſtolica eccleſia tales epiſcopos quales hodie imperitare more regum non ſine dolore cernimus. Quondã una urbs plures ſimul habuit epiſcopos, id quod uel ex hoc loco patet. At hodie pluribus urbibus unus præeſt epiſcopus, non iam epiſcopus & uerbi domini præco, ſed rex ſiue princeps atq; tyrannus.

Gratias ago deo meo in omni memoria ueſtri ſemper in omni precatione mea pro omnibus uobis cum gaudio precationem faciens quod ueneritis in communionem euangelij à primo die uſq; in hoc tempus, perſuaſum habens hoc ipſum quod is qui cœpit in uobis opus bonum perficiet uſq; ad diem Ieſu Chriſti, ſicut iuſtum eſt mihi, ut hoc ſentiam de omnibus uobis propterea quod habeam uos in corde & in uinculis meis & in defenſione & confirmatione euangelij, cum ſitis omnes mihi conſortes gratiæ. Teſtis enim eſt mihi deus quàm deſiderem uos omnes in uiſceribus Ieſu Chriſti.

Pro more ſuo congratulans cum gaudio fidelibus laudat eorum fidem ſanam & conſtantiam firmiſſimam, certè ut conſtantiores faceret ſimul, & animum ſuum erga eos promptiſſimum declarans, quo eos retineret in officio arctiusq; ſibi conſtringeret. Hic ſcopus eſt huius exordij. Pleraq; huius in alijs epiſtolis explanauimus. Præcipue autem illud commendat quod uenerint in cõmunionem, id eſt ſocietatem fidei, ſiue in cœtum eccleſiamq; fidelium. Ita enim uſurpatur κοινωνία & à Paulo ipſo in Corinth. & à Ioanne in ſua Canonica. Venerant ſanè & aliæ Gentes in aggregationẽ ſanctorum, ſed Philippẽſ. inconcuſſe ac ſyncere à primo die in illud uſq; tempus quo hæc ſcribebat Apoſtolus præ cæteris perſtabant manebantq; in fide. Quæ profecto inſignis laus & ampliſſimum dei beneficiũ erat. Vnde iam colligit ex initijs uidelicet & progreſſu felici finem quoq; optimum & perſeuerantiam abſolutiſſimam. Sequitur enim, Perſuaſum habens hoc ipſum quod is qui cœpit in uobis opus bonũ perficiet uſq; ad diem Ieſu Chriſti, id eſt in finem uſq; & ad fatalem cuiuſq; horã. Dies enim Chriſti mortis hora eſt qua Chriſtus dominus fidelibus ſuis dexter & propitius apparet, præmiumq; æternũ ſanctæ rependit fidei. Deinde dies Chriſti ultima quoq; dies & extremum illud iudicium eſt ad quod omnium excitabuntur corpora, ut alia quidem cum animabus ſuis æternum gaudeant, alia æternum ardeant. Diſcimus autem ex hiſce Pauli uerbis hoc ipſum quod ex hiſce domini Ieſu ſententia, Hæc eſt uoluntas patris qui miſit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum habeat uitam æternã, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Item, Qui ſermonem meum audit & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non uenit, ſed tranſiuit à morte ad uitam. Deinde diſcimus ſpei ac perſeuerantiæ bonum ab ipſo deo eſſe, imò & initia fidei & auctus boni operis. Veriſſime enim in hæc uerba definit ſancta ſynodus Mileuentana, In omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per dei miſericordiam adiuuamur, ſed ipſe nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adiutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. His iam addit quàm ſynceriter & officioſe amet complectaturq; Philippenſes, idq; non facit animo adulatorio aut ſubdolo, ſed uero & ſimplici. Nam hoc modo ſibi animos illorum obſtringere & plane obnoxios reddere cogitat, quo ſcilicet pſeudapoſtolos in omnium animos perreptantes, & ſeſe ſubdole inſinuãtes excludat. Auguſtiſſima autem ſunt quæ in hanc rem ſequuntur. Aequum, inquit, eſt ut hoc de uobis ſentiam quos præ cæteris amo, quos in corde gero, in uinculis, in defenſione, inq; confirmatione euangelij, certo ſciens uos gratiæ Chriſti & omnium bonorum & eſſe nunc & fore in poſterum conſortes. Vinculorum autem, defenſionis & confirmationis meminit ut affectum moueret, eximium amorem in illos ſuum declararet, & ut illos uiciſſim in ſui amorem inflammaret. In tranſcurſu enim oſtendit uincula ſua eiuſmodi eſſe, ut amari potius quàm contemni mereatur qui gerat ipſa animo conſtanti & cum fructu euangelij. Productus enim ad tribunal Neronis fic euangelij cauſſam tutatus eſt, ut plurimum roboris & confirmationis euangelio acceſſerit. Sic enim ipſe teſtatur in 2. ad Timoth. 4. cap. In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt, ne illis imputetur: ſed dominus mihi adfuit & corroborauit me, ut per me præconiũ expleretur, & audirent omnes gentes, & ereptus fui ex ore leonis &c. Docent ergo hæc & his ſimilia religioni noſtræ ueræ haud dedecoroſa eſſe uincula apoſtolorum, tormenta & cruces ſanctorum martyrum. Per hæc enim confirmata eſt ueritas. Proinde ueriſſima ſimul & elegantiſſima eſt illa Zuinglij noſtri ſententia, Sanguine partum eſt euangelium, ſanguine ergo ſeruandũ ac tuendum eſt. Appẽdit ad finem epiphonema, Teſtis enim mihi eſt deus q̃ deſiderem uos omnes in uiſceribus Chriſti: id eſt, Nouit deus quem omnino nihil latet, quanto tenear omnium ueſtri deſiderio, non affectu quoquam humano, ſiue quod captem aliquid à uobis, ſiue quod blãdiar uobis ob ueſtram in me benignitatem, ſed affectu pure Chriſtiano ſic amo uos, non ob aliud niſi quod uideo Ieſum Chriſtum à uobis conſtanter & ſynceriter diligi. Exemplum autem habent in Paulo abſolutiſſimum omnes eccleſiarum epiſcopi, ad quod omnia ſua ſtudia dirigant atq; forment.

Perſeuerantiæ bonum à deo.

Niſi

Nisi enim quis eiusmodi animo in suam ecclesiam præditus sit quali uidet Paulum affectum esse in Philippen. nescio quid fructus sperari possit, tantum abest ut probemus nostri sæculi Pontificios episcopos & ipsorum studia.

Et illud oro ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione omnique intelligentia ut probetis quæ sunt præstantia, ut sitis syncери, ac tales ut nemini sitis offendiculo in diē Christi impleti fructu iustitiæ qui contingit per Iesum Christum ad gloriam & laudem dei.

Summa religionis, in qua nobis proficiendum.

Pertinet etiam hæc portio ad exordium. Imprecatur in hac Philippen. incrementum ueræ pietatis, simul adumbrans ueræ pietatis capita. Quod incrementum imprecatur, significat subinde annitēdum ad meliora, & ne quis humilibus contentus sit, imò quisq; semetipsum uincere pergat in pietate. Veræ pietatis capita hæc sunt: Agnitio, id est intelligentia, hoc est recta cognitio ueri & iustum iudicium in rebus diuinis, quod fide sana paratur. Inde uero est quod possumus probare τὰ διαφέροντα, id est præstantia quæ scilicet in re qualibet præstabiliora & deo gratiora sint, nimirum synceritas fidei, uitæ innocentia, & ut nemini usquam offensionem demus, 2. Corinth. 6. sed omnes potius allectemus ad puram dei religionē, impleti fructibus iustitiæ, qui non ex carne nostra nascuntur, sed ex Christo domino, cui qui per fidem insiti sunt ueluti palmites uiti multū fructus proferunt, idq; non ad redemptionem & satisfactionem peccatorū, Christus enim est redemptio sanctorum: sed ad laudem & gloriam dei. Ita audis miro compēdio totam pietatis summam esse perstrictā, ē qua complures loci colligi possunt. Veram scilicet intelligentiam fidem esse. Hanc solam prudenter iudicare de rebus quibuslibet. Externa non probari deo, sed synceritatem fidei & uitam innocentem. Vere innocentem uitam esse si nemini offensionem demus insyncera aut impura uita siue imprudentia nostra. Fructus iustitię, hoc est iustitiam cum suis fructibus, ueritate, æquitate, beneficentia, ijsq; similibus uirtutibus requiri à Christianis, non ceremonias. Iustitiam eam ex deo esse, & ad laudem dei non expiationem scelerū pertinere. Iam quod initio dictum oportuerat, Oro ut charitas uestra magis ac magis exuberet in agnitione, dixit Apostolus pro eo quod est, Oro ut uosipsi qui deum diligitis & charitate proximum complectimini magis ac magis exuberetis. Loquutionis enim genus est, quale illud quod in nostra lingua nobis usitatissimū est, *iwer lieb*. Et diem Christi iterum appellauit horam mortis in qua Christus cultoribus suis æterna gaudia confert.

Scire autem uos uolo fratres, quod quæ mihi acciderunt magis ad profectum euangelij euenerunt, ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto Prætorio ac cæteris omnibus, utq; plures ex fratribus in domino freti uinculis meis uberius auderent impauide sermonem loqui.

Vincula sanctorum commendant & prouehunt euangelium.

Hactenus præfatus nunc ipsum aggreditur negotium quod in argumento primo loco tractari diximus. Ne quid enim offenderentur Philippenses compedibus & calamitatibus Pauli, palàm hic testatur uincula sua adeo non obfuisse euangelico negotio ut potius in maximum cesserint profectum, idq; duplici nomine. Primo, uincula mea dederunt occasionem, inquit, ut euangelij prædicatio non solum ad paucos eosq; plebeios peruenerit, sed etiam per uniuersam Neronis regiam, perq; uniuersam urbem inclaruerit. Secundo professi sunt euangelicam ueritatem fratres quidam subtimide hactenus, at nunc ubi uiderunt constantiam meam, & quod dominus me in ministerio suo periclitantem seruarit, animati uinculis meis cœperunt iam omni trepidatione posita euangeliū liberrime profiteri. Nam id ferè solet usuuenire rebus honestis ac præclaris (quod ait Paraphrastes) ut quo magis premuntur & affliguntur hoc magis inualescant emicentq; malorum conatu in diuersum exeunte. Atq; ita de omnibus sanctorum afflictionibus iudicare docebit sacra historia.

Nonnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli uero & propter bonam uoluntatem Christum prædicant. Alij quidem ex contentione non pure Christum annunciant, existimãtes sese afflictionem addere uinculis meis. Alij rursum ex charitate, scientes quod in defensionem euangelij cõstitutus sum. Quid enim? Attamen quouis modo siue per occasionem, siue per ueritatem, Christus tamen annunciatur, & in hoc gaudeo quin & gaudebo.

Prædicant quidam per inuidiam euangeliũ.

Dixerat uincula sua animasse quosdam ut liberius cœperint prędicare Christum, hic per correctionem subiungit, id quidem pari synceritate nequaq̃ fieri ab omnibus. Esse enim qui per inuidiam & contentionem prædicent, esse item alios qui bona uoluntate Christum annuncient. Hæc duo genera per consequentia latius explicans, Qui ex contentione, inquit, prædicant non pure Christum annunciant, non enim dei gloriam aut ecclesiarũ commodũ spectant, sed quia oderunt me rixantur & odiosius defensant euangelij prædicationem certe ut afflictionem addant uinculis meis. Dum enim Nero credit prædicationem euangelij omnino pernicioſam esse regno imperióue Romano, non potest non indignari cum cernit illam propagari latius, cum uidet illos per omnia contendere odiosius, imò non potest non furere & truculẽto in me ferri animo qui apud illum huius nouæ sectæ author esse accusor. Proinde ut me totũ Cæsari reddãt inuisum Christum prædicãt. Cæterum qui bona uoluntate Christũ annunciãt, ij ex charitate syncera negotiũ euangelicũ cupiunt promotũ. Et quemadmodũ illi contendunt & odiosius negotiũ euangelij proponunt: ita hi charitate Christiana prędiți cõmode Christi caussam tractant. Illi impostorem credunt, & iccirco uincula mea mihi aggrauant: hi uero norũt me ueritatis præconem esse & in defensionem euangelij constitutũ, hoc est quod permittente deo in hæc peruenerim uincula ut defenderẽ caussam euangelij, inde uero constantiores subinde reddũtur. Atqui hæc diuersa partiũ studia neminem mouere aut turbare debent. Tametsi enim utriq; diuerso fine Christũ prædicent, fit tamen interim ut Christus annuncietur. Huius rei gratia gaudeo et porrò gaudebo. Christũ enim unice diligo, huius nomen omnibus innotescere efflictim desidero: proinde quanto id mei cum dispendio fiat non curo modo is orbi innotescat. προφασιν ergo opposuit ueritati, significat autem prętextum, quoties aliud simulamus aliud in pectore reconditũ gerimus. Germanice redderemus fortassis quadrantius, *Es beſchähe dann vnder einem ſchyn oder ſuſt redlich vnd trüwlich.* Ita uidemus nonnunq̃ & aduersariorũ conatum in profectum euangelij recidere. Verum sensus nondum absolutus per consequentia absoluetur.

Veritati nõ officiunt ueteratorum artes.

Noui enim quod hoc mihi cedet ad salutem per uestram deprecationem & subministrationem spiritus Iesu Christi secundum expectationem & spem meam quod nulla in re pudefiam, sed cum omni libertate ut semper ita nũc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo siue per uitã siue per mortem. Nam mihi uita Christus est, & mors lucrum.

Sanctis nõ officiunt insidiæ impiorum.

Declarauit artes istorum contentione prædicãtium Christum ueritati prodesse non obesse, nunc demonstrat quod neq; afflictio aduersariorum neq; insidiæ non pure annunciantium euangelium nocere aut in perniciem possint abstrahere, imò contra saluti sibi ista fore planè confidit, idq; argumentis consequentibus. Principio præsidio precũ uestrarum nihil istorum in meam tendet perniciem. Quid enim & quantũ possit fidelis oratio nemo fidelium nescit. Deinde spiritus Iesu Christi cui nihil difficile aut impossibile est felicitabit omne negotium. Tertio, non fallet me spes & expectatio mea. Omnis qui deo fidit, ait scriptura, non confundetur. Quarto, nunquam me destituit sua opedo minus, ergo ne nunc quidem deseret: ideo quemadmodũ antehac afflictiones cesserunt in lucrum euangelij, ita nunc quoq; siue liberer è uinculis siue extinguar id quidem cessurum est in gloriam dei. Adijcitur caussa. Nam uita mihi Christus est, & mors lucrum.

Hoc

Hoc est, si uiuat Christus & ueritas eius emicet, & subinde illustrior reddatur in mundo, uiuere me putabo: quod si huius nomine occumbam, non reputabo dispendium, imò lucrum potius. Liberatus enim multis periculis, affectibus & laboribus, æternæ uero quieti redditus æternum gaudebo. Sic sic animatum esse decet pium & fidelem pastorem, imò quemlibet uirum bonum. Seneca certè licet ethnicus, egregie tamen scripsit de morte contemnenda.

Quod si cõtingat uiuere in carne ea res mihi fructus est operis. Quid uero eligam ignoro. Coartor enim ex his duobus, desiderans dissolui & esse cum Christo multo longeq; melius est: cæterum manere in carne magis necessarium propter uos. Et hoc certus scio quod mansurus sim, & cum omnibus uobis permansurus sim in uestrum profectum & gaudium fidei, ut gloriatio uestra exuberet per Christum Iesum in me per meum ad uos reditum.

Pij nec uiuere nec mori recusabunt.

Sunt qui mori cupiant, saltem ne quid aduersum perpetiantur. Hic uero affectus plane prauus & damnandus est. Quocirca nec Paulus hac tantum ratione credidit & asseuerauit mortem esse lucrum. Exponens enim sese uerbis consequẽtibus quatenus illam optet explicat: ita etiam nos docet quomodo animatos esse oporteat in cupiditate & studio uitæ & mortis. Quod si ait cõtingit uiuere in carne, hoc est si dñs uoluerit me esse in hac uita & hoc corpore superstitem. Viuere em̃ in carne longe diuersiore sensu hic usurpatur q̃ ad Roma. 8. cap. τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, hoc est, id mihi fructus siue fructuosum & utile erit si quis spectet opus, id est ministeriũ & beneficia. Quasi dicat, Non ideo mortem opto quod laborem fugiam, imò iucundum erit uiuere si ministerio meo ad ecclesiarum ædificationẽ licebit uti. His infert. Et hac ex causa quid eligam ignoro. Ex utraq; parte sunt quæ me attrahunt. Est enim cur mori cupiam. Est cur non recusem uiuere, ideoq; συνέχομαι, id est coartor & utrinq; teneor. Si expendam apud me æternæ uitæ felicitatem, si huic cõferam huius uitæ miseriam & calamitatem, uideo mihi longe potius esse liberatũ ab huius uitæ ærumnis, feliciter lætari & exultare cum Christo. Rursus ubi mecum reputo quid uestris expediat commodis, intelligo non modo uobis conducere sed propè necessarium esse ut uiuam apud uos diutius & fungar munere meo. Malebat igitur Apostolus sibi male esse, ut bene esset ouibus. Nostri episcopi quos creauit Rom. Pontifex, malũt omnibus alijs male esse dummodo ipsis bene sit, dummodo uolupe & suauiter uiuãt. At uiri boni est non priuatam sed publicam spectare salutem, nec optare mortẽ ut exoneretur sarcina, sed fortiter ferre quod imposuit dominus, donec sua sponte ille nos exoneret qui sarcinã imposuit. Post hæc spem aperit fore ut liberatus è uinculis ipsis reddatur, partim ut Philippẽs. per ministeriũ suum uberius proficerent, partim ut gratias deo propter liberationis beneficiũ agerẽt. Et coniectura est nõ aspernãda Paulum ex hisce uinculis liberatum, multas peragrasse ecclesias cum Asiæ tum Europæ: id quod ueteres quoq; senserunt, qui ultimo Neronis anno hunc gladio concidisse tradiderunt. Gloriationem uocauit fiduciam & confidentiam.

Tantum ut dignum est euangelio Christi conuersemini, ut siue cum uenero & uidero uos siue absens sim audiam de rebus uestris quod stetis in uno spiritu una anima adiuuantes decertantem fidem euangelij, nec in ullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis quidem est causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à deo.

Digne euangelio uiuere.

Descendit nunc ad alterum huius epistolæ locum. Hortatur enim ita uitam suam instituant ut deceat professionem euangelicam siue ipse ueniat siue absens alijs nationibus Christum prædicet. Id quod nobis quoq; dictum est, qui nonnunq̃ solemus apostolorum requirere & exoptare præsentiam. Si enim in hac ipsa carne in qua toti mundo prædicarunt euangelium redirent, profecto nil aliud orbi proponerent q̃ quod olim tradi-

derunt literisq; commendarunt. Cæterum perſtringit hoc ipſo loco qui digne ſua uocatione ambulent, qui uidelicet unanimes ſint, item pro fide euangelij pugnent, & aduerſariorum ui & truculentia non frangantur. De unanimitate paulò poſt plura ſequẽtur, de ipſa nonnihil dictum eſt & in 4. cap. ad Epheſ. & in epiſtola ad Corinth. Certant autem pro fide euangelij, ſiue decertãtem fidem euangelij adiuuant, quicunq; perſeuerantes in bono cupiditates ſuas & adfectiones frangunt, item qui nullo perſecutionũ metu terrentur. Sed dicet aliquis, Verum aduerſarij noſtri truculenti ſunt, & egregie omnia ipſis ad uotum ſuccedunt, interim peſſundantur ſancti. Reſpondet Apoſtolus, Horum improbitas & felicitas certiſſima erit perniciei illorũ cauſſa, ueſtræ uero ſalutis argumentum certiſſimum. Fortuna enim impiorum uitrea eſt quæ dum ſplendet frangitur. Atq; hac quoq; ratione conſolatur fideles uarijs afflictionibus obnoxios. Plurima huius generis obuia habes in prophetis. Appendit ad finem, Et hoc à deo. Quaſi dicat, Si quid uero recte egerimus non eſt quod nobis quicquam uindicemus. Omnis enim ſufficientia noſtra à deo eſt.

Quia nobis donatum eſt pro Chriſto nõ ſolum ut in eum credatis, uerumetiam ut pro illo patiamini, idem certamen habentes quale uidiſtis in me, & nunc auditis in me.

Fides & ſpes dei dona ſunt.

Sentẽtia hac exponitur cur dixerit à deo. Nam à deo nobis datum eſt, inquit, donum fidei & ſpei ſiue perſeuerantiæ adeoq; & patientiæ. Atq; hic protinus ſuum proponit exemplum quo paratiores redderet ad omne malum pro Chriſto ſufferendum. Et exempla ſanctorum huc pertinent omnia. Notandus eſt autem hic locus qui diuinæ gratiæ omnia noſtra bona abſolute tribuit. Extat Canon conſilij Mileuentani, qui hoc loco & alijs ſuffultus in hæc prope uerba pronunciat, Si quis ſicut augmentũ ita etiam initium fidei ipſumq; credulitatis affectum quo in eum credimus qui iuſtificat impium, non gratiæ donum, id eſt per inſpirationem ſpiritus ſancti corrigentem uolũtatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbat beato apoſtolo Paulo dicente, Confidimus quia qui cœpit in uobis bonum opus perficiet uſq; in diem Ieſu Chriſti. Et illud, Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis, uerumetiã ut pro illo patiamini, &c.

CAP. II.

Si qua igitur conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium dilectionis, ſi qua communio ſpiritus, ſi qua uiſcera & miſerationes, complete meum gaudium ut ſimiliter affecti ſitis, eandem charitatem habentes unanimes, idem ſentientes, ne quid fiat per contẽtionem aut per inanem gloriam, ſed per humilitatem animi alium quiſq; ſe præſtantiorẽ exiſtimet, ne ſua quiſq; ſpectetis, ſed unuſquiſq; quæ ſunt aliorum.

Concordiæ & unanimitatis ſtudiũ ſanctum.

Plenius nunc adhortatur ad ſtudium concordiæ de quo in fine cap. 1. dicere cœperat. Potiſſimum uero inter uirtutes reliquas inculcat charitatem quod ſine hac langueant illæ aut certe ſteriles uideãtur. Vitia quoq; & morbos unitatis notat, & quomodo mederi illis liceat tradit. Ineſt autẽ hiſce uerbis grauiſſima δείνωσις. Verba per ſe plana ſunt, niſi id cuiquam inſolens uideatur quod tamen Germanis uſitatiſſimum eſt. Cum enim Latinus dicit, Si qua exhortatio in Chriſto eſt implete gaudium meum, Germanus dicit, *Vermag einige ermanung ützid by üch, ſo laſſend mir das zelieb werden.* Et παράκλησις exhortatiõ eſt. In Chriſto autẽ poſuit pro eo quod eſt Chriſtiana. Si Chriſtiana exhortatio quicquam apud uos ualet: ſi quid ſperandum in uobis ſupereſſe dilectionis: ſi quam uim in uobis habet ille ſpiritus qui omnem fidelium cœtum in unum corpus compingit: ſi animi ueſtri ullis tanguntur affectionibus: ſi naturæ ſenſus ad miſerendum non obriguit, gaudium meum quod cõcœpi de profectu ueſtro explete. Et ubi nos legimus miſerationes ac uiſcera, ibi Hebræi רחמים וחסר Rahemim & Hæſæd ponunt. Prius miſerationes ſignificat, cum ſcilicet quis affectu intimo propenſus eſt, & cõmouetur erga aliquem. Poſterius ſignificat uiſcera & beneficentiam. Illud in animo flagrat: hoc uero erumpit in opus.

opus. Porrò ſcopus in quem iſta omnia diriguntur hic eſt, Vt ſimiliter affecti ſitis, id eſt eandem charitatem habentes unanimes idem uidelicet ſentiatis, 1. Corinth. 1. & 12. cap. Vitia & morbi unanimitatis ſunt ἐρίθεια καὶ κενοδοξία, id eſt, contentio & inanis gloria. *Morbi unanimitatis.* De his alibi diximus. Et uulgo dicitur Contentione non modo ueritatem amitti, ſed inuidiam ſimul, iram, conuitia ac ſuſpiciones malas gigni. De inani gloria dixit dominus, Quomodo poteſtis uos credere qui gloriam quæritis ab inuicem? Et qui inani gloria tument, ſubinde aſpirant ad diſſidia, cum in pura & ſimplici unitate illuſtres fieri nequeãt. Nouationis enim præſidio gloriam ſibi parare ſatagunt. His omnibus opponitur egregia uirtus quæ uitijs iſtis medeatur ταπεινοφροσύνη, quæ animi modeſtia eſt, nihil de ſe altum ſapiens ſed humile. Hæc facit ut quiſq; alium ſe præſtantiorem exiſtimet, deinde ne quiſquam ſua ſpectet, ſed unuſquiſq; quæ aliorum. Dum enim quiſq; ſibi nimium placet, dum omnium aſpernatur conſilia, ſua impudens alijs obtrudere uult, rumpitur concordia. Dum quilibet ſua ſpectat compendia, periclitatur publica concordia. Cæterum dum ſinguli præferimus aliorum conſilia noſtris, neq; noſtræ prudentiæ nimium inniti mur, ſed ſana fide de rebus ſanctis iudicamus, dum quiſq; ſuis commodis aliena anteponit, non poteſt non inter nos nunquam rumpenda perdurare cõcordia. Legant hæc diligentius obſecro quibus inanis gloriæ aucupium antiquius & ſuauius eſt quàm ſanctæ charitatis ſtudium.

Is enim affectus ſit in uobis qui fuit & in Chriſto Ieſu, qui cum eſſet in forma dei non rapinam arbitratus eſt ut eſſet æqualis deo, ſed ſemet ipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit ſemetipſum factus obediẽs uſq; ad mortem, mortem autem crucis.

Chriſti domini exemplum proponit. Quaſi dicat, Ne pudeat uos imitari exemplum Chriſti. Quemadmodum ergo ille erga uos affectus fuit, ſic uos affecti eſtote inuicem. *Chriſtus charitatis exẽplum.* Non quæſiuit ille gloriam ſuam, nihil exprobrauit nobis, non cõtendit, ſed ſumma animi humilitate deiecit ac humiliauit ſeſe ut nos exaltaret. Exemplum autem nobis dedit, ut quemadmodum ipſe fecit ſic nos faciamus, Ioan. 13. Interim obiter & aliud agens, totum Chriſti myſterium perſtringit diſſerens de utraq; eius natura, de incarnatione ſancta, de humilitate & morte crucis, & paulò poſt de gloria & regno eius. Locus enim hic frequẽtiſſimus ſemper fuit in diſputationibus aduerſus hæreſes. Copioſus enim eſt euidens & grauis, proinde perſtringemus nos quoq; ſingula. Nam ipſe ſeſe exponit Apoſtolus, ut multis non ſit opus. In forma dei, inquit, erat Ieſus Chriſtus, quod quid aliud eſt quàm ſi dixiſſet, Re uera unius cum deo ſubſtantiæ erat? Nam in forma dei eſſe nil aliud eſt q̃ deo per omnia æqualem adeoq; ipſum deum eſſe. Hanc uero ſententiam noſtram conſequentibus notis approbamus. Primo. Sequitur enim, Formam ſerui aſſumpſit, id quod per conſequens exponitur, In ſimilitudine hominum conſtitutus, id eſt uerus homo factus, cæteris hominibus per omnia ſimilis. Nam protinus additur, Et figura repertus ut homo: id quod lingua noſtrate ſignificantius exprimimus, *vnd gſtalt halben erfunden wie ein menſch ſin ſol.* Proinde in forma dei eſſe nil aliud eſt q̃ ipſum uerum deum eſſe, deo per omnia ſimilem. Secundo. Non rapinam arbitratus eſt, inquit, ut eſſet æqualis deo. Id eſt, hoc ipſum quod deo erat æqualis non ita reputauit aut poſſedit ut ſolent qui aliquid per rapinam & non iuſto titulo poſſident. Huic enim perpetuo affixi hærẽt, ſemper metuentes ne per uim eripiatur ipſis quod aliquando uiolenter rapuerunt. At Chriſtus non ita diuinitatem ſuam poſſedit. Nam cum natura deus eſſet ſecurus animi non horruit aſſumere hominem utpote qui non neſciebat uirtutem diuinam nulla re poſſe uel obſcurari uel ipſi eripi. Alluſit enim ad ingenium tyrannorum quorundã qui malis artibus ad imperium uenientes cum ueri reges non ſint miſere ſibi metuunt, nec longius mouent è regno, ne hoc occupetur & ipſi expellantur. D. Aurelius Auguſtinus hunc ipſum locum exponens lib. 2. contra Maximinum Arrianorum epiſcopum cap. 5. Rapina res eſt aliena, inquit, quæ per iniuriam poſſidetur. Cum ergo dei filius natura

eſſet filius, deo per omnia æqualis, non rapina id eſt alieno modo ſed natura erat æqualis deo. Tertio additur, Vt eſſet æqualis deo. Proinde in forma dei eſſe eſt deo ęqualē eſſe. At inter diuerſa non eſt æqualitas. Conſequitur ergo in ſancta trinitate unum adorari deum, treis orthodoxe agnoſci perſonas. Conſequitur et uoces Conſubſtantialis & Homouſion Eiuſdem cum patre eſſentiæ & ſubſtantiæ, idq; genus alias non alienas eſſe à ſcripturis. Nam & Zacharias in 13. cap. inducit deum per proſopopœiam ad gladium dicentem, Gladie excitare ſuper paſtorem meū et ſuper uirum (עמיתי) coęqualē meum, dixit dominus exercituū. Et Paulus ad Hebr. 1. cap. Filius ait eſt hæres omniū per quem & ſæcula condidit, idem eſt ſplendor gloriæ & expreſſa imago ſubſtantiæ illius. Ex his uero omnibus liquere puto ueram eſſe expoſitionē qua illud Pauli Chriſtus Ieſus erat in forma dei id pollere diximus quod nobis hæc loquutio Chriſtus erat ſubſtantia et natura adeoq; uerus deus. Vnde & conſequi neceſſe eſt haudquaquā eos falli qui hinc petunt diuinæ Chriſti naturæ teſtimonia. Cohærent & conſequentia quæ de humana ſubiungit natura propè ad hunc modum, Cum natura & re uera eſſet deus nō id fecit quod ſolent qui non uere ſed per rapinā aliquid poſſident. Nā miſere metuunt ne id à ſe transferatur ad alios quod mala conſcientia poſſident. Chriſtus enim ſemetipſum inaniuit de throno gloriæ ſuæ deſcendit & formam ſerui aſſumpſit. Si uero non erat deus, ſi non erat ante partum uirginis, quomodo inaniuit ſe aut in quo facta eſt inanitio? Si nō erat æqualis deo, quomodo humiliauit ſe aſſumpta ſerui forma? Si non eſſet natura deus rapinam arbitratus ſe deo æqualem eſſe non inaniuiſſet ſeſe, proinde qui à ſæculo erat deus, in fine temporum de intemerata uirgine aſſumpſit hominem. Id quod longa uerborum periphraſi circumloquutus eſt: nos expendemus ſingula. ἐκένωσεν ἑαυτὸν id eſt, inaniuit ſeipſum. Non utiq; quod iam per aſſumptam naturam humanam id eſſe deſineret quod erat ab initio, cum deus ſit inconuertibilis, ſed quod ueluti regia exutus trabea formam ſerui aſſumpſit. Quod enim aſſumit aliud, ſeipſum nō perdit re aſſumpta, ſed hoc in conſortium admittit ipſum uero permanet. Exponitur itaq; uerbum Inaniuit per aliud nempe Aſſumpſit, quemadmodum et Forma ſerui per id quod ſequitur, In ſimilitudine hominum conſtitutus, id eſt per omnia ſimilis hominibus factus, æger, miſer, ſeruus, mortalis. Nam alibi, Debuit inquit apoſtolus per omnia fratribus ſimilis reddi. Sequitur & aliud quod hoc explanet, Et figura repertus ut homo, id eſt in omnē modum uerus homo eſt declaratus. Recte enim Scholiaſtes inuenire pro eſſe poni annotauit. Ve luti cum Germanice dicimus, *Es erfindt ſich*, id eſt certum & compertiſſimum eſt. Rurſus aliud quoq; per interpretationem adiȝcitur, Humiliauit ſemetipſum. Inanitio ergo illa filiȝ dei non eſt euacuatio, ſed humiliatio. At humiliatio aliud non eſt quàm incarnatio & mors in carne perpeſſa. Ad Epitaſim pertinet quod ait, Mortem autem crucis. Hęc enim & turpiſſima & grauiſſima erat. Ita uidemus eundem Chriſtum ſimul & deum uerum & hominem eſſe uerum, qui pro expiatione noſtri ſeſe in mortē tradidit ut nos per mortem ipſius innocentiſſimam æternum uiueremus. Repelluntur autem hiſce Pauli uerbis omnes omnium ætatum hæreſes partim diuinitatem Chriſti partim humanitatem blaſphemantes. Diligenter ergo hic locus uoluendus ac reuoluendus eſt.

Chriſtus uerus homo eſt.

Quapropter & deus illum in ſummam extulit ſublimitatem ac donauit illi nomen quod eſt ſupra omne nomen ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium ac terreſtrium & infernorum omnisq; lingua confiteatur quod dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam dei patris.

Gloria Chriſti.

Quādo humiliationis & crucis Chriſti meminerat obiter & de gloria & regno Chriſti quædam adiȝcit duplici conſilio. Principio ut præmio alliceret ad concordiæ & humilitatis ſtudium. Nam iuxta uerbū Chriſti, Omnis qui ſe exaltat humiliabitur & omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Deinde ne quis offenderetur ſcādalo crucis adiecit quædam de gloria Chriſti regnantis. Sumpta autem ſunt hæc ex 45. cap. Iſaiæ. Nam ad hunc modum habent uerba diuini uatis, Reſpicite ad me & ſalui eritis omnes fines terræ, quia ego deus & nō alius, deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. Per me iuraui, egreſſum eſt

uerbum

uerbum ex ore meo in iuſtitia & non ibit retrorſum, quia mihi flectetur omne genu & iurabit omnis lingua. Iam cum omne genu ſe flectat in nomine Ieſu Chriſti, conſequēs eſt quod Chriſtus ſit deus ſuper omnia in ſæcula benedictus, cui ſubſunt omnia, & cui omnia noſtra ſalutem & iuſtitiam debemus: exaltatus uero propter naturā humanam. Et nomen hoc loco ut ſæpe & in multis locis aliâs uſurpatur pro potentia & maieſtate. Genu flectere geſtus eſt adorantium, & ponitur pro adorare ac colere ſiue uenerari. Deinde per partitionem cœleſtium terreſtrium & infernorum complectitur uniuerſitatis & omnium creaturarū intelligibilium numerum. Præterea eandem rem alia ſpecie orationis enunciat. Quod enim prius dixit, Vt omne genu ſe flectat: nunc effert, Vt omnis lingua confiteatur, id eſt ut omnes angelorum & hominum linguæ cum laude & gratulatione confiteantur quod Ieſus Chriſtus ſit dominus, id eſt deus, & omnium rerum princeps & exordium. Nam hoc eſt nomen quod ipſi à patre datum eſt. Et Iſaiæ 42. ait dominus, Ego dominus, & hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Dedit autem filio hoc nomen, ergo non eſt alter à patre, ſed unius cum patre ſubſtantię. Dedit autem ſiue donauit dixit, non quod illam gloriam ante conditum mundum non habuerit, ſed quod hominem in tempore aſſumpſerit. Sic enim ipſus ad patrem orauit Ioan. cap. 17. Et nunc glorifica me tu pater apud temetipſum gloria quam habui priuſquam hic mūdus eſſet apud te. Atq; hæc gloria quæ Chriſto tribuitur domino non tendit in ignominiam, ſed gloriam patris. Hinc enim ſequitur, In gloriam dei patris. Nam Ioannis 5. cap. legimus dixiſſe dominum, Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filiū ſicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem qui miſit illum. Ex his uero omnibus apparet Arrianorum zelum quo abnegatione diuinitatis filij unius dei gloriam aſſerere uolunt ſtultum eſſe. Nam quod filius pari honore cum patre & ſpiritu ſancto colitur & adoratur nihil derogat gloriæ dei, ſed uera potius eſt gloria dei. Plura diſſeruit de Chriſto ſuper omnia exaltato & gloria ipſius Paulus in primo capite ad Epheſios.

Proinde dilecti mei quemadmodum ſemper obediſtis, nō tanquam in præſentia mea ſolum, ſed nunc multo magis in abſentia mea cum timore ac tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini. Nam deus eſt is qui agit in uobis & ut uelitis et ut efficiatis pro bono animi propoſito.

Abſoluitur ſententia totius conſilij Paulini. Quaſi dicat, Proinde cum uideatis quanta ſit Chriſti erga nos charitas, quanta eius humilitas, quanta item præmia conferātur in charitate præditos, in benemerentes de alijs ac humiles, & quemadmodum hactenus euangelio noſtro ſemper obediſtis Chriſtiq; exemplū ſectantes digne ueſtra uocatione ambulaſtis, obedite etiā nunc conſilijs noſtris, & concordes inter uos atq; humiles eſtote. Deinde his iungit quod excitet maxime, Non oportet præſenti duntaxat obedire aut ad oculum ſeruire. Serui dei eſtis. Deus ubiq; præſens eſt. Vbiq; ſuis cultoribus adeſt. Tametſi ergo ego doctor & euangeliſta ueſter abſim, deus tamen cui ſeruimus præſens eſt. Et familia in abſentia patrisfamiliâs plerunq; & prudentius & fidelius agit omnia, q̄ cum ipſe aſtat omnium rerum ſpectator. Ergo ueſtram ipſorum ſalutem operemini, id eſt ea curate quæ ueſtræ ſalutis ſunt: idq; non oſcitanter, ſed ſtrenue, alacriter & diligēter quemadmodū ſolent qui cum timore ac tremore aliquid agunt. Nam ſumma cum animi ſolicitudine & circumſpectione id perficiūt. At dicat hic aliquis, Ergon' in noſtra facultate eſt noſtram ipſorum ſalutem operari? Reſpondet Apoſtolus, Deus eſt is qui agit in uobis ut & uelitis & ut efficiatis. Id eſt & uolūtas & facultas bene agendi à deo eſt. Huius loci robore ſuffulta Synodus Mileuentana in hæc uerba pronunciauit, Si quis ut à peccato purgemur uoluntatem noſtram deum expectare contēdit, non autem ut etiam purgari uelimus per ſancti ſpiritus infuſionem & operationem in nobis fieri cōfitetur, reſiſtit ipſi ſpiritui ſancto per Solomonem dicenti, Præparatur uoluntas à domino: & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Cæterū appenſa illa particula Pro bona uoluntate, aut pro bono animi

Non eſt in noſtra facultate noſtram ipſorū ſalutem operari.

propoſito, Græce ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, ad deum referri debet. Senſus enim eſt, Deus operatur in nobis uelle & perficere, idq; facit quod propenſo in nos animo ſit, quod uos amat & familiariter admodũ complectitur. Eiuſmodi locutionis genus eſt & illud quod in 1. cap. ad Epheſios audiuimus, Prędeſtinauit nos in ſeſe iuxta beneplacitum uolũtatis ſuæ. Significatur ergo quod uelle & perficere nobis à deo donentur pura dei gratia, & nullo noſtro merito. Non enim nos illum dileximus, ſed ille nos dilexit prior & tradidit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Miror autem quid ad hæc reſpondere poſſint qui ſua uendunt merita. Tametſi enim Mercedis & Meriti uoces reperiantur in ſcriptoribus claſſicis attamen ipſum meritum noſtrum gratia eſt. Quid enim habemus quod non acceperimus? quod ſi omnia à deo bona accepimus quid gloriamur de quibuſdã quaſi noſtris? Si à deo illa non ſunt, ſed à nobis, certe bona nõ ſunt. Si mala ſunt, nullum ipſis debetur præmium niſi execratio. Hæc uero eſt egregium illud meritum, de quo gloriantur qui ſine deo uires humanas prædicant.

Omnia facite ſine murmurationibus ac diſceptationibus, tales ut nemo de uobis queri poſſit, ſynceriq; filij dei irreprehenſibiles in medio nationis prauæ ac tortuoſæ, inter quos lucete tanq; luminaria in mundo ſermonem uitæ ſuſtinẽtes, ut gloriari poſſim in diem Chriſti quod non inuanum cucurrerim nec inuanum laborauerim.

Sine murmure fiant omnia.

Præcipit nunc ut conſtantiæ, concordiæ & humilitati adiungant innocentiam & puritatem uitæ, in primis uero ut omnia ſine murmure & diſceptatione faciant. Quorum alterum eſt non ex animo facientium quod faciunt, aut cum deo rixantium & contendentium: alterũ eſt diffidentium. Theophylactus author eſt Philippeñ. tentatione acerrime uexatos, & uariis periculis continuo fuiſſe exagitatos, ita ut pleriq; in barathrum murmurationis & blaſphemiæ agerentur, unde Apoſtolus tanto uerborũ pondere animos ipſorum à tantis abſtraxerit flagitijs. De innocentia uero ſic præcipit, Eſtote ſynceri in omnibus, fidem ſcilicet habentes puram & mores inculpatos, ut nemo iure de uobis queri poſſit, imò omnes potius uideant uos eſſe uere dei filios, qui uita cœleſti & ſancta patrem referatis deum. Quod argumentum deduxit à dignitate noſtra ab indole & officio noſtro. Sed obijciat aliquis, Quomodo uiuemus pure & irreprehenſibiliter inter impuriſſimos & calumniæ ſtudioſiſſimos? Reſpondet, Hoc uero nomine diligentius uobis erit inuigilandum, ne iure poſſint uel uos uel religionem ueſtram accuſare, item ne contagione inficiamini. Opponitur autem ſyncritati tortuoſum ſiue aſperum. Et σκολιὸς malignus & uerſipellis eſt, importunus quoq;. Porrò ut uehementius animos impelleret Philippeñ. quædam adhibet epicheremata. Lucete inquit inter infideles in hoc mundo tanquã luminaria. Quibus uerbis proculdubio alluſit ad illa Chriſti uerba quæ ſic leguntur Matth. 5. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus ut uideant ueſtra bona opera glorificentq; patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Addit Paulus, Sermonem uitæ ſuſtinentes: quaſi dicat, Vt autem poſſitis lucere innocentiæ ſplendore, ſubinde manibus ueſtris ueluti lampada geretis uerbum dei uiuificum, id eſt nunquã non ob oculos ueſtros reuocabitis euangelij doctrinam ſalutarem, ex qua diſcatis quid fugiendum quidue ſit appetendum, quemadmodum ad lucernæ indicium omnes greſſus componunt qui in tenebris ambulant. Theophylactus in hunc modum exponit, Quemadmodũ faces collucent & quaſi ſui fulgoris fomento uitam corporibus reddunt: ſic uobis omni ſtudio eſt enitendum ut fulgoris loco hominibus ſitis qui uitam de ſe poſſit præſtare. Alterum uero epicherema à ſua perſona duxit, ut gloriari poſſim in diem Chriſti quod non inuanum cucurrerim nec inuanum laborauerim. Et hoc poſcebat à Philippenſibus gratitudo quæ debetur præceptoribus & magiſtris fidei. Videbatur autem luſiſſe operam ſi uel defeciſſent uel contagio gentilitq; impuritate infecti rediſſent ad uomitum.

Quin etiam ſi immolor ſuper hoſtia ſacrificioq; fidei ueſtræ gaudeo & congaudeo omnibus uobis. Ob id ipſum autem & uos gaudetis &

congaudetis

congaudetis mihi.

Redit ad afflictiones ſuas de quibus in cap. 1. diſſeruit. Cohærent autem hæc cum ſuperioribus ad hunc modum. Adeò uero laborum meorũ me non pœnitet, ut ſi ipſe nũc immoler & moriar propter Chriſtum et miniſterium meum, gaudiũ id ingens mihi futurum ſit non tam meo quàm ueſtro nomine. Meo quidem nomine quod Chriſtus dominus me dignatur pro nomine ſuo pati & uictimæ mortiſq; ſuæ fieri participem. Veſtro autẽ quod recte in fide per me inſtituti gratiſſima eſtis deo uictima. Et cum iuſtas ob cauſas mea mihi mors eſt iucunda neutiquã uobis eſſe poterit acerba quod in omnibus uos gaudij mei habeã conſortes. Verba Pauli prima fronte nonnihil obſcuritatis habẽt. Græce in hæc ſcripſit, ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν. At ſi etiã immolor cauſſa hoſtiæ & miniſterij fidei ueſtræ. Επὶ eñ conſtructum cum datiuo, id quod uel grammaticorũ monẽt canones, αἰτίαν hoc eſt cauſſam ſignificat, ueluti etiã in hoc Pauli loco. Senſus ergo eſt, Si contigerit me immolari ſiue occidi propterea quod & unicam hoſtiam Chriſti domini pro peccatis expiandis ſatis efficacẽ eſſe prædicaui, & uos quoq; per miniſterium meum ſacrum hoſtiam deo uiuentẽ acceptam & rationalem paraui. Nam per interpretationem adiungitur, Et miniſterij fidei ueſtrę, id eſt, cauſſa ſacri mei miniſterij quo per fidem uos paraui hoſtiam deo. Ita enim Hebræ 8. Acto. 13. & Roma. 15. hanc uocem λειτουργία accipi oſtendimus: ſi inquam huius cauſſa contigerit me ſacrificari gaudeo & congaudebo uobis omnibus &c. Ad hæc nimirum uerba alludens ſanctiſſimus martyr Chriſti Polycarpus cum propter fidem Chriſti igne iam comburendus eſſet, dixit, Benedico te deus dilecti & benedicti filij tui Ieſu Chriſti pater, qui me in hanc horam perducere dignatus es ut particeps exiſterem martyrũ & calicis Chriſti tui in reſurrectionem uitæ æternæ animæ & ſpiritus mei per incorruptionem ſpiritus ſancti, in quibus ſuſcipiar in conſpectu tuo hodie tanquam ſacrificium pingue & acceptabile ſicut præparaſti & præſignaſti ita & feciſti. Proinde uera Chriſtianorum ſacrificia ſunt ſpiritus contribulatus & contritus, fides & charitas pura, obedientia iuſta & omnium rerum noſtrarum uoluntaria oblatio, qua in momenta ſingula parati ſimus pro Chriſti nomine & opes & corpora & animam impendere. *Sacrificiũ deo gratum.*

Spero autem in domino Ieſu me Timotheum breui miſſurum uobis ut & ego læto ſim animo cognito ſtatu ueſtro, neminem enim habeo pari mecum animo præditum qui germane res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt non quæ Chriſti Ieſu. Porrò probationem eius noſtis quod ut filius mecum ueluti cum patre ſeruierit in euangelio. Hunc igitur ſpero me miſſurum mox ubi uidero mea negocia. Confido autem in domino quod & ipſe breui ueniturus ſim.

Conducebat familiaris hæc Timothei pollicitatio ad confirmandum adq; perfectiora prouehendum animos fidelium. Ex hac enim coniectare poterant quàm eſſent apoſtolo chari & quàm æquum ſit ei uiciſſim per omnia gratificari, ne ueniens Timotheus quæ non putaſſet inueniret. Aſtutum ſanè eſt hoc Pauli conſilium ſed ſanctum & ſalubre. Commendatur interim Timothei integritas. At ex ea commendatione diſce quid deceat fidelem Chriſti miniſtrum, & ex quibus ſit æſtimandus. Diſce non quibuslibet ſed probatiſſimis in negotijs arduis & fidei eſſe fidendum. Cætera planiora ſunt quàm ut expoſitione egeant copioſiore. *Timothei laus.*

Sed operæ pretiũ arbitratus ſum Epaphroditũ fratrem & collegam & commilitonẽ meum ueſtrum autem apoſtolum, quiq; mihi ſubminiſtrat in neceſſitate mea mittere ad uos. Quandoquidẽ deſyderabat uos omnes anxius animi, propterea quod audiſſetis eum infirmatũ fuiſſe.

Pari consilio & ratione nunc mittit Epaphroditum, quo se Timotheum breui missurum pollicebatur. Ornat autem & hunc suo præconio suisq; laudibus. Nemo enim debita laude fraudari debet, tum maxime cum ea conducit negotio euangelico. At qui laude & meritis suis ad quęstum abutuntur nil minus quàm laude digni uidentur. Detulerat hic Epaphroditus ad Apostolum munera Philippensium, quibus necessitati subueniebant Pauli. Præterea Philippensium episcopus erat idem. Cæterum quod infirmitas eius animos sauciasset ecclesiæ, apertum argumentum est quàm amarint pastorem oues nimirum sanctæ. Malæ mentis & corruptissimarũ ouium indicium est, si bonus pastor male audiat apud suas.

Et certè fuit infirmus ita ut esset uicinus morti, sed deus misertus est illius, at non illius tantum, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem. Studiosius ergo misi illum, ut cum uideritis illum denuo gaudeatis, & ego magis uacem dolore.

Infirmantur & sancti.

Hinc liquet uel sanctissimos aduersa affici ualetudine. Non enim uel sanctissimis omnia ad uota succedunt. Habes hoc loco quis omnes depellat morbos, quis morte nos transferat in aliud sæculum, ipse deus conditor & gubernator uniuersitatis. In morbis ergo & in ipsa mortis hora solus est inuocãdus. Nam si hic nostri misereatur bene nobiscum agitur siue reualescamus siue moriamur. Videmus præterea ipsos Christi apostolos homines fuisse obnoxios gaudio & dolori. Sunt enim qui Stoicismum reuocantes ex hominibus lapides & truncos faciunt, qui neq; doleant neq; lætentur ad casum quemlibet. Indignum enim id esse dicunt homini Christiano qui carni & mundo sit mortuus. Iam & illud non aspernandum est quod quærit Ambrosius, Cur ad mortem infirmari Epaphroditum permiserit Apostolus, qui tamen suscitabat mortuos? Respondet autem, Signa infideliũ caussa fieri. Deinde fideles uarijs probari afflictionibus, ut appareat quàm sint stabiles. Nos addimus hinc liquere signa & sanationum dona non fuisse in potestate apostolorum, ut his quoties liberet quoslibet sanare liceret, sed quoties & quos dominus sanare uellet. Cum autem orant sancti dominũ in uera fide pro infirmis & alijs hominum necessitatibus nec audiuntur, sed infirmi aut moriuntur, aut necessitas illa non depellitur, non ideo credendum est orationes sanctorum esse uanas & inutiles, sed id potius cogitãdum est quod ei melius prouisum sit cui non impetramus quod orabamus. Deus enim alia ratione ipsi consulit, quia postulatio nostra proculdubio non erat ipsi salutaris. Exauditur ergo oratio precantis, tametsi uideatur alius nonnunquam euentus rerum. Nil tamen de bona dei uoluntate & ueritate dubitãdum est. Quod locus in 1. ad Thessal. 4. cap. huic repugnare uidetur nostra fit oscitatione. Loquitur enim ad Thessalonicenses de dolore eorum qui nullam spem habent, & qui omni modo caret, hic uero de dolore moderato & humano. De quo aliâs.

Signa à uoluntate dei pendẽt.

Oratio sanctorum non inanis.

Excipite igitur illum in domino cum omni gaudio, & qui eiusmodi sunt eos in pretio habete, quoniam propter opus Christi eò accessit ut morti proximus fuerit, non habita ratione uitæ, ut suppleret id quod in uestro erga me officio fuit diminutum.

Nunc commendat ipsis Epaphroditum. Tametsi enim diligeretur à Philippensibus, nihilominus commendatur à Paulo ut fiat charior. Noua enim merita accesserant. Nec hunc solum solis commendat Philippensibus, sed & omnibus ecclesijs omnes eos qui Epaphrodito similia faciunt. Tales iubet habere in pretio. Satis enim est quod apud impios male audiunt & execrabiles habentur. Nouum porrò illud uitæ meritum quod copioso Epaphroditi uirtutum cumulo accesserat tale erat. Ablegarant ipsum Philippenses non sine pecunia copiosa quam offerret Paulo ad uitæ necessitatem, & ut ipsi inseruiret per omnia. Inseruiebat ergo tam fideliter Apostolo, ut & nimia diligentia sibi conscisceret infirmitatem, & liberalibus intrepidisq; officijs maximam sibi pararet impiorum inuidiam. Atq; ita, ait, nulla uitæ suæ ratione habita maluit uestro nomine deo & mihi

Commẽdantur ecclesijs ministri uerbi.

fideliter

fideliter inſeruire, quàm exacta ualetudinis ſuę habita ratione honores & uoluptates ſectari. Facti ergo eſtis mihi præſentes (inquit) per huius officia qui corpore eratis abſentes. Tantum enim ille ſe non officioſiſſimum & fideliſſimum mihi exhibuit, quo penſaret id quod ob abſentiam ueſtram ueſtro erga me officio uidebatur deeſſe. Proinde dignus eſt quem impenſiſſime diligatis. Diſcamus hinc fideliter pietatis officia quæ nobis mandata ſunt exequi. Nemo blandiatur ſibi nimium, nemo curioſam & molliculam ualetudinis ſuæ rationem habeat. Sat eſt ſi te non perdas immodico rerum ſtudio. Nemo præterea uitæ ſuæ nimis metuat. Sat diu uixiſti ſi ſat bene: nimium uixiſti ſi nimium uoluptatibus te impendiſti.

Quod ſupereſt fratres gaudete in domino: eadem ſcribere uobis me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt. Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Nos enim ſumus circũciſio qui ſpiritu deũ colimus & gloriamur in Chriſto Ieſu & non confidimus in carne. CAP. III.

Pauciſſimis hoc tertio capite abſoluit quod aliâs copioſiſſimis diſputationibus uix explanauit. Scopus omnium hic eſt, Ad iuſtificationem ſatis eſſe meritum Chriſti nec requiri legalia. Nazaræi enim de quibus diximus in epiſtola ad Roma. & Galatas. Chriſtum quidem prædicabant, ſed inutilem adeoq; ad iuſtificationem inefficacem iurabant niſi circumciſio accederet & lex ſeruaretur. Paulus ergo ſolum Chriſtũ prędicat & hunc omnibus legalibus præfert. Hactenus inquit de neceſſarijs quibuſdam præcepta dedimus uobis, nunc quod ſupereſt & quod in primis curandum eſt, uidete ne ulla in re gaudeatis quàm in domino. Nam ut extra ſolem nulla lux eſt, ita nec extra Chriſtum ullum gaudium eſt, ulla pax, ulla iuſtitia. Hæc autem propoſitio eſt Apoſtolicæ doctrinæ. Exordioli ſpeciem habet quod ſequitur, Eadem ſcribere uobis me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt. Quaſi dicat, Dum apud uos Chriſtum prædicarem ſubinde ingeminabam in Chriſto eſſe omnia quæ ad uitam & ueram pietatem pertineant, hoc ipſum iam iterum occino, in domino gaudendum eſſe docens. Solet autem eiuſdem rei iteratio admodum eſſe odioſa & ingrata. Cæterũ me non piget eandem rem cum uiua uoce tum ſcriptis inculcare uobis. Eiuſmodi enim eſt quę rectè cognita ſatis fit nec ullis alijs ad pietatem & uitam inſtitutis aut medijs ceu ſubſidiarijs opus habeat. Sed & uobis tutius eſt uoſipſos eiuſmodi doctrinæ dedere quæ ſui per omnia ſimilis eſt, quàm ei quæ ſubinde noua quædam proferẽs uariat & ſibi nuſquam conſtat. In 2. ad Timoth. 4. cap. Erit tempus, inquit, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruabũt ſibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem auertent aures ad fabulas uero conuertẽtur. Videmus enim hodie quoſdam nouitatis nimium ſtudioſos uetera ſimplicia & pura contemnere, noua uero perplexa & inſyncera ſectantes grauiter impingere & corruere. Cæterum ſi nos nobis conſultum uolumus in ſimplicitate apoſtolica & euãgelica perſeueremus, neq; pigeat nos eadem ſubinde & dicere & audire. Vera enim religio in ueritate non in uerborum elegantia, copia & uarietate conſiſtit. Pontificia religio uarietatem habet, ideo gratior eſt & religioſior uidetur ſed uulgo, rariſſime ſapienti. Euolue uero & reuolue ueteris & noui inſtrumẽti uolumina & comperies eundem religionis tenorem omnibus ſæculis ab omnibus ſanctis obſeruatum nil noui ingerere hos, ſed eandem ſubinde cantilenã occinere. Proinde ſacris ſcriptorum exemplis confirmati contemnemus poſthac male feriatum genus hominum quod uarietate gaudens, eundem Chriſtum nobis in omnibus & per omnia inculcantibus occlamat, eadem nos chorda oberrare ſemper. Iam uero apertis uerbis eos cauendos eſſe docet qui non pure unum illum ad iuſtificationem ſatis efficacem Chriſtum prædicant, Cauete, inquit, canes, hoc conuitio notans pſeudapoſtolos legem euangelio miſcentes. Canum enim more oblatrabant, inuidebant ac mordebant. Oblatrabant enim doctrinæ euangelicæ, inuidebant Paulo, inuidebant & libertati Chriſtianæ, mordebãt alienam uitam, imò & morſum doctrinæ uenenatæ infigebant ſimplicioribus. Proinde cauendos ſuadet. Vrgebant ſanè bona opera, quo nomine uulgi merebantur applauſum, at cum ipſa

Ad iuſtificationem ſatis eſſe meritũ Chriſti.

Veritatis doctrina ſemper ſui ſimilis eadẽ occinit.

prædicarent in ignominiam & abnegationem meriti Christi domini, merito hos appellat malos operarios. Præterea bonorum operariorũ est prouehere & conseruare ipsum opus, at pseudapostoli id destruebant. Docentes enim circumcisionem faciebant concisionem, tum quod ecclesiam prauo dogmate scinderent, tum quod simpliciores à Christo abscinderent separarentq;. Iucunda enim prosonomasia coniunxit inter se κατατομὴν καὶ περιτομὴν. Cõciditur enim quod discerpitur & planè distrahitur. Circumciditur quod superuacaneis resectis purgatur. Porrò ostendit carnalem circumcisionem quam isti usq; adeo anxie urgebant unà cum omni obseruatione quæ ei adhæret non esse ad iustificationem necessariam. Nos enim inquit qui spiritu deum colimus & gloriamur in Christo Iesu & non confidimus in carne, circumcisio sumus. Circumcisio autem ponitur pro cœtu populi sancti pro ecclesia dei: quemadmodum & Panis in 1. ad Corinth. 10. cap. Sacramentis enim colligitur ecclesia. Sensus ergo uerborum Pauli hic est. Putant aduersarij nostri externa circumcisione inseri oportere nos ecclesiæ dei, & sine circumcisione neminem purgari à peccatis aut recipi in populum dei: inde uero illam adeò urgent. At ego populum dei ab externis non metior, & palàm pronuncio uos esse populum dei si modo deum spiritu, id est rebus spiritualibus colatis, Christo fidatis diffidatisq; rebus carnalibus siue externis. Itaq; circumcisio & quæ ei adhærent legalia ad salutem nõ sunt necessaria. Fides in Christum iustificat, Hæc docet patrem adorare in spiritu & ueritate. Et Circumcisio ipsa symbolum erat quo obsignabatur colligebaturq; in unam aggregationem populus dei. Significabat amputandos esse affectus carnis, fidendum esse deo per Christum, colendum purgato animo & moribus circumcisis. In his uero consistere ueram pietatem. Proinde priusquam circumcideretur Abraham iustificatus fuerat ex fide. Ideoq; gratia domini facit nos populũ dei. Hinc uero ad Galatas magno spiritu pronunciauit idem Apostolus. Absit mihi gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, &c. Sed de hac re disputatum est alibi copiosius.

Circũcisio non necessaria ad iustificationem.

Quanquam ego confidam etiam in carne. Si quisquam alius uidetur fiduciam habere in carne, ego magis habeo cirũcisus octauo die, Israëlita ex genere tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta studium persequens ecclesiam, iuxta iustitiam quæ est in lege factus irreprehensibilis. Sed quæ mihi erant lucra ea arbitratus sum propter Christum damnum esse.

Quid per carnem intellexerit Apostolus declaratur enumeratione consequẽti, in qua recenset circumcisionem, genus, maiores sanctos, uitæ institutum Pharisaicum, hoc est monachicum propè, zelum & iustitiam legalem. Nemo autem uerba Pauli sic intelligat quasi hisce rebus externis confidat, sed conditionem habet oratio. Quasi dicat, Si in carne gloriandum erat, ego sanè nihil cuiquam cesserо. Atq; hic per antithesim enumerat quædam capita gloriationis. Si inquit circumcisionem iactant & patres deo dilectos ex quibus nati sunt: ego ut circumcisionem octauo die secundum institutum domini acceptam, ita tribum Beniamin celeberrimam nominare possem ex qua originem traho. Israëlita ergo sum non insitione sed genere, non proselytus sed Iudæus ex Iudæis oriundus. Si isti sanctum & seuerum uitæ institutũ iactant, ego bona fide Pharisaicam sectam qua non fuit in gente Iudaica probatior & sanctior proferre possum, in qua ad miraculum usq; clarui. Quod si isti ex zelo aut obseruatione legis clari ac illustres haberi uolũt, ne in his quidem mecum conferendi sunt. Nam ipsa ardens persequutio qua persequebar ecclesiam Christi satis magno argumento est quanto in legem zelo exarserim. Deinde cum adeo tenax eram eorũ quæ præscribit lex ut nihil esset in omni uita nostra quod merito quis culpasset, claret quam mihi pararim ex lege iustitiam. Sed quorsum hæc omnia pertinent? Nimirum ut suo exemplo ceu demonstratione ex certissimis uiua & euidenti confutaret pseudapostolorum doctrinam nugas istas tradente atque urgente. Non poterant isti negare quæ in hoc argumento afferebantur à Paulo. Tota enim Hierosolymorum

Paulus propter Christũ omnia alia pro excrementis habet.

roſolymorum urbs teſtabatur Paulum antequam conceſſiſſet ad inſtituta Chriſti talem fuiſſe qualem ſe nunc prædicabat. Interim nemo tam obeſæ naris erat qui iſtum bonæ fragrantię odorem hauriens non id quoq; olfaceret quod uir tantus non odio uirtutum, aut gentis ſuæ, aut quod non eſſet ipſe circumciſus & iuſtus, circuncifionem, nobilitatem generis, zelum & iuſtitiam ex lege reiiciebat, ſed quod ſenſiſſet iſta ad pietatem nihil conducere, & aliud quidpiam ſupereſſe quod uere abſoluat filios dei, nimirum fides in Chriſtum dominum. Sequitur ergo, Sed quæ mihi erant lucra ea arbitratus ſum propter Chriſtum damnum eſſe. Opponuntur ſibi mutuo lucrum & damnum. Exiſtimabam inquit id mihi lucrum eſſe adeoq; & meritorum quendam theſaurum præclariſſimum, ſed tum cum per ignorantiam deſiperem: nunc uero poſteaq; Chriſtum noſſe cœpi ſentio illa damnum & impedimenta quædam eſſe ad ſalutem. Dum enim in his mihi egregie placeo, interim uerã pietatem negligo. Nam ad Roma. 10. cap. legimus, Iſraëlitæ ſane ſtudium & zelum dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Nam ignorãtes dei iuſtitiam & propriam iuſtitiam uolentes cõſtituere iuſtitiæ dei non fuerunt ſubditi. Nam perfectio legis Chriſtus ad iuſtificationem omni credenti. Videas hodie multos anxie tueri ritus Pontificios, opera quæ uocant meritoria, merita item ſanctorum, cultum diuorum, inſtituta monachorum, ſatisfactiones, Miſſas & id genus alias nugas ueluti lucra eximia per quæ transferamur ad ſedes beatas. Verum ſi negotium cum Paulo propius & exactius apud ſe expenderent, cum Paulo cernerent damnum & impedimẽta ad ueram ſalutem eſſe quæ nunc per ignorantiam meriti & redemptionis Chriſti tanti æſtimant. Dominus miſereatur ipſorum & largiatur ipſis ſpiritum filij ſui, Amen.

Quin etiam arbitror omnia damnum eſſe propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu domini mei, propter quẽ omnia pro damnis duxi habeoq; pro ruderibus ut Chriſtum lucrifaciam, utq; reperiar in illo non habens meam iuſtitiam ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt Chriſti, quæ eſt ex deo iuſtitiam per fidem.

Copioſioribus uerbis exponit quomodo omnia pretioſa, id eſt omnis iuſtitia & perfectio per Chriſtum expungantur, cuius ſolius cognitio uera inquam fides iuſtificet & abſoluat. Mira uero emphaſi eadẽ ſubinde iterans inculcat. Quaſi dicat, Haudquaquam pœnitet me eius quod circũciſionem, generis nobilitatem, zelum & omnem iuſtitiam quæ ex lege paratur, damnum propter Chriſtum me reputare dixi. Non excidit imprudenti credite dictum illud, quinimò idem repeto & planiſſimis uerbis pronũcio omnia mihi damnum eſſe propter excellentem Chriſti Ieſu dñi mei cognitionẽ: propter hunc inquam (tertio enim idem hoc repeto) omnia pro damnis duxi, imò ut liberius quod ſentio pronũciem, habeo iſta omnia pro ruderibus, dummodo Chriſtũ lucrifaciam. Satis eximiũ ſpecioſumq; lucrum putabo ſi pro omnibus in orbe opibus, ſi pro omni iuſtitia unum adipiſcar Chriſtum dñm. Malo omnibus amiſſis & relictis hũc unum poſſidere q̃ omnibus in mundo pretioſiſſimis rebus acquiſitis uno Chriſto carere. Vnus eñ omnia habet & ſolus ad uitam & iuſtitiam parandam ſatis eſt. Appellant aũt Latini Rudera materiam diruptorum ædificiorum quæ lapidibus & teſtis cõfractis calceq; arena commixta conſtat. Græce appellauit Apoſtolus σκύβαλα. Græcis autem σκύβαλον dicitur quod ex inteſtinis proiicitur canibus, ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι, reiectamenta, ſtercus aut excrementa dicere potes. Conuitium eſt extreme probroſum de rebus nihili & contemptiſſimis: ueluti cum Germanice dicimus, *Ich halt es grad für dräck vnd kaat.* Porrò Chriſtum lucrifacere eſt illi per fidem coniungi, & per eius iuſtitiam iuſtificari ac abſolui. Monuimus enim in epiſtola ad Romanos cap. 1. & 10. item in epiſtola ad Galatas duplicem eſſe iuſtitiam, ſed uera, id eſt fidei iuſtitia nos perfici. Paraphraſtes hæc Pauli uerba mira gratia & proprietate exponens, Vbi per euangelium Chriſti didici inquit, quibus in rebus fita ſit uera iuſtitia, mox quæ prius ut uehemẽter expetẽda ſectabar, abieci reliquiq; non quod legem damnem, ſi quis ut oportet utatur, ſed quod tantum tribuam euangelio Ieſu Chriſti domini mei, ut huius excellenti cognitioni non ſolũ poſthabeam legem

carnalem, uerumetiam quicquid uſquam mundus hic præclarum habet. Hanc igitur ſi mul atq; guſtare cœpi, nullum eſt ullius rei lucrum quãtumuis præclaræ quod non pro damno imò quod non pro rudere ducam aut ſi quid rudere contemptius, modo huius diſpendio liceat lucrifacere Chriſtum fontem bonorum omnium quæ uere bona ſunt. Pro nihilo habeo meam iuſtitiã cuius opinionem mihi uindicabat apud homines Moſaicæ legis obſeruatio, modo mihi contingat uera iuſtitia, quam meam non poſſum appellare, cum haudquaquam paretur noſtris meritis, ſed gratis detur ijs qui ſibi diffiſi ſim pliciter fidunt Chriſto. Et quæ ſequuntur.

ut cognoſcam illum & potẽtiam reſurrectionis illius & communionem afflictionũ illius dum conformis fio morti eius, ſi quo modo pertingam ad reſurrectionem mortuorum.

Quæ ſit excellens illa Chriſti cognitio.

Declarat hiſce uerbis quæ nam ſit illa excellens Chriſti domini cognitio. Cõprehendit hæc Chriſtum uerum ſimul & hominem eſſe, qui noſtri miſertus deſcenderit de cœlis, incarnatus, & propter peccata noſtra cruci ſuffixus ſit. Non erat in hoc ulla labes, nullum hærere poterat peccati ueſtigiũ, proinde ſolus expiare potuit peccata noſtra. Quod enim nos & iuſtitiã noſtram attinet, fuimus nos oẽs, ut perhibet Iſaias, quaſi immundus & quaſi pannus deturpatus omnes iuſtitiæ noſtræ. Illius ergo agni immaculati hoſtia toti mundo ſalutaris fuit. Illius reſurrectio noſtræ uitæ & immortalitatis fuit reſtitutio, ut maxima ſit in religione noſtra reſurrectionis uis & myſteriũ. Conſepelimur nos unà cum Chriſto per baptiſmum in mortem ipſius, ut morti eius conformemur, hoc eſt ut mortui uitæ priſtinæ uiuamus per illius ſpiritum in nouitate uitæ, atq; ita pertingamus per illius gratiam ad reſurrectionem mortuorum, id eſt ad immortalitatis prætium, quo fit ut animæ noſtræ à corporibus ſeparatæ ſemper cum deo in Chriſto uiuãt, & corpora quoq; ſepulta illo reuiuiſcant die quo per filium totum terræ orbem iudicaturus eſt. Hæc ergo eſt illius excellẽtiſſimæ Ieſu Chriſti domini noſtri cognitionis ſumma, quod diuina bonitate admiſſi ſumus in conſortium dei ac uitæ æternæ, & quod eo perducamur non per noſtra merita, ſed per Chriſtum Ieſum uerum dei & hominis filium, cuius iuſtitiam, innocentiam, ſanctimoniam & potentiam qui nouit, relictis omnibus ad quæ ceu pretioſiſſima hic mundus ſtupet, currit in odore fragrantiſſimi odoris ſiĳ dei, de quo ueraciſſima ſcriptura pronunciat quod æternum uiuant qui ipſi fidunt, & quod haudquaquã eſuriant aut ſitiant amplius. Sola enim Chriſti cognitione ſaturantur pñ ut aliud nil optent, id quod Ioan. 6. copioſius exponitur.

Non quod apprehenderim, aut iam perfectus ſim, ſed ſector ſi etiam apprehendam quatenus & apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres ego meipſum nondum arbitror aſſequtũ eſſe, unum autem illud ago ea quidem quæ à tergo ſunt obliuiſcens, ad ea uero quæ à fronte ſunt enitens, iuxta præfixum ſignum inſequor ad palmam ſupernæ uocationis dei per Chriſtum Ieſum.

Nemo dum hic uiuit perfectus eſt.

Differuerat de uera & abſoluta fidei iuſtificatione, & quod per Chriſti meritum iuſtificentur credentes: nunc uero correctione quod ſchematis genus alĳ Metanœã uocant, docet nemini mortalium dum hic in carne uiuit ita abſolutam cõtingere iuſtitiã, ut non aliquid deſideretur propter imbecillitatẽ carnis noſtræ qua ſubinde uel ſanctiſſimi commaculantur & impediuntur currentes in hoc uitæ ſtadio, ſatis aũt eſſe ſi non hæreamus affixi malo, ſed ſubinde ad meliora enitẽtes maculas carnis noſtræ Chriſti eluamus ſanguine ſancta cq; pœnitentia uigilantes pergamus conſtanter in uia domini, calcãtes mundi ac carnis noſtræ cupiditates noxias, itaq; aſpiremus ad ſedes beatas. Obſeruandus eſt hic locus ſancta cum reuerentia. Erudiuntur enim hoc ſancti illi arrogantiores quibus perſuaſum eſt fideles nondũ uere credidiſſe quoad labe aliqua fuerint aſperſi, neminem quoad in terris agit omnino abſolui. Definant ergo iſti uel nimiũ ſibi placere, uel nimis eſſe rigidi. Chriſtus enim dominus dixit, Qui lotus eſt non opus habet niſi ut pedes

lauet,

lauet, sed est mundus totus. Item, Omnem palmitem qui fert fructum in me, purgat pater ut fructum copiosiorem afferat. Et propheta, Iustus inquit cadit in die septies. Eruditur & mœrore constrictæ conscientiæ quibus omnia suspecta sunt adeò ut toties pro pè desperent quoties carnis aliqua fragilitate uel tentantur uel labuntur. Habent enim hoc loco quod consoletur. Nam in tuto adhuc res est, si modo ad ea enitaris quæ præfixa sunt, non hæreas in eodem luto, sed emergas potius, eorumq; quæ à tergo & subtus te sunt obliuiscaris. Paulus enim quæ de iustitia Christiana dixi, inquit, non in hoc dixi quod portum attigerim, hoc est quod perfectus sim, sed quod certa spe omnibusq; neruis annitar ut quod sequor assequar, id est ut aliquando perficiar, exutus uidelicet hoc corpore assumar in cœlestem regiam. Id uero non meis confido assequuturum uiribus, sed eius gratiæ patrocinio qui me è medio cursu quem olim male instituera aduersus illius ecclesiam retractum in ministerium suum delegit. Cæterum ut planius quod dixerat intelligerent idem repetit, & pulchra allegoria adumbrat. Fratres, inquit, uolo ut rectius me intelligatis, nondum arbitror me assequutum quod ambio. Satis autem nunc habeo quod indefessa opera sector. Atq; hic iam ducit allegoriam ab iis qui currũt in stadio. Quemadmodũ enim in stadio currentes non attendunt quantum spatij superarint, sed quantum superfit, quemadmodũ item non respectant quid geratur à tergo, sed oculis & animo contendunt ad metam solum scopum & palmam spectantes: ita pij qui per fidem Christi absoluti sunt à peccatis unice ad æternam contendunt uitam, non respectant merita sua quanta pro nomine Christi aut fecerint aut passi sint, obliuiscuntur & rerum terrenarum, non infixi his adhærẽt, sed perpetuo mouentes in officijs pietatis & fide sancta perseuerant. Proinde stadium in quo currunt mortales hic mundus est, Carcer & meta termini uitæ. Scopus autem præfixum signum adeoq; ipsum prauium præmium est immortalitatis. Nam additur à Paulo quod allegoriã explicet Vocatio superna cœlestisq;. Sed ne illa quidem ulli mortaliũ contingit ex merito aut quod strenue cucurrerit, sed per Iesum Christum dominum nostrum. Cęterum à tergo relinquitur meritum nostrum quod sanè exile ac tenue est, relinquitur caro cum affectibus & ipse mundus. Scopus uero ad quem omnes tendimus Christus dominus est & æterna patria.

Quotquot itaq; perfecti sumus hoc sentiamus, & si quid aliter sentitis hoc quoq; deus uobis reuelabit. Attamen ad id quod assequuti sumus eadem procedamus regula, ut simus concordes. Pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos qui sic ambulãt quemadmodum habetis nos pro exemplari.

Concludit hoc negotium inculcans Philippẽs, adeoq; omnibus fidelibus, ut in hac traditione ueritatis, nempe quod ad iustificationem solus Christus citra legis præsidium satis efficax sit, quodq; in hac disciplina relictis post se omnibus rebus mũdanis ad æternam patriam cuilibet pietatis studioso sit contendendum, perseuerent, cæteros autẽ qui per infirmitatem ad hanc perfectionẽ nondum uenerint ferendos esse donec & ipsi proficiant. Quod aũt nunc perfectos agnoscit, qui iam iam seipsum negauit esse perfectum, non magis sibi aduersatur q̃ cum Christus dñs dicit, Qui lotus est non opus habet nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si enim mũdus est, si lotus est, quid necesse est pedes lauare? Iam si necesse est lauare pedes, quomodo mũdus est totus? Quemadmodum ergo idem mundus & immũdus esse potest, ita idem quoq; perfectus & imperfectus est. Perfectus quidem si quis spectet gratiam & fidem, imperfectus si carnis nostræ infirmitatem. Perfecti ergo hoc loco dicuntur qui perfecte norunt & crediderunt quod solum Christi meritum ad iustificationem satis sit. Ideoq; hoc dicit Apostolus, Quotquot didicimus Christi meritum absoluere à peccatis, ne obsecro redeamus ad legem, pergamus constanter hoc in finem usq; tenere quod semel uerum esse agnouimus. Cæterum si qui inter uos sunt qui hanc perfectionem nondum sunt assequuti, quinimo legi patriæ nonnihil adhuc adhærent, ferantur donec & ipsi proficiant. Nam illis hoc quoque reuelabit deus. Quid hoc? quod scilicet uobis reuelauit, nempe Christum esse uitam

Perseuerãdũ in hac doctrina.

fidelium, cui si conferãtur omnia quæ in mundo æstimantur pretiosa, uix ruderibus so re similia. Nemo tamen imbecillioribus ait nimium deferens ad imperfectiora deflectat. Ad id enim quod assequuti sumus qui uidemur perfectiores eadem procedamus regula, idem sentientes & concordibus uotis calculis & studijs progrediamur agnitamq; ue ritatem prouehamus. Legant & expendant id mihi qui quod nimium deferunt conten tiosis uerius quàm imbecillibus flagitant ut in horum placita descendamus, planamq; ueritatem deferamus ad tempus. Obtendunt cõcordia paruas res crescere, discordia di labi maximas, Concordiam item signaculum esse Christianorum: quæ sane nemo no strum negauerit, uerũ addimus hoc Pauli, Attamen ad id quod assequuti sumus eadem procedamus regula ut simus concordes. Præterea addit idem Apostolus suum exem plum dicens, Pariter estote imitatores mei fratres, qui scilicet deserta lege Christum am plexus sum, & de quo corde libero libere pronũcio, Absit mihi gloriari nisi in cruce do mini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Rursus ne quis uni Paulo omnibus alijs sanctis & doctis abiectis adhærendum putaret subijcit, Obseruate etiam eos quos uideritis ad nostrum exemplar incedere, & hos ita ut me pro exemplari habetote. Conijcimus hinc quæ sit authoritas ministrorum uerbi in ueritate & iustitia rite ministrantium.

Nam complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum qui terrestria curant.

Pingit pseudapostolos.

Non modo colligit nunc quæ in initio huius capitis in pseudapostolos dixerat, sed & copiosius planeq; quod dici solet istos suis pingit coloribus. Cohærent cum superioribus ad hunc modum, Monui mei imitatores meiq; similium sitis, id uero non citra caussam feci eximiam. Sunt enim ambulones siue errones complures quos olim & præsens & absens cauendos esse monui, nunc uero omnium maxime cum lachrymis etiam repeto, ingero, inculco uitãdos esse. Sunt enim inimici crucis Christi. Quemadmodum uero in 1. ad Corinth. 1. cap. per crucem ipsam domini mortem intellexit & meritum re demptionis eius, ita hoc quoq; loco pseudapostolos inimicos appellat crucis Christi, quod in contumeliam hostiæ Christi legales hostias circumcisionem & opera legis præ dicarent. Nam ad Galatas 2. cap. idem dicit, Si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Finis ergo ad quem tendebant illi perditio erat. Solũ enim euangelium Iesu Christi uerbum uitæ & salutis habet. Et caussa ob quam literam prædicabant occidentem uenter erat. Hunc dei loco uenerabantur. Nam ut ipsis bene esset, ut in tuto age rent, ut in uoluptatibus & honoribus mundanis uiuerent quiduis uel dicebant uel age bant. Quod ergo alij deo impendunt, hoc isti uentri, & quemadmodũ alij nihil deo an teponunt, ita hi omnia posthabent uentri. Horum meminit & ad Roma. 16. Meminere & prophetæ auaritiæ & luxus pseudoprophetarũ passim. Præterea notat in his ambitio nem, Sed pulchre inquit imponunt sibijpsis, dum scilicet in his quærunt gloriam quæ ipsis non possunt non dedecori probroq; esse, quando totum uitæ institutũ totaq; do ctrina ipsorum nil nisi terrestria sapit, circumcisionem, carnalia legis opera, delectum ci borum, dierum discrimina, Iudaicasq; id genus institutiunculas infinitas, quas hoc po tissimum nomine defendunt ut propter crucem Christi persecutionem non patiantur, sed in uoluptatibus potius & mundanis honoribus uolupe uiuant, id quod probrosissi mum est. D. Ambrosius paulò diuersius exponit, cuius uerba hæc sunt, Quos hic signi ficat de numero eorum sunt qui subuerterant Galatas sub nomine Christi Iudaismum colendum prędicantes & saluti credentium obsistentes, de cibis edendis & non edendis quæstiones mouentes, quasi salus in esca sit aut uenter deus quem iuxta legem mundis escis delectari putabant gloriantes in pudendis circumcisis. Hoc est terrena sapere. Qui autem spiritualia sapit, in fide, in spe, in charitate gloriatur. An uero hic locus competat nostri sæculi pseudapostolis, & quomodo his congruat iudicent pij Lectores. Certè bre

ui hac

ui hac descriptione quampropriſſime pinxit omnes hæreticorũ familias omnesq; hypocritarum & supplantatorum subdolas artes.

Nam nostra conuersatio in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui trãsfigurauit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam qua potest etiam sibi subiicere omnia.

Fidelium domicilium & sedes æternæ cœlum.

Antithesim habent hæc ad superiora, & colligunt summam euangelij, quod scilicet per Christum consecuti simus resurrectionem, id est uitam & immortalitatem. Nostra inquit conuersatio, nostrum studium ἡ πολίτευμα, id est administrandi & uiuendi ratio ac œconomia cœlestis est, constans rebus spiritualibus & tendens ad cœlestia, ubi cãput nostrum Christus est. Non enim in terrena spem nostrã figimus. Nam hic non habemus manentem locum, sed inquirimus futurũ, quem scilicet parauit nobis Christus, ut in hoc æternum cum ipso conuersaremur. Atq; hic tempus & modum exponit quo in cœlos sumus transferendi. Tempus quidem iudicij dies est. Hac enim ueniet expectatus iudex uiuorum & mortuorum seruator omniũ fidelium. Non quod anima interim sancta uel dormiat uel intereat. Est enim anima immortalis & perpetua quędã entelechia, protinus ergo atq; è corpore migrarit concedit ad sedes beatas, gaudens in his cũ Christo domino, donec is ad iudicium procedẽs corpora suscitet è terræ puluere. Tum enim redeũtes animæ ad corpora perficiuntur, & perfectus iam homo æternũ cum deo cœlestibus perfruitur gaudijs. Loquitur ergo Apostolus de illa absoluta beatitudine, quæ homini continget ad extremum iudiciũ. Modus autem & ratio qua in cœlos sumus transferendi hic est. Dominus Iesus transfigurabit humile & mortale corruptioni & uarijs obnoxiũ affectibus corpus, hoc est conforme reddet corpori suo glorioso: id quod substantiam non amisit. Dicebat enim, Videte & palpate quoniã ego sum, Spiritus siue spectrum carnẽ & ossa non habet sicut uidetis me habere, mutauit tamen accidentia ut nũc clarificatũ nihil sentiat corruptionis. De qua re abunde satis disputauimus in 1. ad Cor. 15. cap. Iam ut illis quoq; respondeat quibus ridicula est prædicatio de resurrectione corporum. Dicunt enim, Impossibile est ut hoc ipsum corpus quod cõputruit, quod incendio cõflagrauit, rabie ue ferarum in mille frusta discerptum & deuoratum est, resurgat, quando semel in aliam speciem mutatum est. Subijcit itaq;, Nec istud uideatur cuiquam incredibile, expendat quãta uis eius sit per quem resuscitabũtur corpora. Nihil est quod ille non possit, modo uelit. Ex nihilo condidit omnia, potest sibi subijcere omnia, quæcunq; ille uult, fiunt. Vult autem ut reuiuiscant corpora nostra, potentia ergo dei resurgent. Hæc est spes & consolatio nostra, id quod & patientissimus dei seruus Iob luculentissimis uerbis testatus est in cap. 19.

Proinde fratres mei dilecti ac desiderati gaudium ac corona mea sic state in domino dilecti. CAP. IIII.

Adhortatur nunc ad constantiam. Sensus est, Proinde cum hęc nobis per Christum spes aperta sit, cum hic solus uita & resurrectio sit, oro, obsecro, obtestor, ut quemadmodum cœpistis ita perseueretis, neq; sinatis uos abalienari à Christo ad legalia. Iure autẽ hæc à uobis postulo. Nam dilecti estis desiderati gaudium & corona mea, quorum scilicet uictoriam coronam meam esse iudico.

Euodiam obsecro, & Syntychem obsecro ut sint concordes in domino. Sanè rogo & te compar germana adiuua eas quæ in euangelio decertarunt mecũ unà cum Clemente quoq; & reliquis cooperarijs meis, quorum nomina sunt in libro uitæ.

Salutaria quædam subiungit præcepta. Videntur istæ duæ mulieres Euodia & Syntyche mutua inter sese simultate laborasse, quas hac exhortatione iterum cõponere studuit Apostolus: imò & uxori suæ præcipit ut & dissidium istarum componat quæ fue-

runt participes laborum ac periculorum in euangelio, & omnibus alijs cooperarijs in euangelio adsit Clementi in primis qui ob insignem pietatē præ cęteris nominari meretur. Nam de cæteris, Non opus est, inquit, aliorum à me referri nomina cum scripta sint in libro uitæ, id est cum apud deū cognita sint ac pretiosa. Nullus sanè liber apud deum est cui omnia semel ac semper præsentia sunt. Affingitur ergo id ipsi ex more humano.

Vxor D. Pauli. Eras. in Annota. subindicauit σύζυγε γνήσιε fœminino genere accipi ac idem pollere ac si quis dicat, Coniunx germana, hoc est syncera coniunx. Addit idem, Sunt magni authores apud Græcos qui putant Paulum habuisse uxorem. Et consentaneum est hic mulieres commēdari mulieribus. Porrò quod addit γνήσιε hoc est germana siue uera, pulchre quadrat in eam quæ & ipsa Christum unà cum marito amplecteretur. Cum enim consensus est nō solum in conuictu uerumetiam in professione fidei in studio pietatis in uitæ similitudine, tum demiq; uerum est coniugium. Tantum Eras. Vnus Theophylactus putat hæc minime exponenda esse de uxore Pauli, sed refutatur ab Eras. Sanctus Clemens, cuius meminit in ecclesiastica historia Eusebius, lib. 3. cap. 30. scribens aduersus eos qui Nuptias spernunt, An & apostolos, inquit, improbant? Petrus etenim ac Philippus & uxores habuerunt & filias etiam uiris nuptum dederunt. Sed & Paulum non tædet apostolum in quadam epistola sua mentionem uel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere ut ad prædicationem euangelij expeditior fiat. Et quæ sequuntur. Verum plura de coniugio Apostolorum & Apostolicorum uirorum lege in Actis cap. 21. & in 1. ad Corinth. 7. & 9. cap.

Gaudete in domino semper & iterū dico gaudete. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Dñs prope est. De nulla re sollicite sitis, sed in omni precatione & obsecratione cum gratiarū actione petitiones uestræ innotescant apud deū. Et pax dei quæ superat omnem intellectum custodiet corda uestra & sensus uestros per Christum Iesum.

Modestia. Repetit quod initio 3. cap. docuerat in domino esse gaudendum, id uero anadiplosi nunc exaggerat. Deinde iterum instituit mores Nam modestiā commendat fidelibus, et auaritiam diffidentiamq; animis ipsorū eximit. Vestra inquit ęquitas, humanitas, moderatio & mansuetudo omnibus nota esse debet non fratribus modo sed etiā hostibus. Lenitas em̄ morū impios frangit. Quod si nō franguntur, mementote dominū prope esse inuocantibus se, mementote et iudicij diem instare illis quo pro libidine uoluptatibus et ferocia reportent æterna tormenta, uos contra pro contēptu & afflictionibus immortalitatem & æterna gaudia. Auaritiā pellit si forte nostra cōtenti de nulla re simus solliciti.

Anxia & diffidēs sollicitudo. Non quod ignauia torpor & otium deo probetur, sed quod sollicitudo diffidens & in stultas & noxias concupiscentias demergens ut hydra quædā calcanda sit Quod si quid defuerit uictui uestro & rebus domesticis, petite à patre omniū conditore qui pascit omnem carnem, petite autem assiduis precibus & uotis ardentibus. Quod si quid ille uobis impartitus fuerit agite gratias, & si nihil contulerit iterum agite gratias: petentes ne in rebus duris illius uoluntati obmurmuretis uel rebus paulò felicioribus nimium efferamini. Breuiter, dei istius optimi maximi ut patris clementissimi genubus humilibus supplicationibus semper in rebus omnibus prosperis & aduersis prouoluamini. Ita enim fiet ut perpetuo securo gaudeatis animo et corda & sensus uestri in hac conscientiæ pace acquiescant. Nemo aūt facile uel dixerit uel intellexerit quantus thesaurus sit conscientia bona, hoc est si quis in rebus aduersis et prosperis securo gaudeat animo. Id uero nō contingit nobis per merita & opera nostra bona sed per Christum Iesum. Legatur Matt. in cap 5. & Paulus in 1. ad Timoth. 5. cap. Legantur item Solomonis sententiæ.

Quod reliquum est fratres, quæcunq; sunt uera, quæcūq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; accōmoda, quæcunq; boni nominis, si qua uirtus si qua laus hæc cogitate quę & didicistis & accepistis & audistis & uidistis in me, hæc facite, & deus pacis erit uobiscū.

Claudit

Claudit hiſce uerbis cum uiuendi præcepta tum epiſtolam totam. Vnde D. Ambroſius, In concluſione inquit quæ reliqua erant ad imitationem perfectionis exponit, ut ea quæ non ſolum in uituperationem non cadunt uerumetiã laude digna ſunt & cogitantes & agentes ſequti formã Apoſtoli deum pacis habeant ſecum. Verba Pauli planè aurea ſunt in ipſa pectoris noſtri penetralia tabulis inſculpta perpetuis reponenda. Principio quæcunq; uera ſunt ait cogitate. Pulchre enim Scholiaſtes monet ab homine Chriſtiano in primis abeſſe debere fucũ hypocriſim & ſimulationem falſam. Vt enim Chriſtus ueritas eſt, ita omnem fucum odit maxime. Integritas ergo primũ inter uirtutes locum obtineat. Deinde, Quæcunq; ait honeſta ſunt, ea cogitate. σεμνά autem appellauit quę nobis ſeuera ſunt, decora, uerecunda, honeſta, dignaq; his qui res leues atq; ineptas deteſtantur. Comprehendunt ergo hæc geſtum corporis, habitum, ueſtitum, dictum & factum. Potiſſimum tamen luſta pertinent ad facta. Vituperatur iniuſtitia, aſtutia, fraus, & ſi quid aliud aduerſatur iuſtitiæ: quemadmodum honeſtati aduerſatur turpitudo, laſciuia, immunditia, obſcœnitas. Hæc dedecent ſanctos, ut in epiſtola ad Epheſios clarius & copioſius expoſitum eſt. ἁγνὰ pura, referunt alij ad caſtitatem, ego ad candorem & integritatem animi. Chriſtiani enim animus ſimplex & apertus eſſe debet, cuius dicta & facta neſciant tenebras, offutias, obſcuritatem, prætextum, & uerborum aut hypocriſeos nebulas. Germanice dicimus, *Es ſol mir luter vnd rein ſin*, nullis uitiatũ artibus malis. Sequitur, Quæcunq; accommoda ſunt hæc cogitate. Eſt autem προσφιλὴς accommodus, qui morum candore, innocentia & commoditate ſe animis hominũ inſinuat, & amari meretur ab omnibus. Vnde & amabilis & dilectus dicitur. Et uetus translatio habet, Quæcunq; amabilia ſunt ea cogitate. Cæterum nemo Paulum ita intelligat quaſi iubeat nos placere omnibus, & commoditate morum nos in quorumuis inſinuare amicitiam. Eſt enim & mira familiaritas & amabilitas inter nepotes & huius ſæculi amatores, quibus ſubinde de ſui ſimilibus in ore eſt, *Der iſt ein gůt gſell vnd gſchickt mann, der ſich in all ſachen ſchicken kan.* Commoditatem ſanctam probat Paulus, qui ad Romanos dixit, Ne accommodetis membra ueſtra arma iniuſtitiæ peccato, ſed accommodetis uoſipſos deo, uelut ex mortuis uiuentes & membra ueſtra arma iuſtitiæ deo, Roma. 6. & 12. Quæ uero ſequuntur plana ſunt. Nam boni nominis ſunt quæ laudabilia ſunt & bonã famam nobis conciliant, cuiuſmodi uirtutes uariæ ſunt laudis parentes. Hiſce tamen omnibus nemo debet ſuam quærere gloriam, ſed innocentia & bona fama decorare nomen domini quod propter ſcelera noſtra male audit inter gentes. Porrò ut omnia uiuidiora eſſent ſeipſis proponit exemplum imitandum, non abſq; uerborum incremento præſcribens, quę & didiciſtis, & accepiſtis & audiſtis &c. *Cõnexus omnium uirtutum.*

Gauiſus ſum autem in domino magnopere quod iam tandem reuiguit ueſtra pro me ſolicitudo in eo in quo & ſoliciti eratis, uerum deerat opportunitas. Non quod iuxta penuriam loquar. Nam ego didici in quibus ſum his contentus eſſe. Noui & humiliari, noui & excellere (ubiq; & in omnibus inſtitutus ſum) & ſaturare, & eſurire, & abundare, & penuriam pati: omnia poſſum per Chriſtum qui me corroborat. Attamen rectè feciſtis quod ſimul communicaſtis meæ afflictioni.

Appendix eſt. Agit autem gratias Philippenſibus pro officijs ſibi præſtitis & muneribus per Epaphroditum miſſis. Senſus & uerborum contextus paucis ſic habet. Animi ueſtri promptitudo in me aliquãdiu quidem intermiſſa, tandem reuiguit. Cuius rei gratia non mediocriter gauiſus ſum. Non quod credam uos noſtri oblitos aut quod oppro brem uobis intermiſſum affectum. Scio enim defuiſſe uobis opportunitatem mittendi quæ deſtinaueratis. Neq; iſtud in hoc dixi, quod ueſtra culpã aut inertia penuria laborauerim. Nam harum rerum rudis non ſum aut inſolens, imò multo iam uſu ad horum malorum patientiam occallui. Didici præſente fortuna quæcunq; ea fuerit contentus eſſe. Si ampla mihi fortuna ſuppetit, effundo illam in aliorum uſum & magnificum lar- *Gratiarũactio pro muneribus.*

gitorem ago: si tenuior est victus, contraho me. Ad omnem locum, ad omne tempus, ad omnem occasionem memet accommodare noui. Nec me corrumpit saturitas (uerbis utimur Paraphrastis) si adsit rerũ copia, nec me deiicit esuries si desit quod edatur. Nec elatum reddit opulentia si quid obuenerit supra necessitatem, nec exanimat inopia si minus est quàm postulet usus uitæ. Ista uero nõ ascribo meis uiribus aut industriæ nostræ, sed bonitati & uirtuti Christi domini, per quem omnia possum & facere & omittere, omnia pati, aduersa uorare, concoquere. Neq; uero hæc dixerim quod uestrã munificentiam habeam contemptui, imò uehementer laudo pietatem uestram qui uosmet inseritis in societatem afflictionum mearum, præmiorum quoq; participes apud deum futuri. Amplector ergo spontaneam animi uestri promptitudinem. Hæc de sentẽtia huius loci. Iam quod usum eiusdem attinet mirum in hoc nobis proponitur Ciuilitatis & Gratitudinis exemplũ. Docetur itẽ quis sit uerus diuitiarũ usus, q̃d solus diues sit q̃ sua sorte contẽtus est. Nam auarus non tam nõ habet quod non possidet q̃ quod possidet. Et opes amplæ neminẽ damnant. Amplissimas enim opes possederũt uiri sanctissimi, usi quoq; sunt illis. Et Paulus, Noui inquit excellere. Iam & diues ille epulo cuius meminit Parabola euangelica, non ob diuitias, uestem paulò splendidiorem, & epulas lautiores damnatus est, sed quod istis abuteretur, deo esset ingratus, moderationem non adhiberet, ac pauperes cõtemneret. Proinde creaturarum dei nobilium pretiosarumq; usus non damnatur sed abusus. Id quod propter nouos quosdam Monachos dicimus, quibus omnia mundiora sordent & impia uiroq; bono indigna uidentur. Docent isti opes abiiciendas esse, sed non alio consilio quàm Trasycles ille Lucianicus. Atq; utinam cõtingat ipsis quoq; Timon aliquis qui capita illa hypocritica prius oppleat tuberibus quàm peras auri talentis. Discamus autem nos animos nostros accõmodare locis, temporibus & occasioni cuilibet, ne scilicet secundis rebus nimium efferamur aduersis deiiciamur. Diuitiæ si affluunt, ne apponamus corda nostra: si urserit paupertas & penuria, cogitemus nos satis diuites esse si deum & sanam possideamus conscientiam: cogitemus omnia nos per Christũ posse, huius præsidio & auxilio satis instructos esse, sine quo nihil possumus, & sine cuius fauore nihil uel amplissimę opes profuturæ sint. Hunc ergo assiduis cum Solomone pulsemus precibus clamantes, Domine duo postulaui à te ne deneges mihi quandiu uixero, Vanitatem & uerbum mendacij elonga à me, paupertatem & diuitias ne dederis mihi, nutrito me pane dementi mei: ne forte satier & negãdo dicam, Quis est dominus? aut ne forte paupertate oppressus furtum committam, & assumã nomen dei mei inuanum. Quod si omnino penuriam pati cogimur, oremus ne in scelera nefanda nos prolabi finat qui solus dat patiẽtiam, & ut esurire & cum Paulo penuriam pati possimus.

Vsus opum.

1. Timoth. 6.

Prouer. 30.

Nostis autem & uos Philippenses quod in principio euangelij cum proficiscerer à Macedonia nulla mihi ecclesia communicauerit in ratione dandi & accipiendi nisi uos soli. Nam & in Thessalonica cum essem semel & iterum quod opus erat mihi misistis, non quod requiram munus, sed requiro fructum exuberantem in rationem uestram. Recepi tamen omnia & abũdo, expletus sum postquam accepi ab Epaphrodito quæ à uobis missa fuerant, odorem bonæ fragrantiæ hostiam acceptam gratamq; deo.

Copiosius cum gratiarũactione enumerat Philippẽ. in se beneficia. D. Ambrosius, Hæc iccirco, inquit, commemorat ut audientes in memoria & laude esse opera sua non dubitent illa accepto ferri apud deum, sed magis studium fidei adhibeant. Cæterum In rationem dandi & accipiendi dixit pro eo quod est, Quemadmodum æquum est ut det qui accipit. Nam in 1. ad Corinth. cap. 9. Si nos (inquit) uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia messuerimus? Secundum hanc rationem ait hoc loco Paulus nulla mihi ecclesia quicquam communicauit nisi uos soli. Atq; ad hũc modum

enarrauit

enarrauit hæc & Theophylactus. Iam & collatione Theſſaloniceñ. eccleſiæ Philippeñ. beneficia extollit. Prædicarat apud Theſſalonicenſes Chriſtum apoſtolus, nihil contulerant illi, at Philippenſes uitæ neceſſaria ſuppeditarant. Id uero nunc laudat in his nõ improbat in illis. Cauſſam cur ab Acheorũ eccleſijs nihil acceperit recenſet in 2. ad Corin. 11. cap. Addit hic, Non hæc ſcribo quod ambiam munera aut quod laude ueſtra & mea gratitudine alios prouocem ut ueſtrum imitentur exemplum: ſed congratulor ueſtræ felicitati. Nec enim munus requiro, ſed fructum, qui uobis accreſcit ex iſta munificentia prompta & ultronea. Paululum decreſcit rationibus ueſtris pecuniarijs & cenſui domeſtico, ſed plurimum accedit rationibus cœleſtium præmiorum. Quoniam uero dixerat, Non quod requiram munus, ſtatim per correctionem adiungit, Recepi tamen omnia, et munificentia ueſtra abunde diues factus ſum, imò per ea quæ per Epaphroditum miſiſtis abundanter expletus ſum ut nil amplius deſyderem. Atq; ità atteſtatur etiam Epaphroditum bona fide functum eſſe ſua legatione. Hic uero munus illud legatũ egregijs ornat epithetis. Vocat enim odorem bonę fragrantię, hoſtiam acceptam gratamq; deo, alludens ad ueterum ſacrificia ſignificansq; beneficentiam illud deo gratum eſſe ſacrificium: id quod idem Paulus etiam ad Hebræ. 13. ſubmonuit. Notiſſima eſt & illa ex prophetis petita uox ſaluatoris, Miſericordiam uolo & non ſacrificium. Porrò ne quis auaritię & corruptioni ſuę hinc patrocinium quærat & credat munerum corruptelam non eſſe corruptelam, ſciat munera iſta quæ accipiebantur ab apoſtolo nil aliud fuiſſe quàm euangelij pretium hoc eſt uictus qui ipſi debebatur ex officio. Interim non damnamus munera honoraria. Nam ea dederũt et acceperũt uiri in religione uera ſanctiſſimi. Damnamus illa quæ uel ueritatem obſcurant uel res iuſtas peruertunt.

Matth. 10.
1. Cor. 9.
1. Timot. 5.

Deus autem meus ſupplebit quicquid opus fuerit uobis ſecundum diuitias ſuas cum gloria per Chriſtum Ieſum. Deo autem & patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

A deo conferuntur nobis neceſſaria.

Viciſſim imprecatur ipſis bona. Quemadmodum inquit ueſtras mihi facultates communicaſtis & ueſtro diſpendio meam ſubleuaſtis inopiam, ita bona in deũ fiducia ſum fore ut is ſuppleat uobis quę deſunt, imò precor hunc illum patrem ac deum meũ ut omnia uobis ſuppeditet uſibus ueſtris neceſſarijs. Significanter autem imprecatur ipſis non abundantiam aut luxum nimium ſed quæ neceſſaria ſunt & ad uitæ uſum pertinent. Et ne diffiderent addit deum diuitem eſſe qui ex theſauro ſuo inexhauſto poſſit illa impartiri, benignum item & fidelem qui ex bonitate ſua tantum uelit largiri quantum utile & cum gloria uſurpent atq; poſſideant. Luxus & abundantia ferme ignominiam poſt ſe trahunt, offenſionem dei & proximi, diuitiæ uero moderatiores minus habent periculi & plus gloriæ. Noſtra autem omnia ita ſunt inſtituenda à nobis ut in omnibus glorificetur pater noſter qui in cœlis eſt.

Salutate omnẽ ſanctũ in Chriſto Ieſu. Salutãt uos qui mecum ſunt fratres. Salutant uos omnes ſancti, maxime uero qui ſunt ex Cæſaris familia. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus uobis, Amen.

Ex more & ingenio charitatis Salutationes appendit. Vocauit autẽ ſanctum in Chriſto, fidelem per Chriſti ſanguinem ſanctificatum & deo iam per fidem & innocentiam ſancte ſeruientem. Porrò familiã Cæſaris appellauit Neronis familiares & aulicos. Sunt autem qui hæc exponant de L. Anneo Seneca & M. Anneo Lucano deq; alijs uiris primarijs & eruditis: quod ut confutare non poſſum, ita nihil certi affirmare auſim. Conſtat ſanè ex hiſce uerbis Pauli plurimos ex aulicis Cæſaris Chriſtum fuiſſe complexos, ſiue iam prædicanti Paulo crediderint, ſiue priuſquam Romam ueniret hic Chriſto initiati ſint. His uero & credentibus Chriſto omnibus gratiam domini Ieſu Chriſti imprecatur, per quam redempti ſeruamur.

Rom. 16.
Acto. 28.

FINIS.

ARGVMENTVM EPISTOLAE D. PAVLI AD COLOSSENSES.

EPistola Pauli ad Coloſſenſes Epitome eius eſt quam ad Epheſios ſcripſit, niſi quod in illa noſtra acrius & feruentius diſputat aduerſus pſeudapoſtolos ad Moſen & legalia reuocantes Chriſtianos. Horum enim artes metuens, ne uidelicet his imponerent Coloſſeñ. hac epiſtola paucis totam euangelij ſummam comprehendit hoc ordine de abſoluta iuſtificatione diſputãs. Principio ipſum deſcribit Chriſtum dominum, & demonſtrat quod in hoc omnes ſint theſauri cœleſtes, quodq; in hoc uno abſoluamur per meritum paßionis eius in fide. Ideoq; in memoriam reuocat illis quales aliquando fuerint Coloſſeñ. & exponit quales nunc per Chriſtum facti ſint, quid ipſos deceat, quodq; in fide ſemel percepta perſeuerandum ſit. Deinde poſitis hiſce fidei fundamentis grauiter ipſos adhortatur ne ab hac doctrina abſoluta relabantur uel ad argutias philoſophicas uel ad fabulas Iudaicas. In Chriſto enim eſſe omnia quæ ad perfectã pertineant abſolutionem, in Chriſto eſſe ueram ſapientiam & ueram legis completionem. Iudaizãtibus enim haud impares erant quidam ad Chriſtianiſmum à paganiſmo conuerſi qui præſidio eloquentiæ ſuffulti multa arguta & philoſophica ſimplicitati fidei immiſcere tentabãt, quos non inferiori minuſq; ardenti ſpiritus feruore atq; Nazaræos perſequitur & cauendos ſuadet, ingeminans ſubinde in Chriſto nos eſſe completos, Chriſtum ſemel habere omnia. Atq; hæc quidem fuſißime traduntur per prima duo capita. Poſteriora duo ſalutaribus oppleta ſunt inſtitutionibus & formulis ſanctæ uitæ, uiſi quod maxima pars cap. ultimi ſalutationibus occupatur.

Cæterum non prædicarat ipſe Coloſſenſibus euangelium, opera Epaphræ uel Archippi in Chriſtum credideranr. Videtur ſanè illius permotus precibus hanc ſcripſiſſe ex carcere & per Tychicum miſiſſe ab urbe, tum fortaßis cum & Epheſijs & Philemoni ſcriberetur: & coniectura eſt Philippeñ. epiſtolam ab his non longo interuallo eſſe æditam.

Ipſa uero epiſtola multis nominibus commendatißima nobis eſſe debet. Nam ut breui compendio totam fidei Chriſtianæ ſummã comprehendit, ita inſtructißima eſt, argumentis ualidißimis cõpacta, demonſtrationib. euidens, perſpicuitate clara, & rerum ſublimitate grauis. Et ſtilus rei grauitatem & ſublimitatem aſſequitur.

Iam uero ne illud neſcias Coloſſæ Coloſſarum dicitur, quemadmodũ Athenæ Athenarum. De iſtis lege Vadiani noſtri Epitomen. Plinium item in lib. 5. cap. 32. & lib. 31. cap. 2. Strabonem quoq; in Geog. lib. 10.

CAP. I.

PAulus apoſtolus Ieſu Chriſti per uoluntatem dei & Timotheus frater, his qui ſunt Coloſſis ſanctis ac fidelibus fratribus in Chriſto, Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto.

Eadem per omnia eſt hæc inſcriptio cum reliquis aliarum epiſtolarum, unde ſæpius iam expoſita eſt.

Gratias agimus deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper de uobis cum oramus, quoniam audiuimus fidem ueſtram in Chriſto Ieſu, et charitatem erga omnes ſanctos, propter ſpem repoſitã uobis in cœlis.

Fides, ſpes & charitas.

Exordio hoc laudat Apoſtolus Coloſſen. fidem, ſpem ac charitatem, religionis Chriſtianæ neruos & ſumma capita, ſimul & gratulando fauſta ipſis imprecans ut ſuas dotes in ipſis indies augeat deus auctasq; tueatur. Per diſtributionem uero cuilibet capiti adiungit ſuas uires & officia. Fides tendit in Chriſtum Ieſum & huius meritis nititur. Charitas ſtudet de ſanctis omnibus bene mereri. Spes autem perſeuerat propter æterna nobis repoſita in cœlis præmia. Verum de his copioſius alibi diſputatum eſt. Obſeruabis tamen hæc eſſe uere ſumma ueræ religionis capita, non illa quæ adorat Papiſmus. Illud uero non diſſimulandum quod poſtremum de ſpe membrum bifariam poteſt ordinari. Principio ut cohæreat cum proxime præcedẽti ad hunc modum, Audiui charitatem ueſtram qua de ſanctis omnibus bene mereri ſtudetis, non ulla ſpe redituri ad uos cum fœnore beneficij, ſed ſpe immortalitatis quam ſcitis ueſtræ pietati repoſitam eſſe in cœlis, 1. Pet. 1. Deinde ut reſpiciat remotius, atq; ita per zeugma repetendum eſt uerbũ Gra-

tias

tias agimus ad hunc modum, Gratias agimus deo propter ſpem repoſitam uobis in cœlis. Vel quod uos ſpem ueſtrã non poſueritis in caduca ſed cœleſtia. Vel quod ipſe deus eximium uobis recondiderit theſaurum, in illa die uobis per Chriſti meritum aperiendum, propter quem perſeueratis in uero.

De qua prius audieratis per ſermonem ueracem euangelij, quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat, ſicut & in uobis, ex eo die quo audiſtis et cognouiſtis gratiam dei per ueritatem: quemadmodum & didiciſtis ex Epaphra dilecto conſeruo noſtro, qui eſt fidus pro uobis miniſter Chriſti, qui & expoſuit nobis ueſtram dilectionem in ſpiritu.

Paulò obſcurior aut inſolentior eſt orationis ſeries. Tale autem eſt quod dicit, Didiciſtis illa iam olim ex prædicatione euãgelij Chriſti. Nam ut hoc in toto mundo, ita apud uos quoq; fructus ſuos ædidit, prædicante id uobis dilecto Epaphra noſtro, qui ut officijs & miniſterio uicem ueſtram ſupplet & fidus Chriſti miniſter per omnia eſt, ita non potuit mihi ſatis commendare dilectionem, hoc eſt ueram religionem quæ non conſtat rebus carnalibus & externis, ſed uere ſpiritualibus, cuiuſmodi ſunt fides, ſpes ac charitas. Decorauit autem prædicationem euangelij eulogio triplici. Principio enim ſermonem appellitat ueracem, quaſi tu dicas ipſam ueritatem primam & indubitatam. Vnde conſequens eſt eam fidem indubitatam & ueram demum eſſe quæ petita eſt ex ueriſſima prædicatione euangelij. Deinde potentiſſimum eſt inquit euangelium. Nam per uniuerſum terrę orbem prædicatum mire fructificat & aliam faciem mundo ipſi indit. Id quod nemo unquam uel potentiſſimorum & maximorum regum potuit. Poſtremo gratia domini ex hoc cognoſcitur, hoc eſt fides, ſpes, charitas, ipſa inquam uera dilectio & religio ex hoc hauritur.

Ex euangelio diſcitur fides, ſpes & charitas.

Daniel. 2.

Propterea & nos ex quo die audiuimus, non deſiuimus pro uobis orare & poſcere ut impleamini agnitione uoluntatis eius in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, ut ambuletis digne domino, ut per omnia placeatis in omni opere bono fructificãtes & creſcentes in agnitionem dei, omni robore corroborati, iuxta potẽtiam gloriæ illius ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio, gratias agentes patri.

Fauſtam illam imprecationem ſuam nunc copioſius exequitur. Imprecatur autem illis cognitionem dei ampliſſimam & augmentum uirtutum uberrimum, quibus fiat ut digne deo ambulẽt fructus bonos proferãt & conſtanter omnia aduerſa propter Chriſtum ferant. Interim uero dum hæc orare illisq; imprecari ſe atteſtatur ſimul etiam præſcribit quid ipſos deceat. Ab eo inquit die quo audiui de eximia pietate ueſtra non ceſſaui deum pro uobis orare ut impleamini agnitione uoluntatis eius, id eſt ut plene intelligatis quid uelit dñs. Iacta ſunt in uobis initia & fundamenta pietatis, ea uero uirtutum acceſſione prouehenda ſunt in iuſtum perfectionis ædificium. Id autem fiet ſi plene imbuamini uera ſapientia & prudentia, uera inquam & cœleſti, non philoſophica ſiue terreſtri, ſpirituali non carnali. De qua & in 1. cap. ad Epheſios dictum eſt. Huius autem ſapientię ſpiritualis ſiue fidei cœleſtis finis eſt, ut digne domino ambulemus. Varia de fine ſapientiæ humanæ diſputarunt philoſophi, egregie uero refelluntur & irridentur à Lactantio Firmiano. Cæterum ambulamus digne domino, cum ipſi per omnia placere ſtudemus cogitationibus dictis & factis noſtris, cum fructus proferimus iuſtitiæ quo teſtamur arborem tranſplantatam, non priſtinum illum ſylueſtrem, ſed nuper inſitũ & cœleſtem referre genium, cum adoleſcimus in agnitione dei, hoc eſt cum creſcimus in pietate nequaquam uero decreſcimus, cum deniq; conſtanter perſeueramus nec frangimur aduerſis, inſtructi longanimitate ac patientia. Id uero non eſt noſtrarũ uirium niſi accedat uirtus & robur æterni numinis. Hoc eñ efficit ut oñia noſtra cedant in gloriã dei. Neq;

uero satis est ut simus fortes quin potius necesse est ut simus alacres & cum gaudio feramus aduersa gratias agentes deo ueluti patri clementissimo qui nihil inferri nobis sinat à quoquam quàm quod norit expedire plurimum.

Qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sui dilecti, per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.

Euangeliũ docet nos iustificari gratis per Christum.

Deflectit nunc ad ipsam caussam potissimam huius epistolæ, docens salutem nobis gratuito per Christum conferri, per quem semel in nos effuderit pater omnem plenitudinem, quod argumentum & in 1. cap. ad Ephesios tractatũ est. Principio in genere strictim comprehendit quod gratia patris cœlestis seruemur. Deinde idem diducit per species copiosius. Pater inquit idoneos nos fecit ut participes simus & sortis & luminis sanctorũ. De nostris enim uiribus alibi idem pronũciauit Apost. Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare quicquã tanq̃ ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Hic inquam Gentes à testamentis dei extraneas & à repub. Israë is alienas cohæredes fecit & consortes eius hæreditatis ac sortis quæ est in lumine ueritatis euangelicæ & uitæ æternæ sanctorum. Siue, Participes fecit Gentes sortis & luminis sanctorum, id est communicauit uobis Colossen. pater cœlestis hæreditatem uitæ & lumen ueritatis euangelicæ, quod præcipue donatum erat sancto & electo dei populo. Iam hoc ipsum distributione explanans, Primum eripuit nos ait è potestate tenebrarum: deinde uero transtulit in regnum filij sui dilecti. Potestas autem tenebrarũ potestas satanæ est cui nos seruiebamus quondam in peccatis, nempe in densissimis ignorantiæ tenebris, in idololatria, in contemptu numinis, in impietate, in sceleribus atq; nefandis flagitijs. Ab his liberauit nos pater cœlestis asseruitq̃ in libertatem filiorum dei, quibus ipse uerus dei filius imperitat per fidem, sapientiam, innocentiam & sanctimoniam. Non enim asseruit nos in libertatem ut porrò uiuamus in peccatis, sed ut seruiamus ipsi in iustitia & ueritate. Præterea modum quoq; indicat per quem simus asserti, incarnationem uidelicet & mortem Christi domini. Dicit enim, Per quem habemus redemptionem, hoc est remissionem peccatorum per sanguinẽ ipsius. Purgauit ergo peccata nostra sanguine proprio, atq; ita asseruit nos in libertatẽ, ut porrò seruiamus deo in sanctimonia. Plura de hac re lege ad Roma. 3. & 6. cap. item ad Hebræ. 9. & 10. cap. & 1. Pet. 1. & 2. cap.

Qui est imago dei inconspicui primogenitus uniuersæ creaturæ, q̃ per illum creata sint omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia et omnia per illum consistunt.

Christus fundamentum fidelium uerus deus est.

Subijcitur propria Christi descriptio. Præstat enim scire quis sit cui semel omnia tribuũtur, uita, redemptio, satisfactio, sanctificatio & iustitia. Est ergo Christus Iesus filius dei, inquit Apostolus, ipsissimus deus deoq̃ uero per omnia æqualis, id quod uarijs approbat argumentis. Primo εἰκὼν ait imago est dei inuisibilis, id est patri per omnia similis. Dicit enim ad Philippum, Philippe qui uidit me uidit patrem, quomodo ergo dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quod ego in patre sim & pater in me? Ad Hebræ. 1. cap. idem Christus splendor gloriæ paternæ & expressa imago substantiæ illius, dicitur. Obseruandum autem est quod Inuisibilis non refertur ad imaginem, sed ad deum. Hic cum secundũ substantiam suam inuisibilis sit & lucem inhabitet inaccessam, cõsequens est quod Christus dominus secundum uisibilem speciem non possit esse imago dei, sed necesse est aliud in Christo esse secundum quod sit dei imago nimirum ipsa diuinitas, secundum hanc enim patri coæqualis est lumen de lumine, deus uerus de deo uero. Huc pertinet quod secũdo loco appellat eum Primogenitũ uniuersæ creaturæ. Cæterum primogenitũ uocarũt Hebræi non eum quem plures natiuitate sequerẽtur, sed magis ante

quem

quem nemo. Ita Christus Iesus dictus est primogenitus quasi tu dicas ab æterno genitus. Recte enim diuus Ambrosius, Ante omnem creaturã genitum ait filium non creatum testatur, ut secerneret natiuitatem eius à creaturæ factura. Et ut hoc penitius infigeret subiecit, Quod per illum creata sint omnia. Si enim omnia quæ creata sunt per illum creata sunt, ergo ipse non erat creatura. Iam uniuersitatem rerum partitur in cœlestia & terrestria, in uisibilia & inuisibilia. Et hæc rursus in thronos, dominationes, principatus & potestates. Quanquam hæc ad utraq; referri queant tam ad uisibilia quàm inuisibilia, ut intelligamus nihil tam in cœlo quàm terra excellẽs, potens, sublime & eximium extare quod non filij uirtute fit conditum. Vnde consequẽs est filium dei omnibus esse prælatum creaturis, omnesq; creaturas uel angelicas huic subesse, hunc uenerari & suppliciter adorare. Tribuimus autem & deo & angelis plurima quæ in se non habent: proinde de his more loquimur humano. Neq; enim angeli dominantur, sed seruiunt, dicente propheta, Qui creat angelos suos spiritus & ministros suos ignis flammam. Breuiter, apostolus Paulus hac enumeratione omnia uoluit subijcere Christo, ut intelligeremus illum patri per omnia unitum & æqualem esse. Atq; huc quoq; referendum est quod ad expositionem pertinere uidetur dictorum, Omnia per illum & in illum creata sunt: quæ quid significent exponuntur per consequentia, Et ipse est ante omnia, sic inquam omnia per illum sunt condita ut ipse sit omniũ uerus deus & conditor. Et omnia per illum consistunt, sic inquam omnia in illum creata sunt. Exerit enim uim suam per res conditas omnes quas gubernat, uegetat, moderatur, agitat & cõseruat. Id quod proprie dei munus est: unde consequens est Iesum Christum uerum esse deum. Similia his legis Prouerbiorum 8. Ioan. 1. Heb. 1. Disputauimus & de his exactius in eo libello quem de utraq; natura Christi nuper scripsimus. Cum uero tantus sit dominus noster, cum omnium conditor sit, angelorum & omnium beatorũ spirituum dominus, cum deniq; nihil uspiam uel in cœlo uel terra sit, quod ab hoc non fit & huic subsit, mirum aut nouum non est, si dicamus in hoc uno esse omnia, hunc solum condonare peccata, hũc nobis à deo datum esse sapiẽtiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem. Id uero & nouum & stupendum est quod quidam hoc neglecto ad diuorũ siue angelorum patrocinium sese ueluti in tutum recipiunt asylum, cum solus Christus uita sit fidelium, sine quo nemo ad patrem uenerit.

Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens. Quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinẽ inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis.

Christus est caput ecclesiæ.

Pertinent etiam hæc ad astruendam Christi diuinitatem. Nam caput ecclesiæ esse est regem & saluatorem esse totius congregationis sanctorum per totum mundum. Atqui nulla creatura saluatoris nomen meretur, Isaiæ 45. Neq; ullus homo purus per omnia diffunditur, omnium corda nouit, omnium uota audit, omniumq; necessitatibus atq; petitionibus satisfacere potest: omnipotens, omniscius, æternus, immensus, & per omnia sese diffundens sit oportet, ut scilicet toti corpori salutem præstet, quocirca necesse est Christum esse deum uerum unius substãtiæ cum patre. Copiosiora his de Capite ecclesiæ Christo dedimus in 1. 4. & 5. capite epist. ad Ephesios. Deinde Principium est inquit & primogenitus ex mortuis, siue ut significantius Græce scribitur, ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, id est qui est principium primogenitũ ex mortuis, quasi dicas, Primum principium & fons resurrectionis & uitæ, non aliũde illam percipiens, sed in sese uitam habens alijsq; communicans. Vbiq; uero producitur Christi resurrectio pro confirmatione diuinitatis eius. Plura require ex prioris epistolæ ad Corinthios 15. capite. Breuiter, primas ille tenet in omnibus. Summus ergo est dominus Iesus uere optimus maximus, omni creaturæ siue inuisibili siue uisibili imperitans. Nihil hic excipimus omnium rerum conditarum. Nam æquali cum patre & spiritu sancto potestate præditus est.

His ad hunc modum efficaciſſime approbatis aperit per conſequentia quomodo cœleſtis pater per filium in nos effundere, & ex hoc uno omnem nos plenitudinẽ petere uoluerit, Complacitũ eſt patri ait, omnem in ipſo nempe Chriſto domino inhabitare plenitudinem. Non quod iam primum acceperit aliquid quod prius non habuerit. Dicit enim apud Ioan. Sicut pater habet uitam in ſemetipſo, ita dedit & filio uitã habere in ſemetipſo. Et alibi, Glorifica tu me pater apud temetipſum ea gloria quã habui priusq̃ hic mundus eſſet apud te. Proinde filius dei ab æterno nõ modo æqualis patri aut perfectus erat, ſed ipſa perfectio cui nihil addi nec potuit nec neceſſe fuit, unde iſtud Pauli dictum humanum genus reſpicit cui repoſita eſt in Chriſtum omnis plenitudo, ut ab hoc ſibi omne petendum norit quod expedit nobis. Hæc enim eſt uolũtas patris mei, ait ipſe dominus, ut omnis qui credit in me non pereat, ſed habeat uitã æternam. Ideo enim hunc incarnari, naſci, nobiſcum conuerſari, pati, mori, tertia die reſurgere, cœlos aſcendere & tandem ſpiritum ſanctum mittere uoluit. Peccata enim noſtra concordiam dirimebant inter deum & homines, unde illum incarnari oportuit ut admirabili ſtupendaq; dei & hominis coniunctione unioneq; declararet deum in filio per ineffabile incarnationis ſacramentum humano generi arctiſſime conciliatum & obſtrictum eſſe: eundem quoque pati, crucifigi & ſanguinem effundere oportuit, ut ſacratiſſima hac hoſtia peccata quæ pacem inter deum & nos turbarant expiarent, eundemq; è mortuis reſurgere oportuit ac cœlos aſcendere, ut apertiſſimis argumentis euinceret uitã nobis eſſe reparatam, & cœlorũ regiam apertam fidelibus, quibus etiam ſpiritus ſanctus datur in pignus huius acquiſitæ & certiſſime per Chriſtum partæ ſalutis. Ipſe igitur eſt uita, ſalus, iuſtificatio & redemptio noſtra, in quo habemus omnia quæ ad perfectam pertinent ſalutem. Atq; ita omnem plenitudinem ab ipſo peti uoluit pater, in quo ſolo ſunt omnia ſalutis ueræ. A qua ſalute clemens pater excluſit neminem. Salutaris enim eſt omnibus credentibus. Hinc enim dicitur omnia reconciliaſſe per ſanguinem crucis, omnia inquam quæ in cœlo & quæ in terra ſunt. De qua loquutione diximus in 1. cap. epiſtolæ ad Epheſios, quemadmodum & de pleriſq; aliis quoq; quæ hic repetuntur ibi diſſeruimus.

Et uos qui quondam eratis abalienati & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore carnis ſuæ per mortẽ, ut exhiberet uos ſanctos & irreprehenſibiles & inculpatos in cõſpectu ſuo.

Hactenus in genere graphice deſcripſit perſonam Chriſti, potiſſimũ quod uerus dei filius ſit uariis argumentis euicit, docens interim quod æterno numini placuerit per huius filij ſui plenitudinem nos omnes abſoluere, & per hunc unũ omnes iuſtificare: nunc uero ſpeciatim conuerſus ad Coloſſenſes, oſtendit quod hæc ſalus etiam ad ipſos pertineat: & ut hoc ipſum maiori animi alacritate & gaudio ſuſciperent, commonet eos uitæ prioris, reuocans in memoriã quales aliquando fuerint, quales per Chriſtum facti ſint, quid porrò ipſos deceat. Eadem propè uerba legũtur in 2. cap. ad Epheſios protinus ab initio. Quondã quidem penitus, inquit, abalienati eratis à deo uiuo uero & æterno, ſeruientes diis pluribus & ſimulachris mutis: ſed et animus erat corruptiſſimus & prauiſſimis imbutus opinionibus, id quod malis operibus & fructibus putri arbore dignis abunde teſtabamini. Habet autem emphaſim quod per incrementum orationem intendit. Non enim ſatis habuit dicere, Abalienati eratis, imò addit, Inimici eratis idq; mente. Significãs fontem omnium dictorum & factorum, deniq; & cogitationum penitus corruptum & ueluti ueneno infectum nil potuiſſe de ſe fundere q̃ mortifera. Sed deus qui diues eſt miſericordia, nec facit nobis ſecũdum peccata noſtra, reconciliauit nos per Chriſtum. Hic enim carnem induit, in hac mortem ſubijt, & pro peccatis noſtris ſatisfecit, ut ſanctificaret nos & mundaret ab omni delicto. Atq; hæc quidem altera cauſſa eſt mortis dominicæ. Altera, Non ideo purgauit peccata noſtra ut porrò in barathrum uitiorum mergeremur, & noſmetipſos in cœno ſcelerum uolutaremus, ſed ut eſſemus in conſpectu eius irreprehenſibiles & inculpati. Habes ergo quid deceat redemptos, cuſtodia ſcilicet & innocentia uitæ, Epheſ. 4.

Siquidem

Siquidem permanetis in fide fundati ac ſtabiles, nec dimoueamini à ſpe euangelij, quod audiſtis, quod prædicatũ eſt apud uniuerſam creaturam quæ ſub cœlo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter.

Perſeuerãtia in fide euangelij.

Erudimur qua ratione poſſimus in conſpectu dei irreprehenſibiles & inculpati eſſe, nempe, ſi permaneant in fide, nec à fundamento Chriſto ſemel iacto transferantur, ſed ſtabiles in ſpe illa per euangeliũ prædicata perſeuerent. Ea ſpes uitæ æternæ eſt per Chriſtum partæ ijs qui fide recipiunt, & impietate ac ſceleribus uita æterna ſe indignos non faciunt. Hi enim tametſi labantur frequentius & peccent grauius, uita tamen plane excidere non poſſunt, quod fides ſubinde erigat, pœnitentiã reparet, prædicatio item euangelica conſoletur, inſtituat atq; ducat: quæ omnia ſemel amittit quiſquis in fide euangelica dubius uacillat, aut euangelicæ cõſolationi parum attentus uerbum dei negligit. Ad finem appendit quædam quæ authoritatem euangelio conciliant, nempe quod per totum terræ orbem perrupit inuitis omnibus aduerſarijs Chriſti. Quo & illud facit quod ipſum apoſtolum non piget pudetq; euangelij Chriſti, cuius ſe miniſtrum magna cum gloria iactat, Roma. 1.

Nunc gaudeo ſuper afflictionibus meis pro uobis, & ſuppleo quæ ſupererãt afflictionibus Chriſti in carne mea pro corpore ipſius quod eſt eccleſia, cuius eccleſiæ factus ſum ego miniſter iuxta diſpenſationem dei, quæ data eſt mihi in uos implendi ſermonem dei, myſterium quod reconditum fuit à ſæculis & à generationibus, nunc autem patefactum eſt ſanctis illius, quibus uoluit deus notum facere.

Euãgelica prædicatio afflictionibus non caret.

Meminerat miniſterij ſui, digreditur ergo nunc & differit de miniſterio uerbi, quid in hoc patiatur, & quantum ſit myſterium quod prædicãdum reuelauerit dñs. Pleraq; expoſita ſunt in 1. & 3. cap. ad Epheſios. Aut certè reſpondet his ad binas infirmorum in fide obiectiones. Primo enim obijciunt, Si prædicatio euangelica illa uera & cœleſtis ſapientia eſt quam uideri uultis ex qua hauriatur uita & æterna felicitas, qui fit ut miniſtri & cultores huius ſapientiæ omnium ſint mortalium miſerrimi, utpote qui omnium pateant ac expoſiti ſint ludibrijs, ſannis & iniurijs, tu uero Paule in primis? Reſpondet, Patior ſanè & exercitor malis innumeris, ſed uolens & cum gaudio. Patior quidem aduerſa & mortes plurimas, ſed pro uobis, non propter ſcelera mea. Imò ipſe dominus futurum prædixit, ut quiſquis interficiat nos unius dei cultores, uideatur ſibi egregium deo obſequium præſtitiſſe. Suo præterea exemplo nobis tradidit quod per multas afflictiones in regnum dei ingrediendum ſit: quod ergo ille poſt ſe reliquit exemplũ, id ego cum omnibus ſanctis inſequens expleo, patiens in omnem modum quemadmodũ ipſe paſſus eſt. Ipſe enim pro nobis paſſus eſt, ut purgatos ſanguine ſuo à delictis mundaret: ego item patior pro eccleſia, non ut illam quaſi ſanguine Chriſti nondum ſatis expiatã, purgatius luſtrem, ſed ut tolerãtiæ exemplo confirmem. Sic enim idem dixit in 2. ad Cor. 1. capite, Siue affligimur, pro ueſtri conſolatione ac ſalute fit &c. Detorſerunt blaſphemi quidam homines hunc locum in contumeliã abſolutæ ſatisfactionis domini Ieſu, quaſi illius merito nonnihil defit quod per noſtras uires, per noſtras afflictiones, perq; egregia noſtra opera meritoria ſuppleri poſſit. Verũ animus horret ad tantã blaſphemiam. Peccatur hac expoſitione in præcipuũ dogma fidei Chriſtianæ. Omnis enim ſcriptura & ſancti ab exordio mundi omnes teſtantur pretioſo Chriſti ſanguine dilui peccatum totius mundi. Et idem hic Paulus alibi non reputat afflictiones præſentis temporis quicquam facere ad gloriam futuram quæ erga nos reuelanda eſt. Et communis ſenſus ſuggerit nullã eſſe collationem rerum terrenarũ & imbecillũ ad cœleſtes ac perfectiſſimas. Pudeat ergo uos iſtius fœdi, blaſphemi, ſacrilegi atq; abominandi commenti. Veſtráne imbecillitas expleret, quod abſolutiſſima filij dei perfectio imperfectũ reliquiſſet? O diabolicam præſumptionem. Audite Paulum Græce planius loquentem, καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ, id eſt, Et ſuppleo quæ ſupererant (non quæ

Paſſioni Chriſti nihil deeſt, ſed plene abſolutæ credentes.

desunt) afflictionibus Christi. Nam ὑς θλιμματα uocant Græci nõ modo ea quæ desunt, sed posteritatẽ quoq; reliquias (quo uerbo usus est Ambrosius) quæ supersunt & quæ posterius relicta sunt. Christus autem afflictus est pro nobis, ait Petrus, relinquens nobis exemplum ut insequeremur uestigia eius. Hasce ergo reliquias expleſſe se dicit Apostolus. Et Germanicus interpres recte uertit, *was überbliben ist*, & non *was manglet*. Plura de perfecta Christi expiatione disputauit Paulus in epistola ad Hebræos cap. 7.8.9.10. & ad Roma. 3.4.5. &c. His absolutis ministerium suum iterum extollit, quod hoc à deo acceperit, ut ut uideatur mundo infaustum: acceperit autem in hoc ut fidelem ageret in domo dei dispensatorem, & ut impleat sermonem, id est palàm & plene exponat cœlestia salutis negotia, quæ hactenus nõnihil erant uel sanctis obuelata, Gentibus uero penitus absconditа. Atq; hic aperit se altera obiectio. Dicunt enim, Si prædicatio euangelij ueritatis & salutis æternæ annunciatio est, qui fit ut latuerit hactenus, neq; citius prodierit in lucem? Respondet, At nunc primum placuit illi hanc in medium proferre lucernam, & his quibus uoluit illucescere. Decreuit sanè ab æterno etiam Gentes in communionem omnium opum cœlestium unà cum credula Iudæorum concione recipere, sed id tamen orbi hactenus fuit celatum, nunc uero per ministerium meum retectum. Non est autem nostrũ disquirere cur ita uisum sit patri, cum certũ sit optimũ esse quicquid ille decreuit.

quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius inter gentes qui est Christus in uobis, spes gloriæ quem nos annunciamus admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominẽ in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, ad quod etiam enitor decertans secundum efficaciam eius agentem in me per uirtutem.

Per epilogum strictim percurrit quæ sit summa huius mysterij siue arcani, colligitq; repetendo omnem perfectionem sic in Christum à patre collocatã esse, ut non sit opus quicquam unquam aliunde petere. Nunc inquit uoluit pater ille omnipotens omnibus gentibus per meum prædicari ministerium illud ab æterno absconditum mysteriũ: hoc est, placuit deo ut uobis gentibus proponerem diuitias istas glorioſas & amplissimas, ipsum inquam Iesum Christum, in quem omnes thesauros cœlestes transfudit, ut ipse solus esset fidelium spes illa glorioſa, hoc est pignus gloriæ certissimũ, quod per ipsum certo ad æternam pertingamus felicitatem. Hunc ergo prædicamus nos non circumcisionem, sacrificia, angelos, philosophiam, sed Christum tantum. Nihil hic prætermittimus omnẽ lapidem mouemus admonentes, exhortantes atq; docentes omnes in omni sapientia, id est fideliter & summa cum diligentia, siue ut Germanice clarius reddamus, *in allem dem das ich weiß vnd kan*. Huius autem doctrinæ meæ unicus hic scopus est, ut intelligant omnes homines perfectam salutem non alibi constituendam quàm in Christo Iesu, non in circumcisione, non in operibus legis, non in uiribus nostris, sed in sanguine Iesu Christi. Per hũc enim solum absoluimur à peccatis nostris, per hunc liberamur ab ira, per hunc indipiscimur spiritum libertatis, ut quæ uera, honesta & iusta sint diligamus. Tria ergo ex hoc Pauli loco diligenter excerpenda sunt. Primum, quæ sit uera euangelij doctrina hominem rite perficiens atq; absoluens. Secundum, quæ sit summa pietatis, hæc nimirum quod per unicũ dei filium contingat nobis salus & perfectio. Tertium quod ab hac salute nemo excludatur. Hinc enim toties ingeminatur uniuersalis particula omnis. Postremo ne quis putaret Paulum res tantas sibijpsi arrogare, quod uidelicet uel proprio animi sui consilio uel suis uiribus tanta perficeret subijcit, Omni autem modo enitor ad id ut persuadeam omnibus hominibus sola Christi gratia nos perfici & absolui, enitor inquam per uaria certamina, in quibus non meis uiribus uinco, sed eius efficacia qui agit in me per uirtutẽ. Illius consilio & mandato hanc prædicandi Christi functionem subij, illius auxilijs & uiribus quod mandauit perficio. Multa mihi pro ueritatis nomine ferenda sunt, sed longe fortior est qui habitat in nobis quàm qui in mundo est: is quoq; solet sermoni nostro quoties res postulat fidem conciliare miraculis. Discamus ex hisce uerbis prædicationem apostolicam non humanam esse, sed diuinam, licet

apostoli

apoſtoli homines fuerint. Diſcamus item omnia quæcunq; à nobis recte geruntur non noſtris uiribus, ſed diuinæ potentiæ per nos agentis tribuere.

Nam uolo uos ſcire quantum certamen habeam de uobis & his qui ſunt Laodiciæ & quotquot non uiderũt faciem meam in carne, ut conſolationem accipiant corda illorum cum fuerint compacti in charitate & in omnem opulentiam certæ perſuaſionis intelligentiæ in agnitionem myſterij dei & patris & Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. CAP. II.

Exordiolo reparat beneuolentiam, docens ſe iſta iuuandi ſtudio ſcribere, imò apud ſeſe decertare, ſecq; ingenti ſolicitudine teneri quo animi ipſorum recte habeant, charitate item inter ſeſe membrorum more cohæreant, atq; indubitata fide norint omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ dei in Chriſto eſſe repoſitos, quem qui poſſideat in uera fide nihil non habeat quod ad ueram ſalutem pertineat. Apoſtolico autem exemplo erudimur etiã pro ijs angi & ſolicitudine teneri qui de facie nobis incogniti ſunt. Charitas enim quæ nos unius corporis membra facit, amicitiã & affinitatem æſtimat ex ſpiritus unitate nõ corporum ſimilitudine aut notitia. De Laodicea ſcripſit Vadianus noſter in Caria Epit. ſuæ. Præterea docemur hoc loco ueram animi cõſolationem & ſecuritatem non parari rebus externis ſed internis, uidelicet ſi compacti ſimus toti corpori eccleſiaſti co per charitatem, deinde & certa perſuaſione ſentiamus in Chriſto omnes nobis apertos eſſe theſauros cœleſtes. Vtitur autem Apoſtolus ad hanc rem q̃ propriſſime explanandam duobus uerbis euidentibus. Prius eſt συμβιβάζειν quod eſt cõciliare & ad amicitiam atq; fœdus pertrahere, item accommodare & ad cohærentiam adducere. Intellexit ergo Apoſtolus conſenſum, amicitiam & accommodam cohærentiam quæ charitate paratur inter Chriſtianos, ut ſibi apte membrorum in morem cohæreant. Poſterius eſt πληροφορία. Ea eſt certa perſuaſio quoties alicui rei fit fides adeò ut de ipſa nihil dubitemus. Budæus enim πληροφορεῖσθαι dicitur ait pro eo quod eſt compertũ habeo & certiſſime noui. Idem illud Pauli ad Roma. 14. adducens, ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω exponit, Vnuſquiſq; compertum habeat quod mente concipit. Notauit ergo Apoſtolus certitudinem & indubitatam fidei ſanæ ſcientiam. Ad explanationem fidei & intelligentiæ huius faciunt conſequẽtia. In agnitionẽ myſterij dei & patris & Chriſti. Tota enim fides & cœleſtis ſapientia uerſatur circa cognitionem illius æterni arcani, quo nobis authore ſancto ſpiritu traditur, quod deus æternus illo potiſſimũ paternum in nos amorem declarauit, quod filium ſuum pro nobis dedit dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo nobis omnem propoſuit perfectionem, omnem ſapientiam & ſcientiam, ut ad hunc ceu theſaurum inexhauſtum & fontem aquarum uiuarum perennem accedentes petamus hauriamusq; quantum ad ueram ſapientiam & ſalutem ſatis eſt. Ita uero repetit quæ in 1. cap. dixerat, ſimul & arrogantioris cuiuſdã eruditionis & philoſophiæ profeſſores ſupercilioſiores perſtringens, quibus ſubinde in ore erat Eruditio, Diſciplina, Sapientia, Scientia, & ſi quæ his ſimilia erant ſapientiam crepantia & ſeſquipedalia uerba. Paulus ergo Chriſtum facit uerum omnis ſcientiæ & ſapientiæ colophonem, abſtrahens Coloſſeñ. animos à ſupercilioſa quorũdam profeſſione, quibus non poterat non ſordere ſimplex & proba euangelij doctrina. Egregia plane & imis reponenda ſunt ſenſibus quæ in hunc locum commentatur D. Ambroſius, ſunt autem huiuſmodi, Omne igitur myſterium ſacramenti dei in Chriſto eſt. Hic eſt enim unus in quo omnis creatura niſi ſperauerit peribit: ut omnium potẽtia in eo ſit, ut qui cognoſcit iſtum cunctorum quæcunq; ſunt cognitionem uideatur habere: nec colendus alius præter hunc requiratur, quia omnium potentiarum uirtus in eo eſt. Ex ipſo enim habẽt omnes. Vnus enim cum ſit omnia poteſt. Quare & caput omnium dicitur, ut per ipſum omnes ſubſiſtere uideantur. Digne ergo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ dicuntur in eo abſconditi. Omnis enim ſcientiæ ratio totius creaturæ ſupernæ & terrenæ in eo ut ſit oportet, qui

omnium eorum caput eſt ſiue angelorũ ſiue ſolis ſiue lunæ ſiue ſtellarum aut cæterarum rerum, omnis ſcientiæ peritia in authore illorum eſt, ut qui hunc agnoſcit, nihil ultra requirat nec ſapientiam nec uirtutẽ, quia agnouit eum in quo perfecta uirtus perfectaq; ſapientia eſt. Quicquid enim alibi ſe putauerit inuenire, plene in hoc & abunde inueniet &c. His Abroſianis uerbis adde quod quæcunq; de deo uno, trino, immenſo, uero & æterno ſcire refert, quæcunq; de uera ſapientia, iuſtitia, de ueritate, de æterno præmio, de immortalitate, de fine bonorum & malorum, de ſtudio uirtutum recte præcipitur, hoc totum licet è Chriſti myſterio haurire. Haud enim abs re ſapientia dei appellatur. Id quod & diuinitatem eius approbat. Non eſt autem neceſſe ut operoſius à ſcientia ſecernas ſapientiam, hiſce enim uocibus comprehendere & efferre uoluit cognitionem & ſapientiam per omnia abſolutam. Alq; Sapientia, inquiunt, in ipſo eſt, Scientia uero in nobis, ſuppeditans quæ nos ſcire refert.

Hoc autem dico ne quis uobis imponat probabilitate ſermonis. Etenim quamuis carne ſim abſens tamen ſpiritu uobiſcum ſum gaudens ac uidens ueſtrum ordinem & ſoliditatem ueſtræ in Chriſtum fidei.

Clarius exponit in quem finem docuerit hactenus omnes theſauros ſapiẽtiæ ac ſcientiæ in Chriſto eſſe reconditos, nimirum ne paterentur ſibi falſo & in ſpeciem probabili ſermone imponi ab iis qui ſapientiam huius mundi iactantes ſimplicitatẽ & puritatem euangelicã fontem uidelicet limpidiſſimũ cœno humanæ philoſophiæ conabãtur turbare. De quibus in argumento quædã attigimus. Nunc enim graui admonitione hortabitur apoſtolus Coloſſen. ut in fide percepta perſeuerẽt & ne relabantur uel in ludaiſmum uel in philoſophorũ ſtultiſſimam ſapientiã, cum in Chriſto ſemel & abunde poſſideant omnia ſi uere credãt. Neq; enim neceſſe eſſe ut huic uel mundana philoſophia iungatur, uel ludaiſmus miſceatur. Solum enim ad perfectionẽ ſatis eſſe Chriſtum. Vtitur autẽ Paulus eleganti uoce Græca πιθανολογία quæ ſignificat probabilitatem & orationem perſuaſibilẽ. Finxerunt autẽ Græci deam quandã perſuadendi Pitho, quam deam in Periclis labris ſcripſit Empolis ſeſſitauiſſe, eò quod dicendo aculeum relinqueret in animis auditorũ, & ut Ariſtophanes dixit fulguraret, tonaret Græciamq; permiſceret. Ennius illam appellauit Suadam, quem & imitatus Marcianus nunc Suadã nunc uero Pitho nuncupat. Horatius Suadelam, Cicero Lepôrem, Quintilianus uero quandã perſuadendi deam. Proinde intelligimus & nos per Pithanologiam inſtructam quandã & ad perſuadendum efficacem dicendi rationem, qua plurimum ualuiſſe quoſdam Coloſſenſium ſophos certa coniectura eſt. Sanè erudimur & nos argutias cauere inſyncerasq; fidei & dogmatum religionis noſtræ ſyncerit atem uitiantes. Meminerimus ſemper illius egregiæ Tertulliani ſententiæ, Eædem materiæ apud hæreticos & philoſophos uolutantur, ijdem retractus implicantur. Et Philoſophi hæreticorum patriarchæ ſunt. Caueamus ergo à tricis Sophiſtarum, à ſyllogiſmis philoſophorum, à probabilitate & delectatione rhetorum, & à nexibus dialecticorum. Non quod probabiliter & uere dicendi rationem in uero aſpernemur, hanc enim neceſſariam eſſe credimus, ſed illam damnamus potius Pithanologiam qua uerũ corrumpitur & falſum artificioſa & ſubdola rationum quarundam textura deniq; & orationis ſuauitate animis inſtillatur ſimplicium. Huiuſmodi enim orationes poſt probabilitatem & temporariam delectationem nil prorſus ueri & ſolidi habent: interim uero animos uulgarium irretiunt abducunt atq; peruertunt. Sequitur, Quanquã enim carne abſens ſim, ſpiritu tamen uobis præſens ſum, nec ignoro quoſdam ſyncritati fidei ueſtræ pithanologia ſua inſidiari, præterea ſcio et cum gaudio ſpecto quod inſtructiſſimo ordine agitis omnia, & quod firmi ſolidiq; in fide accepta perſeueratis. Quid ergo ſuadeam?

Quemadmodũ igitur accepiſtis Chriſtũ Ieſum dominũ ita in eo ambulate ſic ut radices habeatis in illo fixas & in illo ſupſtruamini cõfirmemini q; per fidẽ, ſicut edocti eſtis exuberantes in ea cũ gratiarũactione.

Illatio

Illatio & ſcopus eſt diſputationis huius capitis, cuius ſenſus eſt, Didiciſtis prædicatio ne euãgelica omnem ſapientiam & perfectionem eſſe in Chriſto, in hac agnita ueritate perſeuerate & ſanctis auctibus ſubinde amplificamini. Iſta uero ſingula copioſius exponit & metaphoris ac ſimilibus expolit. De quibus nõnihil attigimus in cap. 4. Paraphraſtes probe & proprie ſingula in hæc uerba expoſuit, Supereſt ut in eo quod recte cœptũ eſt perſeueretis ac proficiatis & quemadmodũ ſemel accepiſtis & credidiſtis Ieſum Chriſtum dominum noſtrum nobis eſſe ſummam bonorum omnium fontem ac caput felicitatis noſtræ, ita uita omnis profeſſioni fideiq; reſpondeat, ut quemadmodũ ſemel eſtis illi inſiti per baptiſmum ita fixis in eo radicibus robur colligatis. Et ſicut ſemel in uobis iactum eſt euangelicæ doctrinæ ſolidum fundamentum, ita quę tali fundamento digna ſunt ſuperſtruatis: ne uacillantes ad quemuis uentum nouæ doctrinæ nunc huc nunc illuc nutetis, ſed firmi & immobiles perſiſtatis in eo quod ſemel didiciſtis, neq; perſiſtatis tantum ſed indies magis ac magis exuberetis ut indies augeſcente fidei & religionis ueſtræ profectu, ſemper ſit pro quo gratias agatis deo, cui acceptũ ferri oportet quicquid recte geritur. Conſtat ergo ex hoc loco fidem in Chriſtũ ab apoſtolis uſq; adeo perfecte traditam eſſe ut nullis opus ſit legibus & decretis nouis quibus abſoluatur imperfecta, euangelica & apoſtolica traditio. Cæterum multa potius uigilantia & ſtudio frequenti opus eſt: uigilantia quidẽ ne quis à ſimplicitate abducat: ſtudio uero ne inuanum recepe rimus gratiam domini, quin potius ſanctis creſcẽtes auctibus ita proficiamus ut arbori iuxta decurſus aquarũ plantatæ ſimiles bonos ſemper proferamus in domino fructus.

Videte ne quis ſit qui uos deprædetur per philoſophiam & inanem deceptionem iuxta conſtitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtum.

Philoſophia inquit illa eſt de qua hic loquor quæ facit ut à uera fide deflectentes non unice innitamur Chriſto domino, proinde nobis cauenda eſt. Alia enim ſuggerit quæ ad perfectionem & ueram ſapientiã pertineant, diſputans uidelicet de uiribus hominis, de uirtutum effectibus, de finibus bonorum & malorum, quæ ſanè diſputationes ſuam habent probabilitatem. Atq; tales miſcebant quidam Sophi Coloſſenſium prophana eruditione inflati prædicato Chriſti euangelio: quemadmodum Nazaræi circumcifionem, ſacrificia & legem quoq; unà cum Chriſto prædicabant. Præterea alia quædã tradebant illi figmenta propria quibus à Chriſto auocabant auditores. Proinde quod ante aliquot uerba appellauit Pithanologiam hoc ipſum nunc Philoſophiam nuncupat. Eſt autem in ea uoce catachreſis uel ſynekdoche. Non eñ omnes Philoſophiæ partes neq; ipſam ueram phiſophiam, quæ ad iuſtam eruditionem parandam neceſſaria eſt, cauendam docet, ſed quæ probabili ſpecie imponit. Quicquid ergo à Chriſto & fide eius ne uni tribuamus omnia abducit philoſophia uocabitur humanæ uidelicet ſapiẽtiæ ratiocinium. Hinc enim ſignificanter dictum eſt, Videte ne quis uos deprædetur aut in prædam abducat, à recta uidelicet fidei uia & Chriſto, in errorẽ & perniciem. Alluſum eñ eſt ad eos qui ex infidĩs incautos adoriuntur, deprædantur & abducũt. Additur & aliud quod mentem Pauli clarius exponat, Per inanem deceptionem. Quicquid ergo decipit aut à uero abducit, quicquid probabilitatis & ueri ſpeciem habet re uera autem uanum, inane, ſubdolum & mendax eſt, Philoſophia eſt. Imò ſubiungitur & aliud quod adhuc planius quid ſentiat exponat, Iuxta inquit conſtitutionem hominũ, iuxta elemẽta mundi, & non iuxta Chriſtum. Quaſi dicat, Philoſophia autem de qua loquor nititur conſtitutionibus ac præſcriptis humanis, quæ fita ſunt in rebus uiſibilibus, in externis, in elementis huius mundi (de quibus diximus in 4. cap. ad Galat.) in ĩs quoq; ad quæ ſtupet mundus, quæ omnia à Chriſto abducunt. Hoc autem Philoſophiæ genus ſequebantur Coloſſeñ. pſeudapoſtoli, partim ad præſidia humanæ ſapientiæ confugientes, partim circumciſionem, ſacrificia & legalia urgentes, quaſi ad iuſtificationem & ueram ſapientiam parandam ſolus Chriſtus inefficax ſit. Hodie quoq; uidere eſt quanta ſuppellectile quidã doceant opus eſſe ad conſequedam uitam beatam. Nec ſine probabilitatis ſpecie,

Cauendũ quicquid à Chriſto abducit.

ſine rationibus, adde & ſine ſcripturarum locis, ſed detortis, id faciunt. Alius enim uires liberi arbitrij prædicat, alius opera meritoria & ſatisfactionis iactat, alius monachatus regulas easq; uarias & ſeueras laudat, alius Diuorum, Miſſarum & indulgentiarum largiſſimas gratias amplexãdas ſuadet. Perraro fit mentio Chriſti & expiationis eius. Scriptæ ſunt de his ampliſſimæ diſputationes. Cæterum damnãtur hic omnia iſta à Paulo. Philoſophica enim ſunt, hoc eſt inania ex hominum conſtitutione prolata, quæ & circa externa uerſantur & à Chriſto abducunt. Abutuntur hoc loco ſyncerioris eruditionis linguarum diſciplinarumq;, hoc eſt bonarũ literarum oſores. Quibus tametſi ſatis abunde reſponſum ſit ſuperioribus adijcimus tamen ex ipſa Philoſophia hæc paucula. M. Cicero in 2. Officiorũ lib. Quid eſt inquit per deos optabilius ſapientia? Quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt Philoſophi nominantur, nec quicquã aliud eſt Philoſophia ſi interpretari uelis, q̃ ſtudiũ ſapientiæ. Sapientia autem eſt ut à ueteribus Philoſophis definitum eſt rerum diuinarũ & humanarum cauſſarumq; quibus eæ res continẽtur ſcientia. Audiſtis quomodo ipſi Philoſophi finierint & Philoſophiã & Philoſophos. Nihil opinor deſiderabitis in his: audite nunc quomodo ab ipſo Platone philoſophandi ratio triplex accepta ſit. Vna quidem eſt de uita & moribus. Altera de natura & rebus occultis. Tertia de diſſerendo, & quid uerum & quid falſum, quid rectum in oratione prauúmue, quid conſentiens, quid repugnet iudicando. Iam quod primam illam partem bene uiuendi à natura petebant, eiq; parendum eſſe dicebant, neq; ulla alia in re (ut inquit 1. Academicarum quæſt. lib. Tullius) niſi in natura quærendum eſſe ſummum bonum, quo omnia referentur, quis obſecro probet, niſi per naturam ipſum intellexerint deum operantem per omnia? Iam ſi aliquid præcipiant de moribus & uita honeſte inſtituenda quod ſanctis conſonum ſit literis, quis obſecro reſpuet? Rurſus quæ illi crudius de fato, de fortuna, de cauſſis hisq; rebus alijs occultis diſputant, quis non cum delectu reciperet aut reijceret? Neminem ad huius partis ſtudia conſectãda urgemus, interim uero ignota damnari nolumus. Quæ autem ſacris aduerſa ſunt ipſi damnamus. Et niſi in ſacris tibi praueris iudicium nõ ſuadeo ut prius percurras hanc partem philoſophiæ. At ſi parati tibi iudicium & uideatur turpe eſſe ſi à ſacris ad prophana, ab equis ad aſinos deſcẽdas per me quidem licebit intacta tibi hæc ſtudia maneãt. Cæterum quæ tradunt de rerum naturis ex longa obſeruatione collecta, de animalibus, arboribus, plantis, de ſyderibus, deq; infinitis huius generis capitibus, quis non uidet q̃ neceſſaria ſint ad ſacras literas intelligendas? Sine Geographicis inſtitutionibus, tabulis & notionibus fruſtra uerſaberis in hiſtoria ſacra. De prophana nunc nil dicam, quæ an Chriſtianis quicquam conferat doceant ac teſtentur prophetæ, in primis autem Daniel. Certè ea philoſophiæ pars quæ de diſſerendo cõſcribitur tam eſt ad ſacras literas neceſſaria, ut ſine hac nihil recte tractaueris. Docuit hoc ipſum multis argumentis D. Aurel. Auguſtinus in libris de Doctrina Chriſtiana ſcriptis. Atteſtatur hoc ipſum & quotidiana experientia. Sed hæc hactenus, ex quibus nimirum intelligis quid in philoſophia probetur quid improbetur.

Quæ philoſophiæ partes ſint damnatæ.

Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter & eſtis in illo completi, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.

In Chriſto eſt omnis plenitudo.

Cauſſam reddit breuibus cur unũ ac ſolum Chriſtũ illis prædicet, huic uni adhærendum eſſe doceat, præterea uero ab omnibus alijs rebus abſterreat. Quoniã nulla alia re, inquit, poſt Chriſtũ uobis opus eſt. Qui enim Chriſtũ habet omnia habet, & qui huic per fidem inſeritur per eundẽ etiam plene perficitur & iuſtificatur, ut ei non ſit opus uel ſapientiam, uel iuſtitiam, uel perfectam abſolutionẽ aliunde petere. His planis & certiſſimis aliâs aliquot nihilominus rationes interſerit. Omnis inquit plenitudo deitatis in hoc habitat corporaliter. Item, Ipſe caput eſt omnis principatus & poteſtatis. De his autem diſſeruimus & 1. cap. Porrò σωματικῶς corporaliter poſuit pro uere ac proprie ſiue naturaliter. Referimus id loquẽdi genus in Germana noſtra lingua, *Er iſts lybhafft*, cum ſignificamus aliquem re uera adeſſe de cuius aduentu deſperaueramus. Non eſt ergo quod

deum

deum credamus uel corporalem uel in corpus conuersum esse. Nam loquutio est id omnino pollens, quasi quis nostrum dicat, Non est opus alijs rebus ad perfectionem, quod aduersarij nostri tradũt, reuera enim omnis rerum diuinarum plenitudo & perfectio in Christo uere & naturaliter est nõ usurpatiue aut alieno more, sed omnino proprio cum simul cum patre sit principium rerũ omnium creaturarum dominus potentissimorum spirituum angelorum & quicquid hic mundus magnificum potens & excellens habet.

Per quem & circumcisi estis circũcisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi consepulti simul cum illo per baptismum in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis dei qui excitauit illum ex mortuis.

De circumcisione, & quod in locum eius successerit baptismus.

Quæ hactenus protulit in medium, tametsi proprie in Sophisantes Christianos dicta uideri possint, competunt tamẽ & in Iudaisantes apostolos, ad quos peculiariter pertinent quæ consequuntur. Subinde enim querebantur sibi ablatã esse circumcisionem sine qua interim nemo posset saluus fieri, unde etiam gentiles ad Christum cõuersos ue hementer obturbabãt. At Paulus, Nõ est inquit quod uos Iudæi ad Christũ conuersi ob circũcisionẽ abrogatã doleatis, neq; uos Christiani à Paganismo cõuersi ob neglectam circumcisionẽ turbemini. Quemadmodũ enim oñia nobis in Christo dedit pater adeò ut ei planè nihil desit qui Christũ in uera fide possidet, ita per eundem uere circũcisus est qui in ipsum credit. Duplex autẽ est circumcisio. Altera quidẽ exterior quæ fit manibus, cum scilicet præsciditur præputij pellicula. Alia uero interior quæ spiritu fit sine manibus, nempe cum exuitur corpus peccatorũ carnis. Quæ loquutio hoc pollet quasi quis dicat, Cum abijcitur ipsissimum carnis peccatũ, siue cum ipsum peccatũ in carne nostra mortificatur. Et Germani hoc schematis genere utentes frequentissime cum de prostitutæ nequitiæ & impudentissimo aliquo nebulone loquimur dicimus *Der ist ein bõsz lyb*. Præterea & ad Rom. 6. hoc ipsum loquutionis genus hoc sensu inuenimus. Iam & Moses prophera dei Deut. cap. 10. Circumcidetis inquit præputiũ cordis uestri, & ceruicẽ uestram amplius non indurabitis. Vera ergo circumcisione quæ fit sine manibus resecantur prauæ & terrenæ cupiditates, resecatur & animi contumacia, ipsumq; hominis cor aperitur ad obediendũ mandatis diuinis. Hoc itaq; est quod dicit Paulus, Per Christum circumcisi estis, certè non ea circũcisione quæ fit manibus, sed quæ potior est & sine manibus fit. Hoc est, etsi externa circumcisione careatis, interna tamen purgati estis. Siquidem per fidem & spiritum Christi exuistis illam carnis cõmaculatam peccatis uestẽ, contra uero induistis Christum ueritatem sanctimoniam & omnem innocentiam, id quod ueteri circumcisione significatum est. Proinde non est quod ob abrogatã aut neglectam circumcisionem doleatis. Præterea ne quid quod ritum quoq; externum atq; ipsum sacramentum attinet merito possent causari, addit, Per circumcisionem Christi, consepulti simul &c. Hic uero per zeugma repetendum est, Circumcisi estis per circumcisionem Christianam. Sed quæ est Circumcisio Christiana? Baptismus. Nam per baptismũ consepelimur Christo in mortem eius, ut cum eodẽ & in nouitate uitæ resurgamus. Id quod planioribus & pluribus uerbis exponitur in 6. cap. ad Romanos. Quandoquidem ergo baptizati estis inquit, sanè & circumcisi estis. Nam par est ratio Circumcisionis et Baptismi, inter quæ maxima est cognatio & parilitas. Circumcisione recipiebatur olim populus dei in aggregationem sanctorum. Recipiũtur & hodie in ecclesiam Baptismatis symbolo qui ad cœtum populi dei pertinere uidentur. Significabat olim Circumcisio per meritum sanguinis promissi seminis in gratiam recipi fideles, iustificari per illud circumcisos, astringi item ad pœnitentiam & innouationem uitæ. Significat & Baptismus nos à peccatis ablui per meritum Christi, iustificari nos gratia dei, consepeliri unà cum Christo in mortem eius, ut scilicet peccatis mortui resurgamus cum eodem in nouitate uitæ. Palàm ergo conuincit hic locus ut ut ringantur Catabaptistæ Baptismum successisse in locum Circumcisionis. Quid enim poterat dici planius quàm quod dictum est Baptismum esse Circumcisionẽ Christi? Atq; huc nimirũ pertinent illa uetustissimi scriptoris

Baptismus est circumcisio Christi.

Lactantij uerba quæ lib. 4. cap. 15. ad hunc modum legũtur, Cum dominus Iesus cœpit adolescere, tinctus est à Ioanne propheta in Iordane flumine, ut lauacro spiritali peccata non sua, quæ utiq; non habebat, sed carnis quam gerebat, aboleret: ut quemadmodum Iudæos suscepta Circumcisione, sic etiam Gentes Baptismo id est purificatoris perfusione saluaret. Tantum ille. Nec illud oscitanter transeundum quod per fidem operationis dei ipsam intellexit fidem per quam erga nos & in nobis operatur deus. Fides enim donum atq; uirtus dei est.

Et uos cum essetis mortui per delicta & per præputiũ carnis uestræ simul cum illo uiuificauit, condonãs nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo cum dogmatibus quod erat nobis contrarium, & illud sustulit è medio affixũ cruci, expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palàm triumphans illos per semetipsum.

Lex abrogatur. Condonantur peccata p Christum.

Docet præterea Christum nos à Lege liberasse adeoq; ipsum esse perfectionem legis cuius merito & uirtute uiuamus. Nam ut Circumcisionẽ sic etiam Legalia prædicabant pseudapostoli. Hæc in 2. cap. ad Ephesios uocauit Apostolus interstitium maceriæ & simultatem. Summa autem omniũ quæ dicit intra has consistit metas. Cum essemus mortui Christus uiuificauit nos. Hic duo habemus membra Mortem & Vitam. Accedit his breuis explicatio. Mortui fuimus per delicta quæ sunt præputium carnis nostræ, impuritas scilicet & corruptio dictorum & factorum nostrorum. Porrò Christus uiuificauit nos condonans nobis tam Iudæis quàm Gentibus omnia illa delicta & purificans illud carnis nostræ præputium. Iam quia Condonationis semel meminit in eadem perstistens metaphora aperit rationem quoq; condonationis & debiti nostri, suffigurãs hæc uenusta admodum allegoria ducta à contractibus. Qui enim debent, syngrapha sese creditori obstringunt. Neq; debito liberatur qui chirographum cõscripsit, nisi hoc aboleatur. Aboletur autem cum aut numeratur credita pecunia, aut chirographũ datum alioqui disrumpitur. Porrò Chirographum illud lex est, non quælibet sed in decretis sita. Expositiue enim ponitur, Deleto chirographo τῷ δόγμασιν ὁ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, quasi dicas quod chirographum ipsa erant dogmata nobis aduersa. Conuincebant enim gentem Iudaicam peccati esse ream, dicente apostolo Paulo ad Hebræ. cap. 10. Lex umbram obtinens futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum his hostijs quas singulis annis easdem continenter offerunt nunquam potest accedentes perfectos reddere. Alioqui nónne desijssent offerri, propterea quod nullam iam habuissent conscientiam peccatorum qui sacrificassent ac semel purgati essent? Atqui in istis commemoratio fit peccatorum quotannis. Proinde quatenus celebrabant sacrificia eatenus uelut syngrapha contestabantur ijs se debitores esse dei. Habes rationem debiti. Interim uero dum non essemus soluendo misit deus unigenitum filium suum qui in crucem suspensus debita nostra soluit syngraphamq; disrupit. Et sanè euangelica ueritas prodidit uelum templi à morte domini scissum esse à summo usq; deorsum. Itaq; legem sustulit è medio & cruci affixus abluit omnia peccata nostra sanguine suo semel effuso, ut merito & iure illã cruci affixam esse gloriari possimus. Solus enim ipse, ipse inquam Iesus Christus crucifixus condonauit nobis debita nostra adeoq; omnia solus est fidelibus. Habes iam & rationẽ condonationis & legis abrogatæ. De qua & in epistola ad Hebræ. & in 2. cap. ad Ephesios quædam annotauimus. Sequentibus uero ad triumphandi morem alludens docet nos uere & plene liberatos à legis iugo absoluteq; purgatos esse per Christum, ut nobis posthac nihil metuendum sit de hostibus non modo deuictis sed etiam triũphatis. Fingit enim in triumpho hoc uictos & uinctos duci, satanam, iugum legis, peccatũ & mortem: nec uictos & uinctos tantum duci, sed expoliatos omnibus præsidijs & armis ostentari. Significat autem δειγματίζειν ostentare & spectandũ omnibus proponere. Quod fiebat in triumphis in quibus circũferebantur trophæa populoq; uictoriæ monumenta ostentabantur. Cuius quidem generis descriptiones plurimas inuenire est tum apud historicos cum apud poëtas. Certè Paulus hoc magnifico dicendi genere nil aliud uoluit

luit significare quàm Christum dominum uere nobis uicisse satanam peccatum & mortem adeoq; & iugum legis prorsum contriuisse, idq; non alienis præsidijs sed suapte uirtute. Hoc enim est quod in fine appendit, Per semetipsum. Quanquã & sic exponi possit, Victores qui uincunt in alijs uincunt dum ipsos occidunt, at Christus in seipso uicit moriendo uidelicet Lactantius Firmianus hanc Christi uictoriam & hunc triumphum graphice pingens canit,

Sed plane implesti remeans pie uictor olympum
Tartara pressa iacent nec sua iura tenent
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens
Qui raperet semper, fit tua præda deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber quo suus author abis
Hinc tumulum repetens post tartara carne resumpta
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers
Quos habuit penale chaos iam reddidit iste.
Et quos mors peteret hos noua uita tenet.

Iam ne quis illud fortassis nesciat, Trophæum dictum est, ἀπὸ τοῦ τρέπεσθαι. Nam signum erat quod eo loci erigebant uictores ubi in fugam uertissent uicissentq; hostem. Amputabant alij eximiæ alicuius arboris ramos, atq; inde suspendebant cæsorum arma spoliaq;. Inde de Aenea uictore Maro in II. Aeneid. canit,

Ingentem quercum decisis undiq; ramis
Constituit tumulo fulgentiaq; induit arma
Mezenti ducis exuuias tibi magne trophæum
Bellipotens &c.

Alij statuas erigebant, alij extruebant arcus, in hos pingebant aut scribebãt rem gestam, uel certe arma quædam hostium & monimenta uictoriæ ab his suspendebant ijsq; affigebant. Eò itaq; alludens Apostolus, Et sustulit illud inquit è medio affixũ cruci, ipsam scilicet crucem statuens trophæum uictoriæ testimonium, cui iam infixa sit ipsa lex chirographum & uis siue testimonium peccati, adeoq; ipsum peccatum & mors. Cæterum primo statuebatur trophæum, deinde uero decernebatur imperatori triumphus: quocirca & Apostolus triũpho præmisit trophæum. In summa notauit hisce omnibus Christum nos uere in libertatem filiorum dei asseruisse.

Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

Illatio totius negotij huius epistolæ.

Plenis uelis ruit iam in portum, simul exponens quid per decreta intellexerit. Est autem hic epilogus admodum uehemens. At non senties feruidam illam uehementiam nisi ex superioribus argumentorũ singulorum summas colligens conclusionem ad hunc prope modum inferas, Cum deus clementissimus in filio suo domino Iesu Christo omnem nobis plenitudinem, omnem sapientiam & perfectionem, iustitiam & sanctificationem tam plene aperuerit dederitq; ut in uno habeamus omnia, ipsam inquã sapientiam absolutam, circũcisionem ueram, legis perfectionẽ exactissimam, & condonationem omnium peccatorũ plenissimam, cum deniq; per eundem à satana lege & peccato adeoq; ab ipsa morte liberauerit, nequaq; eò deuenietis insaniæ ut credatis legem ad salutem esse necessariam, aut certe eiusmodi esse quæ neglecta damnet, aut ex cuius obseruatione pietas uestra æstimari debeat. Enumerat autẽ certas legis species, at sub his alias non impares cõprehendit. Perpetuo enim dilectio dei & proximi excipitur, at quæcunq; præterea præcipiuntur de rebus externis affixa locorum & temporum, idq; genus alijs circumstantijs abolita sunt. Causa, Vmbræ sunt rerum futurarũ, corpus autem Christi. Id est, Figuræ fuerunt quæ portenderent ea quæ post essent uere exhibenda à Christo. Vocauit ergo corpus Christi ipsam rerum substãtiam. Quasi quis dicat, Vmbra fuit legis, sed

corpus est Christi. Opponitur autem Vmbræ corpus, quemadmodũ & res figurata respondet figuræ. Iam & in superioribus Corporaliter pro uere usurpauit, proinde corpus ipsa ueritas est cuius umbra siue figura detinetur in typo. Sensus ergo Pauli fuerit, Posteaquam ipsum corpus tenemus, id est posteaquam ipse Christus nobis illuxit ipsa ueritas & completio legis, non est necesse ut amplius adhæreamus umbræ, hoc est figuris. Nemo enim ineptior q̃ qui neglecto corpore persequitur corporis umbram. Qui uero Christum habet, corpus ipsum habet, substantiã & thesaurum omniũ bonorum habet, iccirco haudquaq̃ alia huic iungit aut ab hoc ad Iudaismum uel professionem ullam aliã relabitur: quin potius cum Petro clamat, Domine ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui, panis uitæ, de quo qui edit non esuriet inæternum. Hunc sensum agnouit & D. Ambro. dicens, Quoniam omnis spes uitæ in Christo est ac fiducia, nulli superstitioni aut legi subiacere nos debere præcipit: quamobrem perstrepentes aut aliquid quod ad fidem Christi non pertinet susurrantes contemnendos, istum autem solum sequendum, per quem deuicta mors est & reddita resurrectio mortuorum. Hæc ille. Iam de singulis capitibus quæ enumerauit commẽtari copiosius non est operæpretium quod aliꝭs in locis eadem tractauerimus argumẽta. De discrimine ciborum lege Leuit. 11. De diebus festis Leuit. 23. De nouilunio sic legimus Num. 28. In Calendis autem, id est in Mensium exordiꝭs, offeretis holocaustũ domino, uitulos de armento duos, arietem unũ &c. Proinde Nouilunia erant mensium exordia & solennitates secundum lunationem (ut uocant) institutæ, hoc est dum Luna nouo lumine incensa ipsis oriretur. Voluit autem deus nouilunio fortassis à gentilitꝭs abarcere calendis ne Lunæ siue Iunoni sacra instituerẽt. De Calendis quidem Gentiliũ legere est apud Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15. Quod si Etymon & compositionem nominis Neomeniæ nescis νέος nouus est & μείς μηνός luna siue mensis. Per sabbata uero ipsas intellexit ferias Iudaicas uarias. Nam ipsum dei uerum sabbatum ab ipso mundi exordio institutum in amore dei & proximi fundatũ præterea & spirituale perpetuum est. Verum pluscula de sabbato alibi dicentur, sed & in 14. ad Roma. cap. item in Galat. 4. quædam dedimus. Porrò nemo non intelligit cum Iudaicis simul confutari & de his capitibus præcipientes Romanenses nugas.

Neomeniæ.

Ne quis palmam uobis interuertat data opera per humilitatem & superstitionem angelorum in his quæ non uidit fastuosus incedens frustra inflatus à mente carnis suæ, nec obtinens caput ex quo totum corpus per commissuras & compagines subministratum & compactum augescit augmento dei.

In pseudapostolos inuehitur.

Idem nũc dicit quod iam iam dixerat, sed copiosius & mutata orationis figura. Priori membro ab inutilitate rerum quas cõmendabant pseudapostoli Colossensibus argumentans per epilogũ suasit Christo soli hærerent. Posteriori hoc ipsos pseudapostolos perstringit suis illos pingens coloribus, suadens omnino sibi ab hisce caueant lupis rapacibus ouillo uellere tectis. Ne quis uobis, inquit, καταβραβευέτω θέλων data opera & malitiose insidias præmio aut brabio fraudet. Cum eñ in certamine positus iniquitate agonothetæ uel insidiꝭs magistrorũ brabium (sic enim scribit Hierony.) & debitam sibi palmam perdit καταβραβεύεται dicitur. Sensus ergo uerborum Pauli est, Cauete ne quis uobis interuertat præmium quod consectari cœpistis, pro corpore umbrã, pro æternis & spiritualibus rebus terrenas & carnales uobis supponens. Id quod solẽt qui data opera & callidissimis insidiꝭs felicitati uestræ laqueos abdunt. Atq; hic incipit artes istorum graphice pingere. Student ait uos à parta illa felicitate & euangelica ueritate ad umbras & nugalia quædam abstrahere, principio per humilitatem. Nam contemptores mundi uideri uolebant, & ideo tristes incedebant amictu propè sordido, promissis barbis, cincti funibus, nudipedes, casti erant, abstemiꝭ, subductis supercilꝭs, fronte corrugata, denicq; ore totoq; corporis habitu admodum seuero. Hac autem specie capitur uulgus, hisce artibus dementatur ut ab huiusmodi hypocritis pendeat totum planeq; habeat

persuasum

perſuaſum huiuſmodi ſanctulos non poſſe niſi diuina loqui oracula. Deinde palmam uobis interuertere conantur per ſuperſtitionem angelorũ. Significat autem θρησκεία ſuperſtitionem, uenerationem, cultum & obſeruantiam. Proinde pſeudapoſtoli legem inculcantes uel authoritatem nimiam angelis, quorum miniſterio lex lata erat parare ſatagebant, quo facilius ipſam legem obſeruãdam eſſe perſuaderent imprudentibus. Vel uiſiones quaſdam angelorum & ſpirituum iactitabant, quas ueluti cœleſtia proponebant oracula tantum non adoranda. Hac uero arte mirum q̃ egregie ſemper populis impoſitum ſit. Notiſſima enim eſt ex gentiũ hiſtorijs Sertorij cerua quam ſibi Dianæ donum tranſmiſſum prædicabat per quam de occultis erudiretur. Notiſſima eſt & Numæ Pompilij nympha Aegeria, ex cuius congreſſu credebatur populo proferre diuina quædã arcana. Quibus uero præſtigijs, ſpectris, arcanis cum numine colloquijs & reſponſis Perſas & Arabes dementarit Arabs ille Mahumetes turpiſſimus impoſtor, pſeudoprophetes nephandiſſimus, ipſumq; iniquitatis myſterium, recentius id quidem eſt q̃ multa opus ſit enumeratione. Sequitur in Paulo quod ſuperiora exponat, Fucum illi uobis facere uolunt per ea quæ nunquam uiderunt, de quibus tamen mira cœleſtia & ineffabilia iactitant, non iam ut homines incedentes, ſed uelut ſemidei qui digni ſint angelorũ colloquio, imò & qui ſummo ſint afflati numine. Paulus enim ἐμβατεύων dixit, quod D. Hieronymus uertit Incedens faſtuoſe, aut ut prouerbium habet, Iunonium ingredientes. Metaphoram enim duxit, quod monuit Eraſmus, à tragicis cothurnis: quandoquidem genus hoc ἐμβάδες dicuntur quod in his ſublimes incedant qui regem aut deum agunt. Mire aũt expreſſit iſtis horum hominum ſupercilium & arrogantiam. Iam quod adijcitur præterea membrum præcedẽs explanat, Fruſtra enim ait inflatus eſt mente carnis ſuæ. Neq; enim uera ſunt quæ iſtiuſmodi homines ceu indubitata & angelica oracula proponunt. Vanæ ſunt mentes ipſorum, atq; in hac officina uana cudunt, id eſt ipſi apud ſeſe domi confingunt uiſiones iſtas mendaces, quarum nomine fruſtra certe inflantur. Cæterum inflati ac tumidi dicuntur arrogantes, elati atq; iactabundi, de quibus & Græci dicebãt μέγα πνέειν magnum ſpirare. Fruſtra particula adijcitur ut intelligamus inſignem uanitatẽ. Proinde hæc omnia ne moueant uos inquit, utpote quæ ex uanitate non ueritate & ex authoribus emergunt, qui ſuam non dei gloriam quærunt. Præterea quod longe maximũ eſt caput ipſum non obtinent, id eſt longe à ſumma religionis ueræ aberrant, ad Chriſtum non omnia referunt, ex hoc non omnia deriuant. Hic autem caput & colophon noſtræ ſalutis eſt, per hunc fit ut recte ualeat & augeſcat totũ corpus eccleſiaſticum. Id uero cum iſti non obtineant, imò ab illo ſeparentur, non poteſt non ipſum corpus languere & perire. Ideoq; perimunt ſua illa doctrina eccleſiam dei pſeudapoſtoli. Copioſius autem de hac allegoria corporis quomodo per commiſſuras dependeat & uegetetur à capite dictum eſt ad Epheſ. 4. Profecto inde omnes hæreſes ſumpſerunt initium quod hæretici hoc eſt prauorum dogmatum magiſtri aſſertoresq; nõ obtinerent caput Chriſtum. Caueamus ergo ne ab hoc unquam animi noſtri oculos auertamus, qui ſolus lumen ueritas & uia eſt. Dignus autẽ eſt hic locus qui à nobis diligenter obſeruetur. Mira enim euidẽtia noſtri ſæculi impoſtores nobis deſcribit hypocritas monachos & anabaptiſtas. Monachi enim uiſiones confinxerũt innumerabiles, his ſuperſtitionem ſuam confirmarunt, his iunxerũt humilitatem & quicquid Coloſſeñ. impoſtores excogitarunt id hi uelut bonorum magiſtrorũ optimi diſcipuli optima fide & diligentia ſumma excoluerunt. Anabaptiſtæ ſanctiſſimæ hypocriſi iunxerunt ampliſſimum ſpiritum. Hunc plenis buccis crepant, literam hoc eſt omnem ſcripturã quæ ipſorum arguit peccata atq; errores explodunt, exibilant, floccipendũt, nihil niſi mera oracula & ſpiritus crepant puriſſimos, in his faſtuoſe incedunt, uiſa quoq; iactitant & ſanctimoniam ſibi abſolutiſſimam arrogant, cum re uera ipſiſſima ſint caro, hypocritæ, ſuperbi, arrogantes, odio quoq; inuidia φιλαυτία ἡδυπάθεια κενοδοξία, ad miraculum uſq; laborantes: præterea ipſum caput non obtinent, perperam enim de iuſtificatione ſentiunt, quemadmodum & monachi ſuperſtitione ſua Chriſtum propè deleuerunt.

Itaq; ſi mortui eſtis cũ Chriſto ab elementis mundi, quid quaſi uiuen

tes in mundo decretis teneminí? Ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaueris, quæ omnia ipſo pereunt abuſu, iuxta præcepta & doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ per ſuperſtitionem ac humilitatem animi & læſionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

In fabulas Iudaicas & præcepta hominum.

Inculcatur eadem res tertio. Præſtat enim hoc negotium plene intelligere quod ſalutis noſtræ continet rationem. Perſtringit tamen hiſce præſentibus doctrinæ pſeudapoſtolicæ genus longe acrius, oſtenditq; quod hoc ad pietatẽ prorſus nihil faciat, ſed à pietate abſtrahat potius. Cæterũ repetit illa quæ ante aliquot ſententias magna cum authoritate proferẽs dixerat, Conſepulti eſtis cum Chriſto per baptiſmum: iam ergo ingerit, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elemẽtis mundi, quid quaſi uiuentes in mundo decretis teneminí? Hoc eſt, Neutiquam decet uos rebus externis affixos eſſe & in his quærere uitam & ſalutem, qui didiciſtis omnem ſalutem & iuſtitiã ueſtram uni Chriſto acceptam ferri debere, cuius gratia ab iſtis planè deſciuiſtis ueluti ab inutilibus ad pietatem. Turpe autem & inconſultum foret ad ea redire illaq; ceu ad ſalutem neceſſaria repetere, amplecti & tenere mordicus quæ ſemel inutilia eſſe didiceratis deſerueratisq;, perinde quaſi non ſitis mortui talibus, ſed adhuc uiuatis in mũdo legesq; olim abolitæ per Chriſtum adhuc in uos habeant imperium. Hic iam μιμκτικῶς ſubiũgit, Ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris. Sic enim loquebantur qui Chriſtianos reuocabant ad Iudaiſmum ac ſtolidis quibuſdam onerabãt decretis, Ne tetigeris hoc corpus, impurum eſt: quod ſi tetigeris ablutione opus eſt, Ne guſtaris hunc cibum, impurus eſt, Ne contrectaris hanc rem, ſacra eſt, nec fas eſt à prophano tangi. Quid uero, amice lector, an non in mentem ueniunt tibi leges Pontificiæ, nugæ Romanenſes, & præſcriptiones monachorum? Nec aqua aquæ nec lacti lac crede mihi uſquam ſimilius. Doctores præceptiones & præceptionum finis utriuſq; partis cõgruunt per omnia. Sed audi nunc quomodo confutentur ab Apoſtolo. Principio illa inquit omnia ipſo pereunt abuſu. Agit autem de cibo & potu, quæ uſu conſumũtur & in latrinam excernuntur. Nam iis proprie dicimur abuti quæ uſu abſumuntur. Videtur autem alluſiſſe ad illa domini uerba, Non quod ingreditur in os impurat hominem, ſed quod egreditur ex ore hoc impurum reddit hominem. Nam quicquid ingreditur in os in aluũ abit & in ſeceſſum eĳcitur: at ea quæ proficiſcuntur ex ore ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Confutantur his non modo Iudæi epulas ſacras iactantes & lege dei præſcribente impura quædam in cibum non admittentes: ſed titulotenus etiam Chriſtiani qui & dierũ & ciborum diſcrimine onerarũt colla fidelium. Deinde illa inquit aliud non ſunt q̃ præcepta & doctrinæ hominũ. At de iis ſcribitur ex Iſaia Matth. 15. Fruſtra me colunt docentes doctrinas præcepta hominũ. Tertio, Verbotenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ, Græce, ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας, hoc eſt quæ ſunt rationem, ſermonem ſiue ſpeciem habentia ſapientiæ. Addendum autem quod hoc membrum inabſolutũ abſoluat, Re uera autẽ non habent. Longum enim texitur hyperbaton. Nam in fine demum ſequitur, Non habẽt autem honorem aliquem ſi ſpectetur neceſſitas humana. Oppoſuit ergo ſpeciem, uero: rationem ſiue ſermonem, rei. Eraſmus elegãter uertit, Quæ uerbotenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ. Itaq; præcepta hominum ſpeciem quidem ueri & boni habent, ſed uera & bona non ſunt. Idem enim hic Paulus ad Titum cap. 1. Redarguito inquit illos ſeueriter ut ſani ſint in fide, non attendẽtes fabulis Iudaicis & præceptis hominum auerſantium ueritatem. Vtinam uero hæc rectius perpenderent & intelligerẽt quibus hodie illa ueri & boni ſpecies quæ in traditionibus relucet humanis pernicioſe imponit. Audiamus autem unde illa ſpecies ueri pręceptis hominum accedat. Profecto ex ſuperſtitione, animi humilitate, & læſione corporis. Eſt autem ἐθελοθρησκεία, quam interpres ſuperſtitionem uertit, uoluntaria religio & ſpontanea, quum uidelicet quiſq; ultro ſibi religionem fingit quam ſequatur. Nam θρησκεία religio dicitur, & θέλω uolo. At mirum eſt quàm placeant quæ à nobiſipſis conſinguntur deo ſeruiendi formulæ. Sordent præ

his

his quęcunq; præscripsit dominus, qui in euangelio dixit, Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. Quia uero de mũdo non estis, sed ego selegi uos de mundo, ideo odit uos mundus. Plus ergo probatur nobis religio quam ipsi ultro nobis con finximus quàm quæ à deo authore profecta est: inde uero est quod multam apud nos authoritatem speciemq; tam boni q̃ ueri habeant traditiones humanæ. De humilitate hypocritica paulò ante diximus. Tertium uero est ἀφειδία τοῦ σώματος, ad uerbũ, im parsimonia corporis, hoc est cum quis minime parcit corpori, sed ieiunijs alijsq; castigationibus sese macerat & conficit. Id uero plurimum momenti habet apud stultam plebeculam quæ externa modo specie ducitur, ueritatem ipsam non magni facit. Tandem uero subsequitur quod sententiam absoluit, Non per honorem aliquem ad expletionẽ carnis. Id est, Quæ tametsi habeant speciem religionis, re uera tamen nil honoris siue pietatis habent, cum à deo ordinata sint tempora, uestes, cibi & potus idq; genus alia ad necessitatem hominis subleuandam. Scripsit enim idem Apostolus in 1. ad Timoth. 4. cap. Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus descisc ent quidã à fide attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, iubentium abstinere à cibis quos deus creauit ad sumendũ cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognouerunt ueritatem, quod quicquid creauit deus bonũ sit & nihil reijciendũ, si cum gratiarũ actione sumatur. Et quæ sequuntur. Quandoquidẽ autem totus hic Pauli locus & intricatior & obscurior est, id quod de ipso & Hierony. & August. conqueruntur, præterea exposi tio nostra hactenus conscripta diffundatur latius, non ingratum lectoribus fore credidi si paraphrasi breui succinctaq; totum colligam ordinem atq; percurram. Si mortui estis cum Christo inquit ab elementis mundi, quid ita tenemini decretis quasi adhuc uiuatis in mũdo? Decreta aũt illorum intelligo quibus persuasum est unum Christum nõ satis esse ad iustificationẽ, unde & subinde ingerunt atq; huiusmodi præceptiones inculcant, Ne tetigeris, res impura est, Ne gustaueris, cibus immũdus est, Neq; cõtrectaueris manibus prophanis rem sacram. Nam litera legis decepti in personis & rebus externis putabant isti cõsistere sanctificationem. Verum illa non polluunt hominem quæ ingrediuntur per os & usu consumuntur atq; in latrinam excernuntur. Neq; uero constitutione dei allata, sed hominum præceptis & praua legis interpretatione profecta sunt. Habent sanè speciem pietatis & sapiẽtiæ Decreta humana & legum deprauatæ interpretationes si spectes uerba magnifica. Cuius enim animũ non permoueant hæ uoces sanctissimæ? Deus hominis pietate qualis qualis sit delectatur, nõ potest ergo nõ probare quod quisquis ultro apud se statuit idq; ad demerendũ numen facit, tametsi lege dei plane nõ sit expressum. Iam uero quis tam crassus est cui non summa uideatur religio si in humilitate ambulemus, si carni nostrę minime parcamus, hoc est hanc maceremus inedia, abstinentia, ieiunijs, flagellis quoq; concidamus, uestę itẽ aspera & cilicio affligamus. Habẽt sanè illa absolutę religionis speciem, at si rem ipsam expendatis propius, fatebimini nullũ ista habere honorẽ (ponitur τιμὴ hoc loco ut aliâs sæpe pro pietate & religione.) Cibi enim & cætera uisibilia non ad hoc data sunt ut cum corporis iniuria cogamur ab his abstinere, sed potius ut horum adminiculo corpori subueniatur. Quoties ergo de his præcipitur in sacris memineritis altiora quædã contineri mysteria & modum nobis in usurpandis rebus omnibus præscribi. His iam epiphonematis loco subiũgito illa Pauli uerba 1. Timoth. 4. Corporalis exercitatio paululũ habet utilitatis, at pietas ad omnia utilis est. Interim uero non damnamus moderata ieiunia & castigationes corporis iustas, modo his non tribuatur iustificatio, & in his constituatur uera religio. Satis est si istas sub titulum referamus exterioris disciplinæ atq; in hunc finẽ dirigamus ut spiritui suppetias ferant, nempe ut caro minori opera fidei ac spiritui subijciatur, obediat, minusq; rebellet. Cæterũ ne quis nostra calumnietur, palàm testamur nos in hac disputatione de Traditionibus humanis, perpetuo excipere Leges ciuiles, decreta politica, & magistratuũ sena tus cõsulta, quæ de possidẽdis & diuidẽdis rebus, de sontiũ pœnis, deq; publica pace & trãquillitate reipub. ferũtur. De his em̃ loquens apostolus Petrus, Subditi inquit estote oñi creaturæ humanæ. Et Paulus, Quisquis ait resistit potestati, dei ordinationi resistit.

CAP. III. Itaq; si resurrexistis unà cum Christo superna quærite, ubi Christus est ad dexteram dei sedens. Superna curate, non terrestria. Siquidem emortui estis & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.

Pertinent etiam hæc ad epilogum. Hortatur enim ut terrestribus cõtemptis Christo cœlestibusq; adhærere contendãt. Superna sunt gratia, fides & puritas Christiana. Terrestria sunt circumcisio, lex, ciborum uestium dierũ delectus, & alia his similia externa, adde & carnis opera. Dixerat in 2. cap. fideles Christo esse consepultos, ipsos item resurrexisse in Christo. Vtraq; uero hæc membra repetit & per rhetoricam expolitionem copiosius in epilogo retractauit. Nam superius ea repetens quæ dixerat de sepultura, Si inquit mortui estis cum Christo elementis mũdi, non oportet his adhuc uiuere. At in præsentiarum alterum de resurrectione membrum resumens, Si ait resurrexistis unà cum Christo &c. Argumentatur eñ à natura resurrectionis & baptismi symbolo. Significat autem baptismus nos unà cum Christo resurgere in nouitate uitæ. Cæterum uita noua nescit uetera carnalia & terrena, Rom. 6. Attollit se mente ad cœlestia, ad ipsum inquam Christum, qui ideo uisibile corpus hisce abstulit terris & in cœlos super sydera collocauit ut doceret statum religionis nostræ in spiritum & ueritatem esse dirigendum. Iam uero spiritus & ueritas ipsa fides est, charitas & innocentia. Fides in Christum dirigitur, à quo semel omnia expectant fideles, à quo deniq; quæ ueræ salutis sunt accipiunt. Charitas inseruit proximis, neminem lædit, omnibus benefacit. Innocentia autem ipsa uitæ puritas & integritas est. Hisce operam dant fideles non externis rebus ceremonijs, siue legalibus. Neq; uero externa mouentur specie, neq; in externis uitam quærunt. Rebus enim uisibilibus emortui norunt uitam omnem & gloriam in Christo cui insiti sunt absconditam esse. Vsurpat autem abscondere Paulus Hebræo more pro seruare & custodire, quemadmodũ & Germani usurpamus *verstossen oder verbergen für gholten.* Quando uero Christus fuerit manifestatus qui uita & resurrectio est fidelium, tunc fideles quoque glorificabũtur cum eodem: quemadmodum expositum est in 3. cap. ad Philippẽ. Sensus ergo uerborũ Pauli hic est, Didicistis prædicatione euangelica Christum esse uitam & resurrectionem fideliũ, extra quem nulla sit salus, præterea & in illum baptizati estis. Monet autem baptismus ne in ullo alio quàm solo Christo quæratis salutẽ, deinde consepeliri nos cum eodem & resurgere creaturam nouam, nisi ergo contra agnitam ueritatem turpiter agere placeat, nisi fœderis nexus perfide libeat abrũpere, omnibus alijs neglectis uni Christo hærere pergetis. Quod si aliud interim suaserint casus uarij aliudq; suggesserint aliorum cum dicta tum facta, memineritis uitam nostram non in mundo sed in Christo esse reconditam, illamq; non quolibet tempore nec in hoc perituro mundo, sed tum fore reuelandam cum dominus Iesus glorioso aduentu suo cum omnibus angelis suis aduenier iudex uiuorum & mortuorum. Hactenus uero docuit Apostolus omnes thesauros sapientiæ, iustitiæ, perfectionis & uitæ in Christo esse reconditos, & ideo huic uni neglectis omnibus alijs adhærẽdum esse, qui solus suis cultoribus omnia sit omniaq; salutis conferat. Cui gloria & laus & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen.

Mortificate igitur membra uestra quæ sunt super terram, stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam & auaritiam quæ est simulachrorum cultus, ob quæ uenire solet ira dei in filios intractabiles, inter quos ambulabatis quondam cum uiueretis in his.

Occasione accepta à superioribus formar iam mores uitæ sanctos, id quod in omnibus solet epistolis, in quibus tamen perpetuo præmittit doctrinam iustificationis, deinceps uero appendit officia uitæ. Et in præsentiarum enumerat uitia quæ maxime Christianos dedecent, illa excindẽda mortificandaq; docet, deinde uero in exciforum locum

uitiorum

uitiorum inſerit oppoſitas uirtutes, tum & ipſo tradendi modo erudiens eccleſiarũ doctores quæ in plantanda ueritate & religione ratio obſeruãda ſit, nempe ut ante omnia iuſtificationis tradatur doctrina, deinde uero accuſentur atq; excindantur peccata atq; ſcelera, poſtremo uero inſerantur commẽdenturq; uirtutes. Cæterum hic allufit ad corpus humanũ dum ipſa ſcelera appellitat membra. Habet enim corpus peccati ſua membra, ipſa uidelicet peccata. Atqui hæc membra, hæ manus, hi pedes amputandi ſunt, hi oculi eruendi. Eruuntur autem quoties peccatorum occaſiones præſcindũtur, atq; ipſa concupiſcentia erumpens opprimitur, aut ſi eruperit etiam, ne porrò graſſetur prudentia ſancta curamus, & quotidie uires huius corporis debilitamus. Nam ut carnem noſtram abiicere non poſſumus, ita concupiſcentias eius non niſi per interualla coërcebimus. Philippus Melanchthon uir de pietate & bonis literis bene meritus in Comment. illis ſuis in hanc Pauli epiſtolam ſcriptis egregie de Mortificatione commentans uſq; adeo proprie & breuiter hãc deſcripſit ut non potuerim non piã eius deſcriptionẽ in noſtra referre Commẽtaria. Eſt autem mortificatio inquit, non tantum humana quædam coërcendi diligentia aut externi cruciatus, ſed quando uerus metus dei abſterret nos à peccando, ita ut uere perhorreſcat cor metu diuini iudicij cum ad peccãdum ſolicitatur. Sic perculſum cor infirmitatem ſuam agnoſcit & opem à deo implorat. Talis mortificatio opus eſt ſpiritus ſancti, ſicut Paulus ad Roma. 8. docet, Si ſpiritu facta carnis mortificabitis, uiuetis. Foris autem talis mortificatio etiam ad ſobrietatem ad labores inuitat, ſicut Paulus ait, Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo. Tantum Philippus Melanchthon. Porrò nihil in hoc occurrit catalogo quod non expoſuerimus in epiſtola ad Epheſios. Ad illos ergo Commẽtarios te relegamus. Mollities tamen non eſt μαλακία, de qua in 1. ad Corinth. 6. cap. ſed πάθος, quod uerbum intellexit interpres noſter de effœminatis & pathicis: at de ijs quoq; intelligi poteſt qui nimium perturbantur affectibus, ex quibus omnia ſua uel praue inſtituunt uel ſiniſtra opinione polluũt. Vitium eſt plane fœdum & pernitioſum.

Mortificationis egregia deſcriptio.

Nũc autem deponite & uos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore ueſtro. Ne mentiamini alius aduerſus alium, poſteaquã exuiſtis ueterem hominem cum factis ſuis, & induiſtis nouum qui renouatur ad agnitionẽ & imaginem eius qui condidit illum, ubi non eſt Græcus aut Iudæus, circumciſio & præputium, barbarus, Scytha, ſeruus, liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus.

Plantat nunc uirtutes ut nihilominus & ſcelera quædam perſtringat. Dius Ambroſius, Nunc ab his inquit prohibet quæ minora peccata uidentur, ne forte quia ſuperius quæ grauiora ſunt mortificanda mandauit hæc admittenda aut quaſi non periculoſa non fugienda putarentur. Reliqua omnia petantur ex Commentarijs epiſtolæ ad Epheſios in cap. 4. & 5. item ex Galat. 5.

Sitis igitur induti tanquam electi dei ſancti ac dilecti, uiſcera miſerationum, comitatem, modeſtiam, mãſuetudinem, lenitatem, ſufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuo, ſi quis aduerſus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Chriſtus condonauit uobis, ita & uos.

Eadem prorſus repetuntur hic quæ audiuimus in 6. cap. ad Epheſ. niſi quod hæc minus allegorica ſunt. Ad cõdonationem mutuam adhortabatur Epheſios quoq; in fine cap. 4. quo referri poſſunt & illa quæ Chriſtus docuit Matth. 18.

Super omnia autem hæc charitatem, quæ eſt uinculum perfectionis. Et pax dei palmam ferat in cordibus ueſtris, in quam & uocati eſtis in uno corpore, & grati ſitis.

Charitas. Longum adeoq; operosum fuisset omnes peccatorum & uirtutum species recensere, colophonem ergo omnium pariter uirtutum subiicit charitatem ex qua enascitur pax. Illam autem uocat uinculum perfectionis siue integritatis alludens ad compagem membrorum. Nam ut uinculo delapsura alioqui nectuntur, sic charitas colligat membra ecclesiastica ac totum corpus perficit & in integritate conseruat. Ira, odium, inuidia, concertationes ac simulationes corpus dissipāt: subiicit ergo, Et pax dei βραβεύετω, id est præmij loco contingat siue palmam ferat in cordibus uestris. Id est, Ne iudicet ira in uobis aut inuidia aut superbia, sed pax deferat palmam, ut is putet se uicisse qui cæterarum rerum dispendio pacem conseruarit. Ornauit autem hanc præstanti epitheto cum pacem dei nuncupauit. Nam in Euangelio legimus pronunciasse dominum, Beati pacifici quoniam filij dei uocabuntur. Quo uero commoueat uehementius etiam uocationem dei allegat. Deus enim in pace nos uocauit 1. Cor. 7. Additur & aliud ηὐχάριστοι γίνεσθε, id est & gratiosi siue amabiles sitis. Benignitate enim & comitate coit pax dei, hoc est plane diuina quæ nos efficit filios dei. Paraphrastes alium sensum proferens, Ne uero sitis ingrati inquit parumq; memores diuinæ erga uos clementiæ. Cum illo pax non erat futura nobis nisi ultro condonasset nobis omnia flagitia nostra. Et huius oblitus frater aduersus fratrem bellum mouet ob leuem iniuriam?

Sermo Christi inhabitet in uobis opulente, cum omni sapientia.

Sermo Christi doctrina Christi est quæ in charitate & uera religione uere instituere ualet. Emphasim autem habet quod inhabitet dixit et non insit. Vult enim ut illam nobis assiduo usu faciamus plane familiarē & domesticam. Sunt enim quidam qui & ipsi tractant uerbum domini, sed perraro & per interualla. Huc pertinet quod dixit Opulente. Rursus ne temere aut frigide aut inepte illud tractaremus, subiecit, Cum omni sapientia, significans illud summa cum reuerentia religione & prudentia Christiana esse tractandum. Prophani quidā & irreuerentes homines illotis manibus atq; pedibus irrumpentes in sacras literas mirum quàm perturbent omnia, dum crasse loquuntur de deo & proprietatibus eius, dum ea exponunt carnaliter quæ latentia habent mysteria. Prudens ergo sapientia & sobria prudentia opus est uolenti sacras literas cum fructu tractare. Mera oracula continet Verbū domini, sanctam & æternam dei uoluntatem præscribit, sanctum ergo & plane deo dicatum hominem requirit qui ardentibus ad deum suspirijs et in timore dei sancto cœlitus erudiri postulet. Nam initium sapientiæ timor domini est.

Doceteq; & commonete uos inuicem cantionibus & laudibus & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro domino. Et quicquid egeritis sermone aut facto omnia in nomine domini Iesu facite, gratias agentes deo & patri per illum.

Repetuntur hæc ex 5. cap. ad Ephesios. D. Ambro. præsentia exponens, Hæc inquit meditanda monet semper quæ sonent Christum. Hæc in corde habenda quæ deo patri semper gratias referant, ut uox canora illi seruiat, illū laudet psalmus, hymnus extollat. Et huic soli notum fit qui & occulta peruidet mentis à quo speratur & præmium. In cordibus illi cantari mandauit ne fauore hominum fieret & fructum amitteret.

Vxores subditę estote proprijs uiris sicuti conuenit in domino. Viri diligite uxores & ne sitis amarulenti aduersus illas. Filij obedite parentibus in omnibus: hoc enim bene placet domino. Patres ne prouocetis liberos uestros ne despondeāt animum. Serui obedite per omnia his qui domini sunt secundum carnem, non obsequijs ad oculum exhibitis, tanquam hominibus placere studentes, sed cum simplicitate cordis, timentes deum: & quicquid feceritis ex animo facite, tanquam domino & non hominibus, scientes quod à domino recipietis mercedem hæreditatis: nam domino Christo seruitis. Cæterū qui peccarit reportabit

tabit peccatum ſuum, & non eſt perſonarum reſpectus. Vos domini æquitatem & æquabilitatem ſeruis exhibete, ſcientes quod & uos habeatis dominum in cœlis.

Expoſuimus iſta in 5. & 6. cap. ad Epheſios, inde require quæ ad ſententiã uerborum Pauli pertinere uidentur.

Obſecrationi inſtate, uigilantes in ea cum gratiarum actione, orantes ſimul & pro nobis, ut deus aperiat nobis oſtiũ ſermonis, ut loquamur myſterium Chriſti, propter quod & uinctus ſum ut manifeſtem illud ſicut oportet me loqui.

Sæpius de oratione & efficacia eius diſputauimus hactenus: ſed & illa propè uerba enarrauimus in 6. cap. ad Epheſios.

Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatem redimẽtes. Sermo ueſter ſemper cum gratia ſit ſale cõditus, ut ſciatis quomodo oporteat uos unicuiq; reſpondere.

Verum & hanc ſententiam expoſuimus in 5. capite ad Epheſios, ubi clarioribus & copioſioribus uerbis idem commendans nobis Apoſtolus, Videte inquit quomodo circumſpecte ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes occaſionem quod dies mali ſint. Inſtruit & ſermonem & colloquia noſtra docens qualia eſſe debeant, gratioſa nimirum & ſale condita. Cæterum ſal primum maximeq; commune condimentum uidetur. Plinius lib. 31. cap. 7. indicat metaphoram eſſe ſumptam ab uſu ſalis quod in omnibus cibis ſit condimenti uice & auiditatem inuitet. Ergo hercle inquit uita humana ſine ſale nequit degere adeo neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad uoluptates animi quoq;. Nam ita ſales appellantur, omnisq; uitæ lepos & ſumma hilaritas laborumq; requies non alio magis uocabulo conſtat. Atq; hinc inſulſa oratio quæ nil habeat lepôris, & inſulſus homo moribus inelegantibus. Contra ſales uocãt feſtiuiter & argute dicta. Addit Apoſtolus, Vt ſciatis quomodo oporteat uos unicuiq; reſpondere. Ad quæ D. Ambroſius, Monet ut opportuno & loco & tempore, ait, magiſtra modeſtia religionis uerba promantur, aut ſi perſona talis in medio eſt quæ perſtrepat reticendum. Aliter enim cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum eſt. Aliter iterum cum manſuetis, aliter cum iracundis quibus cedi oportet. Oportet ergo in homine Chriſtiano plurimum eſſe ſalis ſapientiæ & prudentiæ, ne intempeſtiuis uel dictis uel factis animos teneros adhuc in fide alienet à ueritate uel excitet turbas. Recte enim in Euangelio dixit dominus, Habete in uobis ſalem & pacem habebitis. Hodie admodum incommodant quidam eccleſiaſticis rebus ueritatiq; euangelicæ inepta & illiberali quadam libertate & dicendi & ſcribendi. Vtinam uero incipiant & hi ſermones ſuos cœleſti ſale condire, & ſibi ab illa ſua malorũ uerborum copia temperare.

De omnibus rebus meis certiores uos faciet Tychicus dilectus frater & fidus miniſter & conſeruus in dño, quem miſi ad uos in hoc ipſum ut cognoſcat quid agatis & conſoletur corda ueſtra unà cum Oneſimo fido & dilecto fratre, qui eſt ex uobis, de omnibus uobis exponẽt quæ hic agantur.

Iſta expoſuimus in fine ſexti capitis ad Epheſios. Hinc uero liquet eundem hunc Tychicum tam hanc epiſtolam quàm illam quæ Epheſijs inſcripta eſt, obtuliſſe utriſq; tam Coloſſenſibus quàm Epheſijs. Vno enim atq; eodem tempore conſcriptæ, præterea & eodem nuncio creditæ atq; tranſmiſſæ ſunt. Iunxit illis & eam quæ inſcribitur Philemoni, cui hunc reconciliauit Oneſimum aliquando male frugi ſeruum, quem nunc Coloſſenſibus quoq; commendat, ne ob priſtinam conditionem haberetur uilior. Vnde nos

discimus lapsis ueniam haudquaquam esse denegandam.

Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus & Marcus consobrinus Barnabæ de quo accepistis mandata, si uenerit ad uos excipite eum, & Iesus qui uocatur Iustus, qui sunt ex circumcisione. Hi soli cooperarij sunt ad regnum dei qui fuere mihi solatio.

Aristarchi primarij in religione uiri meminere Acta apostolica ipsa quoq; referũt ob Ioannem cognomento Marcum ardentissimum obortum esse inter Paulum & Barnabam cõflictum. At redijsse illum & cum Barnaba & cum Ioanne Marco in gratiam cum alij tum hic in primis locus testatur. Commendarat autem uel hunc uel illum Colossensibus priusquam hasce scriberet, (hoc enim est quod dicit, De quo accepistis mandata: quanquam non desint qui putent Colossenses à Barnaba siue Marco accepisse decreta Apostolorum) nunc eosdem per has quàm familiarissime commendat, ut ipsos si ueniant humaniter excipiant. Theophylactus arbitratur Iesum Iustum genere fuisse Corinthium. Hos autem tres uiros cæteris præfert à Iudaismo ad Christianismum conuersis. Hi enim pure prædicabant Christum, reliqui uero prædicabant & ipsi Christum, sed commiscebant legem euangelio, & Paulo inuidiam & persecutionem concitabãt, quod uideretur legis aduersarius esse. Colligimus autem hinc doctrinæ alicuius ueritatem & authoritatem non æstimandam esse ex frequentia sectatorum, cum uideamus hoc loco pauciores adhærere uero.

Salutat uos Epaphras qui ex uobis est seruus Christi semper enixe laborans pro uobis in precationibus, ut stetis perfecti & completi in omni uoluntate dei. Testimoniũ enim illi perhibeo quod habeat multum studij pro uobis & his qui sunt Laodiceæ & his qui Hierapoli.

Epaphras hic concaptiuus Pauli & apostolus fuit Colossensium, cuius opera credide rant euangelium & audierant. Veri pastoris exemplum nobis omnibus præfert. Cæterum ueri pastoris munia sunt docere & orare. Atq; hic quidem formula breuis adumbratur quid potissimum oret pastor fidelis, ut sui stent perfecti & completi in omni uoluntate dei.

Salutat uos Lucas medicus dilectus, & Demas.

Fidei & perfidiæ exempla.

Lucas ergo indiuiduus fuit Pauli comes, & uinculorum eius perpetuus socius. Nam & in 2. ad Timotheum 4. capite scribit, Lucas mecum est solus. Hic ergo exemplum est constantiæ & magnæ fidei. Et cum hanc scriberet ad Colossenses epistolam, nondum defecerat Demas quem in epistola ad Philemonem adiutorem suum nuncupat. Cæterum ubi salus & caput Pauli uocaretur in discrimen periclitareturq; de uita adeo ut omnes eum desererent, tum Demas quoq; subduxit sese. Sic enim scribit Apostolus in 2. ad Timoth. 4. cap. Demas me reliquit amplexus præsens sæculum, & profectus est Thessalonicam. Demas ergo perfidiæ & humanæ malitiæ exemplum est. Proinde qui sapit, homini non nimium fidit, utpote qui gratia domini destitutus in barathrum ruit perditionis. Hic enim Demas qui & Pauli adiutor erat & maximus in ministerio uerbi uir, à uero, mũdi amore & cæcatus odio ac terrore crucis superatus, deficit. At sancti interim ob perfidorum defectiones animum à uero minime alienant, qui norunt ueritatem æstimandam esse ex doctibus suis, non ex sectatorum uitijs. Nam & Ioannes apostolus, Exierunt ex nobis, ait, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Quod si huiusmodi hypocritas habuit apostolica ecclesia, quid mirum si ne nunc quidem habeamus purgatam?

Salutate fratres qui sunt Laodiceæ & Nympham & quæ in domo illius est ecclesiam. Et cum recitata fuerit à uobis epistola, facite ut & in Laodicensium ecclesia recitetur, & eam quæ scripta est ex Laodicea, ut uos quoq; legatis.

Hinc

Hinc claret quàm late pateat nomen ecclesiæ. Quamuis enim collectionē significat. Et ubi duo uel tres collecti sunt in nomine Christi, ibi in medio eorum Christus est. Et familia sancte instituta recte nuncupatur sancta dei ecclesia. Theophylactus, Egregius sanè uir iste erat, inquit, qui & domesticos omnes fideles haberet & ita ut ecclesia domus eius appellaretur: & ideo Paulus huic præcipue salutem impartit gratificaturq; cum eius familiam ecclesiam nuncupat, quod eo facit ut et alios ad hunc imitandū inducat. Quod uero & Laodicensibus hanc epistolam communicare iubet, tradit omnibus scriptum esse quod ad certos transmissum est. Verissime enim Tertullianus, Nihil autem de titulis interest inquit, cum ad omnes apostolus scripserit tum ad quosdam. Quod autē adiungitur, Et eam quæ scripta est ex Laodicea, uos quoq; legite: à quibusdam expositum est quasi Epistolam quandam scripserit ad Laodicenos. Verum non dixit, Et eam quæ scripta est ad Laodicenses legite, sed quæ ἐκ λαοδικείας ex Laodicea scripta est. Græcanica scholia putāt fuisse epistolam quam Laodicensis quispiam scripserit ad Paulum in qua tamen inessent quædam quæ pertinerent ad Colossen. rem. Atq; hic sensus non improbatur mihi adeò, quanquam melior ac uerisimilior uideatur esse Theophylacti expositio. Is enim hæc de priori epistola ad Timotheum intelligit, quā scriptā ait ex Laodicea. Porrò ne quis absurdam putet hanc esse expositionem quod in initio cap. 2. palàm professus sit Paulus Laodiceam sibi hactenus non esse uisam, sciendum est aliam quoq; præter Galaticam Phrygiæ confinem Laodiceam à Geographis numerari, Caricam uidelicet iuxta Hierapolim unde Ephesum ad Timotheum scripsit. Attigit hunc locū & Vadianus in sua Epitome. Epistola uero Timotheo inscripta non modo salutaribus doctrinis referta est sed et absolutam ecclesiæ œconomiam præscribit: unde non temere uoluit hanc cognosci à Colossensibus.

Et dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti in domino, ut illud impleas.

Archippus episcopus Colossen. fuit, huic suis uerbis mandare iubet, Vide quam susceperis prouinciā. Domini negotium est quod tibi delegatum est. Domino rationem dispensationis tuæ reddes. Vigilabis ergo. Consule cap. Ezech. 3. Noluit pluribus inhortari uigilantem episcopum, attamen non inutile fore credidit si currenti calcar interim adderet. Nisi uero hæc Pauli uerba episcoporū oculis semper infixa hæreant nil mirum si negligētius res ecclesiasticas administrent. Nam timor domini fideles facit ministros, at contemptus numinis reddit socordes.

Salutatio mea manu Pauli. Memores sitis uinculorum meorū. Gratia uobiscum. Amen.

Ita solet suas obsignare epistolas Paulus. Ad affectum commouendum id facit quod uinculorum meminit. Cęterum peculiarem uim habet uerbum Memini. Latro enim in cruce suam salutem cōmendans Christo, Memento mei inquit cum ueneris in regnum tuum. Et quoties auxilium alicuius petimus Germanice dicimus, *Bedenck mich*, quoties item indicare uolumus alicui consultum egregie dicimus, *Er hat jn wol bedacht*. Ambiuit ergo apostolus hisce uerbis apud Colossen. animum commiserantem & preces ad deum ardentes: significauit item ipsorum causa se istas gestare catenas, dignū ergo esse ut constanter in uia domini pergant, ne uinculorum ac laborum pœniteat unquam. Postremo imprecatur ipsis gratiam, à qua epistolam hanc fuerat orsus.

FINIS.

IN D. APOSTOLI PAVLI AD THESSALONICENSES, TIMOTHEVM, TITVM ET PHILEMONEM epistolas Commentarij.

IMAGINIBVS ET PIETATE CLARISSIMIS VIRIS D. IOANNI IACOBO A VVATTENVVYL BERneñ. Consuli, D. Nicolao & Reinharto fratribus, Heinrychus Bullingerus Gratiam & uitæ innocentiam à domino.

COMMENTARIOS nostros in reliquas Pauli epistolas scriptos certis ex caussis inscripsi alijs uiris certe religiosissimis, at Commentarios in utramq; ad Thessalonicenses uobis uiri clarissimi & bene de me meriti dedicare placuit. Amplissimos quidem uos fecit diuina munificentia, & amplo digni eratis argumento, ipse uero admodum tenuis sum, accisaq; sunt quæ profero: interim tamen & his quando augustiora dare non licuit, animi mei in uos promptitudinem attestari libuit. Et quamuis nostra ieiuna sint, ipsum tamen præsentis negotij argumentum splendide ab Apostolo tractatum mirifice in uos competebat. Laudantur enim ab Apostolo Thessalonicenses quod in ueritate euangelica semel accepta perstiterunt. Idq; in miris motibus atq; turbis, nec sine iactura opum dispendioq; uitæ, nec perstiterunt modo, sed & constãtia sua authores fuerunt quod tota Macedonia Euangelium recepit. A uobis enim inquit Apostolus pertonuit sermo domini non solum in Macedonia & Achaia, uerumetiã in omni loco fides uestra dimanauit. Et quantos motus à prædicato Euangelio annis propè 16. Germania, in primis uero Heluetia nostra maximo cum periculo dispendioq; rerum omnium senserit, nemo est qui nesciat. At uos in hisce turbis non citra capitis & omnium facultatum discrimen Christi partes cum alijs quibusdã uiris religiosis & fortibus secuti constantia & religione uestra alios quoq; animastis, ut in Christi iura tandem iurauerit tota Berna. Non debet hoc præclarum facinus animos inflare uestros, quod cum alijs habetis commune. Dei donum agnoscite in uobis, & dei donum prædico in uobis. Et Paulus apostolus, Quid habes inquit quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et ad Thessalonicenses: Deus inquit agit in uobis credentibus. Præterea quæ accipimus à deo dona, in hoc accipimus ut subinde nosipsos in pietate superemus, & q̃ pluribus prosimus. Negotium ergo domini cœptum felicissime summa cum gloria absoluetis si egregium addideritis colophonẽ, hoc est, si in finem usq; perseueraueritis in ueritate accepta, & studueritis regnum Christi domini q̃ latissime propagare. Huc uero summo cum ardore propellet hisce binis ad Thessalonicenses epistolis Apostolus, ut uel hoc quoq; nomine uobis fueriut dicandæ. Grati enim hominis & ueri amici est eorum prouehere & iuuare iustam laudem ac gloriã, quorum sensit beneficia & quibus ex animo bene uult. Sunt præter illa & alia quoq; argumenta quæ non uulgariter uos inuitent ad perseuerantiam in ueritate ad studium propagandi regnum Christi, & ad bene merendum de pijs omnibus, in primis uero exemplum uenerandi senis & Consulis Berneñ. D. Iacobi à Wattenwyl beatæ memoriæ patris uestri, imò patriæ patris. Is enim & rempublicã summa cum fide & prudentia administrauit, & renascenti ueritati egregie fauit illamq; promouit quantum ea permittebãt tempora. Inde profecto coniectare potestis uiri pijssimi quid & quantum Christo & ueritati eius debeatis, quibus & temporis felicitas & populi consensus deniq; ipsa ueritas retecta & doctorum fauet fidelitas. Habetis enim antistites religionis fideles, disertos, doctos atq; constantes, qui recte consulere & ex oraculari scriptura recta ad ueram uirtutem felicitatemq; ducere possunt. Quin & ipsa ecclesia uestra ueritatem amat ex animo hancq; promotam omnibus uotis cupit. Quid ergo restat nisi ut perseuerantia & indefesso benefaciendi studio bene cœpto operi extremas imponatis manus? Nihil ficte dixi hactenus, per adulationem nihil. Norunt enim pij omnes quid in uobis ac uestratibus prædicauerim. Vos modo pergite, & quò Apostolus duxerit ite, uiuite & ualete unà cum familia uestra sancta. Tiguri mense Ianuario, Anno 1536.

ARGVMENTVM PRIMAE EPIST. AD THESSALONICENSES.

THessalonicam, quæ Macedoniæ erat metropolis, ueniens Apostolus Christi religionem inter Iudæorum insanientium insidias atq; turbas uerbi dei studiosis non multis tradidit diebus. Oborta enim turba commotoq; populo & magistratu Thessaloniceñ. fratres Paulo consultũ uolentes hunc unà cum Sila nocte intempesta

intempesta emiserunt. At hi Berrhœam profecti sunt, sed & hac eiectus Athenas proficiscitur Paulus, hucq; Silam atq; Timotheum uocat qui Berrhœæ interim hæserant. Interea satanas nullum non mouens lapidem quo herbescentem euangelij segetem apud Thessalonicenses proculcaret, grauissimam in membris suis persecutionem contra ueritatis cultores excitat. Hic uero Paulus misere metuens ne teneri in fide ad uitam deficerent sua perstitionem semel atq; iterum statuit opem ferre periclitantibus: uerum cum adeo sæuiret persecutionis procella, ut neq; tutum neq; utile esset insanis turbarũ fluctibus sese ingerere, tandem Timotheum, quem non usq; adeo grauis aduersariorum premebat inuidia, mittit ut pro nomine Christi patientes confirmaret. Timotheus Thessalonicam itaq; profectus infracto animo, uerum confitentes reperit Thessalonicenses, redit ergo Athenas, & Paulo qui hic interim resederat, miram istorum prædicat constantiam. Hæc autem trãscripsimus nos ex 17. Acto. cap. & ex huius epistolæ 3. cap.

Vbi uero Paulus audisset in ista acri pugna uicisse ueritatem ac sanctos in fide semel accepta perstitisse, hasce ab Athenis scribit literas quibus laudat illorum fidem. Laudem uero hanc ita attemperat, ut simul adhortetur Thessalonicẽ. porrò cõstantes esse pergant. Atq; huc quoq; pertinet narratio cap. 2. de ingressu suo ad Thessalonicenses, item expositio cap 3. de legatione Timothei. Atq; hæc quidem altera pars est huius epistolæ. Posterior circa institutionem uersatur. Admonet enim ut caueant sibi ab immunditia, & uitæ puritate deum colant, ut caueant sibi ab iniuria & circumscriptione fratrum, seruiant autem his per charitatem, ut mortuos non lugeant luctu immoderato & Christianis indecoro. Vbi de fide resurrectionis, de extremo die, de uigilia Christianorum, deq; rebus alijs opido sacris & utilibus, disserit.

Videtur autem hæc epistola ante alias omnes esse scripta. Vtilitate certe & præstantia alijs nihil cedit. In hac enim egregij & necessarij loci tractantur. Dictio autem Paulinum pectus omnino refert. Est enim facilis, accommoda rebus & ubiq; maiestatem referens apostolicam.

CAP. I.

PAulus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicẽsium in deo patre & domino Iesu Christo, Gratia uobis & pax à deo patre nostro et domino Iesu Christo. Gratias agimus deo semper de omnibus uobis, mentionem uestri facientes in precibus nostris indesinenter recolentes uestri propter opus fidei, ac laborem charitatis & quod permansistis in spe domini nostri Iesu Christi, corã deo & patre nostro.

In inscriptione tria coniunguntur episcoporũ siue apostolorum nomina: ubiq; enim cauit Paulus ne cæteris symmistis se præferre uideretur. Deinde trium meminit Lucas quorum prædicatione Thessalonicẽses in fide instituti sunt. Et qui hic Siluanus dicitur, idem ille est qui in Actis Silas appellatur, uoce hic modice aucta & ad Græcorũ Latinorumq; morem deformata. Sub ecclesiæ uero nomine comprehẽdit omnes qui Christo nomina dederunt, & qui nomen Christi inuocãt siue boni siue mali sint. Reliqua inscriptionis & exordij enarrauimus in expositione aliarũ epistolarum. Protinus aũt ab initio cum laude meminit perseuerantiæ in uera religione. Vera aũt religio tribus colligitur capitibus, fide, charitate, & spe. Cæterũ singulis sua iungit epitheta & quasi propria, fidei uidelicet opus, charitati laborem, & spei perseuerantiam. Nam fides per opera charitatis efficax fit oportet, si uera & genuina est. Hinc D. Iacobus, Fides, inquit, sine operibus mortua est. Et charitas laboriosa est. Nam suffert omnia, seruit omnibus, facit omnia, 1. Corinth. 13. Iam ipsa spes aliud non est quàm perseuerantia in fide domini Iesu Christi. Facit em̃ spes rerum æternarũ ut facile duremus in afflictionibus. Habet aũt emphasim quod addit, Corã deo & patre nostro. Paraphrastes enim, Non peribit uobis merces, inquit, recte factorũ, rependet is qui spectauit quo animo feceritis deus & pater noster.

Veræ religionis capita.

Scientes fratres dilecti à deo electionem uestram. Quoniam euangelium nostrum fuit erga uos nõ per sermonem solum, uerumetiam per uirtutem & per spiritum sanctum perq; certitudinem multã, quemadmodum nostis quales fuerimus inter uos uestra causa.

Sunt qui hæc ad Thessalonicẽ. referũt hoc modo, Scitis fratres ad hoc diuinũ nego-

tium uos electione dei non humana uolũtate pertractos esse. Non enim humana erant quæ prędicabamus uobis, sed diuina, id quod ipse comprobauit effectus. Simpliciora tamen uidentur quę adferuntur à Theophylacto. Is enim hæc ad Paulum & collegas eius retulit, ut sit sensus, Propterea uestri memoriã facimus, quia certo scimus uos à deo esse electos. Inde uero nouimus uos esse electos, quia deus meam ad uos prædicationem efficacem fecit. Id iam per partes exponit, per uirtutem, per spiritum sanctum, perq; certitudinem multam. Per uirtutem intellexit efficaciã & uim agentem in cordibus fidelium. Alij signa siue miracula intellexerunt. Efficit autem spiritus sanctus ut uerbum dei efficax sit in auditoribus. Idem absoluit uos, quicquid enim ad plenitudinem certam fidei persuasionem & absolutionem pertinet, consecuti estis. Partim itaq; per obedientiam & constantiam uestram, partim uero per ministerium meum quod felicissime cessit ueluti certissimis signis atq; argumẽtis comprobata est nobis electio uestra. Iam ipsi quoq; testes estis q̃ sancte nos gesserimus apud uos, uestra caussa, id est uestrã salutem per omnia non nostrum quærentes commodũ. Sed de hac re plura dicemus in 2. cap. Videntur autem hæc de electione huic laudi non citra certã rationem esse inserta, nimirũ ut Thessalonicenses admonerẽtur nihil de hac laude suis ascribere uiribus, sed diuinæ munificentiæ & electioni omnia. Interim plurima simul occurrunt in hoc negotio quæ diligenter obseruanda sunt, quo scilicet ordine progrediatur electio, quibus argumentis eluceſcat & se prodat, & quod preces fidelium non tollat. Tametsi enim ex certis quibusdam indicijs non ignoraret Apostolus Thessalonicenses esse electos, interim tamen nõ cessat indefinentibus precibus diuinas pro constãtia aures fatigare. Nemo ergo posthac dixerit, Non excidero si elegit me dominus, proinde nullis posthac opus fuerit precibus ad dominum. Quos enim elegit dominus per Christum elegit, ut per Christum saluentur, & huius insistentes uestigijs ad æternas beatasq; sedes transeant: non autem delegit ut luxuriando bonasq; horas male collocãdo nudo electionis uehiculo protinus è uoluptatibus rapiantur in aëra cœlos inhabitaturi perpetuo.

De electione.

Et uos imitatores nostri facti fuistis & domini recipientes sermonem cum afflictione multa, cum gaudio spiritus sancti, adeo ut fueritis exemplo omnibus credentibus in Macedonia & Achaia. A uobis enim pertonuit sermo domini nõ solum in Macedonia & Achaia, uerumetiam in omni loco fides uestra quæ est in deum dimanauit, ut non sit nobis necesse loqui quicquam.

Laudat Thessaloniceñ. non ut inflet, sed ut corroboret, nec quicq̃ affingit, sed omnia uere dicit. Nam ut nemo iusta laude fraudandus est, ita nihil ex adulatione affingẽdum. Diligẽter item expendendũ, quid aut quem laudes. Honesta modo iusta & uera laudem merentur. Quidã stolide res nihili laudant. Sunt qui homines uanos propter res uanissimas prædicent: at Apostolus in Thessaloniceñ. prædicauit obedientiã constantiamq; in uerbo dñi. Nam nostri inquit facti fuistis imitatores, & protinus ueluti correctione subiecta addit, Et domini. Eatenus enim apostolorum imitatores esse debemus, quatenus illi Christi imitatores sunt. Nam in epistola ad Corinthios, Imitatores mei estote, inquit, ficut & ego Christi. Et in præsentiarũ exponens in quo facti sint imitatores sui dicit, Recipientes sermonem. Cæterum apostolorum sermo Christi erat sermo. Veri ergo imitatores apostolorum & domini sunt, qui uerbum dei recipiunt. Recipiunt aũt qui credũt & uitam suam ad illud cõponunt, omniaq; illa aduersa pro nomine domini subire non horrent quæ ipse dominus & apostoli subierũt. Proinde omniũ amplissima laus est deo obedire, & uerbum ueritatis recipere. Amplificat aũt laudem quod cum afflictione multa, cumq; gaudio sancti spiritus receperũt uerbum dei. Huc uero pertinet quod in euangelio legimus exemplum contrarium, Qui in petricosa semen iactum exceperat, hic est qui uerbum audit, ac protinus cum gaudio accipit illud, uerum non habet radicem in semetipso, sed temporarius est. Porrò cum acciderit afflictio aut persequutio propter

Qui sint ueri imitatores dñi et apostolorũ.

sermonem

sermonem continuo offenditur. At Thessaloniceñ. hoc firmius uerbum dei complecte bantur, quo grauius persecutionem patiebãtur, imò in ipsis afflictionibus non obmurmurabant, non queruli deplorabant miseram sortem suam, neq; abñciebant animos desperabundi, sed cum gaudio cumq; gratiarum actione perferebant aduersa illa grauissima. Id quod Apostolus tacite tribuit diuinæ gratiæ ac spiritui sancto, ne quis à uia ueritatis aberrans nimium tribueret uiribus suis. Hæc autem omnia erudiunt nos quid sequatur imitetúrue quilibet nostrum, uerbum uidelicet ueritatis: & quid sibi polliceatur fidelis dum renunciat mundo & iurat in uerba Christi, afflictionẽ & odium totius mundi, in quibus tamen qui uere deo placere studet constans sit oportet, nec constans modo sed hilaris & alacer cum apostolis domini exultans & gratias agens quod dignus habitus sit affligi pro nomine Christi, Acto. 5. 14. Ioan. 16. cap. & 15. Addit & alia quæ laudem istorum augeant. Tanta fuit fidei ac spei uestræ fortitudo, ut tota Macedonia ad metropolitanæ urbis exemplum excitata, imò & tota Achaia per uos erudita ueritatem complecti cœperit. A uobis enim ἠχήκται exonuit siue ebuccinatus est adeoq; tubæ clãgentis ritu late percrebuit doctrina dñi: imò & fides uestra in omni loco dimanauit. Competit autem hic stilus grauis laudi quæ per similitudines, allusiones, collationes atq; hyperbolas ornanda est. Discimus uero ex hisce Pauli uerbis, quantũ referat primarias urbes recte institutas esse, rursus q̃ pernitiosum sit si urbes metropolitanæ corruptæ sint. Exempla enim sua in proximas quasq; & urbes & regiones, deniq; in totum agrum omniaq; confinia transfundunt. Accusant prophetæ Samariam decem tribuum Israëlitica rum metropolim & Iudææ caput Hierosolymam quod pessimo suo exemplo totã gentem peccare facerent. Discimus præterea quæ exempla nobis imitãda sint. Quidam abutuntur exemplis aliorum. Protinus enim atq; exemplũ pro se proferre possunt recte factum putant quicquid ad tale exemplum fecerunt. Habemus inquiunt pro nobis exempla maiorum, honesta ergo & uera sunt quæ sequimur. Atqui exemplũ nisi sanctum & diuinum sit prorsus nullam in rebus sanctis & iustis authoritatem habet. Oportebat prius approbatum esse facta illa maiorũ non fuisse diuinæ uoluntati aduersa. Paulus enim in præsenti diligenter exponit quid fecerint Thessalonicenses & in quibus reliquis facti sint exemplum. Perstiterunt, inquit, in spe domini nostri Iesu Christi. Imitatores facti fuerunt apostolorum & domini recipiẽtes sermonem dei. Sermo ergo dei personuit abñs & fides non quælibet sed quæ in deũ est dimanauit ad cæteras regiones. Audis exemplum esse iustum, sanctum & bonum, iam uero consequi necesse est recte agere qui sanctum imitãtur exemplum, item perperam agere qui prauum sectantur exemplum, licet uetustate, opinione atq; existimatione instructissimum uideatur.

Metropolitanæ urbes.

Verus usus & abusus exemplorum.

Siquidem ipsi de uobis annunciant qualem ingressum habuerimus ad uos & quomodo conuersi fueritis ad deum à simulachris ut seruiretis deo uiuenti & ueraci, & expectaretis filium eius de cœlis quem excitauit à mortuis Iesum, qui liberat nos ab ira uentura.

Dixerat, Tanta est fidei uestræ apud omnes celebritas, ut iam nihil necesse sit illã multo præconio nostro prædicare: nunc caussam huius addit, Etenim si quando tentamus his de rebus narrare, ipsæ gentes ultro exponunt nobis qualem ingressum habuerimus ad uos. Nemo autem intelligat ex illo Apostolũ splendida aliqua adeoq; pontificia pompa Thessalonicam ingressum, opes & splendorem regium ostentasse, ut barbaricũ Persicumq; spectaculum omnes implerit regiones, sed per ingressum intellexit totũ euangeliñ negotiũ, quasi dicat, Illæ ultro exponunt quomodo Thessalonicam uenerim, quanta fide & diligẽtia uobis Christum prædicauerim, quanta promptitudine & animi pietate Christum & ueritatem euangelicã susceperitis, rursus quantas turbas mouerint impij, & quanta constãtia uos perstiteritis in uero. Sequitur enim quod ad illius expositionem pertinet, Et quomodo conuersi fueritis ad deum &c. Ingressus ergo ille continet totum euangeliñ negotium, ut cum legatio ponitur pro toto negotio legatis commisso & per legatos peracto. Hic uero accipit occasionẽ exponendi ueræ pietatis negotiũ omne. Mira

Ingressus Christi & apostolorum humilis.

autem breuitate utitur. Deinde expositionem hanc innouat & repetit ut figat altius caueatq; ne in auitam relabãtur superstitionem, sed in religione Christiana in finem usq; perseuerent. Nos in gratiam lectorum breuitatem Paulinam moderatiore copia explicabimus. Pleraq; enim quæ hic dicẽda forent exposui in Comment. in Acta apost. æditis, maxime in cap. 14. & 17. item in 16. & 19. rursus in 1. cap. ad Roma. in cap. 8. ac 10. prioris ad Corinth. Vera religio de qua hic agit Paulus uni deo adhęret, uni innititur & seruit soli, solum inuocat & per omnia oculis habet præfixum. Solum enim agnoscit uiuum & uerum esse deum. Viuum quidem quod hic ex nihilo condiderit omnia, omnia uiuificet & conseruet. Recte enim Apostolus ad Athenieñ. In ipso inquit uiuimus, mouemur & sumus, ita ex hoc uno oñia quę sunt habẽt ut sint. Verus est quia ex seipso & ab æterno est sibi ad omnia sufficiẽs & oñibus omnia impartiẽs. Hisce uero attributis distinguitur à mortuis & falsis dñs, imò his omnibus præfertur. Falsa enim religio aut si mauis uana superstitio nõ uni soliq; deo uiuo & uero adhæret, sed plures deos simul colit eosq; mortuos & falsos. His statuit signa ueluti mortuis & absentibus. Si enim prẽsentes sunt quid absentium signis opus est? Signa enim mortuorum monimenta sunt. Deniq; ipsum uocabulũ simulachri uanitatem prodit. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est, nec potest unquam ueri nomen accipere quod ueritatem fuco & imitatione mentitur. Præferendum est igitur uerum omnibus falsis. Deus igitur uerus fundit se per omnia, ubiq; præsens est, hinc Elohim in sacris appellatur, quasi tu dicas, Deus præsentaneus. non eget igitur aliquo simulachro, imò nullo potest referri sensibus nostris. Proinde ueri dei cultores conuertuntur à dñs & simulachris, & seruiunt deo uiuo & uero spiritu & ueritate. Qui uero idola adhuc uenerantur & mortuis seruiunt, nondũ conuersi sunt ad deum uiuum & uerum. Vnde conĩcere licet quanto in periculo uersentur quibus mortuorum & simulachrorũ cultus q̃ commendatissimus est. Nos superiora de cultu unius dei & simulachrorũ uanitate fermè mutuauimus ex 2. lib. Mosis cap. 20. Item ex 5. lib. 4. ac 6. cap. ex Isaiæ 40. Psal. 113. Matth. 4. & Ioan. 4. cap. Ruunt hic omnia quæ de colẽdo deo per res externas tradita sunt. Templum enim ueri dei & per omnia se fundẽtis hic mundus adeoq; animus pĩ hominis est. Ara sacra in hac æde cor sanctificatũ est. Sacrificium uero quod huic aræ imponitur spiritus hominis est. Non edit carnes diuina maiestas, uestę & pecunia rebus corruptibilibus non utitur incorruptibilis, aurum, argentũ, æs, gemmæ & quicquid miratur mundus nil differunt à ruderibus. Quis uero rudera offerat æterno numini? Hæc potius ad ægestatem inopum subleuandã & ad mortaliũ usum condita sunt, ut uere his utatur qui nõ abutitur ad luxũ, sed ad necessitatẽ & uitæ usum, deinde & non habentibus communicat ex charitate & propter præceptum domini, nec quenquã in ullo negotio istarum rerum consequendarũ gratia fraudat uel uiolenta iniuria affligit, quin potius uim, auaritiã, usuram, fastum, uindictã, ambitionem & cęteras affectiones quæ ex carne sunt & hominem corrũpunt constringit, cædit, & sese torũ deo hostiã rationalem offert. Qui hisce rebus studet, uerus dei cultor est: id quod & Psal. 14. exposuit propheta. Veram hanc religionem absoluit cognitio Christi qui est imago dei inconspicui unius cum patre substantię uerus & uiuus deus cum patre & spiritu sancto. Hic ex mera dei patris misericordia carnem nostram induit & in hũc mundũ uenit, non ut alienũ doceret deum, sed eundem omnibus gentibus cõmendaret atq; promissiones patribus factas impleret. Dum enim omnes natura essemus filij iræ, & nemo iratum numen placare posset, iste peccata nostra in se recipiens in ara crucis omnia expiauit fidelibus. Nam morte sua ab ira uentura nos liberauit qui credimus, increduli æterna morte pereunt. Idem à mortuis resurrexit, ut uitam nobis restitutã & peccata eneruata esse approbaret. Ascẽdit cœlos ut regnaret atq; ibi perpetuo pro nobis intercederet misericors & fidelis pontifex. Inde expectamus eum remuneratorẽ & iudicem totius carnis. Expectamus autem eum tam uiui q̃ mortui. Qui enim uiuimus dissolui cupimus & esse cum Christo, qui uero mortui sunt resuscitationẽ carnis expectant. Hæc omnia Paulus dum uersaretur apud Thessalonicenses nimirum fusissime exposuit, nunc uero eadem tribus aut quatuor uerbis repetĩt, Certe in his tota ueræ religionis summa consistit.

De uera & falsa religione.

Nam

CAP. II.

Nam ipſi noſtis fratres introitum noſtrum ad uos quod non fuerit inanis, ſed quod ante malis afflicti & contumelijs affecti, quemadmodum ſcitis, Philippis, audacter egerimus in domino noſtro ad loquendum apud uos euangelium dei in multo certamine.

Pauli negotium & doctrina diuina eſt.

Meminerat in genere ingreſſus ſui ad Theſſalonicenſes, & horum conſtantiæ in uero, utrumq; iam copioſiore expoſitione proſequitur. Finis autẽ huius expoſitionis non is eſt qui uideri poterat magnifica propriæ laudis enarratio, ſed paterna potius ad perſeuerantiam adhortatio & fidelis admonitio. Oſtendit enim quod Theſſaloniceñ. nullo humano conſilio ſed prorſus diuino diuina tradiderit oracula, quibus merito in finem uſq; adhæreant fibiq; à pſeudapoſtolorũ artibus caueãt, quorũ ſtudium ſemper fuit bene inſtitutas eccleſias uel turbare uel prorſus ſubuertere. Atq; hæc quidem tectius innuit palàm non dicit. At ex circũſtantijs hunc finem liquide licet colligere. Principio agit de ſuo ad Theſſaloniceñ. ingreſſu. Deinde de Theſſaloniceñ. iuſta & perſeueranti in deum pietate. Nunc quidem in genere proponit expoſitionis ſummam, ingreſſum ſuum non fuiſſe inanem, ſed diuinũ prorſus: hoc eſt negotiũ ſuum quod egerit apud ipſos non ex homine ſed deo authore profectum eſſe. Id uero uarijs probat argumentis, in quibus explicandis non erimus nimiũ curioſi. Vel initia noſtra inquit, hoc eſt primus ille meus ad uos ingreſſus ſatis manifeſte cõprobauit cuius agam negotiũ. Niſi enim dei negotium eſſet quod ago, nil mirum ſi planè deſeruiſſem prædicandi functionem. Tam male acceptus atq; habitus fueram Philippis. Qui enim ex humano cõſilio aliquid agunt, ſtatim inſtitutum mutant ubi non omnia ad uota ſuccedũt. At ego qui Philippis multa pertuleram multisq; affectus fueram contumelijs, neq; aliud & apud uos expectare poteram, adeo nihil terrebar aduerſis ut multo confidentius q̃ ante unquã uerbum ueritatis apud uos prædicarim. Scitis ipſi ueriſſima eſſe quæ refero, intelligitis ergo cuius agam negotium, & cuius doctrinã uos receperitis, dei nimirũ. Quis enim tanta in tanto rerũ diſcrimine citra dei auxiliũ efficeret? Quis crederet humana in tantis turbis tantoq; certamine tantarum urbium & gentium cultiſſimarum zeloq; feruentiũ ardentiſſimo uincere potuiſſe? Diuina ergo tradidi uobis, diuina ſuſcepiſtis, diuinis haud dubie non pigebit in finem uſq; adhærere. Hæc quidem ſpecialia per ſe, fient generalia ſi ex his edoceamus omnem doctrinam apoſtolicã eſſe diuinam, non humanam, quo etiam tota hæc expoſitio partim duci poterit. Hiſtoriam quid Philippis fuerit perpeſſus lege Acto. 16.

Siquidem exhortatio noſtra non fuit ex impoſtura, neq; ex immunditia, neq; cum dolo, ſed quemadmodũ probati fueramus à deo ut nobis committeretur euangeliũ ita loquimur, non ut hominibus placentes ſed deo qui probat corda noſtra.

Pure prædicauit Chriſtũ Apoſtolus.

Planius iam oſtẽdit quod uerbum dei tradiderit Theſſaloniceñ. Addit & aliud, quod pure atq; ita ut decuit, tradiderit, nihil de ſuo addiderit uel quicquam in ipſo adulterarit. Nam & in 2. ad Corinth. 2. cap. Non ſumus inquit ut pleriq; cauponantes uerbum dei, ſed uelut ex ſynceritate, ſed uelut ex deo in conſpectu dei per Chriſtum loquimur. Putat autem & D. Ambro. pſeudapoſtolos hiſce perſtringi uerbis, qui Chriſtum quidẽ prædicabant ſed non pure non ex corde, ſua enim quærebant & hominibus placere ſtudebant. Locus planè egregius, ſalutaris & præ modum utilis eſt, ad quem reducere atq; explorare poſſumus omnes omnium conciones & q̃ fideliter quiſq; miniſteriũ ſuum impleat. Vtinam uero tam ſimus omnes in miniſterio domini fideles & ſynceri quàm uideri uolumus pleriq;. Exhortatio porrò ſiue παράκλησις conſolatio appellatur prædicatio apoſtolica, quod euangelium animos ſubleuet & conſoletur afflictorum, hoc eſt eorum qui conſcientia peccatorum anguſtiantur, præterea quemuis ſui officij moneat, & ad ſanctitatis ſtudium inhortari non ceſſet. Deinde ponit tres ſpecies corruptionis ſiue inſynceritatis quibus uerũ polluitur, impoſturã, immunditiam & dolum. πλάνη uero deceptio ſiue impoſtura offutijs fucisq; inſtructa eſt. Solent enim πλάνοι impoſtores artificioſa

diſſimulatione deludere quos in ſuam ſententiã ducere & deglubere uolunt. Hinc Theophylactus hanc uocem explicans, Noſtra ait doctrina non à fallendi aliqua arte proficiſcitur, dicit Apoſtolus: qui enim fallaciis alios circumueniunt, nullis ſe offerũt periculis, ſed in delicijs uerſantur & luxu, ipſe uero in diſcrimen me contuli, quo fit ut clare pateat neminem me docendo circumueniſſe. Breuiter Apoſtolus ſignificare uoluit doctrinam ſuam fuiſſe ſanam atq; ueram, ab omni ſcilicet fuco & ſimulatione alienam. Ακαθαρσία, immunditia eſt. Græci intelligunt impuritatem magicam. Ego omnem inſynceritatem intelligo. Quidã enim ſub prætextu uerbi domini affectibus ſuis indulgent. Impuri em̃ cum ſint, per omnia immunditiam quærunt. At Paulus dicit ſe puram docuiſſe integritatem & innocentiam. Dolus uero diſpendiũ proximi habet, unde poſtea ſubijciet, Non per occaſionem auaritiæ &c. Sed quemadmodũ probati fueramus à deo &c. Id eſt, Nequaquam elegiſſet nos deus niſi & dignos & fideles nouiſſet. Tales igitur & in ea probatione perſtamus qua & ſumus ab eo ad tantũ munus ſegregati. Non enim hominibus placere ſtudemus, quod faciunt qui ab hominibus miſſi humana ex impoſtura immunditia & dolo agunt, ſed deo qui cor hominis non fucum probat. Niſi uero miniſter uerbi unice ſibi hunc ſcopum habeat præfixum, ut non hominibus ſed ſoli deo placeat, & huic ſoli ſe probet, operã & impenſam ludet. Interim curabit ne bonis diſpliceat, at malis diſplicuiſſe ſumma laus eſt.

Neq; enim unquam per ſermonem adulationis uerſati ſumus quemadmodum noſtis, nec per occaſionem auaritię, deus eſt teſtis, neq; quærentes ex hominibus gloriam, nec à uobis, nec ab alijs, cum poſſemus in authoritate eſſe, tanquam apoſtoli Chriſti, ſed fuimus placidi in medio ueſtri, perinde ac ſi nutrix foueat ſuos filios, ſic affectu propenſi in uos animo cupiebamus impartiri uobis non ſolum euangelium dei, uerumetiam noſtras ipſorum animas, propterea quod chari nobis facti eſtis.

Addit iam alia quædam ex quibus appareat tam fides ipſius Apoſtoli & quod bona fide & puriſſime euangelium prædicarit, q̃ pſeudapoſtolorum perfidia, uerſutia & impoſtura. Tria autem hoc loco iungit potiſſimum, Adulationem, Auaritiam, & Ambitionem ſiue ſtudium gloriæ. De adulatoribus dicebat Diogenes, κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας, id eſt ſatius eſſe ad coruos redigi quàm exponi adulatoribus. Coruos enim mortuos tantum impetere & improbos, hos uero etiamnũ uiuos & probos laniatu peſtifero excarnificare. Idem ille orationem ad gratiam comparatam auriumq; pruritum μελιτίνῳ ἀγχόνῃ, id eſt melleam præfocationẽ appellabat, quod aſſentatione quidem delectaret ſed mendacio ſtrangularet admittentem. Adulatio ergo uel apud gentes peſſime audijt ſemper, ut illa quidem in quouis homine turpis ſit in miniſtro autem uerbi turpiſſima. De his enim dixit dominus, Vos eſtis ſal terræ: quod ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? ad nihil ualet ultra niſi ut proijciatur foras & conculcetur ab hominibus. Plura qui uelit legat 6. cap. Ierem. & Ezech. 13. acerbe adulationem in prophetis inſectantibus. Auaritia pecuniæ ſtudium habet & opum cumulandarum. Dicit ergo Paulus ſe ſub Chriſti titulo non quæſijſſe opes. Germanice diceremus, *Ich hab das euangelium nit gebzucht damit rych zewerden vnd vil hab vnd eer an mich zebzingen.* Recte enim alibi dicitur auaritiam radicem eſſe omnium malorum, & epiſcopum non debere turpis lucri cupidum eſſe. Sed & Criſpus ille Saluſtius ſcriptor prophanus, Auaritia inquit pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit: ea quaſi uenenis malis imbuta corpus uirile animũq; effœminat, ſemper infinita inſatiabilis eſt, neq; copia neq; inopia minuitur. Illa fidem probitatemq; cæteras q; bonas artes ſubuertit. Pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia uenalia habere edocuit. Porrò ne quid horum fingere crederetur Apoſtolus partim ipſos auditores, partim deum ipſum uocat in teſtem. Hinc uero tertium addit, Neq; quærentes ex hominibus gloriam. Nam dominus apud Ioannem contra

Adulatio.

Auaritia.

Gloriæ ſtudiũ.

contra pharisæos, Quomodo inquit potestis credere qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriã quæ à solo deo proficiscitur, non quæritis? Discant ex his ambitiosi prædicatores humilitatem uere apostolicam imitari, & solius Christi gloriam per omnem uitam omnibus dictis atq; factis quærere. Discant cum Mose thronum Aegypti honoresq; principum impiorum aspernari, & gloriam æterni regis etiam cum ignominia nominis proprij asserere. Quæ consequuntur uel ad honores uel ad stipendium alimentumq; quod dabatur apostolis referũtur. Vt sit sensus, Non quæsiuimus uel concessum ac debitũ honorem. Nam sumus apostoli Christi quæ summa dignitas est, unde potueramus iusto titulo authoritatem ac dignitatem apud uos nobis uindicare, uerum ἤπιοι καὶ νήπιοι, id est mites minimeq; austeri & pueri fuimus. Nam ut apud pueros nullum locum habet ambitio, sic ego nullo apud uos usus sum supercilio, arrogantius meam iactitans dignitatem. Vel cum potuissem uobis ἐν βάρει εἶναι in onere esse, tanquam apostoli Christi, malui tamen & in hac re minime esse austerus, sed ueluti paruulus minime onerosus. Solebat autem diuino iure apostolis domini suppeditari uictus ab ijs quibus illi subministrabant euangelium. Sic etenim ordinauit dominus, ut qui euangelio seruiunt, de euangelio quoq; uiuant, 1. Corinth. 9. At Paulus hoc iure apud Thessalonicenses uti noluit. ac proinde hic dicit, Cum iure potuissem stipendio uobis onerosus esse, nihil tamen à uobis uel petij uel accepi, ut liquido intelligeretis quod nullo pietatis prætextu per auaritiam uestra ambirem, sed potius ex animo diligerem, atq; uos meo ministerio locupletare cuperem. Atq; hic sensus posterior magis mihi probatur. Huc em̃ pertinent & quæ sequũtur ac pulchris ornata sunt allusionibus. Veluti pueri uersati fuimus in uobis, imò eo in uos affectu propensi fuimus quo nutrices matres solent propensæ esse in fœtum quem summa nutriunt diligentia. Præterea cupiebamus uobis non solum euangelium dei impartiri, uerumetiam propriam uitam impendere. Atq; hæc quidem non ob hoc dicimus quod uel nunc quicquam à uobis expectemus præmij, sed quod ex animo uos charos ueluti filios habuimus semper. Hic demum uerus est apostolici pectoris genius. Nisi uero huiusmodi per omnia referamus, frustra iactamus dignitatem apostolicam, apostolorum nomina ac uicariatum Christi.

Meministis enim fratres laboris nostri ac sudoris. Nocte enim ac die opus faciẽtes, ob id ne cui uestrum essemus oneri, prædicauimus apud uos euangelium dei.

Hæc exponunt quid in superioribus intellexerit cum dixit, Cum possemus esse oneri tanquam apostoli Christi, fuimus tamen placidi. Iam addit, Vobis enim testibus euincam quod meo labore atq; sudore mihi uictum parauerim, ne cui essem onerosus. Noctes enim atq; dies laborantes, & è nostris uictitãtes laboribus gratis prædicauimus uobis euangelium dei. His tacite pseudapostolorum illiberale otium culpat. Qui hodie apostolici uideri uolunt neq; euangelium dei prædicant ipsi, neq; alios prædicare sinunt, interim uero omnibus onerosi sunt. Totum enim orbem exactionibus suis grauant, expilant, concoquunt, quos propediẽ iudicabit dominus. Reliqua petito ex 18. cap. Actuum apost. & 9. cap. 1. ad Corinthios.

Vos autem testes estis & deus, quàm sancte & iuste & inculpate uobiscum qui credebatis uersati fuerimus, quemadmodum nostis ut erga unumquemq; uestrum tanquam pater erga filios suos fuerimus affecti obsecrantes uos & consolãtes & obtestãtes, ut ambularetis digne deo qui uocasset uos in regnum suum ac gloriam.

Pertinent etiam hæc ad explicationem atq; confirmationem superiorum. Iterum autem testes statuit illos ipsos quibus scribit, præterea deum ipsum. Deinde ueluti epilogo colligens, quod ipsis pure tradiderit uerbum dei (huc enim tota hæc expositio pertinet) magno uerborum pondere pronũciat, Vos autem testes estis & deus quàm sancte & iuste & inculpate uobiscum uersati fuerimus. Sanctum opponit impuritati, iustitiam im-

posturæ & auaritiæ. Quod addit ἀμέμπτως inculpate, omnẽ excludit offensionem, & ostendit quod oñia rite peregerit, adeò ut nemo iure cõqueri possit. Aliâs enim Christus ipse lapis contradictionis in prophetis dicitur, prẽterea ipsi apostoli domini sicut & prophetæ apud impuros semper audierunt pessime, ueluti proditores seditiosi & sceleratissimi. Necessario ergo inseritur, Qui credebatis. Quasi dicat, Tametsi aduersarij & omnis iustitiæ hostes nostrum ministerium culpare non desinant, uos tamen qui creditis & inter uerum ac falsum discernere nostis, attestamini quàm inculpate nosmet erga uos gesserimus. Proinde si quem impij accusant impuritatis & proditæ ueritatis meminerit idem usuenisse apostolis & apostolorum domino Iesu Christo, curet potius ne accusetur ab illis qui quid uerũ sit norunt & Christo crediderunt. Vt uero studium diligentiam atq; fidem suam Thessaloniceñ. quàm familiariter commendaret approbaretq; repetit eandem similitudinẽ quam paulò superius adduxerat, nisi quod hic mutauit sexum. Quem admodũ inquit pater quàm arctissime complectitur filios, amatq; ardentissime, nec quicquam eorũ intermittit quæ ad salutem pertinent filiorum, ita ego uos amaui syncerissime & paterno planè affectu. Neq; nostro officio defuimus unquam, semper enim in uestram salutẽ inuigilauimus diligentissime, obsecrantes consolantes atq; obtestãtes quẽlibet uestrum, non ut nobis daretis quicquam, sed ut uitam ageretis deo dignam, quisq; expenderet ad quantam dignitatẽ uocatus sit, nempe ad regnum dei & in gloriã sempiternam, caueretq; ne impuriore uita tantis rebus indignum se faceret. Atq; hic quidẽ scopus & finis est euangelij Christi, de quo in 4. cap. ad Ephe. Habent autẽ hoc loco exemplum egregiũ præsides ecclesiarum amoris erga plebem ardentissimi & studij indefessi. Bonus enim pastor populi pater esse sed & omnem lapidem mouere debet, obtestari, obsecrare, consolari, obiurgare, inhortari, ut alios à fuga reuocet, alios à lapsu erigat, alios metu & errore fluctuantes confirmet atq; firmiter stantes retineat in officio. Hæc de altera expositionis parte habuimus, qua ostendit se Thessaloniceñ. pure tradidisse euangelium dei. Qui uero hæc excutiunt atq; uersant diligentius, citra negotium posthac discernent pseudapostolum ab apostolo, ueram doctrinam à falsa.

Boni pastoris exemplum.

Quapropter & nos gratias agimus deo indesinenter, quod cum acciperetis sermonem à nobis quo deum discebatis, accepistis non sermonem hominum sed sicut erat uere sermonem dei qui & agit in uobis credentibus.

Apostolorum uerbũ est Christi uerbum.

Pergit altera huius narrationis parte laudem Thessaloniceñ. absoluere, atq; simul insuscepta ueritate illos contra omnia aduersa confirmare. Laudat cum gratulatione ac gratiarumactione, quod prompto animo prædicationem euangelij protinus susceperint, nec susceperint modo, sed & recte de illa iudicarint, credentes se dei non hominum prædicationẽ recepisse. Et sanè inquit dum nostræ prædicationi credidistis dei uerbo credidistis. Per nos eñ ille loquitur. Quin & relucens in uobis uirtus approbat uerbum illud nostrũ dei nõ hominũ esse uerbũ. Ineficax enim est sermo humanus: sed prædicatio nostra nõ fuit in uobis otiosa. Exerit eñ uim suã in uobis, atq; ita declarat quod uerbum dei fitis amplexi. Probat autem hic locus Apostolorũ doctrinam non esse hominum traditionẽ sed ipsissimum uerbũ dei. Philosophantur hic quidam admodũ subtiliter contendentes uerbũ illud prolatum & scriptũ ab apostolis non esse uerbũ dei, sed aliud quodpiam latens. Quorsum uero attinet hisce & similibus tricis inuoluere mentem simplicium? Verbum prolatum siue scriptum cogitatũ siue imaginatum ab apostolis de Christo domino, de iustitia & imitatione eius uerbum dei est. Paulus enim diserte dicit, Accepistis sermonem nostrum non ut sermonem hominũ sed sicut erat uere sermonem dei. Hinc consequitur quod qui uerbum euangelij & ministros uerbi propter prædicationem ipsorum persequuntur, non homines sed ipsum deum contemnant proscribãt ac persequantur. Animaduertet igitur in istos diuina iustitia & gloriã uerbi sui ab impuris istis nebulonibus uindicabit. Præterea agnoscere licet huius loci inditio quando uerbum dei recte receperimus, cũ uidelicet illud agit, id est uires suas exerit in nobis. Medici

nam

nam hauſtam, hoc eſt catapotia abſorpta, nemo credit ſalutarem eſſe niſi uim ſuam in membris languentibus exerceat: itaq; niſi membra noſtra quæ peccatis ſeruierant hactenus fiant iuſtitiæ arma, nemo facile dixerit pharmacum uerbi dei nobis fuiſſe ſalutare.

Vos enim imitatores facti eſtis fratres eccleſiarum dei quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu quod eadem paſſi ſitis & uos à proprijs contribulibus quemadmodum & ipſi nos à Iudæis. Qui ut dominum occiderũt Ieſum & proprios prophetas, ita & nos perſecuti ſunt, & deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, qui obſiſtunt nobis ne loquamur gentibus, quo ſalui fiant, ut expleant ſua peccata ſemper, peruenit autem in illos ira in finem.

Tum uero maxime inquit uim ſuam in uobis exeruit uerbum dei, cum in inſanientium Iudæorum turbis ac perſecutionibus per multam tolerantiam perſtitiſtis in ueritate euangelica. Atq; ita nunc laudat Theſſalonicenſium conſtantiam & tolerantiam ſimul, & in his ipſos confirmans obiterq; perſecutorum perſtringens mores impios, denunciansq; illis iudicium à domino grauiſſimum. Vos inquit imitatores facti eſtis eccleſiarum Iudaicarum quæ Chriſtum ſcilicet receperunt. Idem enim uobis obtigit quod illis. Quid uero illis uſuuenerit exponunt multis Acta apoſtolorum cap. 3. 4. 5. 7. 8. & reliqua. Habet autem conſolationem euidentem exemplum. Proinde Paulus & ſuum ipſius & Chriſti domini in primis, deniq; & prophetarum adeoq; omnium Iudaicarum eccleſiarum exemplũ in afflictionibus allegat. Ad quæ nimirum illa dñi uox pertinere uidetur, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Sic enim & prophetas qui fuerunt ante uos perſecuti ſunt. Cæterum ferenda uidetur iniuria quæ infertur nobis ab hoſtibus & ab alienigenis, ea uero intoleranda uidetur quã infert gẽtilis gẽtili, ciui ciuis, & amicus amico. Reſpondet, Atqui ne in hac cauſſa noui aliquid uobis obtingit. Chriſtum enim ſui tradiderunt Iudæi inquã, qui & proprios prophetas filios inquam ſuos occiderunt, & nos apoſtolos domini & Iudæo ſanguine ortos patrijs expellunt ſedibus & pluſquam crudeliter perſequuntur. Hoc enim eſt quo de ex prophetis dominus dixit, Et erunt inimici hominis ĩ qui ſunt domeſtici ipſius. Poſt hæc in mores Iudæorũ grauiter inuehitur Apoſtolus, ipſisq; grauiſſimum dei iudicium denunciat. Deo inquit non placent. Placent enim deo qui Chriſto fidunt, illi perſequebantur Chriſtum. Et Ioannes, Quiſquis negat filium, ait, is ne patrem quidem habet. Nec quiſquam ſine Chriſto placere deo poteſt. Quicquid ergo ab eiuſmodi hominibus fit deo diſplicet. Et omnibus hominibus aduerſantur. Semper enim hoc hominum genus male audĩt apud omnes propter crimen inuidiæ & perpetuum ſeditionis ſtudium. Poterant & utræq; hæ ſententiæ conuerſæ loquutionis ſpecies uideri, atq; ita erit ſenſus, Deus ipſe adeoq; omnia dei opera huic hominum generi diſplicent. Præterea omnes homines aduerſantur illis, hoc eſt, odiunt illos ueluti humani generis perniciem. Hinc enim & è multis urbibus & regionibus ſæpe eiecti frequẽtiusq; proſcripti ſunt. Et ſanè omnes ſecum in perniciem abripere tentabant. Obſtabant enim Apoſtolo ne prædicaret ſalutare uerbum euangelij gentibus. Id quod teſtantur Acta apoſtolica, deniq; huius rei gratia tandẽ à Iudæis male in templo habitus in manus ac uincula Romanorum peruenit, ut ipſe de ſeſe ſcribit Epheſ. 3. cap. Sequitur, Vt expleãt peccata ſua ſemper, id eſt, ut ſemper ſui ſimiles eſſe pergant. Non enim nunc primũ tales eſſe cœperunt, ſed ab ipſa ſua origine fuerunt durę ceruicis & populus ad iracundiã prouocans deum. Nam hic locus Pauli nullam peccandi neceſſitatem hominibus infert, ſed eiuſmodi loquutio eſt qualis apud nos, Vel nunc quoq; ebrietate & rebus fœdis ſeſe polluit, ne non ſui ſimilis eſſet perpetuo. Nam & Stephanus in Actis Iudæos grauiter obiurgans, Duri inquit ceruice & incircumciſi corde & auribus, uos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis ſicut patres ueſtri ita & uos. &c. Paria in hos ipſe dñs dixit apud Matth. in 23. cap. His peccatis ſubiungit iudicium ac pœnam. Peruenit autem in illos ira in finem. Id eſt, Ideo abſumet

Crux probat fideles.

Mores perſecutorũ ueritatis.

uastabitq; illos grauissima dei uindicta funditus. Allusit autem ad uaticinium Danielis, quod continetur cap. 9. & allegatur à Christo Matth. 24. & Lucæ 21. Quorsum uero pertinet hæc criminatio & excidij denũciatio? Vt Thessaloniceñ. infractiori animo istorum persecutiones perferrent. Huc enim omnia pertinent. Videmus & nos ueluti in speculo quales sint uel hodie ueritatis aduersarij, similes nimirum Iudæis quibus neq; deus ipse probatur neq; leges & iusta huius, qui ut ipsam salutem oblatam aspernantur, ita & fæuitia sua omnibus obstant quo minus & ipsi salui fiant. Olim Papismum oderũt ex animo, sacrificos execrabãtur, confessionem auricularem, satisfactionem ecclesiasticam, indulgentias, Missarum solennia, ieiunia, leges Pontificias omnes contempserũt constantissime, nunc illi ipsi ista quæ contempserunt olim ueluti pro focis & aris certãtes hodie extollunt atq; tuentur, euangelium uero Christi domini ceu hæresim abhorrẽdam persequuntur, & ne ullis hominibus prædicetur ædictis cauent uidelicet ut semper sui similes sint, & peccata sua expleant, perueniatq; in illos ira in finẽ. Interim uero dum omnia pro uotis succedũt, dum multi boni uiri pereunt, dum urbes & ecclesiæ aliquot subuertuntur egregium se deo cultum præstare putant, uictorias suas iactant, Christianorum infelicẽ sortem in argumentũ falsitatis rapiunt. Cæterũ non uident & expendunt quod hoc loco Apostolus dicit iniquiore fortuna usos esse & Thessalonicẽses, quibus tamen in uera pietate nemo felicior erat. Necesse ergo est huiusmodi heroës & uictores ni resipiscant pari in scelere cum Iudæis constringendos & proinde ubi & ipsi mensurã suam expleuerint pari quoq; supplicio perimendos funditusq; excindendos esse.

Cæterum nos fratres orbati uobis ad spatium temporis aspectu non corde uehementius studuimus uidere faciem uestrã cum multo desiderio. Quapropter uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus & semel & iterum & obstitit nobis satanas. Nam quæ est nostra spes aut gaudium aut corona gloriationis, an non & uos, in conspectu dñi nostri Iesu Christi in eius aduentu? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Charitas Apostoli in Thessalonicenses.

Iterum commendat amorem & studiũ suum erga Thessalonicenses, certè ut ipsi imò uerbo euangelij prædicato arctius adhærerẽt in finem usq;. At cum obijcere potuissent, Veri amici non est amicum in discrimine positum uel deserere uel cum possit non accedere. Respondet, Voluntas certe ueniendi ad uos non defuit, facultas & occasio non affuit. Licet enim aliquanto tempore caruerim uestra præsentia & uos mea, nunquam tamen abfuistis cordi meo, imò ardentissimo animi desiderio summisq; uiribus conatus sum adire uos, quo periclitantibus subuenirem, uerũ satanas in Iudæis suis sæuiens obstitit quo minus quod instituerã perfecerim. Importunitati ergo & crudelitati istorum non mihi imputate quod non uenerim hactenus. Quid enim fructus ab ijs retulissem qui nihil perinde atq; meum sanguinem sitiebant? Quid uero uobis qui nos amatis ex animo immaturus interitus meus profuisset? Præstabilius ergo est furori hostium nonnunquam cedere, q̃ per temeritatem se manibus impiorũ citra fructum imò cum dispendio euangelicæ doctrinæ necandum offerre. Iam & consequentibus uerbis certè amplificis edocet quanto in pretio sint Thessaloniceñ. apud ipsum. Nam quæ est inquit nostra spes, gaudium, flos siue corona gloriationis nostræ, nónne uos? Sed quid pronũciatum est à domino per Ieremiam dicentem, Benedictus uir qui confidit in domino, & cuius spes dominus est: maledictus uero qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum? Huiusmodi igitur uerba, quod & Theophylactus atteſtatur, similia his sunt quibus matres uiscerum immenso quodam ardore & amoris flagrantia teneros suos delicatosq; liberos pignora longe charissima blande lepideq; thesaurum, mundum, spem atq; ineffabile appellitant gaudium. Præterea cum iudex ille uiuẽtium atq; mortuorum uenerit iudicare mundum, tum securo animo in conspectu ipsius astabo. Nam tum uos unà cum reliquis ueluti trophæa uictoriæ nostræ & bene gestæ rei fidei & synceritatis meæ ostentabo. Porrò ex his nemo colligat, operibus nostris fidendũ esse. Omnia enim

bona

bona quæ à nobis fiunt uirtute ſpiritus ſancti fiunt, quem ex gratia & nullo noſtro mẽrito nobis donauit dominus. Hinc ad Corinth. dilucide, Quid inquit habes quod non accepiſti? quod ſi accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? Et ad Galatas, Abſit mihi gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ad Roma. Nõ auſim loqui quicquam quæ non effecit Chriſtus per me in obedientiam gentium uerbo & facto, &c. Alij in opibus gloriantur, alij in honoribus, in ſapientia & fortitudine alij, ſed præſtat cum apoſtolo gloriari in domino. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10.

Proinde cum non amplius ferremus uiſum eſt nobis ut Athenis reſideremus ſoli, ac miſimus Timotheum fratrem noſtrum et miniſtrum dei & adiutorem operis noſtri in euangelio Chriſti, ut confirmaret uos & conſolaretur uos de fide noſtra, ne quiſquam turbaretur in afflictionibus his. CAP. III.

Cum igitur non daretur aditus ad uos, interim urgeret periculũ, uiſum eſt per alium ueſtræ ſaluti cõſulere. Ipſi ergo ſoli reſedimus Athenis atq; inde miſimus Timotheum. Huius laudes fidem diligentiam & pietatẽ paucis uerbis prædicat, Frater eſt inquit eiuſdem ſcilicet fidei cultor, eiuſdem dei patris filius. Miniſter dei eſt à deo uocatus & in hoc miniſterium aſſumptus, quo & dei non ſuum agit negotium. Sed & coadiutor eſt egregij illius operis quod authore deo in mundo abſoluere cogito. Plura huius generis legas ad Philip. 2. Iam & cauſam huius legationis diſertis uerbis ſignificãs ait, Miſimus autem Timotheum nõ noſtri gratia ut quicquam nobis à uobis extorqueret reportaretq;, ſed ut in accepta fidei ſanę doctrina confirmaret uos uerbo ueritatis, & conſolaretur uos ne quis mundi deceptus illecebris crucem Chriſti auerſaretur. Hoc enim poteſt uerbũ Græcanicum σαίνεσθαι quod eſt terreri ſiue turbari commouere atq; mulcere. Sumpta eſt metaphora à canibus. Diabolus enim (ut ait Theophylactus) in ipſis anguſtijs blanditur in firmioribus quietem otiumq; ſuggerendo ut à rebus triſtitiam afferentibus prorſus abſcedant. Intelligimus ex his quid deceat epiſcopum, qualis is eſſe debeat, & quod multa conſolatione indigeant afflicti pro nomine domini. *Timotheum.*

Nam ipſi noſtis nos in hunc uſum poſitos eſſe. Etenim cum apud uos eſſemus prædicabamus uobis fore ut afflictionẽ pateremur quemadmodum & euenit & noſtis.

Bifariam hæc exponi poſſunt. Principio ut referamus ad miniſterium uerbi & apoſtolos domini, atq; ita ſenſus erit, In hoc uocati ſumus & ordinati apoſtoli ut nutantes in fide confirmemus & afflictos conſolemur. Deinde ut referamus ad afflictionem, ita ſenſus erit, Nemo turbetur afflictionibus hiſce. Nihil em̃ noui obtingit uobis. Nam hęc eſt conditio cũ humanæ miſeriæ tum prædicationis euangelicæ ut multa mala experiamur. Id quod Gen. 3. diuina ſententia clare proditũ eſt, tum & illa domini uoce in euangelio dilucidiſſime expoſitũ, Si quis uult me ſequi abneget ſeipſum, & tollat crucẽ ſuam ac ſequatur me. Hunc uero ſenſum iuuant ea quoq; quæ ſequuntur. Etenim cũ eſſemus apud uos prædicebamus futurum eſſe quod euenit. De cruce enim prædicauimus ferenda, & Chriſtus dominus in euangelio matri filiorũ Zebedæi imperiũ ambienti liberis crucem & afflictiones offert, neq; aliud pollicetur cultoribus ſuis apud Ioan. in cap. 15. & 16. Recondamus ergo & nos illud ipſum in memoria noſtra, pergamus per crucẽ & afflictiones ad æternas beatasq; ſedes irrumpere. Otium ſceleratũ & quietem laſciuam petãt quibus otiũ & quies promiſſa eſt, nobis crux propoſita eſt, & in cruce ſalus, ſalutẽ itaq; crucem & pericula alacri & intrepido animo quæramus. Nam ipſe dominus & uitę noſtræ uiæq; dux Chriſtus Ieſus per multas afflictiones ingreſſus eſt in gloriam patris. *Crux malum neceſſarium domeſticum quotidianum.*

Quapropter & ego non amplius ferens, miſi ad hoc, ut cognoſcerem fidem ueſtram, ne quo pacto tentaſſet uos ille qui tentat & inanis factus eſſet labor noſter.

Absoluit cœptam narrationem. Cæterum idem dicit quod antea, sed alijs uerbis & alia ratione. Timotheum inquit in hoc misi ut cognoscerem num in fide perstiteritis accepta, & explorarem si quos subdola tentatione abduxisset satan, atq; in his protriuisset segetem uerbi dominici. Sic autem cuilibet fideli episcopo nunquam non diligentissime aduigilandum est, ne diabolus qui uelut leo rugiens obambulat quærens quem deuoret, ecclesiam nuper plantatam corrumpat, uel imbecilliora ecclesiæ membra abterreat, auertat, abducat.

Nuper autem cum uenisset Timotheus ad nos à uobis, & annunciasset nobis fidem ac dilectionem uestrã, & quod habeatis memoriam nostri bonam semper desiderantes nos uidere, quemadmodum nos quoq; uos. Idcirco consolationẽ accepimus fratres per uos super omni afflictione & necessitate nostra per uestram fidem. Quoniam nunc uiuimus si uos statis in domino.

Magno spiritu magnaq; gratulatione Thessaloniceñ. laudem expositione prosequitur, ubiq; uero interserit studium suum erga ipsos ardentissimum, ut totos sibi imò ueritati deuinciat, pseudapostolis abstrahat, quin & ad perseuerantiam incitet. Verba apostoli planiora sunt q̃ multa opus habeant expositione. Nihil est inquit malorum aut necessitatum mearum quibus premor, quod non æquo feram animo posteaq̃ cognoui fidei religionisq; uestræ robur perstitisse incõcussum. Timotheus enim rediens ad nos non potuit mihi satis magnifice prædicare primo fidem uestram dilectione efficacem & constantem in omnibus pressuris, deinde studium & amorem in me uestrũ, & quod disiunctio nostra non aboleuerit nostri apud uos memoriam. Signa ergo felicissimæ ac beatissimæ ecclesiæ sunt, si constans sit in fide & dilectione uera, si ueritatis præconem amet ex animo, rursus illa ab hoc diligatur impensissime. Elegans enim sentẽtia & imis est recondenda sensibus quæ sequitur, Nunc uiuimus si uos statis in domino. Sanctus enim episcopus ecclesiæ suæ salutem suam esse reputat. Dum enim recte habent res ecclesiæ, recte & ipse ualet: cum infirmantur & laborant, tum uita ipsi quoq; iniucunda & amara est. Hoc enim est quod alibi ab ipso Paulo in hæc uerba pronunciatur: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? Pseudapostoli contra, hoc unum agunt ut ipsis bene sit, nulla ratione habita qualis sit ecclesiæ conditio.

Felix ac beata ecclesia.

Quam enim gratiarumactionem possumus deo rependere de uobis super omni gaudio quod gaudemus propter uos in conspectu dei nostri, nocte ac die supra modum orantes ut uideamus uestram faciem, & suppleamus quæ desunt fidei uestræ?

Manifesta expositaq; sunt & hæc Pauli uerba. Dicit enim maius esse beneficiũ quod uidelicet in tantis turbis in fide perstiterunt, quàm ipse ullis possit gratiarumactionibus uel amplissimis assequi æquaréue. Non autem gaudeo ob rem meam sed uestrã inquit, quod uidelicet tanta largitate & munificentia deus dona sua in uos transfudit. Nemo autem ob dona dei accepta remissior fit. Vnde Paulus, Nocte ac die inquit supraq; modum indefesse & ardentissime oramus ut liceat aliquando uestro conspectu frui. Atqui præsentiam meam nolo uobis esse onerosam, sed utilem. Nam cupio sarcire ea quæ adhuc desunt fidei uestræ. Quid uero, ais, deerat illis quorum fidem hactenus tam splendide laudibus præconijsq; euexit? Principio ergo fides sua habet augmenta quæ subinde uel inter absolutissima dogmata excrescunt. Deinde quotidiana opera indiget Christiana disciplina, utpote quæ indies per lubricitatem carnis nostræ perq; impostorum deceptiones errores q; infirmatur. Proinde ecclesijs nequaquam satis est si leges dei sacrásue habeant uel diligentissime scriptas, nisi etiam accedat episcopi prudentis & constãtis authoritas quæ omnia secũdum leges æque iusteq; moderetur, & modum ponat petulantiæ & malitiæ hominum. Hic uero sarcit quæ desunt fidei.

Sarcit Apostol. quæ desunt fidei.

Ipse

Ipſe uero deus & pater noſter & dominus noſter Ieſus Chriſtus diri gat uiam noſtram ad uos, uos autem dominus abundãtes & exuberan tes faciat mutua inter uos charitate & in omnes, quemadmodũ & nos in uos, ut confirmet ueſtra corda irreprehẽſibilia in ſanctimonia coram deo & patre noſtro in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti cum omni= bus ſanctis eius.

Fauſta imprecatione finit hanc partem epiſtolæ, docens interim deum omnis boni authorem ſolum efficere in nobis omnia bona, & ſolum perpetuis defatigandum eſſe precibus quo bene cœpta feliciſſime abſoluat in nobis. Precor inquit deum ut impedimentis remotis uiam mihi ad uos aperiat, interim uero augeat uobis dona ſua ut exuberetis in dono charitatis, qua & uos mutuo complectamini, & erga cunctos homines ſitis officioſi, quemadmodũ uidetis me quoq; uos ſyncera & officioſa charitate cõplectit præterea oro ut cõfirmet corda ueſtra in uera integritate & ſanctimonia quæ deo ac patri noſtro non diſpliceat cum Ieſus Chriſtus cũ omnibus ſanctis ſuis uenerit iudicare uiuos & mortuos. Diſcimus ergo ex his præcipue unde omnia bona fluant, & à quo ſint petenda, deinde quæ potiſſimum nobis ſint petenda, nempe ut uias noſtras dirigat, dominus charitatem in nobis augeat, & corda noſtra confirmet, utq; integritas noſtra nulla ex parte culpari poſſit. Eſt em̃ & falſa fictáue ſanctimonia ſiue integritas, quæ damnabitur à iudice rerum omnium Chriſto cui etiam cordium abſcondita patent. Notanda eſt præterea dei unitas in ſubſtantia, & diſcrimen in perſonis. Clare enim hic unitas dei & patris & filij perſona exprimitur.

Quod ſupereſt igitur fratres rogamus uos & adhortamur per domi CAP. IIII.
num Ieſum quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat uos uerſari & placere deo ut abundetis magis.

Poſteriore parte huius epiſtolæ inſtituit Theſſaloniceñ. in pietate uera imò in memoriam reducit ea quæ prius de hac diligenter & copioſe tradiderat. Hic autem hortatur in genere ut non modo in tradita religione perſeuerent, uerumetiam ſeipſos ſuperare pergant. Hortatur uero per dominum Ieſum quo in orbe nihil eſt quod Chriſtiani pectus feriat ac commoueat ualidius. Hortatur inquam ut quando iam ſatis edocti ſint quid agant, & quomodo ſe gerant, & quibus ſtudijs deo placeant, in eo & pergant & quotidianis profectibus magis magisq; proficiant. Proinde intellexiſſe pietatis negotium, incœpiſſe hoc, imò & in hoc progreſſum eſſe aliquanto, non eſt ſatis niſi & profectus quotidianus accedat. Huc uero intenta eſſe debent omnia ſtudia noſtra. Nemo enim cauſſari poteſt quid faciat aut quibus ſtudijs ſe deo probet neſcire. Planis enim breuibus ac dilucidis uerbis hoc ipſum hic ab Apoſtolo exponitur.

Noſtis enim quæ præcepta dederimus uobis per dominũ noſtrum Ieſum. Hæc enim eſt uoluntas dei ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore, non in affectu concupiſcẽtiæ, quemadmodum & gentes quæ non nouerunt deum,

Repetit ſummarie præcipua uitæ præcepta, ea partim puritatem uitæ & continẽtiam præcipiunt, partim charitatem, æquitatem & iuſtitiã. Damnatur atq; proſcribitur hiſce luxus uitæ, libido, omnis petulantia & gentilis impuritas, præterea fraus, oppreſſio, uſura, & omnis impoſtura. Præmittit autem exordiolum quo iſtas leges ſiue præceptiones nobis commendat. Non ex nobiſipſis, inquit, has uobis leges præſcripſimus, ſed ſicut inſtituti ſumus à Ieſu Chriſto domino noſtro, ſicut ab illo accepimus ſic inquam tradidimus uobis. Meminerimus itaq; nos dei non hominũ leges tranſgredi quoties in has leges peccauerimus. Nam & ipſe apoſt. Paulus paulò poſt ſubiunget, Qui reñcit nos non *Præcipua uitæ præcepta.*

hominem reiȝcit ſed deum. Mira autē cum gratia, Hæc inquit eſt uoluntas dei, non, Hoc eſt prȩceptum dei: illud enim plus gratiæ & paterni amoris habet & quodam modo officium excitat poſtulátue filiorum qui non poſſunt non magnifacere & cum amore reuereri uoluntatem patris. Hæc eſt autem uoluntas dei inquit, ſanctificatio ueſtra, ut uidelicet animo & corpore ſancti ſimus, hoc eſt operam demus quo incōtaminati ſimus, ſiue ut ipſe Paulus ſeſe interpretatur ut à ſcortatione abſtineamus. Intelligit autē per πορνείαν omnem immūditiam, libidinem, fornicationem, adulterium, petulantiam, deniq; quicquid eſt rerum Venerearum, quicquid his adiacet & cognatum eſt. Sequitur iam aliud quoq; quod hoc exponit ſignificātius, Et ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore, &c. Intelligunt alij per uas uxorem, præcipiq; ab Apoſtolo ut quilibet uxore ſua pudice & moderate utatur, non abutatur per affectum concupiſcentiæ. Et ſanè conuenit Chriſtianas uxores ſancte & caſte diligere, non impudenter & quaſi ferina rabie illas ardere ac perdite amare. Chriſti enim charitas qua eccleſiā ſuam amat & honeſtiſſime & ardentiſſime coniugalis amoris typus ſiue exemplar eſſe debet, Epheſ. 5. Cæterum uidetur mihi Paulus loqui de corpore cuiuſuis Chriſtiani hominis proprio, quod ad proprietatem linguæ Hebrææ Vas uocarit, ipſa quoq; uoce alludens ad rem figulinam primamq; hominis cōditionem. Vt enim homo ſe fragilem eſſe noſſet, & rebus caducis ſe minime crederet, uel nimis teſtam hanc fictilem curaret genioq; indulgeret, de terra conditus legitur. Et Iſaias in 52. cap. hoc ipſo loquendi genere, Exite inquit de medio eius, mundemini qui portatis uaſa domini, id eſt uoſipſi qui eſtis deo conſecrati & templa ſancti ſpiritus mūdemini. Præcipit ergo Apoſtolus ut quilibet noſtrum corpus ſuum proprium quod à deo accepit, & quod ſibi ipſe deus in templum delegit cum ſanctificatione & honore (*mit zucht vnd eer*) poſſideat, purū ſcilicet & illibatum, non coinquinatum morbo turpium cupiditatum quo laborant gentes deditæ laſciuiæ, ebrietati, immunditiæ & omni luxuriæ fœdę. De quibus copioſiora dedimus in 4. cap. ad Epheſios, in Roma. 1. & 13. item in 4. cap. 1. epiſtolæ Petri, & in 1. ad Corinth. 3. & 6. & 2. Corinth. 6. capite.

Scortatio.

ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem ſuum: propterea q̄ dominus ultor eſt de omnibus his, quemadmodū & ante diximus uobis ac teſtati ſumus. Non enim uocauit nos deus immunditiæ cauſſa, ſed ad ſanctificationem. Proinde qui reiȝcit non reiȝcit hominem, ſed deum qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nos.

Prius præceptum eſt de puritate & ſanctimonia ne polluamus corpora noſtra, poſterius eſt de innocentia ne noceamus proximis noſtris. Dicit autem, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Eſt autem ὑπερβαίνειν ſuperare & tranſire, metaphorice uero opprimere, ſiue ut ipſe Paulus exponit πλεονεκτεῖν, hoc eſt fraudare, extorquereq;. Monuimus enim alibi πλεονεξίαν immodicam eſſe cupiditatem auaritiamq; circumſcribentem, quæ ſibi partem maiorem iuſta præcidit. Cum igitur negotiatio in rebus mortalium neceſſaria ſit: ſub negotia autem referimus uenditionē, emptionem, mutuum, locationem, & ſi quæ huius generis alia ſunt quæ pertinent ad commertia hominum, præcipit Apoſtolus ut in his omnibus omnis abſit fraus, uis, ars, mendacium, auaritia atq; dolus malus, ut iuſte & ſecundū æquas leges contrahamus, elocemus oīa q; negotia noſtra inſtituamus, *das wir niemants übertrǎngind vñ verſorteylind.* Damnatur hic omnis iniqua uſura, damnatur furtum, dolus malus, aliaq; fœneratoria, quæ & prophetæ paſſim accuſarunt. Iſaias in 58. Ezech. in 22. Amos in 8. cap. Regula uero agendi ſancte & iuſte in negotiȝ eſt, Quod tibi nolis fieri alteri ne feceris, et proximū tuum ſicut temetipſum dilige. Addit minas. Certè ſi non alio ſaltē hoc nomine ſanctimoniæ & innocentiæ ſtudendum erit, quod dominus ultor eſt de omnibus his. Neq; enim ſcortatores, neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculam Venerem exercentes, neq; potatores, neq; obſcœni & impuri, neq; fures, neq; fœneratores, auari uel rapaces regni dei hęreditatē accipiēt. Et q̄ grauiter in impuros & auaros ſemper animaduerterit dñs teſtant atq; multis

Fraus & deceptio.

Iudicium ſcortatorum et impoſtorum.

exponunt

exponunt ſacræ hiſtoriæ. Hoc ipſum & Paulus dum ageret apud Theſſalonicen̄, multis euidentiſſime expoſuit. Additur & alia cauſſa quæ abſtrahat ab impuritate & auaritia, Non enim uocauit nos deus immunditiæ cauſſa, ſed ad ſanctificationem. Hic enim eſt unicus euangelij ſcopus, ut credamus in Ieſum Chriſtum quem dedit nobis pater in redemptionem & ſanctificationem & mundemus noſipſos à peccatis ac ſceleribus. Vnde etiam D. Iacobus, Religio inquit pura & immaculata apud deum & patrem hæc eſt, inuiſere orphanos & uiduas in afflictione ſua, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo. Vides nimirum quàm iniqui & mendaces ſint quibus aliud non eſt in ore q̄ euāgelicos proculcatis omnibus bonis operibus omni impuritati aperire ianuam. Imò nos noſtra prædicatione ſceleribus ianuam claudere ſatagimus, uirtutes ſanctas euehimus, hypocriſim & ficta bona opera proculcamus. Iam ne quis obmurmurans obijceret, Quid mihi cum præceptis apoſtolicis negotij? Quis uero Paulus, quis Petrus erat? An non homines & miſeri & mortales erant? Reſpondet Paulus, Quæ proferimus cōtra ſcelera & de iudicio domini, non ex nobiſipſis, ſed oraculis dei proferimus. Deus enim dedit nobis ſpiritū ſuum, ut iam non ipſi ſed ſpiritus patris illa quæ audiſtis per nos ceu inſtrumenta pronunciarit. Proinde qui aſpernatur doctrinam noſtram, aut miniſteriū noſtrum, non nos aſpernatur qui ſanè homines ſumus miſeri atq; mortales: ſed ipſum deum qui per noſtrum miniſterium operatur in uobis. Huc uero pertinēt domini uerba, Qui uos audit me audit. Item, Quorum remiſeritis peccata remittuntur, & quorum retinueritis retenta ſunt. Hoc ipſum obijcimus hodie & impuris nebulonibus noſtris quiritātibus, Euangelium & uerbum domini nunq̄ contempſi, cæterū pſaffos illos dicaces, rixoſos ac obiurgatores odi. Quid em̄ eſt quod obiurgauimus? quid obſecro illud eſt quod uſq; adeo protractum & accuſatum dolet? Nimirū quod idololatriam ueſtram, corrupta iudicia, uenales ſententias, tyrannidem, olygarchiam & oppreſſionem pauperum, deniq; auaritiam inexplebilem, ſacrilegia & expilationes, largitiones & munera, quod bella & militiam, luxum & libidinem ueſtram, quod ſtupra, adulteria, fœnus, aleam, mendacia, atq; periuria, ambitionem, item faſtum, ſuperbiam, homicidia, ſeditiones, patriæ deſertionē proditionemq́, & rapinas ueſtras protrahimus atq; damnamus. Hinc nimirum uobis illæ lachrymæ. Verum iſtud non ſine deo facimus. Illa enim quæ nos accuſamus & damnamus in uobis, ipſe prior damnauit deus. Dum ergo pſaffos (ut dicitis) ſeditioſos & dicaces cōtemnitis, non nos cōtemnitis qui dei miniſtri ſumus & interpretes eius in populo ſuo, ſed ipſum deum uerum uiuum & æternum dominum noſtrum cui propediem, ni conuertamini, commeritas dabitis pœnas. Huc pertinet illud Exod. 16. Et dixit Moſes, Audiuit dominus murmur quo contra eum murmuratis, quid enim nos ſumus? Non contra nos ſunt murmurationes ueſtræ, ſed contra dominum.

Euangelica prædicatio non fauet ſceleribus & ſceleratis.

Cæterum de fraterna charitate nō neceſſe habetis ut ſcribam uobis. Ipſi nanq; diuinitus docti eſtis ut diligatis uos inuicem. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui ſunt in tota Macedonia.

Videtur loqui de operibus charitatis, præcipue de miſericordia & communicatione. Neq; enim ſatis eſt ut nō noceamus proximis niſi etiam proſimus pro facultatū noſtrarum proportione. Deſcribuntur autem charitatis ſiue miſericordiæ opera apud Matth. in 25. cap. Fons & origo horū eſt ſpiritus ſancti uirtus quæ operatur in credentibus. Hoc em̄ eſt quod Paulus dixit, Ipſi nanq; diuinitus docti eſtis ut diligatis uos inuicem. Omne enim bonum è ſupernis eſt deſcendens à patre luminum. Opulenti erant Theſſalonicenſes, plurimum ergo fratrum neceſſitates per uniuerſam Macedoniam ſubleuabant. Horū exēplo diſcant urbes locupletiores ſubuenire pauperibus & egenis. Diſcant præſentia aſpernari, æterna uero bona ambire & iuxta uerbum euangelij parare ſibi amicos de mammona iniquitatis, ut illi nos recipiant in æterna tabernacula.

Opera miſericordiæ.

Obſecramus autem uos fratres ut abundetis magis & in hoc incūbatis ut quieti ſitis & agatis res proprias & operemini propriſs manibus

uestris, sicuti uobis præcepimus ut uos geratis honeste erga extrarios, & nulla re uobis sit opus.

Labor & otiũ. Subiũcit hæc ad subsidium superiorum. Nam ex otio emergũt artes malæ & impostoriæ, hæ uero misericordiam corrumpũt. Hinc & ad Ephes. 4. cap. Qui inquit furabatur non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonũ est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. In præsenti, Obsecro inquit ut abundetis magis, hoc est ut operibus charitatis uosmetipsos superetis. Neq; enim hærendum est sed pergendũ in pietate, ut indies fiamus locupletiores. Verum ne desit facultas, dabitis operã ut quieti sitis, id est agatis res proprias. Nam per quietem non intelligit Apostolus otium iners, sed ne alienas res curent, proprias negligant, id quod rerum turbatores solent. Sic enim scribit in 2. ad Thessalonicẽ. 3. cap. Audiuimus quosdã uersantes inter uos inordinate, nil operis facientes, sed curiose agentes. Quin & in præsenti sese protinus exponens subdit, Et operemini propriis manibus uestris. Proinde res proprias agere et propriis manibus laborare est quietum esse. Nam ad tranquillam uitam permultum facit, si ipsi tibi uiuas, neminĩ sis oneri, nemini facessas negotium. Erant autem tum quoq; inertes quidã, qui prætextu religionis, uel negotiationibus inutilibus & curiosis uictũ sibi quærebant. Hodie totus orbis hisce uermibus fucisq; obnoxius exeditur atteriturq;. Nam quod sacrificuli, Pontifices, monachi monachæq;, lolhardi atq; ualidi mendici miseris reliquerunt mortalibus, id tyranni, monopolæ, propolæ idq; genus usurariorum alĩ uel ui uel artibus emungunt atq; auferunt. Hos omnes in ordinem redigerent quibus commissa est rerum administratio habenæ ue imperiĩ. Redigerent aũt in ordinem si iuberent esse quietos, laborare manibus propriis & res suas utiles & honestas agere. Sæpe enim hoc hominum genus ipsum uulgus in arma commouit & seditiones maximas excitauit, ut uel hodie ab iis maximum sit periculum. Plus nimio enim miseræ plebeculæ oneri sunt, ut impudentiam eorum & luxum taceam. Non quod omnem mercaturã damnem, inutilem, curiosam & circumscribẽtem tantum damnat Apostolus. Sed & cõmentantes in 4. cap. epistolæ ad Ephes. ostendimus hisce & similibus scripturæ locis non omnes cogi ad aratrum aut ligonem aut alias artes mechanicas quas manuum opera maxime perficiũt artifices, sed damnari modo otium & curiositatem. Sequitur iam ratio, Vt uos geratis honeste erga extrarios, apud quos turpe fuerit otiari, iniustis artibus uictum quærere, mendicare, opes partas prodigere & cõcoquere, deinde uero alienis opibus inhiare turbasq; pro his consequendis mouere. Oportet autẽ Christo initiatos innocentiores esse, quàm quos uincant gentiles. Proinde curet quilibet uestrum ne qua re sit opus, sed cuilibet sua suppeditet manus quod ad uictum uitæq; usum est necessariũ. Potest enim Nullius authore Erasmo, uel ad hominem referri uel ad rem. Curate ne quid uobis desit, aut, ne auxilium alienum implorandum sit. Quid uero ad hæc respondebũt Catabaptistæ monachi & Acolasti quidam quibus perpetuo in ore est illud domini, Nolite in craſtinum esse soliciti, dicentes, Quid edemus aut quid bibemus aut quibus operiemur? Hi norunt charitatis Christianæ prætextu frugi homines decipere, & mira hypocrisi insidiari diuitiis eorum, & iis tandem ipsos exonerare. Nescĩt fortassis aut nescire uolunt quod apostolus Paulus maximus sanè Christianæ charitatis præco, alibi quoq; dixit, Dilectio proximo malum non operatur, & quod hoc loco laborem præcipit, & ut ita nos geramus ne ulla re nobis sit opus. Huc iam pertinẽt egregia illa Diuerbia, Paupertas in pleriſq; est inimica bonis moribus, tametsi in quibusdam excitet ingenium. Magnũ uectigal parsimonia. Et, Sera in fundo parsimonia. Huc item pertinet pulcherrima Senecę ad Luciliũ epistola, quæ ordine 120. est, qua de parsimonia multis differit atq; docet nunq̃ parum esse quod sat est. Idem ille de tranquillitate uitæ lib. 1. cap. 9. Placebit inquit nobis mensura, si prius parsimonia placuerit, sine qua nec ullæ opes sufficiunt, nec ullæ non satis patent, præsertim cum in uicino remediũ sit & possit ipsa paupertas in diuitias se aduocata frugalitate conuertere. Asuescamus à nobis remouere pompã, & usu rerũ ornamenta metiri. Cibus famẽ domet, potio sitim. Discamus mẽbris nostris inuitis cultũ uictũq; non ad

noua

noua exempla componere, sed ut maiorum suadent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coërcere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aspicere, frugalitatem colere etiamsi nos pudebit desiderijs naturalibus paruo parata remedia adhibere, spes effrenatas & animum in futura eminentem uelut sub uinculis habere, id agere ut diuitias à nobis potius q̃ à fortuna petamus &c.

Cæterum nolo uos ignorare fratres de his qui obdormierunt ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes spem. Nam si credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, sic & deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo.

De dolore et luctu ppter mortuos suscepto.

Hactenus disseruit de officijs pietatis, sequitur nunc tractatio de fide resurrectionis & certa spe futuræ uitæ. Illa uero moderatur imò acrius corripit quorundam immoderatiorem luctum & dolorem propter defunctos morosius desperatiusq; susceptũ. Hunc enim cum ipsa fide & spe religionis nostrę ex diametro quod dicitur pugnare conuincit adeoq; incredulorum gentiliũmue non Christianorum esse ita ut Thessalonicẽn. solebant lugere. Humanitatis uero officia & misericordiæ opera (quod & alibi monuimus) per hæc non damnantur. Luxit enim patrem suum Ioseph, deniq; uiri religiosi curauerunt unà Stephanum feceruntq; planctum magnum super eum. Laudantur & Nicodemus & Ioseph Arimatheus quod iusta Christo dño persoluerunt. Proinde Paulus luctũ & dolorem moderatum, deniq; sepulchrales impensas necessarias non damnat, luctum gentilem & dolorem immoderatũ damnat. De hoc extat elegans Luciani libellus de Luctu inscriptus, ab Erasmo quoq; uersus. Ad luctum hunc pertinent Parentalia & ludi funerales, quorũ egregiam descriptionem habes apud Maronẽ Aeneid. 5. Quin & planis uerbis sese explicat Apostolus de quo dolore loquatur, nõ quolibet, sed quo dolent qui nullam spem habent Gentiles uidelicet, qui ut immortalitatem animarũ ponunt in dubium, ita resurrectionem corporũ planè negant. Fieri ergo non potest quin huiusmodi homines mortis memoria grauiter sauciet. Non enim intelligunt neq; credunt mortem esse transitũ ad sedes beatiores, aut mutationẽ cõditionis deterioris in longe meliorem, sed interitũ esse credunt, perijsseq; mortuos non antecessisse nos. Cæterũ spes Christianorum firmissime tenet mortuos suos non esse extinctos, sed dormire. Est aũt in uerbo hoc metaphora. Quemadmodũ enim somnus hominem non extinguit, sed ipsum corpus ad tempus in quiete detinet, ita mors ipsa hominem plane non perdit, sed ipsum hominis corpus motibus & operationibus suis exuit. Et ut membra somno data iterũ excitata mouentur, uiuunt & operantur, ita corpora nostra per potentiam dei resuscitata æternũ uiuent. Nemo enim dormitũ abit ut iaceat perpetuo: itaq; nemo sepelitur ut semper maneat in terra. Quemadmodũ item somnus in corpus imperiũ habet, in animam uero non habet, quiescẽte enim corpore uigilat, mouetur & operatur anima: ita immortalis est anima hominis, ipsum corpus modo morti obnoxiũ est. Mors enim aliud nõ est q̃ animæ separatio à corpore. Anima ergo uita est & spiritus immortalis. Corpus de terra sumptũ resoluitur in terrã, non tamen ut perpetuò maneat terra, sed ut aliquãdo resuscitetur de terra. Dormire ergo corpori nõ animæ cõpetit. Diuersum sentiũt Catabaptistæ, Nam toti homini tribuunt quod partis tantũ est. Ita transuersos agitat synekdoches ignoratio cum in hac caussa tum reliquis. Non expendũt quid in re qualibet uerũ, quid cuiq; rei tribuendũ, quæ quibus cõpetant, aut cum quibus repugnẽt. Porrò nemo dolet cum uel amicissimus abit à nobis ac membra somno dat. Nouimus eñ hunc rediturum ubi dormierit satis. Quid igitur dolemus adeò ob amici mortẽ? An uero mori aliud est q̃ dormire? Si eñ credimus, inquit Apostolus, quod Iesus mortuus est & resurrexit, profecto & hoc credimus quod deus eos quoq; qui in fide Christi excesserunt adducet cum illo. Cur enim nõ speremus in membris fore quod factũ est in capite? Adducet inquam cum illo, non ut perditos & extinctos per mortẽ, sed seruatos ad tempus & ueluti in somno detentos, ut nũc demũ cum Christus manifestatur qui caput nostrũ est, etiã membra sua hoc est nosipsi qui illi credidimus simul cum ipso manifestemur. Ipse eñ in euan

Christianorum mors somnus est.

gelio ſecundum Ioannem, Ego ſum, inquit, reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me non morietur in æternum. Et iterum, Amen amen dico uobis, qui ſermonem meum audit & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, ſed tranſiuit à morte in uitam. Amen dico uobis, quia ueniet hora in qua omnes qui in monumentis ſunt audient uocem eius & prodibunt, qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Verum de fide reſurrectionis copioſius diſputatum eſt in 1. Pauli ad Corinth. cap. 15. inde petas licebit quæ hic breuiora & obſcuriora uidentur.

Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quod nos qui uiuemus & reliqui erimus in aduentum domini nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba dei deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primũ, deinde nos qui uiuemus qui reliqui erimus ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum domini in aëra, & ſic ſemper cum dño erimus.

Hiſtoria reſurrectionis noſtræ.

Hiſtoriam reſurrectionis noſtræ graphice pingit, oculisq; contemplandam ſubijcit, ex qua intelligemus quomodo dominus noſter eos qui obdormierunt in fide Chriſtiana reducturus ſit in aduentu ſuo. Principio autem toti negotio authoritatem parans palàm edicit ſe illis non fabulam aliquam referre humanã, uerum ipſiſſimam domini traditionem. Hoc enim uobis dicimus, ait, in uerbo domini: quæ locutio perinde ualet ac ſi nos dicamus, Quæ nũc dicimus non ex nobiſipſis ſed ex ore domini hoc eſt ex doctrina & traditione eius dicimus: deinde ſummam rei ſubiungit & ait, Quod nos quos aduentus domini reſiduos hic & uiuos (horum enim perſonam in ſe docẽdi gratia tranſfert, & non ita loquitur quaſi ipſe uelit intelligi, ut Diodorus inquit, & ſe & alios reſurrectionis tempore in corpore reperiendos) deprehendet, non antea prodibimus obuiam Chriſto ſeruatori, quàm illi quoq; qui à mundi exordio obdormierunt, reſuſcitentur, hoc eſt tam uiui quàm mortui uno momento & quàm breuiſſimo temporis ſpatio coram iudice rerum omnium Chriſto aſtabimus integri. Nam in 1. ad Corinth. 15. cap. Canet ait, tuba & mortui reſurgent incorruptibiles & nos immutabimur, quos ſcilicet illa dies deprehenderit uiuos. Imò in præſenti ſeſe dilucidius exponens & modum reſurrectionis deſcribens, ait, Quoniam ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba dei deſcendet de cœlo. Deſcribit enim eum primo per quem corpora & reſuſcitabuntur & immutabuntur, deinde uero reſtitutionem & modum huius paucis ſubnectit. Non etenim uideri nobis poterit impoſſibilis eſſe reſuſcitatio, ſi prius intellexerimus quis & quantus ſit per quem fit reſuſcitatio. Primo igitur deſcribit Chriſtum dominum ſub iudicis bellatoris aſſertoriſq; ſiue uindicis perſona in conſpectum omnis creaturæ in potentia & maieſtate dei prodeuntem, ueluti regem quempiam & inſtructiſſimũ quidem illum cum pompa & exercitu ſuo, quem præcedant cornicines tubicinesq; fœciales atq; præcones aduentum regis annunciantes, & homines ad ſpectaculum prouocantes. Vnde cum hortatu dixit. Nam κέλευσμα hortatus, proprie eſt nautarum adhortatio inuicem ſeſe ad operas admonentium, tranſumitur autem ad quamlibet exhortationem alacrem, ut in præſentiarum. Intelligit enim Paulus ipſum dominum Ieſum per angeli uocem, hoc eſt per diuinam tubam excitaturum mortuos adhortaturumq; ut experrecti ſub ſua ſe abdant ſigna. Ergo hortatus ille aliud non eſt quàm uox archangeli, uox uero archãgeli aliud nihil quàm tuba dei, at hęc quid aliud eſt quàm uox filij dei? de qua apud Ioannem in 5. cap. legere eſt, maluit tamen hanc rem per iſtam uerborũ turbam pronunciare, ut aduenientis ſignificaret adũbraretq; potentiam. Nam & apud Matthæum ipſe dominus illa ipſa amplificatione utens, Videbunt inquit filium hominis uenientem in nubibus cœli cũ uirtute & gloria multa: & mittet angelos ſuos cum tubæ uoce magna, & congregabũt electos eius à quatuor uentis à ſummis cœlorum uſq; ad terminos eius. Vnde hic quoq; ſecundo loco ſequitur huius tubæ effectus, & reſurrectionis modus. Et

mortui

mortui inquit in Christo, hoc est qui à mundi initio obdormierũt in fide & spe domini Iesu, resurgẽt primum de terra uidelicet incorruptibiles, deinde uero nos qui uiuemus, id est reliqui erimus immutabimur in ictu oculi, & simul unà cum illis quos dei præsentia resuscitauit subito rapiemur per nubes, ut in aëre domino ad nos descendenti occurramus, atq; inde nos ille secum abducat in cœlum, uicturos secum in perpetuum, quem admodum olim orauerat, Pater uolo ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Et ne quis ad hanc sententiam ut nouam obstupescat, sciendum est quod hoc ipsum & prototypi nostri assumptio in cœlos nos docuit. Lucas enim: Postquã resurrexit, inquit, dominus per quadraginta dies se uiuentem exhibuit apostolis, & ueram resurrectionem suam ijs approbauit, deinde uero eduxit eos in montem Oliueti, & benedixit eis, ijsdemq; uidentibus in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum. Oportet ergo & membra, id est nos, resuscitari, in altum per nubes subduci, & æternum cum deo lætari. Nam & caput nostrum consedit ad dexteram patris. Atq; hæc est uerissima & simplicissima historia fidei & spei nostræ, quam nisi quis animo suo inscripserit absq; dubio peribit. Vides enim hinc transumptos esse illos professionis nostræ articulos, Credo Iesum Christum uenturum ac iudicaturum uiuos & mortuos, Credo carnis resurrectionem, & uitam æternam. Nec ignoro quosdam hæc Pauli & professionis nostræ uerba detorquere ad iustos & peccatores. Per mortuos enim intelligunt peccatores, per uiuentes autem iustos. Verum ea expositio iam olim & à Diodoro Tarsensi & D. Hieronymo ad Minerium & Alexandrum refutata est. Nam hic, uiuentes, inquit, non iuxta tropologiam sanctos accipimus qui peccato non mortui sunt, sed omnes quos in corpore adueniens Christus inuenerit. Quodq; sequitur, Non præueniemus eos qui dormierunt, ne quaquam ad peccatores referre debemus. Neq; enim peccatores cum iustis rapiẽtur obuiam Christo, sed eos quos mors dissoluerit. Verum quid ista perquiro, & apostolicis dictis calumniam facio, cum ipse manifestissime scribat, Qui refidui sumus in aduentu domini? Qui sint autem refidui uerbis discimus saluatoris, Sicut in diebus Noë ducebant uxores & nubebant, & repente uenit diluuium & tulit omnes: sic erit aduentus filij hominis. Quibus sermonibus approbatur in fine mundi multos uiuos & adhuc in corporibus reperiẽdos. Hactenus ex Diodoro Hieronymus. Ex ijs quoq; colligi potest & Chiliastas errare turpiter, & fabulas monachorum de 15. signis extremum iudicium præcedentibus esse emẽtitissimas. Illud uero magnum est quod semper cum domino erimus, hoc est, quod corpus & anima perpetuum gaudebit, uiuet & deo ipso summo uidelicet bono fruetur. Dignum sanè est ut quotquot hac spe gaudemus tam benigno ac munifico patri in innocentia uitæ seruiamus, cum ipse etiam Ioannes in Canonica sua dixerit, Videte qualem charitatem dedit nobis pater ut filij dei nominemur. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Charissimi nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quod futuri sumus. Scimus autem quoniam si apparuerit similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo purificat se, sicut & ille purus est.

Lucæ 24. Actor. 1. Marci 16.

Proinde consolemini uos mutuo sermonibus his.

Cõsolatio uera morientiũ et lugentium.

Vltimo tandem loco usum huius disputationis de fide resurrectionis ostendit. Hisce sermonibus inquit, de uera Christi resurrectione deq; membrorum Christi, hoc est corporum nostrorum resuscitatione, & de certa spe salutis æternæ, consolemini uos inuicem, ne uel ipsos morientes ipsa mors terreat & excruciet grauius, uel lugentes solicitos detineat in mœrore. Quid uero docent leges Pontificiæ? Consolemini uos inuicem in anniuersarijs, in sanctorum meritis & intercessione, in legationibus & testamentis, in sacrificorum lectionibus, orationibus, uigilijs, & officijs pro defunctis. Istorum traditionibus factum est ut in multorum cordibus uera cõsolatio obsoleuerit, & ut in ecclesiam redierit Gentilis ille lugendi ritus. Nihil enim discrepat nostra illa pro mortuis cura, ab ea qua Gentiles iusta suis celebrarunt mortuis. Cæterũ quibus authoribus quóue tempore hæc pestis inuaserit ecclesiam liquido non patet. Quidam retulere ad Pelagium

Pontificem Romanum qui paulò ante Gregorij magni tempora, aut huius ætate defunctis iusta facienda primus curauerit. Alij aliud diuinant: utcunq; uero ea res habeat illud longe certissimum est, quod his ritus apostolicæ doctrinæ & fidei resurrectionis speiq; Christianæ ex diametro repugnat: sacrificis sanè magno fuit cum honori tum emolumento. Hisce enim iustis totius orbis possessiones & opes suas fecerunt. Multo pientius de hoc negotio iudicãs Cæcilius Cyprianus in Sermone de mortalitate in hæc ipsa Pauli uerba scribens, Eos ait contristari in excessu suorum, qui spem nõ habent. Qui autem spe uiuimus & in deum credimus & Christũ passum esse pro nobis & resurrexisse confidimus in Christo manentes & per ipsum atq; in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de sæculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo domino ac deo nostro monente & dicente, Ego sum resurrectio qui credit in me licet moriatur uiuet, et omnis qui uiuit & credit in me non morietur in æternum. Si in Christum credimus fidem uerbis & promissis eius habeamus & non moriemur in æternum ad Christum cum quo & uicturi & regnaturi semper sumus læta securitate ueniamus. Quod interim morimur ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest uita æterna succedere nisi hinc contigerit exire. Non est exitus sed transitus et temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinat? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem & ad cœlestis gratię dignitatem uenire citius exoptet? Ista & his similia sanctus ille dei martyr de fide & spe nostra orthodoxe prodidit, ex quibus absq; negotio & liquide intelligimus quod nugas istorum nescierit, & sanè illas nescijsse felicitatis pars non minima est.

CAP. V. Porrò de temporibus & articulis temporum fratres non est opus ut uobis scribam. Ipsi enim plane scitis quod dies ille domini ut fur in nocte ita uẽturus est. Cum enim dixerint pax & tuta omnia tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

Tempus resurrectionis. Modum & ordinem resurrectionis descripsit, iam quædam & de tempore resurrectionis monet. Omnia uero transumpsit ex 24. cap. Matth. ex 17. & 21. cap. Lucę. Quid autem differant χρόνος καὶ καιρὸς tempus & temporis opportunitas siue articulus temporum, indicatum est in 1. cap. Act. apostо. Porrò in euangelio unde hæc desumpta sunt ita legitur, De die illo & hora nemo scit ne angeli quidem cœlorum, nisi pater meus solus. Sed sicut erant dies Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Multa erat autem hominum securitas confidentia & impudentia dum ueniret diluuium. Proinde impudens & confidens erit sæculum ante diem iudicij. Vigilate igitur, ait dominus, quia nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Quod si paterfamilias sciisset qua hora fur uenturus fuisset uigilasset utiq;, &c. Vtiliter uero deus latere uoluit diem illum ut semper sit paratum cor ad expectandum quod esse uenturum scit, & quando uenturum sit nescit. Cæterum de impijs intelligenda sunt quæ sequũtur de nimia confidentia & securitate. Impij enim omnes admonitiones contemnunt et in impietate sua pergunt, donec ad extremum perueniant. Id quod dominus in euangelio hisce notauit uerbis, Quod si dixerit seruus malus in corde suo cunctatur dominus meus uenire cœperitq; percutere conseruos imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus serui illius in die quo nõ expectat & hora qua ignorat & dissecabit eum partemq; eius ponet cum hypocritis. Et Paulus suppliciũ extremum interminans impijs quod nequaquam subterfugere possint similitudinem ducit à prægnante muliere quam subitus dolor partos occupat ante diem expectatum. Ea frequentissime occurrit in prophetis, ut uidere est Ieremiæ 6. 49. & 50. item Osee 13. & multis alijs in locis. Congruunt cum hisce uerbis Pauli quæ Petrus scripsit in posteriore epistola cap. 3. Breuiter omnis scriptura testatur impios contemptæ ueritatis pœnas daturos. Tametsi enim resurrectionis impiorum non meminerit Paulus in 4. cap. non tamen inde cõsequitur quod non sint resurrecturi. Quemadmodum enim sancti resur-

gunt

gunt in resurrectionem uitæ, ita prophani resurgent in resurrectionem iudicij, hoc est ut ardeant semper. Danielis 12. cap.

At uos fratres non estis in tenebris, ut dies ille uos tanquam fur opprimat. Omnes uos filij lucis estis ac filij dei, non sumus noctis neq; tenebrarum.

Occasione accepta ex superioribus adhortatur Christianos ad uigiliam, sobrietatem & sanctimoniam. Istis quoq; lenit quæ uidebantur duriora. De impijs inquit dixi quæ de repẽtino interitu dixi, de uobis meliora speramus. Non enim estis uos in tenebris desperationis scilicet delictorum atq; scelerum, ut periculum sit diem illum domini furis in morem uos occupaturum. Omnes enim filij lucis estis atq; diei, hoc est fideles qui ea faciunt quæ lucis sunt. Frequentissime uero occurrit hæc allegoria lucis & tenebrarum uersanti in sacris literis, unde cognitissima est quibuslibet, sed & à nobis sæpe expositа, ut Roma. 13. 2. Corinth. 4. Ephes. 4. & 5. *Adhortatio ad uigiliam & sobrietatem.*

Proinde ne dormiamus sicut & cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. Nam qui dormiunt nocte dormiunt, & qui inebriantur noctu sunt ebrij. At nos qui sumus diei, sobrij simus, induti thoracem fidei ac charitatis & pro galea spem salutis.

Dormiunt qui securi in suis stertunt uoluptatibus, nec dei uoluntatẽ inquirunt, neq; monitis eius obtemperant, sed animũ suum à deo prorsus abalienarunt. Sobrietas enim referri debet ad animi puritatem & synceritatem: ita & ebrietas ad omnes affectus & uitiorum furorem. Nam & Theophylactus, Ebrietatem uocat Apostolus inquit, non modo uinaticam illam sed quæ à quibusuis uitijs oritur temulentia quæ ipsius naturæ limites excedit mentemq; obtenebrat. Cætera plana sunt & alibi expositа, præcipue Ephes. cap. 5. Obseruanda uero est egregia, sed agrestis & minime operosa huius argumentationis structura. Qui dormiunt, inquit, & ebrij sunt, nocte dormiunt & ebrij sunt: uerum apud Christianos nulla nox est. Omnes enim sunt filij lucis & diei, proinde sobrij sunt Christiani.

Quoniam non constituit nos deus ut iram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur per dominum nostrũ Iesum Christum qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus siue dormiamus simul cum illo uiuamus. Quapropter adhortemini uos mutuo, ædificetis singuli singulos, sicut & facitis.

Vocatione quoq; dei inuitat nos ad uigiliam & sobrietatem. Non inquit uocauit nos deus prædicatione euangelij ut malum aliquod in nos deriuaret (ira enim accipitur pro dei uindicta) sed ut seruaret nos. Vnde æquum est ut tam benigno patri ac domino grati simus. Rursus ne quis suis uirtutibus suæ sobrietati suisq; uigilijs salutem hanc tribueret, commode interserit meritum passionis domini cuius ui seruati sumus. Cæterum uigilare & dormire hic alia ratione usurpauit quàm in superioribus. Vigilare enim uiuere est, Dormire uero mori. Atq; in his sanctis studijs iubet exerceant sese & mutuis hortationibus se inuicem animent quo alacrius in omni pietate pergant. Id quod nobis quoq; dictum putabimus quibus salus curæ est. *Ioannis 5.*

Rogamus autem uos fratres ut agnoscatis eos qui laborãt inter uos, & qui præsunt uobis in domino & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatem propter opus illorum, pacem habete cum illis.

Sequuntur iam institutiones quidamq; uelut aphorismi mire faciẽtes ad bonam ecclesiæ constitutionem. Principio autem commendat Thessaloniceñ. ut aliâs sæpe uerbi ministros, quibus ut potissima in ecclesia functio delegata est, sic iure diuino debetur & *De ministris uerbi, & quid ijs debeat ecclesia.*

honor & uictus, ut latius expositum est 1. Corinth. 9. & Galat. 6. cap. Agnoscere autem aliquem est eius rationem habere, operiq; mercedem rependere, quæ locutiõ & Germanis usitatissima est. Dicimus enim, *Er hats nit erkennt*, pro eo quod est ingratus fuit & debita mercede fraudauit. Cæterum laborantibus non otiosis debetur uictus. Ignoro itaq; quo iure quáue impudentia hodie quidam à misera plebecula exigant tributa & census, cum ne fibrijpsis interim prosint, tantũ abest ut reipublicæ uel ecclesiæ dei sint usui. Paulus eos inquit agnoscite qui laborant inter uos, id est qui præsunt uobis in domino, in diuinis scilicet & ecclesiasticis muneribus seu functionibus, præcipue autem in admonendo, id est docendo, arguendo, adhortando & consolando, speciem enim pro genere posuit, omnesq; docendi instituendiq; partes intellexit. Isti uero uel propter inanem titulum quod episcopi & proceres ecclesiastici dicũtur, uel propter res ludicras susceptas & superstitiosius administratas omnia penè orbis regna sibi iure quodam diuino & humano deberi iurant. Notissimi enim sunt Canones Pontificij. Rursus laborantibus fideliter non modo debẽtur uitæ necessaria, quin & ijdem summo inquit in pretio habendi sunt, idq; per charitatem & propter opus illorum. Per charitatem inquam, ut honorificentia sacerdotis (Ambrosij uerbis utimur) non de timore magis fit sed de amore, ut etiã illi profitiat qui facit. Res enim quæ sponte non fit ad effectum nõ peruenit, quamuis ad præsens profitiat sumenti, nihil tamen proderit in futuro dãti. Præterea charitas neminem iusto fraudat honore, sed et grata est & optimos maxime diligit. Iam & ipsum opus quod faciunt ministri sanctum, flagitat ut ipsos habeamus in pretio. Si enim commendatissima nobis est salus innocentia & ueritas, non possunt nobis contempti uideri ministri siue doctores salutis innocentiæ & ueritatis. Si magnifacimus eum qui misit, certe in pretio nobis quoq; erit legatus. Nam Ioann. 13. ipse dominus, Amen amen dico uobis, ait, Qui recipit quemcumq; misero me recipit, qui autem me recipit recipit eum qui me misit. De hac ipsa re annotauimus quædam & in 4. huius epistolæ capite. Abusi sunt his & similibus locis pontificij authoritatem sibi ex his parantes, cum interim negotium domini insyncere agerent, imò non domini gloriam quærerẽt, sed suum ipsius emolumẽtum: unde ipsos suapte sponte currere non à domino missos uenire apparuit. Iam cum etiam secundum Comici sententiam, Obsequium amicos, ueritas odium pariat, & nemo nostrum æquo pacatoq; animo liberiorem correptionem ferat, interim ministri uerbi ex officio cogantur liberius seueriusq; corripere delinquentes, non temere Apostolus adiecit, Et pacem habete cum illis. Paraphrastes integrum hunc locum pauciss imis uerbis mira felicitate expositit. Sic uero habent eius uerba, Quin & illud rogamus uos fratres, ut rationem habeatis eorum qui laborant inter uos quiq; præsunt uobis in euãgelica doctrina, quiq; admonent uos quibus rebus oporteat placere Christo, ut cum oporteat omnibus deferre honorem, hos tamen præ cæteris habeatis in pretio referentes illis charitatem quam præstant uobis tot laboribus ac periculis uestra causa subeundis. Et si quando uos arguunt delinquẽtes, tamen habete pacem cum illis. Neq; enim odio dignus est qui arguit ut prosit. Intelligunt omnes opinor quàm feliciter haberent ecclesiæ si hæc Pauli præceptio ullum haberet locũ: nunc cum uerbi ministerium à multis uel inter diras numeretur execrationes (ministri enim ceu reiectamenta uel ab illis habentur quibus subinde in ore est Christus & ueritas, egent præterea & à mendicis parum differunt) nil mirũ si infelices sint ecclesiæ & porrò infeliciores futuræ. Haud enim unquam diuina iustitia uerbi sui & ministrorum contemptum æquius pertulit. Nolim tamen hinc ansam sibi accipiant quidam ambitione perditissima insanientes, & nihil aliud quàm gloriam mundi spirantes, ut scilicet hæc prætexant, & suum interim negotium agant tutius & fauorabilius. Quæramus ante omnia, ô fratres, dei gloriam & ecclesiarũ salutem. Satis erit si ecclesiæ in nobis reuereantur Christum & ueritatem eius, nos uero ministros agnoscant quibus immarcessibilis corona parata sit non ab hominibus, sed pastorum principe Christo, si modo in finem usq; fidem seruauerimus. Sic nos, inquit alibi Apostolus, æstimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum dei. Illud uero requiritur in dispensatoribus ut fidus aliquis reperiatur. Item,

Quis

Quis igitur est Paulus? Quis Apollos? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; dominus dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Itaq; nō qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum deus. Præterea ut suam ipsius gloriam in uerbi ministerio nemo quærere debet, ita emolumentum nemo spectare. Sunt enim qui isto domini uerbo, Dignus est operarius mercede sua, opes sibi & thesauros congerere cogitant, quorum auaritiam nemo explere potest. Modus ut in re qualibet ita in hac quoq; sit oportet. De hoc & D. Ambrosius disputans in hunc Pauli locum hęc dedit, Presbyteros in alia epistola dicit duplici honore honorandos qui laborant in uerbo & doctrina. Potest enim pigere eum qui per inopiam patitur exercitiū facere quod prosit audiētibus. Quid enim prodest honorem sine fructu habere? Aut quid magnum est ei offerre carnalia qui tribuit spiritalia? Sicut enim diuitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas dum saturari quęrit à iustitia declinat. Hinc Solomon nec nimis diuitem se petit fieri nec egestosum. Et hæc hactenus.

Obsecramus autem uos fratres monete inordinatos, consolamini pusillanimes, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes. Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini, tum erga uos inuicem tum erga omnes. Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim est uoluntas dei per Christum Iesum erga uos.

Porrò ne omne onus humeris insideret ministrorum consulte & necessario addit, Obsecramus autem uos fratres ut uos quoq; quicunq; nomen Christi inuocatis partes iuuetis illorum. Nunquam enim defuerunt aliâs qui non citra inuidentiam obiicerent, Quid mihi negotij cum corruptis quorundam moribus, ministris uerbi suppeditantur necessaria ut inuigilent doceant moneant & corripiāt, horum ergo est desperatis rebus consulere, nolo ego me aliena inuidia, propter religionem à qua nihil emolumenti expecto, degrauare. Cæterum ipsa experientia docuit quàm pestifera fuerit illa inuidentia & mollities perpetuo ecclesiæ dei & quantum illa ex hac acceperit detrimenti. Curandum ergo nobis si sapimus ut quisq; pro sua proportione admonitione tēpestiua rebus consulat uel corruptis uel ad corruptionem propendentibus. Neminerimus multorum opera & studijs ædificari urbes, & iuxta diuerbium unum uirum nullum esse uirum. Verissime enim Euripedes inquit, μιᾶς γὰρ χθρὸς ἀσθενὴς μάχη, id est, Nā solitariæ manus inualida pugna est. Item, ἓις ἀνὴρ οὐ πανδόρᾳ, id est, uir unus haud uidet omnia. Theophylactus hæc omnia refert ad ministros uerbi. Verba eius hæc sunt. Hoc loco ad præcepto res diuertit sermonem. Neq; enim per licentiam inquit & arrogantiam alios incesseritis sed leniter castigate. Nam qui peruersis est moribus pertinatior fiet in malo si acerbius forte corripiatur. Tantū Theophylact. Sanè quod istis instituerit uerbi ministros quid faciant quibúsue rebus inuigilent non displicet. Inordinati porrò sunt qui occlamāt ueritati, pacem publicam interturbant, sua prodigūt, aliena cupiunt, malis artibus plebem circumueniunt, ecclesiam item onerant & sceleribus suis sanctos offendunt. Hi doctrina sana coram omnibus redarguendi sunt ut cæteri timorem habeant. Pusillanimes uoluptatibus mundi paulò addictiores ad tentationes facile trepidant. Hi ergo stabiliendi & consolandi, quemadmodum & infirmi in fide officiose susciendi sunt. Roma. 14. Patientia uero iusta facit ut hæc omnia bona fide faciamus. De cæteris diximus in 12. cap. ad Rom. 1. Pet. 3. & 4. in Philip. cap. 4. In fine adijcit sententiam quæ superioribus omnibus paret authoritatē. Hæc est enim uoluntas dei inquit, per Christū Iesum erga uos. Quasi dicat, Atq; hæc quidem habebitis uobis commendata, si quidem deum amatis. Is enim per Christum uoluntatem suam nobis aperuit, nempe quod per illum nobis placatus sit & quod in istis nos ambulare uelit. Hæc enim sunt illa ipsa præcepta quæ nobis Christus tradidit 1. Thess. 4.

Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. Omnia pro-

bate, quod bonum fuerit tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete.

De prophetijs et probādis ijs.

Ad tranquillitatem & pacem eccleſiarum illud maxime facit, ſi cum ipſi antiſtites religionis tum ipſa plebs norint bene uti donibus ſpiritus ſancti. Solent oriri nōnunquam diſſidia ex diuerſitate donorum, dum quibuſdam nihil probatur niſi quod ipſi fecerint. Hi aliorum ſcripta & dicta etiam pia uel palàm improbant uel apud ſeſe contemnunt. Contra horum inſolentiam arrogantemq; contemptum aliorum Apoſtolus Spiritum ait ne extinguatis: ſubdensq; ſuæ ſententiæ expoſitionem dicit, Prophetias ne aſpernemini. Intellexit ergo per ſpiritum dona ſancti ſpiritus, ſapientiam, donum linguarum, eloquentiam adeoq; ipſam prophetiam & interpretationem ſcripturarum uel doctrinam, exhortationem aut conſolationem piam. Ita enim explicatius de Prophetia mentem ſuam expoſuit in 1. ad Corinth. cap. 14. Extinguere uero aſpernari eſt cōtemnere & opprimere. Ex hac apoſtolica traditione ab ipſa Chriſtianæ religionis apoſtolica prædicatione uaria opera de pietate cum à Græcis tum Latinis pro utilitate eccleſiæ, & rerum temporumq; neceſſitate prodierunt in lucem. Alij enim ſcripturas ſacras expoſuerunt, alij pugnarunt aduerſus hæreſes & hæreticos, alij adhortati ſunt ad pietatem, impugnarunt idololatriam & ſuperſtitionē, docentes quæ uera pietas, quæ impietas, alij afflictos pro nomine dei ſcriptis epiſtolis & tractatibus uarijs conſolarunt, multi apologias & apologeticos ſcripſerunt pro fide & religione noſtra, reſponderunt quidam calumniatoribus & falſa pro ueris proponentibus, neq; defuerūt qui hiſtoriam ſcriberent eccleſiaſticam. Id quidem uidere eſt in operibus Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Lactantij, Athanaſij, Euſebij & multorum aliorum. Quin poſt tot tantosq; ſcriptores ſiue prophetas emerſerunt poſteriori ſæculo haud pauciores qui eodem propè tempore contra uarias certarunt hæreſes & eoſdem ſcripturæ ſanctæ libros diuerſis expoſuerunt ſententijs. De Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi atq; Chryſoſtomi temporibus loquor. Neq; uero inutiles eccleſiæ & fuiſſe & adhuc eſſe conatus illorum quiſquam dicet, niſi qui uel iſtorum opera non legit uel ſine iudicio legit. Porrò de prophetia ſæculi poſtremi nunc nihil dicam cum quod indoctior impuriorq; tum quod à ſcripturis alienior facta ſit. Plus nimium tribuerunt ſanctis patribus, crediderunt his (tametſi negent maxime) ut ſcripturæ canonicæ. Teſtimonijs enim illorum ut canonicis uſi ſunt Nō expenderunt quo tempore, qua occaſione & contra quos ſcripſerint iſti, & quod nonnunquam ſibijpſis repugnarunt, quod quædam recantarunt, quædam alibi planius expoſuerunt, quædam ſuis temporibus ſuisq; hominibus dederunt, quædam effuderunt calore diſputationis excitati. Atqui ita inquis plus negotij habebit interpretum lectio, quàm ſcripturæ canonicæ. Sanè qui hanc uel illos legere uelit, meminerit ſibi fide pura & pietate uera in primis, deinde iudicio quoq; opus eſſe, quanquam hæc multa paretur exercitatione & uſu frequenti, illa uero conferatur cœlitus gratuita dei munificentia. Certè qui ueterum cōmentarijs utitur ad explicandas ſacras literas non parum inde emolumenti percipit. Alius alio dono inſtructus ſuppeditat quod utile eſt. Vel certe monet & occaſionē dat cogitandi quæ ad eius loci ſenſum genuinum pertinent. Non quod ex patribus ſenſum ſcripturæ inferre iubeam, ſcriptura enim ex ſeipſa & per ſeſe per fidei & charitatis regulam exponenda eſt, de iudicio & probatione loquor, & quod ſanctus ſpiritus uaria in iſtos dona transfudit propter nos, quæ nemo pius contemnere debet. Verum non inſtitui hic diſputare de omnium ſanctorū libris & quomodo legendi ſint, in genere tantum moneo prophetias iuxta hoc Pauli dictum præſens non eſſe aſpernandas & quod ſpiritus per prophetas fideliter ſemper dona ſua in nos trāsfuderit. Hodie quoq; uarijs donis ingenijsq; locupletauit nos diuina bonitas. Iam quis tam iniquus qui hæc dona extinguat, & prophetas loqui prohibeat, niſi qui ſe ſuaq; quærens ambitione quadam inuidet omnibus? Cæterum ſi ſine delectu, ais, cuiuis liberum erit & dictare & ſcribere prædicareq; quidlibet, quid aliud ex pietate quàm omnium rerum confuſio exiſtet? Atqui nos de prophetia & donis ſpiritus loquimur, non de libidine garriendi, peruertendi & mentiēdi. Quin & apoſtolus Paulus, Omnia inquit probate, quod bonum eſt tenete. Et alibi, Probate ſpiritus num ex deo ſint. Item, Spiritus prophetarum prophetis

ſubijci-

ſubñciuntur. Lydius lapis & regula probandi dogmata eſt ſcriptura canonica, præterea fides & charitas Chriſtiana atq; gemina illa ſicut Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana quoq; tradidit, cuius uerba recenſui in 8. capite Actorum apoſtolorum. Quod ergo ſcripturis conſonum eſt, quod fidei & charitati non repugnat recipiendum eſt. At ſi pius aliquis uel ſui oblitus uel occaſionibus certis ſibñpſi ereptus effutiuit aliquid imprudentius prudenter & cum reuerentia quadam ab illo declinemus. Neq; enim impudentius & procacius ſuggillādi ſunt propter unum atq; alterum lapſum qui per omnia eccleſiæ dei & ueritati bene uoluerunt. Euſebius libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ 7. capite 6. ex Dionyſio Alexandrino hiſtoriam ſcribit quæ huc quoq; pertinere uidetur. Vltimo loco, Ab omni ſpecie mala, inquit, abſtinete. Quaſi dicat, Ab ijs uero quæ deprehenderitis eſſe mala, adeo abſtinebitis ut uel ab omnibus quæ ſpeciem mali habent cauere debeatis. Germani hanc ipſam ſententiam feſtiue admodum in hæc uerba proferunt, *&wår nitt rm dieb ſin wil, ſol ſich ouch nit dieblich baren.* Breuis eſt ſententia, ſed multis modis pectori inſculpenda.

Ipſe autem deus pacis ſanctificet uos totos & integer ueſter ſpiritus & anima & corpus, ita ut in nullo poſſitis culpari, in aduentu domini Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt qui uocauit uos, qui idem efficiet.

Claudit epiſtolam felici imprecatione. Partes recenſet, totum intelligit hominem, imprecaturq; ueram illis ſanctimoniam, quæ ſyncera & integra non eſt, niſi anima ſimul & corpus pura ſint, in primis uero ipſa fides ſyncera ſit, qua purificatur homo, Acto. 15. Galat. 5. Varie hunc locum interpretarunt ueteres. Plura de eo ſcripſit diuus Hieronymus in quæſtionibus ad Hedibiam quæſt. 12. Ego per ſpiritum intellectum fidei ſpiritualem adeoq; ipſam mentis lucem fidem uidelicet intelligo, per quam regeneratur homo qui conſtat anima & corpore. Addit ſpem fore ut uere ſanctificentur. Fidelis, inquit, eſt deus qui uocauit uos, idem ergo efficiet ut fides in uobis ſancta & animā & corpus conſeruet, & ab omni pollutione cuſtodiat. De ſanctificatione dictum eſt in quarto capite primæ epiſtolæ.

Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes cum oſculo ſancto. Adiuro uos per dominum ut recitetur hæc epiſtola omnibus ſanctis fratribus. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit uobiſcum. Amen.

Planiſſima ſunt hæc & in alijs expoſita epiſtolis, niſi quod hic diſertis uerbis omnibus credentibus hæc epiſtola proponitur legenda. Ad omnes enim pertinet quod paucis ſcripſit.

FINIS.

ARGVMENTVM POSTERIORIS EPISTOLAE AD THESSALONICENSES.

APparet posteriorem hanc Pauli ad Thessalonicenses epistolam priori coronidis siue subsidij uice statim post hanc additam esse. Copiosius enim in illa tractat quædã quæ in hac delibarat parcius. Et initio quidem adhuc prædicat fidem Thessaloniceñ. Quod in multa tentatione atq; afflictione constanter durauerint. Quamobrem his pollicetur refrigerium & uitam sempiternã, aduersarijs uero incendium & interitum perpetuum, ut confirmaret eorum animos. Deinde quia in priori meminerat aduentus domini & resurrectionis mortuorũ, intellexerant quidam iam nunc imminere illa, proinde ostendit in hac dominum non prius uenturum quàm reueletur filius perditionis, hoc est antichristus, cuius aduentum ac regnum sed & interitum graphice pingit, certè ut posterius sæculum commonitum sibi ab ea peste caueat. Postremo iterum atq; iterum inculcat in ordinem redigendos esse qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum. Horum enim & in 4. cap. prioris epistolæ meminerat. Breuis quidem epistola est, sed mire utilis & docta. Stilo nil differt à superiori neq; eruditione inferior est. Aiunt & hanc Athenis à Paulo scriptam & per eosdem missam. Theophylactus per Titum & Onesimum putat missam.

CAP. 1. PAulus & Siluanus ac Timotheus eccleſiæ Theſſalonicẽſium in deo patre noſtro & domino leſu Chriſto. Gratia ſit uobis & pax à deo patre noſtro & domino leſu Chriſto. Gratias agere debemus deo ſemper de uobis fratres, ut par eſt, quod uehementer augeſcit fides ueſtra & exuberat mutua ueſtra omnium charitas cuiuſq; in alterum, adeò ut noſipſi de uobis gloriemur in eccleſijs dei de tolerantia ueſtra & fide ſuper omnibus perſecutionibus ueſtris & afflictionibus quas ſuſtinetis documentum iuſti iudicij dei in hoc ut digni habeamini regno dei pro quo & patimini.

Gratulatur Theſſaloniceñ. & gratias agit deo pro conſtantia illorum & incremento uirtutum. Ex quibus nos primo diſcimus, ut ſi quid per nos bene geritur gratias deo agamus nec id noſtræ uirtuti adſcribamus, ſed illi accẽſeamus rerum omnium ſummam, nec quoquã pacto ob rem bene geſtam inſoleſcamus, neq; putemus abſolutos nos eſſe ſi uirtutum ſplẽdore ſubilluſtres ſimus, de incremẽto ſubinde cogitabimus, & ut noſipſos in omni uirtutum ſtudio ſuperemus. Secũdo diſcimus ex his uirtutibus alienis nequaquam inuidendum eſſe, ſed congratulandum potius, imò & pro fratrum profectu & exemplo laudandas. Repetuntur item præcipua religionis noſtræ capita fides, charitas & tolerantia, longe alia quàm quæ Pontifex cum monachorum turba nobis recenſuit. Quod autem eccleſias non ſuas ſed dei uocat, humilitatis & fidei eſt. Perfidi enim fiunt qui cum ſerui dei & miniſtri eccleſiarum ſint, dominos ſe uocari flagitant & dictaturam ſibi in alienos ſeruos uſurpant. Docet præterea hic locus ſanctos perſecutionibus obiectos perpetuis exerceri afflictionibus. Et has quidem ὑπόδειγμα, id eſt oſtenſionem, demonſtrationem ſiue exemplum iuſti iudicij dei eſſe, hoc eſt quod iuſte pereunt impij, pij uero digni habeantur iudicenturq; regno dei pro quo multa mala perpeſſi ſunt. Sic enim pœnis & præmijs propoſitis ſanctos conſolatur & erigit. Cæterum ſi quis huius loci præſidio contendat afflictionibus noſtris deberi ſalutem non paſſioni & ſanguini domini tantum, illud quoq; expendat quod ad Romanos idem ille dixit, fidei beneficio nos non operum merito iuſtificari. Liberalitatis ergo & paternæ beneficentiæ eſt quod uita æterna dicitur nobis iure cõferri, & nos per afflictiones regno dei dignos fieri, cum conſtet omnem idoneitatem noſtram ex deo eſſe, & gratia dei nos beari. At diuina munificentia noluit animos noſtros deijcere, & ueluti mendicitate ad remiſſionem faſtidiumq; prouocare. Proinde loquitur ſcriptura quaſi nos aliquid mereamur, digniq; regno dei efficiamur, ut uidelicet alacriori animo omnia perficiamus. Sed de hac re alibi diſputauimus.

Siquidem

Siquidem iustum est apud deum reddere ijs qui affligũt uos afflictionem, & uobis qui affligimini relaxationem nobiscum.

Caussa est qua exponitur quomodo tribulatio sanctorum sit exemplum iusti iudicij dei. Vnde & D. Ambrosius perpulchre, Quoniam, inquit, exemplum iusti iudicij dei apparere dicit siue in bonos siue in malos, idcirco subsequutus ait, Siquidem iustum apud deum ut reddat unicuiq; secundum opera sua. Quid tam iustum ut qui in sæculo bonos deprimunt & extorres faciunt persecutionibus in futuro eadem patiantur quæ faciunt: illi autem ut sint in requie cum cæteris sanctis qui de magna tribulatione uenientes regnum accipient æternum? Nam Apostolus ἄνεσιν relaxationem siue refrigerium ac refocillationem opposuit tribulationis incendio in quo sancti in hoc mundo fine intermissione exercentur. Vbi enim hinc excessum fuerit cessabit omnis labor & dolor, succedetq; quies & gaudium: impijs diuersa euenient. Vnde in euangelio dictum legimus diuiti epuloni, Fili recordare quod acceperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic solatio fruitur, tu uero cruciaris. Ab his nihil discrepant quæ leguntur 4. cap. lib. Sapientiæ. Hæc autem fideli memoriæ recondenda sunt ut in die malo aduersus tentationes satanæ in ueritate & iustitia perseueremus. Impiorum enim felicitas qua in hoc sæculo perfruuntur & sanctorum tribulatio conditioq; inauspicatissima uehementer solicitant animos nostros, ut deserto regno dei amplectamur sæculum præsens. Meminerimus ergo iusti iudicij dei & uicissitudinis omnium rerum. Fuerũt etiam prophetarum temporibus contemptores dei & huius sæculi homines qui cum nostris impiorum felicitatem prædicantes, & sanctorum pericula suggillantes dixerũt, Fruſtra seruitur deo, non enim ullum ex eo emolumentum est, quod præcepta eius custodiuimus. Videmus autem superbos cordatioresq; beatos esse, & qui faciunt impietatem ædificari, deniq; saluos esse qui deum tentant. Quid uero hoc aliud est q̃ quod hodie obijci tur cultoribus dei, *was glücks hat der gloub ye gehebt?* Sed quid respondet Malachias, Attendit istud dominus atq; audiuit, & scriptus est liber memorialis coram domino, uidebitisq; aliquãdo multum esse discriminis inter iustum & impium, inter seruum dei & contemptorem, Malachiæ 3.

cum reuelabitur dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs qui non nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent interitum sempiternum à facie domini & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus quod fides habita sit testimonio nostro erga uos in die illo.

Hypotyposi quadam uerbisq; magnificis aduentum domini Iesu & modum iudicij oculis subijcit. Erit aduentus ille omnibus sanctis gratissimus exoptatissimusq;, impijs admodum insuauis & tristificus. Singula aũt uerba suam uim & suum pondus habent. Nunc inquit uerbis modo geritur res, sed tum cum finis omnium rerũ accesserit palàm apparebunt, de quibus per multa sæcula omnes sancti disputarunt. Nam ipse dñs Iesus cui omnis potestas in cœlo & in terra data est, cuius iudiciũ omne est, è cœlo specie corporali prodibit in iudiciũ omnis carnis. Iam habitum iudicis potentissimi & omnibus hostibus horrendi amicis exoptatissimi describit. Prodibit inquam è cœlo, non iam ut quondam repens in terra, nec humilis & despectus ut primo apparuit aduentu, sed stipatus angelico satellitio. Legimus enim Daniel. 7. Et mille millia ministrabant ei, & decies mille myriades astabant ante eum. Quemadmodum ergo potentissimus aliquis rex delecto & forti exercitu instructus in hostẽ mouet, sic ipse dñs Iesus ministerio angelorum utetur in opprimẽdis impijs & asserendis pijs. Idcirco angelos potentiæ dei appellauit, utpote per quos potentiã suã exercet deus. Neq; mitis nunc & placidus & ad sanandum improbos prodibit, sed armatus horrendo flãmeoq; incẽdio. Testatur & apost. Petrus

dominum iudicaturũ ſæculum per ignem. Et propheta Dauid habitum iudicis dei deſcribẽs Pſalm. 18. Ignis, inquit, ante ipſum præcedet, mittet ſagittas ſuas & diſſipabit eos, fulgura eiaculabit & perdet eos. Et Daniel, Fluuius igneus ait erumpebat & egrediebatur à conſpectu eius. Præterea diſertis uerbis explicat Paulus quos aduentu ſuo perditurus ſit dominus. Infliget ultionem, id eſt rependet per iram ſuam ijs qui deum non nouerunt, uel certè noſſe noluerunt, qui mundum ſectantes præcepta eius non curauerunt, & non obedierunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti. Id quod præſenti negotio admodũ quadrabat. Obedierant enim euangelio Theſſalonicenſes, & huius rei gratia perſecutionem patiebantur. Suaue itaq; erat audire obedientiam ſuam ipſis fore ſalutarem, & aduerſarijs perſequentibus exitialem. Iterum uero idem quod iam dixerat repetens alijs uerbis, Qui pœnam, ait, luent. Sic enim ultionem infligit. Supplicium enim de contemptoribus iſtis ſumit dum ipſos æterno incẽdio addicit. Sic enim & apud Danielem legimus, Et multi qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, hi ad uitam perpetuam, & hi ad opprobria & incendium ſempiternum. Ad eum modũ pronunciat & iudex apud Matth. in 25. cap. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Et ibunt in ſupplicium ſempiternum. Et D. Ambroſius egregie, Impij debitas inquit pœnas reddent interitus inæternũ ſemper ſentientes, non tamen penitus deficientes, ut ipſa pœna illos quodam modo generet ſemper quo conſumãtur. Proinde ſeducunt & ſeducuntur quotquot ſibi pollicentur liberationẽ ex gehenna, & fingũt poſt iudicij diem impios quoq; ueniam conſecuturos. Id quod Origenem ſenſiſſe aiunt neſcio q̃ uere, certum eſt Catabaptiſtarum quoſdam hoc tradidiſſe palàm. Hinc uero claret q̃ mendaciter & impie. Impij enim ſempiterna morte peribunt. A facie domini, id eſt adueniente domino & à gloria fortitudinis illius, hoc eſt cum glorioſus uenerit fortitudinem & robur ſuum oſtenſurus malis & bonis. Theophylactus enim, Hiſce uerbis, inquit, q̃ deo facile ſit cruciatus inferre oſtendit. Neq; enim illi erit aliqua in inferendis illis difficultas, quippe cuius uel ſolo aſpectu rebelles & contumaces cruciabuntur. Et diuina præſentia his quidẽ ſplendorem eſt allatura, illis ſupplicia. Cum gloria enim & uirtute aduẽturus eſt, ut neq; huius gloria potentia careat, neq; præſentia ſit gloriæ expers. Sequitur enim quod aduentus eius non tantum formidabilis futurus ſit impijs, ſed pijs quoq; lætus & glorioſus. Veniet ait ut glorificetur in ſanctis ſuis. Quaſi dicat, Cum uero uenerit ut rependat impijs impietatem, ſimul & ſanctis ſe exhibebit glorioſum humilia ipſorum corpora conformia redditurus corpori ſuo glorioſo, qua ex re admirandus erit in omnibus credentibus, hiſce bonitatem & potentiam tantam mirifice prædicantibus. Hoc autem fiet inquit propterea quod uos credideritis teſtimonio, id eſt prædicationi noſtræ quam prædicaui apud uos, futurum dicens quod deus in illo die facturus eſt. Sunt qui putent hæc uerba, Quod fides ſit habita teſtimonio noſtro erga uos, per parenthefim inſerta eſſe, atq; qui ſint ueri credẽtes exponere, qui ſcilicet fidem habent teſtimonio apoſtolico. D. Ambroſius dicit, Duplicem continet ſenſum. Aduenietenim punire malos, & glorificare bonos. Ipſe enim clarus & mirabilis uidebitur in eos qui credunt exemplo & fide apoſtolorum cum fuerint coronati, teſtimonium reddente illis euangelio in die domini. Seuerus autem apparebit incredulis cum æternis pœnis coartari cœperint. Corona enim diſcipulorum magiſtri eſt gloria, & ueritas eius incredulorum eſt pœna, quia quod prædicabatur non crediderunt.

Pro quo etiam oramus ſemper pro uobis ut uos dignos habeat iſta uocatione deus noſter, & compleat omne bonum propoſitum bonitatis & opus fidei in potentia, ut illuſtretur nomen domini noſtri Ieſu Chriſti per uos & uos per illum iuxta gratiam dei noſtri & domini Ieſu Chriſti.

De oratione. Rebus arduis ubiq; addit preces. Precibus enim optima dei dona ambiẽda eſſe docet ipſa fides & reuerentia numinis. Orandum autem eſt ſine intermiſſione. Nam Paulus, Oramus, inquit, pro uobis ſemper. Quid autem orandum aut petendum ſit ſequitur,

Vt

Vt deus noster uos dignos habeat ista uocatione. Qua obsecro? Qua uidelicet beatos uocabit in regnum suum, dicens, Venite benedicti patris mei possidete regnum quod paratum est uobis ab exordio mundi. Hunc locum compone cum illo, Patimini ut digni habeamini regno dei, & cognosces gratiam dei gratuitam nos dignos facere regno dei. Si enim dignos facit meritum nostrum, quorsum erat opus orare dominum ut ipse nos dignos habeat sua uocatione? Dignitas ergo illa pendet à liberali dei munificētia. Deinde orandum nobis ut deus compleat πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης omnem illam promptam uoluntatem bonitatis, id est, ut pro sua bona uoluntate qua nos cōplectitur quod cœpit in nobis feliciter consummet. Nam qui perseuerauerit in finē usq; hic saluus erit. Huic non dissimile est quod sequitur, Vt cōpleat opus fidei in potentia, hoc est ut ipsum fidei negotium absoluat per constātiam & animi robur, quod mentibus à deo inditum omnia aduersa superat. Postremo ut per nostram spem nomen domini nostri non nomen nostrum glorificetur, & ut ille nos in aduentu suo glorificet, hoc est saluos faciat anima & corpore, appendit, Iuxta gratiam dei nostri & domini Iesu Christi, monens ista omnia à gratia dei non nostro merito pendere. Obseruandum & illud quod hic quoq; per omnia patri æquat filium, unde consequens est rectè à nobis unitatem dei in trinitate defendi.

Rogo autem uos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi & CAP. II.
nostri aggregationem in illum, ne cito dimoueamini à mente neq; turbemini neq; per spiritum neq; per sermonem neq; per epistolam tanquam à nobis profectam quasi instet dies Christi, ne quis uos decipiat ullo modo.

Intellexerant quidam ex 4. cap. prioris epistolæ aduentum domini in iudicium mortuorumq; resurrectionem iam nunc instare. Erant & deceptores nōnulli qui planè asserrent instare iam omnium rerum finem, quemadmodum nec hodie desunt qui de Catabaptistica factione descendentes per compita & cœtus hominū clamare non desinunt adesse diem domini. Cæterum Paulus in præsenti demonstrat quid aduentum domini præcedere oporteat, & quibus præcedentibus signis & rebus præmonendi sint homines. Scite uero per illud rogat Thessaloniceñ. in quo ipsi errabant, per aduentum scilicet domini, de quo hactenus & in 1. cap. disseruit. Adhortatur præterea per unitatē & concordiam quā membra habemus cum capite Christo. Videmur enim auelli à sancto hoc corpore, quoties non recte sentimus de capite uel membrorum salute. Rogat autem ne cito dimoueantur à mente, id est à sana intelligentia & mente diuina. Paraphrastes, Ne cito dimoueamini, inquit, à uestra sententia si proferetur aduētus illius. Verum planior expositio sequitur, Ne sitis ea mente & sententia ut putetis diem domini nunc instare. Neq; turbemini. Turbari autem animo consternari est, pauere & inopem esse consilij & auxilij. Deinde recensēt uarias species per quas turbātur ecclesiæ. Prima est spiritus, hoc est reuelatio, uaticinium siue prophetia, qua impurissimi quiq; nebulones deceperunt plurimos iactantes spiritum dei cum ducerentur prauis cupiditatibus. Tali spiritu imbuti Montanistæ quondam & Valentiniani (ficut exposuerunt Irenæus & Eusebius) ut nunc Catabaptistæ simplicioribus grauiter impositerunt. Secunda species sermo est, hoc est doctrina uiua uoce deprompta, quæ si eloquētia & probabilitate instructa sit pestilentissima est. Tertia species est epistola supposititia aut scriptum aliquod falsa inscriptione decoratum. Solent enim tergiuersatores ut fallant, sicut testatur Ambrosius, sub nomine clari alicuius uiri epistolam fingere, ut authoritas nominis possit commendare quod per ipsum recipi non possit. Atq; hac ipsa arte dici non potest quàm turpiter ecclesiæ dei illuserint impuri quidam nebulones, qui plurimos nobis libros, complures epistolas atq; tractatus obtrusere, quasi ab apostolis aut uiris apostolicis aut certè authoritate, eruditione ac sanctimonia claris scriptoribus profecti sint, quos tamen isti nequaquam agnoscerent aut probare possent si adhuc uiuerent. Circumferuntur enim quidam apostolorum Canones, quædam apostolicorum epistolæ, multi præterea

libelli uel Augustino uel Ambrosio inscripti, quos isti nunquam uiderunt. Quid de sermonibus quibusdam dicam titulo Cypriani & Augustini insignitis? Tanta fuit prioris sæculi negligentia & scriptorum siue librariorum auaritia, inscitia & impudentia ut nemo hanc satis detestari possit. Qui ueterum scripta legerunt, & Erasmi Roterod. Censuras aliquot in D. Hieronymi & Augustini opera uiderunt, quid dicam intelligunt. Et tamen inuenias qui huius loci præsidio ecclesiæ dei quidlibet uolunt obtrudere, obijcientes scripturis non omnia prodita esse quæ ad ueram pietatem faciant, quod hic spiritus sermonis & epistolæ facta sit mentio per quæ absolutior doctrina succedentibus temporibus prodita sit. At hi non uident hunc ipsum locum monere ne à mente, id est à sana fide semel suscepta per istorum abducantur traditiones, quas isti spiritus & sermonis siue epistolæ decretalis fuco obtectas ceu apostolicas & sacratissimas nobis obijciunt. Ita enim & Missas suas & alia omnia quæ scripturarum testimonijs probare non possunt nobis obtendunt, asseuerantes apostolica traditione institutas illas, & postmodum apostolicorum uirorum epistolis & sancti spiritus reuelatione confirmatas esse. Caueamus ergo nobis à lupis istis rapacibus, qui ouillis uestibus tecti ueniunt ut rapiāt, obturbent ac deuorēt. Fideliter teneamus mentem Christi & religionis ueræ & illibatæ sana & apostolica capita, ita nemo imponet nobis ullo pacto. Plura in hanc rem prodidit doctissimus Tertullianus in lib. de præscriptionibus hæreticorum ædito.

Quoniam non aduenier dominus nisi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille sceleros us, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo dei sedeat ostentans seipsum esse deum. An non meministis quod cum adhuc essem apud uos hæc dixerim uobis?

Non ueniet dñs nisi uenerit defectio prius.

Putatis inquit iamiam instare diem aduentus domini, uerum erratis fratres ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, hoc est, Quoniam nisi, uel, si non uenerit apostasia uel defectio prius, intellige, dominus non ueniet. Est enim oratio defectiua. Nisi ergo prius ueniat defectio & imperitet Antichristus non ueniet in iudiciū Christus. Proinde iudicij diem præcedet defectio & Antichristi regnum siue tyrannis potius. Copiosius autem describit hic Antichristum & regnum eius. Nos singula cōpendiosa breuitate perstringemus, conferentes his quæ de hac re Daniel prodidit. Pleraq; enim sua ex illo transumpsisse uidetur Apostolus, & primo quidem de Defectione dicemus.

De defectione.

Ἀποστασία, defectio est qua aliquis deficit à suo uel authore uel principe. D. Ambrosius exponit de Romani regni diuisione & defectione regnorum ab illo. Alij interpretarunt de defectione à fide, de qua & Apostolus disseruerit in 1. ad Timoth. cap. 4. dicēs, Spiritus diserte loquitur quod in postremis temporibus descisc ent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorū &c. Sed in idem recidunt utræq; sententiæ quod attinet rei substantiam. Cum enim ultima illa monarchia per defectionem quorundam regnorum dissolui cœpisset simul & religio fides q; Christiana per eos corrumpi peruertiq; cœpit, qui attendebant spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorū. Cæterum ultima illa monarchia Romani imperij est. Daniel enim in cap. 7. post tres monarchias potentissimas Babylonicam uidelicet, Persicam & Macedonicam subiungit quartam Romanam. Videns inquit in uisione nocturna uidi & ecce bestia quarta terribilis & horrenda & ualde fortis habēs dentes ferreos & magnos, comedens & comminuens & residuum pedibus suis conculcās, eratq; diuersa ab omnibus prioribus animalibus habens cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruum ascendebat inter ea & tria de cornibus prioribus euulsa sunt à facie eius, & ecce oculi uelut oculi hominis erant in cornu isto & os loquens grandia. Hactenus Danielis uerba retulimus. Idem explicationem huius uisionis desiderans audit in eodem capite. Bestia quarta regnum quartum erit in terra quod diuersum erit à cūctis regnis, & deuorabitur uniuersa terra triturabitur & comminuetur. Et cornua decem reges decem sunt qui ex regno consurgent, & alius surget post eos eritq; diuersus à prioribus & humiliabit tres reges. Et quæ sequuntur. D. Hieronymus

ronymus hunc ipsum prophetæ locum enarrans de Romano imperio exponit dicens, Romanum regnum nulli bestiæ comparauit uocabulumq; tacuit, ut quicquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus. Et sane totum terræ orbem concussit attriuitq; hoc imperium, cæteris regnis non ipsa tantum regni constitutione administrationeq; dispar, sed & crudelitate, robore & immanitate. Quas em̃ nationes non igne ferroq; uastauit & ad internetionem deleuit, eas in seruitutẽ redegit, & ueluti satur ac petulãs belua pedibus proculcauit. Vnde rex Ponti Mithridates, sicut ex Trogo Pompei annotauit Iustinus, de Romanis dicere solebat, Vere illos iactare conditores suos lupæ uberibus alitos. Nam omnem Romanum populum luporum animos habere inexplebiles sanguinis atq; imperij diuitiarumq; auidos ac ieiunos. Plinius quoq; in 7. lib. naturalis historię cap. 25. de Iulio Cæsare, Hic signis inquit collatis quinquagies dimicauit, solus M. Marcellum transgressus qui undequadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles uictorias undecies C. & XCII. M. hominum occisa prælijs ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam quod ita esse confessus est ipse bellorum ciuilium stragem non prodendo. Idem Plinius cap. 26. Gn. Pompei cognomento Magni breuiarium ab Oriente & in delubro Mineruæ suffixum testatur huiusmodi, Gn. Pompeius Magnus Imperator bello XXX. annorum confecto fusis, fugatis, occisis in deditionem acceptis hominũ centies uicies semel LXXXIII. M. depressis aut captis nauibus DCCCXLVI. oppidis, castellis M.D.XXXVIII. in fidem receptis, terris à Mæotis lacu ad rubrũ mare subactis, notum merito Mineruæ. Triumphi uero quem duxit ad tertium Calendas Octobres M. Messala, M. Pisone Consulibus præfatio hæc fuit, Cum oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, & super hæc de regibus Mithridate atq; Tigrane triumphauit. Duorum modo Romanorum Imperatorum facta, uictorias & triumphos attigimus, nihildum diximus de Scipionibus, Fabijs, Marijs & Metellis, item de L. Sylla, de Lucullo, Marcello, Crasso, Paulo Aemilio, Flaminio, Sertorio, Cornelio Cinna & Fimbria, deq; compluribus huius generis & ordinis illustrissimis uiris, quorum studio, ardore, ambitione, auaritia, atq; dominandi libidine, deniq; crudelitate fera & extrema immanitate factum est, ut iuxta Danielis uaticinium uniuersa terra deuorata sit, triturata atq; conculcata.

Romana monarchia.

Habes mysterium crudelis illius bestię, iam dicemus quid significatum sit per cornua decem, quid per cornu illud paruum quod emergebat inter illa, & tria alia cornua euellebat. Denarius igitur numerus multitudinem designat, cornua uero regna, significaturq; monarchiam illam Romanam in multa regna fore diuidendam, hoc est per defectionem futurũ esse ut plures simul in Romano imperio imperaturi sint reges. Id quod circa Constantini magni tempora fieri cœpit, alijs Orientis regna administrãtibus, alijs Occidentis. Deinde uero exactis aliquot annis cœpere & nationes multæ alijs sibi regibus & principibus ascitis deficere. Irruperunt præterea gentes barbaræ & inuitis imò & deuictis Imperatoribus Romanis subiugatisq; Romani imperij prouincijs & regnis potenter regnauerunt. Notissima enim sunt quæ historici produnt de Francis, Germanis, Longobardis & Persis, item quæ de cruẽtissimo Gotthorum, Hunnorum & Vuandalorum imperio scripserunt tum Græci tum Latini authores non aspernẽdi. Ad hunc uero modum ex illa bestia emerserunt cornua decem, & adimpleta est apostasia illa de qua in præsentiarum loquutus est Apostolus.

Diuisio regni Rom. & defectio ab eo.

Nunc de ortu Antichristi, hoc est de reuelatione hominis illius sceleroſi dicemus. Inoleuit quidem opinio stulta Antichristum fore unicum hominem qui è tribu Dan et in Babylone nascendus per annos aliquot sit maximo cum fidelium detrimento regnaturus. Verum non uident stulti homines Danielem sub fingulis Leonis, Vrsi, Pardi & bestiæ nominibus omnes intellexisse Babyloniorum, Persarum, Macedonũ & Romanorum reges, imperatores siue proceres. Necesse igitur est ut per cornu illud paruum hoc est per Antichristum non unicum aliquem hominem intellexerit, sed regnum totum &

De ortu Antichristi.

corpus uniuersum quod contra Christum legibus institutis moribus & uiribus pugnaturum sit. Iam ergo consyderemus uerba prophetæ, Consyderabam ait cornua, & ecce cornu aliud paruũ ascẽdebat inter ea, et tria de cornibus euulsa sunt à facie eius. Et iterũ, Et alius, inqt, surget post eos eritq; diuersus à prioribus & humiliabit tres reges. Habes iam mysterium & mysterij expositionem. Cornua enim significant regnorum diuisionem & confusionem. In hac uero cõfusione rerum oboritur ex modicis initijs regnum in orbe aliud quod alios tres reges humiliat.

Mahumetes Arabs, alij Persam dixere.

His conferamus iam quæ prodiderunt historici. Mahumetes ergo Arabs anno salutis D C XX. dum scilicet mira esset rerum confusio tum in oriente tum occidente, imperante Heraclio Imperatore in lucem emersit. Quem ut ex Bibliotecario retulit Volaterranus humili genere natum defunctis parentibus captiuũ Abdemonaples Ismaëlitici uitr generis emit sibi gratum ob formam et ingenium, quapropter mercemonijs ac negotijs ab eo præficitur. Imbuit hunc Nestoriana hæresi Sergius monachus qui ob sectam hæreseos ex urbe Constantinopolitana fugerat in Arabiam, Mahumetemq; ob ingenium uehementer amabat. Interim herus moritur sine liberis opibus amplissimis relictis & uxore uidua & quinquagenaria, quam cum Mahumetes duxisset et à moriente uxore hæres institutus esset opibus uehementer auctus et à stulta plebecula in honore habitus cœpit consulente Sergio prophetam se dei magnũ appellare. Vulgata ergo fama & authoritate eius admodum crescente inter suos legem condidit quam partim à Iudæis partim à Christianis deniq; & à Paganis mutuauit & Alcoranũ appellauit. Obtemperantes uero Sarracenos siue Hagarenos cognominauit, & hos quidem armauit in Persas, contra quos haud sinistra usus fortuna diuinus cœpit haberi. Vbi maximam sibi parasset gloriam mortuus est postquam uixisset annos XL. Post eius mortem plures è successione principes eius gentis partito inter se exercitu alibi alij regnauerunt. Homar autem à Mahumete tertius post Persas subiugatos Hierosolymam omnemq; Syriam cepit, anno circiter D C LXX. imperante Constantino IIII. Deinde huius assectæ Aegyptum quoq; inuasere constituto apud eam Calypha. Plura de Sarracenis & regno eorum legere est passim apud Historicos. Et Turcæ gens origine Scythica sub Sarracenis prima stipẽdia meruerunt in Asia & religionem ab illis ceu per manus traditam simul cum maxima imperij portione receperunt hodieq; tenent, Asia, Macedonia, Mœsia, Attica, Peloponneso, Epiro, Thratia, Illyrico, multisq; alijs regnis adiectis. Ex his autẽ intelligis quid nam significarit cornu illud paruulum quod inter decem cornua enatum tria alia euulsit. Mahumetes enim is est, qui humilibus imò infimis ortus natalibus è mercatore rex factus est, cuius successores tria potentissima orbis regna Persiam, Syriam & Aegyptum occupauerunt, ut alia nunc non recensẽam regna quorum iamiam memini. Per ternarium enim numerum multiplicem intellexit.

Pontifex Romanus.

Istis uero nequaquam absoluimus mysterium iniquitatis. Est enim & aliud quiddam quod attinet ad perfectionem istius corporis Antichristiani. Igitur dum hæc agerentur in oriente in occidente ambit occidẽtis monarchiã episcopus Roman. Inexpectata sunt quæ dico de episcopo, sed uera. Et quis unquam suspicari potuisset, ministros uerbi dominici & ecclesiarum aliquando eo insaniæ uenturos ut de monarchia orbis & urbis cogitarent consultarentq;? in primis cum tam disertis uerbis dixerit Christus, Reges Gentium dominantur, Vos autem non sic. Ego uero delegi uos ut abeatis & multum fructum afferatis, et qui maior est in uobis fiat omnium minister. Verum neglectis hisce domini præceptis cœpere tum quidam disputare de primatu præsulis Romani cum cornu illud paruum esset profundendum: & quia scriptum erat, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris in terris ligatum erit in cœlis: rursus quia Achatius Constantinopolitanus episcopus & Timotheus homines Græci à Simplico antistite Romano petijssent ut is quoq; Petrum Alexandrinum episcopum Euthicetis imitatorem damnaret hæreseos ut qui præesset primariæ ecclesiæ & cuius authoritas plurimum ualeret apud omnes, concluserе quidam Romanam sedem omnium ecclesiarum esse primam, & Romanum episcopum

pum primarium esse omniũ antistitũ præsulem. Vides & hic quomodo cornu illud paruulũ sese cœperit erigere. Porrò Ioannes Constantinopolitanus huic camino adiciens oleũ habita Græcorũ synodo, in qua seipsum Oecomenicũ, id est uniuersalem uel episcopum uel patriarchã declarauit. Id quod Gregorio Pontifici Romano eius nominis primo significauit Imperator Romanorum Mauritius, illi præcipiens ut Ioanni sese subiiciat obediatq;. Cæterum respondit tum Gregorius Petro potestatem ligandi & soluendi non Constantinopolitanis episcopis datam esse, proinde defineret iram dei in se concitare. Idem ad Anastasium Antiochenum, & Eulogium Alexandrinum episcop. part. 7. epist. 30. Registri contra ambitionem Constantinopolitani episcopi scribens, Nouit, inquit, ueneranda sanctitas uestra per sanctam Chalcedonensem synodum pontifici sedis apostolicæ, cui deo disponente seruio, hoc uniuersitatis nomen oblatum est, sed nullus decessorum meorum hoc tam prophano uocabulo uti consensit, quia uidelicet si unus patriarcha uniuersalis dicitur patriarcharũ nomen cæteris derogatur: sed absit hoc à Christiana mente, id sibi uelle quempiam arripere unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunq; parte uideatur. Hæc Gregorij sunt. Atqui horum non Constantinopolitani modo episcopi sed Romani quoq; successores Gregorij obliti de primatu concertare non desierunt donec Bonifacius eius nominis tertius non multo à Gregorij tempore à Phoca Imperatore, qui Mauricium unà cum liberis admodum crudeliter peremerat, obtinuit magna tamen (ut Platina quoq; ait) cum contentione, ut sedes beati Petri caput omnium ecclesiarum & haberetur & diceretur. Cuius rei meminit & Paulus diaconus libro de Gestis Longobardorum quarto capite 11. Hoc ubi datum esset Pontificibus Romanis ueluti fenestra ad imperium totum aperta esset animum & ad urbis & orbis dominium adiciunt, totiq; qua data porta irruunt. Et rerum innouationem maximam portendebant eius temporis prodigia tanta quanta nunquam antea sunt uisa, de quibus diligenter testantur historiæ.

Erant autem occasiones tum permultæ quæ nitentem Pontificem in sublime efferebant: in primis uero tumultus bellici & barbararum gentium incursiones creberrimæ. Sarraceni enim Mahumeti progenies capta Africa Syriam adeoq; Asiam diripiunt & Europæ imminent. Præsentissimo ergo periculo in Oriente detenti Cæsares Occidentem negligere coacti sunt. Hinc uero factum est ut & Francorum & Longobardorum res uchementer creuerint, adeò ut utriusq; gentis Reges Romano Imperatori tandem essent formidabiles. Tametsi enim Exarchos Italiæ præfeciſſet Cæsar, minor tamen erat horum uirtus quàm quæ illis repellendis sufficeret. Id quod uel unico hoc argumento patuit, quod cum Italiæ Exarchus Theodorus ad Scultennam Mutinæ amnem manus cum Longobardis semel conseruisset fœdissime fusus atque fugatus dicitur, desideratis Romanis militibus septem millibus: qua uictoria elatus Longobardorum rex Rotharis, regno suo omnem adiecit Lyguriam. Igitur concidebant ad hunc modum Cæsaris uires in Occidente, Pontificis uero tanto magis crescebant quanto latius imperitabant cum Francis Longobardi, horum enim uiribus paulò post extollitur, quorum amicitiæ se nunc implicare incipiebat. Verum huc quoq; certis gradibus peruentum est de quibus nunc dicemus. Vana habebatur cleri ac populi Romani electio Pontificis, nisi hanc approbasset uel Imperator ipse uel Italiæ Exarchus, donec Constãtinus Imperator Constantis filius qui imperitare cœpit anno salutis DCLXX. Benedicti 2. episcopi Romani sanctitate permotus sanctionem misit ut deinceps quem clerus, populus exercitusq; Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim uerum Christi uicarium esse omnes crederent, nulla aut Constantinopolitani principis aut Italiæ Exarchi expectata authoritate, ut antea fieri cõsueuerat. Hoc autem priuilegio accepto collum imperatorio iugo eximere, liberiusq; cristas erigere cœpit Pontifex adeò ut paulò post ista tempora dum se commoda offerret occasio aspera uidelicet inter Orientales & Occidentales episcopos concertatio, hic confidentius authoritate sua uteretur in Cæsarem.

Sarracenorum irruptiones.

Longobardorum reges.

Sub Heraclio enim Imperatore emerserat Monothelitarum hæresis. Ea autem unam modo uoluntatem in Christo confitebatur. Damnarat hanc Romæ Martinus eius no-

Hæresis Monothelitarum.

minis primus congregata ſynodo epiſcoporum CL. Damnarat eandem ſynodus ſexta Conſtantinopoli celebrata. Et uidebatur ea lues tum quidem extincta eſſe, ſed Philippicus Cæſar illa infectus Cyro orthodoxo epiſcopo in Pontum relegato, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Ioannem quendam monachum præfecit, huiuſq; dogmata praua Romam mittit, præcipiens ut omnium conſenſu approbarentur. Hic pontifex Conſtantinus eius nominis primus iuſtam anſam nactus Imperatori Romano repugnandi collecta ſynodo, & Philippicum damnat hæreſeos & Ioannem monachum, imò & decernit ut ſanctorum patrum imagines qui ſex conſilijs ab omnibus probatis interfuerant in porticu beati Petri depingerentur. Hac igitur occaſione inter iſtos & de imaginum uſu diſputari cœptum eſt. In qua controuerſia religioſius ſenſerunt Orientales Occidentalibus, cæterum quia iuſta cauſſa cum praua erat coniuncta, factum eſt ut minus fauoris haberet illa apud pleroſq; cordatiores. Neq; ſine affectu in hanc concertationem deſcenderant Græci, quibus dolebat quod Romani pictura ceu trophæo abutebantur in Orientalium ignominiam, inde enim & in ſimulachra omnem uerterunt impetum. Cæterum non ſatis mihi conſtat an Leones & Conſtantini dogma quoq; Monothelitarum tutati ſint, hoc ſatis conſtat quod non ſine exemplo & authoritate ſcripturarum tollendæ idololatriæ cauſſa ſimulachra abrogarunt, idemq; ut facerent Romanis non ſemel præceperunt. At Romani præſules hac occaſione data omnes populos Italiæ ab obedientia Cæſaris abſtrahunt & ſeſe iſtis ſua authoritate inſinuant, aſcitis quoq; regibus exteris quorum auxilijs Pontifex Italiæ dominus factus, Exarchus uero Cæſaris expulſus eſt. Cum enim Leo imperator edictum propoſuiſſet, ut omnes qui ſub Imperio Romano eſſent diuorum ſtatuas atq; imagines auferrent tollendæ idololatriæ cauſſa: qui uero ſecus feciſſet, eum ſe pro hoſte publico habiturum, Gregorius ſecundus omnes admonet ne in tantum errorem timore uel edicto principis ullo modo dilabantur, tantaq; orationis uehementia omnes Italiæ populos exaſperauit ut parum abfuerit quin alium ſibi Imperatorem delegerint. Rauennæ certe maxima ſeditione orta Paulus Exarchus Cæſaris unà cum filio occiſus eſt. Huius exemplũ imitatus Gregorius 3. Leonem imperio ſimul & communione fidelium priuauit.

Concertatio de imaginum uſu.

Pontifices Romani damnant Roma. Imperatorem.

Idem primus Francorum regum opem contra hoſtes implorauit. Dum enim Luithprandus Longobardorum rex imperandi cupiditate motus urbem Romam obſideret captis circumquaq; oppidis omnibus, Gregorius hic legatos mittit in Franciã qui Carolum cognomento Marcellum Pipini patrem rogarent ut primo quoq; tempore laboranti Romæ & eccleſiæ auxilium ferret. Conſueuerãt autem Pontifices Romani ſi quid mali ab externo hoſte immineret auxilia ab Imperatore Conſtantinopolitano petere, quod Gregorius facere noluit, quia Leonem declaraſſet eſſe hæreticum, tum uel maxime quod urbem regiam ægre Leo à Sarracenis tutaretur nedum alios defenderet. His itaq; rationibus factum eſt (ait Platina) ut tunc primum tutela eccleſiæ ab imperatoribus Conſtantinopolitanis ad alios translata ſit. Carolus autem ſuſcipit patrocinium & Romam obſidione ſoluit, Luithprando rege & compatre ſuo ab incepto amica exhortatione retracto. Cæterum iſto beneficio adeo ſibi obnoxios fecit Romanos epiſcopos princeps Francus, ut Zacharias primus Gregorij tertij ſucceſſor Pipino Caroli filio in re inhoneſtiſſima obſequium ſuum non denegarit. Ambiebat enim regnum Franciæ Pipinus, ipſumq; Chilperychum dominum ſuum antiqua & nobili regum Francorum familia ſatum & regem ex Merouea gente ultimũ regno exuere & ſeſe regio diademate inſignire ardebat. Huius ergo rei gratia cum nobilitatem omnem tum plebem adde & clerum ſolicitaſſet indefeſſe, tandem etiam Burghardum Herbipolenſem epiſcopũ unà cum Folrado ſacerdote ſuo ad Zachariã Pontificem mittit ſciſcitatum, Vter regio faſtigio dignior ſit habendus, qui nomine modo rex ſit, conſilio & opera nil præſtare poſſit, an qui ſolus omne regni pondus ſuſtineret, interim regijs inſignibus careret? Hic Pontifex beneficiorum memor diſerte pronunciauit melius eſſe ut ille (Friſingen. hiſtorici & epiſcopi uerba aſcribo) qui curam omnium haberet rex diceretur quàm qui ſolum nomen regis gereret. Ex more enim uetuſto reges Franciæ omnem regni ſui adminiſtra-

Pontifices Romani implorãt opem regum Franciæ.

Pipinus opera Romani Pontificis rex Franciæ fit.

tionem

rionem maioribus domus (erat ea summa potestas à rege) permittebant. Hoc responsum ubi isti retulissent ad regem fretus hic eruditorũ & antistitum religionis calculo & quorundam principum nobiliumq; patrocinio, Chilperychum regem dominum suum fastigio deiecit regio, exauthoratũq; cœnobio cuidam includit, ipse uero suis hominibus consentientibus omnem potestatem regiam sibi assumit. Cumq; rex optimus fidem imploraret publicam, nec in toto regno deessent quibus tyrannis & fides uiolata improbaretur, Zacharias pontifex Pipinum unà cum omnibus suis absoluit à sacramento regi Chilperycho dato. Atq; huius quidem rei ad hunc modum gestæ bina nunc profero testimonia, prius ex Platinę historia tale est. Pipinus regnãdi cupidus legatos suos ad pontificem mittit eumq; rogat ut regnũ Franciæ sibi authoritate sua confirmet. Annuit pontifex eius postulatis, accepti beneficij & ueteris beneuolentiæ memor quæ inter Pontifices & Principes huius familiæ intercesserat. Atq; ita eius authoritate regnum Francię Pipino adiudicatur anno domini DCCLIII. Hoc Platinæ est. Sequitur posterius ad Anastasium imperatorem scriptum Gelasij quod continetur 15. quæstione 6. canone. Alius, in hæc uerba, Alius Romanus Pontifex Zacharias regem Francorum nõ tam pro suis iniquitatibus quàm pro eo quod tantæ potestati erat inutilis à regno deposuit, & Pipinum Caroli imperatoris patrem in eius locum substituit omnesq; Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. Atq; hæc quidẽ hactenus. Rex uero Pipinus Romanis Pontificibus gratificaturus Stephano II. Pontifici ab Aistulpho Longobardorum rege oppresso & in Galliam fugiẽti suppetias tulit bisq; traiectis alpibus in Italiam cum exercitu properãs, tandem Aistulphum coëgit reddere quæ abstulerat, hoc modo uicem repensurus Pontifici pro cõfirmatione imperij. Datus est ergo Pontifici Exarchatus & quicquid Padum & Apenninum interiacet, à Placentinis usq; ad stagna Venetorũ, & quicquid intra Isaurum flumen Apenninum & Hadriaticum continetur, & quęcunq; Aistulphus de Hetruscis & Sabinis ceperat, hæc omnia Pipini munificẽtia Pontifici sunt donata nequicquã reclamante legatione Cæsarea. Pipino enim in Italiam contra Longobardum mouente obuiam fit Constantini IIII. Imperatoris protosecretarius Gregorius, regemq; imperatoris nomine admonet ne Exarchatum Rauennatem oppressum à Longobardis & ad se hoc est ad Cæsarem pertinentem uel pontifici uel Romanis dedat si quando uictoriam de Longobardis referat. Verum repulit illum à se Pipinus responso satis acerbo quod id facere cogitaret quod & paulò post fecit, cuius rei gratia primus Francorum regũ Christianissimi cognomentum adeptus est.

Lupo turbat fontem ouis.

Pipinus quæ Cæsarum erant Pontificibus donat.

Patris exemplum imitatus est Carolus filius cognomento magnus, qui precibus & querelis Adriani pontificis in Italiam euocatus Desyderium ultimũ Longobardorum regem quod Pontifici nonnullam irrogasse uideretur iniuriam fundit fugat Papiæ obsidet & tandem uniuerso regno exuit, deinde & cum Pontifice fœdus ferit mutuo sibi sacramento interposito pollicentes perpetuam se amicitiam seruaturos et communes eorum hostes fore qui alteram partem lacessissent. Præterea quæ dono pater Pipinus superioribus pontificibus dederat eadem ipse amplioribus priuilegijs cõfirmauit denuo iureiurando interposito. Annus is erat salutis DCCLXXVI. Et ut Adriano præsens & per omnia obediẽs fuit Carolus ita Leonem III. successorem Adriani propter scelera in uincula coniectum, opera tamen quorundam liberatum & sibi supplicem factum Romam reducit & ex integro restituit damnatis & in exiliũ deportatis Campulo & Paschali Leonis accusatoribus, à quorum accusatione Pontifex sese purgauit iureiurando sua sponte suscepto & dato. Dum enim Carolus rogaret sentẽtias de uita & moribus Leonis à populo & clero episcoporum omnium qui eò ex tota Italia & Francia conuenerat, reclamatumq; esset à consessu nõ esse priuati cuiusquã de Apostolico temere iudicare moremq; seruatum ut Romani Pontifices à nullo præterquam à seipsis iudicarentur. Leo suggestum conscendẽs ac euangelia in manibus retinens iureiurando affirmauit se omnium rerum quæ sibi obijcerentur insontem esse. Suscipiebatur ab omnibus satisfactio acclamabaturq; insontem esse Pontificem. Hic uero Romanus Pontifex Carolo optime de sese & præcessoribus suis merito aliquam gratiam relaturus, cum uideret Imperatores

Carolus magnus.

Trãsfertur Romani imperij administratio ad Francos.

Constantinopolitanos ægre id nomen tueri, in Basilica Petri post solennia sacra, populi Romani scito ac precibus ipsum Carolum magna uoce Imperatorem decernit ac diademate donat ter acclamante populo Romano, Carolo Augusto à deo coronato magno & pacifico imperatori uita & uictoria. Facta sunt hæc dum numeraretur ab incarnatione domini annus DCCCIII. Nec uero dissimile est ista haud citra Irenes Constantinopolitanæ Imperatricis assensum consiliúmue facta esse, maxime quod & Græcorum Chronica prodant apocrisarios à Carolo & Leone directos ad Irenem postulantes ut illi iungeretur ad nuptias, quæ & postulatis facile assensisset, nisi Constantinopolitani principes re cognita istam protinus & aspicientibus Caroli legatis relegassent exilio Lesbum in monasterium quod ipsa ædificarat. Eginhartus uero in uita Caroli omnem translationis imperij culpam reijcit in Pontificem. Carolus enim tantum primo, ait, Imperatoris & Augusti nomen auersatus est, ut affirmaret se eo die, quamuis præcipua solennitas esset, ecclesiam non intraturum fuisse si Pontificis consilium præscire potuisset. Addit idem, Inuidiam tamen suscepti nominis Constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus magna tulit patientia, uicitq; eorum contumaciam magnanimitate, qua illis longe erat præstantior. Adde his quod extera bella detinerent hos quo minus in Pontificem & Regem Carolum mouere possent. Fœdus ergo cum Carolo ferit Nicephorus primus post diuisum imperium Constantinopolitanus Imperator.

Epilogus.

Hactenus uero multis exposuimus quibus initijs & quo progressu cornu illud exiguum eruperit maximamq; assequutum fit potestatem. Neq; sanè maior tum erat in toto Occidente potestas potestate Romani Pontificis. Horum enim sententijs transferebantur regna potentissima. Principio enim deiecto Chilperycho rege nato Francorum Pipinum administratorem in regium solium subuehit. Deinde uero erepta potestate constituendi Imperatorem proceribus Constantinopolitanis & Romanis Carolũ Francorum regem Augusti nomine donat, unde & ipse præmium rei pulchrè gestæ urbis orbis dominæ imperium obtinet. Præterea ualidissimam gentem & regnum Longobardorum robustissimum precibus & consilijs suis proterit. Qui itaq; Romam obtinet, Imperatores sua sententia deijcit & exaltat, regem quoq; Francis substituit, & horum utitur ut seruorũ ministerijs. Horum enim armis Longobardos perdomuit, unde postea tutus longe lateq; per Italiam imperitare potuit. Qui inquam tot tantisq; præest regnis an non merito triplici corona præfulgidam tiaram & ueluti fatale diadema gerat? Voluit Hercle diuina prouidẽtia isto habitu plane regio ut Pontifex iste quis esset toti mundo proderet, cornu uidelicet illud propheticũ quod tribus cornubus amotis & sibi subditis mira uafricie emersit.

Donatio regum Franciæ.

Huc uero pertinet nunc Lodouici Caroli filij donatio quem isti à fauore & beneuolentia in Romanam sedem appellarunt Pium, quemadmodum Pipinum cognominarant Christianissimum. Eam donationem si quis legere cupiat inueniet diligenter conscriptam à Raphaële Volaterrano in Gestis Pipini & Carolorum libro Geog. tertio. Summa eius hæc est, Ego Lodouicus Imperator concedo tibi beato Petro principi apostolorum & per te Vicario tuo domino Paschali summo Pontifici successoribusq; eius in perpetuum ciuitatem Romanam cum sua iurisdictione omnibusq; circa terris, ciuitatibus, portubus ac maritimis locis Hetruriæ, in ea deniq; mediterranea, nec non Exarchatum Rauennæ integrum, sicuti piæ recordationis Carolus pater & item Pipinus auus noster beato Petro dudum concessere. Ducatum insuper Spoletinum, Insulas quoque inferi maris Corsicam, Sardiniam, Siciliam, quæ omnia piæ memoriæ Pipinus auus deinde Carolus Imperator genitor noster beato Petro eiusq; successoribus scripto concesserunt, nos item probamus atq; concedimus &c. Nulla uero in hac donatione Constantini mentio, quæ plane conficta est, inuitis enim semperq; reclamantibus Romanis imperatoribus beneficio Francorum regum Romæ & in Italia tandem imperitare cœperunt Pontifices. Interim Pontificij iactitant ex decretis suis Canonem qui distinctione 96. in hæc uerba legitur, Constantinus Imperator coronam & omnem regiam dignitatem in urbe Romana & Italia & partibus Occidentalibus apostolico concessit,

Donatio Constantini.

ceſſit. Vtcunq; uero hæc res habeat certe epiſcopum hunc Romanenſem omnibus Occidentis uidemus imperitare regnis.

Auguſti nomen ad Germanos translatum.

Huc enim & illud pertinet quod conſilio & opera Ioannis XIII. Pontificis Romani imperium Romanum ſiue Auguſti nomen iterum à Francis ad Germanos, hoc eſt ad Alemannorum, Saxonum, Bauarorum Sueuorumq; principes translatum eſt. Cæterum quomodo hos quoq; ſub iugo retinuerit edocent multorum Imperatorum Germanorum hiſtoriæ, tum ille in primis Canon qui in hæc uerba legitur Diſtinctione 63. Tibi domino Ioanni Papæ ego rex Ottho promittere & iurare facio per patrẽ & filium & ſpiritum ſanctum, & per lignum hoc uiuificæ crucis, & per has reliquias ſanctorum, quod ſi permittente domino Romam uenero, ſanctam Romanam eccleſiam & te rectorem eius exaltabo ſecundum meum poſſe, & uitam aut membra nunquam neq; ipſum honorem quem habes mea uoluntate aut meo conſilio aut meo conſenſu aut mea exhortatione perdes, & in Roma nullum placitum aut nullam ordinationem faciam de omnibus quæ ad te aut Romanos pertinent ſine tuo conſilio, & quicquid de terra ſancti Petri ad noſtram poteſtatem peruenerit tibi reddam, & cuicunq; Italicum regimen commiſero iurare faciam illum ut adiutor tui ſit ad defendendam terram ſancti Petri ſecundum ſuum poſſe. Magna planè hæc ſunt, adde & incredibilia uiſa, ſi quis tantam rerum innouationem ſaltem Gregorio magno eius nominis primo Pontifici Romano retuliſſet, uerum ſuaues iſti epiſcopi ne his quidem maximis contenti, conſiliis ſuis uaferrimis inſidiari Romano imperio non deſierunt, donec leges de iuſta Auguſtorum electione præſcripſiſſent, ipſamq; Romani regis confirmationem à ſe pendere decreuiſſent. Ea de re Platina in uita Gregorij quinti ad hunc modum ſcripſit, Gregorius cognita imperij imbecillitate uarietateq; fortunæ quo diutius apud Germanos ſumma poteſtas remaneret, illeq; cæteris præeſſet qui uirtute & dignitate cæteris præſtaret ſanctionem retulit haud abnuente Otthone de Imperatore eligendo, anno Chriſti M II. quam uſq; ad tempora noſtra ſeruatam uidemus, uidelicet ſolis Germanis licere principem deligere qui Cæſar & Romanorum rex appellatus, tum demum Imperator & Auguſtus haberetur, ſi eum Romanus Pontifex confirmaſſet. Poſſem & alia huius generis infinita proferre, ſed ex his opinor ſatis perſpicue intelligit Lector de quo Danielis prophetia & uaticinium Pauli ſit intelligendum.

Leges de Imperatore deligendo condit Pontifex Romanus.

Lege Marſilij Patauinum dictio. 2. cap. 25.

Atqui duo dicat aliquis cornua facis, Mahumetem & Pontificem, cum Daniel unius modo meminerit. Cæterum niſi Romanus Pontifex auxilio Francorum fretus Cæſaris Orientalis fregiſſet potentiam, fortius ſanè Sarracenorum fudiſſet perſecutuſq; fuiſſet copias. Rurſus niſi Sarraceni ſuis incurſionibus imperatorem detinuiſſent in Oriente, non potuiſſent uel Pontificis uel Longobardorũ uel Francorum uires creuiſſe adeò in Occidente. Alteri ergo alteris occaſionem præbuere & uincendi & regnandi, adeò ut imperij Romani præter inane nomen parum ſuperſit. Romanam enim urbem tenet Pontifex, Conſtantinopolim Turcarũ princeps. Iam uterq; ex æquo Chriſti inſtitutis & legibus repugnat, uterq; Chriſtianos perſequitur, ſuis legibus & cultoribus defenſis, unde non potui ex hiſce æqualibus duo facere cornua. Sed & regnum Perſarũ & Medorũ ſub unius urſi imagine indiſcriminatim tametſi diuerſa uideãtur adumbratur. Ita in II. cap. idem Daniel de hoc ipſo Antichriſto prophetans, & originem ex imperio Romano deducens non ait, Et brachium ex eo ſtabit: ſed, Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis &c. Verum habes nunc originem & progreſſum Antichriſti: ſequitur nunc clarior expoſitio ingenij & regni eius ex factis eius & attributis.

Antichriſti ingenium & regnum.

Diuinus enim Paulus Antichriſtum uarijs nominibus & attributis ceu coloribus inſigniuit, ut naturam & regnum eius ſuis coloribus diſtingueret oculisq; exponeret ſpectandum. Principio autem cognominat hominem peccati, deinde uero ueluti ſeſe exponens, filium perditionis, quæ appellationes ſecundum proprietatem ſermonis Hebraici perinde pollent ac ſi quis noſtro ſermone dicat aliquem eſſe ſceleſtiſſimum & perditiſſimum, adeoq; ipſum ſcelus ipſamq; perditionem, utpote qui ſibijpſi & alijs author ſit ſcelerum & perditionis. Quod ſi quis Mahumeticam ſiue Turcicam hiſtoriam (cuius

Compendium collegit Raphaël Volaterranus Geog.lib.7.) reuocet ob oculos, & diligenti expendat iudicio, iurabit Antichristum hunc omnium flagitiorum esse lernam, & totius generis humani præsentissimam internetionem. Nam legem dei proculcauit, propriam uero hoc est superstitiosissimam promulgauit, utpote qua hypocrisis egregie quidem instituitur, at uia interim omnibus sceleribus sternitur. Idē attriuit & solo æquauit urbes potentissimas, ecclesias dei sanctissimas Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, Græcas & Aegyptiacas omnes uastauit, ut alias non commemorem, certè ab octingentis propè annis plura inuasit oppugnauit & diripuit regna, quàm quisquam ante eum uel potentissimus monarcha uel tyrannus immanissimus. Crudelitatis sunt in hoc exempla inaudita, ut merito per filium perditionis & hominem peccati Mahumeticum intelligamus regnum.

Neq; uero huic perditione & sceleribus quicquam cedit Pontificium. Nullum est scelus aut flagitium tam nefandum & abominandum quo se non polluerint qui dicuntur Sanctissimi. Nullo hic utar extero testimonio, ipsorum Chronica & Vitas appello. Interim nō ignoro quosdam integrioris famæ uiros in hanc peruenisse sedem, paucissimos uero legas incorruptos extremum clausisse diem. Quis enim credat uel sanctissimum in sede prophana & abominanda sedere potuisse ita mundum ut nihil sibi contraxerit impuritatis? Factum tamen est ingeniorum inæqualitate ut alij alijs fuerint deteriores, equidem ambitione, malis & proditorijs artibus, bellis, latrocinijs, auaritia inexplebili, superbia arrogantissima, luxu & libidine fœda nemini uel impijssimo & sceleratissimo cedūt pleriq;. Exempla proposuimus superiori expositione historica, qua ostendimus quibus artibus ad fastigium peruenerint imperij. Et Platina quanquam uehemēter parcat pontificibus, uictus tamen quorundam malitia, impietate & sceleribus infandis quod nimis uerum esse uidit posteritati scripto commendauit. Beno Cardinalis quorundam Romanorum Pontificum uitam consceleratissimam perstrinxit uerius quàm descripsit in uita Gregorij septimi. Hunc Platina inter optimos & innocentissimos recenset, at Beno inter pessimos & flagitiosissimos, utpote qui post sacrilegia & nefandissimas abominationes etiam magiam & omnis generis maleficia exercuit. Et Marsilius Patauinus sui sæculi scriptor eruditissimus & optimus in opere suo quod pro Lodouico IIII. Bauaro ædidit de potestate Papæ & Imperatoris & Defensorem pacis inscripsit, quales sint fuerintq; multis annis Pontifices dilucide exponit, superbi, elati, auari, iniurij, perfidi, turbatores pacis & tranquillitatis publicæ, contemptores dei & sancti magistratus, hostes omnis boni & honestatis. Legantur 22.23.24.25.26. &c. cap. Dictionis siue Partis secundæ. Iam & nostra sæcula Pontifices Romanos uiderunt quibus nihil impudentius, turpius, flagitiosius & impium magis uel cogitari potest. Notissima enim sunt quæ de Paulo 2. prodidit Volaterranus Anthropologiæ lib.22. De Sixto 4. & Alexandro 6. pau-

Duca Valentin. cissimi sunt qui bene senserūt. Dux item Valentinus utrumq; reddidit illustrem. Iulius secūdus usurarijs, potatoribus, scortatoribus, & crudelissimis ac sanguinarijs quibusq; militibus Pontifex erat gratissimus, utpote quem uotis frequentissimis optarent conditionem mutasse cum Cæsare beatæ memoriæ Maximiliano. Hunc enim hominem religioni, paci & tranquillitati publicæ consecratum, ut certe erat Imperator pientissimus & mitissimus, at illum bellis rebusq; turbandis dicebant esse natum. In Clementem VII. uersibus affixis ad hunc modum lusit Pasquillus Romanus,

Clementem eripuit nobis clementia fati
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic est qui fuerat iam dedecus urbis & orbis
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est qui tantos mutato fœdere reges
Prodidit & nullam nouit habere fidem.
Hic est qui grauibus uexauit regna tributis
Italiæ, & tantas haufit auarus opes.
Hic est qui patriam bellis oppressit acerbis

Et

Et plusquam humana cæde repleuit humum.
Hic est qui multas uiduauit ciuibus urbes
Crudelicq; suas imbuit ense manus. &c.

Infinita alia huius generis uolens prætereo, ne Lectori pio nauseam moueam. Quantæ uero scelerum procellæ in totam Christi plebem ab eiusmodi irruerint proceribus ecclesiasticis nemo explicauerit quãtumuis eloquens, ut nihil peccarim quod uaticinium Pauli exposui de Pontificio regno. De monachorum, monacharum, sacerdotum & spiritualium quos uocabant hypocrisi peccatis & sceleribus nunc nihil dicam, quod ipsa experiẽtia istorum omnia dilucidius exposuerit quàm quisquam ulla descriptione possit. Hic enim adimpletum est quo de diuus Paulus uaticinabatur, Resistent ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed non proficient amplius. Siquidem amentia istorum euidens erit omnibus.

Secundo loco ponitur à Paulo ὁ ἀνθικείμενος, id est ille aduersarius. Vocauit autem ἀνθικείμενον antichristum, quasi quis dicat Christo ἐκ διαμέτρου ἀνθικείμενον ex diametro oppositũ, utpote cuius ingenium, mores, uita, doctrina, facta, leges & instituta Christo repugnant. Christus uenit pacem annunciaturus toti orbi utpote de cuius aduentu prædixerant prophetæ futurum ut crudelissimæ quæq; gentes gladios conflarent in uomeres, & lanceas in ligones. At Mahumet iactitat se in uirtute armorum à deo esse missum. Docuit Christus nequaquam pollui homines ijs quæ ingrediuntur in os. At Mahumet interdixit suis uino & reliquis cibis quos deus condiderat ut cum gratiarumactione sumerentur. Idem circumcisionem suis tradidit & polygamiam admisit, quam Christus abrogauerat, & ex ueteri lege tradiderat in matrimonio unam modo carnem non duas aut plures esse debere. Breuiter omnis uita & doctrina, omnes leges, instituta & facta Mahumetis omnia Christo aduersantur. Nec magis congruunt Pontificis totiusq; corporis eius dicta, facta, dogmata & ritus. Christus tradidit nobis in prophetis & per prædicationem apostolicam doctrinam absolutam & perfectam, & quæ sola satis fit ad salutem consequendam. At Pontifex patrum nescio quas traditiones ad illam perfectionẽ pertinere asseuerat, utpote sine quibus nemo saluetur, quasi uero perierint sancti qui istis caruerunt. Docuit Christus unum & solum deum esse adorandum & inuocandum, idq; per nomen & intercessionem nominis sui. At Pontifex intercessionem atq; cultum diuorum diligentius ecclesijs inculcauit quàm religionem numinis ueram. Apostoli ex traditione & spiritu Christi docuerunt unicum duntaxat esse sacerdotem unicam & sempiternam hostiam Christum Iesum. At Pontifex ordine illo Melchisedechico turbato innumeros consecrauit sacrificos, qui pro peccatis uiuorum & mortuorum quotidie immolent. Docuerunt apostoli unum modo deum remittere peccata, & huic soli ista esse confitenda. At Pontifex ecclesijs proposuit portentosa de potestate cluium mendacia, de cõfessione auriculari, de casibus reseruatis, & de indulgentiarũ nundinis. Apostoli commendarunt ecclesijs gratiam dei, docuerunt fide iustificari credentes. At Pontifex merita iactauit sanctorum adeoq; & uendidit. Quid multis opus? non tam repugnat ueritas mendacio, & tenebris lux quàm Christo Antichristus. Abrogauit Christus ceremonias, paucula substituit sacramenta, reliquum sibi spiritu & ueritate seruiri uoluit, fidemq; & charitatem à nobis postulauit. At Pontifex istorum ueluti oblitus ecclesiã refersit ceremonijs, imò stultissimis ritibus & superstitionibus. Quæ uero Christus exemplo suo dictis & factis ex ecclesia profligauit, ea ille semel recepit & recepta mordicus retinet. Fugit regna Christus, lauit suorum pedes, humilitatem docuit, Reges gentium dominantur, inquit, uos aũt non sic. At Pontifex non regna sed ipsum Imperium summum sectatur, artibus assequitur, subiectisq; regibus dominatur, adeò ut & pedes obijciat ad principum oscula, & reluctantes reges hancq; bestiam adorare nolentes excommunicationis telo feriat, imperio abdicet, alios reges substituat, & subditos eius à sacramento fidelitatis absoluat. Christus spinosam gessit coronã chlamyde circũamictus purpurea. At Pontifex tricorni redimitus tiara ueluti Persicus aliquis Dareus gemmis & auro rutilans prodit circũstrepente armata stipatorũ manu. Vectigal soluit Christus.

Antithesis Christi & Antichristi.

At ſuos eximit Pontifex damnans & perſequens ſanctum magiſtratum exigentem à factione iſta inuncta tributum. Baiulat crucem Chriſtus, Pontifex baiulatur humeris auariſſimorum hominum. Chriſtus pauper erat, paſcebat oues, mãſuetus urbem ingrediebatur, eijciebat è templo ementes & uendentes. Hic uero dominum ſe eſſe iactitat totius Occidentis, expilat laceratq; oues, exercitibus ſtipatus & ſuperbus triumpho inuehitur, recipit in templum dei omnes uendentes & ementes, recipere autem nolẽtes excommunicat & hæreticos pronunciat: breuiter omnia Chriſti templa ſic prophanari permiſit, ut nunc probe inſtructo foro reſpondeãt. Nam, ut ſacerdotiorum commutationes, collationes & emptiones donationésue, negotiationem Curtiſanicã, hoc eſt ſatanicam, ſacramentorum, Miſſarum & indulgentiarum nundinas non commemorem, cõſtructæ ſtant ante fores templorum tabernacula, menſæ, cathedræ atq; ſellæ, in his uenum expoſitæ ſunt cereæ figuræ, oſcilla, cerei, ferrei pedes atq; manus, gallinæ, galli gallinacei, idq; genus oblationum infinita copia, in ipſis uero templis ſtant idola manibus exporrectis, & quia muta ſunt interpretem pone habent probe linguacem. Is enim aræ & idolo aſſidens ſalutatum uenientes excipit, allicit, blandisq; uerbis delinit, uirtutes diui exponit, conficta miracula idoli iactitat: breuiter pecuniam ſuperſtitioſis ſtultisq; hominibus emungit, & ne quid impediat offerentem, habet is omnis generis numiſmata, uertit itaq; mutat & omnia in diui corradit gazophylaciũ. Cui interim præſidet aliquis impius uel monachus uel ſacrificus, qui ex donarijs illis turpiſſimam ſuam alit familiam, lenones, ſcorta, parafitos, mimos, nebulones & ambubaias. Ante omnia uero ſua portio cedit de hiſce donarijs ſanctiſſimo, qui largiſſimis indulgentijs conceſſis ſanctam iſtam mercaturam cõfirmauit, præcipiente domino, Gratis accepiſtis gratis date. Petro item decernente & pronũciante, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum dei exiſtimaſti pecunijs parari. Cæterum quid hæc perſequar, cum non uiuat qui iſtius familiæ flagitioſiſſimæ auaritiam, impoſturas, impudentiam & aduerſiſſima Chriſto & religioni ueræ opera ſatis digne exponat?

Effertur aduerſus omnẽ deum & cultum.

Sequitur in Paulo quod tertium locum occupat, ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, id eſt qui effertur ſupra uel aduerſus omnem qui dicitur deus aut cultus ſiue ueneratio. Quæ ſententia bifariã exponi poteſt. Vel, effertur aduerſus ipſum deum uerum & contra cultum ſiue religionem omnẽ, ut more Hebraico poſuerit Dicitur pro eſt. Vel, effertur contra omnes res diuinas, hoc eſt contra omnem cultum, ut perſonam pro re poſuerit & conſequenti expoſuerit prius, nempe θεὸν per σέβασμα. Deſcendit enim hæc uox à σέβομαι quod proprie ad religionem pertinet, ut annotauimus in 17. cap. Actorum apoſtolorum. Sed quid hæc ſuperſtitioſius inculco, cum ipſe Apoſtolus ſtatim hiſce ſubiungat, quod ſuperiorem ſententiam exponat totam, Adeò ut in templo dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe deum. Sic inquam effertur aduerſus deum ipſum & religionem omnem. Templum dei hic mundus eſt, eccleſia catholica & cuiuſq; hominis cor fidele. Sedere regnare eſt & imperium obtinere. Deum ſeſe oſtentare eſt diuinam iactare potentiam eaq; polliceri & ueluti peculiaria ſibi uendicare quæ ſolius dei ſunt. Audiamus nunc quomodo hæc in Mahumete & Pontifice completa ſint. Contemnit iſte nedum ſacroſanctam trinitatem, ſed & ipſum Ieſum Chriſtum negat uerum eſſe deum. Legem perfectiorem à ſe quàm uel à Moſe, uel Ieſu Chriſto datam eſſe aſſeuerat. Gloriatur item de ſe in lege & euangelio ſcriptum imò nomen ſuum ab æterno in throno dei in ſuperiori parte ad dexteram ſcriptum eſſe. Apud nos uero ſi in quam urbem uel Pontifex ipſe uel Pontificis legatus ingrederetur, magno ſtudio in occurſum eius effundebatur eccleſia, huncq; non ut hominem ſed deum excipiebat. Efferebantur reliquiæ omnes. Ducebatur in hac pompa & Chriſtus ipſe ueluti captiuus & Pontificis miniſter. Euchariſtia enim ſacra quam omnes pro Chriſto adorabant, obuiam portabatur Sanctiſſimo. Huic geniculabantur omnes, expectabant illius benedictionem, & ſalutare credebant ſi iſtius pedes licuiſſet oſculari. Quod ſi quis uel cogitaſſet iſtũ non habere plenariam poteſtatẽ cœli & terræ, protinus habebatur pro hæretico. Quid quod diſertis uerbis in omnium Chriſtianorũ templis palàm prædicabãt cum impijs monachis ſacrificí

omnes

omnes Papam esse uicarium Christi, caput ecclesiæ. Hunc plenariam potestatem habere in cœlo & in terra, adde & in purgatorio. Hunc conferre plenariam peccatorum remissionem. Hunc errare non posse, omnem illi scripturarũ interpretationem subiectam esse. Huius leges ut dei seruãdas. Hunc unum iudicem esse omnium, ipsum uero nullius subiacere iudicio. Imò non puduit istos blasphemias hasce sacrilegas in publicas referre Leges. Cuius quidem rei nunc euidentia quædam subiicio testimonia. Distinct. 22. cap. Omnes, Petro, inquit Papa Nicolaus, æternæ uitę clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Item ca. Sacrosancta, Licet omnes essent apostoli, ait Anacletus, Petro tamen à domino concessum est (& ipsi inter sese uoluerunt idipsum) ut reliquis omnibus præesset apostolis, & Cephas, id est caput & principium teneret apostolatus, qui etiam eandem formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Hæc ergo apostolica sedes caput & cardo à domino & non ab alijs constituta est, & sicut cardine ostium regitur, sic huius apostolicæ sanctæ sedis authoritate omnes ecclesiæ (domino disponente) reguntur. Rursus Distinct. 19. Agatho Papa scribit omnibus episcopis, Sic omnes sanctiones apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatæ. Et ca. In memoriam, Licet uix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus & pia deuotione toleremus. Item paulò post, Stephanus Papa, Enimuero, ait, quia in speculum & exemplũ sancta Romana ecclesia (cui nos Christus præesse uoluit) præposita est, ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinat perpetuo quidem & irrefragabiliter obseruandum est. Præterea 9. quæst. 3. Gelasius Papa episcopis per Dardaniam cõstitutis, Cuncta per mundum nouit ecclesia, inquit, quoniã quorumlibet sententijs ligata Pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resoluendi, utpote qui de omni ecclesia fas habeat iudicandi. Et iterum, Cuncta per mundum nouit ecclesia quod sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mũdi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Item, Distinct. 40. ca. Si Papa, ait Bonifacius, suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis & remissus in suis operibus & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & oĩbus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis inæternum uapulaturus, huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius. Rursus 9. quæst. 3. Innocentius Papa, Nemo iudicabit primam ait sedem iustitiam temperare desiderantem. Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. In quem Canonem Glossæ author, Consilium, inquit, non potest Papam iudicare, ut extra. de elect. Significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam uidetur quod sententiæ Papæ standũ esset &c. Idem in ca. Quanto de Translat. episcopi, Titulo 7. disertis uerbis, Papa dicitur inquit habere cœleste arbitriũ, & ideo etiam naturam rerum immutat substantialia unius rei applicando alij. Et de nihilo potest aliquid facere, & sentẽtiam quæ nulla est aliquam facere. Quia in his quæ uult ei est pro ratione uolũtas. Nec est, qui ei dicat, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, & de iniustitia facere iustitiam, corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. Huc pertinet quod egregij isti Commentatores non semel inculcant Papam nec hominem esse nec deum, sed dei uicarium, & mixtum quiddam ex deo & homine. Locos si quis requirat inueniet sacrilegas istas blasphemias in 6. Decretalium lib. 1. de Elect. & elect. potestate, Tit. 6. in ca. 17. item in Clemẽtinarum proœmium. Quid uero multis opus est? potestatem dei sibi Draco iste usurpauit in terris ex integro, transtulit regna, pro emolumento suo omnes leges & ritus fixit & refixit, adeoq; & uniuersæ religionis auitæ & ueræ faciem inuertit, sordibusq; suis aspersit atq; deturpauit, id quod nemo negare potest. Sedet ergo in templo dei ostentãs seipsum esse deum.

Papa nec deus nec homo.

Iam addimus his quæ de hac ipsa re diuinus ille uates Daniel prodidit in cap. 7. Et ecce oculi inquit ueluti oculi hominis erant in cornu isto & os loquens grandia. Et paulò

Vaticinium Danielis de Antichristo.

post, Et loquetur uerba ex parte altissimi, atq; sanctos altissimi cõteret, & putabit se posse mutare tempora & legem. Plana autẽ sunt ista omnia ex superioribus. Oculi enim symbola sunt prudentiæ. Significauit ergo hoc hominum genus solertissimum futurum, quod omnia dolis, fraudibus, uafricie & artibus sit impetraturum perfecturumq;. Et sanè astutissimos uaferrimosq; dicet fuisse Romanos Pontifices quicunq; recte expenderit quomodo hi ex loco obscurissimo in sublime & fastigium peruenerint imperij tanti. Neq; uero cuiusquam os grandiora loqui potuisset quàm Mahumetis & Pontificis loquutum constat ex superioribus. Et cum tanta sibi arrogarunt, adhuc tamen ex parte altissimi loqui & esse uoluerunt, adeò ut si quis hodie adhuc aduersarios & hostes dei appellitet, uiuus uix illorum manus euadat. Adde quod hic prophetam se dei altissimi, ille Vicarium dei in terris uult haberi, ut qui istam potestatem ab ipso deo traditam acceperint, & nunc iure diuino usurpent. Cæterum non defuerunt qui impostu ram & impietatem istam sentirent, hisq; summis repugnarũt uiribus. At hos protriuit Sanctissimus & Turcarum uictoriosissimus imperator. Nam quantũ effuderit utercq; sanguinis Christiani, expositum est superiori historia, quantum uero etiamnum effundant docet satis infelix experiẽtia. Iam tametsi nemini potestas facta sit bonas dei leges figendi & refigendi pro arbitrio, usurpabit tamen eam potestatem sibi Antichristus. Vnde Daniel, Et putabit ait se posse mutare leges: non autem dicit, Habebit potestatem mutandi. Et Mahumet & Pontifex eam potestatem sibi usurparunt impudẽtissime, id quod paulò ante copiosissimis testimonijs declarauimus. In 11. cap. idem Daniel, Et faciet, ait, secundum uoluntatem suam rex, & exaltabit se & magnificabit super omnem deum, & contra deum deorum loquetur mirabilia, & prosperabitur usq; ad consummationem iræ, quia decisio facta est. Et quæ sequuntur. Plura enim in hanc rem eo loci dedit propheta, quæ à quouis cordato citra negotium & commentarium intelliguntur.

Vaticiniũ Pauli in euangelicos detortum.

Neq; uero hic & illud dissimulãdum quod Pontificij hunc locum Pauli de nobis exponunt. Nunc enim aiunt defectio illa impleta est, cum Lutherani & Zuingliani deficiunt à sancta sede Romana, & omnibus peccatis ac sceleribus sua illa libertate ianuã aperiunt, & aduersantur ecclesiasticis prælatis, deinde efferuntur aduersus ipsum dei uicarium, prophanantes authoritatem ecclesiæ quæ nunquam errauit, sedentesq; in templo dei iactitant se prædicare uerbũ dei, ideoq; se ut numen quodpiam suspiciendos putant. Cæterum iniuriam faciũt nobis, quippe cum à ueritate Canonica ne latum quidem culmum discesserimus unquam. Tametsi enim Romanam ecclesiam ut nunc instituta est non agnoscamus, agnoscimus tamen sanctam Catholicã ecclesiam, & huius caput unicum Christum Iesum, qui cum ad consummationem usq; sæculi se nobiscum permansurum promisit, non est quod uicarium substituisse credamus. Vicarius enim uices gerit absentis. At ecclesiæ suæ præsentissimus est Christus. Hunc unicũ prædicamus, commendamus & inculcamus ecclesijs nostris. Fidẽ in hunc assidue excitamus, charitatem, innocentiam & uitæ puritatem quàm diligentissime tradimus. Neq; aliam docemus libertatem quàm eam de qua scripsit Apostolus, Vos in libertatem uocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carni, sed per charitatem seruite uobis inuicem. Nemini uero ecclesiasticorum procerum aduersamur. Ecclesiastici enim proceres sunt ministri uerbi & doctores ueritatis euangelicæ. Quis uero tales contemnat? quis talibus aduersetur? Si qui uero sub prætextu ecclesiæ & ministerij sua quærunt, dominantur, ueritatem opprimunt, & diuinis contemptis humana quædam tradũt, sanè sua culpa contemnuntur iure. Petrus enim dixit, Oportet deo plus obedire quàm hominibus. Et dominus in Euangelio, Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, multosq; seducent. Rursus nunquã prophanauimus nos authoritatem ecclesiæ catholicę. Quia Christum ipsum & ueritatem canonicam magni pendimus. At robur & fundamentum ecclesiæ Christus est & ueritas, quomodo igitur non auguste sentiremus de ecclesia? In templo dei nunquam sedimus, sed ministrauimus semper, & uobis hoc nomine reclamamus potissimum quod dominari siue sedere non ministrare nobiscum uultis. Præterea libere confitemur nos relictis traditionibus humanis pure & simpli-

ſimpliciter quantum uidelicet gratia dei dat & fragilitas noſtra permittit prædicare ſcripturam canonicam, & propter huius non noſtram authoritatem firmandam cum Paulo aliquoties pronunciare, Qui reiȝcit hæc non reiȝcit hominem, ſed deum qui dedit ſpiritum ſanctum prophetis & apoſtolis, ut hæc nobis traderẽt. Imò omnem gloriam uni deo tribuimus in omnibus nobiſipſis nihil quàm confuſionem. Teſtabuntur hoc eccleſiæ noſtræ quæ Chriſti ſunt.

Paraphraſis S. Hieronymi in hæc uerba Pauli.

Vltimo loco aſcribam D. Hieronymi paraphraſim qua hæc Pauli uerba quæſtione ad Algaſiam 11. ad hunc modum expoſuit, Niſi inquit uenerit diſceſſio primum, quod Græce dicitur ἀποστασία, ut omnes gentes quæ Romano ſubiacent imperio recedant ab eis, & reuelatus fuerit, id eſt oſtenſus quem omnia prophetarum uerba pronũciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt, & filius perditionis, id eſt diaboli: ipſe eſt enim uniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto, & ideo uocatur Antichriſtus & extollitur ſupra omne quod dicitur deus, ut cunctarum Gentium deos, ſiue probatam omnem & ueram religionem ſuo calcet pede, & in templo dei, uel Hieroſolymis (ut quidam putant) uel in eccleſia (ut uerius arbitramur) oſtendens ſe tanquam ipſe ſit Chriſtus & filius dei. Niſi inquit fuerit Romanum imperium ante deſolatum & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non ueniet, qui ideo ita uenturus eſt ut Antichriſtum deſtruat. Meminiſtis ait quod hæc ipſa quæ nunc ſcribo per epiſtolam, cum apud uos eſſem præſenti ſermone narrabam & dicebam uobis Chriſtum non eſſe uenturum niſi præceſſiſſet Antichriſtus. Hactenus D. Hieronymi uerba recenſuimus.

Et nunc quid detineat ſcitis, nempe ut ille reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium nũc agit iniquitatis, tantum qui tenet in præſentia teneat donec è medio tollatur, & tunc patefiet iniquus ille, quẽ dominus conficiet ſpiritu oris ſui & abolebit claritate aduentus ſui.

Diligentius de tempore Antichriſti ſcribit quando ſit uenturus.

Dicat aliquis, Quid autem obſtat quo minus credamus aduerſarium Chriſti nunc regnare & adueniſſe cum uideamus nomini Chriſti & doctrinæ eius oñibus modis contradici à potentiſſimis huius orbis quibuſq; ? Reſpondet Apoſtolus, Scitis quod obſtet, id nimirum quod illum dixi ſuo tempore reuelandum eſſe. Sanè ne nunc quidem quiſquam negare poteſt uim impietatis agere per illum, ſed obtectius nunc uires ſuas exerit quàm ſuo tempore facturus ſit. Ad Antichriſti enim corpus pertinẽt blaſphemiæ, diræ perſequutiones, hęreſes, idq; genus aliæ impietates. At hæ ſtatim ſub ipſis apoſtolorum temporibus germinare capitaq; attollere incipiebant. Vnde Ioannes apoſtolus, Filioli, inquit, nouiſſimum tempus eſt, & ſicut audiſtis quod Antichriſtus uenturus ſit etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe. Paulus ergo ſignificantius illud tempus quo Antichriſtus, omnis ſcilicet iniquitatis perfectio, reuelandus ſit adumbrat dicens, Vbi uero hoc ſublatum fuerit quod nunc detinet quo minus iſte imperitare poſſit, tum patefiet iniquus ille. Id eſt ubi ſublatum aut certe turbatum fuerit Romanum imperium, tum regnabit Antichriſtus, deinde uero ueniet Chriſtus cum ut hoſtem hunc ſanctorum omnium aboleat, tum ut omnem carnem iudicet. Idem enim quod antea nunc planius exponit. Et Græcanica Pauli Latina uerſione multo ſunt dilucidiora, ea ſic habent, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται, id eſt, Tantum hoc tenens nunc donec ex medio fiat, hoc eſt, Hoc ſolummodo quod nunc detinet è medio tolletur, & tunc patefiet iniquus ille. Vel, Hoc ſolum quod nunc impedit eouſq; impediet quouſq; tollatur è medio, ubi uero ſublatũ fuerit, tum prodibit Antichriſtus. Hunc ſenſum ſequutus eſt & D. Hieronymus hæc propè uerba ad Algaſiam ſcribens, Quæ cauſſa ſit ut Antichriſtus in præſentiarum non ueniat optime noſtis. Nec uult aperte dicere Romanũ imperium deſtruendum, quod ipſi qui imperant æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſim Ioannis in fronte purpuratæ meretricis ſcriptũ eſt nomen blaſphemiæ, id eſt Romæ æternæ. Si enim aperte audacterq; dixiſſet, Non ueniet Antichriſtus niſi prius Romanũ deleatur imperium, iuſta cauſſa perſequutionis in orientem tunc eccleſiam conſurgere uidebatur. Et paulò poſt, Romanum imperium inquit quod nunc uniuerſas Gentes tenet rece

det & de medio fiet, & tunc Antichristus ueniet fons iniquitatis. Hæc Hieronymus. Tertullianus quoq; de Resurrectione carnis, Quis ait fiet de medio? nisi Romanus status cuius absessio in decem reges dispersa Antichristũ superinducet &c. Defectio enim regnorum à monarchia Romana & incursiones Barbarorum Gothorũ uidelicet Vuandalorum & Hunnorum occasionem præbuerunt Sarracenis & Pontificibus inuadendi asse quendiq; imperium. Nisi enim robur Romani imperij dissoluissent isti, hi non regnarent. Nos uero ista omnia copiosius exposuimus superiori historia.

De Antichristi interitu.

Sequitur nunc ruina & interitus Antichristi. Non uno momẽto ictu aut telo confossus concidet sed per interualla & multis prælijs infirmatus tandem peribit. Cæterũ neutiquam humana fundetur manu, non multitudine exercitus aut robore militũ, aut bombardarum fulminibus, sed manu & potentia dei. Christus enim hunc primo conficiet spiritu oris suis, deinde totum abolebit clarissimo in iudiciũ aduentu suo. Prius sumpsit Paulus ex 11. cap. Isa. cuius uerba sic habent, Iudicabit in iustitia pauperes & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram in uirga oris sui, & in spiritu labiorũ suorum interficiet impium. Est autem spiritus oris aut labiorum periphrasis uerbi dominici. Verbũ enim dei ualidus ille gladius est quo superbi istius Goliath caput ampuratur. Nam Antichristus loquitur ex parte altissimi et omnia sua ait deducta siue petita esse è diuinis sanctionibus. Harum enim prætextu securus regnauit hactenus. Cæterum ubi diuina bonitate lux euangelica hoc est uerbi dominici illuxerit, protinus impostoris istius disparent nebulæ. Omnibus enim apertum fit istum & moribus & legibus suis Christo repugnare ex diametro. Fit igitur ut cordatiores omnes cognita ueritate Antichristum illum execrentur atq; deserant. Proinde gladius quo iste conficitur uerbum dei est. Tum enim euidentissime conficitur cum natura & ingenium eius ex doctrina ueritatis manifeste cognoscitur. Iugulat ac deijcit ipsum cognitio eius, prouehit fucus & ignoratio eius. Qui enim non norunt eum, apostolicum prophetam imò & deum credũt, at qui cognouerunt uere, Antichristum esse norunt. Posterius sumpsit ex 7. cap. Danielis ubi legimus, Videns uidi donec apararunt thronos & antiquus dierũ sedit, & ecce cũ nubibus cœli ceu filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum perueniebat, & iudicium sedit atq; libri aperti sunt, & uidens uidi donec occisa est bestia & perditum corpus eius traditumq; in combustionẽ ignis. Ideoq; Paulus quem inquit abolebit claritate aduentus sui, id est aduentu clarissimo. Nam in euangelio dixit dominus, Sicut fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Veniet enim in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa. Et quomodo tenebrę, ut inquit Hieronymus, solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentus sui eum dominus destruet atq; delebit. Soli Christo hęc gloria & uictoria reseruatur. Errant eñ, qui putant Antichristũ ante iudicium abolendũ fore armorũ uirtute, quin potius pugna hæc Christi & Antichristi in finem usq; durabit. Et hic armorũ ui fretus perrumpet sanctosq; altissimi conteret. Christi uero membra obijcient se isti & hunc gladio uerbi dei adorientur, fucum detrahent, impietatem accusabunt, atq; ita conficient. Istis enim extinguetur in cordibus cõcidetq; illius authoritas, interim uero licet uictus sit, sæuiet tamẽ donec totũ aboleat iudex Christus. Proinde in sola ueritate uerbi domini & cõstantia fidei nostræ uictoria nostra erit, ô fratres. Deponentes ergo animas nostras apud fidelem conditorem pergamus ueritatem canonicã & gloriã Christi redẽptoris & domini nostri aduersus blasphemias draconis huius impurissimi asserere. Aderit suis Christus etiãsi nos in manus istius dederit.

Cuius est aduentus secundum operationem satanæ cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus & cum omni deceptione iniustitiæ in his qui pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent. Et propterea mittet illis deus efficatiam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam.

Hactenus

Hactenus egit Apostolus de reuelatione Antichristi, de ruina & interitu eius, dixit & de regno attributisq; ipsius, eò iam rediens copiosius describit uires & opera eiusdem. Veniet, inquit, impostor ille satanæ instructus spiritu & uirtute quæ se in illo euidentissime exeret. Tantum enim pollet hæc loquutio, Cuius est aduentus secundum operationem satanæ. Cæterum uires & operationes satanæ potissimũ sunt homicidium & mendacium dicente saluatore, Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est atq; eius rei pater. Et Paulus in præsenti per partitionem operationem satanæ explicãs, enumerat potentiam & signa, hoc est prodigia mendacia, item deceptionem iniustitiæ. Mahumet enim dicit se à deo missum esse in potentia armorum. Hinc uero igne & ferro omnia uastat. Abusus est & Romanus Pontifex omnium regum & principum armis, persequitur & interficit sanctos uel inuocato sæculari brachio, uel exertis uiribus propriis. Testantur autem & maxime nostri sæculi gentium robustissimarum strages quantum iste polleat potentia, quantaq; homicidia imò parricidia ac latrocinia huius opera patrarit satan in orbe. Huius consilio & artibus debemus quod intra 30. annos uidimus robustissimarum gentium uires, Heluetiorum scilicet, Germanorum, Gallorum & Hispanorum, iam in regno Neapolitano, iam in ducatu Mediolanensi, iam in alijs regnis fractas concidisse, reges & principes uel in exilium abactos, uel in captiuitatem ductos esse, diuina simul & humana iura conuulsa, studia bona oppressa, urbes florẽtissimas subuersas, ac agros fertilissimos prorsus uastatos, deniq; nulli ætati esse parsum. Multa huius generis quę huius membra episcopi & proceres ecclesiastici cum complicibus suis per uarias orbis partes & in multis cum regnis tum prouincijs patrarũt magno cum reipublicæ & bonorum omnium ueritatis maxime dispendio data opera transeo, ex his quæ annoto intelligit prudens Lector quid faciat, credat, fugiat.

Regnat Antichristus in potentia & mendacio.

Signa autem duplicia sunt Vera & Falsa. Vera quæ res ipsas exhibent nec ulla phantasia fiunt: sed & ab ipso deo per ministros suos ad cõfirmationem ueri fiunt. Huiusmodi sunt omnia prophetarum & apostolorum Mosis & Christi signa. Falsa autem sunt quæ permissione dei per ministros aut opera satanæ fiunt in derogationem ueri & falsi confirmationem. Horum uero uariæ sunt species. Sunt enim quę falsa specie imponunt hominibus. Sunt quæ res ipsas exhibent uere ut sunt, sed in hoc ut à uero ad falsum abducant. Non enim D. Apostolus prodigia mendacia appellauit ea modo quæ obijciunt apparentiam falsam, sed illa quoq; quæ &si uere fiant ad mendacium tamen pertrahũt, itaq; imponunt spectatoribus. Plura de signis disputauit Aurel. Augustin. in opere Octogintatrium quæstionum quæst. 79. Dominus Iesus apud Matth. in 24. cap. Surgent inquit pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri possit etiam electi: ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere &c. Equidem plurimum authoritatis Mahumetanæ religioni per signa & prodigia mendacia accessit. Neq; ulla re alia perinde creuit Pontificiæ religionis existimatio atq; miraculorum frequentia. Miraculis obtrusit orbi fidem Transubstantiationis, cultus diuorum, & ueenerationis imaginum. Nemo enim facile explicauerit miras artes quibus toti mundo imposuit satan. Adorarunt alibi porci panem Eucharistiæ. Alibi exuta panis specie uel pusio apparuit uel frustum carnis. Quid quod inexhausti sanguinis riui ex illo emanasse dicuntur alicubi? Qui aliquando salutarunt Mariam Lauretanam, Aquensem, Eremitanam uel Speciosam, quam alij uocarunt Regenspurgensem, uiderunt tabulas, anathemata, & miraculorum testimonia plura quàm quibus uehendis plurimæ naues onerariæ sufficerent. Perreptarat enim hic in diui aut uirginis matris templum incuruus & infirmus salutarat imaginem eius, redierat incolumis, itaq; fulcra in rei huius testimonium idolo suspendit. Alius è naufragio saluus enatarat, opem diui implorauerat, igitur tabulã aut nauis figuram simulachro appendit. Elapsus tertius aliquis è hostium globo uotum uouerat uirgini, ei itaq; arma dicauit. Alius quispiam carceribus effractis catenã, manicas aut compedes diuo consecrauit. Factum est igitur ut non illa tantum sed omnia Chri-

Signa Antichristi.

ſtianorum templa huiuſmodi præſtigijs fuerint pollutiſſima. Occuparant falſa hæc ſigna & ſanctiſſimas in æde Chriſti cathedras, unde euangelica ſigna & ueritas fuerat annuncianda. Inde enim magna cum confidentia concionatorum & incredibili applauſu ſtultiſſimi populi impudentia illa mendacia pronunciabantur. Quid quod & ipſa ſimulachra dicebantur uel loco mota, uel ab ipſo deo cœlitus miſſa, uel alibi latentia eſſe reuelata, alia uero riſiſſe, fleſſe alia, cõtremuiſſe, radios de ſeſe effudiſſe, mirabiliter uel creuiſſe, uel protinus diſparuiſſe, item uocem ædidiſſe nonnunquam. De his dubitare aut liberius hoc eſt uerius loqui licebat nemini, imò capitale erat ſi quis haſce impietates nõ adoraſſet recepiſſetq; ut ab ipſo numine proditas, & ad cultũ propoſitas. His execrandis quidem rebus & extrema populi ſuperſtitione & idololatria manifeſtaria non cõtentus Antichriſtus ille Pontifex, nouos deos quotidie propemodum conſecrauit, hoc eſt canonizauit, ut iſti loquũtur, peregrinationes nouas uel inſtituit uel ſuſceptas aut inuentas confirmauit, reliquias uel ex putidiſſimis & peſſimorum hominum oſſibus delegit adorandasq; propoſuit, ſed & indulgentias promiſit cultoribus, & factitijs illis dijs feſtos dies indixit, & nihil non fecit quod idololatriam augere, fouere & prouehere potuit. Atq; ita religionem ueram corrupit, ut parum corruptiores fuerint Gentes. Adde quod ſapientiſſimis quibuſq; impoſuit falſi probabilis ſpecies & ſignorum mirabilis exiſtimatio. Parum abfuiſſet quin diabolo conſecratorum monachorum de Dominicana ſiue Prędicatorum factione ſigna quæ non citra artis magicæ præſidiũ Bernæ in Nuithonibus deſignarunt ſceleſtiſſime pro ueris & diuinis adorare compulſi fuiſſemus. Ambiebant iam confirmationem approbationemq; apoſtolicam, & impetraſſent facile niſi ſimplicitatis plebeæ miſerta bonitas diuina iſtud iniquitatis myſterium antequam perficeretur abſoluereturq; in omnium aliorum falſorum ſignorum derogationem pudoremq; toti orbi retexiſſet. Ad mendacia illa prodigia prima pertinere puto extructionem cœnobiorum fratrum mendicantium. Carebit fide apud poſteros ſcio ſi quis illis dixerit breuiſſimo temporis ſpatio à mẽdicis tot & tam amplas ſplendidasq; regias eſſe extructas, quarum ſingulæ excipiendis regibus & alendis principibus ſufficiant. At nos harũ uidimus multas myriades in altũ erectas, & per multa ſtadia longe lateq; porrectas, adde & ſummas optimasq; partes cum in agris tum urbibus obtinere. Sed & illi ipſi impoſtores prodigium agnoſcentes, Nemo aiunt principũ aut regum hoc potuiſſet aliquot annorũ abſoluere centurijs quod mendici haud citra miraculũ tantulo temporis ſpatio perfecimus: & ita perfecimus, ut ædificia noſtra certare poſſint cum nobiliſſimis omnis antiquitatis monumentis. Hoc ipſo approbauit deus, aiunt, quod non admodũ diſpliceant illa ordinum noſtrorum inſtituta, quaſi uero Daniel hoc ipſum non multo ante tempore prędixerit futurũ. Sic eñ legimus in cap. xi. Suis cultoribus multiplicabit Antichriſtus gloriã, & dominari faciet eos in multis & terrã diuidet eis in permutatione. Sed hæc hactenus.

Addit Paulus, καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας, hoc eſt, Et in omni deceptione iniuſtitię, intellige, ueniet Antichriſtus. Hoc eſt dum ille uenturus eſt omnis generis iniquitates ſecum inducet, quibus à uero, æquo, honeſto & iuſto abducet, hypocriſi uero erroribusq; inuoluet. Ἀπατάω enim eſt à uia iuſta abduco, & fraude erroribus inuoluo. Intelligimus igitur opera Antichriſti iuſtitiam publicam, honeſtatem omnem & ueritatem ſanctã loco fore mouendam, ſubſtituendam autem in locum iniuſtitiam, hypocriſim, impudentiam, libidinem & perſuaſionẽ uaniſſimam. Quæ niſi quis hodie omnes ætates & ordines poſſediſſe uidet oculis & mente caret. Cæterum fucus fit non omnibus ſed perdendis, hoc eſt illis quibus ueritas improbatur adlubeſcit mendaciũ, hoc eſt qui ſua ſponte pereunt. Et quia tacita quæſtio poterat cõmoueri, Cur uero tantam poteſtatem permittit ſatanæ & huius mancipio Antichriſto dominus? Solutione præuenit quæſtionem & ait, Propterea quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut ſalui fierent. Hoc eſt, Diuina iuſtitia & uindicta hoc ipſum fieri flagitat. Meretur enim illorum pertinax aduerſus Chriſtum rebellio, ut qui Chriſtum pro ſua charitate ſeruare cupientem omnes, & pro ſua ueritate patefacientem ea quæ pertinebant ad ſalutem, non receperunt ut ſalui fierent, nunc permiſſu dei ualeat apud illos falſitas pro ueritate, ualeat tyrannis pro charitate,

Quare tãta poteſtas et proſperitas Antichriſto conceſſa.

charitate,ualeat extinctor pro seruatore, iamq; credant mendacijs hominis scelerati qui filio dei uera prædicanti credere recusarunt. Nã & ipse dominus in Euãgelio secundum Ioannem, Non uultis ait uenire ad me ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio: sed cognoui uos quod dilectionem dei nõ habeatis in uobis. Ego ueni in nomine patris mei nec recipitis me, si alius uenerit nomine suo illum recipietis. Inde nimirum & illa uulgi sermone celebris sententia petita uidetur, Qui non crediderunt Christo credent Antichristo. Et huc quoq; pertinent sequentia Pauli uerba quibus superiora clarius illustrat dicens, Et propterea quia uidelicet dilectionem ueritatis non receperunt ueræq; religionis amantes & studiosi non fuerunt, mittet deus ipsis ἐνέργειαν πλάνης id est efficaciã seductionis, hoc est euidẽtissimam illusionem ac impostură ut uidelicet dementati & sensibus capti non possint non credere mendacio. Atq; hac ratione iudicentur id est mulctentur et puniantur omnes qui nõ crediderunt puræ & simplici ueritati, sed iniustitiam, hypocrisim, superstitionẽ, et errorem magis approbarũt. Habes rationem qui fiat ut mũdus hodie tam prompte credat Antichristianis miraculis dogmatis & ritibus. Iudicium dei est, qui per filium per prophetas & apostolos sat nobis signorum exhibuit dogmata item & ritus satis clare & sufficienter præscripsit. At istis oñibus contemptis decipi maluimus, Antichristi ergo satellites sacrificι et monachi accepta pecunia deceperunt nos nec prius mendacia nobis obtrudere cessauerunt quàm euacuarunt loculos omnium. Protrita uidebantur quæ ex Biblijs proferri poterant, noua indies audire cupiebamus oñes. Inde uero liberum fuit quibuslibet comminisci quidlibet. Acceptissimus erat quisquis noui aliquid induxisset in ecclesiã, horumq; impudentia & nostra curiositate & stultitia factum est iusto dei iudicio ut omnis ueritas exulauerit annis iam multis & mendacium regnauerit per ecclesias ualidissime. Hęc cum ita habeãt & ipsa experientia nimis uera esse comprobet, sunt tamen male feriati quidam qui corruptissimos corruptissimę religionis antistites spiritu oris dominici ad ruinam inclinatos sustentare satagunt. Sed inuicta ueritas uincet & uanos illos ecclesiæ proceres & stolidos ipsorum defensores ni conuertantur ad dominum prosternet atq; proteret. Hactenus uero in gratiam Lectorum & simpliciorum eruditionem & admonitionem de aduentu Antichristi, de regno & interitu eius, copiosius disputauimus quàm ipsi ab initio deliberauerамus. Redimus ad Paulum & Thessalonicẽs. Nam & ipse Paulus finita disputatione de Antichristo ad Thessalonicenses conuertitur.

Ioan. 5.

2. Tim. 4.

Nos autem debemus gratias agere deo semper de uobis fratres dilecti à domino, quod elegerit uos deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ domini nostri Iesu Christi.

Probe ista superioribus connectens Theophylactus, Cum horribilia quædã explicasset ait & quæ possint animum auditoris consternare, nunc horũ lenit corda, ita commonefaciens, Sint quidem alijs ista horrori, his inquam qui pereunt & in quos dæmones plurimũ possunt, nobis uero gratiæ deo agendæ sunt pro uobis, quandoquidẽ ipse uos elegit & charitate sua complexus est. Elegans uero locus est de Electione dei. Elegit nos deus ad salutem, nõ ut dicamus, Si elegit me dominus nõ est quod interitũ metuam quantumuis impudenter peccem. Sed elegit inquit ad salutem quæ salus in nobis perficitur per sanctificationem spiritus & fidem ueritatis, hoc est per ipsum spiritum qui purificat corda nostra & uerã fidem confert. Fides eñ quæ donum dei est, efficax est. Oppositur igitur Paulus fidem ueram falsæ persuasioni de qua & Iacobus pronuntiauit, Fides absq; operibus mortua est. Ad hoc electionis negotium pertinet & prædicatio euangelij. Per prædicationem enim euangelij uocat nos ad fidem ueram & in acquisitionem siue possessionem gloriæ domini nostri Iesu Christi, hoc est ut domini nostri Iesu gloriosum speciosũmue efficiamur peculium gens sancta innocens & immaculata, quæ honoret & colat deum ipseq; deus cultorum suorum inhabitet cordibus. Non enim immunditiæ & libidinis causa uocauit nos deus, sed ad sanctimoniam & synceritatem et ut tem

Elegans locus de Electione.

Ioan. 17.

plum ipſius ſanctum ſimus. Hæc uero tradenda ſunt eccleſijs, ita eripiendi captiui ex ner uo Antichriſti, & ſi qui in captiuitatem eius non peruenerunt hinc diſcant gratias agere deo perpetuas, & porrò orare dominum ne in tentationem inducat, ſed ab illo malo liberet, ſanctificet per ſpiritum fideq; uera retineat in electione ſalutari.

Itaq; fratres ſtate & tenete inſtitutiones quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtram.

Apoſtoli ſua tradiderũt uel uoce uiua uel epiſtolis ſcriptis.

Infert iam quod ab initio ſecũdi capitis intenderat. Dixerat, Rogo uos per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, ne cito dimoueamini à mente &c. Interim uero ad hunc ſcopum multa diſputauit, nunc demum infert & ait, Cum igitur hæc ita habeant perſeuerate in inſtitutis noſtris quæ uobis tradidimus uel uoce uiua cum apud uos ageremus, uel ſcriptis epiſtolis quas miſi abſens. Verũ eñ euangeliũ tradidi uobis, non eſt quod requiratis aliud. Abutũtur hoc loco Pontificij in defenſionẽ traditionũ humanarũ. Agnoſcimus nos traditiones apoſtolicas non minus recipiendas eſſe quàm ſcriptas epiſtolas: cæterum non agnoſcimus omnes eas eſſe apoſtolicas traditiones quas iſti nobis apoſtolicarum titulo obtrudunt. Traditiones apoſtolicæ non pugnant cum ſcriptis epiſtolis. At iſtorum traditiones ſcriptis apoſtolorum ex diametro repugnant. Id quod alijs in locis copioſe ſatis demonſtratum eſt.

Ipſe uero dominus noſter Ieſus Chriſtus & deus ac pater noſter qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam per gratiam conſoletur ueſtra corda, & ſtabiliat uos in omni ſermone & opere bono.

Admonitioni pro more ſuo felicem fauſtamq; imprecationem ſubiũgit. Mira autem arte totam euãgelij ſummam hiſce intertexuit, nempe quod deus dilexerit genus humanum, & dederit æternam ipſi conſolationem Ieſum Chriſtum qui eſt ſpes noſtra, dederit autem per gratiam ſuam & non propter meritum noſtrum, ut uidelicet æternum uiueremus. Imprecatur inquam ipſis ut deus ille tam mitis & benignus conſoletur corda ipſorũ, & ſtabiliat in omni ſermone & opere bono, id eſt in omni iuſtitia. Omnia enim Chriſtiani hominis officia in hiſce duobus membris comprehendit. Et Germani eandem uſurpãtes partitionem, omnem iuſtitiam diuidimus in *gůte wort vnd werck*. Hi enim boni illi fructus ſunt qui enaſcuntur ex pectore ſanctificato per ſpiritum ſanctum & fidem ueram. D. Ambroſius obſeruauit ordinem uerborum Pauli, ac, Quoniam, inquit, pater & filius una uirtus unaq; diuinitas & ſubſtantia eſt, ideo non dubitauit primum dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ nominare, deinde deum patrem noſtrum. Et Theophylactus annotauit Paulum hanc precationem ita temperaſſe, ut ſimul quid ipſos deceat præſcripſerit, nempe ut bonis ſermonibus & operibus inuigilent, atq; in bono perſeuerent, in primis uero Chriſtum agnoſcant unicam eſſe fidelium ſpem atq; conſolationem ſempiternam.

CAP. III.

Quod ſupereſt orate fratres pro nobis, ut ſermo domini currat & glorificetur, ſicut & apud uos, & ut eripiamur ab abſurdis ac peruerſis hominibus. Non enim omnium eſt fides, ſed fidelis eſt dominus qui ſtabiliet uos & cuſtodiet à malo. Confidimus autem per dominum de uobis, quod quæ præcipimus uobis & facíatis & facturi ſitis. Porrò dominus dirigat ueſtra corda in dilectionem dei, & in expectationem Chriſti.

De oratione.

Nihil apud deum fideli oratione ualidius, inde uero hanc omnibus locis inculcat pijs quàm ſtudioſiſſime. Et hic quoq; in miris rerum turbis in exulceratiſſimo ſæculo ſummoq; piorum diſcrimine ad preces relegat. Prædicabatur quidẽ ueritas, ſed oboriebantur interim ſchiſmata uaria inter eos quoq; qui religionis ueræ cultores uideri uolebãt, hoſtes autem religionis publici & ueritatem proſcribebant, & ueritatis alumnos perſequebantur

quebantur crudeliſſime, nec deerant hypocritæ quidam & falſi fratres peiores & pietati ueræ illis longe peſtilẽtiores. Vere enim dicitur amicum hypocritam hoſte publico eſſe nocentiorem. Hunc enim cauemus, iſtum uero celamus nihil. Itaq; inſignis illa illorum temporum improbitas, impietas & perfidia Chriſtianorum uitam aliàs amaram ſatis reddebat multo acerbiorem. Verum Paulus ad preces inuitãs, Reliquum eſt ait ut in tanto rerum diſcrimine quanto nunc uerſatur orbis conuertamini ad preces. Præſcribit autem ſumma rerum capita quæ aſſiduis precibus à deo petant. Primum, Vt ſermo domini currat & glorificetur apud omnes alias Gentes quemadmodum apud Theſſalonicenſes fuerat diuulgatus, & à pijs cum ſancta gratulatione acceptus. Hoc uero omnium ſanctorum perpetuum & ardẽtiſſimum fuiſſe uotum teſtis eſt omnis ſcriptura. Et in Actis cap. 4. hoc unum à deo petit apoſtolica eccleſia, ut det apoſtolis gratiã & robur quo ſufulti loquantur uerbum dei cum fiducia. Peccatur hodie grauiter à nobis quod tam frigide iſta à deo petuntur, atq; utinam non negligerentur etiam à nobis penitus. Porrò Currat prouerbiali figura dixit pro eo quod eſt propagetur & inoffenſe et proſpero cum ſucceſſu diuulgetur. Glorificatur uerbum cum recipitur ab hominibus omnisq; gloria uni deo tribuitur. Secundum quod petendum docet precibus tale eſt, Vt eripiamur ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων, id eſt ab abſurdis & malis ſiue peruerſis hominibus. Vocarunt autem Græci ἄτοπους homines abſurdos & inconuenientes ſiue inordinatos, qui ſuo tempore & loco nihil faciunt, ſed perperam omnia. Significauit ergo Apoſtolus hoſtes uerbi quibus nihil recte fit cum interim ipſi nil recte facere norint. Hi calumniantur & inuertunt omnia, bene & recte dicta & facta deprauant, & ſuſpicionibus pudendis onerant atq; polluunt. Idem illi & πονηροὶ praui dicuntur malitioſi & peruerſi. Ab illis & Dauid in carminibus ſuis frequentiſſime cupit liberari. Et dominus in precatione illa ſacra ſub finem adiecit, Libera nos ἀπὸ τοῦ πονηροῦ ab illo malo nõ dæmone modo, ſed ab uniuerſo ſatellitio & corpore eius, præcipue autem à ſpirituali illa nequitia & aſtutis illis impoſtoribus. Plus enim periculi eſt ab amico falſo & ſimulante omnia quàm ab hoſte publico. Huc iam pertinet quod ſequitur, Non enim omnium eſt fides. Hoc enim ſentit Paulus, Non omnes ſunt fidi & ueraces qui fidi uolũt uideri. Fides enim in præſenti ea uſurpatur ſignificatione qua in illa poëtæ ſententia, Nuſquam tuta fides: atq; ita poſuit Apoſtolus rem pro perſona uſitata ſibi enallage. Quod ſi tropum nolis agnoſcere, iam hic erit ſenſus, Quod tantopere preces ueſtras flagito ut eripiamur ab abſurdis & peruerſis hominibus, inde eſt quod noui plures inter nos eſſe falſos fratres. Non enim omnes qui fidem ſimulant & ore profitentur ueram fidem habent. Nam & dominus in euangelio dixit, Multi ſunt uocati, pauci uero electi. Et quanquam non diſpares ſint ſententiæ, magis tamen probatur mihi ſententia prior. Sequitur iam, Sed fidelis eſt dominus qui ſtabiliet uos & cuſtodiet à malo. Ne enim multorũ perfidia animos deijceret ſanctorum, Tametſi inquit multi ſint inter nos perfidi, Dominus tamen uerax & fidelis eſt, qui promiſſiones ſuas præſtabit nobis ſuisq; aderit perpetuo. Oppugnant illi euangelium, ſed non expugnabunt: remorantur quo minus currat, ſed non retro agent penitus: produnt ueritatis ſtudioſos, ſed ipſam ueritatem non oppriment. Semper enim ſuis aſtat fidus propugnator Ieſus Chriſtus. Hic confirmabit ſuos aduerſum iſtorum improbitatem & cuſtodiet à malo. Verax enim cum ſit, quæ cœpit in uobis feliciter abſoluet. Hæc conſolationis plena uerba ſubinde ingerenda ſunt periclitantibus & ſibi hodie quoque ab abſurdis & peruerſis hominibus miſere metuentibus. Iſtis ſubijcit correctionem dicens, Confidimus autem per dominum de uobis &c. Quaſi dicat, Atq; hæc dicimus non quod dubitemus de ueſtra conſtantia, imò confidimus de uobis opitulante domino Ieſu, quod ea quæ præcipio uobis de precibus, uigilia & conſtantia, faciatis & in poſterum facturi ſitis. Habet autem plurimum gratiæ ſi in admonitione de eo quod accipere aut impetrare cupimus ceu accepto & impetrato gratulemur. Rurſus ne quis ſuis uiribus tribueret nimium, quin potius intelligeremus omnes omne donum à deo cœlitus nobis conferri. Porrò dominus, inquit, dirigat corda ueſtra in dilectionẽ dei & in expectationẽ Chriſti. Quibus addit Paraphraſtes, Charitas dabit ut indefinẽter ſtudeatis de

omnibus bene mereri, quemadmodum deus beneficus est in omnes. Expectatio aduentus Christi præstabit ut afflictiones omnes fortiter toleretis. Restant igitur in omnibus turbis & periculis duo nobis fulcra quibus sustentemur, Preces & Fides constans. Horum obsecro meminerimus fratres & cum nostra quoq; tempora corruptissima & exulceratissima sint & hoc nomine sancti non angi non possint, precemur deum firmaq; fide teneamus illum nobis nunquam defuturum, tametsi interim absurdi homines multi uel persequantur ueritatem uel prodant. Deus uerax & fidelis est qui se negare non potest, & ueritas in æternum stabit inuicta: adhæreamus ergo ueritati & uincemus tametsi occumbentes uideamur uicti.

Præcipimus autem uobis fratres per nomen domini nostri Iesu Christi ut subducatis uos ab omni fratre qui inordinate se gerit, & nõ iuxta institutionem quam accepit à nobis.

Damnat otium, laborẽ suadet.

Expositum est in 4. capite prioris epistolæ quid huic præceptioni occasionem dederit, nempe quod protinus ab apostolorum temporibus cœperint se ecclesiæ dei curiosi quidam ingerere qui uel religionis prætextu uel malis artibus, hoc est ignauo otio suauem sibi uitam parabant. Et priori quidem epistola contra illos modo uelitatus in hac iustum prælium committens hostes fundit & fugat. Principio in genere summam negotij proponit, & ait, Nolo ullum habeatis commertium cum inordinatis & secus res suas instituentibus quàm nos ordinaueramus. Hanc uero non simpliciter sed maxima cum authoritate uerborumq; pondere pronunciat, dicens, Præcipimus uobis fratres. Deinde ne quis præcipientem putaret contemnendum addit, Per nomen domini nostri Iesu Christi. Quasi dicat, Quæ aũt præcipimus non tam nostro quàm Christi domini iussu & promulgatione præcipimus. Iamq; diuinum præceptũ recitat, Vt subducatis uos ab omni fratre qui inordinate se gerit, hoc est, non iuxta institutionem quam accepit à nobis. De ea institutione paulò post dicemus. Monuit Erasmus, In ordinem cogi eos qui communi legi astringuntur, nec ulla in re differunt à cæteris. Huic diuersum esse si quis contemptis legibus publicis suo uiuat arbitratu. Id uero Paulum uocare ἀτακτεῖν præter ordinem uiuere. Respondet huic per omnia uita monastica contra institutionem dominicam & apostolicam à nobis recepta. Cæterum præcipiens ut ab illis nos subducamus non id præcipit quod faciunt Catabaptistæ separantes se à sanctorum communione priuatamq; constituentes ecclesiam, sed ut illorum uitemus consortium quantum possumus, certè ut illi erubescant uideantq; se contemni ob ignauiam, & reuertantur ad dominum.

Nam ipsi scitis quomodo oporteat imitari nos, Quoniam non inordinate gessimus nos inter uos, neq; gratis panẽ accepimus à quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc ne cui uestrum essemus oneri. Non quod id nobis nõ liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos.

Paulus proprijs manibus laborauit.

Exemplo suo declarat quam ipsis tradiderit institutionem. Hoc ipso laborem suadet, otium damnat. Verba ipsius plana sunt. Tametsi inquit potuissem uestro uictitare sumptu & stipendio (per panem enim intellexit uictum, imò omnia quæ pertinẽt ad sustentationem siue necessitatẽ uitæ) malui tamen noctes atq; dies laborare, quo nosmetipsos formã atq; exemplar præberemus quod omnes imitarentur. Hinc uero iam liquet quid sit Inordinate uiuere, quid ordinate. Inordinate uiuunt qui otiantur & gratis panem accipiunt, hoc est fucis similes aliorum uescuntur laboribus. Ordinate uiuunt qui cum labore & sudore noctes atq; dies, hoc est assidue opus faciunt, nec cuiquam oneri sunt.

Monachi.

His ueluti fulminibus sacris attacti corruunt omnium Ordinum siue Monachorũ instituta & regulæ. His cõgruunt quæ idem Paulus Mileti disputauit apud fratres Ephesios, Acto. cap. 20. Quid uero Anabaptistis hunc ipsum locum nobis qui uiuimus ex euangelio obijcientibus respondendum sit alibi docuimus.

Etenim

Etenim cum essemus apud uos hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari is nec ederet.

Repetit eandem illam institutionem suam quam domini esse dixit uerbis disertis complexam. Hæc est autem lex, ut qui laborare non uult non edat. Neq; enim alimoniã merentur ignaui. Huic legi diuinę non disparia puto quæ huiusmodi diuerbijs à Gentibus fic pronũciata sunt, ὁ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει, id est, Qui fugit molam, fugit farinã, hoc est qui refugit industriam non fruetur emolumentis. Item, οὔτε μέλι, οὔτε μέλιτταν, id est, Neq; mel neq; apes. Si quis enim apes ideo nolit perpeti quod aculeatæ sint, is indignus est qui fruatur melle. Et Mimus in hanc extat sententiam, Feras quod lædit ut quod prodest perferas. Idcirco Valerius de Institutis lib. 2. cap. 1. Omnibus, inquit, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt clausas portas habet Massilia. Id institutum si obseruassent Germaniæ reges ac proceres ante annos trecentos, profecto plus haberent opum & monachorum minus. Plutarchus in Apophthegmatis Lacedæm. refert apud eam gentem deos deasq; omnes hastatos fingi solere. Venerem etiam ipsam armis indutam, tanquam ne illi quidem otium agant. Addunt inquit & prouerbium, τὰν χεῖρα πρὸς φέροντα λῆ τὰν τύχαν ὠθεῖ καλεῖν, id est, manum admouẽti fortuna inuocanda est. Ita enim diuino auxilio fidendum est ut nihilo segnius quantum in nobis est etiam ipsi nostra adnitamur industria. Non audiunt superi desidiosorum uota. Contra uulgo iactatum est, Deos adiuuare facientes. Et certissimum uiaticum esse uel eruditionem uel artificium aliquod. Item, Ars ipsa inopię portus est mortalibus, hoc est, Vnicum confugium in egestate est ars. Vnde qui sapiunt (uerbis utor Erasmi) etiamsi suppetat abunde res familiaris, tamen liberos suos opificium aliquod discere cogunt, quo si contingat ut fortuna auferat opes, aut in exilium ire iubeantur, sit quo sibi uictum parent. Dionysius Syracusanorum tyrannus imperio exutus Corinthi ludum aperuit ac pueros literas & muficam docuit. At nũc pleriq; quibus domi nihil est in diuitum familijs consenescunt, unde si pellantur aut mendicandum sit, aut tollendum quod non posuerunt. Damnat hic quoq; Pauli locus omnes ualidiores mendicantes. De monachis & inutilibus ad diuina ecclesię ministeria sacrificis non est quod moneam quicquã cum nulla damnatio uel fingi possit quæ perinde in hos cõgruat. Vos Principes & Vrbium magistratus curabitis ut hęc dei lex apud uos ualeat locumq; habeat, si modo salus reip. uobis curæ est. Nolite obsecro plebis uestræ facultates istis miluijs diripiendas falso religionis nomine dementati obijcere, uel prædatoribus perpetuo conniuere. Asserite uestros quæso, & legem dei in respublicas uestras reducite. Plura de otio & labore annotata reperies in 18. cap. Actuum apostolorum.

Qui non laborat non edat.

In adagium, Artem quæuis alit terra.

Audiuimus enim quosdam uersantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes. Iis autem qui sunt istiusmodi præcipimus & obsecramus per dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant.

Idem planius & strictius dicit quod hactenus proposuit fusius. Quod ista inquit tantopere urgeo inde est quod audio quosdam apud uos uersari inordinate, hoc est nil operis facientes, sed curiose agentes. His ergo per dominum nostrum Iesum Christum præcipimus ut cum quiete operantes suis ipsorum manibus uictum sibi parent. Hoc enim præcepit dominus ab ipso mundi exordio Gene. 3. otium damnauit perpetuo. Græcanica huius loci multo sunt & uiuidiora & planiora. Audimus inquit quosdã in uobis esse μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, id est prorsus nihil operantes, sed inutilia quædam sectantes. Nam περιεργάζομαι significat elaboro & nimis diligenter, hoc est curiose adeoq; inaniter laboro: ut sit sensus, Audio in uobis esse qui nihil laborent: Tametsi enim strenue & plus nimium laborent, inutilis tamen est labor eorum, præstaretq; otiosos esse quàm ita perperam laboriosos. Ita uidemus hodie quoque haud segniter laborare monachos, sacrificos & monachas, cantillãt, preces dies totos & noctes

Cogendi in ordinem inordinati.

integras obmurmurant, uigilant, & nihil non faciunt quod huiusmodi homines facere debent: sed cum Christus dixerit, Frustra me colunt docentes doctrinas hominum, inutilis est labor istorum & superuacaneus. Ita & Catabaptistæ omnium ædes perreptant, noctes atque dies prælegunt ac prædicant, sed nemo uocauit eos, neq; synceritatem sectantur imò turbatores sunt. Vsurarij quoq; circũcursitant, omnes appellitant, omnem lapidem mouent: sed ut ditescant & aliorum sudore uictitent. Tametsi ergo strenue operentur hi omnes, nullius tamen momenti sunt quæ elaborãt. Proximis enim uel parum uel omnino nihil prosunt: quid uero nihil prosunt dico, cum non modo obsint, sed rei publicæ maximæ sint pestes? Diuus Ambrosius genus quoddam curiosorũ hominum quo ne hodie quidem caremus describens ait, Qui otiosi esse desiderant, id agunt quatenus occasio nascatur qua introitum suum desiderabilem faciant domibus diuitũ, ambulantes gesta & opiniones uerborum subtiliter colligunt, scientes quid de quo uelint audire ut libenter & requisiti pascãtur. Quod factum ualde abhorret à disciplina dominica. Horum enim uenter deus est, qui fœda cura necessaria prouident. Hæc Ambrosius. Quanto magis à disciplina domini abhorret quod monachi & sacrifici plebẽ prætextu nominis dei & cultus eius expilarunt uentremq; suum lautitijs & delicijs suauissimis & delectissimis farserũt? Quod item mendici ualidi & hypocritæ prætextu nominis Christi otium suum cum Christianorum dispendio alunt? Talibus inquit Apostolus præcipimus & obsecramus per dominum Iesum Christum, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant. τὸν ἑαυτῶν ἄρτον inquam, id est suum ipsorum panem, per emphasim, quasi dicas non alienum sed suum. Qui enim curiose agunt, non suum sed alienum panem edunt, præterea non cum quiete laborãt. Labor enim ipsorum semper turbas habet, cum sit inutilis & miseræ plebeculæ oneri. Necessarius contra labor quietem & utilitatem plurimam habet, qui enim res proprias agit & propris manibus laborat nulla re indiget, ergo nemini oneri est, sed & indigentibus impartitur, Ephes. 4. 1. Thessal. 4. Hoc ipsum & uobis dictum putate quicunq; plebi estis oneri, quicunq; nihil operis facitis, sed inutilia sectamini. Puniet uos Christus nisi otio uestro inhonestissimo deserto laborare perrexeritis. Cæterum amplissimus hic locus esset differendi de laborum & negotiationum generibus, item de pauperum subuentione & officijs. Corruptissima enim apud nos sunt omnia, sed malo ego hic alijs subscribere eruditioribus quàm meam prodere insciti am. Scripsit de hac re duos libros Lodouicus Viues, quos si magistratus lectione assidua sibi quàm familiarissimos facerent, melius fortassis haberẽt respublicæ, minusq; otij ignaui & plus foret laboris & quietis.

Tales sunt hodie ciuiliores mendici, et qui se fingunt ueritatis nomine exulari.

Vos autem fratres ne defatigemini benefaciendo.

Benefaciendum omnibus.

Solet uulgus diuitum ignauiam opprobrare & otium obijcere pauperibus nonnunquam miseris potius quàm malis, atq; hoc prætextu dignis quoq; denegare misericordiam. Paulus ergo, Nolo inquit hac lege quenquam à beneficentia abstrahere, aut cuiquam occasionem præbere seuerius ac inhumanius agendi cum miseris. Semper enim benefaciendũ est: benefaciendum est quibuslibet, præcipue tamen pijs. Nolumus deum nostris defatigari necessitatibus, cupimus hunc frequentissima uota nostra sereno excipere uultu. Proinde non oportet nos quoq; defatigari cum illius membra à nobis nostram implorant opem. Et miserum est uel ignauum peremisse fame. Rursus peccant in dei disciplinã qui ignauis nimiũ propitij sunt. Pij æquitate magistra litem hanc dirimũt.

Quod si quis non obedit sermoni nostro, hunc per epistolam indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur, neq; uelut inimicum habeatis sed admonete ut fratrem.

Pœna decernitur inobsequentibus.

Statuit inobsequentibus pœnam. Quod si quis inquit contemnit obedire institutis nostris, hunc per epistolã indicate, interim uero submoueatur à familiaritate uestra, atq; id quidem in hunc finem ut pudore suffusus resipiscat. Disciplina enim hæc non ad perditionem sed ad salutẽ instituta fit. Non itaq; abdicabitis peccatorẽ prorsus, sed amabitis ut fratrem perpetuo, interim tamen admonebitis eum erroris atq; corripietis. Intelligi-

mus

mus ex hoc loco qualis & in quem finem debeat esse instituta ecclesiastica disciplina, cur item Apostolus iubeat nos à consortio recedere inobsequentium, non ut illos ueluti hostes & impios abominemur, non ut nosmetipsos sanctitate præferamus cæteris, aut nobis ipsis placeamus, tyrānidémue exerceamus in miseros, sed ut noxius per nostram abstentionem doctus & ueluti sui commonitus in sese descendat sceleris sui turpitudinem pro re æstimet, & pudefactus resipiscat. Quod si malitia superante nolit resipiscere & hac ratione sibi redditus pœnitere, iam deliberabunt apud se sancti qua ratione insanienti possit consuli, ne uel ipse totus pereat uel alijs scabiem suam affricet. Errāt enim qui post abstentionem omnia abijciunt consilia, sentientes post istam nihil datum esse uiris ecclesiasticis quo errantes in uiam reducant. Atqui Paulus hunc inquit per epistolā indicate. In quem finem quæso? ut nomen teneret inobsequentis? Sed quæ hinc utilitas? Voluit ergo indicari istos per epistolam, ut de insanientibus alia atq; alia cum pijs captaret consilia. Annitendum enim nobis omnibus ne uel importunitate uel seueritate uel inscitia & negligentia perdamus pro quibus Christus mortuus est. Verum disputatū est de hac re in quinto cap. 1. ad Corinthios. Quanquam quibusdam uideantur hæc Apostoli uerba de priuata hominum consuetudine intelligenda esse, uidelicet ut quilibet sibi quantum potest temperet ab inobsequentium consuetudine & familiaritate. Nec desunt qui exposuerunt de publica excommunicatione.

Ipse autem dominus pacis det uobis pacem semper omnibus modis. Dominus sit cum om̄ibus uobis. Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo, Gratia domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis, Amen.

Concludit epistolam & uinculum omnis iustitiæ sanctam ipsis pacem imprecatur, ut hanc semper & in negotijs omnibus teneant. Dissidij enim, rixarum, æmulationum, inuidentiæ & simultatū author est satan, Concordiæ uero lenitatis & charitatis deus. Hic cum omnibus sanctis quoad in hisce terris repunt in ueritate & iustitia habitat. Huius præsentia omnis boni fons est, huius absentia tenebrarum erroris horrorisq; æterni caussa est. D. Ambrosius, Propter interpolas, ait, & adulteratores scripturarum semper se manu sua in omni epistola sua Salutationem suam subscribere testatur, ut sub nomine eius epistola accepto ferri non possit quæ non fuerit manu eius subscripta. Tanta fuit apostolis cura ne quo modo autarte ulla imponeretur ecclesijs. Docent hæc quanta sit certitudo & ueritas apostolicarū literarum. Et quia Paulus constanter apud omnes gentes docuit Gratia seruari genus humanum, inde uero signum siue subscriptionem suam petens ad finem omnium epistolarum fidei notam subsignauit scribens, Gratia domini nostri Iesu Christi sit uobiscum. Constat ergo Apostolum in scribendis epistolis notariorum siue librariorum opera esse usum. De qua re alibi quædam annotauimus. Hæc uero in utramq; ad Thessalonicenses habuimus. Pax.

FINIS.

D. VVERNHERO STEINERIO HEINRYCHVS BVLLINGERVS GRATIAM ET VITAE innocentiam à Domino.

OFFERO tandem, amice ac frater chariſſime, quod ante annos decem pollicebar, Commentarios in epiſtolas Pauli ad Timotheum. Puduit interim piguitq; pollicitationis temeriæ, ut uerum fatear, non ſemel, quod in diem experientia magiſtra diſcerem quanta ſuppellex Commentatori neceſſaria, rurſus quàm illa mihi curta ſit. Poſteaquam uero indefeſſæ eruditiorum & ſanctorum hominum epiſtolæ & preces impetraſſent, uel ab inuito in reliquas propè epiſtolas Pauli omnes Enarrationem, perfidi maleq; grati hominis eſſe uidebatur ſpe ſua fraudare uererem & optime de me meritum amicum & hoſpitem meum. Pro tuo enim in omnes dei miniſtros & uerbi eius ſtudio me quoq; exulem elapſumq; è perſequutionis incendio fouebas humaniſſime. Pro eadem nimirum charitate tantopere à nobis haſce poſtulaſti Commentationes ut prodeſſes quàm pluribus. Vidiſti hiſce epiſtolis Inſtitutionem epiſcopi contineri, & proinde has eximie & mediocriter doctis utiles eſſe, at hos ſine duce & indice non poſſe latius progredi inoffenſe: profuturos ergo his Commentarios. Ego certè hoc conſilio, id eſt iuuãdi ſtudio laborem hunc non grauatim in me recepi. Tibi uero debent ſi quid labore & opera mea beneficij contuli. Perge tu fauore complecti bonos & beneficentia iuuare dignos, omniq; modo prodeſſe quàm pluribus. Vocauit te dominus uocatione ſancta, inſtruxit donibus cum animi tum fortunæ non aſpernandis. Spartam ergo quam nactus es orna. Volenti & ſtrenue conanti non deerit dominus: ſed qui donauit ut ampliſſima conditione deſerta patrijsq; relictis laribus ipſum & ueritatis prædicationem puram cum facultatum tuarum detrimento non uulgari cum fideli Abraham ſequutus es, idem ille dabit ut contemptis omnibus mundi illecebris conſtanter pergas in uia domini, terrena calces, ad æterna contendas, tandemq; felix in æternam recipiaris patriam, æterno cum deo fruiturus gaudio, quo perfruentur quicunq; abnegatis cupiditatibus, carne, ſanguine, patria, facultatibus, genere & rebus præſentibus ſoli deo æterno & inuiſibili ſed uero bono adhærent. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti tecum ſit frater chariſſime, Tiguri Menſe Februario. Anno domini 1536.

ARGVMENTVM PRIMAE EPITOLAE AD TIMOTHEVM.

Occaſio. EX omnibus epiſtolis Paulinis liquet Timotheum hunc abſolutißimæ cum pietatis tum eruditionis fuiſſe exemplar: unde iam colligimus epiſtolam hanc non tam in ipſius gratiam eſſe ſcriptam, qui uel non admonitus ſapiebat & omnia faciebat recte, quàm in omnium aliorum epiſcoporũ utilitatem qui per ſucceßionem temporum fuerant eccleſijs præficiendi. Proponit enim in hac abſolutißimum exemplar boni paſtoris & diligentis epiſcopi, orationis filum ſecundum materiarum præſtantiam & epiſcopi officia atq; attributa ducens.

Scopus.

1. Principio enim cum potißima epiſcopi functio ſit Docere, initio admonet ut reiectis omnibus fabulis quæſtionibusq; curioſis & humanis traditionibus ea tradat quæ ſint charitatis & fidei ucræ. In his enim duobus capitibus contineri doctrinam ſanam.

2. Deinde cum ad epiſcopi quoq; curam pertineat præeſſe cœtui eccleſiaſtico, precibus ſacris & eccleſiaſticis ritibus, ſecundo loco diſſerit de eo quomodo deprecationes & interpellationes fieri debeant pro omnibus hominibus, item quid hic deceat uiros, quid mulieres.

3. Quia uero plurimum momenti habet exemplum epiſcopi ſanctum, & prophanum ſiue impurum officit plurimum, ideo epiſcopum cum tota familia depingit qualis ſcilicet eſſe debeat, & quid eum deceat qui domui dei præfectus eſt.

4. Veram doctrinam plerunq; ſequitur falſa ut umbra corpus. Neſcit enim inimicus homo conquieſcere, ſemperq; malum ſemen agro dominico bono ſemine ſeminato inſerere gliſcit: ſpecimen ergo huius exhibet Apoſtolus, partim ut ab erroribus caueremus, partim ut tenacius adhæreremus doctrinæ ſanæ. Atq; huc maxime uocat Timotheum, præſcribens quomodo ſe gerat quilibet epiſcopus in rerum diſcrimine. Omnia uero maximo ſpiritu proſequitur.

5. Hæc autem de doctrina ſana, de precibus ſacris, de uita & moribus epiſcoporũ, de doctrina falſa, & quod aßidue laborãdum ſit fideli agricolæ in uinea domini, potißima ſunt huius epiſtolæ capita, quæ ſequuntur de uarijs rebus præcipiunt. Præſcribit enim quomodo ſe gerat erga ſeniores, anus, iuuenes, & puellas, item erga uiduas grandæuas & adoleſcentiores, id eſt ætatis ſuſpectæ mulierculas, rurſus quomodo erga epiſcopos ſiue presbyteros,

presbyteros, quid præscribat seruis ac dominis. Ibidem & auaritiã accusat & αὐτάρκειαν laudat, docens quãtis cum periculis coniunctũ sit studium pecuniæ, item quis sit usus opum, & quæ sint opulentiorũ officia. 6

Vbiq; uero immiscet quod ipsis præ cæteris uoluit esse commendatissimum, ut cauerent sibi à quæstionibus & disputationibus curiosis spinosisq;.

Stilus congruit argumento. Institutiones enim facili & dilucido stilo exarandæ sunt. Et facilia & exposita in hac sunt omnia. Aiunt scriptam à Laodicea Carica. De qua re annotaui quædam in quarto capite ad Colossenses. Verum parum retulerit unde hanc scripserit, siue è Macedonia, siue ex Asia. In hac certè non diu hæsisse legitur à tumultu Ephesino. Protinus enim soluit in Macedoniam, inde transgressus in Græciam, à qua iterum in Macedoniam ueniens breuissimo temporis spatio nauigauit in Syriam, ex hac uero captiuus Romam ducitur. Stilus.

CAP. I.

PAulus apostolus Iesu Christi, iuxta delegationem dei seruatoris nostri, & domini nostri Iesu Christi, qui est spes nostra, Timotheo germano filio in fide, Gratia, misericordia, pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo domino nostro.

Inscriptione hac duo insinuat. Primum apostolum se dei esse non sua uoluntate, hoc est quod id muneris sibi ob compendiũ aut gloriam uindicarit, sed dei uocatione & ordinatione. Nam κατ᾽ ἐπιταγήν idem pollet ac si quis dicat iuxta iniunctionem. Ἐπιτάττειν enim est iniungere, aliquid officij delegare & mandare quidpiam. Hoc ipso parat sibi authoritatem, ut quod paulò post propositurus est maius grauiusq; habeat pondus. Quasi diceret, Apostolus sum, proinde quæ traditurus sum non meo sed illius spiritu profecta sunt qui me misit, ut iam horum meorum præceptorum contemptus in illum redundet. Deinde summam totius euangelij perstringit. Prædicat enim deum esse saluatorem beneficum & misericordem, qui dederit nobis filium suum in argumentum concordiæ quam inierit nobiscum & uitæ sempiternæ, quam nobis omnibus conferre uelit. Vnde ipse dominus Iesus spes & expectatio, salus & summum bonum est omnium fidelium. Maledicti autem sunt qui confidũt in hominem & diuos creaturásue alias spes suas uocant, Ieremiæ 17. Germanum siue γνήσιον filium uocat uerum & ingenuum qui moribus & genio patrem omnino referebat. Nam ad Philippenses, Neminem, ait Paulus, habeo pari mecum animo præditũ qui germane res ueſtras curaturus sit. Et ne quis carnalem filium esse Pauli Timotheũ crederet, adiecit, In fide. Nam & de Corinthijs scribit Apostolus, In Christo Iesu per euangelium ego uos genui. Et fides ac synceritas Pauli in Timotheo ut purissimo speculo relucebat. Theophylactus, Misericordiam noue adiectam putat ex nimia amoris uehementia. Domini uero nomen ideo geminauit, ut intelligeremus diuinitatem & potentiam Christi. Vnde Paraphrastes, Hic ut habet cum patre communia omnia, ita non frustratur ope sua qui sese totos semel ipsius fidei concrediderunt tanquam serui fideles ab optimo simul & potentissimo hero modis omnibus pendentes.

DOCTRINA SANA TRADENDA ECCLESIIS.

Quemadmodum rogaui te ut remaneres Ephesi cum proficiscerer in Macedoniam, ita facito ut denũcies quibusdam ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & genealogijs nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis quàm ædificationem dei quæ est per fidem.

Prima & potissima doctoris ecclesiastici siue episcopi functio est docere. Neq; quicquam ecclesia habet maius aut utilius. Et satan huic in primis insidiatur ut adulteret, uitiet, subuertat. Prima ergo episcopi cura sit doctrinam sanam conseruare illibatam. Paulus certè de hac primo præcipit, & breui expositione proponit in quem finem & usum Ephesi reliquerit Timotheum, ut scilicet doctrinã euangelicam assertione constanti tueretur aduersus omnium incursiones, nebulas & subuersiones. Constat enim omnes uer *In quem finem institutũ sit ministeriũ uerbi.*

bi miniſtros in hoc eſſe à domino in eccleſia inſtitutos ut doctrinam tradant ueritatis, errores & ſuperſtitiones deſtruant. Ita enim Paulus, In hoc reliqui te Epheſi ait, ut denuncies & cum authoritate ac grauitate tradas quibuſdam curioſis & malę fidei hominibus μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, id eſt ne diuerſa doceant, aut, ne diuerſis utantur doctoribus. Eſt enim ambiguum uerbum quod refertur ad utrunq;. Eſt autem una uera & ſancta ueritatis doctrina quæ prodita eſt ſcripturis canonicis. Huius doctores & authores ſunt prophetæ & apoſtoli ſpiritu ſancto inſpirati. Ab his non diſcedet paſtor bonus uel latũ unguem, nec patietur quenquam eccleſiæ ſuæ diuerſos ab his doctores inferre cupientem. Superioris ſæculi paſtores hac in parte peccarunt dum diuerſos doctores intromittentes diuerſam quoq; ab apoſtolica doctrinam receperunt, qua re factum eſt ut tota eccleſia pluſquam Iudaicis fabulis fuerit oppleta. Qui enim ueritatis doctrinam deſerunt, aut non magnifaciunt uel hanc nõ unice obſeruant, incidunt in errores uarios. Inde ſequitur in Paulo, Nec attendant fabulis & genealogijs nunq̃ finiendis. Fabulas Iudaicas non uocauit ſacras literas aut ſcripturas propheticas ſub figurarum inuolucro maxima continentes myſteria, ſed conſtitutiunculas humanas de quibus in euãgelio legere eſt apud Mat. in 15. & 23. cap. Itẽ Mar. 7. Huc pertinere crediderim quæ magno cũ ſupercilio tradebant de iuſtificationibus carnis, de lotione hoc eſt uarijs baptiſmatũ generibus, de cibo rũ delectu, de circũciſione, de obſeruatione dierũ, idq; genus alijs nugis. Nam ad Titũ, Redarguito illos ſeueriter ait ut ſani ſint in fide, nõ attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominũ auerſantiũ ueritatẽ. Et perplexa erat ſeries genealogiæ uſq; ab auis ac proauis tritauisq; repetita. Gloriabãtur Iudæi in carne, iactabant ſe ſemen eſſe Abrahæ. Quilibet ſuos recenſebat maiores, atq; ita occupabantur rebus nihili. Hæc uero pro ratione illorum temporum præſcripta ſunt Timotheo, nos obſeruare debemus ſimilia. Similia apud nos ſunt quæ prodiderunt monachi & ſacrifici de delectu ueſtium, ciborum, dierum, de luſtratione, uotis, peregrinationibus, diuis, & id genus ſuperſtitionibus & fabulis innumeris. Hæretici quoq;, ut eſt apud Irenæum & Tertullianum, non modo uerborum monſtra cõmenti ſunt ſed nexus errorum & impietatis inſolubiles nexuerũt. Scholaſtici quoq; Theologi prodigioſam & fabulis fabulioſiorem Theologiam ex Ariſtotelica philoſophia conſuerunt. Ab his ineptijs quàm alieniſſimos uult eſſe Chriſtianos apoſtolus. Cauſa. Quæſtiones præbent magis quàm ædificationẽ dei, quæ eſt per fidem. Duplex inquit incommodum oboritur ex illis. Prius inuoluuntur iſtis auditores dum quæſtio ex quæſtione ducitur. Poſterius ad ueram pietatem nihil conferunt. Fide plantatur pietas, fide parantur corda, non diſputationibus perplexis quæſtionibus & inexplicabilibus argumentorum labyrinthis. Aedificandi uerbo libenter utitur Paulus, de qua metaphora alibi diſputatũ eſt. Breuiter tradita eſt nobis uera pura & ſimplex à deo per prophetas & apoſtolos doctrina, in hac perſeueremus conſtantes & nulla parte declinantes ad humanas fabulas & doctores ſpinoſos & quæſtionibus inflatos. Qui enim quæſtionum & argumentorũ nodos alios ſuper alios nectunt, quid aliud docent quàm dubitare? Vera puritas & ſimplicitas fidem in deum tradit quàm puriſſime & ſimpliciſſime & ea quæ ædificationis & charitatis ſunt, hoc eſt quæ hominem in pietate prouehunt ornant & perficiunt.

Porrò finis præcepti eſt charitas ex puro corde & conſcientia bona & fide non ſimulata, à quibus quod aberrarunt quidam deflexerunt ad uaniloquiũ, uolentes eſſe legis doctores non intelligentes quæ loquuntur, necq; de quibus aſſeuerant.

Scopus legis et totius ſcripturæ eſt charitas.

Ediſſerit nunc quis ſit ſcopus & quæ ſumma puræ doctrinæ, à qua prohibet nos deflectere, charitas uidelicet. Omnis inquit ſcriptura, & omnia dei inſtituta, omnes deniq; leges dei in hoc intendunt ut charitatem nobis commendent. Παραγγέλλειν eſt præcipere, denunciare interdicere & monere. Inde παραγγελία quo uerbo uſus eſt hic Paulus præceptum ſignificat edictum denunciationem & admonitionem. Id quod non tam legi Moſaicæ quàm uniuerſæ ſcripturæ competit. Et Hebræi legem uocantes תורה Thora

quaſi

quasi quis dicat directorium, frequẽtius non ipsum decalogum, sed omnem doctrinam & institutionem intelligunt. Quod si quis contendat non omnem scripturam per præceptum sed legem tantum esse intelligendam, iam hic erit uerborum Pauli sensus, Qui fabulas Iudaicas docent, & in umbris suam exercent palestram, subinde quidem legem Mosis iactitant, adducunt adhibentq; demonstrationibus suis, cæterum nondum didicerunt in quem finem lex à deo nobis per Mosen data sit, non equidem ut rebus iudicris daremus operam, ut externis iustificationibus purgaremus nosmetipsos, ut traditiunculis pharisaicis seruiremus deo, ut in genealogijs enarrandis & huiusmodi fabulis alijs occuparemur, sed ut deum & proximũ nostrum uere & ex animo diligeremus. Hic autem non legis modo Mosaicæ, sed omnium prophetarũ quoq; scopus est. Ideo in Euangelio secundum Marcum legimus interroganti legisperito quodnam esset præcipuum & primarium omnium præceptorum, respondisse, Primum omnium præceptũ est, Audi Israël dominus deus noster dominus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum præceptum. Et secundum simile hoc est, Diliges proximũ tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptũ non est. Additur apud Matthæum, In his duobus mandatis uniuersa lex & prophetæ pendent. Sequitur in Marco, Et dixit legisperitus, Bene præceptor in ueritate dixisti, quod unus sit deus & non sit alius præter illum, quodq; diligere eum ex toto corde & ex tota intelligentia & ex tota anima & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum plus sit q̃ uniuersa holocaustomata & uictimæ. Hinc ergo stultissimos & scripturarum prorsus ignaros esse apparet doctores humanarum traditionũ ceremoniarumq; magistros, quorum unicum studium est ut miseram plebeculam onerent, & implicitã ritibus superstitiosis in externa exerceant disciplina. Atqui unum erat necessarium & fine istis per se absolutũ, quo neglecto frustra insumitur omnis & labor & sumptus, Charitas uidelicet eaq; gemina. Charitas ergo gemina à nobis exigitur, charitatem geminam præcipit ubiq; dominus, charitatis deniq; opera requiret à nobis iudicaturus uiuos & mortuos. Quin ergo desertis stultulis traditionibus ad charitatẽ conuertimur, deumq; ipsum in Christo diligimus, & proximum nostrum non modo non lædimus, sed omni modo beneficentia iuuamus. Ad hæc nitendum omnibus. Hæc inculcanda sunt omnibus & perpetuo. In his enim, id est in fide & charitate consistit uera pietas. Fidem autẽ oportet esse ueram & charitatem synceram. Hinc in Euangelio dñs non contentus dixisse, Diliges dominum deum tuum & proximũ tuum, insuper modum & rationem præscribens addit, Ex toto corde tuo &c. Ad eundem modum & Paulus in præsentiarum non solum dixit, Finis & scopus præcepti est charitas, sed subiungit ueræ charitatis conditiones, attributa & ingenium. Ex corde puro, id est integro & syncero adeoq; toto. Tantum enim ualet hæc loquutio quantum illa in Euangelio, Diliges dñm ex toto corde & ex totis uiribus. Opponit enim scriptura cor purum siue mundum duplicato cordi, aut lacero, aut imperfecto. Ita enim sæpe in sacris literis legimus quosdam toto & perfecto corde ambulasse cum domino, hoc est uere & recte & syncerite uitam suam ad uoluntatem dei instituisse, alios autem corde duplici & imperfecto, 4. Reg. 20. orat Ezechias ad dominum, Obsecro domine memẽto quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Ita 4. Regum 10. cap. Iehuh ad Ionadab ait, Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo sicut cor meũ cum corde tuo? Et apud Germanos usurpamus ista uocabula, *Rein vnd luter* hoc modo, ut cum dicimus, *Es ist rein gold, Luter bübery, Luterlich durch Gott*, hoc est solius dei nomine, Nil aliud q̃ aurum & nequitia est. Ita charitas ex puro corde proficiscẽs ea est quæ uni deo ex integro adhæret & unicum complectitur ardentissime, nec quicquam huic in orbe antehabet. Id quod tot uerbis propter illos inculco qui nihil non tribuunt humanis uiribus, deniq; puritatem ab homine nescio quam absolutam requirunt, non expendentes interim idiomata sacræ linguæ, & quod Solomon dixit Prouerb. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et Iob 15. Quid te eleuat cor tuum? Quid est homo ut immaculatus sit & ut iustus appareat natus de muliere? Ecce

Marci 12.

Matthæi 22.

1. Reg. 15.

Isaiæ 28.

Lucæ 11.

Matth. 25.

Charitatis ingenium.

inter ſanctos eius nemo immutabilis,& cœli non ſunt mundi in conſpectu eius:quanto magis abominabilis & inutilis homo,qui bibit quaſi aquam iniquitatem? Sequitur autem in Paulo quod clarius exponit puritatem iſtam, Conſcientia bona. Quaſi dicat,Ex puro corde,id eſt integra erit charitas ſi animus amantis bene ſibi ſit conſcius. Id autem non fit meriti & operum noſtrorum beneficio ſed fidei.Qui enim,ait dominus,uenit ad me non eſuriet,& qui credit in me non ſitiet unquam.Et Paulus ad Romanos,Nulla igitur nunc eſt condemnatio ijs qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu. Inſiti autem ſunt Chriſto Ieſu qui credũt uere.Hinc in Paulo protinus ſubditur, καὶ πίστεως ἀνυπο κρίτου & fide hypocriſi carente hoc eſt uera. Abſoluit ergo charitatem fides, quæ purificat corda, & trãquillat conſcientias, omnemq; pellit ſimulationem.Proinde uera charitas eſt quæ ex fide enata eſt,cuius anima & uis fides eſt, quæ ſolum deum arctiſſime complectitur, inſtituta eius magnifacit,& ſuaue putat quicquid dei nomine uel fugere uel cum labore perſequi iubetur.Huc ſi reuoces uniuerſam ſcripturam canonicam,uidebis quadrare oñia, nec aliud tot libris tradi à ſacris ſcriptoribus. His iam fundamentis iactis iterum inuehitur in falſos doctores,docens quanto cum periculo coniunctum ſit ſi neglecto ſcopo charitatis, in quam perpetuo fidem ueram includimus,quæſtiones curioſæ,humanæ conſtitutiones,& aliæ his ſimiles nugæ tractentur.A quibus inquit quod aberrarunt quidã. Id eſt, ab hoc ſcopo quoniam aberrarunt quidam (alluſit autem ad imperitos ſagittandi) ideo deuoluti ſunt in ματαιολογίαμ, id eſt uaniloquiũ, id eſt diſſertationem quæ nihil differt ab anicularum nugis,quæ tametſi ſatis longæ ſint, inanes tamen & elumbes ſine fructu cadunt,adeò ut tandem ne ipſæ quidem quid dixerint norint. Vnde in Paulo ſequitur, Volentes eſſe legis doctores,non intelligentes quę loquuntur aut de quibus aſſeuerant. Idem uſu uenit hodie noſtris quoq; Theologiæ doctoribus. Nam licet ſtrenue & ſubtiliter totos dies in ſcholis ſuis diſputent de inſtãtibus,de formalitatibus, & relationibus, de realitatibus & friuolis argutijs ſuis,nullus ad auditores redit fructus, nec ipſi ſeſe interim intellexerunt.Diſputarunt & apud hæreticos quidam plus quàm credi poſſit acute, ſed nullo cum fructu. Inuenias item hodie quoſdam & inter eos qui uideri uolunt euangeliciſſimi,qui prolixe & prorſus ſeraphice pneumaticeq; commentantur de deo, de religione,de regeneratione,de fide iuſtificante,de ſacramentis & ſanctimonia uitæ,uerum ea ratione ut auditores intellexerint quidem de magnis rebus eſſe diſputatum, ſed non probe perceperint quales illæ aut quis eius diſputationis uſus.Nec mirum cum non raro ipſi ſcriptores uel oratores ut dicant & non quid dicant cogitent. Qui uero ſapiunt, omnia ad charitatis regulam collimabũt. Non eſt quod in ſacris eruditionem oſtentes, gloriam propriam quæras, nouarum rerum & quas nemo ante te uiderit prædiceris author,ſcripturarũ interpres oculatiſſimus,legiſperitusq; prudẽtiſſimus.Populum Chriſto adducere debes.Hic uero non accedet niſi amet Chriſtum.Hunc non amabit niſi cognorit.Pinges ergo hunc ſuis coloribus ut toto in ipſum pectore exardeat, hunc unum optet,huic ſoli adhæreat.

In Mataeologos.

Scimus autẽ quod bona ſit lex, ſi quis ea legitime utatur, ſciens illud quod iuſto lex non ſit poſita,ſed iniuſtis & inobſequentibus,impijs & peccatoribus,irreuerentibus & prophanis,patricidis & matricidis,homicidis,ſcortatoribus,maſculorum concubitoribus,plagiarijs,mendacibus, periuris, & ſi quid aliud eſt quod ſanæ doctrinæ aduerſetur ſecundum euangelium gloriæ beati dei quod concreditum eſt mihi.

Occupatio eſt,meminerat enim legis,ſuggillauerat mataeologos & uanos legis doctores:in loco ergo ſubiungit, Nequaquam uero hæc dicimus quod Moſaicam legem damnemus.Bona eſt lex.Nam uoluntas dei mala eſſe non poteſt.At lex dei uolũtas eſt.Proinde Paulus legis abuſum damnauit non ipſam legem dei bonam. Abuſus legis quis ſit nemo neſcire poteſt ex ſuperioribus. Cum enim noſtro uitio Iudæorũ more bene dicta legis corrumpimus aut in diuerſam ſententiã trahimus,& aduerſus legislatoris ſententiam

tiam interpretamur, lege abutimur. Porrò usus legis uerus est si sciamus iusto legē non esse positam sed iniustis, quæ sententia propter breuitatem obscura est. Hæc autem est ratio eius, Lex non in hoc à deo lata est ut iustificet, ergo ex lege non est iustitia. Cæterum data est ut nos deduceret ad Christum, Galat. 3. Iam qui ad Christum uenerunt liberantur à peccatis, mundantur sanguine Christi, & iustificantur pura dei gratia. Qui uero iustificati sunt à lege liberi sunt, ipsum enim legis propositum & scopum Christum tenēt. Deinde liberati sunt à legis maledictione & onere per Christum cuius spiritu imbuti & regenerati impulsu charitatis ultro plus præstant quàm ipsa lex præscribat. Amant igitur hi legem quam bonam imò optimam esse in suis ipsorum cordibus senserunt. Atq; hic usus legis uerus est. Sic inquam lex bona est, sic iusto nō est posita, ita lex nemini grauis est, sed suauis potius, quouis lapide pretioso gratior, melle et fauis dulcior. De qua re copiosius multis in locis disputauimus, ista uero ad præsentia satis esse putaui. Cęterum qui sub hac Christi & euangelica gratia non sunt, adhuc sub lege sunt. Nihil ergo ad hos pertinent sermones de libertate Christiana & abrogatione legis, iusto tantum nulla lex posita est. Commodum uero hoc in loco ubi de sana doctrina agit disputat de genuino legis usu. Aduersarij em̄ leuitatis uanitatisq; insimulabant prędicationem euangelicam, quasi hac feneſtra aperiretur omnibus criminibus rumperenturq; sancta legis uincula. Monet ergo quatenus & quibus lex abrogata sit. Neminem scilicet illa eximi nisi qui sua sponte quod lex præscribit facit. Facere autem ea qui iuxta euangelicā doctrinam deum & proximum amet ex animo, id quod doceat euangeliū, proinde lege teneri adhuc quot quot charitatis sensu & igne carent, imò ipsum sanctum dei euangeliū illa ipsa damnare scelera quæ lege sint olim damnata. Ita em̄ concludit hanc periodum, Et si quid aliud est quod sanæ doctrinæ aduersetur secundum euangeliū gloriæ beati dei quod cōcreditum est mihi. Explicat autem quæ sit doctrina sana, nimirum quæ est secundum euangelium glorioſum beati dei, hoc est ipsum euangeliū glorioſum. Glorioſum appellat illud ideo quod gloriam dei & lucem puram prædicet, ut est 2. Corin. 3. 4. Adijcit præterea deo epitheton Beatus ut significet dei perfectionem qui sibi satis sit & nostris minime indigeat, quin potius salutem & felicitatem suam nobiscum cōmunicare cupiat. Particula, Quod concreditum est mihi, appensa est ut ex ipsa subtexantur consequentia. Catalogus uero peccatorum qui à Paulo contextus hic legitur, in alijs locis propè expositus est, perstringemus tamen singula. Ἀνόμοις iniustis uertit interpres, ad uerbum significat exlegibus, exponiturq; hæc uox per consequentē, ἀνυποτάκτοις id est inobsequentibus, ad uerbum inordinatis. Intelligit enim pertinacis malitiæ nebulones qui nulla lege in ordinem cogi possunt. ἀσεβέσι impijs. Hi sunt animines qui nullum dei cultum nullam religionē curant sed affectus duces sequuntur. ἁμαρτωλοῖς peccatoribus. Intellexit autem sub his elatos, auaros, inuidos, luxurioſos, et si quid aliud est huius ordinis. ἀνοσίοις irreuerentibus hoc est nephandis & atrocibus. βεβήλοις prophanis siue impuris atq; pollutis. Græci enim βέβηλα, uocabant sacra ad quæ & impuris liber erat accessus. Patricidis atq; Matricidis capitalis quoq; pœna constituta est Leuit. 20. ἀνδροφόνοις homicidis, ut referas tam ad mares quàm fœminas. Ad uerbum enim sonat uiricidis. Sed & Hebræi hāc uoculam Vir frequentissime usurpāt pro quouis homine. πόρνοις scortatoribus. De quibus alibi sæpe ut & de ἀρσενοκοίταις masculorum concubitoribus. ἀνδραποδισταῖς plagiarijs siue furibus mancipijs. Vt enim iureconsultis sacrilegi & abigei dicuntur, qui res uel sacras uel publicas suffurantur, qui aliena pecora & iumenta abigunt & abducunt, sic plagiarij dicuntur qui aliena mancipia furto subducunt. Hoc enim furti genus plagium dicitur iureconsultis. Late patet hoc crimen, de quo legantur ueterum leges. Huc pertinet mendacium. Sequitur ergo ψεύσαις mendacibus, sub quibus omnes comprehendimus artes hypocriticas & impostorias. Periuri sunt qui fidem datam frangūt, sacramentum datum polluunt, deniq; & quouis modo fallunt. Colligimus autem ex hisce Pauli uerbis omnibus ad sanam episcopi doctrinam non id tantum pertinere ut omnes ad charitatem inuitet, libertatem & redemptionem Christi prædicet, sed ut libere quoq; constanter & cum authoritate accuset scelera. Nam ubi hæc regnant ibi nullum locum ha-

Euangelij prædicatio non aperit feneſtram ſceleribus.

bet uel charitas uel meritum Christi uel libertas Christiana. In scelera igitur primã impressionem faciat episcopus fidelis, qui charitatem, meritum Christi & libertatem recte fidelibus tradere cupit.

Et gratiã habeo, qui me potentem reddidit Christo Iesu domino nostro, quia fidelem me iudicauit ponẽdo in ministerium qui prius eram blasphemus & persequutor et uiolentus, sed & misericordiam adeptus sum, quod ignorans fecerim per incredulitatem. Exuberauit autem supra modum gratia domini nostri cum fide & dilectione, quæ est per Christum Iesum.

De dei gratia. Dixerat sibi cõcreditum esse euangelium, porrò ne uideretur hoc iactasse gloriosius, deo cui solo omnis honor debetur omnem gloriam transcribit. Ei inquam gratias ago, inquit, qui imbecillo & huic muneri longe impari uires suffecit, quibus gloriam Christi domini assererem, idem iudicauit me fore fidelem per suam gratiã, ideo in ministerium uerbi asciuit, ut mea opera in uerbi dispensatione uteretur. Ego enim nihil tale merueram beneficijs meis, qui fueram blasphemus &c. Itaq; multis nũc agit de salutifica dei gratia neq; prẹter occasionem. Perpetuo enim institutum & series disputationis Paulinæ reuocanda est ob oculos, nempe quod Timotheum & in hoc omnem episcopum fidelem adhortatur ut reiectis fabulis sanam doctrinam ecclesijs tradant, deinde quod certis quibusdam notis præcipua sanæ doctrinæ capita adumbrat, in quibus primas tenet charitas, interim & de usu legis nonnihil disputauit, & docuit euangelio quoq; ea proscribi & damnari peccata atq; scelera quæ damnẽtur per legem quoq;. Sequitur nunc breuis dissertatio de Gratia dei. Nam hæc non postremas partes obtinet inter præcipua sanæ doctrinæ capita. Hic uero cum in docendo & demonstrando exemplis nihil sit euidentius, ipse non alieno sed suo exemplo proposito docet quanta sit propensa illa dei in nos uoluntas hoc est gratia & beneficentia. Vt uero omnia essent euidẽtissima proprium suum peccatum amplificat ut uis & opulens gratia ex effectu maximo quàm proprijssime cognosceretur. Vocauit inquit me dominus ad ministerium uerbi, qui eram blasphemus, persequutor καὶ ὑβριστής, id est iniurius, oppressor, uiolentus & confidenter improbus, petulans & contumeliosus. Hisce ergo gradibus exaggerat peccatum suum. Primus gradus est conuitiari, suggillare uerbum domini adeoq; maledicere & blasphemare. Secundus à maledicis uerbis descendere ad malefacta, hoc est ad consilia praua, ad insidias & persequutionem. Tertius gradus est opprimere palàm, & manus temerarias confidenter atrociterq; inijcere in bene meritos. His omnibus studuisse Paulum & sese blasphemijs, persequutione & innocenti sanguine polluisse testis est liber qui scriptus est de actibus Apostolorum. Ego uero, inquit, tantus conuitiator, sanctorum hostis & parricida ueniam merui & misericordiam consequutus sum, neq; uulgariter. Non enim noxam mihi modo condonauit dominus, aut in album amicorum recepit tantum, sed & summam in functionem & omnium honestissimam asciuit, ut scilicet nomen eius portarem coram regibus, principibus omnibusq; terræ populis. Addit, Quod ignorans fecerim per incredulitatem: qua sententia piaculum suum neq; extenuat, neq; innocentiæ suæ suam uocationem tribuit, sed æquitatem & misericordiam dei prædicat, quæ misertа incredulitatis & insciticæ peccantem sed errore potius quàm maleuolentia reuocauit. Vnde protinus gratiæ omnia illa significãtius ascribens & hanc prædicans, Exuberauit autem supra modum inquit gratia domini nostri, condonans mihi illa peccata multo grauissima, exuberauit simul & fides, id est fidelitas ueritasq; eius & dilectio siue studium & amor eius in nos. Quæ Iesu Christo domino nostro in carnem misso omnium apertissime oculis subiecit & quàm proprijssime exhibuit. In hoc enim est omnis plenitudo gratiæ fidei & ueritatis amoris quoq; in nos maximi. Misericordiam & gratiam pollicitus est patribus nostris, idem in Christo fidelissime omnia præstitit. Atque huc pertinet quod sequitur.

Certus

Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Iesus uenit in mundum ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso in uitam æternam.

Euidens euangelij prædicatio.

Planioribus & copiosioribus uerbis prędicat gratiam euangelicam suiq; exempli fructum ostẽdit, hisce omnibus fidem in Christum docens. Præmittit autem exordiolum quo paret auditorũ animos ad res maximas, πιστὸς, ait, ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. Id est, hoc uerbum siue hæc sententia quam propositurus sum, fidelis, uera & certissima est, dignaq; multis nominibus quam summo studio & obuijs ulnis quod dici solet excipiamus, amplectamur pectoriq; nostro astringamus arctissime. Iam subiungit certam illam & dignissimam de salute nostra sententiam, QVOD CHRISTVS IESVS VENIT IN MVNDVM VT PECCATORES SALVOS FACERET. Qua sententia nihil potest dici breuius, sed eadẽ nihil maius, nobilius, salubrius. Singula uerba singula continẽt mysteria. Omnes enim peccatores sumus, nullus suis potuit iustificari operibus. Eramus enim omnes filij iræ, & proinde æternæ damnationis mancipia: unde & uates Isaias, Omnes inquit ueluti oues errauimus, unusquisq; in uiam suã declinauit, sed posuit dominus in eum omnium nostrum iniquitates. Veniens ergo in mundum carnis & sanguinis nostræ particeps factus obtulit se deo in expiationem omnium peccatorum nostrorum. Hic enim est agnus dei qui tollit peccatũ mũdi: ut iam solus Christus omnium peccatorum spes, salus, redemptio & uita sit. Peccatorum inquam, non iustorum. Non enim egẽt medici opera sani, sed infirmi. Ista uero copiosissime expositũ reperies Matth. cap. 1. & Luc. 2. item Matth. 9. 11. 15. Lucæ quoq; 15. præcipue uero Ioannis 3. cap. Roma. 3. Ephes. 1. & 2. &c. D. Ambrosius sancte & erudite hæc Pauli uerba explicans, Quid tam gratum inquit tamq; iucundum quàm peccatorum indulgẽtiam prædicari? Quis enim sine peccato est ut hoc munus non cum omni gratiarum actione suscipiat, deum autorem huius præferens & collaudãs in Christo? qui ut hominem peccatis ablueret de cœlestibus ad terrena descendens carnem peccati accepit, terrenis se admiscuit ut eum cœlestem efficeret. Mori se passus est, ut illum morte erutum paradiso redderet immortalem. Quis hæc beneficia non in infinitum extollat quæ deus præstitit homini, dominus seruo, conditor creaturæ? Hæc Ambrosius. Peccant igitur in gratiam euãgelicam qui ideo auertuntur à Christo ad diuos quod sint peccatores. Christus enim qui peccatoribus natus est dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam uos. Nec est quod quisquam obtendat scelerum suorum magnitudinem & numerum: expendat potius Pauli uerba consolationis plenissima. Vbi enim pronunciasset Christum uenisse in mundum ut peccatores saluos faceret, protinus se exempli gratia adiecit dicens, Quorum primus ego sum. Cæterum uocula Primus in præsenti non est ordinis sed excellentiæ perinde ualens ac pręcipuus & maximus. Fuerat enim blasphemus persequutor uiolentus parricida. Quid istis poterat excogitari atrocius? At hæc omnia condonauit illi Christus dominus. Nemo ergo in sceleribus suis desperet. Imò ne quis obijceret, Tametsi Paulo tanta obtigit gratia, eadem tamen non obtinget omnibus, pręoccupat illud & ait, Ideo autem misericordiam adeptus sum ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso in uitam æternã. Quasi dicat, Hoc insigni exẽplo ad similem spem ueniæ prouocare uoluit omnes, quamlibet prioris uitæ maculis inquinatos, modo impia uita relicta & diffisi suis uiribus omnem fiducíam constituant in bonitate Christi, quæ nunq; destituit nos usq; ad uitam æternam. In Paulo igitur ὑποτύπωσις, id est expressa imago & exemplum uiuum omnium hominũ oculis exposita est quid sibi debeant sperare quicũq; relictis moribus pristinis crediderũt in Christum, gratuitam uidelicet peccatorum remissionem & spem indubitatam uitæ sempiternæ. Est & in ea uoce quam interpres noster clementiam uertit, Græce uero μακροθυμία dicitur, mysterium. Significat enim ad uerbũ longanimitatem.

Nam ſcriptura aliâs teſtatur deum ad uindictam lento procedere gradu, non quod peccata illi placeant, ſed quod nolit mortem peccatoris, quin potius conuerſionem eius ui tamq̃. Ad exemplum Pauli pertinent exempla ſimilia, ut ſunt Dauidis, Adæ, Matthæi, Petri, Zachæi, Mulieris peccatricis, Latronis, & ſi quæ alia ſunt huius generis.

Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapiẽti deo, honor, gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Prædicationem gratiæ euangelicæ orando cum laude & gratiarumactione proſequitur, interim potentiam æterni dei prædicans, ne quis diffideret pollicitis tantis, quin cogitaret potius qualis ſit qui promiſit & totius euangelicæ doctrinæ negotiiq̃ ſalutis author eſt: innuit præterea ſoli deo deberi omnem honorem & gloriã, ex hac munificentia nihil ſibi homines uindicare poſſe. Rex ſæculorum dicitur deus, id eſt rex æternus omnium ætatum & creaturarũ conditor, præſes, rector & dominus. Idem dicitur immortalis ſiue ἄφθαρτος, id eſt incorruptibilis, qui ut corrumpi non poteſt & ſempiternus eſt, ita nullis affectionibus & infirmitatibus obnoxius. Inuiſibilis appellatur, nõ quod non ſit, ſed quod immenſus ſit, & maior q̃ qui ſenſibus comprehendi poſſit. Hic quidem nobis ob imbecillitatem carnis noſtræ inuiſibilis eſt, ibi uero uidebimus eum ſicuti eſt. Solus ſapiens eſt quemadmodum ſolus deus bonus eſt. Omne enim bonum à ſolo deo eſt, & quicquid boni in creaturis reperitur, id omne à deo profectum eſt. Solomon & Daniel mortalium ſapientiſſimi omnem ſapientiam uni deo tribuunt. Notus eſt enim locus Danielis 2. cap. Theophylactus hunc ipſum Pauli locum enarrans egregie ſcribit in hæc uerba, Soli autem ſapienti dixit, nõ quod pater à filio & ſpiritu ſancto ſeparatus ſit, ſed cum conſtet & angelos ſapientes dici & homines, oſtendit hunc ſolum præcipue ſapere ut qui fons ſit & cauſſa ſapientiæ: reliqua uero quæ ſapientiam uendicant condita ſunt & creata & participatione quadam hanc aſſequuntur.

Solus deus ſapiens quomodo?

Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee ſecũdum præcedentes uſq̃ ad te prophetias, ut milites in eis bonam militiam, habẽs fidem & bonam conſcientiam.

Colligitur ſumma doctrinæ ſanæ.

Epilogus eſt. Redit enim ad inſtitutum & ſummam rei repetendo infert. Hoc igitur mandatũ, ait, ô fili Timothee, quod non eſt nouum aut nuper domi noſtræ natum, ſed ſecũdum prophetias, id eſt ſcripturas propheticas quas noſti ante te fuiſſe & tibi ceu per manus traditas, docentes geminam dei & proximi charitatem, iuſto legem non eſſe poſitam ſed iniuſtis, gratia autem domini noſtri Ieſu Chriſti iuſtificari peccatores, hoc inquam præceptum uetus diuinum & propheticum cõmendo tibi ut cuſtodias illibatum & eccleſijs tradas purum & incõtaminatum. Vt milites in eis bonam militiam. Allegorice id pronunciauit, monens epiſcopum uigiliæ & diligentiæ. Præeſſe enim eccleſiæ & docere populum eſt peculiare quoddam militiæ genus, in quo ſatan, ſcelera, falſi fratres, hæretici hoſtili exercitu in populum dei mouent. Aduerſus horum artes, inſidias & incurſiones uigilare & populum dei ducere debet epiſcopus armatus tota illa dei panoplia quam deſcripſit Apoſtolus ad Epheſ. 6. Et Paulus in præſentiarũ adijcit in eandem ſententiam, Habens fidem & bonam cõſcientiam. Prius enim monuit finem præcepti eſſe charitatẽ ex conſcientia bona & fide non ſimulata. Hanc qui debet tradere alijs eius non ſit expers oportet. Hæc expendant mihi epiſcopi noſtrorum temporum qui nihil aliud quàm prophanæ & maledictæ à deo militiæ cruentiſſimi milites & faces ſunt. Diſcant ſe ſub cœleſtis & eccleſiaſticæ militiæ ſigna uocatos duces uerbi & propugnatores populi dei aduerſus ſatanam ſcelera & hæreſes agere debere. Definant ergo facere quod faciunt, & faciant quod dominus iubet, aut horribile propediem expectẽt iudicium. Non ignoro autem hæc Pauli uerba, Commendo tibi hoc præceptum κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σε προφητείας, id eſt iuxta ad te præcedentes prophetias, aliter exponi ab alijs, nimirum in hanc ſententiam, Sicuti ſpiritu prophetiæ admonitus feci te epiſcopum, ita iuxta eandem prophetiam nunc præcipio ut milites ſecundũ eandem prophetiam & illi reſpondeas.

deas. Verum iudicent Lectores. Teneãt autem episcopi sancti præceptum hoc sancte & incontaminate usq; in diem Christi.

Qua repulsa nonnulli circa fidem naufragium fecerunt, quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non maledicere.

Contrario exemplo ad finem huius caussæ appenso ad fidem & diligentiam denicp constantiam pastoralem animat. Congruit autem finis huius capitis cum principio. In principio dixit finem præcepti esse charitatẽ ex conscientia bona & fide non ficta, à quibus quod aberrarint quidam deflexerint ad uaniloquium adeò turpe ut non amplius intelligant seipsos, neq; quid asserant norint. In fine autem dicit Hymenæum & Alexandrum cum nonnullis alijs repulisse fidem & charitatem, & ideo circa fidem, id est uera religionis capita feciſſe naufragium, impegisseq; in scopulos perfidiæ. Verisimile autem est Alexandrum hoc ipsum quod Hymenæum sensisse, de cuius sententia in posteriori epistola scribens, Hymenæus inquit & Philetus circa ueritatem aberrarunt, dicentes resurrectionem iam esse factam, & subuertũt quorundã fidem. De qua re dicemus suo loco. Proprie autem allegoriam duxit ab ijs qui faciunt naufragium. Tutissima enim nauis in uasto hoc mundi errorum & scelerum pelago est ueritas canonica, fides pura, & charitas syncera. In his qui perstant & pura simplicitate ad portum tendunt salutis, salui portum attingunt felicitatis æternæ. Porrò qui flatibus arrogantiæ & contentionis uela dant abreptiq; malarum cupiditatum fluctibus à uia recta recedũt, & fidei lucidam cynosuram negligunt, impingunt in perfidiæ scopulos atq; intereunt. Quid uero sit satanæ tradere, expositum est 1. Corinth. 5. cap. Finis huius traditionis est ut pudore probroq; correcti, discant ab impijs parumq; Christianis dogmatis temperare. Hactenus tractauimus negotium de sana doctrina tradenda & uitandis fabulis, diuersis impijsq; dogmatis atq; opinionibus.

Tuta nauis ueritas.

INSTRVITVR COETVS ECCLESIASTICVS.

Adhortor igitur ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarumactiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia cõstitutis, ut placidam ac quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate. CAP. II.

Proximum sanæ doctrinę quod ecclesia Christi habet preces sunt sacræ, sub quas refero Cœnam gratulatoriam, sacrificium scilicet laudis & gratiarumactionis. Et in Actis cap. 2. legimus de primitiua ecclesia, Erant autem perseuerãtes in doctrina apostolorum & cõmunicatione, & fractione panis, & precationibus. Baptismi autem paulò ante hæc uerba meminerat Lucas. Proinde satis fuerit ecclesiæ sanctę si habeat doctrinam sanam, id est euangelicam, prædicantem in nomine Christi pœnitentiam & peccatorũ remissionem, item prophetiam, id est lectionem ac expositionem scripturarum piam, preces denicq; & Cœnam mysticam, quibus addimus eleemosynam atq; Baptismum. De quibus diximus & in 2. & 20. cap. Act. apost. & in 1. ad Corinth. 11. cap. Certẽ apud uetustissimas ecclesias in cœtibus sacris plura istis nõ habuere Christiani ad iustam institutionem ordinationemq; ecclesiasticam necessaria. Temporum successione & pastorum negligentia factum est ut istorum uestigia uix appareant, de doctrina, prophetia, precibus sacris & Cœna mystica loquor. Nam hæc corrupit auaritia, superstitio & innouãdi studium. Inde enim irrepsere abusus Missarũ, sacrificia pro mortuis, murmur & cantus templorum. Olim in cœtibus sacris pauciſſimæ conspiciebantur Ceremoniæ, & quæ erant uel ad doctrinam uel ad preces pertinebant. Omnia uero uulgari lingua fiebãt & recitabantur ad utilitatem omnium. Nihil hic erat uenale. Nullus uel emptor uel uenditor negotiabatur in æde sacra. Nullum erat discrimen inter plebem & sacerdotem, nisi quod hic pro ministerio suo & institutione sacris præerat. Et ne quid hac in re dissimulem cœtus ecclesiastici ante annos mille fuerũt huiusmodi. Confluebat in ædem sacram cultus

Cœtus ecclesiastici ueterũ quales fuerint.

diuini gratia populus. Dum autem ingrederetur ædem, ab ijs qui iam conuenerant Psalmi aliquot in alijs quidem ecclesijs canebantur, in alijs recitabantur tantum, donec uniuersus cœtus plenè coisset. Hoc uero sacrorũ initium ab introëundo appellarunt Introitum. Iam ubi cõueniisset ecclesia acclamabatur ab omnibus unanimi concentu κύριε ἐλέησον kyrie eleison, Domine miserere. Addebatur à quibusdam hymnus qui dicitur angelicus, cuius initium est Gloria in excelsis deo. Hic est gratulatorius & deprecatorius. Hoc finito collectam recitabat minister aliquis ecclesiæ. Ea erat orationis species, qua totius ecclesiæ uota & necessitates collectæ deo recitabantur. Deinde prælegebatur à diaconis eruditioribus locus aliquis siue ex libris propheticis siue literis apostolicis pro temporis loci & populi ratione delectus. His absolutis in æditiorem locum per gradus ascendebat episcopus euangelium Christi prędicaturus. Plebs interim carmine concepto sancti spiritus gratiam implorabat, quod à gradibus Graduale appellari cœpit. Hic uero magna cum authoritate prælegebat euangelium episcopus, deinde uero interpretabatur. Ad finem concionis sacræ recitabat symbolum quod apostolorum uocant, uel Nicenum uel Secundo conditum. Præterea totam ecclesiam inuitabat ad misericordiã, ut quilibet pro suis facultatibus aliquid in ærarium conferret pauperum: eam sacri portionẽ nuncupabant Offertorium. Et Pontius Paulinus docet mensam in ecclesia poni solitam pro pauperibus cibo reficiẽdis, quam & Domini mensam uocat, & à dño positam. Hac inquam ratione hisce ceremonijs & ritibus exercebãt preces & doctrinã sanam ueteres. Attamen hic ritus non per omnia omnibus erat communis. Quidam enim sacrum cœtum non à Psalmis auspicabantur, sed ab acclamatione κύριε ἐλέησον. Idẽ non habebant in usu uel hymnum angelicum, uel collectas, uel carmen graduale. Huic rursus alij succinebãt Hebræorum Alleluiah, ut alibi indicat Hieronymus. Apud quosdã episcopus ipse fine istis omnibus sacra concione & adiectis publicis precibus conuentum & incipiebat & dimittebat. Nulla uero ecclesia cogebatur in alterius ritus & instituta iurare, dummodo preces & sacræ conciones saluæ essent, sanctęq; exercerentur. Et optimę perpetuo quàm paucissimis contentæ potissimas impenderunt doctrinæ & precibus.

Cœna mystica ueterum.

Porrò in Cœna mystica hic ritus apud omnes penè ecclesias seruabatur. Prodibat in cœtum sacerdos. Instructa pane & uino stabat in prospectu populi mensa mystica, huic iste assistens populo benedicebat dicens, Dominus uobiscum. Is uero respondebat, Et cum spiritu tuo. Deinde hunc ad res maximas excitans mentesq; singulorũ præparans clamabat, Sursum corda. Respondebat plebs, Habemus ad dominũ. Cyprianus enim in sermone de oratione Dominica, Ideo & sacerdos inquit ante Orationem præfatione præmissa parat fratrũ mentes dicendo, Sursum corda, dum respondet plebs, Habemus ad dominum, admoneatur nihil aliud se quàm dominum cogitare debere. Hæc Cyprianus. Hinc uero ad gratiarũactionem inuitans sacerdos ait, Gratias agamus domino deo nostro. Respondebat plebs, Dignũ & iustum est. Hic subijciebat sacerdos, Vere dignum & iustum est æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere domine sancte pater omnipotens æterne deus per Christum dominum nostrum. Horum enim pene omnium meminit & Augustinus lib. de Bono perseuerantiæ cap. 13. dicens, Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum corda habeamus ad dñm, munus est domini, de quo munere ipsi domino deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc uocem quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum & iustum esse respondent &c. Post ista autem uerba subijciebat sacerdos, Qui pridie q̃ pateretur accepit panem, gratias egit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens, Accipite edite, Hoc est corpus meum quod pro uobis datur. Et reliqua quæ leguntur in Euangelio. His magna cum religione peractis, dicebatur oratio Dominica. Id quod Hieronymus quoq; testatur libro aduersus Pelagianos 3. Sed & uulgo receptum est apostolos tantum ad orationis Dominicæ preces cõsecrasse, hoc est celebrasse Cœnam mysticam. Post orationem Dominicã sacra mysteria percipiebat populus, communionemq; sacramentorũ corporis & sanguinis dominici in unum corpus coalescebat ecclesiasticum, cuius caput Christus est. Cæterũ rite ad hunc modum peractis omnibus dimittebatur cœtus.

Ex

Ex his autẽ omnibus facile colligit Lector non omnino ſtupidus unde abuſus Miſſæ Papiſticæ fluxerit, & q̃ nihil hodie antiquæ pietatis in hac niſi profunda obſoletaq; pro pe nominum ueſtigia cernere liceat. Canonis cuius initium eſt, Te igitur clementiſſime pater, hactenus nullam feci mentionem eò quod certum ſit hũc ſero tandem receptum eſſe à quibuſdam eccleſijs. Et proculdubio melius hodie haberet cœtus eccleſiaſticus ſi nunquam fuiſſet receptus. Verum non eſt inſtitutũ noſtrum de his in præſentiarũ agere prolixius, cum quædam & in epiſto. ad Hebr. annotarim. Hæc in hunc finem hunc in lo cũ annotare libuit ut intelligeret Lector quales fuerint olim cœtus eccleſiaſtici, quodq; piæ antiquitatis pro ſe nihil habeant, qui hodie abuſum Miſſarum omnibus eccleſijs ut ritum apoſtolicum obtrudere uolunt, adeoq; & contendunt hæreticos eſſe quotquot Miſſas ſuas uulgo receptas non adorant. Imo adijcio his quod illis nouum fore nil ambigo, Gregorijũ uidelicet eius nominis primum antiſtitem Romanũ annis ab hinc ni fallor noningẽtis, cui & Miſſas maxime debemus, nullã tamen eccleſiam ad ritum coëgiſſe uel ſuum uel præſcriptum aliàs. Id quod inde liquet quod Auguſtino epiſcopo Cantuarienſi ſcribenti per contantiq;, Cum una ſit fides cur ſunt eccleſiarum diuerſæ conſuetudines & aliter conſuetudo Miſſarum in ſancta Romana eccleſia, atq; aliter in Galliarum eccleſijs tenetur? Gregorius in hæc uerba reſpondet, Nouit fraternitas tua Romanæ eccleſiæ conſuetudinem in qua ſe meminit nutritum q̃ ualde amabilem te habeat. Sed mihi placet ut ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſiue in qualibet eccleſia aliquid inueniſti quod plus omnipotenti deo poſſit placere ſolicite eligas in Anglorũ eccleſia quæ adhuc ad fidem noua eſt inſtitutione præcipua quæ de multis eccleſijs colligere potuiſti infundas. Non enim pro locis res ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibusq; eccleſijs quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculo collecta apud Anglorũ mentes in cõſuetudinem depone. Hæc Gregorius. Ea non profero quod præcipue ijs innitar, ſed ut collatione iſtorum & noſtrorum temporum euincam q̃ iniquis conditionibus hodie nobiſcum agatur, & quod contra uetus exemplum ritus nobis obtruditur qui non modo nihil utilitatis & pietatis habet, ſed impietatis & ſuperſtitionis plurimum. Neglecta igitur improbitate & cõuitijs aduerſariorũ tenamus obſecro ea in cœtu ſanctorum ſine quibus ſanctimonia non perficitur, nempe doctrinam ſanam, & preces puras aſſiduasq;, de doctrina ſana diſputatũ hactenus, de precibus quoque ſacris cum aliàs ſæpe dictum ſit præſentia Pauli uerba perſtringemus modo.

Miſſa.

Olim nemo ad præſcriptum Miſſarũ ritum ſeruandum coactus.

Primum & ante omnia iubet fieri preces, hoc ipſo oſtendens precibus ſacris nil perinde neceſſarium & utile eſſe. Præterea tempus deſignat commodum, ut ſcilicet ipſo ſtatim diluculo conueniant, & cõmunes ad deum profundant preces. Plinius certè in epiſtola quadam ad Traianum Imperatorem, quæ extat lib. epiſt. Plinij 10. meminit moris fuiſſe Chriſtianis ut ſtato die ante lucem conuenirẽt carmenq; Chriſto deo dicerent ſecum inuicem, ſeq; ſacramento aliquo non in ſcelus aliquod obſtringerent, ſed ne furta, latrocinia & adulteria committerent. Et Tertullianus conuentus Chriſtianorum non ſemel antelucanos cœtus appellat. Quanquam hic nullam ſtatuamus neceſſitatem neq; preces certo tempori affigamus. Liberum enim eſt Chriſtianis & locum & tempus deſignare precibus maxime idoneum. Certè matutinum tempus nemo improbare poteſt, ut ſcilicet ieiuni ac ſobrij ſimul cum luce deo noſtras preces offeramus & uerbo eius erudiri protinus ad operas et negotiationes noſtras digrediamur. Deinde enumerat Paulus certas orationis ſpecies, ſub his nimirũ omnes intelligens. Eraſmus ex Græcanicis ſcholijs tria priora ſic diſcriminat ut Paulus δέησιν uocarit qua rogamus ut liberemur à malis, & ideo Ambroſium eleganter uertiſſe deprecationem, προσευχὴν autem eſſe qua precamur ut nobis contingant bona, ἔντευξιν uero cum querimur de his qui nos lædunt. Et multo uenuſtius hæc omnia Paraphraſi explicans, Primũ deprecentur, inquit, deum ut auertat omnia quæ turbant & inquietant ſtatum religionis ac reip. Deinde poſtulent ab eo quæ faciunt ad negotium pietatis & tranquillitatem reipublicę. Sub hæc aduerſus eos qui perſequuntur gregem Chriſti, nihil aliud quàm præſidium eius implorent. Poſtremo pro his quæ dei beneficio contigerunt agantur gratiæ. Habes in his quatuor

Antelucani cœtus.

Orationis ſpecies.

Pro quibus & quid orandum sit.

speciebus orationis opinor reliquas omnes. Habes item quid & pro quibus orandum sit, quanquam ea ipsa consequentibus copiosius exprimantur, nempe pro omnibus hominibus. Nam Christianorum est imitari exemplum dei patris & Iesu Christi filij sui. Ille autem finit solem suum oriri super bonos & malos. Hic uero etiam pro persecutoribus orauit. Gentiles in sacris suis deuouent Christo addictos. At Christiani pro uniuersis hominibus etiam inimicis & peccatoribus orare debent. Variæ item sunt necessitates hominum, sunt tentationes multæ, infirmitates quoq; cum animi tum corporis crebræ quibus affliguntur tum boni cum mali. Pro his omnibus orandus est dominus. Addit, Pro regibus & omnibus ὑπερεχούσαις, id est in sublimitate & dignitate cõstitutis: qui uidelicet in republica proceres sunt, dignitateq; & functione aliqua ciuili eminent. Loquitur autem & de regibus ethnicis, & de magistratu à religione Christiana alieno. Ita enim & Ieremias ad eos qui apud idololatras in Babylone tenebantur captiui scribens, unde hęc Pauli desumpta credũtur, præcipit, Et quærite pacem ciuitatis in quam migrare feci uos illuc, & orate pro ea ad dominũ, quia in pace eius erit pax uestra. Et Tertullianus ad Scapulam, Sacrificamus, inquit, pro salute Imperatoris, sed deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit deus pura prece. Non enim eget deus conditor uniuersitatis odoris aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt. Et in Apologetico cap. 39. Coimus, inquit, in cœtum & aggregationẽ ut ad deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc uis deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Item 30. cap. eiusdem libri, Oramus semper pro omnibus imperatoribus, uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt. Sed & ipse Paulus quid oremus significantissime adijciens ait, Vt placidam siue tranquillam ac quietam uitam degamus: non equidem in uoluptatibus & impuritate sed in omni pietate siue uero dei cultu genuinaq; religione in iustitia καὶ σεμνότητι & honestate. Nam σεμνότης honestatem significat, uerecundiam, sanctimoniam, & grauitatem, item morum præcipue seueritatem in adolescentia probe institũta. Opponuntur hæc seditionibus, turbis atq; bellis quibus labefactantur omnia honesta studia, corrumpuntur mores, perit honestas, solui tur fides & pudicitia. Potissimum itaq; pro tranquillitate publica orabit ecclesia, aut si omnino bella pro defensione legum patriæ & iustitiæ gerenda suscipiuntur à magistratibus, oret ecclesia dominum ut uictoria suis cõcessa iustam pacem oppressa omni iniustitia restituat. Harum rerum exempla innumera inuenias in Psalmis, quibus omniũ orantium uota plenissime comprehendũtur. Habes pro quibus & quid omnino orandũ sit.

Nam hoc bonum est & acceptum coram seruatore nostro deo, qui cunctos homines uult saluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire.

Quia uero preces pro incredulis & ethnicis fusæ uideri poterant inutiles contraq; decorum & uoluntatem dei fieri, ideo iam superiorum ueluti caussam reddẽs addit, Nam hoc est bonum & acceptum coram seruatore nostro deo, qui cunctos homines uult saluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire. Hinc enim sequitur quod nostrum sit pro omnibus orare, nemini ueritatis doctrinã denegare. Qui enim sumus ut resistamus uoluntati dei? Vult ille omnes homines saluos fieri, neminem excludit à salute. Vult omnes ad agnitionem ueritatis uenire. Inde scriptum est in prophetis, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Cui respondet illud domini præceptum, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Diuersa sunt cultoribus dei designata tempora. Non enim uniuersi prima statim hora ueniunt, quidam sero tandem uineam domini ingrediuntur, & eundem cum primis denarium recipiunt. Ne ergo desperemus aut iudicemus de infidelibus temere.

Quæstio prædestinationis & liberi arbitrij.

Solet hoc loco necti quæstio spinosior quidem quàm utilior, Cum deus uelit omnes homines saluos fieri, qui fiat ut non omnes saluentur? Nec ignoro quid hic à plerisq; responsum & q̃ odiose concertatum sit maximo etiam cum dispendio & scandalo piarum mentium.

mentium. Alij enim gratiam illam dei qua ſola beamur propè ad blaſphemiam uſq; defenderunt, reijcientes in deum omnium peccatorum culpam. Alij uero iſtud offendiculum uitare uolẽtes huc prolapſi ſunt, ut & ipſi non citra blaſphemiam dei tribuerint homini quæ dei ſunt. Vt enim illi nihil relinquunt homini ne peccata quidem: ita hi nihil non tribuunt uiribus hominis. Vtrinq; peccatum eſt & utriſq; uſu uenit quod prouerbio dicitur, Incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim. Multo prudentius & religioſius uidentur mihi hanc quæſtionẽ expedijſſe ueteres, qui de ipſa aduerſum Pelagianos diſputarunt copioſiſſime, atq; ita ut quæcunq; hominis ſunt reliquerint homini, quæ uero dei ſunt deo. D. Ambroſius ſiue alius quiſpiam uir ſanctus & doctus de hac re ædidit libros duos inſcriptos De uocatione omnium Gentium, in ijs tandem negotium totum in hoc contraxit compendiũ, remotis abdicatisq; omnibus concertationibus quas intemperantium diſputationũ gignit animoſitas tria eſſe perſpicuum eſt quibus in hac quæſtione debeat inhæreri. Vnum quod profitendum eſt, Deum uelle omnes homines ſaluos fieri & in agnitionẽ ueritatis uenire. Alterũ quod dubitãdum non eſt, Ad ipſam cognitionem ueritatis & perceptionem ſalutis nõ ſuis quenquam meritis, ſed ope atq; opera diuinæ gratiæ peruenire. Tertium quod confitendũ eſt, Altitudinem iudiciorum dei humanæ intelligentiæ penetrabilem eſſe non poſſe, & cur non omnes ſaluet qui omnes uult ſaluos fieri non oportere diſquiri. Quoniam ſi quod cognoſci non poteſt non quæratur inter primam & ſecũdam definitionem non remanebit cauſſa certaminis, ſed ſecura ac tranquilla fide utrumq; prædicabitur, utrumq; credetur. Deus quippe apud quem non eſt iniquitas, & cuius uniuerſæ uiæ miſericordia & ueritas omniũ hominum bonus conditor iuſtus eſt ordinator, neminem indebite damnans, neminem indebite liberans, noſtra plectens cum punit noxios, ſua tribuens cum facit iuſtos ut obſtruatur os loquentium iniqua, & iuſtificetur deus in ſermonibus ſuis, & uincat cum iudicatur. Nec damnati iuſta querimonia, nec iuſtificati uerax eſt arrogantia, ſi uel ille dicat nõ meruiſſe ſe pœnam, uel iſte aſſerat meruiſſe ſe gratiam. Congruunt his Ambroſianis Auguſtiniana quæ leguntur lib. de Bono perſeuerantiæ cap. 19. Hic tamen non negarim rationem commodiorem inueniri poſſe qua hic nodus diſſoluatur. Neq; hoc diſſimulat Aurelius Auguſt. cuius uerba quod mire huc faciant ex 53. Tractat. in Ioannem nunc aſcribo. Si quis iſtam quæſtionem inquit liquidius & melius nouit ſe poſſe & confidit exponere, abſit ut non ſim paratior diſcere quàm docere, tantum ne audeat quiſquã liberum arbitrium ſic defendere ut nobis orationẽ qua dicimus, Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre: rurſus ne quis neget uolũtatis arbitrium & audeat excuſare peccatum. Sed audiamus dominum & præcipientem & opitulantem & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem ut implere poſſimus. Nam & quoſdam nimia uoluntatis ſuæ fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia uoluntatis ſuæ diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt, Vt quid rogamus deum ne uincamur tentatione quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, Vt quid conamur bene uiuere quod in dei eſt poteſtate? O domine ô pater qui es in cœlis ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos à malo. Audiamus dominum dicentem, Rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua. Nec ſic exiſtimemus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio ut diuino nõ egeat adiutorio. Audiamus & Euangeliſtam dicentem, Dedit eis poteſtatem filios dei fieri, ne omnino exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe quod credimus, uerum in utroq; illius beneficia cognoſcamus. Nam & agendæ ſunt gratiæ quia data eſt poteſtas & orandum ne ſuccumbat infirmitas. Ipſa eſt fides quæ per dilectionem operatur ſicut eius menſurã dominus cuiq; partitus eſt, ut qui gloriatur non in ſeipſo ſed in domino glorietur. Hactenus Auguſtini uerba recenſui. Ex quibus omnibus liquet quod bonam illam dei uoluntatem attinet ipſum quidem uelle cunctos homines ſaluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire, & proinde quod alij ueniunt non eſſe humani meriti ſed diuinæ uolũtatis & gratiæ, quod uero alij non ueniunt humanæ malitiæ & corruptionis. Salus igitur & iuſtificatio non erit neq; uolentis neq; currentis ſed miſerentis dei, credentiq; quotquot ordinati ſunt ad uitam æternam. Sunt autem ad æternam uitam ordinati quicunq; in Chriſtum credũt.

Deus enim omnia agit lege certa & ordine iusto. Elegit nos antequam iacerentur fundamenta mundi, sed in Christo & ad sanctimoniã. Itaq; qui Christo fidunt & student sanctimoniæ electi & ad uitam ordinati sunt. Electio enim dei à uoluntate non est separanda neq; sola præter ordinem & contra media est iactanda. Petrus enim electis scribit dei secundum præfinitionem dei patris per sanctificationem spiritus in obedientiam & asperfionem sanguinis Iesu Christi. Et Paulus, Quos inquit præsciuit deus eos & prefiniuit ut conformes fiant imagini filij eius, &c. Iam cum constet non omnes cõformes fieri imagini filij eius, colligunt alij non omnes ad uitã esse præscitos, proinde tropo hunc Pauli locum exponunt deum uelle omnes credentes saluos facere. Quod & apud Augustinum contra Pelagianos inuenies, & plane uerum est. Impij enim nõ saluantur sed pij tantum. Cęterũ illi non habẽt quod deo qui pro bonitate sua uoluit eos ad agnitionem ueritatis uenire, suæ damnationis & impietatis culpam impingant. Non enim sequitur præscientiam dei nos ad res impias affigere ut culpã peccati in deum reijcere possimus. Recte enim D. Augustinus Tracta. in Ioan. 53. Non propterea quenquã deus ad peccandum cogit quia futura hominum peccata iam nouit. Ipsorum enim præsciuit peccata, non sua non cuiusquã alterius sed ipsorum. Fecerunt ergo peccatũ Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit quem nihil latet. Et Iudas non ideo prodidit dominũ quod ita de eo scriptum esset, sed ideo de eo scriptum erat quod deus pręsciret auaritia & desperatione animum ipsius fore corrumpendũ. Obijcis, Atqui ratione pari consequetur ut quia uiderit deus fidelium bona opera prædestinarit eos ad uitam ęternam, unde consequatur electionem dei pendere à nostris meritis. Nequaquam. Nam mala quæ ex corruptione & labe primaria uere nostra sunt puniuntur in nobis iustitia dei: sed gratia dei electi sumus ad uitam non propter opera nostra, sed propter sanguinẽ Christi. 2. Tim. 1. Hæc in præsenti ex ueruſtis scriptoribus præcipuis{q; religionis nostrę antistitibus proferre libuit. Quod si alij melius quiddã reuelatũ fuerit certè cum Augustino discere quàm docere malo, dũmodo deus nõ blasphemetur & in illum omnis culpa malitiæ & scelerum nostrorũ non reijciatur, aut nostris uiribus tribuatur quod reuera illius gratiæ est. Dominus enim apud Oseam planis uerbis pronunciat, Perditio tua Israel, sed in me est auxilium tuum. Et in euangelio dicit Christus, Hierusalem Hierusalem, quoties uolui te congregare ficut gallina cõgregat pullos suos sub alas, & tu noluisti. Item Daniel, Tibi domine inquit iustitia, nobis autẽ confusio facierũ. Et Dauid, Ne intres in iudicium cum seruo tuo quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam Iustus est dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in oñibus operibus suis. Et Paulus, Si adhuc uelatũ est euangelium nostrum in his qui pereunt uelatum est in quibus deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum ne illucescęret illis lumen euangelij. Vt ergo uno uerbo dicam omnia, Lux & salus à sola dei gratia est, Excæcatio & damnatio à corruptione nostra. Quod uero deus interim excæcare dicitur iustitiæ eius est, secundum quam merito punit inobedientiam & perfidiam nostram induratione desperatione & cæcitate. Ipsi soli gloria in sæcula, Amen.

Vnus enim deus, unus etiam mediator dei & hominũ homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, ut esset testimonium temporibus suis in quod positus sum ego præco & apostolus: ueritatem dico in Christo non mentior doctor gentium cum fide & ueritate.

Ad confirmationẽ superiorum etiam hæc pertinent. Nam si unus deus est qui neq; Iudæorum deus tantum est, neq; huius uel illius gentis peculiaris, sed omnium ex æquo communis, si unus totius carnis mediator est inter deum & hominem, si is semetipsum pretium redemptionis impendit pro omnibus, profecto orandum nobis erit pro omnibus. Quandoquidem uero insignis inter discipulos cõtrouersia fuerat de eo num & gentibus natus esset Christus, & an deus Gentium quoq; deus esset, ideo uocationẽ & mini-

sterium

sterium suum hic prędicat Apostolus, ne quis testimonio eius quo testabatur Christum omnibus redimẽdis uenisse, & deum non ludæorũ tantum, sed & Gentium esse deum, diffideret. Hæc in summa tractat præsens Pauli locus, iam ut singula repetamus & explicemus diligentius, Vnus inquit est deus, quo non excludit uel spiritum sanctum uel filium qui non seperatur à substantia patris, substantia aũt unus est deus, persona trinus, unitas ergo illa non tam ad substantiam dei refertur q̃ ad homines, qui unum id est communem habent deum. Ita etiam unus, id est communis omnium mediator est Christus Iesus, ut hunc nemo sibi peculiariter uendicare possit. Non enim pro una aliqua gente, sed pro omnibus sese impendit. Verum uidentur hæc quod ipsa uis euangelij in ipsis lateat altius esse repetenda. Mediator non est inter consentientes, sed dissidẽtes. Qui enim concordant nullo opus habent conciliatore. Et mediator & cõciliator æquipollent, ubi itaq; mediator est ibi dissidium atq; partes sunt. Et in præsentiarum partes sunt Deus & Homo. Hæ inter se dissidẽt. Caussa uero dissidij est peccatum. At hoc non expiatur citra mortem & sanguinem. Oportet itaq; huius dissidij mediatorem cum hominibus participare carne & sanguine adeoq; & uerum hominem esse qui mori & sanguinem effundere possit. Iam si nihil aliud q̃ homo sit, & sanguis eius nihil differat à reliquo corruptorum hominum sanguine, non expiabit peccatum dissidij caussam, imò nisi deus quoq; sit hic mediator, ad deum nequaq̃ accedere poterit. Oportet eñ mediatorem utriq; parti cõmunem esse. Verè enim Chrysostomus, Homo, inquit, purus mediator nunquam penitus fieret. Oportebat enim huiusmodi mediatorẽ cum deo colloqui. Deus item solus mediator esse non posset. Neq; enim suscepissent eum hi quorũ mediator accederet. Proinde diuino consilio uerbum caro factum est. Et Paulus in præsenti nõ citra emphasim dixit, Homo Christus Iesus. Quasi dicat, In hoc hominem induit Christus Iesus, ut mediatorem agere posset. Verus ergo deus & uerus homo est Christus. Hic dedit semet ipsum pretium redemptionis pro omnibus. Semetipsum inquam. Non enim per alium offerri potuit, sed per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum deo, Heb. 7. 9. Et propheta, Oblatus est inquit, quoniã ipse uoluit. Deniq; ipse dñs, Panis quem ego dabo ait caro mea est quam ego impendã pro mundi uita. Et uerbũ quo hic utitur Apostolus ἀντίλυτρον id significat pretium quo redimuntur captiui ab hostibus, eamq; cõmutationem qua capite caput uita redimitur uita. Ita ergo impendit se pro nobis dñs ut sua morte nos uiuificaret, suo sanguine expiaret, & ex maledictis faceret benedictos dei filios. Neminem exclusit hic nisi qui sese excludit sua ingratitudine & perfidia. Hinc Paulus, Impendit se ait pro omnibus. Quod aũt alij hinc colligunt omnes etiam perfidissimos fore saluandos, petulãter blasphemant. Qui enim credit habet uitam æternã: qui non credit damnabitur. Hoc quidem ab æterno præuidit deus, uoluit autem prædicari suis temporibus. De quibus & prophetæ, & Petrus 1. Pet. 1. Et Paulũ delegit ut omnibus prædicaret salutem. Id uero iuramenti quadã specie confirmans addit, Veritatem dico per Christum, non mentior quod deus uidelicet me delegit ut sim doctor omniũ gentiũ, ut omnibus annunciem gratiã euangelicã, idq; fideliter & uere. Hæc uero eximia Pauli laus est.

Vnus deus.

Vnus mediator.

Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollẽtes puras manus absq; iracundia & disceptatione.

De orationis loco.

Redit ad preces unde paulò ante fuerat digressus, tollitq; loci superstitionem, & ostendit qualis debeat esse oratio. Quasi dicat, Quod iubeo conuenire in cœtum atq; in hoc publicas profundere preces non est quod inde quis colligat preces nullibi q̃ in conuentu efficaces esse, imò uolo orare uiros in omni loco ubicunq; res postulat. Omnis enim locus purus est si animus non sit impurus. Et oratio ex mente non ex loco æstimatur. Legitur Christus sæpius in precibus pernoctasse sanè non in templo, frequẽtius orauit in monte. Tollitur ergo hisce Pauli uerbis loci superstitio, ut & apud Matthæum in 6. & Ioan. in 4. Porrò inde non sequitur, quod tamen uæsani quidam colligunt, in templo non esse orandum. Non enim temere pronũciauit dominus, Domus patris mei domus orationis est. Et Paulus in templo non impie legitur in Actis orasse. Quod si in tẽplo & æde

ſacra, hoc eſt doctrinæ, precibus & ſacramentis dicata orare non licet, certè oratio erit loco affixa. Atqui libera eſt, licet itaq; & in æde ſacra & in quouis loco ubicunq; res & decorum ipſaq; neceſſitas poſtulat orare. Audiamus nunc qualis eſſe debeat oratio. Volo inquit uiros orare ſuſtollentes puras manus abſq; ira & diſceptatione. Cæterum exteriori orantis habitu adumbrat qualis eſſe debeat pie precantis animus. Eleuantur manus ad cœlum, eleuetur & mens. Obliuiſcamur rerum terrenarũ, ſola cœleſtia cogitemus. Proferimus & excutimus manus quoties palàm teſtari uolumus nos à furto & rapina eſſe q̃ alieniſſimos, orantes igitur excutiamus ex pectore omnem iniuſtitiam, crudelitatem & impuritatem, oremus autem mente pura & ſyncera. Nam apud Iſaiam in cap. 1. clamat ad Iſraëlem dominus, Cum extenderitis manus ueſtras abſcondã oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem nõ exaudiam, eo quod manus ueſtræ plenæ ſint ſanguinibus. Lauamini igitur & mundi eſtote & tollite malitiam conatuum ueſtrorum è conſpectu meo & ceſſate malefacere. Apud Ieremiam in cap. 11. dicit dominus, In ſingulis ciuitatibus & plateis poſuerunt aras ad offerendum Baal. Tu igitur noli orare pro populo hoc, quoniam ego non exaudiam. Huc pertinet quod Paulus adiungit, χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ ſine ira & hæſitatione ſiue diſceptatione. Poſtremum illud referunt quidam ad fiduciam inconſtantiorem & uacillantem, ut hic locus congruat cum illo Iacobi, Poſtulet cum fidutia nihil hæſitãs, &c. Alij retulerunt ad animũ implicatiorem odio inuidiaq; uitiatum. Certè congruunt huc quæ dominus apud Matthæum hiſce uerbis docuit: Si obtuleris munus tuum ad aram, & ibi recordatus fueris quod tibi cum fratre male conuenit, relinque munus, abi & recõciliare fratri tuo. Munus noſtrum oratio eſt. Pura enim prece uult ſibi litari dominus. Ara autem noſtra cor noſtrũ eſt. Si igitur conſtituamus apud nos precari, tollamus prius ex animo quicquid inuidiæ & malitiæ contra fratrem concepimus, ut ex pura bonaq; conſcientia dicere queamus, Dimitte nobis peccata noſtra ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Tertullianus in 30. cap. Apolog deſcribens exteriori quoq; orantium habitu mentis iuſtam compoſitionem. Ad cœlum inquit ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, deniq; ſine monitore, quia de pectore oramus precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus. Et paulò poſt, Offerimus deo opimã hoſtiam orationem de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profectam. Hæc imitemur obſecro qui hodie Chriſtiani uideri uolumus & inuicem batalogia laceſſimus. Non enim in uerborum copia non in numero, ſed in pietate & fide in aſſiduitate & charitate conſiſtit efficacia & uirtus orationis.

Qualis eſſe debeat oratio.

Conſimiliter & mulieres in amictu modeſto cum uerecundia & caſtitate ornantes ſemetipſas, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis aut ueſtitu ſumptuoſo, ſed quod decet mulieres profitẽtes pietatem per opera bona.

Nihil in hunc locum adfertur à receptis interpretibus quod nõ in breuem ſummam contraxerit Paraphraſtes, nec quicquam dici poteſt neceſſarium quod idem nõ ſit hiſce uerbis complexus, quæ hic malui aſcribere q̃ poſt planam illam expoſitionem prolixius cornicari. Ad exemplum uirorũ inquit precentur & mulieres. Si quid eſt in animo muliebrium affectuum id prius eiiciant, pro Iudaicis purgationibus morum innocentiam adferentes, ad hanc uictimam animi non corporis cultum adhibeant, non nuditate corporis uirorum oculos ad libidinem ſolicitantes, ſed amictu tectæ & eo amictu qui modeſtiam, qui pudorem, qui pudicitiam præ ſe ferat. Abſit autem ut Chriſtianæ mulieres eo cultu prodeant in cœtum ſacrum quo uulgus prophanarum mulierum ſolet ad nuptias aut theatrum exire, quæ ſe multo ſtudio prius ornant ad ſpeculum arte contortis crinibus, aut auro intertexto, aut pendulis ab auribus collóue margaritis, aut alioqui holoſerica purpureáue ueſte quo ſimul & formam ſpectatoribus lenocinio commendent, & ſuas oſtentantes opes tenuioribus ſuam inopiam exprobrent. Quin is ſit potius Chriſtianarum habitus qui uitæ reſpondeat, qui dignus uideri poſſit ijs mulieribus

Mulierũ ornatus & habitus in cœtu ſacro.

quæ

quæ ueram pietatem ac dei cultum profiteantur, non oſtentatione diuitiarum ſed benè factis quibus opibus unice delectatur deus, cuius oculis fœdum eſt quod mũdo uidetur ſplendidum & magnificum. Hæc Paraphraſtes. Paria propemodum reperies in 1. ad Corinth. 11. & 1. Pet. 3. cap. Tertullianus ſcripſit libellum de Cultu fœminarũ eruditiſſimum & utiliſſimum, quem hiſce uerbis mire uidelicet ad præſentia facientibus concludit, Prodite uos iam medicamentis & ornamentis extructæ apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos uerecundia & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aurem ſermonem dei, annectentes ceruicibus iugum Ieſu Chriſti. Caput maritis ſubiicite & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite & plus quàm in auro placebunt. Veſtite uos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ deum habebitis amatorem.

Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Cæterum mulieri docere non permitto, neq; authoritatem uſurpare in uiros ſed eſſe in ſilentio. Adam enim prior formatus eſt, deinde Eua, & Adam non fuit deceptus, ſed mulier ſeducta fuit per præuaricationem: ſalua tamen fiet per generationem liberorum, ſi manſerit in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate.

Lex de mulierũ diſciplina.

Quo facilius à mulierculis quod præſcripſerat impetraret Legem dei profert admonens illas ſui officij & humilitatis. Lege autem dei præcipitur mulieribus obedientia ſilentium & humilitas. Eſt autem hoc genus hominũ natura garrulũ faſtuoſum & recalcitrans. Hinc Paulus, Mulier inquit in ſilentio diſcat cũ omni ſubiectione. Id eſt mulieres ſilere & per omnia ſubeſſe & à uirorũ authoritate pendere debent. Sequitur eñ huius legis expoſitio, Mulieri docere non permitto, neq; αὐθεντεῖν ἀνδρός id eſt authoritate uti in uiros & illos ad ſuum cogere affectum legésue præſcribere authenticas, ſed omnino eſſe in ſilentio. Hanc legem repetit et in 1. ad Corin. 14. cap. et transſumpſit ex Gen. 3. cap. ubi in hæc uerba pronunciat dominus, Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum. In dolore paries filios, & ad uirum tuum erit deſyderium tuum, et ipſe dominabitur tibi. Id eſt nihil conſtitues priuato affectu ſed ad nutum uiri omnia ages. Proinde cum in rebus priuatis reuerenter debeant auſcultare mulieres, multo minus publicis functionibus præfici debent. Inuertunt enim naturæ & dei ordinem qui in iudicijs exercendis inq; dicendis ſententijs, in ferendis item legibus, deniq; & in miniſterijs & functionibus eccleſiaſticis ullum locum permittunt mulieribus. Vnde conſequens eſt et humanarum et diuinarum rerum ex æquo fuiſſe ignaros qui Abbatiſſas (ſic enim uocarunt principes inter uirgines Veſtales, in quarum numero tamen nõ deerant ſcorta Corinthiaca) præfecerunt reipub. legibus adde & ſacris functionibus. Cauſas diuinæ legis ſubiicit apoſtolus ne quis muliercularum cauſam agens quereretur iſtam ex audacia & libidine uirorum eſſe promulgatam. Prior cauſa eſt, Adam prior formatus eſt deinde Eua, adeoq; ex uiro formata eſt fœmina, adde quod in adiutorium uiri à deo condita, ut portio uerius uiri ſit quàm caput: non è capite ſed latere uiri ſumpta. Poſterior cauſa eſt, Adam non fuit deceptus ſed mulier ſeducta fuit. Vir eñ neq; ſerpentis promiſſionibus, neq; pomi illecebra decipi potuiſſet: ſola charitas uxoris pertraxit ad pernitioſum obſequium. Deniq; Adam homo à quo nihil humani alienum non ſaxum rigidum erat, ut nihil dicant qui obiiciunt uirum debuiſſe conſtantiorem fuiſſe quàm quem illecebrę fregiſſent uxoris. Fons ergo præuaricationis à fœmina exiſtit. Hinc non temere ad mulierem Tertullianus de habitu muliebri, Tu inquit es diaboli ianua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es diuinæ legis prima deſertrix, tu es quæ eum ſuaſiſti quem diabolus aggredi non ualuit, tu imaginem dei hominem tam facile eliſiſti, propter tuũ meritum id eſt mortem etiam filius dei mori habuit &c. Quando ergo magiſterium Euæ non uni Adæ ſed toti mortalium generi ſemel ceſſit peſſime, ſubeſſe poſthac & iure ad uirum reſpicere iubetur mulier quęlibet. Agnoſcat imbecillitatem & lapſum ueterem, ac ſatis habeat quod

quæ olim fuit dux ad impietatem & ruinam, nũc erroris memor ſequatur uiri pietatem & reſurgat in pia obedientia. Non enim hæc dicuntur in contumeliam omnium mulierum, neq; ideo excluduntur à conſortio ſanctorum, nec quiſquam putet ſibi ideo in iſtas licere quidlibet. Imò cum mulierculari genus aliàs ſit timidulum, ne in deſperationem prorſus præceps rueret, addit nunc conſolationem, dicens, Salua tamen fiet per generationem liberorum &c. Atqui certum eſt ſalutem nõ deberi ullis meritis noſtris, tantum abeſt ut debeatur procreationi liberorum. Sola enim dei gratia per Chriſtum ſaluamur. Abutitur ergo ſaluandi uerbo pro reparandi, quemadmodũ & Germanis mos eſt uſurpare uerbum *heylen für widerbringen vnd erſetzen*. Quaſi dicat, Audiſtis quantam muliebris ſexus ſibi inuſſerit maculam, ſed ea eluetur ſi non deſit ſuo officio. Officium autem mulierum eſt liberos gignere, labores & dolores quos ſecum trahit partus & educatio liberorum patienter tolerare, liberis omnem operam & diligentiam impendere, fidem item cum erga deum tum maritum ſeruare, utrumq; diligere ex animo. Sic autem fiet ut excuſſa omni ſuperſtitione, cui tamen hoc genus maxime obnoxium eſt, uere & indiuulſe uera fide Deo & Chriſto adhæreant, fidem quoq; coniugalem non uiolent, deum item ante omnia, mox maritos diligant quemadmodũ eccleſia ſolet diligere Chriſtum ſponſum ſuum. Huc pertinet ſanctimonia & caſtitas ſiue pudicitia & ſobrietas. Debent enim mulieres animo & corpore integræ & ſanctæ eſſe, deinde caſtæ & ſobriæ in dictis, factis, moribus, deniq; toto corporis geſtu & habitu, Tit. 2. Mulier enim impudica monſtrum uerius hominis quàm homo eſt. Hiſce autem cæterisq; uirtutibus ſartient inquit Paulus, quod in primo illo lapſu diminutum eſt, quod ſcilicet hominis partes & officia attinet, aliàs nemo negare poteſt omne reparationis pretium & meritum paſſioni dominicæ deberi. Doceant ergo epiſcopi ſancti quod non puduit ſanctiſſimum Chriſti apoſtolum Paulum docere. Quidam non ſuſtinentes doctrinam ſanam ad fabulas conuertuntur & nugantur de uita monaſtica ac uirginitate quam interim ſanctiſſimam deoq; gratiſſimam eſſe credimus, ſi modo eiuſmodi ſit qualem deſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 7. Cæterũ coactam illam & inuoluntariam adeoq; & immundam nõ damnare non poſſumus, quod certo ſciamus deo probari placereq; ſanctimoniam cum animi tum corporis. Vnde & Apoſtolus præcepit corpora noſtra poſſideamus in ſanctimonia & honore & non in concupiſcentia, alibi quoq; commendans connubium ſanctum & immundi tiam damnans. Honorabile ait eſt connubium apud omnes & cubile impollutum, ſcortatores autem & adulteros iudicabit deus.

Gene. 3.

Cœlibatus monaſticorum.

DESCRIPTIO EPISCOPI ET FAMILIAE EIVS.

In eccleſia dei, hoc eſt ſanctorum cœtu ueluti anima eſt miniſter uerbi, utpote quem Paulus alibi appellat cooperarium dei, & per cuius miniſterium deus populum ſuum gubernat. Eſt igitur hic à deo conſtitutus ut ab ore eius cuncti expectent & audiant uerbum dei, idem à domino ueluti lucerna quæpiam toti domui eſt expoſitus ad quem intendentes qui uerſantur in domo quid agant norint. Nam in euãgelio dominus ad uerbi miniſtros, Vos, inquit, eſtis lux mundi. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera glorificentq; patrem qui in cœlis eſt. Proinde Paulus uitam & mores epiſcopi informat ne ex his ullæ in eccleſiam offundantur tenebræ.

CAP. III. Indubitatus ſermo, Si quis epiſcopi munus appetit bonum opus deſiderat. Oportet igitur epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris maritum, uigilantem, ſobrium, modeſtum, hoſpitalem, aptum ad docendum, non uinolentum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum, ſed æquum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia.

Chryſoſtomus & huius abbreuiator Theophylactus hanc particulam πιστὸς ὁ λόγος retulerunt ad ſuperiora quæ Paulus uoluerit indubitata eſſe, quod uidelicet dixit mulierem ſeruari gignendis & recte inſtituendis liberis. Videtur autem referenda eſſe ad conſequen

sequentem episcopi descriptionem ut sit occupatio quædam. Ambiebant enim quidam hanc functionem ob dignitatem ac quæstum & non uocati se ingerebãt, clamantes honestum esse quod appeterent. Hic uero Apostolus episcopi munus sanẽ (inquit) nemo nescit honestum esse munus, & qui hoc concupiscit ut profit, honesto quidem illum desiderio flagrare. Hic uero addendum quod inabsolutam sententiam perficiat, Verum ad hanc functionem non quilibet sed selectissimus quisq; appositus est: neq; omnes illam appetunt ut prosint. Quidam enim quæstum, honores, & tyrannidem spectant. At episcopus non tam dignitatis quàm officij ac ministerij beneficijq; nomen est. Quæ si uera sunt, ut falsa esse nequeunt quæ spiritus sanctus prodidit, concidit hic omnis episcoporum Pontificiorum authoritas, damnati sunt præterea ambitus quotquot ex doctis hodie quoq; non uocati ob honores & opes assequendas huic sancto se dei ministerio ingerunt. Nec est quod illi nobis quoq; functionis pretiũ & honestatem obijciant, curent illi potius ut iusta uia in hoc ministerium uocentur & ingrediãtur, ut interim sancti sint, ut uni deo & ueræ pietati consecrati, inq; lege domini exercitati uocationem iustam præstolentur, utq; uocati iam sanctos & deo dignos agere possint episcopos. Hæc qui faciũt studiosi bonum deoq; gratissimum opus faciunt. Atq; hunc scopum præfixum sibi habebunt quotquot hodie ex ecclesiæ ærario ad ministeria ecclesiastica alũtur. De nomenclatura episcopi annotauimus quædam in 20. caput Actorum apostolorũ, & in alia non nulla Pauli loca. Sequitur nũc simulachrum ueri episcopi, quod Apostolus suis attribu tis, hoc est coloribus egregie pinxit. In primis iubet episcopum esse ἀνεπίλημπτον irreprehensibilem, hoc est qui tam sit uitæ inculpatæ ut nullo iure reprehẽdi possit. Excipimus enim hic iniurias & calumnias, quibus impij uel optime meritos de pietate & bonis omnibus nunquam non grauarunt. Apostoli Pauli studium reprehendebatur ab impijs omnibus, interim tamen ipse irreprehensibilis erat apud omnes sanctos, qui rectius iudicabant de uirtutibus & uitijs. Excipimus præterea uitia atq; peccata. Nam nemo aliâs uiuit qui non aberret & peccet. Christum solum nemo peccati arguere poterat. De sceleribus & impudẽtiore conuersatione intelligo hunc Pauli locum, ut uidelicet in episcopo exigat summum innocentiæ studium, ne quod recte & sancte docet, praua & impura uita destruat. Quis enim patientibus auribus audiat impurum aliquem de sanctimonia interna & externa sancte licet disputantem? Proinde Apostolus in primis & in genere flagitat, ut qui cæteris destinati sunt censores morum & magistri innocentiæ, accusatores scelerum & omnis iniquitatis extirpatores, caueant sibi quàm diligentissime ne in ipsis hæreat tenacius quod alijs uolunt ademptũ. Iam uero per partes & ueluti species subiectas exponit quomodo fiant irreprehẽsibiles episcopi, si uidelicet sint unius uxoris mariti. Quo membro commendatur pudicitia & castitas coniugalis, damnatur impudicitia, scortatio, adulterium & impuritas carnis. Quibus si episcopi polluti ac contaminati sint, sordebit plebi uniuersa ipsorum institutio, aperieturq; tum fornicationi tum adulterio porta patentissima. Nam qua fronte qua authoritate quo deniq; affectu scortationem damnabit aut adulteros accusabit qui omniũ maximus & scortator & adulter est? Cæterum si quis pudice uiuit cœlibemq; uitam agit non cogitur ulla dei lege connubio se irretire. Bonum enim est mulierem non tangere, præcipue ob incommoditates uarias quæ uerbi ministrum persequutionis procella ingruente quatiunt atq; obturbant. Verum si ea gratia homini data non est ut sine uxore cõmode possit uiuere, melius est contrahere matrimonium quàm uri. Neq; uero sacrosanctum ministerium polluit coniugium sanctum. Nam Apostolus, Honorabile est, inquit, connubium apud omnes & cubile impollutũ. Non itaq; sanctum dñi institutũ polluit sanctum dei ministerium. Quo circa mirari non possum qua fidutia exposuerint quidã hunc Pauli locum non de coniugio episcoporum, sed de ecclesia potius & sacerdotio, quod uidelicet Paulus nolit episcopo uni plures cõmitti ecclesias. Quorsum em̃ (ut multa alia transeam) referent quod sequitur, Qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat subiectos & per omnia reuerentes? Si uero & hæc exponant de membris ecclesiæ, hoc est fidelibus, reuincentur per ea quæ sequũtur protinus, Si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo ecclesiam

Contra ambitum.

Irreprehensibilis.

Vnius uxoris maritus.

dei curabit? Hic enim nota manifestissima ostendit se loqui de familia & uxore non spiri tuali, sed carnali sanctaq;. Iam quod obijciunt apostolos quidē habuisse uxores, sed non circumduxisse secum in ministerio, confutatur ex hoc loco, qui palàm quid fieri debeat præscribit, non quid gestum sit exponit. Episcopus uerbi dei minister est. At hunc opor tet unius uxoris maritum esse, eo scilicet quia episcopus est, sanctumq; connubium alijs commendare, & à fornicatione absterrere debet. Deinde clarissimis uerbis ipse Apostolus in epistola ad Corinth. 9. cap. An non habemus, ait, potestatem sororem mulierem circumducendi quemadmodum & cæteri apostoli & fratres domini & Cephas? Hunc in modum conuicti comminiscūtur aliud, quibus contendere quàm ueritati obsequi iu cundius est, primum enim matrimoniū admittunt, repetitum damnant uel improbāt: hinc à Paulo diserte Vnius uxoris maritum, unius inquam dictum putant. Quasi uero secundæ nuptiæ primis sint pollutiores, & Paulus uerum nō dixerit cum in Corinthijs inconiugatis & uiduis præscripsit bonum esse si sic manserint, cæterum si se non contineant contrahant matrimonium. Vnius ergo dixit ut excluderet uxorū gregem & concubinarum turbam, sanctum uero & iustum matrimonium stabiliret, quod non inter plures sed duos tantum consit. Id quod & dominus apud Matthæum docuit in cap. 19. Verum plura de sacerdotum connubio annotauimus alibi. Sanè planum est non modo ex monumentis ueterum sed neotericorum quoq; omnes Galliarum & Germaniæ epi scopos sero tandem professionem cœlibatus recepisse feciſseq;. Ab antiquo enim uxores habuisse longe certissimum est. Id quod & Lambertus Schaffnaburgensis historicus in rebus Germanicis luculenter exponit eo præcipue in loco ubi gesta præclara anni 1074. describit. Mira tum erat in episcopis eius temporis constantia. Confidenter enim & ne gligebant & damnabant sanctiones & decreta Romani præsulis, uxoresq; secundū uer-

Vigilantem. bum domini retinebant. νηφάλιον uigilantem retulere alij ad animum. Theophylactus enim, Sobrium ait esse oportet episcopum, hoc est perspicacem & meditabundum, nullis huius sæculi curis uel mœrore offusum. Ego uero de tota pastorali cura expono. Speculator enim & uigil est episcopus, qui quoquo uersus oculos uigiles circumagendo ho stes tum domesticos tum exteros obseruare cauereq; debet ne irruptione facta periclite-

Sobrium. tur gregis dominicæ salus & pietas. Huc pertinet Ezech. cap. 3. & 33. item Acto. 20. σώφρο να sobrium. Id uero ad animū refero episcopi, cuius proprium est sapere, & matura pru dentia rebus consulere quibuslibet. Et dominus in Euangelio prudētiam & fidelitatem requirit à dispensatore mysteriorum dei. Mens uero praua & prauis imbuta opinioni-

Modestum. bus recte putatur esse ebria, cui opponitur sobrietas. κόσμιον modestum siue ornatum, hoc est compositum & bene moratum, id quod ad totum corporis habitum & cultum refertur. Plurimū enim momenti ista in uita hominis habent. Vestis igitur ne sit incul ta, rursus ne sit sumptuosa laboriosáue. Nam ut hoc luxū habet, sic illud nescio quid hy pocriticum refipit. Quidam existimant se pietatem Christianam non posse nisi militari ueste uel rusticana & prorsus sordida exprimere, horum studium unice huc spectat ut ueste maxime prophana utantur. Sunt alij qui in nouo quoq; priuato & maxime hypo critico uestiendi genere bonam pietatis partem existimant sitam, his sordent uulgares, sed honestę uestes. At prudens episcopus honestissimos quosq; in plebe uestium genere forma & usu imitatur, ita hanc rem temperās ut nihil in ipso hæreat incultum nihil hy pocriticum, nihil item nouum, prophanum aut luxuriosum. Hic enim eius quod ubiq; locum habet meminisse oportet modum esse in re qualibet seruandū. Et episcopi præci pua functio est luxum & hypocrisim damnare omnem. Frugalitas enim & parsimonia uectigal omniū maximum est: sumptus uero immodicus uel uestibus uel uictui impen sus ecclesiā & polluit et malis artibus opplet. Curabit ergo episcopus cum doctrina tum exēplo ut totus populus honestis, frugalibus atq; decoris utatur uestibus. Mores episco pi sint candidi, graues, puri, alieni ut à leuitate uanitateq; mundana, ita à Stoicismo & te trica phariſeorū specie. Breuiter in omni uitæ cōsuetudine in quā sermones & colloquia maxime putamus pertinere, præ se feret episcopus grauitatē iustam & suauem, ut sit alie nus ab omni leuitate morūq; ineptia quæ minuūt doctoris & authoritatē & reuerentiā.

Proinde

Proinde ut tetricos quosdam & misanthropos pastores probare non possumus, ita episcopos faciles omniumq; horarum bellos homunculos, leues atq; nimium ciuiles facetosq; non damnare non possumus. Modestiam approbamus. φιλόξενον hospitalem, & qui amet peregrinos, liberalis & humanus sit. De hospitalitate disputauit Cicero quoq; in Officijs. In religione nostra inter primas numeratur uirtutes. Habet & suã promissionem, habet exempla uaria in Abrahã præcipue, Loth, in Sunamitide, in Martha, in Phi lippo, Acto. 21. & Publio, Acto. 28. Maiores nostri episcopis amplissimas opes in hoc donarunt ut hospitalitatem exercerent liberaliter, cæterum iniuria temporum & auaritia impiorum episcoporum factum est, ut non modo nulla amplius exerceatur ab illis hospitalitas, uerum etiam illis opibus nunc non ut episcopi & dispensatores præsideant, sed ut principes imperitent ijsq; ad luxum & tyrannidem pro animi uoto in detrimentum ecclesiæ maximum abutãtur. διδακτικὸν, id est docibilem, id quod actiue intelligendum est, nempe qui docere possit. Hęc prima & potissima est episcopi functio. Qualis uero esse debeat doctrina & alibi & in primo huius epistolæ cap. ostendimus, hic de facultate & modo docendi loquitur. Inuenias qui non nesciant quid sit docendum, sed docere interim nesciãt. Oportet ergo episcopum non tam doctum esse quàm docibilem, hoc est appositum ad docendum, qui uidelicet sciat quid quibus quatenus & quomodo docenda sint quælibet. Eant ergo nunc amusi bardi stupidiq; aphronij & damnent dicendi artem sine qua nemo apposite docebit, nisi cui natura & deus ipse sarsit quod arte diminutum est. Contemptis ergo illiteratorum nugis & querelis qui consultum uolunt ecclesijs fideliter instituant iuuentutem ecclesiasticam in oratorijs præceptis, hoc est in recta dicendi arte. Agnoscimus enim & hanc non sine munere & afflatu dei ad nos esse delatam, ut prorsus nullum apud nos locum habeant clamores istorum de philosophia & gentilium literis contemnendis. Norunt sancti quatenus istis utantur in sacris. μὴ πάροινον, id quod recte uertit Ambrosius non obnoxium uino. Non enim uini usum omnino damnauit, sed abusum, ingurgitationem & uini studium assiduum, quo qui exercentur uino mãcipati nihil aliud quàm desipere possunt. Leuitis præcipiebat dominus abstinerent ab omni potu inebriante cum ingressuri essent in sanctum. Voluit autẽ illos esse sana mente & integris sensibus. Vinum enim dementat & peruertit sensum adeò ut ne membra quidem corporis suum faciant officium. Cauenda tamen in primis spiritualis ebrietas, excæcatio, inuidia, fastus, cupiditas nimia rerum pessimarũ. Et Theophylactus, Non dicit hoc loco, inquit, qui mero madeat, sed cõtumeliosum & temerarium. Ego uero Paulum omnino de temulentia & uini abusu loquutum existimo. μὴ πλήκτην non percussorem, id quod non pertinet ad uiolentiam manuum, sed ad acerbitatem linguæ, ne sæuus & improbus sit obiurgator. Est enim & in obiurgando modus, qui seruatur si obiurgatio sic fit temperata ut reus intelligat peccati sui magnitudinem, & quod paterna obiurgatio ad saluandum non conuiciandum tantum instituta sit. Quidam plus nimio feroces licentius agunt omnia, nimiumq; frena conuiciatricis linguæ laxantes reorum animos tam à se quàm à uero prorsus alienãt & repellunt, idem illi alios quoq; pusillanimitatis atq; perfidiæ damnant qui non pari improbitate & sæuitia utuntur in obiurgando. Cæterum Paulus iubet episcopum μὴ πλήκτην esse. Nam uult eum abhorrere à contẽtione & sæuitia, ne uideatur odio non amore facere quod facit. Interim tamen ad scelera facinorosorum cõniuere istum nolumus, ita nec crimina extenuare, sed intrepide & sancta cum moderatione arguere & obiurgare iubemus. μὴ αἰσχροκερδῆ non turpis lucri cupidũ. Tametsi enim hospitalitas ab episcopo requiratur, attamen huius prætextu nullum sectabitur lucrum inhonestũ: quod faciunt qui cum pietatis & religionis detrimento munera accipiunt, deinde rebus turpibus, inhonestis, illiberalibus & episcopo indecoris quærunt uictum. Non damnatur omne lucrum, sed indecorum modo & iniustũ. Plura annotaui de hac re in 5. cap. 1. epist. Pet. ἀλλ' αἰσχροκερδῆ sed æquũ, id est moderatum, probũ, humanũ, mansuetum & frugi hominẽ. Hoc enim superioribus uitijs opponit. ἄμαχον alienũ à pugna, id est absq; iurgio & litigãdi contendiue ardore. Recte enim dictũ est, ueritatem nimia contẽtione amitti. ἀφιλάργυρον ab argenti cupiditate alienum,

Hospitalem.

Aptum ad docendum.

Non uinolentũ.

Non percussorem.

Non turpis lucri cupidum.

Sed æquum.

Alienum à pugna.

Alienum ab auaritia.

qui uidelicet ſtudium omne ſuum intenderit corradendis pecunijs & congerendis theſauris. Auaritia enim radix eſt omnium malorum. Nec quiſquam deo & mammonæ inſeruire poteſt. Debet igitur epiſcopus ab auaritia, muneribus, à quæſtu turpi, à lucro inhoneſto, & cumulandi induſtria ac diligentia q̃ alieniſſimus eſſe. Hodie induſtrij & egregij creduntur epiſcopi qui auri ac argenti cumulos magnaq; pondera poſteris ad bella contra Chriſtum inſtauranda & alenda relinquunt. Tam probe epiſcopi & proceres eccleſiaſtici hodie ex ſacris inſtituti ſuum faciunt officium ſcilicet.

qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat in ſubiectione cum omni reuerentia. Quod ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quo modo eccleſiam dei curabit?

Frugi homo ſit epiſcopus.

Quemadmodum uero auaritia uitio datur epiſcopis, ita & profuſio & rei familiaris neglectus. Auaro non tam deeſt quod habet q̃ quod non habet. Prodigo uero non tam prodeſt quod habet q̃ quod non habet, utpote cui nihil ſatis eſt quicq; abliguriret oñes omniũ facultates ſi quis modo illas ſuppeditaret. Vterq; in extremis quod dici ſolet hæret, uterq; culpabilis eſt, qui uero medium tenet is iuſta ambulat. Quocirca Paulus deſignat epiſcopum qui auarus nõ ſit, & tamen ſuæ domui propriæ (τῷ ἰδίῳ οἴκῳ καλῶς προϊ στάμενον) bene præſit, hoc eſt, qui opes & facultates omnes recte & cum iudicio diſpenſet. Nulla enim familia, nulla domus ſine opum & facultatum uſu & diſpẽſatione ſuſtentari adminiſtrariue poteſt. Id quod propter eos moneo quibus ſubinde in ore eſt uerbi miniſtros leberide nudiores eſſe debere, atq; ideo hunc Pauli locum non de opum iuſta & frugali diſpenſatione, ſed de liberis exponunt, ut Paulus per ipſam domum intellexerit liberos, quod quidem ut non infrequens eſt, ita nemo negare poteſt ad liberorũ educationem alimoniam & curam facultates quoq; neceſſarias eſſe. Pertinẽt igitur ad rem domeſticam curandam pecunia, commutatio, locatio, contractus, emptio, uenditio, & ſi quæ alia ſunt rei familiaris. In his requirit Apoſtolus hominem frugi & ſanctum, non prodigum & qui rerum ſuarum nullum habeat penſum. Et experientia magiſtra didicimus huiuſmodi decoctores miniſterio ſancto non ſemel maculas ignominiæ altiſſimas inuſſiſſe. Idcirco Paulus frugi hominem deſignat. Vnde conſequitur quod minime anxia diffidens & peruerſa, ſed ſyncera, ſancta iuſtaq; rei familiaris cura epiſcopum ornat, neglectus uel auaritia defœdat. Deinde requiritur ut epiſcopus liberos habeat obedientes & reuerentes, qui pudore ingenuo moribusq; compoſitis pietate ſingulari educationem patris ſanctam comprobent alijs, ijsq; exemplum uitæ præferant melioris. Et liberi quidem parentum uiua ſunt ſimulachra, in quibus plerumq; parentum genius, diſciplina, probitas & diligentia relucet. Hæc uero tanti ſunt apud Apoſtolum momenti, ut ex his ceu prognoſticis indicijsq; æſtimari ac cenſeri uelit epiſcopum, ſubijciens comparatum quoddam, Quod ſi quis propriæ domui præeſſe nõ nouit, quomodo eccleſiam dei curabit? Opponit enim priuatam domũ & diſpenſationem epiſcopi deligendi, eccleſiæ & miniſterio ſiue gubernationi publicæ. Qui, inquit, in curãda re familiari & liberorum educatione egregiã nauarit operam, is ſpecimen de ſe præbuit fore ut publicã omnium curam gerere gnauiter poſſit. Cæterum qui iners eſt in adminiſtratione rerum exiguarum is nulla cũ laude maiora obibit munia. Quia uero ſumma quæq; miniſteria uaniſſimis inertibus & helluonibus committuntur hinc finiſtre geruntur omnia.

Luce 16.

Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem illum & bonum habere teſtimonium ab extraneis ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris.

Non nouitium.

Νεόφυτος iuxta etymon eſt nuper natus aut nuper inſitus, diciturq; non tam de ijs qui nuper in fidei contubernium aſciti Chriſti nomen profiteri cœperunt q̃ de ijs qui docti quidem ſunt & periti diuinæ legis, ſed non ſolide. Solet autem eruditio immatura & inflare & confidentes facere. Addit igitur Paulus cauſſam cur nolit nouitiũ, Ne inflatus & plus nimio ſibi placens incidat in maledicorum condemnationem, hoc eſt, ne illi

qui

qui religionem nostram unice ut uellicent obseruant, iustam à nouitio conuitiandi ansam accipiant, meritoq; & fastum & inconstãtiam eius accusent. Nam solent literatores & neophyti procacius erumpere & parum expensa temere proponere, quæ demum retractare & nonnunquam plane cogũtur recantare, id quod authoritatem eorum imminuit haud exigue, sed & ministerium ipsum nonnihil infame reddit, quocirca Apostolus reiẽcit neophytos, & uel eruditione iusta insignes, uel diutino usu exercitos ecclesiæ iubet præficere. Addit & aliud, Oportet autem illum & bonum habere testimonium ab extraneis. Per extraneos uero intellexit alienos à Christiana religione, ethnicos uidelicet. Tanta inquam innocentia conspicuum uult esse episcopum, ut ne gentes quidem habeant quod iure obiiciant flagitium. Et Aelius Lampridius in uita Alexandri Seueri scribit Christianos si quãdo sacerdotes ordinare uoluissent, prius ipsorũ proposuisse nomina palàm, hortatosq; populũ ut si quis qd haberet criminis probaret manifestis rebus. Qui mos ex hoc nimirum pręcepto Pauli inoleuit & ad id utilis fuit quod ethnici de pietate Christianorum non male sentientes ab impietate sua facilius desciuerunt. Hodie uera religio ob improbitatem quorundam ministrorum non bene audit. Et hæc quidem de ministrorum uita & moribus dilucide & breuiter disputauit Apostolus. Ad hanc tractationem pertinent quæ sequuntur.

Ministros itidem compositos, non bilingues, non multo uino deditos, non turpiter lucri auidos, tenentes mysterium fidei cum pura conscientia. Atq; hi probentur prius, deinde ministrent sic ut nemo possit illos criminari.

Diaconi, quod & Ambrosius sentit, sunt episcoporum ministri & ueluti membra adeoq; & seges episcoporũ. Hi sanè duplicis generis & functionis inueniuntur in sacris. Alij enim ærario præfecti ecclesiastico pauperũ curam gerunt, ut uidere est in Actis cap. 6. de quibus & hic locus per omnia exponi potest. Alij uero literis honestis disciplinis & scripturæ sacræ inuigilant adeoq; in rebus exercentur sacris assidue ut aliquando muniis præfecti ecclesiasticis ecclesiæ dei quamplurimum prosint. Ex his enim deliguntur episcopi siue sacerdotes ecclesiarum ministri. Receptum fuit & prophetarũ temporibus adulescentes ad ministeria alere sacra. Nota est historia de Samuele. Tradũtur item fuisse scholæ cum in Iericho cui præerat Helisęus, tum in Ramoth Galaad. Harum alumni & Nazaræi & prophetarum filij appellabantur. Occurrunt ubiq; in prophetis istarum rerum egregia specimina. Et sanè religioni & pietatis studio sine disciplina & scholis huiusmodi non bene consulitur. Cœperunt ergo ab ipsis protinus incunabulis Christianæ fidei, magistris & authoribus apostolis, ali ingenia egregia educariq; homines de quibus spes erat fore ut aliquando doctrina & uita ecclesiam à maioribus plantatam iusta cura & agricolatione proueherent ad maturam frugem. Talibus ergo nunc præscribit leges, uidelicet ut in primis sint compositi, quod ad morum candorem pertinet, ad pudorem liberalem & ingenuum, ad grauitatem & reuerentiam, ut scilicet toto uitæ habitu disciplinam quandam præ se ferant Christianam. Deinde præcipit ne sint bilingues, hoc est inconstãtes, uani, futiles, leues & mendaces, adulatores & palpones. Notati sunt hi & à ueteribus elegantissimis prouerbijs, cuius generis sunt, Aliud stans aliud sedens loquitur, Duos parietes de eadem dealbat fidelia, Ex eodem ore calidũ & frigidũ efflat. Fœdum sanè hoc uitium est cum in omnibus tum in ministris uerbi præcipue, aut ijs quoq; qui uerbi ministerio destinantur. Horum enim ora & linguæ spiritus sancti, hoc est constantiæ, ueritatis, iustitiæ & puritatis organa sunt. Quod uero paulò ante breuius & ideo obscurius posuit μὴ πάροινον non uinolentum, id nunc pluribus & explicatius exponit, μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας non multo uino addictos. Non enim uini usu interdicit in uniuersum sed abusu et studio nimio cui raro abest ebrietas. At hanc celeberrimi è nostris authoribus uoluntariã esse insaniam dixere, quæ si in plures paulò extendatur dies habitus is etiam manifestarius euadat furor. Celebre est & illud, Ignem gestare in sinu, qui assiduo utatur uino. Et Solon unus è septẽ morte principem esse mulctandũ lege

Diaconi literis mancipati iuuenes.

Non bilingues.

Non multo uino deditos.

ſanxit ſi deprehenderetur ebrius. Pittacus quoq; ebrios ſi peccaſſent duplici dignos incommodo ſtatuit. Sed & dominus ipſe magna cum indignatione cõtra Iſraëlitas Amos ſecũdo cap. Suſcitaui, ait, de filijs ueſtris prophetas, & de iuuenibus ueſtris Nazaræos. An non ita ſe habet res? Vos autem feciſtis Nazaræos bibere uinum. Accuſat autem Iſraëlitarum luxum, & quod iuuentutem ad prophetiam delectam educatione molli corrumperent. Omnium itaq; epiſcoporum erit diligenter curare quo adoleſcentia Chriſtiana & ſacro miniſterio dicata ſancte & in literis puris & in moribus integris inſtituatur ſynceris, ut tempeſtiue & ab ipſis incunabulis bona amare & mala fugere ac auerſari aſueſcat. Sequitur enim quod huc pertinere uidetur, Tenentes myſterium fidei cum pura conſcientia. Neq; enim ſatis eſt ſi ſint cõpoſiti, ſi in omni eruditione & doctrina præclari, niſi & fidei myſterium teneant, hoc eſt pñ ſint & totam religionis rationem probe teneant, adeoq; & ex animo credant alieni ab omni fuco & hypocriſi. Nam in hunc finem conſcientiam puram diſerte expreſſit. Inuenies enim ſtudioſos quidem literarum, ſed parum pios. Inuenias & pie in ſacris eruditos qui ſuauiter de religione philoſophentur, ſed non ex conſcientia pura, uerũ ex hypocriſi. Addit igitur & aliud, Atq; hi probentur prius, deinde uero miniſtrent, atq; ita ut nemo poſſit illos criminari. Quaſi dicat, Cũ uero hypocriſis maximum quidem ſed occultum malum, non raro corruptiſſimos ad miniſterium ſubuehat ſacrum, hinc nolim protinus committi ſacrarum rerum adminiſtrationem uel eximiæ ſpei ſtudioſis niſi multo iam tempore exploratis. Ita enim fiet ut nemo poſſit eximios & probatos criminari temere. Hæc ſi nobis eſſent ſacroſancta proculdubio melius haberent res eccleſiaſticæ, & maior uberiorq; eſſet prouentus pietatis.

Vxores ſimiliter modeſtas, non calũnioſas, ſobrias, fidas in oñibus.

Vxores miniſtrorum uerbi quales eſſe debeant.

Multũ refert quam quiſq; nactus ſit uxorem. Nam in uniuerſa uiri uita hæc momentum non leue habet. Periclitatur enim ex illius improbitate ipſa uiri exiſtimatio & gloria, eadem augeſcit ex ſtudijs & moribus eius ſanctis. Vnde Sapiẽs Hebræus, Mulier ſedula, ait, corona eſt mariti ſui, ſed quaſi putredo in oſſibus eius eſt mulier turpis. Mulier ſapiens ædificat domũ, ſtulta uero ſubuertit eandem. Item, Mulier bona pars bona, obtigit uirum ſuum, & annos uitæ illius in pace implebit. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. Nobilis in portis uir eius quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Diſciplina illius datum dei eſt. Sicut ſol oriens in mundo in altiſſimis dei, ſic & mulieris bonæ ſpecies in ornamentũ domus eius. Proinde Apoſtolus iubet & epiſcoporum & diaconorum uxores eſſe σεμνὰς compoſitas modeſtas, non leues aut ineptas, ſed matronali pudore graues. Deinde μὴ διαβόλους nõ calumnioſas, quod plerumq; adhæreſcit mulierculis. Dum enim curioſæ per alienas perreptãt ædes, dum negotioſæ & garrulæ alienis ſe immiſcent cauſſis, naſcitur obtrectandi, ſuſurrandi calumniandiq; negotium. Ab ijs uitijs abeſſe uult uxores miniſtrorum ueritatis concordiæ & pacis. Et ſilentium præcipuum eſt omnium mulierum ornamentum. νηφαλίους, id eſt uigilantes, quod tam ad ſobrietatem animi temperantiamq; quàm ad diligentiam & prudentiã, hoc eſt ſolertem rei familiaris adminiſtrationem referri poteſt, quemadmodum & ſequens portio πιστὰς ἐν πᾶσι fidas in omnibus, pertinet & ad fidem coniugalem & ad fidelem facultatum diſpenſationem, uidelicet ne ſint adulteræ, impuræ, futiles, furaces & inconſtantes. Quem admodũ enim epiſcopi uita uitæq; totius habitus aliorũ inſtitutio, ſic mulierũ omnium exemplar & pudicæ probæq; uitæ typus eſſe debet purior uxoris epiſcopi conuerſatio.

Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis recte præſint & propríjs familijs. Nam qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirunt & multam libertatem in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Ne diaconorum periclitaretur pudicitia & uel adulterio uel ſcortatione polluerẽtur, atq; ita maculam ſibi opprobriumq; aſciſcerẽt perpetuum, permittit ipſis connubium. Nam melius eſt matrimonium contrahere quàm uri. Et quod hac in re præſcripſit epiſcopis ut unius uxoris mariti ſint, ut liberis & familię bene præſint, idem præcipit & diaconis. Addit hoc loco ſpem & egregiam pollicitationem, qua admoueret calcar curren

tibus,

tibus, hoc est excitaret diligentiam ultroneam. Sensus enim est, Tametsi functio diaconi paulò inferior sit functione episcopi, id tamen neminem reddat ignauũ. Spectanda sunt proposita præmia. Quisquis enim in hoc ordine se gesserit gnauiter & integre, non modo gradum sibi sternit ad munia excellentiora, uerumetiam auctionem accipiet à deo spiritus sancti, πλείω inquam παῤῥησίαν multam libertatem in fide, id est fidei, religionis sapientiæq; cœlestis apertã liberalemq; cognitionem. Duo itaq; sunt quæ strenue suum officium facientibus pollicetur Apostolus: prius prope terrestre est, fore scilicet ut excellentiori præficiatur officio: posterius plane spirituale & cœleste est, fore ut fidei & cognitionis augeatur donum. Recte enim uereq; Paraphrastes, ut in republica prophana inquit uocatur ad præturam qui in ædilitate strenue se gesserit, rursus à prætura ad tribunatum aut consulatum qui illic quoq; uicerit seipsum, ita diaconi functio declarat qui sit sacerdotis aut apostoli loco dignus. Et in Euangelio disertis uerbis de donorum auctione loquens dominus id proposuit paradoxon, Omni habenti dabitur & abũdabit, qui uero non habet etiam id quod habet auferetur ab eo, Matthæi 25. Neq; uero nouum est quod egregia ingenia spebus & pollicitationibus ducuntur, incitantur atq; capiuntur. Debetur sanè uirtuti suum præmium & honor iustus. Proinde præter ius & fas spe sua frustrantur aliquoties uiri aut adolescentes industrij, qui cum singulari diligentia & eruditione egregiam spem de se præbuere amplioribus præmijs ad maiora erant prouehendi, nunc uero negliguntur aliquoties prouehunturq; ad honores qui non tam indocti quàm indigni sunt, quo demum fit ut & illi animum despondeant & asini, quod dici solet, portent mysteria.

Hæc tibi scribo sperans fore ut ueniam ad te cito, quod si tardius uenero ut noris quomodo oporteat in domo dei uersari quæ est ecclesia dei uiuentis columna & basis ueritatis.

Institutum & usum præcedẽtium ostendit præsentibus, ex quibus facile intelligimus Paulum hisce capitibus tribus totius ecclesiasticæ œconomiæ summam adumbrasse: ut uani & ingrati sint spiritui sancto quicunq; formulam œconomiæ petunt aliam. Iam ut diligentiam & studium Timothei excitaret magnifice splendideq; de cœtu sanctorum loquitur, quemadmodum & in Actis cap. 20. dicens, Attendite uobis & cuncto gregi in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad regendum ecclesiam dei quam acquisiuit sanguine suo. Ita enim & in præsentiarum cœtum illum fidelium appellitat domum dei uiuentis, alludẽs quidem ad Hierosolymitanum templum, sed ipsam interim ueritatem prædicans & typis præferens. Inhabitat enim deus uiuitq; non in templis saxeis, sed in cordibus fideliũ, in quibus & uires suas exerit & totus regnat in ipsis. Nam qui sese Christo per fidem consecrarunt, non iam ipsi uiuunt, sed uiuit in ipsis Christus. Huiusmodi uero ecclesia est στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, hoc est columna & firmamentum siue basis ueritatis. In cœtu enim sanctorum prædicatur illud magnum pietatis mysterium, huic item innititur ecclesia, in hoc seruatur, in eodẽ perstat & perseuerat ueluti ahæneus murus cõtra omnes diaboli mundiq; insultationes. Vnde in Euangelio dixit dominus Petro confitenti, Tu es Christus filius ille dei uiuentis, Tu es Petrus & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Abusi sunt hisce locis Pontificij. Cum enim mendacia sua impias item & tyranniças leges aua ritiam quoq; & quæstum suum scripturis defendere non potuerunt, confugerunt ad ecclesiæ patrocinium, colligentes ecclesiam esse fundamentum ueritatis, iccirco & leges ab ipsis latas esse ueritati consentaneas, cum ecclesiæ sint præsides adeoq; ipsa ecclesia. Cæterum fallacia in hoc est quod uariant in nomine ecclesiæ. Paulus eam ecclesiam uocat ueritatis columnam quæ Christo nititur, solius pastoris uocem audit, nec ipsa sibi uiuit, sed Christo qui & regnat totus in ipsa. Isti uero sibi adhuc uiuentes & suam gloriam & utilitatem quærentes, pastoris uocem non modo non agnoscunt, sed & legibus latis testantur se Christi aduersarios esse, interim audent sanctæ prætextu ecclesiæ suas traditiones ineptissimas uenditare pro sacrosanctis. Huc scilicet impudentiæ uenit hominum

Ecclesia domus dei est.

Ecclesia est columna ueritatis.

audacia. Ecclesia quæ Christo petræ nititur, Christi spiritu alitur, Christo item capite regitur, Christi uerbo ducitur, quæ in hoc uiuit & ipse in ea, ipsa sanè columna & basis ueritatis est. Veritati enim Christo nititur uincitq; in ea uirtus & gratia Christi. Hic enim toti corpori & membris singulis salutem dat, quemadmodum expositum est in 4. & 5. cap. epist. ad Ephes. Porrò qui hac exciderunt gratia, qui non ducuntur uerbo Christi, aut qui non ad hunc quem diximus modum reguntur spiritu & fide Christi, hoc est in quibus neq; Christus uiuit neq; ipsi in eo, non est quod in negotijs suis ecclesiæ quærãt patrocinium.

Et cítra contrauersiam magnum est pietatis mysterium, deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria.

Summa ueritatis primæ.

Dixerat ecclesiam esse basim ueritatis, id uero nunc explicans quæ nam illa sit ueritas cui innitatur ecclesia & quàm certa quãtæue sit authoritatis exponit, idq; exordiolo præmisso commendat dicens, ὁμολογουμένως id est & confesse, & citra contrauersiam, siue ut Ambrosius uertit, Et quidem omnium confessione magnũ est illud pietatis Christianæ mysterium, summarium uidelicet religionis nostræ. Hic addit quod sensum absoluat, Vt ecclesiam hoc tenentem mysterium non temere uocauerim columnam et fundamentum ueritatis. Iam sequitur breuis huius mysteriȷ̃ expositio, Deus manifestatus est in carne, quod quid aliud est quàm quod Ioannes quoq; scripsit, Et uerbum caro factum est? Pertinent huc quæcunq; in sacris traduntur de diuinitate Christi & incarnatione eius, deq; causis & efficacia eius. In hoc filius nostram induit carnem peccati, ut per peccatum damnaret peccatum credentesq; efficeret æternæ uitæ hæredes, hæc uidelicet ecclesiæ sanctæ basis est, & hæc prima & certa ueritas est quod deus in Christo manifestauit se hominibus, hoc est per incarnationem euidẽter apperuit toti mundo qualis sit in genus humanum præditus animo, optimo clementissimo saluifico. Proinde relucet in Christo ipsissima dei imago, adeò ut patrem uiderit ipsum qui uidit filium, Ioan. 14. Sequitur, Iustificatus in spiritu, quod loquutionis genus idioma refipit Hebraicum. Hoc enim significat, Per spiritum declaratus est deus & is esse qui à patre nobis datus sit, iustitia, sanctificatio, redemptio & salus uera, iustificãs omnes qui per eundem spiritum ipsi fidunt soli relictis omnibus spebus medijs & elementis uisibilibus externisue. Huc iam pertinent sequentia scripturæ testimonia, Rom. 1. Qui declaratus fuit filius dei per potentiam & spiritum sanctificationis. Item Ioan. 1. Vidi spiritũ, inquit Baptista, descendentem specie columbæ de cœlo & mansit super eum, & ego non noueram eum, sed qui misit me ut baptizarem aqua is dixit mihi, Super quem uideris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus sum hunc esse filium dei. Huc pertinet postrema pars 3. cap. ad Rom. Prẽterea testatur spiritus omnium sanctorum Iesum esse Christum & filium dei, agnum inquã illum dei qui tollit peccatum mundi. Innuit item hic Pauli locus uerum dei cultum ueram iustitiam non in rebus externis & carnalibus, sed in spiritu & fide consistere. In his ergo duobus membris quod deus manifestatus est in carne, quod iustificatus in spiritu, continetur totum pietatis Christianæ mysteriũ, in ȷ̃sdem non minus atq; in sequentibus explicatur quàm magnum hoc est celebre & augustum quàm deniq; certum & indubitatum sit istud mysterium, quod uidelicet ab ipso patre æterno per filium unigenitum peragitur, quodq; omni modo spiritus sancti testimonio comprobatur. Quò illud quoq; referendum est quod uisus est angelis dominus noster. Nam & ipsa Christi domini incarnatio, natiuitas, tentatio, passio, resurrectio & ascensio ad cœlos non sine angelorum ministerio, hoc est præsentia & testimonio peracta est. Vbiq; enim creatori suo inseruiunt spiritus cœlestes, ubiq; approbant nobis mysteria sacra, iustificationem & salutem per Christum partam. Huc pertinet apostolorum testimonium & quod in hoc totus mundus conspirauit. Hoc enim Paulus significauit dicens, Prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo. Postremo uero receptus est in gloria. Deuictis enim triumphatisq; dæmone inferis

Celebritas & certitudo euangelicæ prædicationis.

Lucæ 1.2.
Matth. 4.26.
Lucæ 24.
Acto. 1.

inferis & peccatis, cõfidet nunc ad dexteram patris, regnatq; in orbe toto. Quæ quidem omnia, æternum uidelicet consilium, potentia dei, testimonium spiritus, angelorũ item & sanctorum omnium apostolorum pręcipue prædicatio, deniq; & consensus orbis publicus & uis Christi regnantis è cœlo potentissima, declarant quantum sit pietatis mysterium, quàm certum & indubitatum, quàm deniq; columnę firmæ & fundamento ueritatis solido innitatur sancta dei ecclesia, ut uideas nunc ad expositionem superiorũ hęc esse adiecta. Cedant his quæcunq; dicuntur ab hominibus ad authoritatem parandam nuper inuentis religionibus, ecclesiastica pietas uera demum & infallibilis pietas est. Huius generis & alia quædam leguntur apud Augustinum contra Manicheum de utilitate credendi ad Honoratum cap. 17. Hæc uero à Paulo prolata sunt hoc consilio, ut Timothei industriam & excitaret & animum eius cõfirmaret. Et sanè non potest animus non confirmari in fide cum audit tantum esse pietatis mysterium, nemo non cupit inseri ecclesiæ quam audit columnam & basim ueritatis esse.

DE DOCTRINIS DAEMONIORVM.

Episcopus uerus nõ tantum quid uerum sit sed quid falsum quoq; in re qualibet scire debet. Hinc uero Paulus subiungit quædam de doctrinis peruersis, hac ipsa tractatione ad uigiliam & diligentem industriam excitãs episcopos. Nam qui periculum sibi certo imminere norunt accuratius aduigilant.

Spiritus autẽ certo loquitur quod in posterioribus temporibus de- CAP. IIII.
scisc̃ent quidam à fide, attendẽtes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum cauterio notatam habentium conscientiam,

In genere dicit uenturos prophetas falsos. Quo plus autem fidei haberet prophetia, *Descriptio pseudoprophetarũ.*
Non meum hic, inquit, somnium referam, sed quod spiritus ille dei cuius oculis patent omnia ἐκτῶς diserte præscripteq; suggerit, nempe quod temporibus sequentibus apostolorum uidelicet sæculum & ad iudicij usq; diem procurrentibus uenturi sint pseudoprophetæ. Atq; hos iam suis coloribus distinguit. Primo ἀποστήσονται, id est deficient à fide, à uera inquam religione & doctrina apostolorum, non seruantes puritatem & simplicitatem pietatis ueræ, sed attendentes spiritibus impostoribus, hoc est doctrinis dæmoniorum. Monuimus enim in 2. cap. 2. ad Thessal. epistolæ omnino dignos esse ut spiritu seducantur diabolico, qui spiritum Christi doctorem audire noluerunt. Hi deinde malo spiritu imbuti doctores in hypocrisi loquẽtur docebuntq; mendacia, hoc est à scripturis aliena, quæ uidelicet inspirauit impostor satanas. Illi deniq; ipsi, quod tertio subiungitur loco, apud simplices se uenditabunt persona sanctimoniæ, cum apud deum habeant conscientiam insynceram & compunctam. Id quod metaphora cauterij à corpore ad animum deflexa adumbrauit. Cauterium enim authore Cœlio lect. antiq. lib. 5. capite 31. instrumentum est quo putridæ carnes adurũtur & ulcera. Inde (addit idem) cauteriata conscientia apostolo Paulo ueluti cauterio fiue cautere ambusta dicitur. In quam sententiam propemodum & S. Ambrosius hunc locum exponens, Illorum, inquit, cauteriatam dicit conscięntiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit & notam infigit, ita & fallacia conscientiam quæ dolo maleuolẽtiæ aliud scit & aliud profitetur, denotat ad perditionem. Hæc Ambrosius. Iam & malefici candenti ferro hoc est cauterio notãtur apud nos stigmatis impressis cuti. Significauit ergo Apostolus falsos illos doctores animũ habituros sceleris conscientia & ardore ambustum, qui conquiescere nesciat, & perpetuis sese excruciet tormentis, ut ut foris sancte & hilariter componant & faciem & totum corporis habitum.

prohibẽtium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis quos deus creauit ad sumendum cum gratiarumactione fidelibus, & his qui cognouerũt ueritatem quod quicquid creauit deus bonum sit,

& nihil reiiciendum si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem dei ac precationem.

Dogmata pseudoprophetarũ.

Iam speciatim subiungit quædam dogmata ex quibus quæ iam proposuit manifesta fiant & reliquæ ipsorum doctrinæ æstimentur. Bina autem exempla proponit, alterum quidem quod coniugio & alterum quod cibis interdicturi sint. De utroq; quid sentiat ueritas nemo nescit. De coniugio pronunciat scriptura Honorabile esse connubium apud omnes & cubile impollutum. De cibo eadem censet Puris omnia esse pura, neq; id quod in os ingreditur polluere hominem, sed quod ex corde egreditur. In qua simplicitate ut uera fides perstat, ita hypocrisis rimas quærit per quas elabatur. Accedit hic spiritus impostor, & quoniam is bona specie imposuit primis parentibus, ideo nunc quoq; suggerit egregiũ esse si quis tam à mulieribus q̃ à carnibus & uino abstineat, inde enim enasci in mundo gloriam & laudem maximam. Hanc qui spectãt à fide deficientes spiritibus impostoribus & dæmoniorum doctrinis attendunt, labunturq; in hypocrisim & mendacium. Tametsi enim abstineant tam à mulierum complexu q̃ à carnium esu, animus tamen insyncerus est. Nam multarum sibi conscij sordium conscientiam habent inustione uitæ impurioris ineluibili compunctissimam. Foris quidem non uescũtur carnibus, intus uero ardent ira, inuidia, æmulatione & contentione. Abstinent hi ab uxoribus, sed animus interim æstuat fœdis cupiditatibus. Deus aũt externa specie, hoc est hypocrisi non placatur, animum poscit sibi purgatũ uitijs offerri. Satan ergo ut à uero abducat & erroribus implicet, nouas huiusmodi doctrinas inspirat. Exposuerunt hunc locum alij de Manicheis & Tatianis quos & Encratitas appellãt. De his enim August. ad Quoduultdeũ de hæresibus scribit quod damnarint nuptias atq; has omnino pares fecerint fornicationibus, quodq; nullas ederint carnes, imò usum eorũ damnarint prorsus. Ego uero uideo Pauli uerba nõ de una aliqua gente aut familia hæretica, non de una ætate, sed de omnibus ætatibus & hominibus à fide deficientibus, spiritibus impostoribus attendentibus prohibẽtibusq; nuptias & cibos, esse exponẽda. Intelligo ergo Apostolum etiã hæc de Apostolicis, quos alio nomine Apotactitas appellauit uetustas, quasi quis dicat extraordinarios, locutum. Hi enim Augustino authore in communinẽ suam non recipiebant utentes coniugibus & res proprias possidentes. Interpretor hæc & de fide Mahumetica & Turcis. Præcipue aũt expono ea de Pontificijs & nostri sæculi religiosis uirisq; Essenis siue Monasticis. Manichei enim & Encratitæ unà cum Apotactitis damnarunt nuptias & ciborum usum magis q̃ prohibuerunt. Pontificij uero prohibuerunt non damnarunt. Cæterũ fides & religio syncera quod iam monuimus tradit liberum esse homini cuilibet ducere uxorẽ aut nubere uiro, hoc uel illo cibo uesci. At ab ista simplicitate fidei defecerũt nostri specieq; delusi sanctimoniæ, magnifica suasore satana & iubẽte hypocrisi de cœlibatu, de uotis, de uirginitate, de ieunijs, de delectu & abstinentia ciborũ tantũ non omnem his salutẽ tribuentes disputarunt, imò & leges promulgarunt, quas uiolare aut refigere uel notare saltẽ licebat nemini. In ficta aũt hac sanctimonia uiuentes ceu sancti ac diui quidã cœlitus delapsi adorabantur à nobis, quod foris omnia ipsorũ ad ostentationem essent instructissima & apparerent purissima. Domi interim quales fuerint ipsi melius norunt, & nos non nescimus ipsorum conscientias fuisse adustas & multa immunditia pollutissimas. Nihil hic fingo, nihil ex suspicione effutio, ipsa experientia loquitur quid factum sit & quid etiam hodie fiat. Contemplare enim mihi Essenos nostros, hoc est Cartusianos, contemplare omnes in uniuersum monasticos uiros & mulieres, adde his & sacrificos Pontificios, & cogeris fateri in tanta turba otiosorum hominum non inueniri multos uere continentes. Iam ut maxime inueniatur unus atq; alter qui uel ob dei donum rarum, uel ob uires effœtas aut ualetudine fractus uiuat continentius, uidemus interim supereſſe multas hypocritarum myriades qui nihil minus sint quàm quod audiunt cœlibes, monachi, nonnæ, spirituales, monastici, puri, sancti. De optimis hic loquor, nihil de impudentibus dico nebulonibus qui palàm uel scortantur, perpotant, alea ludunt, belligerantur, adulterijs polluunt omnia, quorum maior propemodum numerus, uel fœdiora & abominabiliora designant,

Est in uoce hac Catachresis.

In monachos et uota monastica.

indigni

indigni enim sunt quorum fiat aliqua mentio honesta apud uiros bonos: de mundioribus hic magisq; reuerentibus optimisq; differo quod ne horum quidem conscientiæ syncerę sint. Nam purum esse nequit quod sine fide fit. At hic Defeceruntait Paulus à fide. Et cum hæc manifestiora sint quàm quæ negari possint, inuenias tamen quos nõ pudeat damnata illa præcepta de ciborum delectu deq; cœlibatu immundo, deq; uotis monasticis angelica nominare præcepta: rectius uero Paulus appellauit satanica. Scio quàm insuauem hic multorum auribus cantilenam canam, sed adulari non didici, ueritatẽ dissimulare non potui, neq; alia hic quàm Paulina uerba usurpaui. Proculdubio resipiscẽt quibus cordi est uera pietas agentq; monitori gratias. Intelligent enim me hac in disputatione non damnare uel uirginitatem & castimoniam sanctam uel ieiunia moderata, castigationem carnis iustam & abstinẽtiam synceram, sed hypocrisim magis & impuram illam temperantiam. Sed redeo nũc ad Paulum, qui copiosius sed in transcursu demonstrat liberũ esse fidelibus quouis cibo quolibet uesci tempore. Deus enim, ait, cibos creauit (arguens à prima dei institutione & uoluntate) in usus hominum ut hos scilicet fideles sumant cum gratiarumactione. Ad cuius interpretationem pertinet quod mox sequitur, His inquam qui cognouerunt ueritatem. Hi enim fideles sunt. At ueritas ipsa quæ à fidelibus agnoscitur hoc in negotio est, quod quicquid creauit deus bonum est nec quicquam in cibis abominandum & reiiciendum. Quæcunq; enim cõdidit deus bona sunt, Gene. 1. Abusus cibos impuros siue malos reddit. Proinde Paulus de sancto eorum usu scribens iubet hos sumere cum gratiarumactione, & sententiam elegantem subiungens dicit, Sanctificatur enim per sermonem dei ac precationem. Vbi nõ est quod confingas tibi benedictionem quandam anilem conceptis ex uerbo dei sententijs pronunciatam super cibum, sed sanctificari purificari est et ab usu separari prophano. Deinde Verbum dei institutio dei est illaq; sentẽtia qua pronunciat Puris omnia esse pura, omnia itẽ quæ ab ipso condita sunt esse bona inq; usum instituta hominum. Per precationem autẽ intelligit gratiarumactionem & usum fidelem. Ita sententia erit, Ipsum enim domini uerbum, ipsa inquã dei concessio et sentẽtia qua pronunciat oĩa esse puris pura, fides item recipientis & gratiarumactio fidelis facit ut nihil impuritatis habeat cibus Christianorum. Atq; hæc expositio uidetur omniũ esse simplicissima maximeq; genuina. Paraphrastes uero ex interpretibus uetustis hanc Pauli sententiam eadem propemodum ratione in hæc uerba explanauit, Quod etiam si quid impuritatis haberet cibus, tamen hymnis quibus laudatur diuina largitas sacrisq; uerbis ac precationibus, sanctum purumq; reddetur quod prius erat immundum. Concidũt ergo hic semel quæcunq; mercatores Romani præceperunt de ciborum delectu, de temporum et dierum discrimine. Christiano enim licet quouis tempore quibuslibet uesci cibis. Quatenus uero scandali ratio habenda sit ostensum est in cap. 14. ad Roma. Discimus præterea quanta cũ reuerentia ad mensam accedere & ab eadem debeamus recedere. Conuiuæ domini sumus, dominus pascit nos, in huius oculis uersamur, illius munificentia alimur. Precandum ergo & gratias agendas esse ante & post cibum nemo est qui non uideat, sed & ita in mensa ut in oculis dei uersandum. Aberit itaq; omnis amaritudo, contumelia, calumnia, rixa, obtrectatio, deniq; luxus & ebrietas obscœnitas & intemperantia omnis, nil fœdum dictu aut auditu turpe in mensa proponatur sed quod honestum et iucundum sit. Reuerentia hospitis qui præsens est & nos alit perpetuo retineat in officio & disciplina sancta. Hæc autem de pseudoepiscopis & peruersa imò dæmonica doctrina paucula quidẽ in loco obiterq; inseruit quando de officijs boni pastoris disputauit, redit nunc ad institutum suum, & pergit iusta episcopi munia informare, præcipue præscribens quanta uigilia & assiduitate episcopus quisq; doctrinam inculcet sanam, dæmonicã uero caueat atq; impugnet.

Libertas & delectus ciborum.

OFFICIA ET INSTITVTIO EPISCOPI.

De his si commonefeceris fratres bonus eris minister Iesu Christi, enutritus in sermonibus fidei bonæq; doctrinæ, quã usq; sequutus es.

Cæterum prophanas & aniles fabulas reiice, quin potius exerce temet ipsum ad pietatem.

Ταῦτα inquit ὑποτιθέμενος, id est, Hæc suggerens atq; proponens fratribus. Hæc inquam quæ de uera doctrina, de ecclesiastico cœtu sancto, de moribus episcopi & studijs, de incarnato uerbo & iustificato in spiritu, de pietatis pretio & certitudine, deq; cauenda dæmoniorum doctrina, de sancto item cõiugio & sancto ciborum usu, hæc inquam si tradideris bona fide fidelibus bonus eris minister Christi. Honesto enim & bono excitat ad uigiliam & fidelem docendi diligentiam. Aequum est, inquit, ut fideliter domino qui te ad hoc ministerium uocauit, seruias. Id feceris autem si ista quæ præscripsi proposueris fidelibus. Hodie uero hæreseos insimulamur quoties ista ita ut Paulus præcepit tradimus ecclesijs: unde conijcere licet quales habeamus aduersarios, quales item doctrinæ nostræ præceptores. Deinde accedit aliud quoq; quod & in officio retineat Timotheum
2. Timoth. 3. & excitet ad maiora. Ab ipsa adolescentia inquit, in fide euangelica bonaq; doctrina es ueluti enutritus, sanam quoq; doctrinam & fidem ueram es hactenus constanter sequutus, ideoq; perges porrò summa cum laude quod cœpisti absoluere, tui per omnia similis esse, imò temetipsum in studio isto pulcherrimo superare plurimum. His iam addit præceptum breuissimum in quo complectitur omnia, Ad pietatem temetipsum exerce,
Pietas quid. prophanas & inanes fabulas reijce. De pietate autẽ quid sit ne inter Gentes quidem qui non intelligerent defuerunt. M. enim Cicero in oratione pro domo sua ad Pontifices non impie de pietate sentiens, Equidem, inquit, sic accepi Pontifices in religionibus suscipiendis caput esse interpretari quæ uolũtas deorum immortalium esse uideatur. Nec est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, quum expeti nihil ab ijs quod sit iniustum & inhonestũ arbitrere. Hæc Cicero. Et sanè uox εὐσέβεια, quæ Latinis Pietas dicitur ex etymo sonat bonus siue uerus cultus, religionem uerã uer tit alibi D. Hieronymus. Et Aurelius Augustinus epistola ad Macedonium 52. Pietas est inquit, uerax ueri dei cultus, unde omnia recte uiuendi duci oportet officia. Et ad Hieronymum epistola 29. Pietas ait, quam Græci uel εὐσέβειαν uel expressius & plenius θεοσέβειαν uocãt, aliud non est quàm iustus dei cultus. Si ergo pietas uoluntatis diuinæ iusta
Ioan. 6. est cognitio, si uerus dei cultus est, Voluntas autem dei est ut credamus in eum quem mi
1. Ioan. 3. sit ille, & ut mutuo diligamus inuicem, cultus item dei consistat in fide & charitate, necesse est ut Apostolus in fide & charitate uoluerit nosmetipsos exerceri cum in pietate exerceri præcepit. Ita consequetur etiam prophanas & aniles fabulas esse quæcunq; à fide & charitate aliena sunt. Prophanũ enim est quicquid à sacrosancta fide alienum est. Et apud Græcos quoq; usurpatum est prouerbium γραῶν ὕθλον, quod Latinis sonat Anicularum deliramenta. Id quod dici solebat de nugis inanibus cuiusmodi effutiunt uetulæ, cum iam sexus uitio uitium ætatis accedens nugacitatis morbum conduplicat. Est apud nos quoq; frequenti in usu ut de rebus nihili & uanissimis dicamus, *Es sye alter wyber tandt.*

Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis, at pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ.

Caussam siue rationem adiungit præceptioni. Ideo inquit iubeo in primis & assidue pietatem inculcare, quod hæc sit ad omnia utilis, exercitatio uero corporalis paululum habeat utilitatis. Pietas autem quid sit iamiam exposui. Cæterum per Exercitationẽ corporalem Ambrosius intellexit ieiunia & omnia carnis frena, disciplinas uidelicet externas quibus ferocientem edomamus carnem. Et sanè uoluit Paulus semel omnem illum exteriorem cultum & disciplinam notare per corporalem exercitationẽ, ut hic non tantum ieiunia, uigilias, delectum ciborum & uestium, corporis castigationem, sed omne intelligat quod externa obseruatione in corpore fit. Hæc quidem si moderate & in fide fiant non prorsus inutilia sunt. Præparãt enim corpora nostra ad officia pietatis, uerum in eis non consistit solida pietas, imò nisi prius adsit pietas ista proderunt ad nihilũ. Sed & omnes dei in scripturis promissiones fidelibus & charitatem per opera pietatis expri

mentibus

mentibus pollicentur tam præsentis bona q̃ futuræ & æternæ uitæ gaudia. Nullibi legas quenquam ob corporalem exercitationem apud deum esse iustificatum. Fide placuerũt deo quotquot à mundi exordio placuerunt. Et charitatis opera non corporis exercitia exiget dominus cum uenerit iudicare uiuos & mortuos. Deniq; & sancti patres omnes approbarunt se deo fide, innocẽtia & charitate & non ceremoniis & disciplina externa. Id quod Stephanus quoq; demonstrat Acto. cap. 7. Vbi ergo nunc sunt pręcepta Monachorũ de cultu dei & uitæ sanctimonia? Confixa hic ruunt omnia, neq; enim aliud sunt quàm prophanæ & aniles fabulæ. Paraphrastes ea quæ de promissionibus scripsit Apostolus paulò diuersius exposuit. Cuius uerba si quis requirat hæc sunt, Cæterum euangelica pietas quæ nititur syncera fide ueraq; charitate nullo non tempore in nulla uitæ parte non est utilis quæ compendio profitetur quicquid uel in præsenti tempore sit expetendum uel sperandum in futura, adeo ut non sit opus ullum aliunde præsidium uenari nobis. Quæ expositio ut superiori non repugnat ita nihil habet impietatis. Deligat ergo lector pius quod sequatur. *Hebræ. 11.* *Matth. 25.*

Indubitatus sermo dignusq; qui omnibus modis approbetur. Nam in hoc & laboramus & probris afficimur quod spem fixam habemus in deo uiuente qui est seruator omnium hominum maxime fidelium.

Confirmat quod dixit pietatẽ esse utilem ad omnia ut quæ habeat promissiones præsentis ac futuræ uitæ. Quod itaq; proposui inquit de pietate uerũ est & indubitatum planeq; dignum quod recipiatur ab omnibus. Quod autem uerbis tantopere inculcamus & pro indubitata ueritate uenditamus apud oẽs hoc ipsum re ipsa corpore & afflictionibus nostris indubitatũ esse comprobamus. Nisi enim persuasissimũ mihi esset in solo deo uiuente salutem esse quam nobis Christi contulerit meritum, certe nõ tam infracto animo huius uitæ ærumnas, carceres, impiorũ plagas & uarias mortes perpeterer. Nũc autem posthabita exercitatione corporali, neglectis ceremoniis & umbris Iudaicis, imò reiectis semel omnibus quæ mundus miratur externis solam euangelij pietatem prædico docens Christum dominum uenisse non uni alicui genti sed seruandis omnibus qui modo perfidia seipsos non fecerint indignos hac salute. Sola enim fide hæc percipitur, charitate exprimitur. Atq; huius quidem doctrinæ gratia multa perpetior, sed uolens & lubens, ita simul testificãs uerum esse quod doceo. Tam uidelicet certa est pietatis doctrina, ut huic merito cedant quæcunq; de exercitatione corporali prodita sunt à superstitiosis hominibus. Hæc enim certa imò indubitata sunt, idcirco digne iam subiungit.

Præcipe hæc & doce. Nemo tuam iuuentutem despiciat, sed esto forma fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate. Donec uenero attẽde lectioni, exhortationi, doctrinæ.

Infert nunc quod potissimum hac intendit disputatione. Hæc, inquit, tam uidelicet certa & indubitata adeoq; ab ipso profecta Christo, fideliter & constanter præcipe, hoc est multa & matura cum authoritate trade, & sic trade ut totus in hoc fis quo omnes intelligant solam pietatem esse ad salutem consequẽdam utilem. Ista uero omnibus quoq; nobis dicta putabimus quicunq; diuina ordinatione præsumus ecclesiis Christi. Cæterum cum cõmunis quædam sit & præsumpta opinio contemptibilem esse adolescentiam, & Timotheus admodum teneræ esset adolescentiæ, per occupationem subiungit, Nemo tuam iuuentutem despiciat. Quasi dicat, Neq; est quod iuuenis licet in re tanta uerearis aut cedas improbitati diuersa docentium. Alibi sit humanitati locus, hic ubi salutis periculum uertitur proferenda est authoritas. Neq; spectandum est quot annos uixeris, sed quod munus geras. Hic senex est quisquis uitæ integritatẽ, quisquis morũ præstat grauitatem: ita ergo uersandum tibi atq; uiuendum est, ut nemo iuuentutem tuam possit despicere. Id autem qua ratione fiat consequẽtibus exponit. Si uidelicet ita se componat ut fideles in ipso habeant exemplar τῷ λόγῳ in sermone uel doctrina. Hoc est si nihil aliud doceat q̃ pietatem ueram. Deinde si conuersatio eius sancta sit, pudica, sobria, *Doctrina episcopi sana.* *Adolescẽtia cauta non contemnenda.*

& irreprehensibilis, quæ doctrinę respondeat per omnia. Hinc si dilectione præditus sit haud uulgari sed eximia ex qua faciat omnia officia. Item si non desit spiritus prudentiæ fortitudinis & constãtiæ. Quibus si accedat puritas morum & animi & maturitas nihil habens commixtum iuuenilium ineptiarum cupiditatũmue, efficient quo minus ætas aliâs suspecta ueniat in contemptum. Ex quibus colligimus immerito quosdam hodie conqueri iacere authoritatem ministrorum uerbi, ut quos rudis plebecula despiciat nimium. Cur enim non obsequuntur Pauli consilio & uitam doctrinamq; suam ita instituunt ut merito non possint contemni à quoquam. Propria sanè ipsorum culpa & inertia fit quod contemnũtur cum non modo prophani sint, sed indocti quoq; & ab omni germana pietate alieni. Discimus præterea hominũ ingenia non à uetustate ut uina esse æstimanda, sed ab ipsa probitate & eruditione. Iuuenes fuerunt Daniel, Dauid, Samuel, Ieremias, & alij multi in utroq; testamẽto egregij uiri. Improbantur autem in sacris literis non semel senes imprudentes & impudici. Interim uero non negamus uitæ usu multaq; rerum experientia parari prudẽtiam, unde etiam agnoscimus sanctam senectutem sancte esse colendam. Iam & studia in quibus se exerceant episcopi egregie præscribit & informat. Nullam uero hic agriculturæ mentionem facit, neq; episcopos manuarijs sellularijsq; artibus aut opificijs affigit, quo magis miror quæ illos hodie agat dementia, qui malunt commẽdari se à stiua, malleo, dolabra aut lima, q̃ ab assiduo sacrarum & honestarum literarum studio. Obijcient fortassis Paulum quoq; exercuisse opificium manuarium. Sed cur non expendunt quod reliqua Pauli dona nondum assecuti sunt. Paulus enim summam eruditionem summæ coniunxerat eloquentiæ, & ut uas dei selectissimum erat, ita nulla sacrarum literarum nesciebat mysteria. Primitias enim spiritus unà cum apostolis reliquis acceperat. Isti uero egregij si dijs placet Pauli imitatores Musas ac literas sacras nondũ à limine salutarunt, pariter & uulgari eruditione & eloquentia destituti sunt, quæ interim si saperent assiduo assequi studio conarẽtur. Quod si quicquam apud eos ualet Paulina authoritas quare non audiunt præcipientem, Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ? Vere enim Theophylactus, Si, inquit, Timotheo iniungit ut sacris literis uacet, quid nobis erit agendum? Constat enim Timotheum à cunis in sacris uersatum literis iustã habuisse apud omnes absolutæ eruditionis laudem. Et Græca Latinis multo sunt euidentiora. προσέχε, inquit, τῇ ἀναγνώσει. Est autẽ ἀνάγνωσις lectio quidem, sed non quælibet imò accuratissima & certissima quasiq; persuasio quædam. Et προσέχω adhæreo est, dedico, intendo, adeoq; animum deuoueo. Præcepit ergo Apostolus ut se totum consecret sacris studijs, nec ullam rem aliam sibi perinde habeat commendatam atq; lectionem & cognitionem rerum sacrarum. Proinde grauiter peccant qui succisiuis modo horis sacra pertractant ministri, iustas horas & sese totos impendunt opificijs. Imò arbitror apostolum Paulum succisiuas modo horas elocasse artificio, iustas sacrarũ studio. Equidem succisiuas aut secundarias horas impendisse uel opificio uel exercitio alicui honesto laudamus plurimum. Cæterum præsentis instituti non est pluribus de lectione sacra disserere, cum quod aliò uocet me institutum meum, tum quod alij de hac re melius scripserunt. Noluit autẽ Apostolus hoc episcopi studium esse priuatum, hinc adiecit exhortationem & doctrinam, quibus speciebus complexus est omne instituendi genus. Hunc ergo finem habeant studia nostra ut quàm pluribus prosimus, utq; pro rei negotio uel docere, uel hortari, uel accusare, uel consolari possimus. Hæc autem sunt propria episcoporum officia.

Studia & exercitia episcopi.

Ne neglexeris quod in te est donum quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum authoritate sacerdotij.

Admonet Timotheum officij sui currentiq; admouet calcar. Multa sunt inquit quæ admonent ut gnauiter prouinciam quam nactus es administres. Habes eximium & ad hoc negotium appositissimũ à deo datum donũ, quod proculdubio excitabis ni malis accusari neglectus & inertiæ. Accedit iusta ad episcopatũ uocatio. Neq; enim temere ingessisti te, quod multi solent, sed prophetia & arcanus quidam afflatus id muneris tibi impositum

imposuit teq; ad hoc sacrum ministeriũ designauit. Accedit præterea & manuum senio rum impositio, quæ ista comprobauit & publico muneri publice præfecit. Hæc inquam omnia admonent ut suscepto muneri respondeas per omnia. Colligimus autem nos ex hoc Pauli loco tria in cuiusuis episcopi ordinatione necessaria esse. Primum ut habeat donum dei, hoc est ut sit irreprehensibilis bonarum & literarum & rerum non tam studiosus q̃ peritus. Deinde ut iuste & sancte, hoc est secundum uerbum dei eligatur ac uocetur. Postremo ut delecto & ecclesiæ quod aiunt præsentato imponantur manus. Hinc Tigurina ecclesia posteaquam quæstuosæ & inordinatæ episcopi Pontificij ualedixisset ordinationi, uiros è doctis & uerbi ministris, è senatoribus item & diacosijs, hoc est è plebe aliquot delegit qui ex optimis, hoc est honestissimis atq; doctissimis diaconis (quoties ecclesiæ alicui sanctus pręficiendus est episcopus) certos senatui & plebi statuant. Ex his uero unum aliquem libera electione designãt, quem protinus ecclesiæ cui præficiendus est mittunt & commendant per legatum ac senatorem honestissimum. Atq; hic quidem præstantissimus eius ditionis loci aut urbis antistes pro publica concione perorat, fiunt ab ecclesia ad deum preces publicæ, interq; precandum & in conspectu totius populi imponit antistes ille sacrorum manus futuro illi episcopo cui & ecclesiam commendat fideliter. Hæc uero plurimum momenti habere & episcopo plurimum authoritatis conciliare nemo est qui nesciat. Certè cum ea fiunt ex institutione domini fiunt. Et Apostolus hinc magna petijt argumenta quibus Timotheum sui admoneret officij. Eadem optimum quemq; non poterunt non commonere grauiter quoties iuste secum expendit qua quidq; ratione quóue consilio fiat. Iam & Catabaptistæ ultro & sua sponte currentes hac ordinatione proturbabuntur ualidissime, si ea modo sancte & iuste in ecclesijs obseruetur. Illud quoq; priusquam hinc digrediar monebo, hunc Pauli locum sic quoq; reddi posse, Ne neglexeris quod in te est donum, nempe quod tibi delegatum est ad prophetandum, idq; comprobatum manuum impositione à senioribus. Verũ nullus hinc alius colligetur sensus quàm quem modo indicauimus.

Mos Tigurinæ ecclesiæ in ordinandis episcopis.

Hæc exerce, in his esto, ut tuus profectus manifestus sit in omnibus. Attende tibijpsi & doctrinæ, persiste in his. Nam id si feceris teipsum seruabis & eos qui te audierint.

Epilogus est superiorũ. ταῦτα inquit μελέτα, Hæc meditare. Est autem meditari tam animo quàm corpore adeoq; totis uiribus in rem aliquam perficiendam incumbere. In his esto, hisce te exerceto iugiter, constanter & uehementer, adeò ut in tota plebe appareat tua sedulitas & fidelitas, hoc est, ut ex pia doctrina uitaq; sancta omnes reddantur meliores. Finis enim huius negotij est ut profimus, non ut gloriam nostram quęramus. Imò non negligit sese qui gnauiter suum facit officium, negligit qui segniter suam prouinciam administrat. Vnde protinus sequitur in Paulo, Attende tibijpsi & doctrinæ, persiste in his. Germanus uerteret, *Hab gůt acht, sorg vnd flyß vff dich selbs vnd vff die leer*, ut uidelicet doctrinæ non repugnet uita. Addit utilitatem & præmium, Hinc enim inquit geminum capies fructum. Primum seruabis teipsum, deinde eos qui te audierint. Atque hæc quidem tanti sunt momẽti ut nihil superfit in orbe quod eum mouere possit quem ista non mouent.

CAP. V.

Seniorem ne sæuius obiurges, sed adhortare ut patrem, iuniores ut fratres: mulieres natu grandiores ut matres, iuniores ut sorores cum omni castitate.

Iam præscribit episcopo formulas quasdam generales quomodo se gerat in docendo & exhortando erga cuiusuis ætatis & ordinis homines, item quomodo se gerat erga uiduas, presbyteros, dominos ac seruos. Principio uult doctrinã, exhortationem adeoq; obiurgationem episcopi ab omni tyrannidis specie quàm alienissimam esse, cum quod iusta quædam lenitas, quæ uidelicet ad mollitiem & sceleris impunitatem non deflectit, deceat episcopum, tum quod ingenium hominis fermè sic est ut malit duci quàm cogi.

Obiurgatio episcopi.

Seniori ergo, ait, μὴ ἐπιπλήξῃς, id est ne plagam inflixeris, quod perinde est ac si dixisset, Seniorem ne aspere & sæuius obiurges. Est enim in uerbo metaphorica deflexio translatióue. Et Latini uerbera linguæ usurpãt pro maledicentia sæua. Reliqua uero plana sunt. Postremam particulam ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ, In omni puritate, quidam referunt ad mox præcedens membrum, quasi uoluerit abesse omnem impudicitię suspicionem: ut sit sensus, Iuniores castigabis sic ut sorores, idq; puritate tanta ut impudicitiæ nulla uel suspicio appareat. Alij uero mea quidẽ sententia multo melius retulere ad omnia præcedentia membra, ut sermo episcopi fiue cũ senioribus agat, fiue cum iunioribus, fiue cum puellis, purus sit ab omni specie uel sæuitiæ uel contumaciæ uel auaritiæ uel odij.

Viduas honora, quæ uere uíduæ sunt. Quod si qua uidua liberos aut nepotes habet, discant primum propriam domum pie tractare & uicem rependere maioribus. Hoc enim est honestum & acceptum coram deo.

De uiduis. Nunc præcipit de Viduis & copiosius quidem quod plurimum fraudis hic committeretur à quibusdam Ephesiorum uiduis. Constat autem cum ex 6. cap. Act. apost. tum ex præsenti loco ecclesiæ munificentia & liberalitate in reliqua egenorum turba uiduas esse alitas. Quemadmodum uero in optimis quibusq; institutis hominũ auaritia & malitia suum quærit compendium, ita nimis impudenter in egenorum turbam immiscebãt se hic quoq; citra delectum uiduæ omnes, unde Apostolus coactus est paulò circumspectius de his curandis & suscipiendis differere. Principio in genere præcipit, Veras honora uiduas. Deinde uero per species quasdam exponit quæ sint uiduæ ueræ, quæ suscipiendæ, quæ relegandæ. Poterit hinc quoq; certum formari iudicium De alendis pauperibus, & qui digni, qui itẽ indigni sint alimonia & stipendio ecclesiastico. Illud quoq; hinc euidentissime probari potest quod ad episcopos cura pauperũ pertineat, non quod oratione & prædicationem uerbi dominici iubeantur deserere & mensis ministrare, sed quod officij eorum fit diligenter inuigilare, ut illi qui pauperibus præfecti sunt pauperes non negligãt aut fraudent, sed bona fide curent: uerum redimus ad uerba Apostoli. Viduas inquit honora, id est consilio, auxilio & subsidio iuua ecclesiastico. Sic enim ipse apud Matthæum dominus in cap. 15. uerbum honorare exposuit. Significanter uero & in loco adijcit Paulus, Quæ uere uiduæ sunt, hoc est orbatæ, desolatæ, & uiri uirium necessariorum & liberorum solatio destitutæ. Immiscebant se enim, quod iam diximus, uiduarum turbę quæ ueræ non erant uiduæ, neq; merebantur ecclesiastico subleuari subsidio. Suppetebant enim alijs & uires & facultates, aliæ uel necessarios habebant uel liberos. Atqui opes ecclesiasticæ non alendis delicijs fouendoq; otio, sed recreandæ calamitati, præterea egenis & pauperibus non opulentioribus & sua ope ualidis inseruire debent. Ideoq; subiungit protinus, Quod si qua uidua liberos aut nepotes habet, ea uiduitatis prætextu nequaquam subterfugiet naturæ debitum & pietatis officiũ, quin potius discant omnes uiduæ in primis domum propriam, id est liberos & nepotes ἐυσεβεῖν, id est nutrire, sancte & pie instituere, atq; ita uicem rependere maioribus, hoc est ea liberis & nepotibus impẽdere officia quæ ipsis quoq; impensa sunt à maioribus, qui si omnem liberorũ curam abiecissent ait, & otioso alicui uiuẽdi generi sese dedidissent, quemadmodum uos in præsentiarũ neglectis relictisq; liberis otiose & secure cupitis ali ecclesiæ stipendio, perijssetis proculdubio. Cur igitur perdere uultis nunc quos dominus præcepit seruare? Ad hunc uero modũ & D. Ambrosius hanc Pauli sententiam retulit ad uiduas. Theophylactus existimauit referendã esse ad filios & nepotes, in hanc nimirum sententiam, Quod si qua uidua est quæ orbata quidem marito, sed filios adhuc & nepotes habet, hi neutiquam committere debent ut illa ad patrocinium confugiat ecclesiæ, sed ipsi potius huic ut necessarijs & familiaribus reliquis prospiciant. Nam pietas hoc poscit ut non modo liberos & propriã curemus domũ, sed pietatem quoq; mutuam referamus ijs à quibus accepimus primordia uitæ. Vtraq; sententia non male congruit Paulino instituto. Ad utramq; sequitur caussalis illa sententia, Hoc enim est honestũ & acceptum

Acto. 6.

coram

coram deo. Nam si sacras uerses historias, inuenies sanctissimos homines educandis liberis & nepotibus & incubuisse studiosissime, & maioribus mutuam pietatē quàm officiosissime retulisse. Notissimum est & Græcorum ἀνθυπελλογεῖν, de quo & Erasmus Roterodamus in Chiliadum opere. Vbi ergo nunc sunt monachi & monachæ, delicatulæ, quæ neq; liberis educandis & pie instituendis inuigilant, neq; uicem rependunt maioribus? Abdunt enim se in cauernas, imò in Adonidis illos hortos suos in quibus otiose & delicate uiuunt, neq; ulla nepotum, parentum aut necessariorum cura tanguntur. Vbi nunc sunt quibus infame & parum uidetur esse Christianum, sed magis diffidentiæ argumentum, si quis curet rem domesticam? Discant hinc quoq; Catabaptistæ quid per domum intelligat Paulus, liberos nimirū & nepotes, ne porrò à scripturis alienum credant quod dicimus apostolos baptizasse infantes. Constat enim domos ab istis esse baptizatas. Discant item ex hoc Pauli præcepto qui ærario ecclesiastico præfecti sunt quos recipiant ecclesiæ stipendio alendos. Quod enim de uiduis dicitur id & de egenis in uniuersum, quod dispensandi rationem attinet, intelligitur.

Porrò quæ uere uidua est ac desolata, sperat in deo & perseuerat in obsecrationibus ac precationibus noctu dieq;. Porrò quæ in delicijs uersatur ea uiuens mortua est. Et hæc præcipe ut irreprehensibiles sint. Quod si quæ suis & maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.

Hæc ad expositionem eorum pertinent quæ proposita sunt. Dixerat eas uiduas esse honorandas quæ uere sint uiduæ, nunc ergo demonstrare incipit quæ nam sint uere uiduæ. Illa, inquit, uere uidua est quæ mariti, liberorum, nepotū, deniq; omni huius mundi solatio destituta, à solo deo pendet, & in hunc omnem spem fixit, ideoq; non otiosa & delicatula rebus intenta est uanis, sed serijs, pijs & sanctis, hoc est quę instar Annæ (cuius in 2. capite euangelicæ historiæ meminit Lucas) noctes atq; dies impendit precibus sacris sedula assiduaq; est in omnibus officijs pietatis. Hic uero orationis filum nonnihil interrumpens connectit ueræ uiduæ, fucatæ exemplum siue notationem. Quæ uero in delicijs uersatur, inquit, ea uiuens mortua est. Sunt enim uiduæ quæ pietatem prætexentes nihil quàm delitias, otium & licentiam carnis quærunt, nempe ut hac ratione subterfugiant molestias quas uberrime profundit liberorum educatio & maiorum nutritio, ut subducant se à cura domestica & mariti imperio, utq; libere & sine ullius magisterio quod lubet uel faciant uel omittant. At tales, inquit Apostolus, uiuentes mortuæ sunt. Neq; enim uiuere existimandi sunt homines qui carni non deo uiuunt, cum extra pietatem non sit uita. De huiusmodi mortuis loquutus in Euangelio dominus ad adolescentem quendam petentem ut ad suos redire & funera parentum curare liceret, dixit, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu uero sequere me. Sed & apud gentes sunt prouerbia quæ plurimum huc faciunt. Sophocles enim prouerbiali figura dixit in Antigone, ut est in Chiliadibus,

οὐ τίθεμ' ἐγὼ
ζῶν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν, id est,
Hunc ego uiuere
Haud arbitror, uiuum at cadauer iudico.

Cœpit itaq; & uiuum cadauer, & uiuum sepulchrum de ijs dici qui sic uiuunt ut nihil uita dignum agant. Paulus ergo delicatam uiduam iudicauit esse mortuam, id est nihil minus q̄ uiduā, utpote in qua præter inane nomen superfit nihil. Subiungit his protinus generale præceptū, Et hæc præcipe ut irreprehensibiles sint, hoc est, Quandoquidem ergo non deerunt qui omnino uiduæ & esse & uideri uolent, tu præcipies ut ita se gerant in uiduitate ne cui præbeant ansam male suspicandi. Tandem uero in desertrices illas uiduas ut absterreat à uitæ instituto inhonestissimo districte sic pronunciat, Quod si quæ his præceptionibus contemptis perrexerit liberorum, aut nepotum, aut qui alioqui ad eius familiam pertinent curam excutere, ea merito non mortua tantum censebitur, sed

Quæ nam sint uere uiduæ.

Viduæ fucatæ.

Matthæi 8.

Minæ in uiduas desertrices.

perfida quoq; & infideli deterior. Vel quia hoc officij sibi naturæ uinculo iunctis negat quod ethnici nulla legum necessitate sed naturæ instinctu suis præstant. Vel quod grauius sit peccare eum qui sub lege uiuit, q̃ qui non subiectus est legi. At hodie summa habetur pietas si quis domi relictis liberis & uxore aut etiam grãdæuis parentibus uel Hierosolymam abeat, uel in monasterium abdat sese sibi uicturus aut fortassis etiam uentri. Vide quò impudentiæ uentum sit in ecclesia Christi. Nec impari prorsus dementia desipiunt hodie & Catabaptistæ. Relictis enim uxoribus, liberis, & familijs quibusdam sanè non omnino male institutis hactenus, tanquam attoniti & phanatici homines circumcurſitant, atq; ita se pomeria regni Christi propagaturos deierant, cum interim & rem familiarem concoquant subuertantq; totam, & ecclesiam Christi miris modis obturbent. Cæterum ut uno uerbo rem istam absoluam, Viri boni honestæq; matrisfamilias est deum timere, familiæ prospicere & quemq; in sua uocatione manere. Ista qui negligit & curiositatẽ excolit, non est quod se fidelem esse uel credat uel iactitet, re uera enim impostor & contemptor est diuinæ legis.

Vidua allegatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis hominũ testimonio comprobata, si filios educauit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lauit, si afflictis subministrauit, si in omni opere bono fuit assidua.

Anni uiduæ.

Semel cœperat ueram describere Viduam, filum orationis interrupit interim, at nunc redit & exactissime delineat quam uelit suscipi uiduam. Necesse enim est ut in his recipiendis habeatur delectus, partim ne supra uires oneretur ecclesia, partim ne officium conferatur in indignas. Duo autem requirit in uera & Christiana uidua Paulus, ætatem uidelicet & uitam anteactam. Aetatem inquam grandæuam uiribusq; effœtam, gignẽdis educandisq; liberis uel incongruam uel diutina exercitatione fessam. Ideoq; ne recipiatur, inquit, uidua minor annis sexaginta. Atq; caret hæc ætas plerumq; omni suspicione impudicitiæ. Deinde uitam inga requirit probam, nec illam modo qua nunc uiuit, sed qua uixit olim. Siquidem ne huic quidem ætati putat fidendum nisi eam uita anteacta commendet. Iam itaq; species siue specimina quædã purioris uitæ recensetur, quæ cum manifesta & exposita sint non est quod pluribus explicentur. Si inquit unico fuit marito contenta nec cupiditate uicta pluribus se prostituit, si benefactis sibi parauit laudem & honestam existimationem apud homines, uirtutesq; eius prædicentur ab omnibus, si liberos sancte in omni pietate educauit, si fuit hospitalis, aut si propter fortunæ tenuitatem hospitalitatem exercere nequiuit, sanctorum tamen pedes lauit, hoc est fidelibus officijs sese submisit & charitate per omnia inseruiuit. Nam ablutio pedũ abiectissimum quidem inter officia comprehendit synekdocha quadam reliqua & maiora omnia, id quod ex 13. Ioannis cap. colliquescit. Rursus si, inquit, egestate laborantibus & afflictis de suis subministrauit facultatibus: breuiter si nullum opus bonum prætermisit, sed potius in omni iustitia facienda fuit assidua: si inquam talem inueneris uiduam non dubitabis inopiam eius facultatibus subleuare ecclesiasticis. Hac uero lance, hac regula metietur expendetq; uir ecclesiasticus quos è pauperum turba recipiat in eorum numerum qui ecclesiastico aluntur stipendio. Si uero perrexerimus mimos, scurras, scorta, lenas, ambubaias, decoctores, milites, nebulones, & hoc genus omne ecclesiasticis nutrire opibus, sentiemus aliquãdo potentem illam dei manum quam monachis & sacrificis Pontificijs abutentibus bonis ecclesiasticis uidimus inflictam grauiter. Confutatur item ex præsenti loco Pauli quicquid de anno probationis nugati sunt impurissimi monachi. Equidem insigne est humanæ infirmitatis argumẽtum, quod Apostolus tantus noluit uiduam recipi minorem annis sexaginta. Arbitror profecto hoc Apostoli iudiciũ egregie nobis obseruandum tenendumq; ne præcipitanter & incõsulte nimis agentes adulterij, fornicationis & scelerum nefandissimorum authores fiamus.

Vita anteacta uiduæ.

Porrò iuniores uiduas reijce, cum enim lasciuire cœperint aduersus Christum,

Christum, nubere uolunt, habentes condemnationem quod primam fidem reiecerint, simul autem & otiosæ discunt circumire domos, imò non solum otiosæ, uerumetiam garrulæ & curiosæ, loquẽtes quæ non oportet.

Adhuc exprimit planioribus & pluribus uerbis quod quidẽ ex disputatis colligi potuisset sed minore cũ authoritate. Ergo νεωτέρας, id est iuniores inquit & minores annis sexaginta uiduas à stipendio uiduarumq; collegio procul arcebis ecclesiastico. Atq; hic caussas recensetcum uarias tum grauissimas. Prima huiusmodi est, Quæ recipiuntur uiduæ quasi carni & mundo iam mortuæ ueluti Christo nubunt, & spem de se præbent nunquam se ad coniugia mundi aspiraturas. Cæterum cum uires sint adhuc integræ & anni ad nuptias congrui, quibus iam accessit otium potissimum & efficacissimum ad excitandam alendamq; libidinem incitabulum, fit ut uictæ iam cupiditatibus, officij & instituti sui immemores ferocire lasciuireq; (σφνιᾶν enim ferocire significat siue lasciuire, quod deductum est à uerbo σφὴρ ceu metaphora sumpta à iumentis quæ cum pabulo ferociunt, auellunt habenas & suopte arbitrio feruntur) incipiãt & omnino nubere uelint. Et sanè nubere per se quidem uitio caret. Honorabile enim est connubium apud omnes. Quia uero fidem & Christo sponso & ecclesiæ dederunt semel, & sese sua sponte abdicarunt connubio, hinc lasciuia & nuptiæ earum in ignominiam uergunt Christi, id quod Paulus dixit Lasciuire aduersus Christum. Et prophani homines culpã istam ijs non imputant quorum uitio fit, sed religioni omnem & Christo impingũt, clamantes, Hæc illa nimirum egregia uiduarum Christianarum castimonia est, hæc sacrosancta Christianorum fides, hæc deniq; illa ecclesia est quæ libidini nutrimenta suppeditat, scilicet. Atq; hoc quidem alterum uitium est quo & Christum & ecclesiam totam deniq; religionem infamãt. Adhæret huic & alterum, nempe quod uiduæ sibijpsis perpetuam inurunt ignominiæ maculam, dum scilicet fidem pactam soluunt. Paulus enim per κρῖμα, id est iudicium, quod interpres noster non male uertit condemnationem, non intelexit animæ perditionem, sed maculam infamiæ, *ein nachred vnnd fürgug, das man sy drumb vßrieht vnd bschilt*. Verum attigimus hunc locum & in Commẽtarijs nostris in cap. 23. Actorum Apostolorum. Et Paraphrastes eodem modo hunc locum explicans, Atq; interim hanc infamiæ maculam, inquit, sibi contrahunt, quod fidem quã Christo pacti uidentur fecerint irritam, duplici nomine notandæ & quod temere susceperint professionem castitatis non satis exploratis uiribus, & quod à susceptа refilierint. Impugnat hic locus Vota & uitam monasticam in uniuersum omnẽ quàm fortissime. Idem enim iudicium est de Monachis & Nonnis quod de Viduis. Tam aperta & firma sunt hic omnia, ut solus hic locus Vota prohibuisset monastica, nisi peccata nostra meruissent aliud. Supersunt & alia incommoda istis haud meliora. Tametsi enim non lasciuiant, inquit, aduersus Christum neq; uiolent pactam fidem, attamen conuersationem uitæ ita instituunt, ut planè dedecori sint ecclesiæ. Otium enim omnium uitiorum suscitabulum & alimentum docet illas oberrare per ædes alienas, atq; in his nugari & garrire quæ uiduas imò honestas mulieres non decet. Accedit his & curiositas, quæ & hæc & alia in ipsis pariet dedecora. Et curiositas quidem fœdum in omnibus hominibus, præcipue autem in fœminis uitium est. Atqui hisce uitijs omnibus certo ita inuoluentur scio ut uiduitas ipsarum plus ignominiæ quàm gloriæ habitura fit in ecclesia. Quid ergo fiet?

De uiduis iunioribus.

καταφνιᾶσωσι.

Curiositas mater est garrulitatis.

Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionẽ dare aduersario ut habeat maledicendi caussam. Iam enim nonnullæ deflexerunt sequutæ satanam.

Planissima sunt quæ dicit, Cum ergo ait hæc ita habeãt, tutius multo est ut uiduæ iuniores nubant maritis, quorum authoritate coërceatur ipsarum licentia, ut gignant liberos, & administrent familiam: qua re fiet ut ab otio abstractæ & garrulæ & curiosæ esse desinant, sed ea potius curent quæ familiæ sunt. Et hæc planè optima est omnium mu-

Officia iuniorũ uiduarum.

lierum diſciplina, quę & cœlitus ad nos delata & uoce prophetarum ac apoſtolorum nobis propoſita, ſanctiſſimorum quoq; hominum exemplis comprobata eſt, ut nunc conſcientia bona corruptiſſimam illam diſciplinam monaſticam diuerſum præcipientem contemnamus & damnemus. Addit his aliud quoq; præceptum apoſtolus. Sic uidelicet uitam inſtituant mulierculę ne ullam dent calumniatoribus maledicendi anſam. In quo breui accinctoq; præcepto multa ſimul monita continentur. Ne ipſam exquiſitior cultus infamet, ne oculorum nutibus & hilaritate uultus uirorum poſt ſe greges trahat & conueniat ei uerſiculus ille uulgatus, Riſit & arguto quiddā promiſit ocello: breuiter ne quid uel dictis uel factis aut deniq; toto corporis habitu deſignet quod in impudentiæ aut ſiniſtram inhoneſtámue aliâs ſuſpicionem rapi poſſit. Iam cum præceptum de reijcendis iunioribus uiduis matrimonioq; ſubiugādis uideri poterat alicui nimis ſeuerum, ſub finem appendit prȩcepti ſui rationem ſiue defenſionem comprehenſam parciſſimis hiſce uerbis, Iam enim nonnullæ deflexerunt ſequutæ ſatanam. Argumentatur enim ab exemplo & ait, Non temere præcipio iuniores reijcere uiduas. Iam enim quarundā perfidia docuit quid ipſis fidamus, nihil planè. Nam ſemel ſuſceptæ in curā eccleſiæ mox atq; otij ſenſere blandimenta ſimul & laſciuire cœperunt, & ruptis pudicitiæ uinculis ſcortari quoq;, circumcurſitare, curioſe agere, cornicari, calumniari, breuiter ſatanam imitari ex integro. Iſta porrò non fient cum maximo eccleſiæ & religionis detrimento, ſi retineantur in officio & coniugio ſancto eaq; ratione abarceantur ab otio à hypocriſi & ſanctimonia ſiue caſtitate ficta. Hæc per omnia quadrant & monaſticis.

Quod ſi quis fidelis aut ſi qua fidelis habet uiduas, ſuppeditet illis et non oneretur eccleſia, ut his quæ uere uiduæ ſunt ſuppetat.

Verū opponit hic aliquis, Tantæ uero opes quantæ uiduæ meæ uel ad uitam ſuſtentandam uel maritum aliquem conciliandum ſufficerent non ſuppetunt, iccirco ad eccleſiæ cogor ſubſidium confugere. Reſpondet apoſtolus, Planè non eſt neceſſe ut egeſtatis gratia caſtitatis profeſſionem ulla ſuſcipiat uidua. Debet enim horum inopia cognatorum ſubleuari beneficētia. Non enim par eſt ut Chriſtianus aut Chriſtiana cuius pietas debebat etiam alienis opitulari ſibi cognatam uiduam deſtituat et alendam obtrudat eccleſiæ. Hinc enim ſequitur incommodum duplex. Prius oneratur eccleſia, poſterius exhauſtis demum facultatibus eccleſiaſticis non ſupererit quo alantur ueræ uiduæ. At hodie neglectis iſtis ueluti nunquam uel dictis uel ſcriptis à Chriſti domini apoſtolis audēt opulentiores magnates & nobiles liberos ſuos eccleſiæ alendos obtrudere. Quibus ēm numeroſa obtingit ſoboles ij ex omnibus unum aliquem ueluti familiæ columen deligunt, huic relinquunt hęreditatem & facultates omnes, cæteros uero uel fatuos uel non prorſus quidem inſipidos ſed infeliciores tamen ueluti ſpurios abdicant maximeq; reluctantes curæ committunt eccleſiaſticæ. Videmus enim maximam eccleſiaſticarū facultatum portionem in huiuſmodi hominum poteſtatem eſſe redactam. Atq; hi quidem in eccleſiaſticis opibus luxuriant hodie. Multi his ueritatem euangelicam renaſcentem oppugnant. Hi cum magnatum ſanguine ſint creti proceres & uiros in republica primarios habent & fautores inſtituti ſui & defenſores, mutuasq; utrinq; ſibi conferūt operas, uerum uincet tandem ueritas, reſtituetq; uſui genuino eccleſiæ ſuæ theſauros Chriſtus dominus. Cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Hæc uero de Viduis hactenus.

Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime ij qui laborant in ſermone & doctrina. Dicit enim ſcriptura, Boui trituranti non obligabis os. Et, Dignus eſt operarius mercede ſua.

De facultatibus eccleſiaſticis et uſu earum.

Ad diſputationem de Alimonia Viduarum in qua comprehendimus omnem pauperum curam pertinet et tractatio de ſtipendio epiſcoporum. Nam ut pauperes ita preſbyteri quoq; eccleſiæ toti ſeruientes ex eccleſiaſtico alendi ſunt ærario. Sed & Chriſtus ipſe & apoſtoli ex munificentia uixerūt ſponte offerentiū. Et in Corinthijs ſcripſit Apoſtolus, An neſcitis quod hi qui in ſacris operantur ex ſacrificio uiuunt? Qui ſacrario aſſiſtunt unà cum ſacrario partem accipiunt? Sic & dominus ordinauit ut qui euangelium

annunciant

annunciant de euangelio uiuant. Legimus præterea in Actis apostolorum uiros cordatiores facultates suas ad pedes apportasse apostolorũ, quibus & pauperibus & uiris subueniretur ecclesiasticis. Eius rei gratia & hoc exemplum imitãtes maiores nostri tam primarij quàm plebei uiri facultates suas donarũt ecclesijs. Quò ego pertinere puto regum donationes, nobilium fundationes, decimas, possessionum ususfructus, ipsas possessiones, omnes denique opes ecclesiasticas. Has uero prisci illi patres nostri & religionis ueræ Mecœnates proculdubio studiosis & pauperibus, non otiosis & uentribus destinarunt alendis. Neq; dubium est quin ueteres illi sancti & docti episcopi istis sancte sint usi. Certè Gregorius ille magnus episcopus Romanus ad Cantuariensem episcopum August. disertis uerbis, Mos, inquit, sedis est apostolicæ ordinatis episcopis præcepta tradere, ut ex omni stipendio quod accedit quatuor fieri debeant portiones, una uidelicet episcopo & familiæ propter hospitalitatem atq; susceptionẽ, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesijs reparandis. Intellexit autem per Clerum diaconorum siue studiosorum collegia. Nam & ueterum cœnobia aliud non fuerunt quàm studiosorum collegia & pauperum xenodochia. Id quod liquet uel ex Augustini uita per Possidonium conscripta, in cuius 5.11.23.& 24.cap. plurima quæ huc faciunt inuenies. Hactenus ergo in dispensandis facultatibus ecclesiasticis haud uehementer peccatum est uel à mediæ ætatis ac posterioris sæculi episcopis. Tandem uero ubi temporum iniuria & supina episcoporum postremi sæculi negligentia pro religione obrepsisset superstitio, uiriq; ecclesiastici dominari non ministrare, & principes non dispensatores rerum ecclesiasticarũ esse uellent, factum est ut noua religionis facie constituta in alium quoq; usum conuersæ sint opes ecclesiasticæ, & nunc cedant non studiosis, pauperibus, ueris fidei sanctæ prædicatoribus, & ijs quibus destinatæ sunt ab initio usibus, sed Pontificibus episcopisq;, hoc est regibus & principibus, monachis & sacrificis, hoc est superstitionum ministris, quibus interim ex superstitiosorum hominum obsequijs haud parum accessit diuitiarum, adeò ut in horum potestate sint hodie cultissima & opima omnium regnorũ & nationum loca. Cuius quidem rei gratia mira hodie oboritur omnium commixtio rerum, tam sanè periculosa, ut nisi huic maturo aliquo subueniatur consilio damnum aliquod maximum toti Christiano orbi datura sit aliquando. Aurum quidem hoc planè Tolosanum est, neq; iniustũ facile uel usum uel possessorem patitur. Proinde non est quod huic negotio consultum putent principes & magistratus Christiani si ecclesijs direptis omnes facultates ecclesiasticas conuertant in usus prophanos. Non enim in hoc primitus destinatæ sunt à testatoribus pijs, sed in usus sacros. Habent reges & magistratus tributa & uectigalia sua, habent æraria publica, habent donationes & reditus suos, ijs utantur ad res prophanas, & non deprædentur temere ecclesias Christi. Quod si omnino satisfacere suo uolũt officio, aboleant potius impios bonorum ecclesiasticorum abusus, imò si episcopi sua sponte iugum Christi recipere nolint, reuocent ipsi pietatem auitam, restituant ecclesiæ religionem ueram quantumq; conseruandæ & alendæ huic sufficiat facultates ex omnibus ecclesiasticis opibus, præcipue autem è priscis istis donationibus seligant, priscumq; ueteris ecclesiæ reuocent institutum. Prisco autem instituto liberaliter & quantum cuiq; satis erat ipsumq; deposcebat decorum prospiciebatur ex ærario ecclesiastico studijs honestioribus & sacris, studiosæ iuuentuti, episcopis deinde & familiæ ipsorum, præcipue uero pauperibus, uiduis, peregrinis, captiuis & necessitate in ecclesia laborantibus, quin & ad sarcta tecta portio opum seruabatur certa. Hæc inquã omnia & si qua alia ecclesiæ necessaria sunt restituant priusquam ecclesiasticarum opum uel obolum tollant, aut grauissimam supremi numinis ultionem expectent. Cæterum istis quidem dispositis rite si quid superfuerit id nequaquam in priuatos insumatur usus, sed cedat magis reipub. uel distribuatur iustis hæredibus, aut seruetur subleuandæ calamitati futuræ. Certè si animus fuerit simplex, sacer & probus, dispensatio quoq; iusta erit. Sacrilegi & auari perperam agent omnia, idq; in malum suum maximum. Paulus in præsenti, Qui bene præsunt presbyteri ait duplici honore digni habeãtur. Intelligit autem omnes in ecclesia seniores quibus habenę administrationis commissæ sunt. Duplex autem honor duplica-

Monasteria uetusta.

Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem.

tum eſt ſubſidium, aut quod putauit Theophylactus abundans pretium ſtipendiũ mue. Hoc uero ijs maxime impartiri iubet qui laborant in ſermone & doctrina. Neq; enim omnes presbyteri in eccleſia laborant in ſermone & doctrina. Cum enim uaria ſint in eccleſia munia, non unius quoq; generis miniſtri aut presbyteri ſunt. Verum quotquot eccleſiæ inſeruiunt ſuo miniſterio, ſtipendio quoq; uiuere debent eccleſiaſtico. Id quod pronunciatis quibuſdam ex lege & euangelio ſubiectis demonſtrat atq; cõfirmat. Prius ſumptum eſt ex Deut. 25. cap. Poſterius ex Matth. 10. cap. De utroq; annotauimus quædam in cap. 9. prioris ad Corinth. ut & de ſtipendio miniſtris uerbi ſoluendo diſputauimus in 6. cap. ad Gal. & in 5. cap. 1. ad Theſſal. Iterũ uero monet honore dignos eſſe habendos qui bene præſunt & laborant in uerbo & doctrina, nullã mentionem facit cantorum, ſacrificorum, aut otioſorũ hominum. De his alibi ſcripſit, Qui non laborat non edat. Quod interim quidam laborant ſtrenue ſatis præſtaret non laborare.

Aduerſus presbyterum accuſationem ne admiſeris niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Eos qui peccant coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.

Priuilegia et iudicia epiſcoporum.

Quemadmodum miniſtro Chriſti ſedulo & probo debetur alimonia ita & defenſio, at huiuſmodi ne patrocinium inueniat aut ſperare poſſit in ſcelere, ſed hic quoq; habeat quod metuat. Iccirco Apoſtolus, Aduerſus presbyterum ait accuſationem ne admiſeris niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ratio uero huius legis hęc eſt. Presbyter ueritatis eſt miniſter. At obſequium, iuxta Comici ſentẽtiam, amicos ueritas odium parit: quocirca metuendum eſt perpetuo ne quid forſan tentent ex odio & inuidia qui accuſant presbyterũ quo licentius peccent porrò. Deinde niſi integra & ſacroſancta ſit ſacerdotis authoritas profecto per q̃ uilis erit eiuſdem doctrina. Iam ſi liberũ permittatur omnibus quoties libet ſacerdotis uel uitam uel doctrinã inceſſere, plane concidit iſtius authoritas. Vt itaq; & authoritas ſacerdotis eſſet illibata & doctrina eius nulla notaretur infamia præcipit Apoſtolus ne qua aduerſus presbyterũ accuſatio recipiatur niſi eadem legitime duorum aut trium teſtimonio fuerit cõprobata. Addit huic legi nunc aliam, Quod ſi accuſatio iſti intentata rite fuerit comprobata, certe tantum non obſtabit illius authoritas aut doctrinæ dignitas quo minus arguatur grauiſſime, idq; corã omnibus. Cauſſa uero huius legis eſt, ne ſibi ob ſacerdotij functionem placeat quisq; & mox ſibi putet licere quod libet, uerum cogitet magis quod publico fungatur munere, & quod peccata ipſius iam non priuata ſint ſed publica quodq; contagio inficiant reliquos etiam. Ergo ne epiſcoporum impunitas pernitioſum exemplum miniſtret multitudini, quin potius uniuerſa eccleſia, uidens ne epiſcopo quidem impune eſſe peccare, metuat certoq; ſibi perſuadeat peccata ſua non fore impunita, tam diſtricte præcepit Apoſtolus ut presbyterum palàm arguat epiſcopus ſyncerior. Nemini autem hæ leges nouæ uideri debent. Apud omnes enim gentes conceſſa ſunt iuſta & æqua, quamuis apud alias & nimia nonnunq; miniſtris ſacrorum priuilegia. His interim adiectæ ſunt & priuatæ quædam leges quæ acerrime iuberent in impuros aut negligentiores animaduertere. Hæc ego omnia quæ ſcilicet intra modũ æquum & iuſtum conſiſtunt hodie uellem reuocata à primarijs uiris religionis noſtræ, quod certo habeam exploratũ ne rempub. quidem ſine iſtis feliciter habituram diu. Immunitatem Papiſticam & licentiam iſtam nimiam non probo interim.

Deut. 17.

Obteſtor in conſpectu dei & domini Ieſu Chriſti & electorum angelorũ, ut hæc ſerues ſine præcipitatione iudicij, nihil faciens iuxta propenſionem animi,

Sancto & integro animo fiãt omnia.

Solent autem ad munia gnauiter & fideliter obeunda ſacramento aſtringi quibus aliqua in repub. functio obuenit. Ad quem morem Apoſtolus Timotheum nunc obteſtatur & ait, Obteſtor te Timothee, per deum patrem, quo teſte & authore geritur hæc res, perq; Ieſum Chriſtum cuius miniſtri ſumus, perq; electos angelos dei miniſtros, & iſtarum rerum ſpectatores, ut ea quæ tibi præſcripſi hactenus, præcipue autem de iudicijs

obeundis

obeundis ſerues χωρὶς προκρίματος, id eſt ſine præiudicio. Eſt autẽ præiudicium cum ex opinione concepta temere quidpiam agitur, & iudicamus ipſi apud nos antequã compertum habemus, cum magis ex ipſa re cognita colligenda ſit ſentẽtia. μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόκλισιν, id eſt nihil faciens in aliam partem inclinãs. Nullus enim hic affectus uocandus eſt in conſilium, ſed quod ipſa res poſcit quod deniq; æquum & iuſtum iubet faciendum eſt. Hæc uero memori mente reponenda ſunt ut perpetuo oculis obuerſentur noſtris utq; hæc primũ cogitemus in omnibus noſtris functionibus, præcipue ijs quibus uel iudicia agitamus uel miniſtros eccleſijs ordinamus. Sequitur eñ q̃d ad hæc pertinet.

Manus cito ne cui imponas, neq; communices peccatis alienis. Temetipſum purum ſerua.

Manus enim imponere aliud non eſt quàm eccleſiæ aliquem præficere & ordinare. Cæterum hic magno & acri opus eſt iudicio cauendumq; ne quid fiat uel ex præiudicio uel in hanc uel illam partẽ. Si enim indignus aliquis hoc eſt uel indoctus uel impurus ordinatur, iam ſcelera quoq; impuri huius hominis eum polluunt qui inexplorato aut indigno ſanctã illam delegauit functionem. Nanuũ enim impoſitio cõmunionis ſignum eſt. Præterea uidetur uitijs fauere quiſquis commaculatum uitijs ſubuehit ad honores. Hic uero Paulus, Nolo te graues, inquit, alienis peccatis, uolo ut purum & illibatũ te cuſtodias. Aliena enim peccata ſunt quæ licet ipſi opere non faciamus ſine nobis tamẽ hoc eſt ſine noſtro conſilio impulſu adminiculo & ſuffragio non fiunt, quæ quidem patent latiſſime. Ex quibus liquido colligi poteſt quantis ſe peccatis obſtrinxerint onerarintq; quibus hactenus fuit ordinandi poteſtas. Experientia eñ clamitat quales ordinauerint. Videant hodie quoq; quid agant quibus hæc functio delegata eſt in eccleſia. *Aliena peccata*

Ne poſthac bibas aquã, ſed uino paululo utere propter ſtomachũ tuum & crebras tuas infirmitates.

Cohæret hoc præceptum cum ſuperioribus quod in his meminiſſet puritatis, dein de præcepiſſet ut ſibi ab alienis caueret peccatis, nunc ergo præcipit de uſu uini ne ſe nimia cõficeret abſtinentia, hoc eſt ne putaret ſe puritati ſtudere, interim uero ſeſe propria perimeret culpa. Nam crimen & infamiam homicidij latrocinijq; ſubterfugere ac declinare non poteſt quiſquis nimia inedia aut nimio corporis neglectu ſe conficit & officijs pietatis ante tempus inutilem reddit. Huc refero immoderata ſtudia, uigilias nimias, labores ultra uires ſuſceptos, & quæcunq; alia huius generis ſunt. Prudenter eñ deus (q̃d ait Ambro.) ſibi ſeruiri uult, non ut ſerui eius nimietate ſua debiles fiant & poſtea medicorum ſuffragia requirant. Temperandũ eſt enim ut ſi fieri poteſt cœptum obſequium gradatim prouehatur quàm per inconſyderantiam minuatur. Intemperantia ipſam animam inquietam facit ut cum de infirmitate ſollicita eſt non tantum dedita ſit diuinis ſer uitijs. Peccãt ergo grauiter quotquot abſtinentia nimia et laboribus inexhauſtis uires amini & corporis exhauriunt itaq; præmaturo ſenio conſeneſcunt, adeò ut cum officijs pietatis eccleſiæ debebant maxime utiles eſſe olim ſeſe fecerunt inutiles. Colligimus autem ex hoc loco Timotheũ fuiſſe abſtemium. Certè Plato de legibus iubet pueros uſque ad ætatem XVIII. annorum à uino abſtinere quod non ſit neceſſe ignem igni addere. Inde uero uſq; ad XL. modice uti. Poſt eam ætatem ſe pluſculũ inuitare ad uitæ tædium leuandum. Itaq; Paulus, Paululo inquit uino utere, idq; propter ſtomachum tuũ & crebras tuas infirmitates. Ineſt enim uino temperate ſumpto mira medicandi uis. De qua re qui uult legat 1. cap. 23. lib. Pli. Hoc ipſum ſi ſumatur immodice maximorum quoq; cauſa eſt morborũ, id quod idem ille Plinius teſtatur lib. 14. cap. 22. Noſtri epiſcopi nulla præceptione ut uinum bibant opus habent cum ultrò bibant copioſius quàm deceat. Freno ergo cohibendi calcaribus nequaquam exagitandi ſunt. *Abſtinentia epiſcopum decet ſed non nimia.*

Quorundam hominum peccata ante manifeſta ſunt præcedẽtia ad iudicium, quoſdam uero & ſubſequuntur. Conſimiliter & bona opera prius manifeſta ſunt, & ea quæ ſecus habent occultari non poſſunt.

Alia peccata manifesta, occulta sunt alia.

Epanaphora est. Redit enim ad id quod præceperat ne cõmunicaret peccatis alienis, & ait, Nolim autem existimes omnia tuorum peccata tibi esse imputanda, sed ea tantum quæ manifesta sunt. Verbi gratia, Vixit aliquis inter uos adeò perdite ut nemo hactenus quicquam sibi de hoc homine bonæ frugis potuit polliceri, huic uero communicas tu & hunc subuehis ad honores & officia publica, in quibus administrãdis sui per omnia similis nihil facit laude dignum, sed omnia corruptissime, istius certe corruptio & pecca ta merito tibi quoq; imputantur, qui non nescieris cui communicaueris & quali impo sueris manus. Rursus insinuat se amicitiæ tuæ alius quispiam & ipse corruptus & nefa rius, uerũ nouit interim improbitatem suam dissimulare ut humano iudicio deprehen di non possit. Tali si communicaueris aut functionem commiseris publicam in qua ge renda boni uiri officio non fungatur sed erumpens palàm factitet quod clam hactenus gessit ad occasionem in pectore, nequaquã istius improbitatis particeps eris, cum talem esse nescieris. Facit ergo Apostolus duo peccati genera. In primo genere sunt manifesta illa præcedentia ad iudicium. In secundo genere sunt occulta subsequentia iudicium. Per iudicium autem intelligunt alij extremum iudicium, ego uero hominis iudicium & co gnitionem intelligo, ut præcedentia iudicium ea sint peccata quæ præcesserunt & cogni tionem nostram non subterfugerunt, quippe cum prius sint facta q̃ nos de homine for mauerimus iudicium. Subsequẽtia ergo erunt quæ postea facta sunt aut fiunt, & de qui bus iudicare prius non licuit, utpote nondum factis. Consimilem esse rationem bono rum operũ nemo iam est qui non intelligat. Ista uero si obseruemus fideliter plurimum commodi afferent nobis in omni uita nostra. Latissime enim patet istarum sanctissima rum legum saluberrimus usus. Nos potissima perstringimus tantũ, ne quem oneremus disputatione nimis prolixa. Pij uero lectoris fuerit ista pro rerum, locorũ, personarum & temporum ratione copiosius & prudentius diducere. Commentatoris uice fungor non oratoris. Indico non explico omnia. Sentẽtiam uero uerborum Pauli quanta pos sum diligentia & breuitate expono.

CAP. VI.

Quicunq; sub iugo sunt serui suos dominos omni honore dignos ducãt, ne nomen dei & doctrina male audiat. Qui uero fideles habent dominos ne contemnant, sed magis inseruiant quod fideles sint ac dilecti qui beneficentiæ participes sunt.

De seruis præceptio.

Præscribit formulam qua utantur episcopi in instituendis Seruis informandisq; offi ciis eorum. Loquitur autem de Christianis Seruis nõ ministris quidem, sed seruitutem seruientibus, quale seruorũ genus olim cum apud Hebræos & Gentes reliquas, tum ho die apud Turcas frequentissimum est. Hinc uero periphrastica notatione seruitutis in genium notans significãter, Quicunq; ait sub iugo serui sunt, id est, Quicunq; libertate amissa colla sua submiserunt alieno imperio, ut non suo sed alieno uiuant arbitrio, obe diant dominis suis. Sumpta est enim à bubus metaphora quorũ libertas iugo cornibus impositio alligatoq; opprimitur: ita uero & seruitus hominem liberũ alieno subijcit im perio, ut iam non sibi sed domino suo uiuat, ab huius nutu & imperio pendeat. Horum ponit genera duo. Alij enim ethnicis parent dominis, fidelibus siue Christianis alij. Iam erant in seruorum turba non pauci qui crederent Christiana libertate se quoq; à domi norum suorum liberatos esse imperio. Nam ad hunc modum ar gutabãtur, Si dominus impius est, indignum planè cui seruiat sanguine Christi redemptus. Si uero pius est do minus, iam maxime iniquum est ut à seruo officium petat quem in fide agnoscit esse fra trem. At Paulus longe aliud sentiẽs præcipit episcopo ut doceat seruos obedire dominis suis. Et principio quidẽ loquitur de ijs quibus obtigere domini infideles. Hi inquit τοὺς ἰδίους δεσπότας, id est proprios illos dominos suos non ideo contemnant quia infideles sunt, sed omni honore dignos ducant, hoc est ament & reuereantur, & quæcunq; ipsis debent officia præstent fidelissime. Addit stimulum, Ne nomen & doctrina dei male au diat. Siquidem non poterit non Christi & nomen & doctrina apud Gentes fieri infa mis & inuidiosa si conspexerint uos per illam planè mutatos nunc procaciores incõmo

Seruorum genera.

diores

diores minusq; fidos esse factos q̃ eratis priusquam nomen Christi profiteremini. Nil planè nouum ũ assidue quẽrantur doctrinam quam uocant nouam seditionis esse seminariũ. Oportet igitur per omnia ita nos erga ethnicos gerere ut sentiant per religionem factos esse commodiores, iustiores & officiosiores. Atq; hac ratione si qua alia pertrahemus istos in religionem nostram, cum morum asperitate & conuitijs illos tam à nobis quàm à religione prorsum alienemus Deinde hoc ipsum præscribit etiam Seruis ijs qui dominos nacti sunt Christianos. Qui uero fideles, id est Christianos habent dominos, inquit, non ideo contemnant quod fratres facti sunt, hoc est quia fidem receperũt, & in consortiũ uenere fidelium. Tametsi enim fides Christiana quod interiorem attinet hominem omnes æquet, in Christo enim Iesu non est masculus aut fœmina, dominus aut seruus, nobilis aut plebeius, sed omnes unum sumus in Christo, attamen quod exteriorem hominem & politiam attinet rerum humanarũ, præest dominus, & subest seruus. Vnde alibi quoq; præcepit Paulus, Reddite timorem & honorem ijs quibus debetis, & quilibet in sua uocatione permaneat. Et in præsenti uerbis clarissimis idem præcipiens, Tantum abest inquit ut domini receptę fidei Christianæ gratia aspernandi deserendiue uideantur ut hoc nomine magis sint obseruandi. Atq; huius præcepti sui caussam eandem per antistrephon subiungit ob quam seruis domini Christiani uidebantur negligẽdi, ὅτι πιστοί ἐισι καὶ ἀγαπητοὶ οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, id est, Quia fideles sunt & dilecti siue contenti & beneficentiæ recõpensatores. Quia, inquit, iam non modo domini sed etiam fratres, id est fideles sunt, ideo magis nunc quàm olim obedire illis & inseruire debetis. Deinde quia iam non morosi & difficiles sunt amplius, sed per fidem facti ἀγαπητοὶ, qui officia uestra boni consulere norunt & æquis contẽti sunt seruitijs. Nã ἀγαπάω significat & diligo & boni cõsulo siue contẽtus sum. His accedit tertium, Quia beneficentiæ ipsorũ participes estis, & nunc quidem liberalius q̃ olim. Cum enim fidem Christi receperunt domini uestri nunc quidem magis benefici per fidem facti officia uestra in se collata munificentius recompensabunt. Ad hunc modum exposuit hæc Pauli uerba & Theophylactus, cuius uerba si quis requirat hæc sunt, Domino fideli magis inseruies, præsertim cum in te sit idem beneficus, quippe qui ut te alat & uestem suppeditet & bona reliqua impartiatur curis maximis afflictetur. Hæc Theophylactus. Monẽt hæc quoq; dominos officij sui. Verum qui plura de hac re cupit legat quæ annotaui in 5. capite ad Ephesios. Porrò si Christiani sunt qui seruorum utuntur opera, profecto Christianorum nomine non exciderunt qui ex pecunijs uel possessionibus usumfructũ non iniquum percipiunt. Refellitur ergo hoc Pauli loco peruersus Catabaptistarum error, qui Christianos esse negant quicunq; uel seruorum opera utũtur uel ex usufructu non iniquo uictitãt. Fatemur sanè perfectiorem esse qui seruis suis manumissis omnes libertate donat, aut qui mutuum dat & inde nihil sperat, uerum nullo modo patietur ueritas ut Christiano priuetur consortio, qui seruorum opera moderate utitur & de elocatis facultatibus fructum percipit æquum. De qua re copiosius disputaui in lib. olim contra Catabaptistas æditis. Certè episcoporum est hæc contra furaces & seditiosos tradere fideliter ne quis prætexens pietatem, ueritatem blasphemet.

Serui Christianorum.

Hæc doce & exhortare. Si quis diuersam sequitur doctrinam & non accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi & ei quæ secũdum pietatem est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniẽs circa quæstiones & disputationum pugnas.

Colligit summam rei & infert nunc quod potissimum hac epistola intẽdit, ut episcopus ecclesijs sanam doctrinam tradat. Hæc, inquit, quæ præscripsi hic & docui alibi doceto fideliter, ad ea hominum animos exhortato & exerceto. Verum obijcit hic aliquis, Atqui nolent multi hoc doctrinæ genus, uolent aliud sibi tradi, adeoq; ipsimet aliud docebunt. Hic ergo Apostolus, Si quis, inquit, diuersam sequitur doctrinam &c. Perstringit autem ueritatis & simplicitatis Christianæ aduersarios ac corruptores, docens ipsos omni modo fugiendos esse. Duo uero in his præcipue accusat, studium conflictandi &

In disputatores & doctrinæ diuersæ doctores.

cumulandi opum siue quæstus. Quæ quidem episcoporum præcipuę pestes sunt, quam obrem à Paulo in præsenti suis planè coloribus distinguuntur. Si quis inquit, ἑτεροδιδασκαλεῖ, id est uel diuersa docet uel diuersam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, hoc est ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, fidem nimirum & charitatem tradenti, is inflatus est, nihil sciens, & iccirco negligendus. Nam 1. ad Corinthios 8. cap. idē, Scientia inflat, inquit, charitas ædificat. Quod si quis uidetur sibi aliquid scire, nondum ita doctus est ut doctum esse oportebat. At qui deum diligit, hunc docuit atq; eruditum reddidit deus. Et ad Romanos 12. cap. Dico inquit per gratiam quæ data est mihi cuilibet uersanti inter uos ne quis arroganter de se sentiat, sed ita sentiat ut modestus & sobrius sit ut cuiq; deus partitus est mensuram fidei. Proinde uera & iusta scientia intra metas fidei & charitatis manens humilis & sobria est. Vbi uero superbia & arrogantia est, ubi fidei & charitatis regulæ negliguntur, ibi nihil solidæ est sapientiæ utut uerba apparatus deniq; totus uitæ habitus splendeat. Recte ergo Paulus dixit, Qui nō accedit sanis sermonibus Christi is inflatus est nihil sciens, ἀλλὰ νοσῶν, sed ægrotans circa quæstiones νόσῃ λογομαχίας, & uerborum siue disputationū pugnas. Id quod mire in eos quadrat qui omnibus sæculis pura & simplici relicta ueritate de rebus nihili disputare cœperunt. Cuius quidem generis sunt Valentinianorum apud Irenæum & Tertullianum deliria, & cæteræ hæreticorum disputationes prodigiosæ. Nostro sæculo quæstionum labyrinthis & uerborum pugnis inuoluerunt religionem circa uerba digladiantes, ipsamq; rem negligentes, Scholasticæ Theologiæ authores, ut parum in his liceat inuenire simplicitatis & puritatis apostolicæ, quæ quidem ut simplicissima est, ita abhorret ab omni uerborum pugna & quæstionum tricis. Docet autem quàm simplicissime fidem, innocentiam & charitatem. Ergo de pietate uera in hac magna est cura, de uerbis aut quæstionibus nulla concertatio. Vera enim religio non poterit non negligi cum toti ad disputandum & rixandum conuertimur. Cæterum hic non omnes damnamus disputationes, sed eas tantum quæ huiusmodi sunt quales iam describit Apostolus.

Ex quibus nascitur inuidia, contentio, maledicentia, suspiciones malæ, superuacaneæ conflictationes hominum mente corruptorū, & quibus adempta est ueritas, qui existimant quæstum esse pietatem. Seiungere ab his.

Disputationum & quæstionum fructus & utilitas.

Alterum hoc est malum ex duobus quibus diximus episcopos ceu peste infectos interire, studiū nempe conflictandi siue disputandi. Illud iam uiribus & fructibus suis enumeratis graphice depingit. Ex huiusmodi rixosis inquit concertationibus nascitur inuidia, primū dum ex aliorum authoritate eleuata nobis paramus authoritatē, nec gloriam dei aut ueritatē sed propriam inquirimus laudem & populariū applausum. Deinde nascuntur contētiones dum gliscente rixarum calore nullus alij uult concedere. Hinc ubi res exijt in rabiem furor disputantium uberrime profundit exquisitissima conuitia, & nonnunq; à uerbis ad uerbera descenditur. Præterea nascuntur & impiæ suspiciones in deum & omnem pietatem dum nullum facimus inquirendi, dubitandi & ratiocinādi finem, dum ea quæ simplicissima aliàs sunt uocamus in quæstionem. Quò mihi egregia certè Tertulliani uerba pertinere uidentur quæ ad hunc modum leguntur in libello de præscription. hæreticorū, Quid Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid hęreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Solomonis est, qui & ipse tradiderat dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & Dialecticū Christianismo prætulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cum credimus nihil desideramus ultra credere. Et paulò post, At enim si quod debui credere credidi, & aliud denuo puto requirendum, spero utiq; aliud esse inueniendū, nullo modo speraturus istud nisi quia aut non crediderам qui uidebar credidisse aut desij credidisse. Ita fidem meam deserens negator inuenior. Semel dixerim, Nemo quærit nisi qui aut non habuit aut perdidit.

Hæc

Hæc Tertullianus. Naſcuntur item ex diſputationibus atq; quæſtionibus illis παραδιατριβαί. Dicuntur autem authore Eraſmo cõgreſſus & diſputationes philoſophorum Diatribæ Græcis, quas hic addita præpoſitione inutiles facit, & nihil ad rem pertinẽtes. Addit idem Græcanica ſcholia admonere metaphorã ſumptam à ſcabioſis qui mutuo confricta contactuq; morbum communicant, ut ſenſus ſit hoc rixoſum genus hominum ſcabiem ſuam multis ueluti contagio affricare, ut & ipſi contendere, male ſuſpicari, maledicere & inuidere incipiant. Et hactenus in ipſam rem ſtrinxit calamum, iam conuertitur in perſonas, Iam qui hiſce rebus ſtudent homines, ait, ſunt mente corrupti, id eſt quibus ratio turpibus obtenebrata affectibus, quod uerum eſt amplius non uidet, ſed gloriam ſectatur & quæſtũ. Sequitur enim quibus adempta eſt ueritas, & qui exiſtimãt quæſtum eſſe pietatẽ, hoc eſt qui utilitate metiuntur religionẽ. Non enim ſpectant quantum Chriſti glorię & publicæ accedat utilitati, ſed quantũ ipſis propter religionẽ numeretur. His nunc infert quod intendit, Seiungere ab his. Nam & Sapiens præcepit, Contra uerboſum noli contendere uerbis. Et Paulus ad Titum, Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram admonitionem deuita. Pertinax eſt hypocriſis & inſcitia. Proinde pietas uerum conſtãter & ſimpliciter proponit & aſſerit, non indecore contendit. Et multas quidem huiuſmodi diſputationes moderatas & pias legere eſt apud priſcos eccleſiæ doctores, quorum alij interim ſui planè obliti nimiũ indulſere affectibus. Scholaſticæ autem diſputationes & quædam noſtri ſæculi acerbæ concertationes parum ſanè aut nihil planè laudis obtinebũt apud poſteros, quin & nuper ab illis abhorrere cœperũt quicunq; pietati euangelicæ operam hactenus non infeliciter nauarunt. Quorſum uero attinet, chariſſimi fratres, nouo quodam docendi genere pietatem euangelicam propagare uelle? Si tenet nos nominis Chriſti gloria & religio, ſi hanc per totum terræ orbem propagare cupimus, cur non potius ijs conſilijs in ea re perficienda utimur qua uidemus uſos domini apoſtolos, qui nullis contẽtionibus, diſputationibus aut curioſis quæſtionibus inuoluerunt myſteria euangelica, ſed pura potius & ſimplici ueritate euoluerunt, docentes ea quæ pietatis ſunt pure & ſimpliciter. Quod ſi cui omnino collubitum eſt rixari, diſputare & quęſtiones nectere, nectat ſanè & rixetur, ſed deuitetur interim à fidelibus. Eſt enim homo mente corruptus & à ueritate alienus qui religionem non uero, iuſto, æquo & bono, ſed utilitate metitur. Si enim gloriam dei & pietatis profectum quærit cur ſanis ſermonibus Ieſu Chriſti non obedit?

Eſt autem quæſtus magnus pietas cum animo ſua ſorte cõtento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam poſſumus, ſed habentes alimenta & quibus tegamur his contenti erimus.

Sua ſorte cõtentum eſſe ſummus quæſtus eſt.

Deſcendit iam ad aliam epiſcoporum peſtem, ſtudiũ uidelicet pecuniæ ſiue quæſtum, quẽ paulò poſt accuſabit grauiter, in præſenti αὐτάρκειαν laudat ut à lucri ſtudio abſtrahat melius. Alij, inquit, quibus ueritas & religio uenalis eſt ſummam felicitatem exiſtimant ſi opibus, honoribus & uoluptatibus affluant, uerum conſenſus omnium ſapientum credit quæſtum uere maximũ & beatitudinem in terris abſolutiſſimam eſſe ſi quis ſit pius, deinde ſua ſorte præſentibusq; rebus contentus. Hinc enim diſputatũ eſt apud philoſophos ſolum ſapientem eſſe diuitem, eo quod nihil concupiſcat. Qui enim concupiſcit adhuc, nondum ſatis habet: qui uero ſatis non habet, re uera diues non eſt. Huc pertinet Pſalmus 111. cuius initium, Beatus uir qui timet dominum &c. Et Seneca in epiſtola ad Luciliũ egregia de hac re diſputauit, præcipue epiſtola 120. Bias quoq; apud Auſonium breuiter & ſapienter hoc ipſum docuit quod hic Apoſtolus tradit. Ait enim, Quæ nam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti. Quis diues? qui nihil cupiat. Quis pauper? auarus. Congruit his etiam primus ille Horatij Sermo. liber mire ſuggillans cupidos illos & nunquam ſua ſorte contentos. Inſtabilitatem item & incertitudinem fluxarum opũ notat Apoſt. cũ ſubijcit, Nihil intulimus in mundũ uidelicet, nec efferre quicquam poſſumus. Cur ergo diuitijs ut propriis inhæremus, quum noſtris facultatibus iſtas neq; parauerimus neq; nobiſcum intulerimus in mundum, quas denicq; alijs ſimul

atq; poſſidere incipimus relinquere cogimur. Nullus igitúrne uſus opum, dicat aliquis? Reſpondet, Opum uſus eſt ut hominibus ſuppetant quo ueſtiantur & alantur. Hæc ubi contigerunt homini non eſt quod fraudatis reliquis ſibi cumulet, aut unus omnia occupare cogitet. Pulchre hunc locum exponens Theophylactus, Definit tandem, inquit, quid iſta ſufficientia ſit, aitq; ſufficientiam eſſe tantum rerum potiri quantum nobis ad uictum ſat eſt non ad luxum, & talibus operiri quibus tegatur non ornetur hoc corpus, ſitq; in ueſtem quodcunq; offertur. Prudentius quoq; doctiſſime hæc Pauli uerba carmine reddens, canit,

Summa quies nil uelle ſuper quàm poſtulet uſus
Debitus, ut ſimplex alimonia, ueſtis & una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus
Expletumq; modum naturæ non trahat extra.

Cæterum qui uolunt diteſcere incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas ac noxias, quæ demergunt hominem in exitium & interitum. Siquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ, quam quidam dum appetunt aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis.

Peſtis maxima eſt auaritia.

Exponit quantis cum periculis coniunctum ſit ſtudium pecuniæ & quantum malorum auaritia epiſcoporũ peſtis maxima poſt ſe trahat. Qui diteſcere uolunt, inquit, non qui diuites ſunt. Fuerunt enim ſanctiſſimi uiri diuites, nullus autem ſanctorum diteſcere uoluit. Nam diteſcere uolunt quotquot inuita, quod dici ſolet, Minerua per fas & nefas opes colligere deſtinarunt. Qui ergo ſemel apud ſeſe ſtatuerunt diuitias corradere, incidunt in tentationẽ & laqueum, hoc eſt in cupiditates multas easq; ſtultas & noxias. Tandem enim onerati deprimuntur in exitium & interitum, ut neq; preſentibus bonis neq; futuris fruantur. Id quod Lucæ 12. & 16. cap. apertiſſimis paradigmatis propoſuit dominus. Ariſtonymus quoq; in hiſtoria Auari uitã pollincturæ, id eſt cœnæ mortui comparat, ubi cum adſint cætera, lætitia deeſt. Quid uero uanius & ſtultius diuitum conſiliis uel cogitari poteſt? Habent in his primas & poſtremas ambitio, luxus & ſuperbia. Atqui iſtis polluitur ineptijs mens ad contemplationem rerum cœleſtium & æternarum condita, deperitq; adeò homo totus tam corpore quàm animo. Sequitur eñ Sententia quæ hæc confirmet & quam cum Bione ſophiſta communem habet Apoſtolus, Auaritiam eſſe radicem omnium malorum. Cui per omnia congruit quod Græcorum quidam dixere, τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι πάσης κακίας, id eſt, auaritiam eſſe totius uitioſitatis metropolim. Vnde etiam Cicero Officiorum libro ſecundo, Nullum, inquit, eſt uitium tetrius quàm auaritia. Et Philoſtratus, Non ſunt tractabiles diuitiæ, inquit, debentq; inter ardua & difficillima quæq; connumerari. Qui enim diuitijs inebriantur ſenſum ac rationem amittunt affectumq; ſequuntur impellentem ad inhoneſtiſſima quæq;. Vere enim Prudentius in Pſychomachia canit,

Neq; enim eſt uiolentius ullum
Terrarum uitium quod tantis cladibus æuum
Mundani inuoluat populi damnetq; gehennæ.
Cura, fames, metus, anxietas, periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, inſomnia, ſordes
Eumenides furiæ, monſtri comitatus aguntur.

Huius generis & alia quædam ex Salluſtio annotaui in 2. cap. 1. ad Theſſalonicenſes. Sequitur ad hæc, Quam quidam dum appetunt, ait, aberrauerunt à fide. Alibi enim auaritiam appellat idololatriam. Et ſanè fides ſcopum proponit deum, ſtudium pecuniæ cupiditatẽ. At dominus dicit, Vbi theſaurus tuus ibi & cor tuum. Corrũpuntur item animi auaritia, ſoluiturq; auro fides. Hodie etiam à uera fide longiſſime aberrant quidã qui pluris faciunt mammona q̃ Chriſtum. Interim dum ſtudioſe ſectantur opes ut has inſumãt uoluptatibus & largitionibus ad honores penetrẽt, multis ſeſe implicãt doloribus, partim

partim quod nõ sine magnis molestijs facultates sibi parant, partim uero quod illas maiori cum animi cruciatu custodiant, deniq; maxima cum pœnitudine tandem amittant, ut nunc non referam honorum pericula & uoluptatum discrimina.

Tu uero homo dei ista fuge, sectare autem iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende uitam æternam, ad quam & uocatus es & professus es bonam professionem coram multis testibus.

Conuersus iam ad Timotheum docet quæ hic deceant episcopũ imò Christianum quemlibet, ut scilicet auaritiam fugiat & quæ ex ipsa nascũtur, cogitet autem sese totum deo esse consecratũ non cupiditati & Pluto. Tu uero, inquit, qui deo consecratus es hæc indigna tua professione fugito, ueras opes sequens iustitiam, pietatẽ, fidem, charitatem &c. In his enim qui diues est uere felix ueras opes assequutus est. Qui uero hisce caret, opes uel amplissimas possidet, onus habet non opes. Iustitia unicuiq; suum reddit, neminem fraudat, neminem afficit iniuria. Pietas assiduum est dei studiũ cultus & religio uera. Fides nititur bonis æternis, aspernatur peritura. Charitas misericors est, condonat & libenter cõmunicat omnibusq; inseruit fideliter. Patientia spe immortalitatis & amore iusti perdurat in aduersis, fert æquo animo famem, nuditatem & omnium rerũ inopiam. Nouit enim meliorem esse pauperem iustum q̃ diuitem iniquum. Mansuetudo animi tranquillitas est quæ iram, uindictam, rixas & perturbatiores animi affectus compescit. Hæc uero decent episcopum Christianum, hisce assequendis atq; cumulandis opibus inuigilet, istas doceat ueras esse opes. Nam quanto animus corpore præstantior est, tanto excellentiora sunt animi bona. Certa bonũ certamen fidei. Hoc autem opus hic labor est. Conanti enim ueras animi opes assequi confertim occurrunt hostes exercatissimi, cupiditates uidelicet creberrimæ quibus infracto & audaci animo resistendũ fideq; est repugnandũ. Atq; in hoc conflictu subinde in mentem reuocandũ ad quid nos uocarit dominus, non ad uoluptates & opes parandas amplas, sed ad æterna consequenda gaudia. Difficile autem est iuxta uerbum domini diuitem ingredi in regnũ dei. Ista uero ut q̃ strenue & diligenter facias inuitat te tua professio quam corã multis testibus professus es. Sic enim ab anteactis & pristino animi rerumq; agendarum ardore ad maiora incitat. Quasi dicat, Hactenus magna constantia ueritatem prædicasti, sed & uita pia fidem tuam attestatus es adeo ut multi sint qui prædicent uirtutes tuas, perges itaq; colophonem rebus optime cœptis imponere. Alij exponũt de professione baptismatis, qua sese obuinxerit Christo, mundo autẽ & pompis eius renunciarit. In qua sentẽtia uideo esse & Ambrosium cuius uerba hæc sunt, Fidei uictoria est cum omnia uitia & crimina subiugantur, ut ad æternæ uitæ præmia ueniatur, cuius confessio inter ipsa rudimenta fidei teste interrogante & respondente monimentis ecclesiasticis cõtinetur. Et sanè non rarò trahuntur à sacramentis Christianorum argumenta in exhortationibus.

Quid deceat Christianum.

Præcipio tibi in conspectu dei qui uiuificat omnia & Iesu Christi qui testatam fecit sub Pontio Pilato bonã professionem, ut serues præceptum immaculatus irreprehensibilis, usq; ad apparitionem domini nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est ille beatus & solus princeps, rex regnantium, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem uidit nemo hominum, neque uidere potest, cui honor & imperium sempiternum. Amen.

Astringit his quoq; ueluti sacramento fidelem dei ministrum, quemadmodum in capite 5. ut præscriptas præceptiones & institutiones fideliter custodiat & officio suo in omnibus satisfaciat. Cæterum quo obstringeret episcopum sacramẽto religiosiore hunc ueluti in conspectũ cuncta uiuificantis dei producit, eiusq; professionis meminit quam

Sacramentum episcoporum.

dominus noſter fecit ſub Pontio Pilato, hoc eſt cõmonet ipſum paſſionis & mortis dominicæ, quam interim prodere uidetur quiſquis hæc inſtituta uel negligit uel relinquit. His addit ſpem & ampliſſimum ſanctorum præmium. In apparitione enim domini noſtri Ieſu Chriſti rependet dominus unicuiq; ſecundum facta ſua. Per apparitionem uero domini intelligimus uel fatalem cuiuſuis hominis diem, uel iudiciũ illud extremum quo omnis caro iudicabitur. Hic interim obiter deſcribit gloriam & maieſtatem æterni numinis, in hoc ut ſibi metueret & principi tanto adhæreret fidelius, & de auxilio & pollicitationibus eius minus dubitaret quiſquis ei ſeruit. Porrò non eſt quod hic quis à me prolixiorem expectet diſputationem de eo quomodo pater ſolus beatus ſit & immortalitatem habeat, aut quomodo lucem is habitet inacceſſam inuiſibilis, quem nemo uiderit hominum, imò ne uidere quidem poſſit. Iſta enim doctiſſime explicata ſunt à ſanctis patribus Auguſtino in primis in lib. de Trinitate dei, item ab Ambroſio cõtra Arrianos, & à Tertulliano contra Praxeam. Id uero huc maxime mihi pertinere uidetur quod in hæc Pauli uerba ſcripſit Ambroſius, Non ſolicitus, inquit, de cura Timothei tam circũſpectus eſt, ſed propter ſucceſſores eius ut exemplo Timothei eccleſiæ ordinationem cuſtodirent ipſi quoq; futuris formam tradentes à ſemetipſis inciperent. Iam cum ne minimum quidem ex his præceptionibus omnibus cuſtoditum ſit nil mirum ſi hodie conflictetur periclitetuŕq; eccleſia.

His qui diuites ſunt in præſenti ſæculo præcipe, ne elato ſint animo, neq; ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut bene faciãt, ut diuites ſint operibus bonis, ut faciles ſint ad impartiendum, libenter communicantes, recondentes ſibĩpſis fundamentum bonum in poſterum ut apprehendant æternam uitam.

De diuitibus et officijs eorum.

Multis ſanè expoſuit hactenus quanto cum periculo coniunctum ſit uelle diteſcere, iam ne quis hinc colligeret diuitem eſſe aut uti diuitijs licere nemini, pręſcribit diuitibus Chriſtianis quis uſus opum & quæ ſint diuitum officia, adeoq; ipſi epiſcopo leges fert quas demum tradat opulentioribus. Plurima uero præcepta dat. Primũ, Ne diuites ſint elato animo. Nam iuxta Diuerbium, Satietas parit ferociam: ſiue quod Solon dixiſſe fertur, Satietas naſcitur ex opulentia, ex ſatietate ferocia. Hinc uero regum ſapientiſſimus Solomon orauit dominum, diuitias ne daret ſibi, ne forte exaturatus dicat, Quis eſt dominus? Secundum præceptum eſt, Ne ſpem ponant in diuitijs. Cui non abſimile eſt illud Dauidis, Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. Sunt em̃ incertæ & perituræ. Deus æternus & Schadai ſiue Saturnus eſt qui exaturat, implet, uiuificat, fouet & alit omnia. Huius uirtus & beneficentia affatim ſuppeditat omnibus animantibus unde uiuant. Id quod Dauid pluribus exponit Pſalmo 103. Huc pertinet bona pars ſexti cap. apud Matthæum, & 12. apud Lucam. Qui uero neglecto deo uiuo, mammonæ adhærent, alibi ab Apoſtolo idololatræ appellantur. Tertium præceptum eſt, Vt ſint benefici. In hoc enim conferũtur à deo opes ut iuſte & largiter his utamur alijśq; diſpenſemus, non autem ut nos omnia occupemus ſoli. Hinc prouerbio rectè iactatum & in ſententias ſapientum eſt relatum, Auarum niſi cum moritur nil recte facere. Exempla quoq; diuitum ſanctorum patrum docent beneficẽtiam. Et dives epulo apud Lucam non ob diuitias damnatur amplas, ſed ob ferociam & auaritiam uitæ quoq; luxum & quod pauperes negligeret nec eſſet beneficus. Quod ſi obijcit dives aliquis, Verũ euacuantur ſcrinia mea Chriſtiana illa beneficentia plurimuḿq; decedit cenſibus. Hic Paulus, Diuites ſint, inquit, bonis operibus. Nam bona opera demũ ſunt ueræ opes ut nunc animi dotibus tanto plus accedat quanto magis decedit prædijs, cenſibus, ſcrinio. Quartum præceptũ eſt, Vt ſint faciles ad impartiendum, hoc eſt ut libenter communicent. Solet enim diuitum uulgus grauatim impartiri ſi quid impartitur. At deus hilarem & uolentem datorem requirit. Et munerum, iuxta prouerbium, animus optimus eſt. Sequitur ultimo loco harum

Gene. 17.
Exod 34.

præ-

præceptionum fructus, Si inquit diuites non sint elato animo, non fidant incertis diuitijs, non cumulent auare opes, sed benefici potius sint & libenter impartiãtur, reponent sibi thesaurum in cœlis, quo perfruantur ubi hinc fuerit excessum: in æterna enim uita ampliſſimas reperient opes repositas, ibi inueniẽt magnifice extructa palatia, in quibus æternum gaudebũt, id quod Apostolus occulta proculdubio antithesi desiderijs & congerijs diuitũ huius sæculi opposuit, qui toti in hoc sunt ut extruant ædes amplas, & congerant unde aliquando splendide uiuant. Verum citius quàm uellent efferuntur ex ædibus suis, & quod magno studio diu congesserunt cedit plerumq; quibus maxime nolue runt, id quod carmine uenusto cecinit poëta,

Diuitias animi solas ego iudico ueras
Qui rebus pluris se facit ipse suis
Hunc adeo ditem hunc opulentum rite uocamus
Magnarum quis sit qui uidet usus opum
Calculus at si quem misere numerandus adurit
Qui misere semper diuitias cumulet
Hic ut apes paruo crebroq; foramine fosso
Sudat in alueolo mel alij comedunt.

Hactenus uero de iusto opum usu & quanta humani generis pestis sit auaritia.

O Timothee depositum serua, deuitans prophanas uocum inanitates & oppositiones falso nominatæ scientiæ, quam nonnulli profitentes circa fidem aberrauerunt. Gratia sit tecum. Amen.

Breuissimum subtexit epilogũ, quo paterna & singulari cura omni episcopo sanam commendat doctrinam, facilem & inanem quorundam loquacitatem damnat. Atqui hoc potissimum huius epistolæ caput fuisse iam sæpius monui. Cæterum doctrinam sanam eleganti tropo παρακαταθήκην, id est commissum siue depositum, & quasi quis dicat thesaurum uocauit. Nam qua fide uir bonus depositum seruat eadem & maiore episcopus uerbum ueritatis custodit, & cauet ne qua fraude uel mutetur uel corrumpatur uel prorsus surripiatur. Porrò ex hoc thesauro demensum cibum ecclesiæ ut fidelis & prudens dispensator diuidet in tempore suo. Sana uero doctrina corrũpitur prophana uocum nouitate & prætextu scientiæ quæ speciem quidem sapientiæ habet, re uera autem seductio & impostura est. Intellexit autem Paulus quæcunq; ab hominibus aliena à uera religione inueniuntur, & speciem quidem habent religionis & pietatis, sed re uera ueritati repugnant. Cuiusmodi hodie multa inter Pontificios uolutãtur & reuolutantur tantaq; necessitate urgẽtur, ut nisi quis nouis istis formis utatur, protinus habeatur pro hæretico. Verum quis nam fit istarum quæstionum & argutationum fructus ex eo patet quod sequitur, Quam nonnulli profitentes circa fidem aberrauerunt, id quod & 1. cap. inculcauit. Proinde cum nullum sit doctrinæ genus antiquius, purius, simplicius & melius quàm quod authore Christo tradiderũt apostoli, relictis omnibus alijs soli huic adhæreamus. Ad finem epistolæ propria manu fidei notam adiecit, Gratia sit tecum.

FINIS.

ARGVMENTVM POSTERIORIS EPISTOLAE AD TIMOTHEVM.

POSTERIOREM ad Timotheum epistolam scripsit apostolus ex urbe cum iam ad Cesaris tribunal sisteretur & sese putaret interficiendũ. Disertis enim uerbis in 4. cap. Ipse iam immolor, inquit, & tempus meæ resolutionis instat. Extremum igitur uale suo dicturus Timotheo & ecclesias ipsi commendaturus, hanc scribit.

In hac præcipue hortatur ut in ueritate perstet euangelica, hancq; fideliter tradat ecclesijs, stultas uero & ineruditas quæstiones respuat.

Deinde commonet grauiter ne ab hac resiliat uel propter quorundam inconstantiam & recidiuum, uel propter persequutiones & afflictiones uarias ingruentes.

Hinc uero graphice describit quàm periculosa futura sint tempora postrema, & quod sola scriptura Canonica habeat omnia quæ ad pietatem pertinere uidentur. Huius uero præscriptionibus adhærendum & illas solas episcopo inculcandas esse ecclesijs omni conatu suadet.

Postremo & ad finem epistolæ subiungit peculiaria quædam.

Scripta est hæc epistola in Deliberatiuo potißimum genere, nec dispari multumq; discrepante à superioris epistolæ stilo. Vtilis uero & propemodum necessaria est sæculo nostro in quo multorum inconstantia, & tyrannorum minæ ac cruces plurimos abnegare uerum compellunt. Inuenient isti in hac quod erudiat retineatq; in officio.

CAP. I. PAVLVS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei secundum promissionẽ uitæ, quæ est in Christo Iesu, Timotheo dilecto filio, Gratia, misericordia, pax à deo patre & Christo Iesu domino nostro.

Inscriptio hæc nihil habet difficultatis si prima ista uerba explicatius sic reddas, Paulus apostolus Iesu Christi ad hoc non mea sponte meóue cõsilio impulsus sed dei patris uolũtate ascitus, atq; in hoc ascitus ut prædicem Euangeliũ, quod habet promissionem æternæ uitæ, quæ quidem uita est in Christo Iesu, non in uiribus nostris uel ceremonijs Iudaicis, sed in mysterio Christi. Reliqua exposita sunt in alijs inscriptionibus.

Gratiam habeo deo cui seruio à maioribus cum pura conscientia quod citra ullam intermissionem faciam de te mentionem in precationibus meis noctu dieq;, desyderans te uidere, memor tuarum lachrymarum ut gaudio replear, ubi cõmonefactus fuero eius quæ est in te non simulatæ fidei quæ habitauit primum in auia tua Loide & matre tua Eunica, certum autem scio quod in te quoq;.

Exordium. Exordium est quo se in discipuli insinuat beneuolentiam, deinde ad institutũ suum descendit. Tribus autem argumentis animum sibi obstringit discipuli. Primum, Nõ est quod te mei, ait, pudeat. Deo enim uero à maioribus meis pura seruio conscientia. Secundum, Sine intermissione intercedo pro te in meis precibus. Tertiũ, Magno teneor desyderio uidendi tui, præsertim quoties recordor lachrymarum tuarum quas in discessu meo fudisti, locupletissimas testes tuæ in me pietatis mutuiq; amoris, unde merito te uicissim amo impensissime. Inde iam digreditur ad institutum suũ, Vt gaudio replear potissimum memoria synceræ tuæ minimeq; hypocriticę religionis. Hinc eñ occasionem sumit & exhortatur ut in fide syncera perstet & hanc alijs quoq; tradat doctrina euangelij pura. Huc uero præcipue illud pertrahere debet quod tam auia, ait, quàm mater tua ueræ religionis alumnæ fuerunt. Quemadmodum ergo religionis integritas in me uelut hæreditaria fuit, ita uidetur fidei syncritas tibi à maioribus esse tradita, ut iam ipsum maiorum exemplum te ad pietatem & constantiam maxime inhortetur. Cæterum hinc plurima ducentur documenta utilia & pulchra, nempe quod orandũ sit fine intermissione.

fione. Quod uerum gaudium oboriatur non ex uitijs, sed uirtutibus. Gaudium enim quod est ex uoluptatibus carnis temporarium adeoq; momentaneum est. Quod pulchrum sit honestis & sanctis nasci parentibus, sed multo pulchrius ipsorum imitari uirtutes præclaras. Ita enim inhortatur nos scriptura ut moribus exprimamus patrem nostrum Abrahamum. Et Paulus in præsenti non iactitat maiores suos, sed id potius prædicat quod pura conscientia deo à maioribus seruiat. Damnãt enim honesta maiorum exempla filios degeneres. Colligimus præterea ex hisce Pauli uerbis licere sanctis sanctorum honestam facere mentionem. Eunicam enim & Loiden non fine laude nominat. Nam gloriam earum posteritati consecrat nunquam intermorituram.

Quam ob causſam commonefacio te ut ſuſcites donum dei quod eſt in te per impoſitionẽ manuum mearum. Non enim dedit nobis deus ſpiritum timiditatis, ſed potentiæ ac dilectionis & ſobrietatis.

Colligit ſtatum huius epiſtolæ, quaſi dicat, Cum uero tanta habeas maiorum exempla conſtantiæ fideiq;, æquum eſt ut officio & uocationi tuæ per omnia reſpondeas ſatisq; facias, hoc eſt ut ipſe pergas in religione uera, deinde hanc alijs tradas quàm puriſſime. Vtitur autem Paulus eleganti ad inſtitutum ſuum uerbo, ἀναζωπυρεῖν, quod proprie ſignificat ignem iam conditum ac ſopitum ſuſcitare. Deus enim indit nobis ſuæ cognitionis & uirtutũ ſcintillulam. Nihil enim in nobis boni poſt lapſum eſt reliquum. Præterea deus neminem trunci inſtar trahit, ſed ſtimulos addit uarios uarie commonens ut donum nobis datum ſuſcitemus. Suſcitamus autem nõ ſine illius gratia & ſpiritu, adeò ut & ſuſcitatio illius ſit: cum alibi dicat Apoſtolus dei eſſe uelle & perficere. Verum cum per fidem & gratiam filij dei & membra Chriſti ſimus facti exuſcitatio & opus illud nobis aſcribitur, & ueluti meritum nobis imputatur, cum à gratia nihil differat. Paulus in præſenti per Donum dei prophetiæ donum intellexit & functionem epiſcopalem, ad quam uocarat Timotheum dominus, ſed per miniſteriũ Pauli, qui ideo nunc dicit Donum iſtud in Timotheo eſſe per impoſitionẽ manuum ſuarum. Pari ratione dicitur miniſter Chriſti regenerare, abluere peccata, remittere peccata, exhibere corporis & ſanguinis domini myſteria. His addit Paulus poſſibile ſiue facultatem, Non enim dedit nobis deus &c. Eſt enim ſententia, Neq; deeſt tibi facultas iſta perficiendi. Nam deus contulit tibi ſpiritum ſuum ſanctum quo edoctus & confirmatus tua induſtria & uigilantia ſuſcites donum illud tibi datum, id eſt peragas tibi delegatum munus. Idem obfirmabit animum quo minus metuas aduerſariorum inſidias, calumnias & iniurias. Non enim eſt timiditatis ſpiritus, ſed fortitudinis, ſed dilectionis interim & ſobrietatis, quibus excludit audaciam & ferociam.

Status epiſtolæ.

Suſcitanda dei dona.

Ne igitur te pudeat teſtimonij domini noſtri, neq; te pudeat mei qui ſum uinctus illius, ſed eſto particeps afflictionum euangelij iuxta potentiam dei.

Pertinent iſta ad ſentẽtiam ſuperiorem. Hoc enim dicit, Proinde cum ſpiritum ſuum tibi dederit dominus, ne pudeat te euangelij quod eſt teſtimonium de domino noſtro: neq; pudeat te præceptoris tui, mei inquã, qui non ſum uinctus propter flagitia, ſed propter confeſſionem Chriſti. Docuit is cultores ſuos uarijs iactãdos eſſe cafibus, imò ipſe met paſſus eſt relinquens nobis exemplum ut inſequeremur ueſtigia eius. Iccirco συγκακοπάθησον, id eſt ſimul affligere & obdura in aduerſis unà cum Chriſto & mecum in adminiſtratione euangelica, idq; per uirtutem ſiue potentiam dei, in qua ſola uincemus omnia aduerſa. His æqualia propemodum leguntur ad Romanos cap. 1. Apud Marcum in 8. cap. legimus dominũ dixiſſe, Quemcunq; puduerit mei ac meorum ſermonum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit me illius cũ uenero in gloria patris mei cum angelis ſanctis. Ad hunc uero modum intrepide confiteri & prædicare nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, & animo perpeti infracto quæcunq; hic mũdus propter Chriſtum in nos deuoluit, id demum eſt donum dei in nobis ſuſcitare. Ergo quemcunq; pu

duerit Christi & sanctorum eius eo quod in hoc mundo infeliciore utantur fortuna, is talentum sibi datum defodit in terram & ueluti malæ fidei seruus merito abiicitur. Et sanè in uniuersum non est quod nos pudeat euangelij & ministrorũ eius, quod illud crucifixum Christũ prædicat, hi uero ueluti excrementa orbis fuerint impijs. Nam ut cum cruce & ignominia prædicatur diuina potentia, resurrectio & ascensio ad cœlos Christi, ita immortalia sanctorum prophetarum, apostolorum & apostolicorum uirorum monimenta, miracula quoq; præclara testantur integritatem, & prædicãt laudem ipsorum. Itaq; extremam particulam, Iuxta potentiam dei, referre potes ad totum negotium dei. Quasi dicat, Perdura nobiscũ in malis & aduersitatibus expendens interim diuinã illam potentiam, qua ille filium excitauit ex mortuis olim & nunc quoq; ministros suos glorificare & potenter ex omnibus malis eripere potest. Quod si gentibus & fidei nostræ hostibus mors uiolenta & calamitosa morienti aut interempto parit ignominiam, certè bona pars optimorum philosophorum ignominiosa erit. Id quod non dabunt nobis. Socrates enim cicutam in carcere bibens extinctus est. Senecam absumpsit Cæsaris rabies. Antonij gladius amputauit Ciceroni caput, ut infinita alia taceã exempla. Interim nulla cum laude interit qui ob culpam aut facinus commissum supplitio afficitur capitis. Ob benefacta pati laudem modo habet iustam.

Qui saluos fecit nos & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra sed secundum suum propositum & gratiam quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palam facta est nunc per apparitionẽ seruatoris nostri Iesu Christi qui mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit ac immortalitatẽ per Euangelium:

Summa euangelij.

Summam Euangelij omnem nunc breuibus subtexit, non tantum ut formam sanæ doctrinæ præscribat & refricet, sed ut euincat ex ipsa re Euangelij ipsum longe augustius esse quàm cuius quenquã pudeat. Duo autem in uniuersum traduntur Euangelio. Primum, Salus per Christum parta siue peccatorum remissio. Secundum, Pœnitentia siue uitæ custodia ac sanctimonia. Hæc ad hunc modum docuit dominus apud Lucã in cap. 24. Paulus, Deus inquit saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta. Ad hæc explicanda adijcit, Non secundum opera nostra. Ambrosius legit, Non secũdum merita nostra uocauit & saluauit nos sed secundum suum propositum & gratiam. Id quod Nazareos & Pelagianos refutat, quos nullibi non impugnat. Cæterũ illa gratia & illud propositum dei tale est quod per filium uult saluare credentes. Hoc propositum dei mera gratia est. Nam priusquàm hic mundus fieret deus æterno suo decreto, nõ propter merita nostra sed propter bonitatem suam decreuit nos seruare, idq; per Christum, quem nuper orbi exhibuit quemadmodum olim per prophetas promisit. Iam planè quod per Christum omnem plenitudinem acceperimus exponit, Qui sumpto quidem corpore mortali per mortem crucis aboleuit mortem, & per resurrectionẽ aperuit uitam credentibus omnibus. Nam Euangelium iussit prædicare omnibus. At Euangelio offertur credentibus omnibus immortalitas. Hæc alijs in locis exposui copiosius, præsertim in 2. & 3. cap. ad Galatas, in 1. & 2. cap. ad Ephesios, item ad Colos. 2. Quem uero pudeat prædicationis tam sanctæ, utilis & diuinæ?

in quod positus sum ego præco & apostolus ac doctor Gentium, quam ob caussam & hæc patior, attamen nõ erubesco. Noui enim certusq; sum quod is cui credidi potens sit depositum meum custodire in diem illum.

Pauli fides in uinculis.

Hisce caussis ostendit cur non debeat Timotheum Pauli pigere atq; pudere. Tametsi enim uinctus sim, inquit, tamen nõ ob facinora, sed propter ministerium meum in hoc discrimen ueni. Præcepit mihi dñs ut gentibus lucem & uitam in Christo prædicarem.

Prædicaui

Prædicaui. At ideo Iudæi me in uincula coniecerunt. De qua re lege Acta Apostolica & Ephes. cap. 3. Iam cum causa ob quam patior iusta sit, sanè uincula mihi mea gloriosa potius quàm probrosa esse arbitror. His accedit causa alia cur nõ erubescat, Noui & certus sum quod is cui me totum credidi depositum meum id est memetipsum salutẽ animam & incolumitatem meam ad eum usq; diem quo me ex hisce erepturus est terris, seruare idemq; multo cum fœnore restituere potest si quid hic perire uidetur. Ea de causa & Apostolus Petrus, Proinde qui affliguntur inquit iuxta uoluntatem dei tanquam apud fidelem cõditorem deponant animas suas benefaciendo. Apud hunc solum est uera conscientiæ quies, in fide hac solida est salutis immota certitudo.

Formam habeto sanorum sermonum quos à me audisti cum fide & charitate quæ est in Christo Iesu. Egregium depositum seruato per spiritum sanctum qui inhabitat in nobis.

Sana doctrina ecclesijs tradenda.

Repetit hic summam causæ, inculcans ut puram doctrinam illibate custodiat & pure ecclesijs custodiendam tradat. Allusit autem ad pictoriam siue glyphicen, cum dicit ὑποτύπωσιν ἔχε. Nam ὑποτύπωσις designatio & deliniatio est qua aliquid subijcitur oculis ueluti pictura aut linearum tractu. Vnde Theophylactus hunc Pauli locum exponens, Tanquam pictor inquit descripsi tibi & formaui imaginẽ, quam ipse aduertens animo tuo depingas & sanorum uerborum formam à uero nihil aberrantium exempli habeas loco, ita ut si quid tibi in posterũ erit effigiandum ab ea desumas, in ea nanq; uerborum forma recluduntur omnia. Hæc Theophylactus. Adiungit huic formæ fidem & charitatem. Tota enim doctrina Euangelica hæc duo tradit capita, & per eandẽ fidem & charitatem exponenda tractanda & exploranda sunt omnia negotia religionis. Cæterum hæc ipsa fidei & charitatis hoc est sana & apostolica doctrina illud est egregium depositum quod bona fide seruandum cõmendat & hic & in superioris Epistolæ 6. cap. Tim. Ostendit item facultatem qua possit seruare depositum, nempe per spiritum sanctum, non per facultates & uires humanas sed per spiritum dei, qui in hoc per Christum nobis datus est, ut quæ nobis desunt ille sartiat. Igitur si hunc seruauerimus neq; abegerimus prauis facinoribus, seruabit & ille nobis quæcunq; à deo consequuti sumus.

Nosti hoc quod auersati fuerint me omnes qui sunt in Asia quorũ est Phygelus & Hermogenes. Det misericordiam dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpe me refocillauit & catenam meam nõ erubuit, sed cum esset Romæ studiosius quęsiuit me & inuenit. Det ei dominus ut inueniat misericordiam apud dominum in die illo. Et in quàm multis Ephesi ministrauerit melius tu nosti.

Deficiunt hypocritæ à ueritate.

A doctrina sana duo potissimum auertunt mentes hominum, Inconstantium et praue de religione sentientium exemplum doctrinaq;, & persequutio siue afflictio mundi. Proinde Paulus illa amolitur iam ut fidelem episcopum retineat in officio. Profecto dici facile non potest quantũ animi piorum defectione concutiantur hypocritarũ. Et Romę à Paulo defecerãt qui illic erant Asiani siue Ephesij pleriq;, inter quos primarij erãt Phygelus & Hermogenes. Videntes enim infortunijs diuexari atq; proscribi Christianos & præcipuum eorum doctorem teneri in uinculis, cum ipsi interim sperauerant pacem, honores, tranquillitatem & uoluptates, periculis sese subducentes è consortio recesserunt Christianorum Paulumq; ipsum neglexerunt tanquam ignotissimum. Aliâs enim non lego istos duos cuiusquam dogmatis hæretici aut peregrini authores fuisse. Quod enim Tertullianus contra Hermogenem quendam scribit, omnino alius fuisse uidetur, præsertim cum doctrinam istius nouellam uocet & eundẽ suo tempore uixisse asseueret. At certum est Tertullianum uixisse sub Antonio Carcalla, annis post passum Christum plus minus 150. Proinde uerisimile est hos duos à Paulo hic tantum ob defectionem fuisse accusatos. Dicit enim ἀπεστράφησάμε, id est auersati siue aspernati sunt me. Neq; dubium est quin plures fuerint, potissimos enim tantum nominauit. Alij exposuerunt de Ephe-

sianis omnibus in Asia agentibus, cæterum coactius id quidem. Tempus enim non exprimitur: unde legi potest, Auersati sunt me qui erãt in Asia. Et Theophylactus, Paulus inquit cum esset à Nerone comprehensus à cunctis est mox destitutus qui in Asia erant fidelibus, hoc est qui ex Asia Romam concesserant. Iam ne intempestiuo & infelici nuncio Timothei animum nil tale expectantem aliquis sauciaret, prudenter præuenit Apostolus, & rem incognitam ueluti notissimam refert, Nosti dicens quod qui mihi in Asia adhærere cœperunt dum Romam uenirent & me in uincula cernerent coniectum, uelu ti ignotissimum spreuerunt. Atqui ne exemplum infaustum & corruptissimum offende ret, imò & ad defectionem solicitaret, exemplum protinus adiungit contrarium Onesiphori, quod quidem expositum est. Nec quenquam offendat quod unum opponit plu ribus. Pluris enim est uir iustus, fortis & constãs unus, q̃ corruptorũ multa millia. Hic inquit non erubuit uincula mea, sed studiose quæsiuit & dño disponẽte admissus est ad colloquium meum. Quemadmodum uero dum Ephesi agerem multa in me beneficia contulit, ita Romæ sæpe æstu afflictionum agitatum refocillauit, & multis mihi inseruiuit beneficijs & officijs humanitatis. Illud uero animaduertendum quod toti familiæ bene cedit patris familiâs beneficium in ministrũ dei collatum. Proinde si nobis quoq; bene esse uolumus misericordes simus. Beati enim sunt misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Phygelus & Hermogenes non paucos hodie habent imitatores. Inuenias enim hypocritas quosdam qui rebus euangelij saluis & animam & facultates omnes ad euangelij prædicationem posituros iurãt, at infeliciore & calamitoso tempore ab isto in tantum deficiunt, ut ne nomen quidem uel euãgelij uel ministrorũ eius agnoscant aut etiam audire sustineant. Ita uero amicus certus iuxta prouerbium in re incerta cernitur, & iuxta Simeonis sententiã immittitur à domino gladius ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Quemadmodũ autem Asiani isti defectione sua sibi æternam pararunt ignominiam, ita nostri quoq; ineluibilem sibi maculam inurunt. Viuit autem æternum fidelis ille Onesiphorus noster apud deum, nec memoria & laus nominis eius honestissima unquam apud homines intermorietur. Sectemur itaq; si nobis cõsultum uolumus egregia ista sanctorum exempla. Voluptates & honores huius sæculi lubricæ sunt, quæ cultores suos amatoresq; tandem in cœnum ignominiæ demergunt.

CAP. II. Tu igitur fili mi fortis esto in gratia quæ est per Christum Iesum, & in his quæ audisti à me per multos testes. Hæc commenda fidelibus hominibus qui erunt idonei ut alios quoq; doceant.

Iterum repetit scopum negotij totius. Igitur contemptis inquit inconstantium & nihili hominum exemplis, meum ac Onesiphori imitare & esto constans in euangelica pietate quæ nobis per Christum prædicat gratiam & peccatorum remissionem. Expende hic quoq; quod hanc doctrinam & tibi & alijs non in angulis sed palàm & sicut decebat lucis & ueritatis doctrinam coram multis testibus tradidi, ut non possis de eius fide & certitudine ambigere. Robore ergo animi sumpto confirma te in ueritate, deinde uero alijs quoq; hanc tradito propagandam. Hic autem uideris quibus hoc officij commiseris. Non enim alij quàm idonei tantis rebus sunt præficiendi. Et qui alios optima docere debet necesse est ut ipse sit doctissimus & optimus. Doctissimos igitur & optimos adde & fidelissimos deliges quibus hoc muneris demandes. At de his plura disputauit in superiore epistola. Colligimus uero hinc ad ueritatis propagationem præsertim facere si non tam curemus ut ipsi constantes simus in uero, quàm ut idoneos & pios ordinemus uiros quibus demandetur ueritas propaganda.

Tu igitur feras afflictionem ut bonus miles Iesu Christi. Nemo qui militat implicatur uitæ negotijs, ut ei qui se in militiam delegit placeat. Quod si certet etiam aliquis non coronatur nisi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Cogita

quæ

quæ dico. Det enim tibi dominus in omnibus intellectum.

Hortatur ad patientiam.

Quia autem constantia in ueritate euangelica parit afflictionem, afflictio autem solicitat ad defectionem, hinc secundo loco hortatur ad patientiã Apostolus dicens, Tu itaq; feras animo æquo infractoq; afflictionem. Subiungit argumentum ab officio, Vt bonus miles Christi. Habet enim & Christus suam militiam, in qua exercentur episcopi Christiani dum cum periculo uitæ aduersus impietatem, idololatriam, errores, scelera, hæreticos & sataneæ phalanges pugnant, uigilant, laborant, & uaria experiuntur mala. Porrò ex ea allusione aliquot producit similia, quibus breuitas nonnihil affudit obscuritatis. Primum huiusmodi est, quemadmodum milites τοῖς τοῦ βίου πραγματείαις, id est uitæ negotiationibus, id est ijs quæ ad uictum uitæq; usum pertinent non implicantur posteaquam sese semel dediderunt militiæ, sed toti in hoc sunt ut strenuitate sua sese approbent imperatori: ita episcopus quoq; Christianus posteaquam semel fuerit initiatus Christo & ministerio uerbi ipsius, omnia illa mundi negligere ad solum imperatorem Christum respicere, & ut suo satisfaciat officio anniti debet. Secunda parabola talis est, Sicut non satis est decertasse in certaminibus Pancraticis, nisi etiam quis certet legitime, ita non satis est functionẽ obijsse episcopalem nisi eandem administremus iuste. Athletæ multa sunt cum perferẽda tum facienda, permulta quoq; episcopo in militia Christi usuueniunt uel patienda uel agenda. Coronantur non omnes qui decertarunt, sed illi tantum qui legitime certauerunt, præmium itaq; accipiunt episcopi coronam immortalitatis non omnes qui dicuntur episcopi, sed quicunq; segnauiter & strenue gesserint in militia ecclesiastica. Verum tertia similitudo præcipue præmium pollicetur. Quemadmodum enim agricola, inquit, primum percipit de fructibus agri, quem multo excoluit labore & industria: ita laboranti episcopo, uigilanti, & multa propter Christum perferenti fructus debetur immarcessibilis uita sempiterna. Cæterum cum ista omnia propo suisset uerbis & sententijs admodum accisis, adijcit nunc quo ipsum excitet & attentiorem reddat dicens, Cogita & expende quæ dico. Et cum iustus intellectus reueletur à domino, hinc iterum subiungit, Precor autem dominum ut tibi & hæc & alia aperiat mysteria. Falluntur ergo qui literæ nimium adhærentes contendunt scripturam plane non esse exponendam.

Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum euangelium meum, in quo malis affligor quasi facinorosus usq; ad uincula. At sermo dei non fuit uinctus. Propterea omnia suffero propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna.

Exemplũ Christi & sanctorũ.

Exemplo Christi & suo docet Timotheum & episcopũ quemlibet afflictiones æquo perferre animo, utpote ex quibus utilitatis non parum perpetuo oboriatur. Iam inquit expende quod Christus dominus ueram carnem assumpserit de semine Dauid, quod in hac ipsa afflictus, crucifixus, mortuus & sepultus sit, rursus quod in hac ipsa die tertia resurrexerit, illo utiq; nobis præferens exemplum patientię, hoc uero spem aperiens uictoriæ. Hoc enim est præcipuum illud quod euangelio meo mihi concredito traditur. Deinde quid ego quoq; patiar cogita, & inde tibi patientiæ pete exempla. Nihil aliud hactenus prædicaui quàm euangelium de Christo filio dei & Dauidis, at ueluti facinorosus interim ueluti latro blasphemus & nebulo aliquis seditiosus detineor in uinculis. Atqui ista omnia æquo perfero animo. Non enim id tantum specto quod multis afficior malis, quod algeo, esurio, sitio, ignominia & contumelijs afficior, sed quantum illa afflictio mea frugis ac emolumenti afferat fidelibus. Ergo cum uideo uincula mea sanctis esse usui, & quod prædicatio mea multis aperit Christum omnium cœlestium bonorũ thesaurum & uim uiuificam saluificamq;, uolens omnia perpetior. Hinc uero uiuendi exemplum petito. Porrò quod aduersarij mei ac hostes ueritatis euangelicæ credunt se ueritate euangelica plurimũ incõmodaturos uinculis & afflictionibus quibus excarnificẽt

Verbū dei non eſt alligatum.

ueritatis miniſtros, ſpe ſua penitus falluntur. Nã ſermo dei non eſt alligatus, imò ne uinciri quidem poteſt. Veritas immortalis eſt. Hanc tamen impĩ opprimere penitusq; conantur excindere, hinc uero miniſtros capiunt, tormentis afficiunt & trucidant, atqui cum his euangelica ueritas non magis fit alligata q̃ tibiæ harmonia & modulandi ars: poteſt em̃ hac confracta ſumi altera per quã fiat modulatio: incaſſum laborant. Tametſi enim miniſtros uerbi capiant & cædãt plurimos, ipſum tamen miniſterium & uerbum dei uincire & excindere nequeunt, imò excitat in trucidati locum alium miniſtrum dominus, cuius miniſterio in ueritate propagãda utitur. Vincula ergo & cædes ſanctorum ueritatis prædicationem non ſubuertunt, ut ſanctis hic minus ſit metuendum.

Certus ſermo, Nam ſi mortui ſumus & conuiuemus, ſi ſufferimus & conregnabimus, ſi negamus & ille negabit nos, ſi increduli ſumus, ille fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt.

Præmĩs iam ſupplicĩsq; prolicit ad patientiam ſiue malorum tolerantiam. Præmittit autem exordiolum quo conſequẽti antitheſi fidem parat, Quod inquit dicturus ſum certum & indubitatum eſt. Eſt autem hoc quod dicturus ſum, Si mortui ſumus, id eſt ſi mala cum Chriſto ſufferamus cum eodẽ & uiuemus. Sequitur enim antitheſis alia quæ hanc exponit, Si ſufferimus cõregnabimus. Petita ſunt hæc ex 16. cap. Matth. & Ioan. 12. Sequũtur ſupplicia, Si negamus, & ille negabit nos: quæ quidem Paraphraſtes hiſce uerbis explicauit, Si hic illum fortiter profitemur apud homines, agnoſcet & ille nos in ma

Matth. 10.

ieſtate ſua. Sin illum abnegabimus (abnegat autẽ qui crucem recuſat) futurum eſt ut in extremo die formidabilem illam uocem audiamus, Neſcio uos. Si fidimus illi, noſtræ ſaluti conſulimus: ſin diffidimus, nihil decedet illi. Siquidẽ ex noſtra de illo opinione neq; profectus eſt illi neq; diſpendium. Ille natura uerax eſt neq; poteſt ſui eſſe diſſimilis. Siue credimus ſiue non credimus eueniet quod ille promiſit, pĩs immortalitas, impĩs mors æterna. Hæc eſt baſis euangelicæ doctrinæ. Tantum Paraphraſtes.

Hæc admone, conteſtans coram domino, ne uerborum pugnas ſequantur ad nullam utilitatem ad ſubuerſionem audientium.

Capulum rei quarto petit & ab inutilitate doctrinæ diuerſæ ſiue peregrinæ adhortatur ad conſtantiam in pura & ſimplici euangelica ueritate. Hæc ait quæ docui & tradidi hactenus uera & indubitata ſunt, itaq; perſiſtito in ĩs, eaq; uiciſſim alĩs tradito ea ſyncere ritate qua accepiſti. Deinde conteſtare coram domino & per ſacra omnia, ne uerborum pugnas ſequantur. Adde cauſſam, Neq; enim quicquam omnino utilitatis habẽt, deinde ſubuertunt auditores. Alĩ legerunt, Ad nihil utiles ſunt niſi ad ſubuertendum auditores. Plura require in 6. cap. 1. epiſtolæ.

Stude teipſum probatum exhibere deo operarium, non erubeſcendum, recte ſecantem ſermonem ueritatis: cæterum prophanas uocum inanitates prætermittito, ad maiorẽ enim proficient impietatem, & ſermo illorum ut cancer morbus paſtionem habebit.

Quia uero non deerant qui dicerent contentionem & uerborum pugnas diſputationẽ ſue utiles eſſe, Apoſtolus autem ſciret obeſſe, uehemẽtius nunc præcipit ut epiſcopus uerbum tantũ ueritatis prædicet atq; hoc quidem iuſte tractet, & diſputationes fugiat, utpote quæ non tantum ad nihilum ſint utiles, ſed ad maiorem quoq; proficiant impietatem, id quod pulchre illuſtrat ſimilitudine petita à morbo cancri. Locus uiſus eſt uetuſtis interpretibus eſſe difficilis, in quo explicando ſeſe admodum torſerunt. At mea quidem ſentẽtia uidetur Paraphraſtes hunc feliciter expoſuiſſe, cuius uerba hic aſcribo, Tu potius omiſſis iſtiuſmodi digladiationibus ſtude teipſum exhibere operarium euangelicum, non diſputatorem: & probatum operariũ, non hominibus ſed deo, & ſic in euangelico negotio te geras ut illi qui te delegit non ſis erubeſcendus. Id fiet ſi recifis ſuperuacaneis diſputationibus ad fidei compendium uoces euangelicam doctrinam, & diſcuſſis perplexarum quæſtionum ſpinetis recto iudicio ſeces ſermonem dei ea tantum

proponens

proponens quæ ad salutis & pietatis negotium proprie pertinent. Cæterum inanes uerborum disceptationes fortiter reiice, quæ si semel receptæ fuerint paulatim gliscet uenenum, & semper ad maiorem proficient impietatem, & tandem res eò deueniet ut inualescentibus humanis dogmatibus ac dissertationibus obruatur, obscuretur & obsolescat uigor euãgelicæ doctrinæ. Siquidem sermo istorũ si semel aures & animos simpliciũ occuparit semper latius serpet, non aliter q̃ cancer in corpore animãtis non definit paulatim occupare partes uicinas, donec exitiũ attulerit. Quo magis statim in ipsis initijs occurrendum est malo, ac resecandum est potius quàm fouendũ priusquam radices agat. Hactenus Paraphrastes. Ex quibus opinor liquere quis sit ordo uerborum & genuinus loci sensus. Nostrũ erit anniti quo & nos exhibeamus nosmetipsos operarios deo non erubescendos. Id autem fiet si recte & iuste secemus uerbum dei. Vtrinq; enim sunt extrema permultum excedentia, inter quæ medium est tenendum. Et Græcorum scholia monent metaphoram sumptã esse à securi aut gladio quo resecantur inutilia & superuacanea. Cæterũ λογομαχία καὶ κενοφωνία non modo sunt superuacanea, sed impia prorsus, & quæ progressu & exercitatione usuq; ad maiorem excrescunt impietatem, adeo ut tandem hominem his deditum prorsus perdant. Vnde non immerito cõparantur cancro. De Gangrenæ uero siue Cancri morbi ratione & remedijs præceperunt medici. A morbis autem in omnibus professionibus frequenter ducuntur similia.

Quorum de numero est Hymenæus & Philetus qui circa ueritatem aberrarunt, dicentes resurrectionem iam esse factam & subuertũt quorundam fidem.

Exempla profert quibus ea quæ dixit illustret adeoq; & confirmet. Est enim sensus, Quàm uero pernitiosum ac contagiosum sit pura & simplici ueritate relicta conuerti ad inquisitiones & concertationes humanas, declarat nobis Hymenæi & Phileti exemplũ. His enim magis adlubuit humanis rationibus scrutari & expendere rationem resurrectionis nostræ quàm puræ ueritati credere. Quid factum est? eò peruenerunt dementiæ ut asseuerent resurrectionem iam esse factam. Tertullianus enim in libro de Resurrectione carnis author est quosdam adhuc suo uixisse sæculo qui asseuerarent resurrectionem esse factam, at ea interim uerborum figura ut simplicioribus uiderẽtur eandem asserere. Verba eius hæc sunt, Sunt qui resurrectionem mortuorum manifeste annunciatam in imaginariam significationem distorquent asseuerantes ipsam etiam mortẽ spiritualiter esse intelligendam. Non enim hanc esse in uero quæ fit in medio dissidium carnis atque animæ, sed ignorantiã dei per quam homo mortuus deo nõ minus in errore iacuerit q̃ in sepulchro. Itaq; & resurrectionẽ eam uindicandã qua quis addita ueritate redanimatus & reuiuificatus deo ignorantiæ morte discussa uelut de sepulchro ueteris hominis eruperit, quia & dñs scribas & pharisæos sepulchris dealbatis adæquauerit. Exinde ergo resurrectionem fide consecutos cum domino esse cum baptisma induerint. Hoc deniq; ingenio etiã in colloquijs sæpe nostros decipere consuerunt quasi & ipsi resurrectionem carnis admittant. Hæc Tertul. Ad eundem nimirum modum docuerunt & hi duo cum Alexandro, cuius in 1. cap. prioris epistolæ meminit resurrectionem iam esse factam. Video tamen Ambrosium diuersum quiddã sensisse. Existimat enim docuisse istos nullam nobis aliam expectandam resurrectionem q̃ qua in liberis nos referẽtibus quodammodo renascimur ac reuiuiscimus. Cæterum hæc quidem opinio admodum uidetur esse crassa, superior quę à Tertulliano est expositа plus habet ingenij & gratiæ. Hac uero quorundam subuertebãt fidem. Labefactata enim mortuorum resurrectione, tota fides subuersa iacet. Tollitur item metus pœnarum & præmiorum spes. De qua re copiosius disputatum est in 1. ad Corinth. 15. & 1. ad Thess. cap. 4. Porrò ex hoc curruptissimorũ hominum exemplo colligere potes quomodo disputandi studium & uocum inanitates ad maiorem proficiant impietatem, & quod sermo impostorũ ut cancer morbus proxima quæq; membra occupat & depascitur. Proinde si saluum uolumus corpus ecclesiasticũ, maneamus in simplicitate & puritate fidei, fugiamus studiũ concertandi & innouandi.

Resurrectio mortuorum.

Solidum tamen fundamentum dei ſtat habens ſignaculum hoc, Nouit dominus qui ſint ſui, & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Chriſti.

Tametſi ſurſum et deorſum uoluantur opiniones humanæ, ueritas tamen perſtat.

Occupatio eſt. Hoc enim eſt quod dicit, Sed periculum non eſt ne hæreticorum perſuerſitas uniuerſam ſubuertat religionem Chriſti. Nam ſolidum dei fundamentum ſtat ſtabitq; in ſæcula perpetuo immotum. De hoc fundamento loquitur ad Corinth. Apoſtolus & ait, Fundamentum aliud nemo poteſt ponere prꝛeter hoc quod poſitū eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Super hoc fundamẽtum ædificata eſt eccleſia, contra quam ne portæ quidem inferorum prævalebunt. Ædificantur uero ſuper hanc petrã pĩ per fidem, quæ ueluti glutino committũtur petræ ut & ipſi ſint immobiles. Id quod Paulus ſignificauit per alluſionem ſiue allegoriam ſigilli. Quorum enim corda per fidem & ſpiritũ ſanctum obſignata ſunt, ĩ in gregem numerati dominicam cauent ſibi ab erroribus, & perpetuo exercitio purgant ſe à criminibus. Fidem igitur & cuſtodiam uitæ tanq; inſigne habent quo internoſcuntur ab impĩs, idem illi à uero non diſcedunt, ſed in finem uſq; perſeuerant. Huc pertinet quod apud Ioannẽ dixit dominus, Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quiſquam de manu mea. Itaq; dei ſunt quos nouit dominus, nouit autem oues ſuas, oues ſunt qui credũt. Item nomen Chriſti nominat qui nomen Chriſti profitetur. Quiſquis autem Chriſtum uere profitetur à dogmatum errore & quauis diſcedit iniuſtitia. Hic ubi uidet à uero & corpore eccleſiaſtico deficere hypocritas, cogitat paleas neceſſario ſeparari à tritico, tantum abeſt ut & ipſe ad abnegationem propendeat. Iſta uero omnia uehementer conſolantur pios ob defectionem & inconſtantiam quorundam plus nimio ſolicitos. Huc pertinet & parabola, quæ ſequitur.

Cæterum in magna domo non tantum ſunt uaſa aurea & argentea, uerumetiam lignea ac teſtacea, & alia quidem in honorem, alia uero in contumeliam.

Neq; uero diuerſitas iſta, ait, cuiquam uideatur noua, nempe quod in eccleſia adeoq; mundo toto uidemus uaria eſſe hominum ingenia. Videmus enim in ampla diuitis domo non ſolum eſſe uaſa aurea & argentea, ſed lignea quoq; & argillacea: item non eundem uſum eſſe omnium. Deputata enim ſunt illa uſui honeſto ut ex ipſis edatur aut bibatur, hæc uero inhoneſto ut ĩs excrementa egerantur. Itaq; & mũdus hic adeoq; eccleſia ipſa (qualiter & Ambroſius intellexit) quę ſummi dei ueluti domus eſt, bonos & malos continet. Aurea enim & argentea uaſa ſignificant uiros bonos & pietati cõſecratos: at lignea & teſtacea ſignificant peruerſos homines. Eſt tamen & in his differentia quemadmodum & in illis. Vt enim aurum præſtat argẽto, argillacea item uaſa ligneis ſunt meliora, ita inter pios alĩs alĩ ſunt excellentiores, quemadmodum & inter malos alĩ ſunt nequiores alĩs. Significat præterea diſpar uaſorum uſus pios quidem ſeruãdos, impios uero eſſe damnãdos. Nemo igitur fuerit qui non maxime cupiat uas eſſe honoris. Id uero quomodo fieri poſſit docet conſequentibus.

Si quis igitur expurgarit ſeipſum ab his erit uas in honorem ſanctificatum, accommodum uſibus domini ad omne opus bonum præparatum.

Sancti expurgant ſe ab iniquitate mundi.

Simul autẽ propoſita ſpe & præmio ampliſſimo pro inſtituto ſuo adhortatur, ut reiectis hæreticis & hæreſibus in ſimplicitate euangelica perſeueremus. Quod ſi quis nolit appellari uas ligneum ſeu argillaceum uſibus deputatũ inhoneſtis purget ſe ab iſtis quæ pollutum & reiectitium uas efficiunt, ab impietate ſcilicet, incredulitate, à uerborum pugna & concertatione ambitioſa, credat autem uerbo domini, ambulet in ſimplicitate, & erit uas honorificum ac purum, accommodum ad glorioſos uſus ſemper domino ſuo paratum quoties uſus poſtulabit. Hinc uero intelligere licet quomodo prædicanda ſit peccatoribus pœnitentia. Sunt qui auſpicentur hoc negotium à prouidentia dei philoſophantes

losophantes ad hunc propè modum, Præuidit ab æterno dominus quos ſeruare, quos item perdere uelit. Illos ergo cõdidit ad gloriam, hos ad ignominiam. Quod ſi quis uas eſt ad ignominiam deſtinatum, nulla reparabitur pœnitentia, ſoli autem electi ad uitam uere pœnitent. Cæterum nemo uel apoſtolorum uel apoſtolicorum uirorum unquam ſic prædicauit, quin potius, Si quis, prædicarunt, expurgarit ſeipſum à ſceleribus erit uas in honorem, & ad omne opus bonum præparatum. Neminem ergo pudeat eam imitari in prædicanda pœnitentia & ſanctimonia rationem quam uidet ab apoſtolis domini eſſe ſeruatam.

Iuueniles autem concupiſcentias fuge, ſectare uero iuſtitiam, fidem, charitatem, pacem cum his qui inuocant dominum ex puro corde. Stultas autem & ineruditas quæſtiones reſpue, ſciens eas parere pugnas.

Explicatius enarrat quomodo ſe expurget, & ſeſe accommodum uſibus domini paret, ſi inquam iuueniles fugiat concupiſcentias, libidinem uidelicet, ineptias & uoluptatis ſtudium, imò quæcunq; iuuentutem impetunt atq; corrumpũt, ſi ſectetur iuſtitiam, fidem, charitatem & pacem, pacem inquã non cum quibuslibet. Nam uitio dabitur nobis ſi cum hoſtibus domini cum hæreticis & ſceleratis hominibus pacẽ habeamus, hoc eſt ſi impij nobis placeant, ſi cum impijs bene nobis cõueniat. Addit ergo, Cum his qui inuocant dominum ex puro corde. Id quod Theophylactus explicans in eandem nobiſcum expoſitionem conſentiens, Illis ſolum cõfide, ait, qui non ſimulate nec dolo dominum inuocant, qui pacifici ſunt & minus contentioſi, cum talibus inquam uerſare. Alibi enim iubet nos ſcriptura amicitiam deuitare malorũ, ne in eandem ruinam ſecum nos pertrahant. Præcipue uero parabis te, inquit, dignum deo operarium & uas ſanctificatum ſi ſtultas & ineruditas quæſtiones reſpueris. Pariunt enim iſtæ pugnas, at concertatio uaria ſecum mala trahit quibus dedecoratur ſanctus dei miniſter, quemadmodum expoſitum eſt in 5. cap. 1. epiſt. ad Timotheum.

Porrò ſeruum domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docendum, tolerantem malos cum manſuetudine, erudientem eos qui obſiſtunt, ſi quando det illis deus pœnitentiam ad agnoſcendum ueritatem, & reſipiſcant è diaboli laqueo capti ab eo ad ipſius uoluntatem.

Qualiter ſe erga aduerſarios gerat epiſcopus.

Hiſce epiſcopum informat, præſcribens qualiter ſe gerat erga aduerſarios, ne forſan quis colligeret hos aſperis correptionibus prorſus eſſe repellendos. Occaſionem ab eo ſumpſit quod iamiam præcepit, Stultas & ineruditas quæſtiones reſpue, ſciens eas parere pugnas. Subdit igitur nũc, Atqui ſeruum domini haud decet eſſe pugnacem, ſed placidum magis ac quietum erga omnes tam amicos quàm hoſtes. Sunt enim quidam paratiores ad obiurgandum & conuitiandum q̃ ad docendum. Huiuſmodi rixantur non docẽt. Oportet autem epiſcopum eſſe διδακτικὸν qui poſſit docere & aduerſarium ipſa re & ueritatis luce magis urgere q̃ conuitijs atq; dicterijs laceſſere atq; grauare. Oportet hunc & ἀνεξίκακον eſſe, id eſt tolerantem malos uel mala. Ad utrumq; enim tam ad perſonam quàm rem refertur. Hoc eſt talem oportet eſſe epiſcopum qui nõ facile irritetur, ſed qui cum mãſuetudine & aduerſariorum importunitatem & ipſos aduerſarios ferat, non repellat protinus, ſed erudiat magis obſiſtentes tanta fide & lenitate ut aduerſarij intelligant agi hic de ſalute ſua non de uictoria & priuato commodo. Deniq; ipſa charitas Chriſtiana uetat de quoquam deſperare temere. Fieri enim poteſt ut qui per acerbam repulſi fuerant obiurgationẽ & ſeſe totos ſeruitio dediderant diaboli, adeò ut eius imperio & uoluntati per omnia obtemperarint hactenus, nunc per modeſtam & amicam inſtitutionem fibijpſis reddiri incipiant reſipiſcere, & ſeſe è diaboli laqueo utpote hæreſi aut alio quopiam flagitio nefando excutere. Ex quibus uerbis liquet quantum hodie peccetur nimia ſæuitia quorundam epiſcoporum qui ad damnãdum, quàm docendum ad obiurgandum atque mordendum quàm corripiendum ſanandumq; promptiores

ſunt. Deinde claret quàm uani ſint qui precibus & concionibus ſacris contẽptis ad prouidentiæ dei decretum recurrẽtes clamant, Si præordinatus ſum ad uitam, nullus hanc mihi eripiet: ſi uero ad mortem deſtinatus ſum, nulla concio ſacra cõuertet, proinde nulla mihi opus eſt concione ſacra. Longe enim ſecus hic iudicat Apoſtolus.

CAP. III. Illud autem ſcito quod in extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatum amantes potius quàm dei, habentes formam pietatis, ſed qui uim eius abnegarint, & iſtos auerſare.

Vaticinium de moribus poſtremi ſæculi.

Diſſeruit ſpeciatim de ſui ſæculi doctoribus falſis & uafris ignominiæ, id eſt hominibus corruptis, & quod pij ſibi caueant ab illis, nũc generatim uaticinatur de poſtremi ſæculi hominibus conſceleratiſſimis & pſeudoprophetis uaniſſimis, hoc eſt de periculoſiſſimis temporibus, ſimul præſcribens quomodo pij citra diſcrimen & naufragium fidei ex tantis eluctentur periculorum fluctibus, nempe ſi inſiſtẽtes apoſtolorum ueſtigijs ſcripturæ firmiter adhæreant ſanctæ quæ omnia abunde tradat quæ ueræ ſunt pietatis. Principio autẽ ſuis coloribus dura illa grauia ac periculoſa depingit tempora in quibus nos uerſari hodie nemo eſt qui neſciat niſi qui communi ſenſu caret. Erunt inquit homines φίλαυτοι, id eſt ſui amantes. Dicuntur enim & prouerbiali figura Philauti, qui ſibi uehementer placent, quiq; ſuis ipſorum commodis impenſe ſtudent aliorum rebus uel neglectis uel afflictis etiam. Id uitij Plato malorum omnium fontem autumat. φιλάργυροι auari ſiue pecuniæ ſtudioſi. ἀλαζόνες faſtuoſi, id eſt glorioſi iactantes res magnas cum ſint uaniſſimi. ὑπερήφανοι ſuperbi efferentes ſeſe cum contemptu aliorum & iactura. βλάσφημοι maledici tam deo quàm hominibus, quò pertinẽt obtrectatio, mendacium, ſuggeſtio, & ſi quæ alia his cognata ſunt. Parentibus immorigeri, non tam qui non obediunt à quibus prognati ſunt quàm ijs qui loco ſunt parentum, ut præceptoribus, magiſtratui, doctoribus & tutoribus. Ingrati benemeritis. ἀνόσιοι impij ſiue ſceleſti. ἄστοργοι carentes affectu erga ſuos, uxorem uidelicet liberos & parentes. ἄσπονδοι neſcij fœderis. De quo dixi quædam ut & de alijs nonnullis in 1. cap. ad Romanos. Calumniatores ſiue delatores. Qui enim ſibi nullius boni cõſcius eſt omnes ut inuidus carpit & crimina tur. Intemperantes cibo uidelicet, potu, ueſtitu & reliquis ad uitæ uſum pertinentibus. Immites ut beluas uerius dixeris quàm homines. ἀφιλάγαθοι, negligentes bonorum, ſiue non amici bonis, aut ut Theophylactus expoſuit bonorum omniũ hoſtes. Proditores ſiue deſertores amicitiæ & ſodalitatis, & qui tam amicos quàm beneuolos produnt. προπετεῖς præcipites & temerarij. Theophylactus exponit, proterui, hoc eſt inſtabiles nil rati aut penſi habentes. Inflati ſiue turgidi. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, id eſt uoluptatum amãtes magis quàm dei. Venuſtiora autem ſunt Latinis Græcanica, ſed & uſitatius eſt apud nos hoc uitium quàm cõueniat. Sectamur enim omnes carnem ac uoluptates, deum & ſanctimoniam ueram curat nemo. Interim uero ſpeciem habemus bonorum uirorum, cum re uera ſimus peſſimi & per omnia Phariſæis ſimiles, de quibus in Euangelio dixit dominus quod foris apparuerint hominibus iuſti, intus uero pleni fuerint fictione & iniquitate. Ita & Paulus in præſenti, Habẽtes, inquit, formam pietatis, ſed qui uim eius abnegarint. Hoc ipſum etiã ſic exponi poteſt, Alijs quid facto opus ſit præſcribentes, cum ipſi interim uiuant impuriſſime. Hac enim ſignificatione uſurpauit μόρφωσιν in 2. cap. ad Romanos Apoſtolus, dicens, Confidis te eſſe doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac ueritatis per legem. Ipſus igitur ille qui alium doces teipſum nõ doces &c. Et iſtos inquit auerſare, ab his tibi caueto. Id quod non Timotheo tantũ, ſed nobis præcipue dixit in quos deuoluta ſunt iſta periculoſiſſima tempora quæ tot habent uiua huius loci & deſcriptionis exẽpla quot alia nulla, ut uerbis non ſit opus quibus explicetur, mores huius ſæculi noſtri ipſum illuſtrant.

Ex his

Ex his enim sunt qui subeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentijs uarijs, semper discentes, nec unquam ad cognitionem ueritatis uenire ualentes.

Doctoribus falsis hæc competunt maximè. Et elegans quidem huius rei exemplum inuenies apud Irenæum in lib. 1. cap. 9. ubi Marci Valetiniani exponit hæresim & uitam impurissimam. Sunt & alia multa apud ueteres de Martionitis & Manichæis. Apud nos multo plura suppeditauit nobis infelix monachorum factio, & Catabaptistarum fœda commixtio. Imperit autem satan mulierculas hoc nomine libētius quod conatus ei non infeliciter cessit in Eua. Neq; uero quasuis aggreditur matronas. Sunt enim plures Sarę, Rebeccæ, Rahel, Hester & Iudith, sed σεσωρευμένα, id est aceruo peccatorum adobrutas atq; opertas, leues aliâs & ad superstitiones propensas, quæq; quod non innituntur pietati solidæ circumaguntur cupiditatibus uarijs, uanitate uidelicet, delicijs, lasciuia, superbia & uoluptatibus, non contentæ semel percepisse pietatem ueram. Subinde enim noua quædam discere gestiunt, illaq; sua curiositate ascisciūt sibi doctores qui doceant illas, ut eleganter dixit Paraphrastes, nihil scire nec unquam perducant ad cognitionem ueritatis. Vera certè & absoluta pietas non discit perpetuo, operatur autem perpetuo quæ didicit compendio. *Mores pseudoprophetarum.*

Quemadmodum autem Iannes & Iambres resistebant Moysi, ita hi resistūt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed non proficient amplius. Siquidem amentia istorum euidens erit omnibus quemadmodum & illorum fuit.

Exemplo illustrat istorum malitiam, simul & interitum & confusionem ipsorum ad sanctorum consolationem prædicit. Porrò nomina impostorū à quibus hic exemplum ducit Apostolus non prodūtur in historia sacra, id autem traditur quàm diligentissime quod sophi siue sophistæ ac magi quidam sese opposuerunt Mosi seruo dei. De quo lege 7. cap. Exodi. Nomina ergo tenuit Paulus uel ex traditione antiquitatis, uel ex reuelatione sancti spiritus. Quemadmodum autem isti restiterūt ueritati mendacijs, adulationibus, tyrannide, prodigijs & signis falsis, sapientia item falsa & fauore principis corrupti: ita nostri sæculi sophistæ, monachi, & sacerdotes fauore abutuntur principum, miracula contra nos producunt, mentiūtur, & falsa instructi sapientia ueritati euangelicæ renascenti obsistunt. Hic iterum suis eos pingit coloribus in transcursu, Homines, inquit, sunt mente corrupti & reprobi circa fidem. Hoc est, homines sunt deplorati, quippe qui non modo corruptissimum gerunt affectibus, libidine, ira, ambitione, superbia & auaritia animum, uerumetiam fidem & puram ueritatem ad suos ipsorum deprauant affectus, detorquētes religionis capita omnia ad suum quæstum. Quod quàm plene hac impletum sit ætate ab illis qui Theologiæ columina uideri uolunt deplorandum magis est q̄ describendum. Sequitur nunc iudicium dei & impostorū confusio, hoc est piorum consolatio, Sed non proficiēt amplius. Habet enim præscriptas metas impietas ad quas ubi impegerit concidit. Quemadmodum igitur Aegyptiorum magorum stultitia & impietas iudice deo subuersa est: ita amentia istorum euidens erit omnibus. In 8 cap. Exodi describitur quomodo impostura magorum fuerit detecta & scientia eorum confusa. Hodie quoq; euangelica ueritate corruscante & multorum illustrāte corda cognoscitur amentia stultitiaq; pseudoprophetarum. Ignorantia nostra conciliauit ipsis authoritatem & opinionē sanctimoniæ, itaq; fides nostra uericq; cognitio detrahit illis leoninum, ut palàm fateamur nō modo illos esse amentes, sed nos quoq; fuisse egregie stultos, qui rebus usqueadeo ludicris & nihili adhibuerimus fidem. Igitur uera ueritatis cognitio ipsissima est superstitionis & mendaciorum destructio. Ideoq; si cupis fundere Antichristi phalanges, cura ut ueritas euangelica pure prædicetur. Quicunq; enim per totum orbem homines animum & oculos receperint, lamias istas posthac nec timebunt nec curabunt. *Confidentia et confusio pseudoprophetarū.*

Tu uero assectatus es doctrinam meam, institutionẽ, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, patientiam, persequutiones, afflictiones, quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persequutiones sustinuerim: & ex omnibus eripuit me dominus, sed & omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu persequutionem patientur.

Exemplum apostolicum.

Corruptissimis exemplis & hominibus suum exemplũ proponit imitandũ. Quasi dicat, Isti instructi sunt suis artibus quibus imponunt hominibus, sibiq; honores, uoluptatem existimationemq; in terris parant non mediocrẽ, tu uero perstitito in his quæ à me didicisti, fidẽ & patientiã. Nosti enim qualis fuerit doctrina mea, hoc est quomodo singulos in fide instituerim, qua cõmoditate ac ratione, item quod meũ fuerit propositum, gloria scilicet dei per Christum, animarum salus & honestas publica. Non enim spectaui doctrina mea quod solent multi applausum hominum honores & quæstum, sed gloriam dei. Nosti qua fide quantáue constantia fecerim omnia quanta cum charitate et longanimitate. Nosti præterea quod uoluptates spreuerim semper. Nosti quanta pro nomine Christi passus sim, quanta item patientia tulerim aduersa, persequutiones & afflictiones, præsertim uero Antiochiæ, Iconij, & Lystris, de quibus copiose disseruit Lucas in Actis cap. 13. & 14. Quorsum uero hæc pertinent? ut quilibet episcopus exemplum imitetur apostolicum, gloriam dei quærat, uoluptates aspernetur fortiq; animo toleret aduersa propter nomen Christi inflicta. Et in omnibus quidem afflictionibus id præcipue consolari debet quod dominus apostolum Paulũ ex omnibus liberauit afflictionibus. Hinc enim colligere licet quod neminem sibi fideliter seruientem & sancte inuocantem sit deserturus. Huc pertinet & illa generalis sententia, Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Cui per omnia respondet illa in Actis apostolorum & ipsa Pauli sententia, Oportet per multas afflictiones intrare in regnũ dei. Habet enim hic mundus cultores suos diaboli filios qui perpetuo pijs se opponunt, defensantes superstitionem, uoluptates et res alias illicitas & corruptibiles. Nec deerunt pij qui istas impugnabunt, itaq; fiet ut continuo inter se bello conflictentur ciues urbium Cain & Abelis. Huc pertinet & magna pars 10. cap. Matth.

Porrò mali homines & impostores proficient in peius, dum & in errorem adducunt & errant ipsi.

Felicitas et prouectus impiorũ

Theophylactus hunc locum pulchre exponens, Nil uelim propterea obturberis, inquit, si in delitijs illi, in pressuris uitam hanc ipse degas, sic enim fert ipsarum rerũ natura. Inisti certamen, desudes necesse est. Est quidem planè insulsum quietem certando & otiũ quærere. Illi enim peruersi & seductores tametsi uidentur proficere haudquaquã in melius prouehuntur, cum in erroribus eorũ omnis constat esse prouectus. Vt autẽ in peius illud quod dixerat explicaret, hos & in errores inducere & errare subiecit. Hæcille. Duplici ergo nomine punientur à deo & quod ipsi uero non obediant uel ab eo desciuerint, & quod alios quoq; suo inuoluant errore. Ne igitur quenquã posthac offendat aut in mali consortium trahat malorum felicitas & successus. Quod enim proficiunt, in malo & in suum ipsius maximum detrimentum proficiunt. Quod prosperitate plurimos post se trahunt, hoc magis à deo punientur quo plures seduxerint.

At tu perstitito in his quæ didicisti & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Perseuerandũ in doctrina sua

Iterum repetit summam causæ inferẽs quid faciat episcopus & quomodo saluis integrisq; mercibus ex tantis enauiget procellis, si uidelicet perseueret in doctrina & exemplo apostolorum. Vt autem hoc faciat adhibet præclara argumenta: quasi dicat, Vtcũq; ergo isti suis fruantur prosperitatibus & in malo proficiant & erroris sui complices & turbas post se trahant frequentissimas, tu tamen immoto in his quæ didicisti perstistes animo.

animo, Non enim didicisti illa tantum, sed à me tibi concredita sunt, id est per spiritum sanctum multa cum certitudine & fide indubitata ea didicisti. Huc enim pertinent quæ sequuntur. Ab authore enim ducens argumentũ, Nosti inquit quod non ab aliquo par ui momẽti uiro doctus es, sed à Paulo Iesu Christi apostolo, imò ab ipso spiritu sancto. Deinde educatus es in sacris literis à maioribus tuis (erat enim matre Iudæa natus Timotheus, & pro more gentis in lege & prophetis institutus à puero) quibus ea confirmari doceriq; nosti quæ tibi tradidi, utiq; ueterem iustam & sanctã religionem, non nuperam & pridem domi nostræ excogitatam. Iam sequitur præconium & utilitas scripturæ sacræ. Literæ sacræ inquit possunt te ad salutem erudire, si modo has exponas per fidem quæ Christo Iesu innititur. Et Theophylactus hæc exponens egregie, Non ait ut exterior hæc est mundana scientia, hominem ad fallacias circumuentiones & concertationes uerborũ erudit sic diuina illa nos instituit, quin potius ad salutẽ instituit. Quam illam? si quæras, Non eam certè quæ operibus cõstat & uerbis, sed quæ in fide Iesu Christi consistit. Nam cum sacra hæc scripta hominem in Christum ut credat inducunt salutem ei haud dubiam pariunt. Hæc ille.

Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia ut integer sit dei homo ad omne opus bonum apparatus.

Scriptura omnia plene tradit quæ pietatis sunt.

Iustam laudem scripturæ canonicæ subiũgit cui nos per omnia inniti & obsequi præcepit, docens hanc omnia ea continere quæ ad ueram pietatem conducunt. Theophylactus putauit hæc de Canonica scriptura ideo esse adiecta quod Paulus paulò post dicturus esset se interficiendum fore, ergo ne animo prorsus cõsternaretur Timotheus, utpote qui intelligeret præceptore se priuãdum, consolationis gratia dixisse illum, Habes mei uicarias scripturas sacras quæ te leuare tibiq; prodesse poterũt, à quibus petas quæ à me uiuo petisti. Significanter autem dicit, Omnis scriptura θεόπνευστος, id est diuinitus inspirata. Hac eñ nota deprehendimus de qua loquatur scriptura. Nam sunt philosophorum quoq; libri, sunt sapientum monimenta, uariiq; generis humana scripta. De his uero nihil loquitur, sed de scriptura tantum Canonica de qua iamiam dixerat, Scis quod à puero sacras literas noueris. Nam de his confitemur quod à spiritu sancto sint inspiratæ, testificante etiam Petro apostolo in hæc uerba, Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi loquuti sunt sancti dei homines. Hæc inquit scriptura utilis est. Deinde per species enumerat ad quid utilis sit. Primo ad doctrinam, hoc est ad expositionem & demonstrationem earum rerum quæ de deo, de pietate & uera felicitate scire refert. Secundo πρὸς ἔλεγχον, id est ad conuincendum siue redarguendum eos nimirum qui resistũt ueritati, aut hanc suis ignorantiæ nebulis offundere uolunt. Tertio πρὸς ἐπανόρθωσιν, id est ad corrigendũ siue, ut Ambrosius uertit, ad redintegrandum restaurãdumq; si quid collapsum sit in religione aut peccatum moribus hominum. Quarto πρὸς παιδείαν ad castigationem siue disciplinam ac informationem in uera innocentia & integritate uitæ, nẽpe ut homini deo dedicato nihil desit quo minus sit consummatus plenèq; instructus ad omnia pietatis officia. Habes in his omnes partes solidæ & absolutæ doctrinæ. Abeant igitur ad coruos quicunq; dicunt scripturis Canonicis non omnia quæ pietatis sunt esse comprehensa, & ideo consiliorũ & hominum institutis quæ desunt sarciẽda, quæ etiam parem obtineãt cum scripturis authoritatem. Cæterum cum primum illud falsum esse ex hoc Pauli loco coarguatur, consequẽs est id quoq; falsum esse quod ex falso collectũ est. Paulus tanta de scripturis ueteris testamenti pronunciauit, nondum emerserant in lucem omnia noui testamenti opera. Vnde coniectare licet quid pronunciasset si hæc quoq; uidisset omnia, cum tam liberaliter de istis est testificatus. Sufficiant ergo hæc nobis quæ ad ueram pietatem sufficere ex apostolica traditione credidit antiquitas, & si quid docendũ est, si tradenda dogmata aut excutienda, si errores & hæreses ueniunt reuincendæ aut confutandæ, si quid repurgandum est ab asperginibus humanæ insipientiæ, si quid reparãdum, aut alicuius mores sunt corri-

gendi: breuiter ſi quid in religione agendum, ad ſcripturas recurramus, ex illis petamus recte gerendi adminiſtrandæq; pietatis & iuſtitiæ formulas. Abunde enim omnia tradit quæ pietatis ſunt. Quod autem id quidã non agnoſcunt, hinc eſt quod à paruis non inſtituuntur in ſacris, & quod illas ſibi familiares non faciunt. Qui enim diligenter uerſati ſunt in ſacris nihil in his deſiderant, hisq; contenti ſolis, omnia ex ipſis petunt. Danda igitur opera ut ſcriptura Canonica aſſidue epiſcoporum uerſetur manibus, eamq; per omnia tam probe & in numerato teneant q̃ norunt ſuos ipſorum digitos. Vere enim Theophylactus, Si Timotheo ait ſpiritu ſancto oppleto de eiuſmodi lectione cõſcripſit, quanto magis ſumus & nos ad eam hortãdi qui ſpiritu hoc indigemus? Profecto in noſtri ſæculi turbis & acerbis de religione concertationibus peſſimisq; corruptiſſimorum hominum exemplis in portum tranquillitatis nequaquam præueniemus, niſi relictis omnibus commentis & conſtitutionibus humanis tutæ ſcripturarum naui nos uehendos pura ſimplicitate & cura fideli committamus.

CAP. IIII. Obteſtor igitur ego coram deo & domino Ieſu Chriſto qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos in apparitione ſua & in regno ſuo, prædica ſermonẽ, inſta tempeſtiue, intempeſtiue, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina.

Conteſtatione & ſacramento obſtringit his epiſcopum quemlibet, ut reiectis inerudi tis quæſtionibus & concertationibus ſtultis pergat doctrinam ex ſcripturis ſanã tradere eccleſijs. Obteſtatione autem utitur admodum graui ſed expoſita, quam ſi expenderent quidam noſtri ſæculi epiſcopi melius, non obijcerent tanta obſtinatia ſacramentum ordinario neſcio cui præſtitum, Apoſtolus enim diſerte dicit, Obteſtor per deum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum iudicem uiuorum & mortuorũ, ut prædices ſermonem euangelicum. Non ait, Vt prædices Pontificum Decreta, ut Miſſam facias, & horas Canonicas demurmures, ſed ut euãgelium prædices, eoq; modo quo præſcripſi prædices. Inſta tempeſtiue & intempeſtiue, id eſt quacũq; occaſione & modo quouis. Argue, id eſt protrahe in lucem tenebriones, corripe delinquentes. Exhortare ceſſantes. Increpa perſeuerantem in errore & peccantem impudentius, ſed ita interim acrimoniæ obiurgationis admiſcebis lenitatem & doctrinam, ut reus intelligat hic agi de ſalute ſua. Nam qui acerbius increpat uidetur & odiſſe & ſtomachum petulantius releuare. Lenitas ergo adhibenda eſt increpationi. Qui item decertat non docet, litigare uidetur non boni doctoris officio ſungi, ita ergo ueritas aſſeueranda eſt contra repugnantes, ut doceamus interim uera, pura & ſancta eſſe quæ aſſeueramus. Quæ quidem oñia ſancte & aſſidue ſunt ab epiſcopis recolenda ut in neutram partem hic peccent, & ne quid nimis.

Nam erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruabũt ſibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur.

A ueritate auertuntur ad fabulas conuertuntur.

Iſaiæ 30.

Cauſſam ſubiungit cur hæc urgeat tantopere. Hoc magis inquit eccleſijs ſanam inculcare iubeo doctrinam, quod ſpiritus reuelet, quale poſthac futurum ſit ſæculum, huiuſmodi ſcilicet, quod ſanam Chriſti doctrinã abijciet, fabuloſamq; religionem quandam ſuſcipiet. Id quod diuus Ambroſius hiſce uerbis expoſuit, Tales dicit futuros qui proderijs ſuis doceri ſe uelint, ut à magiſtris conſtantibus ac ueracibus ad hos conuertantur qui hæc illos doceant quæ libenter audiant. Quia ueritas illis aſpera uidebitur ut relicta ſana doctrina fabulis uacent. Nolunt enim argui maligna opera ſua, quare tales uolunt magiſtros qui ſeruiant moribus eorum. Pruriunt enim aures eorum ut audiant fabulas uanitatum compoſitas ſub nomine doctrinæ quibus delectentur. Tantum Ambroſius. Quod nulli ætati tam proprium eſt quàm noſtræ, in qua uidimus neglecta iacuiſſe ſancta de fide iuſtificante, de uera & interna ſanctimonia, deq; uero dei cultu, de officijs pietatis, reliqua item huius generis dogmata, pro his autem prędicata eſſe neſcio quæ themata de operibus ſupererogatiuis, de monaſtica perfectione, de conſiliorum

authori-

authoritate, de inuocatione sanctorum, de cultu & ueneratione reliquiarum. Vidimus propemodum sepulta iacuisse sacrosancta euangelia, & pro his prædicatas esse quas uocant legendas sanctorum, monachorum conscriptas conceptásue contiones, miracula & exempla, quorum quidam egregie temerarius asinus plenum aperuit mundo promptuarium in quo licet amplissimo nulla tamẽ est uel mica salis. Hæc uero maluerũt audire scortatores, usurarij, adulteri, patriæ proditores, idololatrę, auari, iudices corrupti, milites, aleatores, fures, ebrij, perfidi & reliqua satanæ turba, quàm sana Christi præcepta de pœnitentia uitæq; innocentia. Tales etiã hodie dum prædicatur doctrina sana quærunt qui scalpant aures uoluptate orationis, fugiunt ab his qui radunt ueritate, interim non subterfugient illius iudicium qui auribus ipsorum occlamabit, Ignẽ ipsis paratum esse sempiternum, in quo unà cum magistro satana æternum ardeant.

At tu uigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage euãgelistæ, ministerium tuum ad plenum probatum reddito.

Epilogus est quo repetit omnia quæ hac præcipue epistola disputauit, eaq; nunc infigit altius mire breui præceptiuncula. Opus euangelistæ peragit qui euangeliũ pure prædicat nec ullis persequutionibus aut aduersitatum fluctibus depulsus, clauum abijcit. Et quod sequitur τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον id est ministerium tuum ad plenum probatum reddito, hunc habet sensum, Fac ita uerseris in ministerio tuo, ut plene persuadeas ea quæ doces infigasq; penitus animis ne facile abducantur ab his qui diuersa conabuntur docere.

Nam ipse iam immolor & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonũ decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui, quod superest reposita est mihi iustitiæ corona quam reddet mihi dominus in illo die qui est iustus iudex, non solum autem mihi sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius.

Aliam nunc causam exponit ob quam tantopere urgeat & sanam doctrinam Timotheo prædicandam committat. Hoc inquit uehemẽtius urgeo ista, quo certius me immolandum noui. Cupio eñ exemplum pię conuersationis & sanæ doctrinæ in te relinquere, ut per traducem nunquã desint idonei fideles q; doctores. Alludens uero ad ueterum sacrificia σπένδομαι id est Immolor dixit pro eo quod est interficior. Et gratissimũ est deo sacrificiũ uictimaq; omniũ præstantissima qui propter nomen Christi & euangelij confessionem mactatur ab impijs. Hinc uero colligimus Paulum cum hæc scriberet in ea fuisse sententia quod se crederet breui interficiendum. Cęterum ne tam triste nuncium exanimaret discipulum consolationis gratia adiungit consequentia, tum ut exemplo suo & præmio proposito adhortaretur ad constãtiam & simile pietatis fideiq; studiũ. Quasi dicat, Ego nunc quidem hinc migro, tibi omnia ministerij euangelici & pastoralis curæ committo. Ipse uero fide optima inseruiui domino meo, ideo is repositã mihi coronam reddet, qui & eandem tibi redditurus est si modo tu quoq; nõ defueris officio tuo. Non igitur est quod obitum meum defleas, annittere potius ut meum imiteris exemplum. Allegoria uero qua hic utitur ab athletis militibus atq; cursoribus sumpta est. His quoq; proponitur corona peritura præmij loco. Sanctis autem bona cum fide certamen domini decertantibus corona immarcessibilis proponitur uita sempiterna. Est igitur iustitiæ corona, præmium illud sempiternæ uitæ quod iustitiæ cultoribus redditur. Per diem uero illum obitus diem intellexit. Et deum in præsenti ideo appellauit iudicem iustũ, quod in articulo illo mortis sibi fidentes sua spe minime fruſtrat, impios autẽ & perfidos meritis cruciatibus æternum excarnificat. Quod enim Paulus hic sibi indubitata fide pollicetur, hoc ipsum promittit omnibus, fore scilicet ut omnes qui fidem Christo seruant et ideo aduentum eius uel in hora mortis uel in die iudicij intrepida expectant conscięntia, recepturi sint immortalitatis coronam. Qua quidem promissione oñes ad sui imitationem prouocauit. Quæ iam sequuntur fortassis adiecta sunt posteaquam Paulus Cæsa-

ris ſententia eſſet abſolutus. Hactenus enim ſcripta uidetur epiſtola ut extremũ uale dice ret Timotheo, quod iam ſe putaret à Cæſare interficiẽdũ, atq; ideo extremis hiſce finita ſit uerbis. Vbi uero iam abſolutus eſſet eandẽ nihilominus miſit, ſed cõſequẽtia adiecit.

Da operã ut uenias ad me cito. Nam Demas me reliquit, amplexus præſens ſæculum & profectus eſt Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas mecum eſt ſolus, Marcũ aſſumptum adducito unà tecum, eſt enim mihi perutilis ad miniſterium. Porrò Tychicum miſi Epheſum.

Familiaria ſunt nec operoſa opus habent expoſitione. Vocat ad ſe Timotheũ ut eius opera utatur in miniſterio uerbi uel Romæ uel in Italia uel alio quopiam in loco. Et hactenus quidem Demæ uſus fuerat miniſterio, at hic uel perſecutionibus territus uel ſæculi huius illecebris illectus à ueritate euangelica defecerat, & iam ſectabatur mundanas uoluptates, huiuſq; rei gratia ſeſe receperat Theſſalonicam. Eſt autem hic Demas exemplum omnium eorum qui otium & uoluptates ſectantes in tuto quàm in periculis eſſe malunt, & ideo euangelium ut inauſpicatam ac turbulentam prædicationem deſerunt. Atqui non agnoſcet perfidos hoſce deſertores in iudicio dominus, neq; unquam quæſitis potientur prò animi uoto uoluptatibus. Fiunt enim ſatanę martyres tandem qui pro Chriſti nomine cum gloria & ſpe immortalitatis uel tantillum pati noluerunt. Quod uero meminit Tychicum ſeſe miſiſſe Epheſum, argumentũ eſt quod Timotheus tum non egerit Epheſi, ſed in alia quapiam eccleſia. Quanq̃ paulò poſt iubeat ſalutare Oneſiphori familiam, unde alius colligere poterat iſtum adhuc hæſiſſe Epheſi, ſed perinde eſt. Hinc enim religioni nihil uel accedit uel decedit. Si uero quem offendit Demæ non obſcuri hominis defectio, eundem conſoletur uirorum iſtorum clariſſimorum, Creſcentis, Titi, Lucæ, Marci & Tychici, uirilis & pia conſtantia. Nam hi nulla uel itinerum uel hoſtium pericula pro Chriſti nomine ſubire detrectarunt, quemadmodũ turpiſſimus ille nebulo pro nomine Chriſti ne uel tantillum perpeti ſuſtinuit.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, cum uenies apporta, & libros, maxime autem membranas.

Suppellex apoſtolica.

Hæc ideo ſibi adferre præcipit quod abſolutus cogitaret de inſtituẽda noua quapiam in regiones profectione, fortaſſis in Hiſpanias, ut etiã his prædicaret Chriſtum. Ad iter enim & inſtitutum ſuum iſta admodum erant idonea. Nam penula pallij genus eſt quo utebantur arcendis pluuijs ueteres Romani. Hieronymus uertit lacernam. Germanice *ein wättermantel*. Sic enim & Iuuenalis Satyra 5. penulam deſcribens canit,

Fremeret ſæua cum grandine uentus
Iuppiter & multo ſtillaret penula nimbo.

Et Aelius Lampridius in uita Alexandri Seueri, Penulis, inquit, intra urbẽ frigoris cauſa ut ſenes uterentur permiſit, cum id ueſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet. μετὰ τὰ βιβλία, Libros quoq; apportare iubet uel certè Biblia, uel alios libros. Erãt enim & hi Paulo ad profectionem & inſtitutũ ſuum maxime idonei, ſicut & membranæ, quæ epiſtolis ſcribendis ſeruiunt. Quanquam exponi poſſit Paulum eos potiſſimum libros poſtulaſſe quos ſcriptos cerneret in mẽbranis. Pugnat hic locus cum Anabaptiſtarum moribus. Nam ut omnem ueſtem unica eaq; ſimplici excepta repudiant, ita & libros contemnunt. Eraſmus autẽ digne hic exclamat in Annotationibus, O ſuppellectilem apoſtolicam, penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot haud dubie ſacros. Nunc quantum eſt caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum quas referre non libet?

Alexander faber ærarius multis malis me affecit, reddat illi dominus iuxta facta ſua, quem & tu caue. Vehementer enim reſtitit ſermonibus noſtris.

Ambro

Ambrosius putat hunc Alexandrum Demæ collegam fuisse. Videri poterat is quoq; esse cuius meminit in 1. cap. prioris epistolæ. Verum nihil certi hic afferri potest. Coniecturæ enim sicuti hic ita alibi quoq; fallunt sæpe. Docet autem hoc Alexãdri exemplum quod multis malis sanctos suos exerceat dominus, ut & nos discamus patiẽtiam. Quod ergo adiungit, Reddat illi dominus iuxta facta sua, non est imprecantis, sed denunciãtis interitum. Quanquam non raro in sacris sanctorum imprecationes quibus impios deuouerunt, suppliciumq; ipsis imprecati sunt, ut me nihil offendat si legas, Reddat, non reddet. De qua re alibi. Merito autem talem euitandum admonet. Qui enim uerbum ueritatis oppugnat, & ministris uerbi uera docentibus resistit, is plane deserendus atq; fugiendus est. Deploratus est etenim.

In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omẽs me deseruerũt. Ne illis imputetur: sed dominus mihi adfuit & corroborauit me ut per me præconium expleretur & audirent omnes gentes, & ereptus fui ex ore leonis, & eripiet me dominus ab omni opere malo, seruabitq; in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

E *præsentissima morte liberatur Paulus.*

Pericula & liberationem ex illis denunciat. Veteres ergo ex hoc loco non temere collegerunt Paulum Romæ aliquot annis in custodia detentum libera, sententia tandẽ Cæsaris absolutum commigrasse ad alias regiones Europæ quibus prędicarit Christũ. Certè in epistola ad Romanos testatur se ubi Romam uiderit profecturũ in Hispaniam. Cæterum hac narratione consolatur Timotheum, docens in quanta pericula incidant sancti, rursus uero q̃ fideliter eruantur potentia prouidentiaq; altissimi. Cum primum mihi ait agenda esset causa coram Cæsare, ob quam scilicet Romam uinctus ueneram, omnes me deseruerunt, nimirum metu territi. Ea enim est hominum imbecillitas, ut sese in rebus difficilibus subducãt periculis. Fecerunt hoc ipsum & apostoli Christi deserentes dominum afflictum iam atq; uinctum. Propter hanc igitur infirmitatem, Ne illis imputetur ait Apostolus, Humanum enim erat quod designarant, destinata malitia haud ea uenia digna est. Non dubitarim hic tamen Apostolum synekdocha esse usum, utpote qui dixerit se ab omnibus desertũ cum pleriq; modo deseruissent. Hinc uero collige quid sit fidere aut inniti hominibus. Verum nequaq̃ destituti sunt omni auxilio quos fefellit humana lubricitas, dñs enim suos nõ destituit. Ideo sequitur, Sed dominus mihi adfuit & corroborauit me. Ibi enim diuinum incipit ubi hominũ cessauit auxilium. Sed & in Euangelio pollicitus est dominus se suis daturum os & sapientiam cui nemo possit resistere. Sic itaq; ereptus fui, ait Apostolus, ex ore leonis: id quod pleriq; de satana exposuerunt quem S. Petrus appellarit leonem rugientem, ego de Nerone Cæsare expono, propterea quod scriptum sit Prouer. 28. Leo rugiens & ursus excurrens est princeps impius populo pauperi. Atqui nemini obscurum est Neronem inter tyrãnos primas facile obtinere. Addit & finem ob quem à deo fit liberatus, Vt per me fides euangelica plenè persuaderetur mundo confirmaretur̃q;, hoc est ut omnes Gentes plene audirent à me præconiũ fidei euangelicæ, & pastore suo oues nimis adhuc teneræ ante tempus non destituerentur. Ipsa enim experientia docet quanti referat si per initia innouatarũ rerum uiri quibus omnis nititur causa & innouatæ rei administratio non intereant protinus, sed tantisper durent donec assuetudine quadam obfirmetur populus. Itaq; deus ista liberatione ecclesiæ magis q̃ Paulo consulit, qui alibi testatur desiderare se ut hisce ereptus malis apud Christum uiuat. Porrò ex præsenti illa liberatione colligit dominum sibi nunq̃ posthac defuturum, sed erepturum ex malis omnibus, præcipue autem à malefactis, ne quid ab euangelica deflectat synceritate, seruaturumq; ad æternam gloriam. Ita enim & Dauid sæpe ex beneficijs dei cõfirmat fidem suam & colligit se alia quoq; à deo tam munifico & liberali accepturum beneficia. Huic soli debetur omnis gloria.

Saluta Priscam & Aquilam & Onesiphori familiam, Eraſtus mansit Corinthi, Trophimũ autem reliqui in Mileto languẽtem. Da operam

ut uenias ante hyemem. Salutat te Eubulus & Pudẽs & Linus & Claudia & fratres omnes. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia uobiſcum, Amen.

Non eſt quod in his hæreamus exponendis, cum ſæpe iam oſtenderimus uſum huiuſmodi Salutationum & Catalogorum. Quod autem Trophimum reliquit in Mileto languentem, manifeſte conuincit quod apoſtolis non licuerit quoties liberet deſignare miracula, ſed quoties infideliũ poſceret infirmitas & diuina iuberet uirtus. Aliâs enim chariſſimum ſibi diſcipulum & perutilem ad miniſterium ſacrũ reſtituiſſet ſanitati: nũc uero id nec facit nec facere poteſt. Facultas ergo & conſilium agendi, non hominis ſed dei ſunt. Cui gloria ſemper.

FINIS.

AD HEINRYCHVM VTINGERVM STVDIORVM PATRONVM HEINRYCHI BVLLINGERI IN epiſtolam S. Pauli ad Titum, Præfatio.

Argumentum.

BREVIS eſt epiſtola, ſed denſa myſteriis & utilitatis plurimum habens quæ Tito inſcribitur. Hic ad Chriſtum è gentiliſmo cõuerſus in religione recepta profecit adeò ut hunc inter præcipuos amicos imò filij loco coleret Apoſtolus, præterea & nobiliſſimæ inſulæ Cretæ præficeret. Hunc uero inſtituit præſenti epiſtola præſcribens quos deligat epiſcopos. Iubet enim ut oppidatim conſtituat presbyteros, & huiuſmodi quidem qui ſint integræ uitæ & doctrinæ ſanæ tenaces, quo poſſint contradicentes reuincere. Nam ut apud alias gentes ita præcipue apud Cretenſes eſſe pſeudapoſtolos quoſdam quos oporteat acerrime profligari.

Deinde perſonarum & ætatum præſcribit officia, docens etiam magiſtratui obediendum eſſe. Adhibet ubiq; exhortationes egregias & efficaces. Poſtremo præſcribit quædam de quæſtionibus reijciendis, deq; uitandis hæreticis & aliis quibuſdam rebus neceſſarijs.

Hæc uideri poterat Epitome prioris epiſtolæ ad Timotheum eſſe. Eadem enim in hac tractantur quæ in illa, ſed breuius & aliis uerbis hic omnia. Aliâs parum eſt in utraq; diſcriminis.

S. Hieronymus hanc è Nicopoli, quæ ſita eſt in Actiaco littore, autumat ſcriptam, nimirum quod ipſe Paulus in fine epiſtolæ dicat, Da operam ut uenias ad me Nicopolim. Nam illic decreui hybernare. Quando uero ſcripta ſit ante uel poſt captum Apoſtolum, nõ ſatis conſtat. Theophylactus exiſtimat ante uincula ſcriptam & priuſquam poſterior ad Timotheum uulgaretur. Certè non deerunt perquirenti diligentius coniecturæ quibus colligatur ſcriptam eſſe poſteaquam Cæſaris ſententia Romæ eſſet abſolutus.

Quæcunq; uero in hanc & eam quæ ad Philemonem ſequitur cõſcribimus tuo nomini ueneran de ſenex conſecramus. Videbaris enim tu in primis hoc dignus argumento qui miniſterio uerbi faues egregie, & ſtudia ſacra bonaq; promoues induſtrie. Enimuero intelligis ueras dominici templi opes niſi ſalua ueritatis doctrina cuſtodiri non poſſe, igitur pro officio tuo iſtam præſertim cuſtodis. Quo quidem nomine & Zuinglio noſtro eras chariſſimus, meritoq; amaberis à poſteris ac ſtudioſis omnibus. Tu modo quod feciſti hactenus ſtudijs & pietati faue & benefacere perge.

PAulus ſeruus dei, apoſtolus autem Ieſu Chriſti iuxta fidem electorum dei & agnitionem ueritatis quæ eſt ſecũdum pietatem in ſpe uitæ æternæ, quam promiſit is qui mentiri neſcit deus ante tempora æterna, patefecit autem temporibus ſuis ſermonẽ ſuum per prædicationem quæ commiſſa eſt mihi, ſecundum delegationem ſeruatoris noſtri dei, Tito germano filio iuxta communem fidem, Gratia, miſericordia, pax à deo patre & dño Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro.

Inſcriptio quidem per ſe ſatis plana eſt. Hæc enim in ſumma continet, Paulus Chriſti apoſtolus ad prædicandam ueritatem euangelicã delectus, imprecor Tito meo Gratiam & pacem

& pacem à domino. Verum hæc breuia & plana obſcurant aliquot orationis incommoda, dictio inſolentior ſalebroſiorq́, macrologia, & hyperbato intricatius longiusq́ protenſa. Inſerit enim inſcriptioni huic totius euangelicæ doctrinæ ſummam, nempe quod deus ille ſummum bonum & ueritas ſanctiſſima ab æterno elegerit nos ad uitam æternam, idq́ per fidem Chriſti Ieſu, quam quidem electionem & uitæ æternæ participationem ſuis demũ temporibus reuelauerit orbi, primũ quidem per promiſſiones propheticas, deinde per prædicationem apoſtolicam, nempe quod pater cœleſtis credentes in Chriſtum Ieſum ſaluos facere uelit, quodq́ ipſa fides in Chriſtum uera ſit pietas & ueritatis cognitio, ad quam prædicandam mundoq́ inculcandã ſe à deo miſſum aſſerit. Licebit ergo planioribus uerbis Pauli mentem ad hunc prope modum explicare, Paulus ſeruus quidem & cultor dei, apoſtolus autem Ieſu Chriſti ad prædicandã fidem electorum dei, hoc eſt ad docẽdam legatus ueritatis cognitionem, ipſam inquam pietatem ex qua exiſtit ſpes æternæ uitæ, quam nobis non conferũt opera noſtra, ſed ipſa diuina gratia. Nam uerax ille deus qui mentiri non poteſt, illam priuſquam hic mundus eſſet conditus, ante tempora ſcilicet æterna, adeoq́ à ſæculo, promiſit & immutabili decreto nos per Chriſtum ſaluare decreuit. Atq; hoc conſilium ſiue decretum ſuum æternum patefecit ſuis demum temporibus, hoc eſt quibus placuit ſeſe orbi aperire, patefecit autẽ prius quidem per prophetas, nunc uero per prædicationem euangelij, quæ mihi quoq; commiſſa eſt non hominis alicuius authoritate ſed delegatione ſeruatoris noſtri dei. Huius ergo apoſtolus imprecor tibi genuino filio meo Tito Gratiam, miſericordiam &c. Nihil autem in his latet myſterij quod non explicauerimus in epiſtolis reliquis. Piget ergo eandem cantilenam ſubinde repetere occinereq́.

Summa doctrinæ euangelicæ.

Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ deſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim presbyteros, ſicut ego tibi ordinaram, ſi quis eſt inculpatus, unius uxoris uir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, aut qui non ſint intractabiles.

Creta quæ & Candia dicitur memorabilis inſula mire quondam corrupta fuit ſuperſtitionibus & idololatria. Notiſſimum eſt enim illud Maronis,

Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idæus ubi & gentis cunabula noſtræ,
Centum urbes habitant magnas uberrima regna. &c.

Creta ſiue Candia.

Diligenter uero de hac ſcripſere Strabo in primis Geog. libro 10. Plinius item lib. 4. capite 12. Vadianus quoq; noſter in Epitome. Huic inſulæ præfecerat Titum, atq; in hoc ἵνα τὰ λείποντα, ut quæ deerant ſiue deſiderabãtur adhuc ſarciret, adderet atq; corrigeret. Videtur enim Paulus ipſe apud Cretenſes initia quædam ac fundamenta iecisſe religionis, opus nõ abſoluiſſe totum, uel quod iniquis aliquorum odijs repelleretur, uel quod aliò fortaſſis in Epirum aut Thraciam, in qua etiam quædam eſt Nicopolis, uocaretur. Titum ergo uelut alterum ſeſe in Creta reliquit, ut quæ hic bene cœperat, ille feliciter abſolueret. Quo loco uident epiſcopi ad quid uocati ſint à deo, certe ut quæ deſunt uel minus recta ſunt corrigãt atq; ſarciant. Præſertim uero magna erat apud Cretenſes epiſcoporum inopia. Atqui ab his pendet reipublicæ Chriſtianæ ſalus. Ideoq́ ante omnia iubet oppidatim cõſtituat presbyteros ſiue epiſcopos. Hieronymus enim multis hic oſtendit nequaquam aliud quidem ætatis aliud officij eſſe nomen, ſed ueteribus eos omnino fuiſſe presbyteros quos & epiſcopos. Hic autem non uult quicquam agat temere, ſed ita inſtituat oĩa ſicut ipſe prius ordinarat tradideratq́. Hoc ipſum nobis omnibus eſt obſeruandum, ut in eccleſia ſic inſtituamus & agamus omnia quemadmodum ordinauit dominus, non ſicut ſuggerit nobis affectus noſter. Domini enim Chriſti nõ affectuum miniſtri ſumus. Iam & quos ordinet præficiatq́ eccleſijs præſcribit & ait, Si quis eſt ἀνέγκλητος, id eſt inculpatus & talis omnino quem nemo poſſit ob crimen aliquod in ius uocare. In 1. ad Tim. 3. cap. Oportet inquit epiſcopũ irreprehenſibilẽ eſſe. Vbi plura & de hoc & conſequentibus dictum eſt. Qui autem quærunt, Cum filios probe inſtituerim

Ad quid inſtituti ſint epiſcopi.

ſemper, ipſi uero monitis meis contemptis dediderunt ſe luxui, quare nunc polluerer filiorum peccatis quorum author nunquam fui? audiant Hieronymum reſpondentem, Tam ſanctum eſt nomen ſacerdotij, ut nobis etiam ea quæ extra nos ſunt poſita reputentur, utcp propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi ſimus. Qua enim libertate poſſumus alienos filios corripere & docere quæ recta ſunt? cum nobis ſtatim poſſit qui fuerit correptus ingerere, Ante doce filios tuos. Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem cum mihi conſcientia mea ipſa reſpondeat? Exhæreda ergo fornicantem filium, abijce filios tuos uitijs ſeruientes. Cum autem nequam filius in una tecum communicat domo, tu audes de alterius oculo feſtucam detrahere, in tuo trabem non uidens? &c.

Oportet enim epiſcopum inculpatum eſſe tanquam dei diſpenſatorem, non præfractum, non iracundū, non uinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucro deditum, ſed hoſpitalem, bonarum rerum ſtudioſum, ſobrium, iuſtum, pium, temperantem:

Quid autem in diſpenſatore requiratur potiſſimum, expoſitum eſt à Chriſto Luc. 12. & à Paulo 1. Corinth. 4. nempe ut quis inueniatur fidelis & non comedens & bibens cū ebrioſis percutiat ſeruos & ancillas, ſed incertum dei expectet aduentum, & det conſeruis cibaria in tempore. *Nō præfractū.* μὴ αὐθάδη, id eſt non præfractum, contumacem, proteruum, pertinacem, durum, inflexibilem, & ſui ſenſus plus ſatis tenacem, Germanice *eigenrichtig vnd kybig*. Vitium enim hoc in uiris primarijs ſupra q̄ credi poteſt peſtiferū eſt, quod & pluribus præſentiſſimum conſciuit exitium, & non ipſis tantum antiſtitibus, ſed omnibus etiam quibus iſti præerant. *Non iracundū.* Non iracundum. Iracundus eſt qui, ut ait Hieronymus, ſemper iraſcitur & ad leuem reſponſionis auram atcp peccati quaſi à uento folium commouetur. Et re uera nihil eſt fœdius præceptore furioſo qui cum debeat eſſe manſuetus & ſecundum illud quod ſcriptum eſt, Seruum autem domini non oportet rixari, ſed humilem eſſe ad omnes, doctorem patientem in manſuetudine, erudientem eos qui obſiſtūt, ille ediuerſo toruo uultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuitijs, facie inter pallorem ruboremcp uariata, clamore perſtrepat, & errantes non tam ad bonum retrahat q̄ ad malum ſua ſæuitia præcipitet. Inde eſt quod Solomon ait, Ira perdit etiam ſapientes. Necp uero qui aliquando iraſcitur iracundus eſt, ſed ille dicitur iracundus, qui *Bonis amicum.* crebro hac paſſione ſuperatur. De reliquis cōſule tertium cap. 1. ad Timoth. φιλάγαθον, id eſt ſtudioſum rerum bonarum aut amantem bonos. Studium enim malarum rerum & conſortium malorum ab epiſcopo tam debent aliena eſſe q̄ quæ ſunt alieniſſima. Sobrium, hoc eſt ſanæ mentis, nulliscp cupiditatibus temulentum. Iuſtum uitæ ſcilicet innocentia, qui nemini iniuriam faciat, aut ullius recipiat perſonam. Pium ſiue ſanctū hoc eſt integrum uita & moribus. Deniqp temperantem ſibi ab ijs affectibus in quibus ſibi uulgus indulget nimium. Hæ autem ſunt ueræ epiſcoporum dotes & ornamenta, non mitra Damaſcena, pedum aureum, & pallium purpureum. Hi enim Iudaizantium ludi ſunt & Aaronem poſt Chriſtum exuſcitantium.

tenacem eius qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis, ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes conuincere.

Vera paſtorum munia. Præcipuum autem in functione epiſcopi eſt docere. Chriſtus enim ablegans diſcipulos ſuos, Ite, inquit, prædicate euangelium omni creaturæ, docentes ſeruare omnia quæ præcepi uobis. Ideo & Apoſtolus, Oportet, inquit, epiſcopū non ſimpliciter amplectentem & obtinentem, ſed ἀντεχόμενον, id eſt tenacem eſſe doctrinæ. Dicitur enim ἀντέχεσθαι proprie qui adhæret alicui uelut unguibus affixus, nec ſe finit auelli. Oportet ergo epiſcopum eſſe tenacem non cuiuſuis doctrinæ, ſed eius quæ ſecundum pietatem eſt fidelis ſermonis, hoc eſt doctrinæ euāgelicæ quæ ſola certa & indubitata eſt, ueramcp tradit pietatem. Huic uero adhærere & hanc eccleſijs tradere debet. Excluduntur ergo leges humanæ

manæ & præcepta hominum in quibus nulla est ueritas, quibus qui adhærent tenacius haudquaquam constantes sed pertinaces sunt. Constantia enim in uero est, in falso pertinacia. Ad doctrinam pertinet exhortatio & contradicentiũ conuictio. Proinde addit, Vt potens sit etiam exhortari, haud leuiter & ex occasione qualibet perq; argumenta ineuidentia, sed per doctrinam sanam. Sunt enim quorundã exhortationes non modo frigidæ & repentes humi, sed morbidæ quoq; affectibusq; corruptæ humanis. Sub exhortatione comprehẽdimus consolationem. Sequitur, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, & qui possit contradicẽtes & reuincere & errorem impostura mq; ipsorum proferre in lucem, ne imprudentioribus imponant. Magna ergo & laboriosa est episcopi cuiuslibet functio, neq; cuiuis hanc Corinthum sacram adire contingit. Tantum abest ut illorum sententiam probare possim asinorum qui è stiua probum aliquem uirum ad hoc putãt deligendum esse ministerium. Tametsi enim quis negotium religionis intelligat, & sibi suisq; legere possit, probus quoq; pius & sanctus sit, non tamen ideo docẽdi facultatem habet, ut scilicet hoc ipsum quod sentit commode alijs & ut intelligãt exponere potest. Iam sunt alij quidam qui tametsi non prorsus docendi facultate destituantur, in exhortando tamen frigent, fabulamq; narrare & ne uel tantillum commouere auditorum animos uidentur. Sunt alij quoq; qui tam exhortando quàm docendo nonnihil ualent, ijdem tamen ad disputandum reuincendumq; nil habent uirium. At omnia ista ab uno poscit episcopo Apostolus. Illa præstabit scilicet rusticus ocreatus è stiua iamprimũ subuectus ad cathedrã ecclesiasticam. Non repudio à cognitione & lectione ueritatis quenquam, nec arti dicendi tribuo fidei caussam, interim tamen scio dominũ ad ministerium suum non quoslibet deligere, sed selectissimos, præterea illum uti arte & prædicatione ministri ad dandam fidem, cui temerarij quidam & indocti inertia sua scandalũ ponunt maximum. Id quod hoc potissimum nomine inculco ubiq; quo magis isti excitẽtur ad studia honesta cogitentq; quomodo negotium domini cuius interpretes sunt populo proponant, & ut apposite & magno cum fructu, quod ipsos uidelicet attinet, fungãtur legatione sua. Domini sanè omnis uirtus est, sed hoc interim nostrum quoq; est ut industrie & commode agamus omnia. Spiritui enim domini ista omnia tribuere soli, est dominum tentare, imò spiritum inertiæ nostræ prætexere, perinde ac si quis ideo nolit arare & seminare agrum, quod solus dominus omnem pascat carnem. Pascit sanè, sed hoc ordine. Ita solus erudit mentes nostras deus, quemadmodum scriptum est, Nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit eum: &, Erunt omnes docti à deo, interim uero ad hanc rem perficiendam ministerio uerbi utitur, hoc est prædicatione ut agriculatione. Hinc enim Paulus ad Corinthios, Dei, inquit, cooperarij sumus, dei agricolatio, dei ædificatio estis, iuxta gratiam dei quæ data est mihi. Proinde curet ut episcopũ agere possit qui ad episcopatum uocatus est, stiuæ autem incumbat qui uocatus est ad aratrum.

Sunt enim multi intractabiles, & uaniloqui, & mentium seductores, maxime ij qui sunt ex circumcisione, quibus oportet obdurare os, qui totas domos subuertũt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex istis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri, testimonium hoc est uerum.

Caussam adiungit cur talem uelit episcopum, quia omnes ætates suos habent impostores quibus resistere debet episcopus ne gregi domini fucum faciant. Neq; id mirum aut nouum cuiquam uideri debet, cum uideamus ecclesias apostolorum tempore illa peste grauissime laborasse. In præsenti enim describit sui temporis impostores. Sunt enim multi, inquit, ἀνυπότακτοι, hoc est qui in ordinem cogi non possunt, de quibus dixi in 3. cap. prioris ad Thessalonicẽses. Deinde idem sunt ματαιολόγοι, id est, uaniloqui, futiles, inania uidelicet & inutilia loquentes, de quibus dixi in 1. ad Timoth. 1. cap. Sunt præterea φρεναπάται, id est mentium seductores. Fabulis enim suis penetrant in simplicium mentes, hasq; à fide & religione uera abducunt ad uanitatem & superstitionem. Hoc autem pernitiosissimum putatur decipiendi genus esse ubi quis mentem omnium

Descriptio pseudoprophetarum.

actionum fontem prauis inficit opinionibus. Solebant autem hoc facere qui ex Gentilismo ad Christianismum se conuersos esse mentiebãtur, præcipue autem qui ex circumcisione, id est Iudæi erant, Circumcisionem enim uulgato loquendi more ponit pro circumcisis. Hi, inquit, docent quæ minime docenda erant, nec unum modo aut alterum, sed totas subuertunt familias, nec aliam ob caussam quàm ob quæstum & lucrum sordidum. Id quod alijs in locis nempe in epist. ad Romanos & Galatas, item ad Philip. 3. cap. 2. Corinth. 2. & 2. Timoth. 3. exposuit fusius. Hic amplius uersiculo istos pingit Epimenidis poëtæ Cretensis, Aiunt enim uersum hunc integrũ extare in libro huius cui titulum fecit περὶ τῶν χρησμῶν, id est, De oraculis. Hunc ideo appellat proprium Cretensium prophetam quod & Cretẽsis esset & uere illos suis pinxisset coloribus. Testimonium enim hoc inquit uerum est. Et prophetæ nomen latissime patet ut non sit multis disputãdum qua ratione appellarit prophetam. Versus satis planus est. Nam primo arguit Cretenses uanitatis. Deinde autem iniuriæ ac damni dati, quippe qui alios ueneno erroris sui inficiant. Postremo uero pigritiei, ut qui malint per falsam doctrinam in otio luxuq; uiuere quàm propter ueritatem egere. Et uetustas Ventres uocauit homines edaces, uentriq; atq; abdomini seruientes, quò illud Lucilij pertinere uidetur,

Viuite lurcones, comedones, uiuite uentres.

Et Germani appellamus homines otio & uentri addictos *fulbüch*, Græce γαστέρες ἀργαί. Meminit huius uersiculi Epimenidis Erasmus in opere Adag. Chil. 1. cent. 2. Adag. 29. Cretiza cum Cretensi, unde qui uolet copiosiora petat. Quorsum uero pertinet hæc descriptio, ut uideamus quanta suppellectile instructum esse oporteat episcopum qui tam exercitatos & in omni prostitutos malitia hostes habet, & quod oporteat talibus στομίζειν, id est os occludere, uel ut Germanice reddam, & nonnihil de meo addam, *Die vnwarheit im halß verschlahen, oder sy geschweygen, vnd jnen das mul verstopffen.* Theophylactus hoc istis exposuit uerbis, Valde obiurgandi sunt, & ita ut eorũ ora intercludãtur. Hoc quanquam contumacibus non admodum utile fit, alijs tamen proderit plurimum quibus uaniloquium attulisset exitium, nisi episcopi authoritas illorũ compescuisset nugandi licentiam. Atq; huc pertinet & illatio quæ iam sequitur.

Quam ob caussam redarguito illos seueriter, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominum auersantium ueritatem.

In fabulas Iudaicas & præcepta hominum.

Cum igitur isti tales sint ἐλέγχε αὐτοὺς ἀποτόμως protrahe redarguitoq; illos seueriter & ad uiuum, quod dici solet, *nims by der schwarten dannen.* Mutuo enim sumpta uidetur metaphora à tonsoribus qui ad uiuum usq; resecant uel capillos uel ungues uel corruptam alioqui in uulnere carnem. Hanc enim medicus in hoc resecat ut uulnus curetur, & ut tota sanetur caro, non ut corrumpatur prorsus. Nullo igitur fine alio in delinquentes seuerus sit episcopus, quàm ut sani sint in fide, hoc est in uera religione, id quod proculdubio fiet si non attendãt Iudaicis fabulis, de quibus dictum est in epistola ad Timotheum, & præceptis hominum auersantium ueritatem, id est abhorrentium à ueritate, Matth. 15. & Colos. 2. cap. Qua sententia nihil potuit & in Pontificiorum nostrorum leges dici euidentius, quemadmodũ & totus hic Pauli locus apprime in ipsis hæret & tenacius quidem quàm possint notam auellere manifestariam. Theophylactus hunc locum exponens, Quando ergo inquit mendaces, impudentes & uentri sunt dediti acriter duriterq; sunt increpandi. Benignitas enim his prodesset nihil. Nam quemadmodum si mansuetum quis & natura modestiorem uehemẽter incessat deperdit, sic sanè qui impudenti & immiti blanditur, corrumpit, quippe qui nequaquam finat hunc blandiendo suũpsius habere cognitionem. Hoc autem loco non alienos sed domesticos coarguere iubet.

Omnia quidem pura puris: porrò pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum & mens & conscientia.

Iudaicarum

Iudaicarum fabularum præceptionumq; subiicit exemplum atq; confutat. Disputabant in cœtu sanctorum Iudæi de discrimine ciborum & dierum, item de contactu corporum, de mũditia & pollutione, sed quæ uersaretur in rebus externis, in his plane constituebant omnem iustificationem, haud citra fidei in Christum contumeliam. Si enim hisce rebus purificabantur corda inutilis erat Christus. Atqui Iudaizantes illi Christiani hæc tantum non inculcabant Cretensibus. Respondens igitur ad mendacia ipsorum Paulus, Omnia inquit pura sunt puris, hoc est fidelibus. Fide enim purificãtur corda nostra. Et qui purificata habent corda intelligũt se non pollui ullo uel cibo uel potu uel corporum contactu, sed peccatis & prauis cupiditatibus. Norunt omnia quæ deus condidit esse ualde bona. De qua re dictum est Matth. 15. & 1. Timoth. 4. item Coloss. 2. Mundi tia ergo & pollutio istarum rerum æstimatur ex animo. Hic inquit cum in Iudæis ipsorumq; similibus mens ac conscientia sit corruptissima, necesse est ut omnia quoq; ipsis sint polluta. Disputauit de hac quæstione prolixius idẽ hic apostolus in 14. cap. ad Rom.

Deum profitentur se scire, cæterum factis negant, cum sint abominabiles, & immorigeri & ad omne opus bonum reprobi.

Occupatio est. Dicere enim poterat aliquis, Cum uero isti quos tu impuros appellitas deum confiteantur & sancte differant de iustitia & uitæ sanctimonia, non uideo qua ratione ipsos damnare queam. Respondet, Profitentur quidem se legis esse peritos, Abrahæ filios, imò qui deum habeant patrem quem soli uere norint. Breuiter in disputationibus & uerbis omnia pia, sancta & speciosa sunt: interim uero si quis opera expẽdat eorũ, nihil minus quàm quod uideri uolunt & iactitãt inueniet. Quod enim uerbis profitentur id negant factis. Sunt enim huiusmodi ut non tantum non agnoscat filios sed prorsus abominet deus, idq; hoc nomine quod immorigeri & uerbo dei inobedientes sunt, & idcirco reprobi quoq; ad omne opus bonum. Idem Iudæis obiecit ipse quoq; dominus noster apud Ioannem in capite 8. Liquet autem ex hoc loco quod inobedientia siue infidelitas fons sit omniũ scelerum, rursus autem quod fides origo sit omnium uirtutum, & quod factis non uerbis tantum præstanda sit pietas. Latissime enim patet hic locus, sed hæc hactenus.

Sine fide impossibile est placere deo.

Tu uero loquere quæ decent sanam doctrinam. CAP. II.

Sed ualeãt inquit illi cum suis fabulis, te nihil commoueat istorum improbitas, quin potius hoc ardentius prædica doctrinam sanã, quo uehementius isti contradicũt. Theophylactus hæc ad hunc modum exposuit, Tametsi nullã dictis tuis adhibeant fidem & reprobi sint, tu tamen quod tua interest facito, nihil obtiteas. D. Hieron. Aliud ait est sanam doctrinam loqui, aliud ea quæ sanæ conueniunt docere doctrinæ. Quia in altero simplex tantum institutio est, in altero cum eo quod doces uitæ quoq; correctio est.

Senes ut sobrij sint, graues, modesti, sani fide, charitate, patientia.

In genere præcepit ea doceat quæ sanam decent doctrinam, nunc per singulas species quid unãquamq; ætatem deceat exponit, & de Senibus quidem primo præcipit, iubens senes esse νηφαλίους uigilantes ac sobrios. σεμνοὺς graues siue honestatem præ se ferentes, ne iuueniliter contra ætatis decorum ineptiant. σώφρονας modestos siue moderatos, ne sint nimium Demeæ hoc est seueri & morosi. D. Hieronymus uertit pudicos, ne uidelicet in aliena ætate luxuriẽt, id est ne frigido iam ad libidinem sanguine exemplo sint adolescentibus ad ruinam. Chrysostomus exposuit de ira immoderatiore. Vt sani sint in fide. Solet enim senum uulgus desipere. Ita etiam efflagitat ut sani sint in charitate & patientia. De quibus singulatim iam disputatum est frequentius.

Senes quid deceat.

Anus itidem ut in habitu sint qui religionem deceat, non calumniatrices, non uino multo seruientes, ut honesta doceant, quo possint modestas reddere adolescẽtulas, ut maritos suos diligãt, ut liberos ament, ut sobriæ sint, puræ, domus custodes, bonæ, subditæ suis uiris, ne sermo dei male audiat.

Anus quid deceat.

Quemadmodum ait in fide in charitate & patientia sanos esse decet senes ita quoq; anus. Præterea cum hic sexus nonnihil leuitatis & superbiæ in toto corporis habitu ad manes propè præ se ferat, hinc Anus ait adhortare ut in habitu sint qui religionem deceat, siue ut melius legitur in Græco, ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, ut ipse quoq; earum incessus & motus uultus sermo silentium quandam decoris sacri præferant dignitatem. Plurimum enim momenti habet totus corporis habitus sermo gestus & uestitus. Solent item aniculæ plerumq; garrulæ esse, ideoq; Paulus, Nō calumniatrices sint ait, nec uino multo seruientes, cuius tamen senectus propter frigiditatem cupidior est. Et uinum quidem immodice uel ab adulescentioribus sumptū mors est memoriæ, quid ergo senibus sumptum liberius erit? certè inutiles reddet officijs omnibus. At matronarum est puellas docere honestatē & modestiam, quod nulla sinet ebrietas. Imò uini studium coget illas profiteri lenociniū. Spe enim uini quiduis illæ obibunt. Nec doceant fabulas aniles, deliria & nugas de obseruationibus superstitiosis, de miraculis, benedictionibus et exemplis ne scio quibus, qui morbus solet huic sexui peculiaris esse. Neq; uero doceant iuuenculas carmina amatoria, aut narrationes amatorias, sed magis ut maritos suos diligant. Nam hic amor castus est habens exemplum amoris Christi impensissime ecclesiam suam diligentis. Ephe. 5. Doceant item ut ament liberos. Amant autem qui liberos probe curant, & in pietate sancte erudiunt. Nam nolle eos contristare (ut ait Hierony.) docendo quæ bona sunt, et libertatem tribuere peccandi, non est amare filios sed odisse. Magna hic matribus fidis uoranda erit molestia, nec audiendum quod affectus sed quod ratio & pietas dictabit. Si enim affectus admiserint in consilium iam praua etiam probabunt in liberis, proba haudquaquam fidelius cōmendabunt, quod illa ætas matribus nimis adamata tenere ineptias malit, in tantum ut nisi has concedāt istæ querelas molliculis & nimium credulis non ferendas audire & tandem inseruire affectibus cogantur. Doceāt præterea ut sobriæ prudentes & moderatæ, item ut ἅγναι puræ siue castæ fideiq; coniugalis obseruantissimæ, tam in uerbis quàm corporis gestibus pudicæ sint, præsertim uero ut οἰκουρούς domus custodes, qui & domi sint assidue & rem domi curent. Refert Plutarchus in præceptis coniugalibus (quod huc facit plurimū) Phidiam statuarium præmodum insignem Heleorum Venerem finxisse ut pede testudinem premeret: quo quid significatum sit tum intelligemus cum testudinis norimus conditionem. Est autem testudo animal ἀμφίβιον cortice incrustata tectum, tardigradū, uirore pictum atrore & rutilo colore corticem sparsim distinguente, quodq; præter caput & pedū summitates, ad stellionis faciē dispositas nihil plane è corte depromit nec plus habet uocis quàm cochlea. De testudine hac non infestiuus fertur apologus talis, Iuppiter cum omnium animantium genus inuitasset ad nuptias uenissentq; cætera omnia præter unam testudinem, hæc enim cœna peracta tandem adrepebat, quapropter Iuppiter admirans moræ causas percontabatur atq; illa respondente οἶκος φίλος οἶκος ἄριστος Est grata domus, domus optima semper, Iuppiter accensus iussit ut quocunq; iret cortem suam secum circumferret. Ex quibus facile coniectamus uetustatem illa pictura innuisse tacite probis matribus familias domi esse manendum silendumq;. Id quod idem Plutarchus in eodem libello Aegyptiorū quoq; comprobat exemplo. Apud Aegyptios enim Sandalijs interdictum erat nuptis, nempe ne domo unquam prodirent néue essent garrulæ. Sandalium enim obstreparum est calciamenti genus. Quemadmodū itaq; summa testudini uoluptas est in sua delitescere caua: ita proba materfamilias domus custodia nil habeat antiquius. Et ut testudo caput summitatēq; pedū & manuū non exerit è corte nisi hoc corporis cura flagitet: ita proba materfamilias nō nisi ob domesticas res excedit in publicū, illi⁹ memor Hesiodi sentētię,

Quid deceat adulescentiores fœminas.

Fœminæ sint domus custodes

οἶκοι βέλτερον εἶναι ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύραζε.

Esse domi præstat quia damnosum foris esse: item prouerbij huius, Domi manere oportet bene fortunatam. Et sanè uera matronarū probitas, longinquas à domo peregrinationes, choreas, compotationes, discursus frequētiores, & confabulationes priuatas nedum odit sed abominatur etiam. Norunt enim pudicæ uetus illud Diuerbium, Mulier pudica ne sola sit usquam: & quod ab Homero refertur de Penelope,

οὐκ

Οὐκ οἴκοι, ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕπονται.

Haud ſola, aſt illam famulæ binæ comitatæ.

Significauit autem poëta ſapientiſſimus probæ mulieri uel domi deſidendum uel haud temere cum uiris miſcenda eſſe colloquia. Theophylactus, Domus curam habebit, inquit, hoc eſt optime rem domeſticã diſpenſabit, nil prorſus uel luxui ſuperuacaneis ſumptibus & ornamentis impendens. Plura huius generis perſequitur Sapiens Prouerb. 31. & Petrus in 1. epiſt. cap. 3. item Paulus in 1. ad Timoth. 2. cap. Requirit præterea à mulieribus ut bonæ, hoc eſt ſuaues, commodæ benignæq; ſint, non acerbæ & rixoſæ, reſponſatrices & pro imperio decertãtes, ſed ſubditæ, morigeræq; maritis ſuis iuxta legem dei. Huc iſtas præcipue debet impellere quod iſtis officijs deo non hominibus ſeruiunt, & quod hæc negligentes non modo infamiæ macula ſeſe polluunt, ſed & nomen dei blaſphemant. Occlamãt enim laſciuis inertibus & inobedientibus mulierculis impij iſtos ſcilicet eſſe egregios doctrinæ & fidei euangelicæ fructus. Sunt igitur hæc officia diligenter & ſedulo inculcanda mulieribus & matribus familiãs Chriſtum amplexis, ut norint & credant ſeſe hiſce exercitationibus & officijs placere & inſeruire deo. Inuenias eñ quę credant tum demum ſe deo ſeruire cum in æde ſacra precantur, cum eleemoſynam elargiuntur, ieiunant, deinde ſtultulas quaſdam obſeruant ceremonias. Docendę ergo ſunt ut certò poſthac norint ſe his non ceremonijs placere & inſeruire domino. Ignorantia uero iſtarũ rerum plurimas fieri monachas adegit. Nam ſi credidiſſent hiſce quoq; officijs ſe deo approbare potuiſſe, matres eſſe q̃ nonnæ maluiſſent. Fuerunt in tanta turba quædam pientiores, quæ ſi ad hæc intellexiſſent monaſticorum impietatem uotorum proculdubio huic uiuendi inſtituto ſeſe dedidiſſent minime.

Adoleſcentes conſimiliter adhortare ut ſobrij ſint.

S. Hieronymus hæc egregie exponens, Sicut in eo, inquit, quod ſupra præceperat dicens, Anus ſimiliter in habitu ſancto, ſimilitudinem anuum dixeramus ad ſenes eſſe referendam: ita nunc in eo quod intulit, Iuuenes ſimiliter hortare ut pudici ſint, ſimilitudinem iuuenum ad anus & per anus ad ſenes arbitramur aptandam, ut ſenum habeant ſobrietatem & honeſti ſint & pudici & ſani in fide & charitate & patientia, anuum autem in habitus ſanctitate, ut non ſint accuſatores, nõ uino multo ſeruientes, bene docentes, & cætera. Proprium autem adoleſcẽtulorum hoc poſuit ut pudici ſint in omnibus, tam ſcilicet mente quàm corpore, tam opere quàm cogitatione, ut nulla ſit in adoleſcente ſuſpicio turpitudinis. 1. Ioannis 2.

Super omnia temetipſum præbens formam bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatem, ſermonem ſanum, irreprehenſibilem, ut is qui repugnat rubore ſuffundatur, nihil habens quod de uobis dicat mali.

Informat iam Titum qualem ſe gerat, & quale exemplum omnibus pręferat ætatibus fidelibusq;. Nihil enim prodeſt aliquem (ut ait Hieronymus) exercitatum eſſe in dicendo & ad loquendũ triuiſſe linguam, niſi plus exemplo docuerit quàm uerbo. Vult itaq; ut Titus ſeſe τύπον, id eſt formam & exemplar præbeat ad doctrinam, ut ſcilicet inter docendũ præſtet integritatem animi nullis corrupti cupiditatibus, grauitatem quoq; morum, ita quoq; ſermonem & colloquia inſtituat, oñia ut nihil in his omnibus reprehendi poſſit, imò ne hoſtis quidem quod ſuggillet inueniat, ſed rubore potius ſuffundatur ſi optimo uiro male loqui & obtrectare cœperit. Et prodigioſæ quidem impudentiæ eſt qui ſanctum uirum accuſat impuritatis. Itaq; quod contemnuntur quidam ſuæ imputent inconſtantiæ, auaritiæ, inertiæ & impuritati. Si enim uitam uiuerent epiſcopis dignam etiam hoſtibus eſſent terrori. *Exemplar pietatis ſit epiſcopus.*

Seruos hortare ut ſuis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non reſponſatores, non ſuffurantes, ſed fidem omnem oſtendentes bonam, ut doctrinam ſeruatoris noſtri dei ornent in omnibus.

Serui. Præceptio de ſeruis iam ſæpius eſt expoſita, in 1. Corinth. 7. item ad Epheſ. 6. & 1. Timoth. 6. Duo hic ſeruorum uitia peculiariter profligat. Solet enim ſeruorum uulgus uel reſponſare uel ſuppilare. At Paulus iubet eos fidem præſtare in omnibus, id quod furto opponit, & per omnia placere dominis, id quod iuſſa dominorum detrectantibus inculcat. Et νοσφίζειν eſt aliquid decerpere, Eraſmo authore, & furtim detrahere, cum totam rem non auſis tollere, *abtragen vnd verſchlahen.*

Apparuit enim gratia dei ſalutifera omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, ſobrie & iuſte & pie uiuamus in præſenti ſæculo,

Adhortatio ad pietatem grauis. Præceptionibus ſubiungit nunc rationes quibus excitet diligentiam noſtram ac ſtudium omnium quo obſeruãdis illis inuigilemus. Ad tale pietatis ſtudium inquit hoc in primis excitare debet quod ipſe dei filius uenit in hunc mundũ ut diſſolueret opera diaboli & ut in ſanctimonia & pietate uera mundum inſtitueret. Hæc quidem omniũ ſumma eſt, ſed Apoſtolus ſingula propè uerba eruditione quadã noua ornata proponit. Per gratiam enim dei ſalutiferã intelligere licet prædicationem euangelicam quæ gratiã quidem dei docet eſſe ſalutiferam, idq; non uni alicui genti aut ætati, ſed omnibus hominibus. Prędicatio enim Chriſti neminem excludit niſi qui ſeſe ſuapte excluſerit perfidia. Si uero per gratiam dei ſalutiferam omnibus hominibus ipſum intellexeris Chriſtum plenitudinem ueritatis & gratiæ, iuſtitiam item uitam & ſalutem, mea quidem ſentẽtia Pauli ſenſum attigeris melius. Chriſtus enim Ieſus uenit in hunc mundum erudiẽs nos ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς, ſobrie & iuſte & pie uiuamus, quoad in hiſce terris uiuere contigerit. Cæterũ pauciſſimis hiſce uerbis graphice in tranſcurſu deſcripſit tam piam q̃ impiam uitam omnem, adeoq; anti theſi uenuſta ſibijpſis oppoſuit. In impietatem & concupiſcentias mundanas concluſit omnia peccata atq; ſcelera, id eſt omnia opera carnis. Impietas enim ignorantiam dei habet, ſuperſtitionem, idololatriã, amentiam, cæcitatem, & quæcunq; huius generis ſunt, Ephe. 4. Concupiſcentia uero in ſe complectitur, libidinem, luxum, auaritiã, omnes præterea affectus beluinos. Iſta uero omnia docuit nos dñs abnegare. Sunt enim hi morbi & hæc mala nobis congenita. Et dominus alibi dicens, Niſi quis renatus fuerit non poterit uidere regnum dei, præterea præcipiens ut quilibet ſeſe abneget Chriſtumq; imitetur, hoc ipſum licet breuioribus docuit quod hic tradidit Apoſtolus eius. Habes quid omittas, iam ſequitur quid facias ut deo placeas uere, nempe ſi uiuas ſobrie, iuſte & pie. Sobrie inquã, non ex affectu concupiſcentiæ ſed temperãter. Iuſte, ne quem fraudemus aut afficiamus iniuria, ſed bene mereamur potius de omnibus, lædamus neminẽ, adeoq; noſtra communicemus cum fratribus, itaq; facultates noſtras non tantũ iuſte poſſideamus, ſed iuſte quoq; diſpenſemus. Pie autem, non ſuperſtitioſe aut ritu non probato ſed uero dei cultu quem ipſe nobis præſcripſit, non quem nos illi obtrudimus. His inquam abſoluitur uera pietas. Locus autem hic Pauli uere aureus eſt de pietate recte iudicans & uitam ſanctam iuſte informans, quapropter à pijs merito obſeruatur diligentius.

expectantes beatam illam ſpem, & apparitionem gloriæ magni dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Hæc ratio ſumpta eſt à præmio. Præmium autem quod manet pietatis ſtudioſos eſt illa ſpes beatitudinis, quæ obtinget omnibus dei cultoribus cum uenerit Chriſtus iudicare uiuos & mortuos. Igitur beata illa ſpes eſt apparitio glorioſa Chriſti. Tametſi enim nunc apud deum mortuorum dei ſeruorum ſpiritus uiuãt, in illa tamen die reſuſcitabitur tum ipſorum tum omnium hominũ caro, ut totus dei cultor tam corpore q̃ anima æternũ uiuat apud deum. Hinc Ioannes apoſtolus, Scimus, inquit, quoniã ſi apparuerit ſimiles illi erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Apparitionẽ autem gloriæ uulgari idiotiſmo poſuit pro glorioſo aduentu iudicis Chriſti, quem magnũ deum & ſeruatorem mundi appellat, utraq; illa prædicata iungẽs & uni Chriſto tribuens. Non enim hic audio ambiguitatẽ Græcanici ſermonis allegantes, ne Arrianos præſentibus urgeamus.

mus. Nam ut uerba maxime sint ambigua, ipsa tamen res cogit illa ad Christum esse referenda. Loquitur enim de aduentu glorioso in iudicium. At de hoc ipse Christus apud Ioan. in cap. 5. pronunciauit, Neq; enim pater iudicat quenquam sed omne iudicium dedit filio ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Iccirco magnus deus id est summus optimus & maximus deus est Iesus Christus seruator noster. Nam graduum enallage utitur Paulus. Proinde fecit hic locus Pauli pro nobis nihil prorsus contra nos pro Arrianis. Rectè igitur ex hoc loco exultãt ceu uictores contra Arrianos orthodoxi, Hieronymus, Chrisostomus, Theophylactus, Augustinus item contra Maximinũ Arrianorum episcopum.

Qui dedit semetipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem sectatorem bonorum operum.

Hæc ratio quę ordine tertia est ab emundatione et liberatione Christi petita, talis est. Haud decet ut in illis uiuamus à quibus sumus erepti tantoq; precio liberati. Nam filius dei non aurum aut argentũ pro nobis expendit, sed semetipsum pro nobis dedit, in hoc ut redimeret nos ab omni iniquitate. Indignum igitur si quis post acceptam Christi fidem pergat in iniquitatibus. Siquidem non in hoc tantum passus est, ut satisfaceret pro peccatis nostris, sed etiam ut purificaret sibi populum περιούσιον id est peculiarem & ab alijs quodammodo segregatum sanctificatumq;, excellentem item *vnd ein bsundertrut*, qui uidelicet zelo quodam bona consectetur opera. Allusit autẽ ad Exod. cap. 19. quò & Petrum spectasse docuimus in 2. cap. 1. epist. Petri. Obseruabis uero lector quod dominus non ab uno nos purgauit scelere, sed quod ab omni nos iniquitate redemit, non ut pro carnis uiueremus ingenio, sed ut posthac uiueremus deo redemptori. De qua re qui plura uelit legat 6. cap. epist. ad Roma. & 2. ad Ephes. item 1. ad Galat. & 5. Iam uero quæ sint bona opera exposuit hactenus in officijs Senum & Adolescẽtum, item cum præcepit ut abnegata impietate & mundanis concupiscentijs sobrie, iuste & pie uiuamus. Præterea Emphasim habet quod non dixit operatorem bonorum operum, sed ζηλωτὴν id est æmulatorem. Neq; enim satis est operã dedisse bonis operibus nisi cum ardore quodam & zelo sancto ea ipsa consectemur.

Hæc loquere & hortare & argue cum omni præcipiendi studio. Nemo te despiciat.

Nondũ concludit hunc locũ de Officijs, sed monet ut neglectis quæstionibus inutilibus spinosisq; hęc quę ad ædificationẽ faciunt doceat, cessantes exhortetur deflectẽtesq; redarguat, idq; summa cũ authoritate & ut Græce dixit, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Non quo iubeat illum esse imperiosum, ut recte annotauit Erasmus, sed quod uelit hæc diligenter inculcari populo. Ad finem appendit, Nemo te despiciat, id est ita uiuito & ea prudentia & constantia authoritateq; doceto, ut nemo possit te despicere merito. Simile præscripsit Timotheo in 1. cap. 4.

CAP. III.

Admoneto illos ut principatibus ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonũ sint parati, ne de quoquam maledicant, ne sint pugnaces sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines.

Magistratui quid debeamus

Redit ad officia & docet quales se gerant Christiani erga magistratum. Existimat autem S. Hierony. hoc præceptum ideo positum esse ab apostolo, quod Iudæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc uigeret & plurimos haberet sectatores. Porrò magistratus uariæ sunt species, qnemadmodum recensui in Com. in 13. cap. ad Roman. Ideoq; Paulus quasi omnis generis potestates comprehendens, principatus, potestates & magistratus nominat. Quasi dicat, Cuiuscunq; tandem ordinis magistratus præsit urbibus & populis quibus tu prædicas, facadmoneas illos fideliter ut talibus obediant. Hinc enim & Petrus, Subditi estote inquit cuiuis humanæ creaturæ propter dominum, siue regi tan-

quam præcellenti, siue præsidibus ut qui per eum mittantur, &c. Cæterum cum iubet subesse & parere magistratui, omnia quæ magistratus siue gladij sunt usq; ad aram comprehendit. Ad ius gladij pertinere puto iusiurandum, testimonia, uectigalia, tributa, bella pro religione & republica susceptа, & si quæ his similia sunt. Adieci autē ad aram usq;. Si enim aliquid præcipiat magistratus cōtra religionem, deo & religioni adhæret Christianus, magistratus edictum negligit constantissime, tametsi hoc nomine cogatur carcere subingredi imò & gladio cadere. Oportet enim deo plus obedire quàm hominibus. Et quēcunq; Christi & euangelij eius coram hominibus puduerit, eius pudebit & Christum in iudicio. Eapropter cōsulto appendit Apostolus, Vt ad omne opus bonum sint parati. Quasi dicat, Nō iubeo ut præcipias obedire legibus iniquis, sed bonis, idq; sponte sua non coacte, amore æqui & boni, non metu supplicij. Sequuntur iam alia quædam præcepta, Ne de quoquam maledicāt, quo quidem prohibetur calumniandi & obtrectandi studium Contra quod multa dixit Solomon in Prouerbijs. Aliud præceptum sequitur, Ne sint pugnaces hoc est rixosi & contentiosi. De uerbis enim non raro ad uerbera descenditur, & multa mala ex contentione exoriuntur. Cæterum Christianos ornat humanitas & mansuetudo, quam isti omnibus debent hominibus etiam hostibus, id quod ad Romanos 12. planius & copiosius exponitur.

Calumniari.

Contendere.

Nam eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia degētes, odiosi, inuicem odio prosequentes.

His Titum animat ne facile desperet de quoquam. Scis inquit quales nos aliquando fuerimus, quales item nunc simus. Perges igitur inhortari similibus implicitos erroribus atq; peccatis, ut & ipsi resipiscāt aliquando, ut pro stultis fiant sani & prudentes, pro inobedientibus obsequentes non obmurmurantes, pro errantibus ueritatis uiam gradientes, pro mancipijs uoluptatum cupiditatumq; contemptores uoluptatum & uitronei iustitiæ serui, pro malitiosis simplices & synceri, pro inuidis benefici, pro odibilibus amabiles, pro q; osoribus beneuolentes. Hæc erit regeneratio uera, hæc sunt uera pietatis officia. In his exerceri conuenit Christianos.

At postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri dei, non ex operibus quæ sunt in iustitia quæ faciebamus nos sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti quem effudit in nos opulente per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ.

Duo hic simul absoluit Apostolus. Principio cœptā concludit perficitq; sententiam. Ad hunc enim modū ista cohærent cum superioribus. Antea quidem cæci, ut diximus, uersabamur in tenebris quemadmodū & illi nunc, at ubi per euangelij prædicationem bonitas χρὴ ἡ φιλανθρωπία & illud egregium erga homines studium amorq; egregius dei, dei inquam seruatoris, hoc est ad saluandū nos propensissimi mundo innotuit tum demum depulsa caligine uitæ prioris ueram adepti sumus salutem, quo factum est ut simul uitæ prioris statum planè mutauerimus. Hic uero mea quidem sententia adijciendum, Nostro igitur exemplo docebis illos uitam quoq; suam posteaquam Christū amplecti cœperunt mutare in melius ut doctrinam & confessionem nominis Christi ornent uita pura, non coinquinent immunda. Nefas enim est nunc cum tam egregius erga nos amor dei apparuit in tanta uersari errorum & flagitiorum caligine in quanta uersabamur priusquam ista nobis bonitas dei innotuisset. Deinde suo more summam perstringit totius euangelicæ doctrinæ. Ad omnem etenim occasionem istam haud temere inculcat. Quod autem dicit tale est, Venit in hunc mundum Christus Iesus ipsa dei bonitas & amoris in nos maximi indubitatum argumentū, uenit inquam is in hunc mundum nequaquā nostris prouocatus meritis sed natiua bonitate impulsus. Idem aduentu suo

Misericordia dei non merita nostra iustificant.

1. Ioan. 4.

ſuo ſaluos nos fecit, non per opera noſtræ iuſtitiæ, ſed ex mera ſua miſericordia. Atq; huius quidem ſalutis nobis participatæ atq; donatæ certiſſimum argumentum eſt baptiſmus quo ſumus abluti à peccatis. Baptiſmus enim Chriſti lauacrũ eſt regenerationis, quo ſcilicet abluit & regenerat nos dominus. Abluit quidem & purgat à peccatis, regenerat autem in uitam cœleſtem & ſanctam, ut nunc adoptati in numerum filiorum dei porrò uiuamus uitam Chriſto dignam. Hæc autem uirtus non eſt aquæ & ſigni uiſibilis ſed gratiæ inuiſibilis. Duo enim in ſacramentis ſpectãda ſunt, uiſibile uidelicet ſignum, & gratia inuiſibilis. Inde in præſenti ſtatim adiungitur, Ac renouationis ſpiritus ſancti. Vere enim renouat, abluit, purgat, regenerat, uiuificat & ſanctificat gratia ſpiritus ſancti: renouat autem, abluit, purgat, regenerat, uiuificat & ſanctificat etiam baptiſmus, quod illius miniſterio deus in diſpenſandis donis ſuis propter infirmitatem noſtram utatur. Rurſus autem hic repetitur quod ſpiritus ille diuinus purgatio criminum & regeneratio nobis per Chriſtum collata ſit & opulentè quidem, (tantũ abeſt ut noſtris operibus ſarciamus quod gratię dei diminutũ quibuſdam uidetur impijs) per Chriſtum inquam ſaluatorem non per opera noſtra. Salus enim hæc uni Chriſto accepta ferri debet. Vnde iam hunc locum concludit & ait, Vt iuſtificati illius gratia hæredes efficeremur uitæ æternæ, iuxta ſpem, id eſt quam nunc quidem nondum tenemus, ſed infallibili ſpe expectamus. Proinde iuſtificationem omnem gratiæ non operibus tribuit, quæ quidem totius euangelicæ doctrinæ ſumma eſt. At de ea re copioſius diſputatum eſt in epiſt. Pauli ad Romanos & Galat. item ad Epheſios 2. Philip. 3. Non eſt igitur quod prolixiorẽ quis diſputationem hic expectet de iuſtificatione. Pauca hic uerba ponuntur ſed plana & euidentia. Non ex operibus quæ ſunt in iuſtitia quæ faciebamus nos, id eſt non per opera iuſtitiæ noſtra, ſiue per iuſta opera noſtra quæ ſcilicet nos faciebamus, ſed ex miſericordia ſaluos nos fecit. Iam quod quidam diſtinguunt inter opera quæ fiunt ante fidem, & quæ fiunt poſt fidem, quorũ illa non iuſtificent, hæc autem iuſtificent, alibi confutatum eſt. Opera enim fidei perpetuo ſunt fructus fidei, ipſa uero fides ſerenat conſcientiã non per opera ſed per Chriſti meritũ. Itaq; tametſi ſoli fidei tribuamus iuſtificationem, non negamus interim opera ſed ſuo loco reponimus. Pari ratione nõ euacuamus ſacramenta licet agnoſcamus omnem uim uiuificantem ſolius eſſe fidei in Chriſtum, & gratiam ſacramentis minime alligari, ideoq; fatemur ſanctum baptiſma ablutionem eſſe peccatorum & lauacrum regenerationis. Quo in primis faciunt Auguſtini uerba Tractatu in Ioannem 80. quæ nunc ſequuntur. Iam uos mũdi eſtis inquit propter uerbum quod locutus ſum uobis. Quare non ait mundi eſtis propter baptiſmũ quo loti eſtis, ſed ait propter uerbum quod locutus ſum uobis, niſi quia & in aqua uerbũ mundat. Detrahe uerbum & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit uerbum ad elementum & fit ſacramẽtum, etiam ipſum tanquam uiſibile uerbum. Nam & hoc utiq; dixerat quando pedes diſcipulis lauit, Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lauet, ſed eſt mũdus totus. Vnde iſta tanta uirtus aquæ ut corpus tangat & cor abluat niſi faciente uerbo? Non quia dicitur ſed quia creditur. Nam & in ipſo uerbo aliud eſt ſonus trãſiens, aliud uirtus manens. Hoc eſt uerbum fidei quod prædicamus, ait Apoſtolus, quia ſi confeſſus fueris ore tuo &c. Hactenus enim uerba Auguſtini aſcripſimus. Idem de emũdatione baptiſmi prolixius diſputat lib. Quæſt. 3. quæſt. in Leuit. 84.

Baptiſmus.

Opera et ſacramenta non negantur.

Epheſ. 5.

Indubitatus ſermo. De his uolo ut confirmes quo ſolliciti ſint ut bonis operibus præſint qui crediderũt deo. Hæc enim ſunt honeſta & utilia hominibus.

Iam concludit locum ſiue tractatum de officijs pietatis. Confirmat autem in his mentem Titi & cuiuslibet fidi paſtoris ne quid dubitet de ijs quæ tradidit hactenus, nẽpe de gratia iuſtificante, de officijs pietatis. Nam hæc Pauli clauſula πιστὸς ὁ λόγος, indubitatus ſermo tantundẽ pollet quantum iſta Chriſti confirmatio, Amen amen dico uobis. Huiuſmodi uero elogium nulla habet humana doctrina, nullũ uiuẽdi genus monaſticum, nulla deniq; de operibus iuſtificantibus doctrina. Hæc inquit quæ tradidi certa ſunt &

Doctrina ſana quæ inculcãda eſt eccleſijs.

indubitata. Infert igitur nunc, De his uolo ut cõfirmes fratres, id est ut hæc cum authoritate tradas adeoq; & inculces imò & persuadeas illis, nempe ut solicite cogitẽt quomodo operentur illa uere bona opera quæ præscripsi, præsertim beneficentiæ & charitatis. Aequum enim est ut qui semel deo crediderunt fidem bonis prodant & exprimant fructibus. Fides eñ charitate efficax uera fides est. Fides sine operibus mortua est. Vrgebis igitur ait ut ipsa deinceps uita sua dei respondeant beneficio, alioqui nihil illis profuerit professio euangelica. Addit & rationem multo euidentissimam ab honesto & utili petitam cur hæc maxime sint inculcanda ecclesijs, Quia honesta & utilia sunt hominibus. Pulchre uero Vtili iunxit honestum. Neq; enim utile citra honestum utile est. Cæterum quæ ex pietate expectanda sit pijs utilitas alibi est expositum.

Stultas autem quæstiones & genealogias & contẽtiones ac pugnas legales omitte: sunt enim inutiles & superuacaneæ.

Sanæ doctrinæ opponit quæstiones & contentiones has omni modo docens reijcien das ut inutiles & superuacaneas. De his disputatũ est in epistola ad Timoth. Pugnas legales uocauit concertationes ex lege depromptas, non utiq; disputationes de fide, charitate & innocẽtia, sed de quæstionibus nescio quibus, cuius generis quasdam annotauit Hieronymus, Quot annos uixerit Mathusalẽ? Quo ætatis suæ anno Solomon genuerit Roboam? Ego eas quoq; hic comprehendi crediderim quas nectunt de Ceremonijs & ritibus. Quibus similes sunt quas scholæ hodie plenis disputant buccis. Pius uero has omnes in uniuersum reijcit, fidem & pietatem in scripturis requirit, præterea pie uiuit magis quàm concertat.

Sectarum authorem hominem post unam & alterã admonitionem fuge, sciens quod euersus sit qui eiusmodi est et peccet per se damnatus.

De hæreticis et doctrina hæretica.

Quærat aliquis, Quid agam cum eo qui ueritati non obtemperat sed contẽdere & factionem excitare pergit? Respondet Apostolus, Mone illũ semel atq; iterũ, quod si non obtemperarit monitis, caue & separare à deplorato. Caussam uero ob quam iubet à congressu colloquióue hæretici abhorrere hominis subiungens, Qui eiusmodi est inquit ut sanæ admonitiones locum apud eum non habeãt, is admonitionibus exasperatur iugibus non in ueri adducitur sentẽtiam. Error enim simplex sanatur, peruersitas est insanabilis. Atqui hic ἐξέστραπται, euersus est adeoq; à uera fide excidit, deflexit (Germanice *ist verkert vnd hat den halß gestreckt*) & perplexus hæret in errore inuincibili. Vnde Theophyl. hæc exponẽs, Hæreticum inquit incorrigibilem intelligit Paulus & undiquaq; adeò plane distortũ & tam uarijs & multiplicibus nodis implicitũ ut sese ex his extricare nesciat. Qui ergo talis est, omnino nolet corrigi, imò errare existimabit corrigentẽ ideoq; ad certamen accingetur ut corrigentẽ quoq; uincat & suis adiungat partibus. Proinde periculum hic est plurimũ, spes nulla. Deplorati eñ cum sint & indurati in ijs quæ palàm sunt falsa hæretici oñis sanè medẽdi spes interijt, ediuerso fit nonnunq; ut monitori aliâs bono sed simplici suis imponãt artibus, idcirco haud temere fugiendos præcepit. Atqui miserum est, ait aliquis, si hoc modo ouem negligamus errabundã. Non fecit hoc dñs. Verendũ ne illius interitus nobis aliquando imputandus sit. Respondet Apostolus, Quod autem huiusmodi homo perit nõ tua culpa sed propria perit. Cur enim monitori non obtẽperauit? Cæterũ quid proprie hærefis sit & qui uere hæretici sint, alibi expositũ est.

De coërcendis & plectendis hæreticis.

Porrò qui hinc colligunt contra scripturam coërceri à magistratu sancto hæreticos, hoc est homines non tantum peruersos in fide sed etiam peruersores, non uident Apostolũ hic nihil disputare de pij magistratus officijs, sed quid agat episcopus. Est & in his ac similibus apostolorum præscriptionibus occasio expendenda temporũ. Hæreticum, illi aiunt, fuge, non coge aut occide præcipit Apostolus. Verũ sanè. Nemo enim temere abijciendus aut damnandus est, sed magis alliciendus & erudiẽdus. Hæc proprie episcoporum functio est. At si quis admonitus resipiscere nolit sed pergat magis in eandem ruinam secum totas populorũ attrahere cateruas, hic rursus episcoporũ est non doctrinam modo opponere sed uitam quoq; suam pro ouibus cõtra ingruentes grassantesq; lupos

lupos ponere,& gregem domini gladio ueritatis tueri & asserere, lupos uero constanter depellere, sauciare, fundere. Iam si Apostolus Cornelio uel Sergio scripsisset epistolam horumq; informasset officia, proculdubio his præcepisset cœtum sanctorũ defenderent & imminentes ei lupos coërcerent, præsertim cum ipse apostolus Paulus pseudoprophetam Bariehuh oculis priuarit quod pergeret pertinacius falsum defendere & impugnare uerum. Si enim fugiendus tantũ est hæreticus non affligendus etiam cur cæcitate percussit Apostolus Elimam? cur præcepit dominus tollere è uiuis pseudoprophetam? Verum ea ais in lege præcepit. Sanè, Magistratus uero in lege abrogatus non est. Nam hic & nunc est utile donum dei. Præterea legis libertas non est nisi legem ultrò facientibus. 1. *Timoth. 1.* Proinde cum oporteat recipere legem in omnia quæ aduersantur euãgelio & doctrinæ sanæ, nemo posthac ullo euangelij prætextu à nobis postulabit ut malam doctrinã finamus impune grassari in ecclesia dei. Vera quidem sunt & plausibilia, Fidem esse donum dei, nemini per gladiũ conferri fidem, sed nihil ad rem dicta præsentem. Nos enim non loquimur tantum de dono fidei, sed de doctrina fidei quã promoueri uolumus, ita non incredulitatem sed blasphemias, non erroneas opiniones sed erroneas aliorum infectiones coërceri. Fides & incredulitas cordium sunt, fateor, ea nemo hominum iudicare potest. Ex dictis uero & factis, ijsq; manifestis debent fieri hominum iudicia. Et D. Aurel. Augustinus aliquando in ea fuerat sententia ut crederet cum hæreticis nulla ui sed solo uerbo dei agendum, uerum multis exemplis & rationibus superatum sese fatetur in epistola ad Vincentiũ, quæ ordine est 48. Sed quid uerbis opus est? Ecclesia & ueritas Christiana omnino asserenda est ex erroribus, puniendæ sunt blasphemiæ, consulendumq; est membris ecclesiæ sanis ne per morbida inficiantur prorsus. Formam autem istud absoluendi perficiendiq; iuste & æque præscribet zelus & iudicium fidei, item charitas & modestia Christiana, ut ne quid nimis & ne quid agamus minus. Episcopi est errantes monere, erroris reuincere, coërcere, instare opportune & importune: breuiter omnem mouere lapidem publice & priuatim quo errantem lucrifaciat. Quod si hic contempta ueritate perrexerit in errore, deinde alios quoq; secum abripiat in errorẽ, iam pertinacia & error huius coram ecclesia est uerbo reuincendus ueritatis, diligenterq; monendum ne quis fidem det impostori. Erit præterea & magistratus monendus si fuerit negligentior, & lupus magis ac magis incœperit grassari in populum dei, ut maiorem gerat gregis curam, nec finat lupos sic grassari. Mala enim esse arcenda à populo dei, homines seruandos quantum id fieri potest. Deniq; ipsam pœnam inferendam esse noxijs non ad perditionem sed ad salutem, ut scilicet resipiscãt. Neq; enim in quoslibet errantes aut hæretica etiam peste laborantes capitaliter animaduertẽdum est protinus, sed tum demum cum uel blasphemiæ execrabiliores sunt q̃ quæ citra dei ignominiam ferendæ uideantur, uel cum errãdi peruicacia ultro in religionis legumq; euersionem manifeste tendit, suntq; huius rei palàm & ex ueritate conuicti. Diligenter enim miseri caussa ac innocentis discernenda est à perditi & peruicacis. Nec quenquã pigere debet sustinere dominum aliquandiu, proximoq; per charitatem inseruire. Debemus enim alij aliorũ onera portare. Deinde grãde discrimen est inter eum qui nulla malitia aberrat, & qui errori iunxit & malitiam & studium nocendi. Neq; uero & noxiæ quælibet capitis expiandæ sunt supplicio. Alias enim luant in pecunia, alias in corpore, secũdum quod ipsa noxæ qualitas & legum flagitarit æquitas. Interim etiam atq; etiam uideamus ne oculatiores simus alibi quàm apud nosmetipsos. Sunt quidam mire irritabiles, & dum occuparunt iam imperium, nec ita uel docent, uel uiuunt, uel præsunt quemadmodum decebat, mox atq; ipsis uel uerbulo fuerit contradictum, flagrant, exardescunt, ignes, carceres atq; lictores crepant. Ego uero longe secus hoc negotium agi uellem. Neq; enim si leges quis malas aut religionem falsam ueritate duce euertat, animaduerti capitaliter potest, multo minus si quis accuset impios & corruptos hominum mores, sed si quis in exitium tum suum tum pietatis ruat pertinaciter. Iccirco non possum istorum probare sententiam qui protinus occlamant, Lictor tecum concertabit. Habemus consuetudinẽ, habemus exempla ecclesiarum & Consilia, annos item complures, toties deniq; damnata est illa hæresis,

Adhibenda moderatio in plectendo.

ideo aut reuoca, aut abi in exiliũ, aut morere. Pius enim magistratus sic potius pronunciat, Nihil te ueritas, nil scripturarũ authoritas, nihil omniũ sæculorũ indubitata fides & religio, nihil piorum omnium studium ac diligentia, nihil iusiurandũ sancte & in re bona præstitum sæpius autem abs re uiolatum mouit, nihil metus dei, nihil charitas proximi, nihil pax & tranquillitas publica, nec solum perire uis sed perdere tecum cæteros, morere igitur tua culpa tuoq; uitio si salutem quam uiuus excludis inuenias moriẽs. Et hæc quidem hactenus contra illos disputaui copiosius qui egregie consultum putant ecclesijs si in hac liberum sit cuilibet Donati, Arrij, Pelagij, Nouati & aliorum quorũdam resuscitare hæresim, de his disputare libere, factionesq; nectere. De Seruetoniorũ & Catabaptistarũ defensoribus loquor. Det illis dominus spiritũ sapientiæ & pacis, Amen.

Cum autem misero Arteman ad te, aut Tychicum, da operam ut uenias ad me Nicopolim: nam illic decreui hybernare.

Vocat ad se Titum in Epirum. Est autem & alia Nicopolis in Thracia, alia in Cilicia in Ponto. Noluit autem è Creta solueret priusquam uel Tychicum uel Arteman substituisset, nimirum ut Cretenses qui nuper crediderant non destituerentur fidelis episcopi cura. Magnum enim scelus est ecclesias suis spoliare pastoribus, nisi alios substitueris fideliores. Nicopoli autem proximam agere hyemem statuerat.

Zenam legisperitum & Apollo studiose deducito, ne quid illis desit. Discãt autem & nostri bonis operibus præesse ad necessarios usus ut non sint infrugiferi.

Alendi & liberaliter iuuandi sunt uiri docti.

Digni sunt uiri eruditi & sancti, præsertim apostolici & ministri dei, qui summo habeantur à pijs in pretio, quibus prospiciant rebus necessarijs liberaliter. Audiuimus eñ in priore ad Timoth. epistola, presbyterum qui bene præest duplici honore dignũ esse. At constat ex Actis apostolicis & epistola Pauli ad Corinth. item ex aliorum testimonijs Apollo uirum fuisse pietatis & eruditionis incomparabilis. Et hinc colligimus Zenam legis diuinæ peritissimum & sanctissimum fuisse uirum, merito igitur Paulus hos Tito commendans, Zenam inquit & Apollo σπουδαίως πρόπεμψον, id est summa cura prosequere ne quid illis quod ad profectionem pertinet desit. Quod quidem officiũ solemus exhibere hospitibus, cum uidelicet suppeditamus uiaticũ atq; comeatum. Iam ne interrogaret, Vnde uero quod istis suppeditem haurio? subijcit, Discant autem & nostri &c. Eum locum uenuste explicans Paraphrastes, Si hæc inquit humanitatis officia præstantur ab ethnicis ut hospitem bene meritum honoris gratia deducant ac uiaticũ comeatumq; suppeditẽt abeunti, æquum arbitror ut nostri quoq; qui Christum profitentur, discant talibus officijs uti, ut bene meritis gratiam referãt, non ut illos sua liberalitate locupletent, sed quæ ad necessarios uitæ usus pertinent suppeditẽt cũ erit opus. Neq; enim conuenit ut cum ij qui à Christo sunt alieni tamen natura magistra norint repẽdere gratiam ijs à quibus beneficio sunt adiuti, Christiani steriles & infrugiferi sint erga eos quorum tantam beneficentiam sint experti. Pertinet hic locus ad eum quem tractauit copiosius 1. Corinth. 9. Galat. 6. 1. Thessal. 5. 1. Timoth. 5.

Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui diligunt nos in fide. Gratia cum omnibus uobis. Amen.

Nihil hæc dissident à fine reliquarum epistolarũ, charitatemq; nobis Christianam commendant. Hæc uero breuibus in hanc libuit cõmentari epistolam. Extant præterea in hanc & in utramq; ad Timotheũ egregij Gasparis Megandri charissimi fratris Commẽtarij, qui si obtigissent mihi citius, haud dubie magno fuissent usui. Queritur tamen ille istos, præsertim in Titũ conscriptos non usq; adeo prodijsse castigatos, non quidem culpa chalcotypi uiri optimi & diligentissimi, sed quod isti iam olim scripti nũc uero in lucem non recogniti prodierint. At boni consulet lector si cubi orationis offenderit incommodum. Ipsam enim expositionis puritatem & perspicuitatem sarcturum arbitror si quid dictioni fuerit diminutum.

FINIS.

ARGVMENTVM EPISTOLAE AD PHILEMONEM.

PHilemoni erat ſeruus Oneſimus qui ſuppilatis domini facultatibus aufugit Romam. Illic audito Paulo & religionem Chriſti recepit & Paulo in carcere ſeruiuit, & ea quidem integritate ut hunc domino ſuo reconciliare cogitaret Apoſtolus. Scripta igitur hac epiſtola mire Philemonem urget ut ſeruulum recipiat fugitiuum.

Scripta eſt in genere deliberatiuo & arte tanta, breuitate item tam erudita, ut mihi nihil in omnium oratorum exercitamentis & declamationibus uideatur extare hodie quod cum hac Pauli ſit conferendum epiſtola.

Præterea exemplũ in hac nobis proponitur charitatis inſigne, cum uir tantus furacis hominis cauſſam tanto ſibi ardore ſumit agendam. Erudimur illa ipſa lapſis non denegandam eſſe ueniam ſi modo reſipiſcant. Breuiter theſaurum cum eruditionis tum pietatis non epiſtolam dicet quiſquis hoc breue Pauli ſcriptum propius expenderit.

PAulus uinctus Chriſti Ieſu & Timotheus frater, Philemoni dilecto & collegæ noſtro & Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni noſtro, & quæ domi tuæ eſt cõgregationi. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto.

Inſcriptio quidem pluribus facta eſt, ſed ad unum Philemonem totus ſermo demum conuertitur. D. Ambroſius putat hunc Philemonem è plebe uirum fuiſſe nulla eccleſiaſticæ ordinationis præditum dignitate. Cæterum apparet Philemonem uel epiſcopum fuiſſe Coloſſenſiũ uel euangelij prædicatorẽ, præſertim cum Paulus huic non ut fratri, ſed ut συνεργῷ, id eſt cooperario ſcribat, cooperario autem in prædicanda ueritate euangelica. Recte autem mea quidem ſententia colligit D. Hieronymus, tam Archippum q̃ Philemonem fuiſſe Coloſſenſes. Haud enim aſpernandæ huius coniecturæ colligũtur ex 4. cap. epiſtolæ ad Coloſſ. De Oneſimo dubiũ non eſt quin Coloſſenſis fuerit. Tametſi enim Theodoretus in Græcorum ſcholijs Phrygem putet, Apoſtolus tamen ad Coloſſenſes, Miſi, inquit, Tychicum unà cum Oneſimo fido & dilecto fratre qui eſt ex uobis. Deinde putauerim Apphiã illam Philemonis extitiſſe uxorem, in qua ſententia eſt ipſe quoq; Eraſmus. Porrò commilitonem appellat Archippum quod in ijſdem caſtris deo ſeruiat per miniſterium euangelicum. De ea militia locutus eſt & in 1. ad Timoth. capite 1. Et cum familiam epiſcopi uocat eccleſiam, docet quanta in illa fuerit pietas & religio, & quales deceat eſſe ædes noſtras. Iam uero cum hinc conſtet epiſcopos & prædicatores euangelij apoſtolicos habuiſſe familias, uxorem nimirum & liberos & ſeruulos, conſectaneum eſt illos aberrare à uero & iuſto qui euangelij miniſtros mendicare & ne tantillum quidem poſſidere iubent.

Gratias ago deo meo ſemper mentionem tui faciẽs in precibus meis cum audiam tuam charitatem ac fidem quam habes erga dominum Ieſum & erga omnes ſanctos ut communicatio fidei tuæ efficax fiat agnitione omnis boni quod eſt in uobis in Chriſto Ieſu.

Exordium texit, quo partim à ſua perſona, partim à Philemonis commendatione captat beneuolentiam. A perſona Pauli petitur cum meminit quãta cum diligentia precetur ut fides illa quam cum reliquis fidelibus habet cõmunem Philemon efficax fiat, hoc eſt, uim ſuam exerat ita ut omne opus bonum inueniatur in uobis, ait, hoc eſt in te atq; familia tua, nõ utiq; noſtro merito, ſed Chriſti beneficio. Omnia enim bona quæ in nobis ſunt diuinæ ſunt bonitati aſcribẽda. Ad laudem aũt Philemonis pertinet quod fides & charitas eius prædicabatur à fidelibus. Fides inquã in dñm Ieſum, & charitas erga omnes ſanctos. Hæc enim membra per diſtributionem affiguntur. Iunguntur aũt in hoc Pauli loco quatuor haud exigua religionis noſtræ capita imò primaria, Oratio aſſidua, Fides non quælibet, ſed certa in deũ, Charitas item erga omnes ſanctos, & efficacia fidei ſiue augmentũ in oñi opere bono. In his uelut cardinibus uoluit tota actio Chriſtiana.

Gaudium enim habemus multum & consolationem in dilectione tua quod uiscera sanctorum refocillata sunt per te frater.

Narrationis loco subtexit iam ex superioribus quãtum ex eo perceperit gaudñ quod syncera charitate necessitates iuuerit fidelium tantaq; dilectionis egregia præstiterit specimina. Hinc enim ad institutum suum commodissime descendit. Quasi dicat, Cum uero tanta omnibus præstiteris officia charitatis cum erga sanctos omnes ex animo commotus, illorumq; necessitatibus non secus ac tuis affectus fueris ego quoq; mea te commouendum necessitate & id me accepturum à te speraui quod ambio. Sanctus Hieronymus, Dignum, inquit, erat agere gratias deo super charitate Philemonis qui internum cordis affectum & profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refecerat. Et hoc idioma apostolicum est ut semper uiscera uocet uolens plenam mentis ostendere charitatem &c.

Quapropter quamuis multã in Christo fidutiam habeam iniungendi tibi id quod officñ tui erat, tamen propter charitatem potius rogo, cum talis sim, nempe Paulus senex, nunc autem etiã uinctus Iesu Christi, rogo autem pro filio meo quem genui in uinculis meis Onesimo, quondam tibi inutili nunc uero tibi & mihi perutili, quem remisi.

Iam adornat propositionem, hoc est illud quod intendit inducit, sed lento gradu & contectam. Iniuriam Philemoni fecerat Onesimus, damnumq; dederat bene merito, quamobrem Philemonis animus & exasperatior & intractabilior erat. Oportebat itaq; Apostolum offensum & irritabilem tractare mollius. Hinc est quod tanta arte id quod petit inuoluit euidentibusq; argumentis prẹmissis stipat, ut plane animum Philemonis paulò duriorem fregerit impetraueritq; quod uoluit priusquam hoc expresserit diserte. Petuntur autem argumenta à persona Philemonis Pauli & Onesimi. Scopus est, Vt Philemon recipiat fugitiuum Onesimum. Id ut persuadeat Paulus initio Philemonem sui commonens officñ ueluti ab honesto & æquo ad hunc modum argumẽtatur, Poteram tibi ô Philemon, hoc quod nunc à te petiturus sum imperare. Sum enim apostolus Christi, & caussa huiusmodi est ut officñ tui sit obedire. Tectius enim significauit æquũ esse ac honestum, ut qui in maioribus delictis à domino consecutus esset misericordiã, idem etiam condonaret fratri delictum leuius, Matthæi 18. Mira uero arte istud ueluti negligens cum tamen hoc ipsum urgeat maxime argumentum conuertitur ad preces, quæ in præsenti caussa plus habebant uirium, dicens, Quamuis ergo potestate mea in te uti potuissem, quia tamen omnes in te prædicant charitatem excellentissimam, ideo malui & in hoc argumento te per charitatem obtestari charitatisq; monere. Nondum autem exprimit quid uelit, sed miro modo affectum mouens prius cõmonstrat precatorem haud esse aspernandum. Quæ à sua duxit persona. Mouet autem pathos ab ætate, hoc est à senecta, deinde à debilitate ac uinculis, ueluti cum poëta dicit,

Dauni miserere senectæ. Et,
Vincti miserere parentis.

Dicit ergo Apostolus, Non negabis quicquam roganti, primum Paulo illi tuo, Christi apostolo, deinde seni. Nosti enim quid senibus ipsa deferat natura, nosti quo loco habendi sunt senes, adde iam & uincto, uincto inquam seni, & uincto Iesu Christi. Quid uero tanto negares precatori? Iam uero post argumenta quod petit subiungit & ipsum mira cum euidentia, nam à persona Onesimi nunc argumentatur. Et initio nõ dicit, Impero tibi ut recipias Onesimum, sed repetit rogandi uerbum, nec pro Onesimo simpliciter, sed pro filio meo dicit: cui euidentius aliud subiungit, Quem genui (Christo uidelicet per euangelium) in uinculis. Significat enim illum à se hoc diligi tenerius. Præterea ex nomine & utilitate argumentans addit, Hactenus parũ quidem suo nomini respondit, hoc est parum utilis & frugi fuit. Significat enim ὀνήσιμος Onesimus iuxta etymologiam, utilis, nunc uero non parum tibi utilis erit, quando mihi quoq; in carcere fuit perutilis,

perutilis, cuius quidem rei gratia remisi. Nisi enim integrum & frugi hominem fuissem expertus haudquaquam furacem & decoctorem remisissem. Ita etiam scelus miseri commitigat.

Tu autem eum id est uiscera mea suscipe, quem ego cupiebam apud me retinere ut pro te ministraret mihi in uinculis euāgelij, sed absq; tua sententia nihil uolui facere, ne uelut ex necessitate bonum tuum esset sed spontaneum.

Pergit in confirmatione & Onesimi commendatione. Nunc enim uiscera ipsum appellitat sua id est affectus cordis intimos & unice charum filium. Quia uero respondere poterat Philemon, Si tam ille tibi utilis erat, si tam dilectus, quare non retinebas ipsum apud te? tacite id quidem occupat & ait, Maluissem quidem illū apud me retinere. Tam enim mihi hominis integritas est perspecta ut præ hoc alium noluissem ministrum. Et sanè si quempiam mihi uoluisses seruum mittere, qui mihi pro te ministrasset in uinculis, meliorem Onesimo non potuisses. Quæ quidem eximia Onesimi laus domini animum sibi si quid aliud potuit reconciliare. Sequitur autem quod cœptam absoluit sententiam, Sed absq; tua sententia nihil uolui facere. Causa, Ne hoc beneficium tuum in me collatum ex necessitate non ex beneficētia uideretur profectum. Beneficia ergo non sunt beneficia nisi etiam ultronea spontanáue sint. Quo igitur titulo iustitiæ se suaq; nefanda plagia defensabunt posthac monachi abripientes parentibus liberos ut scilicet in suis illis institutis monasticis seruiāt deo? Plausibilis & bona uidetur causa, uerum Paulus noluit absq; consensu domini seruum in iusto retinere ministerio. Isti in iniusto uel inuitis retinent parentibus, cognatis ac necessarijs. Quod si in ea fuisset sententia in qua sunt hodie libertatem iactantes Christianam magno cum furore & supercilio intonasset, Christiani liberi sunt, posteaquam ergo Christi nomen amplexus est Onesimus seruus esse desijt Philemonis, nisi ergo ecclesia malis excludi manumittes Onesimum. Cæterum iniquum putat nunc ut in sancto ministerio seruum retineat alienum. Tam uidelicet longe lateq; à ueritate euangelica dissident dogmata Catabaptistica.

Nam propterea forsitan secessit ad tempus, ut æternum eum reciperes, non iam ut seruum, sed supra seruum, nempe fratrem dilectum, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in domino? Si igitur me habes consortem suscipe illum tanquam me.

Confutatiuncula diluit quædam quæ obstare poterant quo minus reciperetur Onesimus. Primum obijcit Philemon, Egon' fugitiuum reciperem? Respondet Paulus, Secessit fateor, atqui ad tempus secessit fortassis. Hanc enim adijciēs particulam sententiam temperauit. Occulta quippe sunt iudicia dei & temerarium est quasi de certo pronuncia re quod dubium est. Forsitan inquit secessit ad tempus ut æternum eum reciperes. Quasi dicat, Non hoc tibi modo spectandum est quod aufugit, sed illud potius expendendum quanto ad te cum fructu redeat, & quantæ salutis occasio ea sibi fuga fuerit. Discessit ergo ad tempus ut æternum eum nūc reciperes. Seruitus carnalis & dominiū finitur morte, at Christiana fraternitas æternum manet. Sequitur ergo, Vt æternum reciperes eum non iam ut seruum sed supra seruum nempe fratrem dilectum. Ego certe hunc pro dilectissimo fratre cōplector quando ipse Christum ex animo amplexus est. His per Comparationem adijcit, Quanto autem magis tibi, erit uidelicet amandus? Nam præter illud quod communis tecum domini Christi minister factus est & eiusdem corporis membrum, quo nomine mihi quoq; charissimus est, accedit etiam hoc quod peculiariter de familia tua & iuxta carnem tibi coniunctus est. Deinde urget eum iterum persona sua Paulus dicens, Si uis me habere consortem, habeto & Onesimum, quem ego cōsortem & filium meum & uiscera mea habeo: quem si non susceperis nec habere uolueris, intelligis quod meo quoq; consortio carebis.

Quod si quid læsit te aut debet, hoc mihi imputato. Ego Paulus scri-

pſi manu mea, ego dependam, ut ne dicam quod etiam temetipſum mihi inſuper debes.

Reſpondet his ad alteram obiectionẽ. Oneſimus enim quædam rei domeſticæ compilarat et fuga ſibi conſuluerat. Aufugerat autem in Italiam ueneratq; Romam, quod ſuperius quoq; memini, ne in proximo facilius poſſet comprehendi, ibi uero omnem pecuniam domini prodegerat per luxũ. Id quod Philemon iniquiore animo ferebat. Paulus igitur hic fideiubet pro Oneſimo & ſeſe illius uice obſtringit, exhibito huius rei chyrographo. Ego inquit dependam, mihi imputato, ſi quid te læſit. Nec eſt quod hic quicquam metuas, Ego Paulus ſcripſi manu mea. Non aſpernaris opinor obligationem & ſponſionem meam, qui melius noſti quanta mihi debeas, non hoc tantum debitum, ſed temetipſum quoq;. Nam Paulus hunc uitæ reſtituerat, hoc eſt Chriſtianum fecerat. Habes in hoc exemplo quomodo nos & noſtra omnia debeamus fratribus. Quò etiam parabolam domini pertinere puto quæ texitur Lucæ 10. & à nobis exponitur 2. Corinth. 8.

Etiam frater. Ego te fruar in domino. Refocilla mea uiſcera in domino. Confiſus de obedientia tua ſcripſi tibi ſciens quod etiã ultra quàm dico facturus ſis.

Epilogus eſt planè Patheticus & ad miſericordiam commouendam perſuadendũq; appoſitus. ναὶ inquit frater, quę uox obteſtantis eſt. Germanice illa omnia felicius ad hũc modum uerteris *ã min brůder, gwår mich vmb gotz willen, erfröw min hertz im herren.* Illud autem pulchrum & ſuo inſtituto eſt accommodum quod de eo uelut accepto exultat quod ambiebat adhuc. Dicit enim, Nõ diffido charitati tuæ neq; ideo tot tecum ago uerbis, Scio enim te hac in re plus præſtaturum quàm abs te peto, imò quod te mihi impendiſti hactenus.

Simul autem etiam præpara mihi hoſpitium. Spero autem quod auxilio precum ueſtrarum donabor uobis. Salutant te Epaphras conceptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cũ ſpiritu ueſtro, Amẽ.

Omnes hi cum Paulo pro Oneſimo deprecabantur.

Recte credidit Hieronymus ideo feciſſe apoſtolum hoſpitij mentionem ut citius expectans quod rogatus fuerat faceret, Sed & reuera hoc poſtulaſſe uideri poterat quod fidelium fideret precibus, quæ quidem apud dominum efficaciſſimæ ſunt. Eorum alibi facta eſt mentio quorum hic meminit uirorum illuſtrium. Demas nondum defecerat. Dominus largiatur omnibus fidelibus ſpiritum fortitudinis quo animati in finem uſq; perſeuerent in profeſſione euangelica, Amen.

FINIS.

IN PIAM ET ERVDI-
TAM PAVLI AD HEBRAEOS EPI-
STOLAM COMMENTARIVS.

ILLVSTRISSIMO CATTORVM PRIN-
CIPI PHILIPPO, HEINRYCHVS BVLLINGERVS GRA-
tiam & uitæ innocentiam à domino.

AGO TIBI gratias, illustrissime Princeps, communi omnium piorum nomine, quod causſam nostram imò non nostram, sed Christi domini, multis iam annis, maxime uero proximis diebus Schuinfordiæ primum, deinde Norinbergæ, aduersus eos strenue defenderis, qui nos & nostram, quam Zuinglianam uocant, doctrinam, uoluere proscriptam. Vidisti enim acri illa, qua à summo principe deo donatus es prudentia, non hominis proscribi doctrinam, sed dei ueritatem, quam Zuinglius non minus pie quàm cordate toti orbi prædicauit. Memor itaq; uerborum Apostoli quibus Timotheum suum contestatur & dicit, Ne pudeat te testimonij domini nostri, neq; te pudeat mei, qui sum uinctus illius: noluisti ueritatem ullo humani nominis prætextu proscribi. Quapropter gratulamur hic quoq; tibi, Princeps pijssime, de illa præclara quæ in te est prudentia & constantia: & deo nostro patri benignissimo gratias agimus quod te nostræ causſæ dederit æquum & iudicem & tutorem. Illum porrò indefessis oramus precibus, ut quod cœpit confirmet, & dona sua in te augeat, imperium quoq; securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum & obedientem, propheras quoq; sanctos & ueraces tribuat, & te nobis diu incolumem & in uia ueritatis conseruet. Scimus enim absq; singulari numinis afflatu, tenuem esse principum pietatem: ut nunc id totum quod per te nobis confertur diuinæ bonitati ferà mus acceptum, quæ te & tuo ministerio, ceu honorifico uase, ad gloriã nominis sui utitur in domo sua. Neq; enim ista in hoc scribimus, quod ueritatis negotium sine tuo aut aliorum Principum consensu, interijsse aut constare non posse censeamus: qui iam olim didicimus ipsam ueritatẽ per se quidem esse inuincibilem & immortalem, qua non Principes solum, sed omnia regna mundi cõseruentur, & quicquid laudis uel uituperij, commodi uel incommodi principes habeant, id omne aut ex ueritatis cultu aut neglectu oriri. Quid enim apertius quàm quod Christus dixit? Ego uero ab homine testimonium non accipio. Quid euidentius quàm quod propheta scripsit? Nolite fidere principibus aut quoquam hominum, in quibus non est salus. Ab homine enim cum abit spiritus eius, redit ad terram suam, tunc pereunt uniuersæ cogitationes eius, Felicem autem eum cuius robur est deus Iacob, cuius spes est ad dominum deum suum. Qui cœlos, terram ac mare condidit, & quicquid in eis est, qui FIDEM IN PERPETVVM SERVAT. In historijs quoq; sacris uidemus Saulem, Achab, Ioas & Zedechiam præcipuos ueritatis hostes, per omnem uitam periclitari, tumultuari, nihil satis tuti aut firmi habere, & tandem fœda etiam suorum strage & uita & regno exui: interim uero ueritatem quam illi extinctam uolebant, nihilominus perennem manere. Contra uero Dauidem, Iosaphat, Ezechiam & Iosiam fidelissimos ueritatis cultores, ueritatis beneficio etiam in medijs periculis impauidos obdurare, in ipsis quoq; tumultibus tranquillos perstare, feliciter & summa cum laude res gerere, & æterna demum immortalitatis gloria à deo fidelissimo agonotheta munerari. Ex quibus constat ueritatem per se quidem esse felicem & immortalem. Qui enim ueritatem propugnant, ab ipsa quidem defenduntur & eius beneficio multis perfruuntur bonis. Qui uero impugnãt eam, ij felicitate non modo destituuntur, sed ne illud quidem quod uoluerunt assequuntur. Siquidem ueritas ab ipso mundi exordio immota aduersus omnium tyrãnorum insultus perstitit. Benigne itaq; tecum egit pater cœlestis, Princeps illustrissime, qui tibi ueritatis studium inseuit, & te honorifico uase in ecclesia sua uti uoluit: unde nunc pietas tua prudenter fecerit si illius uocationi non desit, & in timore domini ueritatem impense coluerit.

Neq; uero ignoramus quid hostes nostri tibi hic obijciant, Nostram doctrinam inconstantẽ esse, factiosam & hæreticam: nos uero ut schismaticos & seditiosos homines uitandos. Scimus quanta linguæ uirulentia, quantis calumnijs nos deferant atq; proscindant. Verum cum æquum te nobis hactenus præstiteris spectatorem, futurum speramus, ut ne nunc quidẽ talibus conuitijs nobis iniquus reddaris. Nam doctrinam nostram sanctam esse & ueram euicit cõpluribus scriptis ille sanctæ memoriæ antecessor noster Huldrychus Zuinglius: euicit & inculpatæ uitæ & incõparabilis eruditio-

nis uir Ioannes Oecolampadius. Eandem illam doctrinam, quam illorum ministerio ex sacris à deo accepimus, utpote nō hominum, sed dei discipuli, cuius illi erant serui, adhuc illibatā custodimus. Id quod hoc meo in Hebræos Pauli commētario, imò & ipsa Paulina epistola cōprobamus. Ex qua, si per occupationes legere liceret, intelligeres, nos de Scriptura, Testamēto & Lege dei, de Deo, Vnitate & trinitate dei, de Christo Deo & Homine, Mediatore, Sacerdote et Sacrificio, de uera Salute & Iustificatione, de Ecclesia, de Vocatione ad munus docendi, de Vera fide, de Sacramentis & uero dei cultu, primarijs nostræ religionis capitibus, nihil nouum, factiosum aut hæreticum, sed prorsus sana, catholica & orthodoxa credere & prædicare.

Igitur cum ipsa res clamiter Sanctam & ueram esse doctrinam quam sequimur, tuarum partium erit, Princeps clarissime, Veritatem non deserere, & ipsa re, quod diceris, esse, Princeps ueritati & iustitiæ consecratus, qui non modo calumnijs iniquorum aduersus innocentes non irritetur, sed ne periculis quidem à uero & iusto absterreatur. Vere enim Cicero omnem laudem facti esse putauit, quod prudentia sine constantia nihil sit. Et Plato in eo opusculo, cui titulus Laches, putauit scientiam sine iustitia cæterisq; uirtutibus callidiratem potius esse quàm sapientiam. Et sanè non dubitamus isti tuo tam generoso animo tantum à numine roboris esse inditum, ut is neq; Capellana nostra clade, neq; Zuinglij nostri insperato interitu concutiatur. Scimus enim quanto dicendi, imò nugandi apparatu aduersarij, quo magis caussæ nostræ incommodent, hostium iactitent uictoriam. Scimus inquam quod alij quidem clamitāt, factiosum hominem iusto dei iudicio per tumultum esse oppressum. Alij uero contendunt huius interitum hæreticæ doctrinæ certissimum esse argumētum. Sed audi clementissime Princeps, Non propter tumultum occubuit, qui ueræ pacis, æquitatis, iustitiæ & patriæ amantissimus fuit. Bello quidē & tumultu non pessimi, sed optimi quiq; plerunq; oppressi sunt. Plura autem pro hoc uiro, hac in re, nunc non dicam, qui eatenus hominem defendo, quatenus illi ueritatis caussa coniuncta est, & ita coniuncta est, ut ueritati aut commodet aut incommodet. Aliàs agnoscimus illud Paulinum, Quis est Cephas? Paulus aut Apollos? nisi ministri per quos credidistis. Neq; uero plura de caussa aut iure belli, bellúmne an tumultus fuerit scribam, cum quod nihil istius ignores, tum quod prælo potissima eius generis ante acceptam cladem à clarissimo nostro Senatu Tigurino in lucem ædita sunt. Hoc adijciam, Interitum qualemcunque tandem, uel fidem uel doctrinam, neq; probare neque improbare posse. Videas enim homines impijssimos faustissimis excedere fatis: rursus uideas optimos quosque uiros à pessimis mortalium inhonestissimo ferè mortis genere extingui. Isaias enim omnium prophetarum princeps serra dissectus, sub prophetarum latrone Manasse, occubuit. Ieremias prophetarum constantissimus, & Zacharias longe fidelissimus à sceleratissimis mortalium lapidari sunt. Quid præterea cōmemorem Ioannem Zachariæ filium quo sanctior alius à mulieribus nemo prognatus est? Quid uas electionis Paulum nostrum? Quorum ille consilio turpissimi scorti, ab omnium impurissimo Herode, etiam in carcere cæsus: hic uero, ceu publicæ pacis interturbator, ab omnium qui sunt & fuerunt crudelissimo latrone Domitio Nerone truncatus est capite. Interim uero nemo nisi impijssimus quisque doctrinam & uitam istorum propter supplicia posuit in dubium. Cur ergo isti Zuinglij nostri interitum trahunt ad damnationem fidei eius & doctrinæ? cum satis constet in ijs à pijs desiderari nihil. An uero obliti sunt uerborum domini? Si me persecuti sunt & uos persequentur. Item, Veniet tempus ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare deo. An ignorant, quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum dei? An uero Euangelium ita orbi prædicabunt, ut nihil patiantur, semper placeant, neminem offendant, delicijs fruantur & securi sequacibus securitatem polliceantur? Nouus sanè prædicandi modus, prophetis & apostolis incognitus, illi enim omnium hominum odia in se suscipientes, clamabant, Si hominibus placuissemus, serui dei nequaquā essemus. Et, Qui iuxta faciem uolunt placere in carne, cogunt uos circumcidi, tantum ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Quod si aliud sentiunt isti, cur obsecro nos adeò uilipēdimur? idq; eo potissimum nomine, quod ab hostibus ueritatis affligimur, contumelijs afficimur, substantia nostra exuimur, cædimur, & quotidie mortis expectatione angimur? Cur indies minantur interituros etiam superstites eius (ut aiunt) sectæ uiros? Quasi uero ipsi doctrinæ genus inuenerint, cui qui adhæreat extra omnem teli iactum constiterit. At mihi crede, illustrissime Princeps, non ea sunt nostra tempora, quæ lenitatem & securitatem mereantur: neque tales hodie sumus, qui liberam ueritatem ferre aut possimus aut uelimus. Cum itaque nobis qui uerbo præsumus, cum mundo (nemo enim pijs probari uetat) tam bene conueniat, uerendum est, plurima à nobis per adulationem fieri, & multo plura per ignauum timorem omitti. Et ut libere tecum loquar, Princeps clementissime, id non minus timendum est, eò res nostras breui deuenturas, ut communibus uotis optemus, nos unà cum ijs, quos nunc diris deuouemus, illa clade Capellana interceptos, dicamusq; eos esse felicissimos, quibus pro ueritate & patria fortiter oppetere cōtigit: quod miseri longe crudeliora tandē per uniuersam Germaniam experiri cogemur. Atque utinam uanus sim uates. Atqui scriptura prodit, Iosiæ quoque temporibus Legis librum esse repertum, prophetiam quoque

unà

unà cum uero dei cultu reſtitutam: at nihilominus paucis poſt annis ſanctiſſimum regem Ioſiam impiſſimi idololatræ Nechaonis manu eſſe interfectum, adeoq; eum eſſe interfectum, qui oraculo à domino acceperat, Quoniam audiſti legem & humiliatus es in conſpectu dei, ego quoq; exaudiui te, & colligam te ad patres tuos, nec uidebunt oculi tui malum, quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum. Siquidem non multis poſt annis, maxima & principum & populi ſtrage, Hieruſalem urbium laudatiſſima ab impijs direpta, incenſa, & funditus exciſa eſt. Cauſſam iſtis reddidit Ieremias in 16. Eò quod patres ueſtri dereliquerunt me, ait dominus, & ſecuti ſunt deos alienos, quos & coluerunt & adorauerunt, me autem deſeruerunt, & legem meam non cuſtodierunt. Vos quoq; ſceleribus ueſtris malitiam patrum ueſtrorum ſuperauiſtis. Quiſque enim ueſtrum ſequitur prauas cogitationes cordis ſui mali quò minus mihi pareat. Quibus ſi noſtra conferamus tempora, quid oro ſimilius? Reſtituta enim eſt lex domini: ſed pereunt protinus optimi uiri. Et quid poſtea? prædicatur equidem alicubi ueritas, ſed ea nihiloſcrius unà cum deo floccipenditur. Nam ex prophetis alij quidem in Papa mendacium prophetãt, Alij uero qui à ueritate ſtare uidentur, ea parte plus quàm decet muti ſunt, qua tamen maxime uocales eſſe oportebat. Siquidẽ de charitate, lenitate & diuina miſeratione ſuauiter & maximo uulgi plauſu commentantur, ubi de iuſtitia differendum erat, eaq; ſeueriter protrahenda ſcelera quibus totus orbis hodie ſcatet. Ipſe enim magiſtratus cuius erat æquitatem & iuſtitiam colere, partim innocentes, Veritatis nomine, in exilium pellit & iugulat, ueritatem ipſam proſcribit, & ſanguine ciuium uiuit, partim religionem ſimulat, ideoq; & iudicium & iuſtitiam negligit, imò & ipſe uim facit, perſonas ſuſcipit, perpotat, ſcortatur, luxu ueſtium, alea, immoderatis uenationibus, faſtu et pompa concoquit quicquid in publico erat ærario, deinde uero nouis exactionibus exteris bellis & malis artibus totas populi eneruat cum uires tum opes. Populus quoque ipſe fraudat, mẽtitur, iurat & peiurat, potat, & nihilo ſegnius luxu diſſipat, quod malis artibus collegerat. Interea uero omnes ſuauiter commentamur de Euangelio, ſed nemo uitam mutat in melius, nemo ita ut decebat, accuſat ſcelera, nemo protrahit & conficit. Quid autem dicam de monopolis, cermatiſtis, publicanis & uſurarijs, qui omnes ſuas illas iniquitatis radices tam alte egerunt, ut annoſam quercum minori negotio euellas, quàm iſtos redigas in ordinem? Hi impune totum orbem expilant: in horum manibus ſunt totius orbis negotiationes & theſauri, cumq; eò per furtum fraudem & rapinam euecti ſint, nemo tamen ex illis qui Chriſtianæ religionis columina uideri uolunt, ſe illis uel mediocriter opponit. Ita fit, ut ui quadam res noſtræ agantur, pauperes opprimantur, ipſeq; iudex (ut prophera ait) in reddendo ſit. Quid ergo nobis niſi communis aliqua peſtis, uel Nabuchodonoſor, uel Sanherib, uel Antiochus, uel alia generis humani lues expectanda, quæ ſemel ferro & flamma, fame & peſte, execrabilem hanc terram luſtret? Quod ergo Zuinglium ſuſtulit dominus, quod cum eo tot ſanctos, tot probos, tot doctos, tot patritios & ſenatores, tot denique innocentes ciues & colonos, una hora ſuſtulit, nimirum omine & diuino quodam conſilio factum eſt, proculdubio quod grauiora, ni prorſus conuertamur, miſeros nos maneant. Vt nunc ea clades te magis animare quàm à ſancto inſtituto debeat retrahere.

Neglecta itaque quorundam dicacitate, memineris, inclyte Princeps, uerborum domini tui quibus cultores ſuos affatur & ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiã uos. Tollite iugum meum ſuper uos & diſcite à me quod mitis ſim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris. Iugum enim meum commodum eſt, & onus meum leue eſt. Equidem quod nos attinet, libere hoc de ueritate & benignitate domini cum gratiarum actione referre poſſumus, quod Eccleſiæ noſtræ in mediis afflictionum procellis nunquam defuit, ſed perinde ſuos animauit, imò ne nunc quidẽ deſerit. Siquidem Senatus noſter perſtat, perſtat & prophetia, perſtant leges quoque aduerſus Papiſmum & luxum æditæ, perſtat & populus: atque utinam ſic benefacere pergat dominus. Patri itaque tam potenti & benigno te quoque totum trade, ueritatem eius cole, in hac perſta, huic immorere. Id ſi feceris, illud ſanè præſtiteris quod Paulus tota hac ad Hebræos Epiſtola ambit: quam ita ut noſtris illuſtrata eſt commentarijs, tuo nomini uoluimus dicatam. Dominus Ieſus confirmet te ſpiritu ſuo ſancto. Amen. Tiguri 17. Auguſti. 1532.

IN PIAM ET ERVDITAM PAVLI AD HEBRAEOS EPISTOLAM HEINRYCHI BVLLINGERI PRAEFATIO.

QVI AVTHORES sibi sumunt exponẽdos, multa præfari solent de laudibus eius, quem quisq; sibi enarrandum delegit, item de consilio authoris, phrasi & dicendi genere. Aggressurus ergo expositionẽ epistolæ Pauli ad Hebræos, lectores remitto ad Lucæ libellum, de Actibus apostolicis prętitulatum, & ad Chrysostomi homelias de Laudibus Pauli erudite ac copiose conscriptas. Ego enim in præsentiarum de Authore huius epistolæ dicam, quandoquidem de eo dubitari uideo. Deinde uero paucula per argumẽtum de consilio Pauli, deq; scripti genere adiũciam. Et de authore quidem huius epistolæ hæc habemus.

DE AVTHORE HVIVS EPISTOLAE.

Obiectiones aduersariorum.

Qui hanc epistolam Paulo adimunt, istis niti uidentur. Principio sunt in hac (inquiunt) nonnulla ueterum hæresum pãtrocinia, maxime in sexto, ubi Nouatianicam caussam plurimum iuuisse creditur. Deinde quod multo tempore à Latinis non est recepta, utpote quæ & uetustis semper fuerit suspecta. Rursus quod nomen Pauli, pro more omnium epistolarum, non præmittat: neq; stilum neq; orationis Paulinæ referat charactherem. Maxime uero quod hic author in secundo testatur capite euangeliũ sese ab apostolis didicisse: cum interim Paulus in Galatis id neget ac perneget. Hæc inquã illorum fulcra sunt. Nam quod alij hoc obiiciũt epicherematis, Ambrosium in omnes scripsisse Pauli epistolas, in hanc unam non scripsisse, unde consentaneum sit eam non esse Pauli: facile ipsa Ambrosij authoritate diluitur. Is enim huius epistolæ testimonijs passim citatis utitur in rebus quoq; ad religionem spectantibus nõ postremis, quin & ipse eam Paulo uidetur adscribere. Nos ad cætera properabimus, ut ea paulò diligentius excutiamus.

An Nouati partes hac epistola defendantur.

Et initio si libris sacris ideo sua est infirmata authoritas, quod eorum abutuntur testimonijs hæretici, quis non uideat Noui testamenti primarium codicem, Ioannis uidelicet Euangelion, prorsus obsoleuisse? Hinc enim arma sibi tota Arrianorũ phalanx accepit. Atqui sanis abusi sunt testimonijs, itaq; immota manet sua sacris authoritas. Videtur autẽ (id quod ex hac mihi subolet obiectione) eo tempore id accidisse Hebræorum epistolæ, quod nostris temporibus Iacobinæ, quam multi nostrorũ Iacobo ademerunt apostolo, nulla alia caussa, nisi quod Nazaræis, quos & Minæos uocauit Hieronymus, fauere uideretur, qui iustitiam non fidei, sed hominum tribuunt operibus. Cum tamen in hoc prorsus non sit apostolus. Neq; enim sibi probandum sumpsit, opera iustificare: sed fidem sine operibus non esse fidem, quin magis uanam opinionem. Vnde mira gratia operibus tribuit, per allœosim, quod fidei re uera tribuendum erat. Aut certe per fidem καταχρηστικῶς intellexit non fidem ueram, sed opinionem falsam: sicut per opera fidem operantem. Id quod illi non uiderunt, ut ne nostri quidem intelligunt, Apostolum in huius epistolæ 6. cap. Nouati partes nihil iuuisse, sed longe aliud spectasse: sicuti palàm eo loci demonstrabimus. Ideoq; nihil in hac re probabunt, qui sectam obiecere Nouatianicam. Adde quod temeritatis notam effugere non potest, qui propter unum aut alterum locum minus intellectum, prorsus negligit & abiicit optimum authorem.

Veterũ de hac epistola iudicium.

Et de Latinis qui hanc nõ receperint epistolam quid dicam aliud, quàm quod apud Latinos Nouati secta primum & cœperit & efferbuerit? quemadmodũ uidere est apud D. Cæcilium Cyprianum. Itaq; cum Nouatiani non parum niterentur huius epistolæ capiti 6. idq; plerisq; Catholicis facesseret negotium, totaq; ista tragœdia mox inter prima oriretur ecclesiæ initia, factum est ut etiã inter initia Latinæ ecclesiæ, hæc epistola ab alijs male audierit, ab alijs uero prorsus contempta sit: nempe ne eius patrocinio impia euinceret Catharorum secta. Deinde constat Græcorum ecclesiam semper fuisse florentiorem, utpote ex qua in nostros defluxerit quicquid apud nos solidę inuenias eruditionis.

Latini.

Græci.

nis. Quis enim nescit D. Ambrosium & Hieronymum duo Latinæ ecclesiæ lumina, ex Græcis, Origene potissimum, omnem penè sacrarum accepisse cognitionem? Si itaque Græci de hac bene senserint epistola, minus urgebit nos Latinorum iudicium, quod interim D. Hieronymi testimonio, non omni prorsus parte nobis aduersum esse comprobabimus. Prius tamen uidebimus quidnam scripserint Græci, quo simul & hoc elucescat ueterũ primarios quosq; de hac epistola, ut Pauli, semper pronunciasse, etiam si quorundam Latinorum non nescierint nec dissimularint contrarium iudicium. Eusebius ergo Cæsariensis eruditissimus idemq; diligentissimus uetustatis indagator, hoc negotium sic collegit & absoluit, ut Mineruam sus erudierit, si post uirum tantum quisquam idem tentarit. Is inquam de Clemente Pauli discipulo scribens Ecclesiast. hist. lib. 3. cap. 38. Clemens (inquit) in Epistola quam Corinthijs scribit, meminit epistolæ Pauli ad Hebræos, & utitur eius testimonijs. Rursus in 6. cap. 11. Alexandrini Clemẽtis mentionem faciens, De Epistola uero ad Hebræos (inquit) ita disserit, quod manifeste Pauli sit apostoli, scripta sit autem Hebræo sermone tanquam Hebræis: à Luca uero qui erat Pauli discipulus, interpretata in Græcum: unde & stilus eius magis similis uideatur libello illi, quem Lucas de Apostolorũ actibus scripsit. Item in eodem cap. 18. Canonem edisserens, quẽ in sacris libris posuerit Origenes, quatuordecim numerat Canonicas Pauli epistolas: mox adijciens, Quamuis & nõnulli de ea quæ ad Hebræos scripta est, dubitauerint: pro eo quod non uideatur in ea seruari eius illa sententia, quam de se ipse pronunciat, dicens se imperitum esse sermone. Sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissime Pauli est: & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam ut Pauli epistolam susceperunt. Meminit idem Eusebius Irenæi Lugdunensis Galliarum episcopi (de quo multi dubitant Græce scripserit an Latine) qui plurima de epistola ad Hebræos in suis Dialogis, de diuersis conscriptos, ponat testimonia. Ipse deniq; author noster Eusebius, non uno loco tribuit hanc epistolam Paulo. Nam in 3. cap. 25. recensens libros Noui testamenti, quorum aliquando suspecta fuerit authoritas, huius ad Hebræos epistolæ planè non meminit. Et in cap. 3. ueluti contemnens Latinorum iudicium, Pauli quoque (inquit) manifeste quatuordecim sunt epistolæ quæ in authoritate habentur: licet sciam apud Latinos de epistola quæ ad Hebræos scribitur haberi dubitationem. His iam accedit & Hieronymi, in Latinorũ ecclesia non postremi doctoris (quam supra polliciti sumus) sentẽtia, qui ad Dardanum de terra promissionis differens, Illud nostris dicẽdum est (inquit) hanc epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro ecclesijs Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi: licet pleriq; eam uel Barnabæ uel Clementis arbitrentur: & nihil interesse cuius sit, cum ecclesiastici uiri sit, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum cõsuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiũt: & tamen nos utraq; suscipimus: nequaquam huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum authoritatem sequentes, qui plerunq; utriusq; utũtur testimonijs: non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe qui & Gentilium literarum non raro utantur exemplis: sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis. Et hoc quidem D. Hieronymi de hac epistola ad Hebræos iudicium est. Quod ut Latinorum qui hanc epistolam Paulo adimebant, non accedit, ita eandem uehementer probauit, & tanquam canonicam ecclesiæ commendauit. Et hactenus ueterum sententias retulimus, ex quibus satis elucere putamus ueterum primarios quosq; optime de epistola Pauli ad Hebræos sensisse, eamq; Paulo adscripsisse apostolo. Vt illi nunc satis imprudenter pronunciarint, qui dixere, Veteres semper de hac dubitasse maleq; pronunciasse epistola.

Clemens.

Origenes.

Irenæus.

Eusebius.

Hieronymus.

De nomine autem Pauli omisso, quod illi in abdicationis traxere argumentum, disseruit & Eusebius ex sententia Alexãdrini Clementis, dicens, Quod autem superscriptionem solitã inibi non habet, id est Paulus apostolus, hoc esse rationis ostendit, quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne eius dicta susciperent, & iccirco prudenter declinasse, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, lectio eius repudiaretur.

Cur nomẽ Pauli omissum.

Hæc Clemens apud Euſebium. Et ſanè ſcimus Paulum omnibus factum omnia, & omnium in ſe mores ſuſcepiſſe, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Athenis enim longe alio modo aliaq; ratione de pietate diſſerit, quàm apud Antiochenos. Nam ibi agit pro more Gentilitio, Gentilem allegãs Aratum, & à Gentilium ordiens ſacris. Hic uero tanquam apud Iudæos rem acturus, à deo & patribus, Iudæorum delicijs, auſpicatur dicẽs, Deus populi huius &c. Sed & totam orationem propheticis firmat oraculis. Sic & hanc epiſtolam pro ſancta ſua uafricie à deo orditur & patribus, ſanctiſq; ſcripturis totam confirmat. Quo fit, ut omiſſus Titulus magis iuuet cauſſam noſtram q̃ infirmet.

De ſtilo Pauli. Iam uero de ſtilo huius epiſtolæ diſputatũ eſt apud ueteres quoq;. Audiuimus enim Clementis Alexandrini ſuper hac re ſententiam. Origenes uero: Si uero (inquit) requiras à me, per quem ſit epiſtolæ ſermo compoſitus: opinio ad nos uſq; peruenit eiuſmodi, A quibuſdã dicebatur, quod Clemens apoſtolorũ diſcipulus & epiſcopus urbis Romæ, Græco eam ſermone, non tamen ſenſibus expoliuerit. Alij quod Lucas, qui Euangelium ſcripſerit & Actus apoſtolorum. Cui non diſſimile eſt Euſebij iudicium in hunc modum perſcriptum: Conſtat ſanè quod Apoſtolus tanquam Hebræis mittendam, patrio eam ſermone conſcripſerit, & (ut quidam tradũt) Lucam Euangeliſtam, alij autem Clementem interpretatum eſſe: quod & magis uerum eſt, quia & ſtilus epiſtolæ quæ ad Corinthios extat huius Clementis, cum hac concordat, & ſenſus nimirum utriuſq; ſcripturæ plurimam ſimilitudinem ferunt. Huius ſententiæ eſt Hieronymus quoq; in opuſculo De uiris illuſtribus. Quod ſi exactius negotium hoc perpendas, uidebis iſtos non prorſus uanos fuiſſe uates. Neſcio enim ſi poſt unam aut alteram epiſtolam ipſe Paulus ullam ſcripſerit. Quæcunq; enim ſcripſit, per notarios ſcripſit: id quod clariſſime liquet ex Romanorum epiſtola, quam ex ſententia Pauli ſcripſit Tertius. Hic autem fieri ſolet, ut materia & inuentio authoris ſit ueri: eloquutio autem aut character notarij uel librarij. Cum igitur ueriſimile ſit, Paulũ nec notarijs ſemper dictauiſſe, nec uno ſemper uſum eſſe notario, ſed pluribus, ut ſeſe & comitum & regionum offerebat occaſio: certe nemini nouum uideri debet amplius, ſi nõ ſit unus omnium epiſtolarum Pauli ſtilus. Proinde ſtili diſſimilitudo ad abdicationis argumentum trahi non poteſt: niſi & eam quæ ad Epheſios ſcripta eſt epiſtolam, ob ſtili diſſimilitudinem Paulino nomini ſubtrahere uelis. Nam de ea ſic cenſuit Eraſmus ille Roterodamus: Certè ſtilus huius epiſtolę tantum diſſonat à cęteris Pauli epiſtolis, ut alterius uideri poſſit, niſi pectus atq; indoles Paulinæ mentis hanc prorſus illi uindicaret. At de hac noſtra ad Hebræos epiſtola, idem ſic ſcripſit, Et ut à ſtilo Pauli, quod ad phraſim attinet, longe lateq; diſcrepat: ita ad ſpiritum ac pectus Paulinum uehementer accedit. Sed hæc hactenus.

Nodus 2. cap. diſſoluitur. Illi porrò nulla prorſus uidentur uenia digni, qui ſic colligunt, Authorem huius epiſtolæ teſtari ſe ab apoſtolis didiciſſe euangelium. Sed Paulũ apoſtolum id in Galatis negare. Vnde conſequatur hanc epiſtolam non eſſe ullius apoſtoli nedum Pauli, ſed alicuius apoſtolici. Sed nos ſcire cupimus ubi nam iſtud teſtetur epiſtolæ author? Reſpondẽt in 2. cap. cum dicit, Quæ cum primum enarrari cœperint per ipſum dominũ, ab ijs qui audierant, in nos confirmata ſunt. Audis (inquiunt) ab ijs qui audierãt. Sed non uident miſeri particulam, Ab ijs, cui ſtolidiſſime innituntur, non eſſe conſequentiæ ex alio notam, ſed ordinis potius. Vt ſit ſenſus, Initio quidem euãgelij negotium ab ipſo domino prædicatum eſt, deinde ab ijs qui cum eo conuerſati erant apoſtolis, poſtremo autem & poſt iſtos euangelij functio ad me quoq; delata eſt: ut inquã hic idem ille ordo ſeruetur, qui & in Corinthijs cap. 15. ſeruatus eſt, ubi legimus primùm quidem apparuiſſe dominum Petro, deinde uero 12. apoſtolis, ab ijs pluſquam 500. fratribus, poſtremo autem omnium (inquit Paulus) uelut abortiuo uiſus eſt & mihi. Huc accedit quod Græcorum particulæ ἀρχὰν & ὕπερ mutuo ſeſe reſpiciunt ordinemq; indicant: quemadmodum & apud Latinos primum & ſecundum. Quid quod illi non uident, Ab ijs particulã, idem pollere Latinis, quod particula, poſt hos? Nam Latinus dicit, Primo loco eſt Mauritania, ab hac Numidia, deinde uero Carthago. Et Plinius, Præcipuum (inquit) eſt ſtercus columbarum, proximum caprarum, ab hoc ouium. Quid quod etiam hæc particula

in nos

in nos, non tam ad Pauli, quàm totius ecclesiæ referri poterat personam?

Sed hactenus ad istorum obiectiones, quibus omnibus declarare uoluimus, istos suis obiectionibus epistolam hanc Paulo non ademisse: quin potius ueteres à nostris stare partibus, qui putamus uerisimilius esse hanc epistolam à Paulo quàm alio quoquã conscriptam. Et hanc sentẽtiam iuuant ea quoq; quæ scripsit in fine capitis 10. ubi meminit persecutionis & uinculorum, prorsus in eum modum quem cernimus in 1. ad Philip. cap. & in 1. ad Thessal. 2. cap. seruatum. Non enim referam in præsentiarum Timothei mentionem & capitis ultimi rationem, quo apprime sese Pauli exerit genius. Et hęc quidem copiosius disputaui propter eos quibus curiositas magis cordi est quàm pietas. Pij enim de hisce rebus non digladiãtur. Maxime cum uident totam epistolam scriptura sacra firmari, Christum purius & melius doceri, quàm ulla alia: deniq; totum Christianismũ hoc pulchrius ornari, quo firmius impugnatur Iudaica perfidia. Nolumus autem magnis pollicitationibus rem aliàs summam exaggerare. Confidimus enim ipsum epistolæ genium & tractatũ sic sese omnibus probaturũ lectoribus, ut perlecta hac, quisq; per sese dicat, nihil se legisse Paulo dignius cõformiũsue, nihil pulchrius, nihil pientius & canonicum magis. Nunc ad argumentum accingimur epistolæ. Summa.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

TRia sunt quæ hac tractantur epistola. Principio enim monet ne reijciant Christum Iudæi, neq; aspernentur euangelij negotium per incredulitatem: quandoquidem angelis potentior sit, & Mose maior, angelorum etiam dominus, & deus conditor: nihil interim eleuante eius maiestatem humana natura, quam sibi ex Abrahæ traxerit prosapia. Considerent autem miserum maiorum suorum exemplum, quorum murmur, perfidia & incredulitas misere sit mulctata in deserto: unde consentaneum sit ipsos pessime nunc quoq; habituros, si ipsum uerbum dei uiuum, ipsumq; dei filium perrexerint contemnere. Et hæc agit per integra prima quatuor capita. Nimirum aduersus eos sic perorans, qui Christum aspernantes obijciebant, Nos Mosi discipuli sumus, cui per angelos loquutus est deus, hunc uero Iesum unde sit aut quis sit nescimus, pergemus ergo in uijs patrum nostrorum. Quo simul & infirmos, primumq; Christo ex Iudaismo initiatos & rudes, à ueritate auertebant euangelica: quos interim Paulus istis suis & firmare & in uera religione officioq; retinere contendit. Euangelion.

Deinde uero uelut hypotyposi quadã ob oculos ponit, sacerdotiũ Aharonicũ prorsus fuisse umbram, Christum autem uerum esse sacerdotem, ab ipso deo iureiurando creatum, neq; secundum ordinem Aharon, sed secundum ordinem Melchizedeck ordinatum, Leuitis maiorem & meliorem: utpote cuius sacerdotium sit & ἀπερίβατον & sempiternum. Antiquatas igitur esse umbras, cum sacerdotij tum sacrificij. Quippe cum ueterum sacrificia, non minus quàm sacerdotium, fuerint inefficacia & typi Christi, qui sit uera hostia unica & sempiterna pro peccatis totius mundi. Hæc autem doctissime simul & copiosissime tractat per initium capitis quinti, (nam in fine, & per integrum cap. sextum digreditur) item per integrum caput 7. 8. 9. & decimi mediam partem. Planè aduersus eos qui nitebantur ceremonijs, sacerdotio, & sacrificijs: qui clamitabant Christiana religione omnem semel tolli diuinum cultum, omnem uetustatem & gentis gloriam. His igitur commonstrat, in Christo omnem esse plenitudinem & legis perfectionem, ut qui Christũ per fidem possideat, is dei gloriam, & sacerdotem & hostiam absolutissime possideat. Sacerdotium. Sacrificium.

Postremo adhibitis calcaribus urget eos ad fidendũ Christo sacerdoti unico & hostiæ perpetuæ. Esse enim fidem illam omnium ab exordio mundi iustorum ueterum, ueram religionem, qua illi deo seruierint, & in qua multa perstiterint patientia. Patientia ergo hic quoq; opus esse & constantia: ad quam deinde multis hortatur exemplis, iudicijs, similibus. Nam mire torquebantur qui à Mose desciuerant ad Christum. Fides.

Ad finem autem epistolæ, per integrum uidelicet cap. 13. Appendicis loco, subdit breues quosdam, ueluti Aphorismos, sententias & institutiones. Hoc uero totius epistolæ argumentum est.

Dictio uero pura est, grauis, dilucida, euidens & propria. Genus autem orationis mixtum est. Nam epistolæ medium, genus agnoscit didacticum. Docet enim Apostolus ueluti demonstratiua contentione, ueterum umbras, quoad sacerdotium & sacrificium, prorsus abolitas, Christum uero esse uerum sacerdotem & æternam hostiam. At initium epistolæ & finis, sub genus referuntur Deliberatiuum. Nam utraq; parte hortatur: illic ne Christum reijciant, hic autem ut Christo fidant, & per patientiam in ueritate persistant. Phrasis.

Ordinis ratio.

PLacuit autem, amice Lector, epistolam hanc in tres partiri partes, idq; perspicuitatis gratia, & quod iam nunc diximus, tria in uniuersum hac pertractari epistola. Prima uero exhibebimus tibi præclarã istam exhortationem, qua monet Iudæos, ut Christum per euangelij susciptant prædicationem, neq; auita asperneutur incredulitate. Cæterum cum nonnulla essent quæ auditores remorarentur Hebræos, maxime quod angelorum & Moseos uerba, Christi præferenda putarent doctrinæ, præuenit id commode, & ueluti κατ' ἀνάγκην probat Christum angelis esse maiorem. Demonstrationem porrò istam expositione siue narratione argumentosa init, ostendens euangelium multo nobiliore allatum esse nuncio, quàm ueterum prædicata sit religio. Totumq; hoc negotium breuissima hac comprehendit ratiocinatione. Nemo unquam ab ipso mundi exordio impune contempsit sermonem dei per angelos nunciatum. Vnde consentaneum est uel illos maxime puniendos, qui contempserint sermonem dei, per angelorum dominum prædicatum. Et hæc subiunguntur in capite secundo. Præit autem Christum Iesum angelorum esse dominum, utpote dei filium. Hinc commode & necessario infertur, Proinde oportet nos uehementius attendere: quod initium est capitis secundi. Ideoq; genuinus sensus non nisi per initum capitis secũdi absoluitur. Quocirca uideri poterat naturalis propositionum ordo esse inuersus: id quod aliâs apud oratores quoq; frequentissimũ est, ut uel in illa Ciceronis præclara oratione pro Milone apparet. Media enim interponitur illatio & rei summa, sequitur maior, præit minor: quanquam & in alium posit cogi ordinem: sed ego hunc sequi malui, utpote simpliciorem & dilucidiorem. Iam uero toto capite primo, copiose exponit & astruit id, quod dubium apud eos erat, Christum scilicet angelis esse maiorem dei filium. Nam posterius illud, ueluti indubitatum, nulla assertione egebat. In hoc enim tota scriptura uersatur, ut doceat contemptum sermonis angelici semper fuisse contemptoribus exitialem. Proinde ad id accingitur, quod apud illos minus probabile erat, nempe Christum angelis esse maiorem, potentiorem, dignioremq;, dei uidelicet filium, angelorum dominum: ac dicit,

Hyperbaton.

CAP. I.

DEus olim sæpenumero diuersimodeq; patribus loquutus est per prophetas: in postremis uero hisce diebus loquutus est nobis per filium,

Summam totius negotij paucis perstrinxit, ueteribus quidem missos esse prophetas, nobis autem filium dei. Iucundum autem erat Hebræis Dei, Patrum, & Prophetarũ nomen: consulte ergo istis auspicatur, apud Hebræos dicturus, certè ut auditorum duros aliâs & iniquos Christi negotio animos demulceret, sibiq; astringeret arctius: interim filij nomen ingereret, eiusq; negotium collatione occulta angelicæ, Mosaicæ atq; propheticæ legationi longe anteferret. Siquidem hoc erat genuinum apostoli Christi officiũ, Christi nomen orbi proponere solum.

Sæpenumero autem locutum ait deum patribus, eo quod diuersis temporibus, alios subinde atq; alios miserit prophetas. Nulla enim gens est quæ plures Iudæis habuerit uates ac diuinitus inspiratos uates. Hinc & propheta, Annunciat uerba sua Iacob (inquit) statuta & iudicia sua Israël. Non fecit similiter omni genti, & iudicia non cognouerunt. Vnde & consequens est nullam extare religionem, quæ firmioribus nitatur fundamentis, quæq; certioribus possit probari testibus, quàm Christiana. Et frequentia testium, dei erga nos probat studium diligẽtiámue: sed diuersitas facilitatẽ & benignitatem. Pulchre enim diuina bonitas sese ad nostrum attemperauit captum. Hinc Apostolus πολυτρόπως dixit, quod nos transtulimus diuersimode. Est autem πολύτροπος homo uersatili, dextro, facilique ingenio, quod cum quouis hominum genere congruit. Sic enim & Homerus Vlyssem uocauit πολύτροπον quod quamuis personam apte gereret, mendici, patrisfamiliâs & ducis. Ita uidemus etiam deum uariam induisse faciem, item uarijs modis atq; reuelationibus uoluntatem suam reuelasse, ac humani generis quæsisse salutem. Cæterum postremos dies dixit proximos. Nam particulæ Olim, & Postremis hisce diebus, mutuo sese respectant, relatiua quadam ratione: ut non sit necesse disputare de extrema iudicij die. Idem enim pollet ac si dixisset, Equidem deus olim se orbi aperuit per prophetas, nunc uero hisce proximis diebus loquutus est nobis per filium.

quem constituit hæredem omnium, per quem & sæcula fecit,

Iam

Iam breuibus ſed ijſdem grauiſſimis enarrat gloriam Chriſti, nempe, quod omnium ſit dominus, & uniuerſæ molis (id enim per ſæcula intelligit) machinæq; mundi conditor. Id quod aliâs copioſius exponitur in epiſtola Pauli ad Coloſſ. 1. Item in Euangelio Ioan. cap. 1. & 5. Alluſit autem Hæredis uocula ad humana, non ut diuinis æquet humana, aut hęc illa proprie referre poſſint: ſed attemperatur ita ſermo humana ſimilitudine, ut ineffabilia illa dei myſteria aliquo modo intelligamus. Nam qui hæreditate ſuccedũt in paternas opes, omnium prorſus domini ſunt, quorum dominus fuerat pater, adeoq; in poſſeſſione & dominio patri æquales ſunt. Sic etiam filius dei, hæres paternarum rerum dicitur, eo quod filio ſubdita ſunt à patre omnia. Idem itaq; pollent hæ orationes duæ, Chriſtus eſt hæres omnium, &, Filio ſubdita ſunt omnia. Nam & in Euangelio dicit, Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt. At apud homines filij poſſeſſio, parentis eſt deceſſio. Apud hos eſt prius ac poſterius. Sed nihil tale inuenias apud deum patrem & filium. Quanquam enim diſtinctæ ſunt perſonæ, una tamen eſt monarchia, indiuiſum regnum, æqualis poteſtas & gloria. Nihil in patre & filio prius, nihil poſterius, nihil maius, nihil minus, Nam ſicut pater uiuificat quos uult: ſic etiam filius uiuificat quos uult. Nec patri propterea aliquid decedit: nec filio magis accedit, ut in humana hæreditate fit, ſed coæqualitas eſt utrobiq;. Iam & ſi filius uel dono uel hæreditate aliquid dicitur accepiſſe à patre, tamen iterũ ad humana allusio facta eſt, notataq; diuina diſpoſitio. Rectiſſime enim Tertullianus aduerſum Praxeam illud allegat patris de filio teſtimonium, Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene ſenſi, ipſum audite: cui mox infert, Habes filium in terris, habes patrem in cœlis. Non eſt ſeparatio iſta, ſed diſpoſitio diuina. Cæterum ſcimus deum etiam intra abyſſos eſſe, & ubiq; conſiſtere: ſed ui & poteſtate. Filium quoq; ut indiuiduum cum ipſo ubiq;. Tamen in ipſa οἰκονομίᾳ pater uoluit filium in terris haberi, ſe uero in cœlis. &c. Hæc enim Tertullianus. D. item Athanaſius de Arriana & catholica confeſſione ad Theophylactum lib. 3. Et ideo (inquit) ſicut unam ſubſtantiam, ita unam poteſtatem patris & filij & ſpiritus ſancti credo. Quod autem accepit filius, ſecundum hominem accepit, id eſt, ſecundum ſeruilem formam, ſecundum noſtræ conditionis naturam, ipſo domino in Euãgelio dicente, Et iudicium dedit ei facere, quia filius hominis eſt. Hæc Athan. Deniq; pari ratione legimus per filiũ omnia eſſe condita. Nam eo ipſo iterum notatur eſſentiæ unitas & perſonarum diſcrimen. Alius enim eſt qui facit, & alius per quem aliquid fit: & ſi non ſit aliud. Vnus enim qui condidit omnia deus eſt. Et Chriſtus, Ego (inquit) & pater unum ſumus. Non ait, Vnus ſum: ſed, Ego & pater unum ſumus. Ideoq; iterum alluſit ad eorum hominũ morem, qui maximas quaſq; res adminiſtrant per homines ſibi coniunctiſſimos, prudentia quoq; & rerum peritia ſummos, & ſibi aut æquales, aut aliquanto ſuperiores. Sic inquam deus per filium condidit omnia. Has alluſiones multi non uident, imò intelligere nolunt, quod ineffabilia aliâs myſteria humanis ueſtiuntur ſimilibus, certè ut fidelis mens per iſta euehatur ad altiora: id cum iſti non recipiant, fit ut imprudenter imò impie omnia in ſacroſancta triade miſceant, cum hæc interim dei diſpoſitio & diuinitati Chriſti prorſus nihil deroget, & perſonas non conturbet, neq; unitatem in trinitate diuidat.

Chriſtus hæres quomodo dicatur.

Quomodo filius accepiſſe aliquid dicatur.

Per Chriſtũ omnia condita.

qui cum ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ eius,

Alia, ſed illuſtriori metaphora pingit gloriam Chriſti Apoſtolus, demonſtrans eum eſſe filium dei, deo æqualem. Nam ſicut ſplendor (ἀπαύγασμα) refulgentia, fulgor ſiue radius ex ſole emicat: ſic etiam filius ex ſeipſo non exiſtit, ſed ex patre genitus eſt. Et ſicut radius à ſole non ſeparatur, ſic neq; à patre filius diuiditur. Interim ſphæra ſiue globus ſolis non eſt radius, neq; radius globus, & neutrum horum calor, neq; calor globus aut radius: ſunt tamen hæc tria, nõ tres ſoles, ſed unus ſol. Sic utiq; & una eſt magnifica gloria (hoc enim nomine decorat Apoſtolus deum) non duo uel tres: ſubſtantiæ tamen uel perſonæ ex illa duæ, uerum ab ea prorſus non ſunt ſeparatæ. Hinc doctiſſimus Tertullianus, cuius teſtimonijs ob uetuſtatem, ſanctimoniam uitæ, & eruditionem, libenter utimur, aduerſus Praxeam, Nec dubitauerim (inquit) filium dicere, & radicis fruticem,

Quomodo Chriſtus ſplendor ſit.

& fontis fluuium,& solis radium. Quia omnis origo parens est, & omne quod ex origine profertur, progenies est. Multo magis sermo dei, qui etiam proprie nomen filij accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur: sicut neq; à deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere, deum & sermonem eius, patrem & filium ipsius. Nam & radix & frutex, duæ res sunt, sed coniunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indiuisæ. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum fit eius necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt: & tertius ubi est, treis sunt. Tertius enim est spiritus à deo & filio: sicut tertius à radice fructus ex frutice: & tertius à fonte riuus ex flumine: & tertius à sole apex ex radio: nihil tamẽ à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita trinitas per consertos & connexos gradus à patre decurrens, & monarchiæ nihil obstrepit, & οἰκονομίας statum protegit, &c. Hæc Tertullianus.

Quomodo Christus character sit.

Ad lucem prioris facit & expositio membri posterioris. Nunc enim Christum uocat characterem substantiæ paternæ. Est autem hoc loco χαρακτὴρ forma expressa ex alio, à χαράττω, ut Erasmus monet, quod est insculpo siue notã imprimo: ueluti si cæræ nota imprimatur sigilli. Pater itaq; typus est: sed filius character, imago, & forma siue figura typo expressa. Mira autem est similitudo imò æqualitas typi, & figuræ typo expressæ: ut & eadem est diuinitas, gloria & maiestas patris & filij. Philippo enim dicit apud Ioannem, Philippe qui uidit me, uidit patrem. Quomodo itaq; tu dicis, Ostẽde nobis patrẽ? Non credis quod ego in patre sim, & pater in me? Ideoq; quemadmodũ in cæra propriissime exprimitur sigillũ: ita in Christo propriissime relucet substantia paterna. ὑπόστασις autem, quam Latini dicere possumus substantiã, à substando dicta est: unde claret Apostolum allusisse ad illud nomen dei ineffabile quod Tetragrammaton uocant, quod & ipsum ab essendo nomen habet. Quasi dixerit Apostolus filium esse de paterna substantia, adeoq; ὁμόστοιν patri. Veteres enim & ὑπόστασιν usurparũt interdum pro οὐσιά, qui rursus unam confitentur οὐσίαν, & treis ὑπόστασεις. οὐσίας igitur uocem immerito (ut uides) proscripsit Ariminensis synodus, quam interim uocem Eusebius Cæsariensis homo Græcus, dilucide & uere sic exposuit, Prædicandum est filium patri esse consubstantialem, eo quod nullã æqualitatem ad creaturas factas dei filius habeat, sed soli patri genitori per omnem modum sit similis, & non sit ex alia qualibet substantia uel essentia, sed ex patris, &c. Sed hæc hactenus. Ex quibus omnibus illud liquido constare confidimus, Iesum Christum non modo angelis maiorem, sed ne deo quidem patre esse minorem, quippe cum sit angelorũ dominus patri coæqualis & consubstantialis, uita & substi stentia omnium. Iam enim clarius sequitur.

agatq; omnia uerbo potentiæ suæ,

Omnia in Christo subsistunt.

Dicit Paulus quod omnia consistãt robore, ui & potentia Christi. Nam & Ioannes, In ipso (inquit) uita erat. Alibi uero, In deo uiuimus, mouemur & sumus: & in Christo uiuimus, ergo Christus uerus est deus. Omnia enim ex illo & per illum sunt, & sine eo factum est nihil, quod modo factum est. Mira autem est in Paulinis uerbis euidentia. Recte enim monet Erasmus φέρων hoc loco non significare baiulare ac portare, sed agere potius siue mouere & moderare omnia: ut nunc Apostolus senserit, mundum non modo per Christum esse conditum, sed eum etiamnum illius administratione regi. Nisi malis portandi uerbum metaphoricῶς usurpari: & uerborum magnificentia, unius Christi humeris, ueluti ueri Herculis, totam cœli imponere machinam. Verum si consequentia spectes, iam prior sensus magis quadrabit. Sentit enim Apostolus porẽti administratione per Christum in orbe geri & conseruari, quicquid tandem geritur & cõseruatur. Nam uerbum hoc in loco administrationem significat: ut sit sensus, Agit omnia uerbo potentiæ suæ, id est, agit omnia sua administratione potenti.

Hæc uero ideo tot inculcamus & uerbis & testimoniis, quod infelicia nostra tempora subinde nouas ueræ religionis pestes, impios, hypocritas, & extreme blasphemos homines, an dæmones dicam nescio, progerminent, qui non modo ueram Christi diuini-

tatem

tatem in dubium uertunt, ſed & ſacroſanctam trinitatem hydræ, Gerioni, Briareo & in fero penè Cerbero, ceu fabuloſiſſimum nugamentum conferunt: digni prorſus qui furijs infernalibus laniandi ac Cerbero trifauci proijciantur deuorandi. Nam ut Dauidis, Ieremiæ & Danielis tranſeam teſtimonia, certè Iſaias prophetarum princeps, de utraq; in Chriſto indole, cum humana tum diuina, tam aperte, tam copioſe, tam etiã uere diſſeruit, ut planiora & meliora non niſi deſperati, ueſani, & diabolo dedicati homines poſtulare poſſint. Et quid obſecro clarius dici poteſt, quàm quod Ioannes dixit? In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, ergo uerbum erat deus, illud ſanè quod in principio apud deum erat. Et paulò poſt, Et uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis &c. Item ipſe dominus Ieſus teſtatur in eodem euangelio ac dicit, Amen amen dico uobis, antequam Abraham eſſet ego ſum. Item, Amen amen dico uobis, qui cõfidit mihi habet uitam æternam. Ego ſum panis uiuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis ederit ex hoc pane uiuet in æternũ. Et iterum, Oues meas nemo rapiet de manu mea. Pater meus qui dedit mihi maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & pater unum ſumus. Rurſus, Dicit Ieſus diſcipulis ſuis, Ne turbetur cor ueſtrum, Creditis in deum, & in me credite. Et Thomas rediuiuo acclamat, Dominus meus, & deus meus. Teſtatur etiam Paulus in Roma. cap. 9. ac dicit Iſraëlitarum eſſe promiſſiones ac patres, ex quibus, quod ſcilicet carnem attinet, Chriſtus ſit, Qui eſt (inquit) in omnibus deus laudandus in ſæcula. Et in 1. ad Corinth. 8. cap. Etiamſi ſunt (ait) qui dicantur Dij, ſiue in cœlo ſiue in terra: Quemadmodum ſunt dij multi & domini multi: nobis tamen eſt unus deus, qui eſt pater ille, ex quo omnia & nos in illum: & unus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum. Item ad Titum, Expectantes beatam illam ſpem & apparitionem gloriæ magni dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Sed quorſum opus tot ſanctorum teſtimonijs? cum unus Ioannes omnium dilucidiſſime de Ieſu Chriſto teſtetur, & dicat, HIC EST VERVS DEVS ET VITA AETERNA, 1. Ioan. 5. Et quod Paulus hic ex profeſſo tradit Ieſum Chriſtum uerum eſſe deum?

Clara de diuini tate Chriſti teſtimonia.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Verum mirantur illi cum pater non ſit filius, & tamen deus uerus, neq; filius ſit pater, interim tamen deus uerus, quomodo unus poſſit eſſe deus uerus? Audiant ergo Moſen dicentem, Audi Iſraël, dominus deus tuus, deus unus eſt. Quæ ſententia ſi uera eſt, quæſtio iſta finita eſt. Conſequitur enim patrem & filium & ſpiritum ſanctum unũ eſſe deum uerum. Si enim non eſt unus deus, duo uel tres ſunt. Si autem duo uel tres ſunt, mentitur qui dicit, Dominus deus tuus, deus unus eſt. Mentitur qui dicit, Videte quoniam ego ſum deus, & non eſt alius præter me. Sed quia mentiri non poteſt ueritas, conſtat patrem filium & ſpiritum ſanctum non treis dominos aut deos eſſe, ſed unum dominum deum. Dicite enim nobis an hæc prophetarum uerba de Chriſto domino intelligenda ſint, an non ſint? Si ſunt, confiteamini oportet filium cum patre & ſpiritu ſancto unum eſſe deum uerum. Si uero non ſunt, iam dabitis duos eſſe deos ac dominos. Nam & filius, ut iam multis oſtenſum eſt, & deus eſt, & dominus dicitur. Aut itaq; confitemini patrem & filium unum eſſe dominum deum: aut negate Ieſum dominum & deum eſſe dictum. Cum uero poſtremum hoc nulla ratione facere poſſitis: conſequitur prius eſſe uerũ: & hanc uocem, Ego ſum deus & non eſt alius præter me, non unius tantum perſonę, ſed ſacroſanctæ triadis eſſe uocem. Trinitas quippe ſecundũ ueram fidem, pater, filius & ſpiritus ſanctus, in cuius nomine baptizamur, & unus dominus deus noſter eſt, & præter ipſum alius non eſt. In trinitate ergo (ut & Auguſtinus ait) quæ deus eſt, & pater deus eſt, & filius deus eſt, & ſpiritus ſanctus deus eſt, & hi treis unum ſunt. Hæc uero hactenus. Quibus Tertulliani quoq; ſentẽtiam propter eos adſcribere uiſum eſt, qui laborant librorum inopia. Is enim hoc negotij, aduerſus Praxeam, & breuibus & dilucidis ſic abſoluit, ubi prius perſonarum probaſſet oſtendiſſetq; diſcrimen.

De unitate & trinitate dei.

Ergo inquis prouocabo te ut hodie quoq; ex authoritate iſtarum ſcripturarum conſtanter duos deos & duos dominos prędices. Abſit. Nos enim qui & tempora & cauſſas ſcripturarum per dei gratiam inſpicimus, maxime paracleti non hominum diſcipuli, duos quidem definimus, patrem & filium, & iam treis cum ſpiritu ſancto, ſecundum

Tertulliani ſententia de trinitate & unitate dei.

rationem œconomiæ, quæ facit numerum, ne ut uestra peruerſitas infert, pater ipſe credatur natus & paſſus, quod non licet credi, quia non ita traditum eſt. Duos tamen deos & duos dominos, nunquam ex ore noſtro proferimus: non quaſi non & pater deus, & filius deus, & ſpiritus deus, & deus unuſquiſq; ſed quoniam retro & duo dij & duo domini prędicabãtur, ut ubi ueniſſet Chriſtus et deus agnoſceretur & dominus uocaretur, quia filius dei & domini. Si enim una perſona & dei & domini in ſcripturis inueniretur, merito Chriſtus non eſſet admiſſus ad nomen dei & ad domini. Nemo enim alius præter unus deus & unus dominus prædicabatur, & futurum erat ut ipſe pater deſcendiſſe uideretur, quia unus deus & unus dominus legebatur, & tota œconomia eius obumbraretur, quæ in materiam fidei proſpecta atq; diſpenſata eſt. At ubi uenit Chriſtus & cognitus eſt à nobis, quod ipſe qui numerum retro fecerat factus ſecundus à patre, & cum ſpiritu tertius, et iam pater per eum plenius manifeſtatus, redactum eſt iam nomen dei & domini in unione. Et quæ ſequuntur.

Nihil igitur creatum aut ſeruiẽs in trinitate credamus, ut uult Dionyſius Arrij fons. Nihil inæquale, ut uult Eunomius. Nihil inæquale gratię, ut uult Aetius. Nihil anterius poſteriúsue, maius uel minus, ut Arrius. Nihil extraneum aut officiale alteri, ut Macedonius. Nihil perſuaſione aut ſurreptione inſertum, ut Manichæus. Nihil corporeum, ut Melito. Nihil corporaliter effigiatum, ut Anthropomorphitæ. Nihil creaturis uiſibile, ut Fortunatus. Nihil moribus uel uoluntate diuerſum, ut Martion. Nihil confuſum, ut Sabellius: ſed totum perfectum, quia totum ex uno, & unum ex toto, non tamen ſolitarium ut præſumunt Praxeas & Syluanus ſtolida hominum capita.

Cæterum hæc paucis annotare libuit, ut futuros præueniremus errores. His ſi quis Athanaſij iunxerit ſymbolum, ſummam rerum paucis uerbis ijſdemq; perſpicuis habebit comprehenſam. Nos redimus ad Paulum.

per ſemetipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum, conſedit in dextera maieſtatis in excelſis.

Marci 2. Matth. 22.

Sunt autem hæc utraq; diuinitatis Chriſti argumenta. Nam in Euangelio uel phariſæi dicunt, Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus deus? Rurſus in Matthæo interrogat Chriſtus phariſæos ac dicit, Quid uobis uidetur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid. Ait illis, Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eum dominum? dicens, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius eſt? &c. Proinde cum ſolius dei ſit peccata remittere, dominum eſſe, & ad dexterã dei ſedere, Chriſtus uero peccata remittat, dominus ſit, & ad dexteram ſedeat: neceſſe eſt Ieſum Chriſtũ uerum eſſe deum. Hæc ad ſtatum rei.

Peccatorum remiſſio.

Videtur autem ſtudio induſtriaq; Paulus peccatorum remiſſionem poſt aliquot poſuiſſe membra: in hoc nimirum, ne quis ambigeret de criminum expurgatione, qui audiſſemus illum ipſum qui expurget, filium eſſe dei, hæredem & conditorem omnium, pręterea & ſplendorẽ paternæ gloriæ, characteremq; ipſiſſimæ dei ſubſiſtentiæ, motorẽ, uitam, conſeruationẽ, adeoq; & perpetuam ἐυτελεχείαν omnium. Talis enim ſit oportet qui peccata condonare & ueiit & poſſit. Hinc ſignificantiſſime adiunctum uidemus δι' ἑαυτοῦ, per ſeipſum. Neq; enim per alium quenquã purgatio fieri potuit. Sic enim & Iſaias in 43. cap. prædixit, & Paulus in Hebr. cap. 9. aſſeuerauit, abſq; ſanguinis effuſione remiſſionem non fieri: ſed non ſanguinis cuiuſuis, uerum filij dei duntaxat. Vnde etiam D. Petrus dicit nos redemptos eſſe precioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati Chriſti. Tantum abeſt, Chriſtiane lector, ut impius ille Romanorũ Pontifex, unà cum coniuratorum ſuorum manipulo, peccata condonare poſſit miſeris nobis mortalibus.

Quid ſit ſedere ad dexteram patris.

Cæterum ſedere ad dexteram patris (ut Cyprianus ait, ſiue is Ruffinus ſit) carnis aſſumptæ myſterium eſt. Neq; enim incorporeæ illi naturæ conuenienter iſta abſq; aſſumptione carnis adduntur, neq; ſedis cœleſtis perfectum diuina natura, ſed humana conquirit. Aſcendit ergo ad cœlos, nõ ubi uerbũ deus ante nõ fuerat, quippe qui erat ſemper

in cœlis

in cœlis & manebat in patre, sed ubi uerbum caro factũ ante non sedebat. Hæc ille. Rursus sedere in dextera maiestatis τροπικῶς dixit, pro eo quod est, diuina uirtute & administratione cœlitus regnare. Nam sedere & habitare est & regnare. Siquidem Lucæ 24. dicit Christus, Vos autem sedete in ciuitate Ierusalem, id est Hierosolymis præstolamini, quiescite & habitate donec induamini uirtute ex alto. Et 3. Reg. 1. dicit Dauid de filio Solomone, Sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me. Hinc & solium & sedes in scripturis accipiũtur pro imperio. Sed & Latini dicimus hominem qui Tigurum inhabitat, Tiguri sedere: rursus Iuliũ Cæsarem annis sediſſe, id est regnasse quinq;. Et dextera in principum consessu locus est primus, summus, & dignissimus. Et qui ad dexteram siue ad latus sedere dicuntur, summæ rerum præesse intelliguntur. Hinc mater filiorum Zebedæi, Dic (inquit) ut hi filij mei duo sedeant, unus à dextris & alius à sinistris in regno tuo: id est, concede ut in regno tuo constituantur primi. Proinde ad dexteram dei sedere dicitur nunc filius, allusione humana siue ἀνθρωποπάθως. Nam deus aliâs incorporeus & pura spiritus substantia, manibus ut non indiget, sic etiam caret: nisi crassum placeat Anthropomorphitarum placitum. Necessitate itaq; quadam consequitur hanc locutionem, Sedere Christum ad dexteram patris, prorsus & reuera esse tropicam. Addit item Apostolus Maiestatis, Sedere inquam filium in dextera maiestatis: quod locutionis genus augustius est q̃ si dixisset, Sedet ad dexteram dei. Plus enim & augustius aliquid dixisti, Cæsarea maiestas imperauit: q̃ si dicas, Cæsar imperauit. Nec hoc contentus Apostolus subiunxit & aliud euidentius, Sedere illũ in excelsis: certè ut clare uideremus quid esset sedere in dextera maiestatis, nempe hisce ereptum esse terris, in æthera subuectum, terrenis quoq; solutum esse cupiditatibus & adfectibus, agere nunc eum in cœlestibus, diuinaq; cœlitus potentia administrare agereq; omnia. Ad hunc enim modum id negotij absoluit clarius idem in Ephes. cap. 1. quæ si requiras hæc sunt: Deus suscitauit Iesum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, ac potestatem, & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in sæculo hoc, uerumetiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Hucusq; uerba Apostoli recensuimus.

Ista uero eos dextre impugnant, qui sacramentorum ratione neglecta, nescio quid carnalis præsentiæ in Eucharistia imaginantur. Interim non negamus Christum adesse: imò scimus & credimus Christum in cœna suo modo uere adesse, hoc est non carnaliter, sed sacramentaliter. Vere enim adsunt, quæ uera fides coràm ijs oculis cernit, quibus Galatæ uiderant Iesum Christum inter sese esse crucifixum. Sed hæc obiter, nunc sequitur.

tanto præstantior factus angelis, quanto excellentius præ ipsis nomen hæreditate conquisiuit:

Propius nunc accedit ad rem, & id colligit quod uoluit, nempe Iesum Christum angelis esse maiorem, filium uidelicet dei. Nam nomen posuit pro gloria, maiestate & magnifico titulo, adeoq; pro omni eo quod hactenus de Christo audiuimus. Id uero nominis dicit Christum hæreditate conquisiuisse, nimirum in cœpta perseuerans allusione: de qua satis dictum in superioribus. Certè si legas pro hæreditauit, sortitus est, iam peritapud nos allusionis gratia. Refert enim hæreditatis uocabulum nescio quid domi nij & unionis utriusq; & patris & filij substantiæ. Nam & homines, parentum filij & hæredes sumus, non merito aut gratia, sed ipsa natura: quemadmodum & filius dei, hæreditate, id est, natura filius dei est, non gratia aut adoptione. Verissime enim definiuit Nicena synodus, Filium ex patre genitum esse ante sæcula, lumen ex lumine, Deum uerum ex deo uero &c.

Nam cui dixit unquam angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum, Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Rursum au-

tem cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli dei.

Teſtimonia ſcripturæ.

Quod paucis dixerat, id nunc copioſiſſimis diducit ac firmat teſtimonijs, ex adytis ſcripturarum petitis. Principio quod apud eos ageret negotium, apud quos ea nullius prorſus authoritatis erant, quæcunq; tandem non firmarentur ſcripturæ teſtimonijs. Vnde etiam nobis diſcendum ne quaſuis res hominum quorumlibet ſuauiter & compoſite fabulãtium, temere recipiamus: ſed probemus ſpiritus an ex deo ſint. Qui autem uerba dei loquitur, ex deo eſt. Qui uero ſua quærit, & ex ſeipſo loquitur, ex deo non eſt. Niſi ergo in rebus dubijs & ad religionem ſpectantibus accedat ſcripturarũ authoritas, nihili putetur quãtumuis recepta & laudata uetuſtas. Deinde uoluit Apoſtolus iſtis tam firmis iſtorum profligare errorem, qui putarunt Chriſtum fuiſſe uel angelum uel etiam prophetam eximium à deo in hunc orbem miſſum. Prius autem teſtimonium ſumpſit ex Pſalmo ſecundo qui de Dauide ſcriptus, Chriſto per typum & allegoriã recte accommodatur, De eo enim cœlitus audita eſt patris uox, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo animus meus placatus eſt, ipſum audite. Poſterius uero ex 2. Reg. 7. cap. petitum, & de Solomone dictum, pulchre & proprie competit in Chriſtum, de quo in Euangelio dixit Baptiſta, Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Porrò ultimum teſtimonium, quod non abſq; præfatiuncula inducit, accepit ex Pſalmo 69. in quo prædicitur fore, ut omnes angeli dei, illum ſint adoraturi primogenitũ dei. Nemo autem niſi deus adoratur: quocirca neceſſe eſt primogenitum illum uerum eſſe deum. Præterea in confeſſo eſt, id eſſe minus quod adorat, maius uero quod adoratur. Cæterum adorant angeli, Chriſtus uero adoratur: unde conſequens eſt Chriſtum maiorem eſſe angelis. Præfatiuncula autem hoc dicit, Cum meminit eius primogeniti uates qui in orbe regnaturus erat, ſic dicit, Et adorent eum &c. Deniq; Chriſtus iterum dicitur per humanam alluſionem Primogenitus. Erãt enim apud Hebræos primogeniti hæredes & omnium rerum domini. Vnde & D. Hieronymus aduerſus Heluidium recte dixit, Primogenitum non tam eum eſſe poſt quem & alij, quàm eum ante quem nullus. Dicitur & Vnigenitus, for taſſis quod ſolus filius nõ ſit factus ſed genitus. Itaq; prius quidem dominij eſt & regni: poſterius uero diuinitatis æternitatiſq; argumentum. In hanc ſententiam ſcripſit & magnus ille Alexãdriæ Athanaſius de Aſſumptione hominis aduerſus Marcellinũ, Quam obrem (inquiens) unigenitum dum ſcriptura refert, ſecundũ diuinitatem indicat, quia in deitate unigenitus à deo patre omnino fratres non habet: & dum Primogenitum nominat naturam hominis oſtendit, &c.

Primogenitus & unigenitus.

Vocabula rerum.

Meminerimus autem quibus adeò arridet illa infamis λογομαχία, nomina ex rebus exiſtere, & non ipſas res eſſe ex nominibus: iccirco accõmodemus nomina rerũ naturæ, quarum ſunt nomina, & non æſtimemus res ad uiuum, quod dici ſolet, ex nominibus. Sunt enim arcana iſta dei nobis ineffabilia, interim tamen aliquo modo & quantum ſatis & poſſibile eſt, humanis alluſionibus effigiata.

Et ad angelos quidem dicit, Qui creat angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam.

Hactenus teſtimonia de filio poſuit, nunc de angelis per collationem locorũ contrarium ex Pſalmo 103. ſubiungit. Superioribus autem probatum eſt Chriſtum Ieſum eſſe dei filium, genitum non factum. Hic uero audimus angelos eſſe factos creatosq;. Item ſuperius teſtatum eſt filium adorari ut dominũ: ſed hic legimus angelos eſſe miniſtros: prorſus ergo Chriſto minores ſint oportet. Sed de Angelis paulò poſt plura.

Ad filium autem, Thronus tuus deus in ſæculum ſæculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus, oleo exultationis ultra conſortes tuos.

Aliud eſt de filio teſtimoniũ, ſumptum ex Pſal. 44. cuius uis in hoc cõſiſtit, quod eum nunc

nuncaperte deum uocat, quem paulò ante filiũ appellarat. Thronus autẽ ſiue ſedes (ut & ſupra indicaui) imperium ſiue regnum eſt. Regnum autem Chriſti æternum eſt, Lucę 1. Sceptrum uero à uirgarum ratione (ut Cœlius dicit in Antiquis lectionibus) haud ita diſſitum eſt. Id ſignum ueteribus cenſebatur imperĩ ſiue regni, nec non orationis & iuſtitiæ quoq; : proinde Agamemnoni late imperitanti & Telemacho, apud Homerũ, concionanti datur, adeoq; & pro ipſa regni adminiſtratione iuſta & ſancta uſurpatur. Nam & Achilles per ſceptrum, ceu iuſtitiæ ſymbolũ, iurat: imò in myſtico hoc carmine, quod Solomonis aliâs uideri poterat epithalamium eſſe, protinus ſequitur, Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: quibus uerbis idem prorſus tradidit propheta, quod Iſaias de regno Chriſti per 11 ac 16. cap. prodidit. Verũ in hoc unxit, inſtruxit & miſit filium ſuum in mundum, ut æquitate regnaret, & iuſtitia, qui ipſus uera eſt iuſtitia, & iuſtificans omnes quotquot ſunt fideles in eum. Vnctio igitur hæc humanæ peculiariter naturæ eſt. Oleum uero per metaphorã ſpiritus ſancti uires ſignificat, ut claret Iſaiæ 61. Sed fructus ſpiritus ſancti ſunt iuſtitia, fortitudo, alacritas, agendi ardor, conſtãtia, ueritas, gaudium & exultatio. At nõ dedit pater (ut Baptiſta ait) filio ſpiritum ſecundum menſuram, proinde ultra conſortes, reges & ſacerdotes, qui Chriſtum retro figurabãt, unxit deus filium: cuius rei gratia à Daniele ſanctus ſanctorum appellatur. Obſeruabis deniq; iterato iam aſſeri perſonarum diſcrimen & dei unitatem. Nam audiuimus iamiam regem hunc noſtrum unctum, deum eſſe uocatum: ſed & in calce teſtimonĩ uidemus etiam eum dici deum, qui unxerit deum. Pater igitur deus eſt, & filius deus eſt, & hi duo unum ſunt, unus ſcilicet deus, uiuus, uerus, & æternus.

Regnũ Chriſti.

Oleum.

Et tu initio domine terræ fundamenta ieciſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut ueſtimentum ueteraſcent, ac uelut amictum circumuolues eos, & mutabũtur, tu autem idem es & anni tui non deficient.

Teſtimonium uero hoc ex Pſal. 101. ſumptum, magis ſenſu ex antecedentibus petito, quàm ipſis præſentibus uerbis refertur ad rei probationem. Supra enim audiuimus per filium ſæcula eſſe condita: ſed ex hoc teſtimonio præſenti diſcimus ſæcula eſſe à domino condita. Iam igitur ſi unus tantum eſt cõditor, & filius fundauit, & dominus fundauit: conſequẽs eſt filium eſſe dominũ, Dominum inquã illum deum incommutabilẽ. Nam collatione corruptibilis mundi oſtendit & auget incorruptibilitatem dei. Non quod ſentiamus mundum aliquando prorſus fore abolendum: quem ſcimus eſſe renouandum: ſed quod omnia quæ in mundo ſunt (ut Ioannes ait) tempore feneſcant & intereant. Alibi enim legimus, omnem gloriam carnis flori deciduo eſſe ſimilem. Vt nunc quiuis facile poſſit hunc locum, qui uarie à multis tractatus eſt, per tropum expedire, metonymiam uel ſynecdochã. Videas aũt multos ſe aut inani labore macerare, aut nodũ in ſcyrpo quærere, quod uel tropos non obſeruãt, uel eos data opera & inuidia quadã negligunt.

2. Pet. 3.

Ad quem autem angelorum dixit unquam, Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

Hoc teſtimonium ex Pſal. 109. citauit etiam Chriſtus pro aſſertione diuinitatis ſuæ. De qua re ſatis in ſuperioribus. Hoc unum hic uidebatur monendum, Sedere ad dexteram, donec omnes hoſtes ſcabellum ſubĩciãtur pedibus, prouerbiali locutione dictum eſſe, pro eo quod eſt, Regnare quoadu ſq; omnes illi ſubdantur hoſtes. Quos enim prorſus uincimus noſtroq; ſubĩcimus imperio, eos ſcabelli in morem pedibus ſubdidiſſe uidemur. Inde uero nata nobis locutio: qua diſcimus Chriſtum aliquando hoſtibus deiectis triumphaturum, imò Chriſtum orbis iudicem eſſe conſtiturum. Nemo igitur ſeducatur felici tyrannorum ſucceſſu. Aderit enim dies, qua uos impĩ, iuſto iudici & ultori dignas iniuriarum dependetis pœnas.

Nónne omnes ſunt adminiſtratorĩ ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur eorum qui futuram ſalutem hæreditabunt?

Iterum per collationem ex conditione & officio probat angelos Christo esse minores. Nam Christus (inquit) sedet ad dexterã patris, inde uenturus iudex uniuersorum. Sed angeli nihil aliud quàm ministri sunt, non modo Christi, sed etiam omnium electorum dei. Multo igitur minores sunt Christo domino. Cæterum hanc orationem figurat interrogatione, ut hoc fit & uiuidior & uehementior.

De angelis. Vide autem Christiane lector, quanta simplicitate, luce & puritate de angelis disputet scriptura, profecto longe felicius q̃ hactenus fecerint sophistarum scholæ, quæ cum dubia protulerint de angelis multa, etiam uana & superstitiosa commẽtati sunt innumera. Quid uero multis opus? Angeli creaturæ sunt, spirituales substantiæ, ministri, &, ut propheta ait, flamma ignis. Siue ut Græci diffinierunt, ἄγγελός ἐστι ζωὸν λογικὸν, ὑμνολογικὸν ἀθανατον, quam finitionem sic reddidit incomparabilis eruditionis uir Capnion, Angelus est suppositum uiuum, rationale, hymnisonum, immortale.

Quando autem conditi sint ante hominẽ an post hominem, nihil certi prodidit scriptura: diuersa uero inter se senserunt ueteres Epiphanius, Hieronymus, Damascenus & reliqui. Sed quid hæc ad religionem ueram? Certè conditos esse cõstat. Constat item eos nullo certo constringi número. Nam in Daniele legimus, Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia millium assistebant ei. Quæ uerba prophetæ Ioannes Chrysostomus in Panegyrico de angelis 3. dicit esse scripta de supernis uirtutibus & potestatibus, quas numerans innumerabiles ostendit, & indeterminata mensura non mensurabiles repræsentauit. Ad essentiam fortassis eorum dilucidius exponendam, faciunt pro

Angeli spiritus. phetæ uerba, quibus & spiritus uocat angelos & flammam ignis. Opponitur autem uocabulum Spiritus corpori corruptibili & graui, ut intelligamus angelos esse spirituales substantias, incorruptibiles, sui generis & corporis, absq; impedimentis, onere & adfectibus humanis. Vnde in Euangelio differẽs dominus de animabus corpore solutis & perpetuis, adeoq; de statu animarum post hanc uitam, dicit, Et erunt sicut angeli dei. Et Chrysostomus in Panegyrico de angelis primo, δεύτερον φῶς (inquit) μετὰ τὸν πρῶτον, ὃ ἐστι δὲ φῶς τὸ φώτων, λέγεται ὁ ἄγγελος, id est secundum lumen post primum, quod est lumen luminũ dicitur angelus. Item Dionysius in Diuinis nominibus cap. 4. Angelus est (inquit) imago dei, ostensio occultæ lucis, speculum purum, nitidissimum, incoinquinatum, immaculatum, incontaminatum, suscipiens totam (si fas est dicere) pulchritudinem boniformis diuinæ speciei, & syncere resplendens seu repræsentans in seipso quantum possibile est, eam quæ in adytis & secretis habitat bonitatem. Hæc Dionysius. Sic

Angeli flamma ignis. inquam erimus sicut angeli dei: sic inquam sunt illi spiritus quoq;. Quò plurimum facit etiam alia prophetę similitudo à flamma ignis ducta. Nam angeli re uera non sunt flammæ corporeæ & uisibiles, sed diaphonia, pulchritudine, puritate, ui, agilitate & celeritate flammam referunt. Hinc & Seraphim nomen proculdubio ab ardore indepti sunt: ut & alia multa ex ipsa re nomina. Vnde fortassis non fuerit operæpretium pluribus de angelorum inter se substantia differere. Verisimile est enim, ut omnes homines unius esse speciei humanę, sic omnes angelos unius esse speciei angelicæ. Et ut diuersa sunt hominum munia, sic alia atq; alia angelorum esse officia, ex quibus & deinde diuersa existant nomina. Cui concordat etiam Chrysostomus in Panegy. de ange. 1. cum de uniuersis & singulis angelis ita quærit, Quomodo unius substantiæ existentes, non unam ac similem formam & uisionem in terra uersantes ostendunt hominibus? Damascenus fortasse melius, arbitratur nescire nos sint æquales angeli, an distẽt inter se. Hoc autem satis certum est uarias de ijs texi in sacris expositiones, quæ partim ex ea ductæ sunt forma, qua se ostenderunt hominibus, partim uero à rebus humanis per allusionem trãsumptæ sunt. Sic enim legimus angelos ueluti satellites domini stipare latera, applaudere, succinere, uolare deniq; talarijs instructos nunciare & renũciare, aliam subinde atq; aliam speciem induere, salua tamen intus substantia propria, eam item defuncto munere rursus exuere & ad genium redire, monere, custodire, deducere, & in omnibus humano generi inseruire. Iccirco enim à deo sunt conditi, ut & cum deo gaudeant, & humano generi inseruiant. Plura hic inseri possent, sed cessemus de hisce rebus quæ re uera supra nos sunt curiosius

riosius disputare, satis fit ista delibasse. Quin potius miretur quisq; apud se, & dei ineffabilem in condenda angelica substantia, cum sapientiam tum potentiam, & nunquam satis laudatam bonitatem, qua factum est ut miseris nobis mortalibus tam dignos & speciosos dederit ministros. Non enim satis fuit deo uere optimo maximo ut conderet hominem, & in hunc mundum ceu paradisum induceret, aleret, conseruaret ac ornaret, nisi & angelos nobis adderet & ministros & custodes: imò & filium pro nobis traderet in mortem. Hæc inquam miremur, istis gratias agamus, deniq; & uitam nostram sic instituamus, ut dignitatis & uocationis nostrę memores, cogitemus & angelos & deũ ipsum omnium operum nostrorum astare testes & spectatores. Et hæc per necessariã digressionem hactenus, nunc ad ipsam rem redimus.

Propterea oportet nos uehementius attendere his quę dicta sunt nobis, ne quando perfluamus. CAP. II.

Hisce tandem absoluitur sensus, qui ab initio primi capitis hactenus fuit suspensus: nunc enim palàm quod uoluit infert: quasi dicat, Cum ergo filium nobis miserit deus angelorum imò uniuersæ creaturæ dominum, æquum est ut maximo animi feruore ea amplectamur quæ tantus nobis tradidit legatus, uidelicet ne aliquando id nobis excidat quod docuit, uel perfluat quod animis infidere uoluit. Videtur autem Apostolus metaphoram à fluida sumpsisse papyro, quæ literarum characteres obscurius recipit, uel recepras protinus diffundit transmittitq; ut & animo minus attento accidit, cui, nisi firmus sit & solidus, ea excidunt quæ negligentius audierat. Ioannes Chrysostomus exponit, Ne quãdo pereamus, & allusum putat ad illud Solomonis, Fili mi ne effluas: quæ autem dilabuntur ea prorsus pereunt.

Etenim si is qui per angelos dictus fuerat sermo fuit firmus, & omnis transgressio & inobediẽtia iustam præmij repensationem accepit, quo modo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?

Caussa est superioris, & ut supra indicauimus, huius argumentationis, ueluti maior propositio. Si (inquit) maiestatem & authoritatem quandam, sed & certitudinem & robur habuit, quod per angelorum legationem docuit deus: certè maiorem authoritatem & grauius pondus habeat necesse est, quod per filium angelorum dominum deus orbi nunciauit. Et si dignas dederunt pœnas, qui uel angelicam uel propheticam legationem aut aspernati sunt, aut ei non obedierunt: quãto dignioribus grauioribusq; mulctabuntur pœnis qui tantam contempserint salutem? Nam Christus Iesus dei filius illa ipsa salus est, & negotium Christi, quod negotium euangelij est, illud salutare & uiuificum negotium est: ideoq; quisquis illud contempserit grauiter puniendus erit. Hic uero non erat opus copiosioribus exemplis. Nam satis constabat, omnibusq; Hebræis notus erat ille maiorum miserabilis in deserto interitus. De quo & ipse Apostolus satis prolixe disputabit in sequentibus, maxime in cap. 3.

Quæ cum initio quidem cœpit enarrari per ipsum dominum, ab ijs qui audierant, in nos confirmata fuit, contestante simul deo signis & prodigijs & uirtutibus uarijs & spiritus sancti donis, secundum suam uoluntatem distributis.

Quia uero tantam dixerat salutem, obiter nunc per amplificationem (quod hæc res maxime faceret ad præsens institutum) ostendit quãta nam sit illa salus, deniq; & quàm rata, certa & firma. Principio autem id demonstrat per authorem & professores, deinde uero & à signis & miraculis: argumentis inquam à Pronunciatorum loco ductis. Dicit autem hanc euangelij lucem salutemq; ab ipso rerum domino fuisse prædicatam: qua re nihil potest augustius, nedum dici, sed ne cogitari quidem. Maximum enim est quod ipse dei filius in persona (ut dici solet) propria, Euangelium mundo prędicauit. Marcus enim, Venit (inquit) Iesus in Galilæam prædicans Euangelium regni dei dicens, Impletum est tempus, instatq; regnum dei, resipiscite ergo & credite Euangelio. Deinde uero *Quomodo ad nos perlatum Euangelium.*

illud ipſum euangelium, ſicuti prophetæ prædixerant, & Chriſtus tradiderat, ita ab ipſis
Apoſtoli. quoq; prædicatum eſt apoſtolis quos delegerat Chriſtus auditores, teſtes & ſpectatores
cum operum omnium tum doctrinæ uniuerſæ. Illi enim poſteaquam Chriſtus, defuncto munere ſuo, cœlos cõſcendiſſet, in orbem diffuſi, totum mundũ prædicatione euangelij repleuere. Sed ne iſtis quidem contentus deus, uocauit & poſt iſtos omnes, & poſt
Paulus. cœptam etiam ac firmatam euangelij prædicationem, apoſtolum Paulum uirum primarium, qui euãgelium ſuum non didicit neq; ab homine, neq; per hominem, ſed ab ipſo cœlitus deo. Cœleſtis em̃ ſcholæ diſcipulus, recte meritoq; dixit, In nos confirmata fuit: ſentiens euangelium & ad ſe & ad eccleſias indubitata fide perlatum. Hæc uero de euan-
Miracula. gelij authoritate primisq; profeſſoribus. Iam uero ne quid à quoquã deſiderari poſſet, ipſe deus prædicationem hanc multis ornauit ſignis, firmioremq; reddidit prodigijs, uirtutibus & donis ſpiritus ſancti uarijs orbi cœlitus diſtributis. Notiſſima enim ſunt quæ prodidere de Chriſti atq; apoſtolorum miraculis, & Euangeliſtarum & Actuum apoſtolorum monumenta. Tam firma, tam inquam certa eſt euangelij doctrina: ut nũc maxime peccarit qui tantam neglexerit ſalutem. Ita ſingula probe referuntur ad ſtatum.

Signum. Cæterum per Signum intellexit Apoſtolus (ni fallor) experiẽtiam: quemadmodum eius quoq; uſus eſt apud dialecticos & rhetores, qui pallorem, trepidationem, ueſtes ſanguine conſperſas ſigna cædis appellitant. Ita uſurparunt & angeli apud Lucam cum dicunt, Et hoc uobis ſignum, Inuenietis infantem, &c. Heluetij proprijſſime uocamus ſignum *ein wortzeychen*, quod uerbis additur: uel *ein warzeychen*, quod res quibus additur firmet. Iam uero Non. Marcellus Prodigia ait eſſe deorum iras uel minas: ſed & Latini omnes Prodigium dictum uolunt quaſi porrò agendum uel prædicidium, quod ſemper aliquid mali præſagiat. Hic tamen ſatis cõſtat Prodigium accipi pro miraculo & re quæ fit præter expectationem & rerum penè naturam, quale illud eſt quod mortui ad uiuos redeunt, cæci uiſum recipiunt, claudi ſaliunt, & leproſi mundantur: non herbis aut aliquo adiuti medicamine, ſed ſolo uerbo curati. Imò ne quid obmitteret Apoſtolus ſubdi-
Dona ſpiritus. dit uarias uirtutes quoq;. Eſt aũt Græce δύναμις non ἀρετή. Vtrunq; uero uirtutẽ ſignificat: uerũ hoc, ut opponitur uitio, illud aũt ut opponitur imbecillitati. Virtus igitur hoc loco potentia eſt, ſed & maieſtas, authoritas & dicendi libertas. Dona aũt ſpiritus ſancti uaria ſunt, ut copioſioribus indicauit Apoſt. in 1. ad Cor. cap. 12. eaq; diuidit deus ſicuti uult, huic liberalius, illi uero parcius. Nec eſt qui deũ huius rei cauſſa in ius uocare poſſit.

Authoritas euã gelij quanta. Hæc uero omnia euangelio adiuncta ſunt teſtimonia, ne quis uel fidem, uel maieſtatem, uel authoritatem in eo deſideraret. Si enim propterea alicui religioni fides habẽda eſt, quod docto orta ſit authore, uel magnis & laudatis propagata ſit profeſſoribus, uel admirãdis roborata ſit prodigijs, certe Chriſtiana doctrina in primis amplectenda erit: utpote quæ authorem habeat, nõ angelum, philoſophum, diuinum aut magnum aliâs hominem: ſed ipſum dei filium: profeſſores autem non prophanos, inconſtantes, contentioſos aut iactabũdos ſophiſtas: ſed diuinitus inſpiratos prophetas, & ſpiritu dei plenos apoſtolos: qui non modo innocentia uitæ ſed & ſanguine comprobarunt quod docuerunt: nec hoc modo, ſed & talia doctrinæ cœleſti addidere & ſigna & prodigia (operante per eos deo) qualia non habuit uel uidit in orbe religio ulla. Peſſime igitur ceſſerit nobis, ſi adeò ſanctam, eximiam, certam, ratam, adeoq; indubitatam, incredulitate neglexerimus cum ſalutem tum doctrinam.

Diſce item ex hoc Apoſtoli loco ſigna addi doctrinæ, & non doctrinam ſignis attemperari. Signa enim per ſe nihil probãt, maxime ſi ſcripturis contraria ſint. Sic enim dicit
Authoritas ſignorum. in Deuteronomio dominus, Si ſurrexerit propheta & prędixerit ſignũ atq; portentum, & euenerit quod locutus eſt, dixerit autem tibi, Eamus & ſequamur deos alienos, nõ audies prophetam, quia tentat uos dominus deus ueſter, Deute. 13. Plura huius generis inuenias & apud Auguſtinum contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam, cap. 16.

Non enim angelis ſubiecit orbem terræ futurum de quo loquimur.

Hactenus abſoluit argumentum huius negotij potiſſimũ, Chriſtum angelis eſſe maiorem: Sed angelorum ſermonem nunq; impune fuiſſe contemptũ: unde conſequens ſit

& euan-

& euangelium, Christi sermonem, non posse citra maximam aspernantium contemni iacturam: consulto igitur facturos Iudæos, si euãgelij prædicationem neq; oderint, neq; tantum legatum contempserint. Quæ uero sequuntur potissimum etiam pertinent ad superiorem probationẽ, quod Christus angelis maior sit: fit tamen ijsdem etiam transitus ad caussam consequentem, de uera Christi carne, quæ caussa re ipsa naturaq; pendet ex rerum statu. Occasione enim ex præcedentibus accepta, ueluti digrediens, dissoluit quod ex Psalmo 8. poterat obijci, Christum, prophetæ testimonio, infra angelos (ut sic dicam) esse minoratum: proinde ostendit Apostolus quomodo dixerit propheta filium angelis aliquanto esse minorem. Qua expositione adactus mox etiam copiosius disserit de caussis humanę naturæ à Christo assumptæ, quodq; ueram assumpserit carnem. Hic uero omnium consequentium status est, hic ordo. Annotandum porrò & illud, enallagen temporis inesse huic locutioni, De quo loquimur: id enim posuit pro eo quod est, De quo sequenti testimonio loquemur.

Testatus est autem alicubi quidam, dicens, Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quod inuisis illum? Fecisti eum paulò inferiorem angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedes eius.

Ascribit iam eum locũ, quem nos diximus ex 8. Psalmo esse petitum, qui re uera gratiarum actio, laus & admiratio est potentiæ bonitatisq; dei, quod tam accurate miserum curet genus mortalium. Quæ itaq; sunt omnium re uera hominum, ea Apostolus per Catagogam peculiariter Christo tribuit, ut & alia hominis ornamenta decoraq; per allegoriam de resurrectione & regno Christi exponit. Sed audiamus ipsum Apostolum sancte de prophetæ uerbis disserentem.

In hoc enim quod ei subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum. At nondum uidemus illi omnia esse subiecta.

Initio κατ' ἀνάφορα ijsdem prophetæ uerbis quæ obijciebant aduersarij, probat Christum rerum esse dominũ: quod de angelis (ut & supra audiuimus) dici non possit, utpote quibus orbis terræ non sit subiectus. Argumentatur autem ex Toto & dicit, Qui dicit se omnia alicui subiecisse, is ne angelos quidem imò nihil prorsus excepit, quod non subiecerit. Deus autẽ subiecit Christo omnia, ut ait propheta: itaq; nihil est quod Christo non sit subditum. Cæterum cum in præsentiarum nõnulla sint quæ ei non subiecta sint, præuenit obiectionem & ait, Etiamsi in præsentiarũ omnia Christo nondum sint subiecta, subijciet tamen is in futuro qui dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. De qua subiectione scripsit & in 1. ad Corinth. 15. cap. Apostolus. Sic autem uides authorem etiam aduersariorum uti argumento pro re sua, atq; ista omnia etiamnũ referri ad superiorem probationem, Christum angelis esse maiorem: sequentibus uero deflectit ad aliud, & obiectionem tandem diluit.

Eum uero qui pusillum quiddã diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum propter cruciatum mortis, gloria & honore coronatum, ut per gratiam dei pro omni gustaret mortem.

Quomodo Christus angelis minor sit.

Demonstrat enim nunc eodem prophetæ testimonio, Christũ sanè angelis aliquanto esse minorẽ, sed addit quomodo aut quare sit minor, quodq; id gloriæ Christi nihil deroget. Minorem enim esse si quis spectet crucem & mortem, quæ in angelos prorsus non incidant. Hic tamen uelut per parenthesim intercludit, nihilo minus ipsum gloria & honore coronatum, id est mox ab ipsa morte per resurrectionem declaratum esse filium dei: adeoq; & ipsam mortem Christi, non pœnam mulctámue fuisse delicti, sed diuinæ gratiæ argumentum. Id enim sentit cum dicit, Vt per gratiam dei pro omni gustaret mortẽ. Vnde iam claret gloriã Christi nihil obscuratã esse cruce & interitu, ut etiãsi hac parte minor uideat, maior tamen sit passi gloria q̃ si passus non fuisset. Neq; uero nescio apud Hebræos legi, Minuisti eũ paulò minus à deo: uerũ hæc lectio sensu nihil discrepat

à Paulina. Siquidem & ipſe Chriſtus teſtatus eſt patrem ſe maiorem eſſe: quam rem ne ipſe quidem diſſimulauit maximus diuinitatis Chriſti aſſertor Athanaſius, qui dixit, Aequalis patri filius per diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem.

Decebat enim eum propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, ut multis filijs in gloriam adductis, principem ſalutis illorum per afflictiones perfectum redderet.

Anſa igitur accepta ex profeſſo nũc aſſerit ueram Chriſti carnem, & diſſerit de cauſſis incarnationis eius. Primo ut uideremus incarnatione adeò non obſcurari gloriam Chriſti, ut ea mundo magis innotuerit. Secundo ut nunc oſtendat Chriſtum uerũ eſſe hominem, quem ſuperiore capite uerum demonſtrauit eſſe deum. Prior autem incarnationis & mortis Chriſti cauſſa eſt ordinatio, conſilium & iuſtitia dei, quem hic propter maieſtatem ineffabilem periphraſi circumſcribit, illum inquam, eum eſſe propter quem & per quem ſint omnia, id eſt qui ſit omnium uita & eſſentia. Dicit ergo, Sic ſtatutum erat apud deum, imò id dei exigebat iuſtitia, & ſic decebat ut deus miſerum genus mortalium nõ alia uia quàm per mortem Chriſti reduceret ab exilio in æternas ſedes. Oportuit enim immundos ac imperfectos prius mundari & perfici per eum qui mũdus erat, & perficere ſiue expiare poterat. Caro imò totus homo perierat, Carne igitur & homine reſtituendus erat. Mortem meruerat homo, morte ergo redimendus erat. Deniq; corrupta erat omnis caro: proinde oportuit dei deſcẽdere filium, & ex uirgine per ſanctum incarnari ſpiritum. Quomodo enim moreretur qui carnem non haberet? Atq; hæc potiſſima eſt incarnationis dominicæ cauſſa, de qua pluribus ipſe diſſeret in ſequentibus Apoſtolus.

Prima cauſſa aſſumpti hominis.

Quandoquidem & qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno ſunt omnes.

Chriſtus ſanctificat, id eſt purgat, abluit, luſtrat & emundat nos. Homines uero tanquam immundi ſanctificamur. Iam ergo ne quis miraretur quod dixerat adflictione ſiue cruce nos per authorẽ ſalutis Chriſtum uere abſolutos eſſe & perfectos, ſubijcit cauſſam. Nam ex uno (inquit) patre Adam ſiue homine ſumus omnes, tam nos qui ſanctificamur, quàm ille qui ſanctificat Chriſtus: hinc enim uere pati & adfligi potuit, quod uerus nobiſcum ex homine homo fuit. Hac cauſſa deducit Lucas genealogiam Chriſti ad Adæ uſq; generationem, ne unquam de uera ambigerimus Chriſti humana carne.

Quam ob cauſſam non erubeſcit fratres illos uocare, dicens, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Et rurſum, Et ero fidens in illo. Et iterum, Ecce ego & pueri quos mihi dedit deus.

Quam ob cauſſam? quod ex uno nobiſcum ſit patre genitus nõ erubeſcit nos fratres appellare. Id uero clariſſimis ſcripturæ locis confirmat, ut ipſa Chriſti humanitas non minoribus infirmioribúsue nitatur ſcripturæ teſtimonijs q̃ ipſa eius diuinitas, quam 1. cap. ſatis ualide confirmauit. Primũ uero teſtimonium ſumpſit ex Pſal. 22. qui de Dauide ſcriptus eſt: ſed is typum geſſit Chriſti, qui nos mortales nominat fratres, & gloriam dei ſplendide in mundo per euangelĩ prædicationem annunciauit. Secundũ aũt accepit ex Pſal. 17. qui pari ratione Chriſto aptatur per allegoriam, præſenti aũt negotio ſic accommodatur, Si Chriſtus purus duntaxat fuiſſet deus, non homo etiam uerus, non dixiſſet, Ego ero fidẽs in illo. Quis enim ſanæ mentis dixerit deum deo fidere? Sed Chriſtus deo fidit: proinde ſecundum hominem fidat oportet, uerum itaq; hominem eſſe Chriſtum neceſſe eſt. Sed tertiũ teſtimoniũ mutuatus eſt ex Iſaiæ cap. 8. eadẽ denuo catachreſi uſus.

Poſteaquam igitur pueri commertium habent cum carne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc eſt diabolum, & liberos

ros redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti.

Applicat nunc negotio & instituto suo testimonia præcitata, maxime uero ultimum. Istis autem exegetica epanaphora clarius repetit & exponit priorem illam dominicæ incarnationis causſam. Et per pueros quidem intelligit homines mortales, qui commercium habemus cum carne & sanguine, id est qui re uera caro & sanguis sumus, ueri homines, qui carne & sanguine corpore & anima constamus. Eorundem autem ipse Christus particeps factus est, hoc est, prorsus nobis similis factus est. Id enim pollent isti in sacris usitati Hebraismi. Nam ad Philippenses absq; omni huius rei inuolucro dicit Apostolus, Christus exinaniuit seipsum, forma serui assumpta, in similitudine hominũ constitutus, & figura repertus ut homo. Et hæc quidem ueri hominis probatio est: sequitur nũc assumpti hominis causſa, siue superius indicatæ causſæ expositio. Assumpsit autem hominem, ut per mortem (quæ non poterat fieri, nisi in uero homine) solueret, euacuaret, & aboleret mortis & authorem & principem diabolum, hoc est (adduntur enim sequentia expositiue) ut absolueret & liberaret omnes eos qui peccatorum iugo oppressi, nihil aliud quàm peccati authoramentum, ipsam uidelicet æternam expectabant mortem. Nam æterna illa mors peccatorum nostrorum mulcta, corporali & innocenti morte Christi deuicta est, eaq; nobis per Christũ spes data, ut etiamsi semel corpore migrandum & moriendũ sit, æterna tamen morte simus liberati. Atq; hic est fructus carnis dominicæ, de quo copiosius in Roma. Apostolus cap. 5. 6. & 8. item Ioan. 6. 8. 11. & 12. Summa. Oportebat incarnari Christum, ut haberet quod pro nobis offerret, & holocausto proprij corporis, mortales uitæ restitueret, &c. *Idiotismus.*

Nusquam enim angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit.

Epanaphora est & assueueratio uehementissima, quam extulit sententia ex contrarijs composita, ne cuiusquam animus uel suspicari posset hominis uel humanitatis in Christo defuisse quicq̃. Nusquam (inquit) legas in diuinis literis, quod deus assumpserit angelicam naturã, uel spiritum uel corpus aëreum. Nam per angelum intellexit omnem inuisibilem, subtilem aut spiritualem substantiam. Assumpsit autem hominem uerum, certè ex semine (ut omnis testatur scriptura) Abrahæ, uerus homo existens, natus ex uero homine uirgine Maria. Causſam eius istis uerbis reddidit Tertullianus in libro de carne Christi. Christus (inquit) salus hominis fuit, causſa scilicet ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Vt angelum gestaret Christus, nihil tale de causſa est. Nam & si angelis perditio reputatur in ignem præparatum diabolo & angelis eius, nunquam tamen illis restitutio promissa est. Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus à patre. Quod pater neq; repromisit, neq; mandauit, Christus administrare nõ potuit. Hæc Tertullianus. Sed quomodo assumpserit semen Abrahæ Christus, docuere copiosioribus Matthæus atq; Lucas. *Christus angelum non assumpsit.*

Nos autem cum ex hoc Pauli loco tum ex alijs scripturæ testimonijs, deniq; ex ipsis definitionibus ecclesiasticis credimus & cõfitemur, quod tantum filius humanã assumpserit naturam, non pater, non spiritus sanctus. Quia non conueniebat ut ad aliũ transiret filij nomen, qui non esset æterna natiuitate filius. Sed & unum confitemur filiũ non duos. Ideo qui erat in diuinitate dei patris filius, eum oportebat fieri in homine hominis matris filium. Dei ergo filius factus est hominis filius, natus secundum ueritatem naturæ, ex deo dei filius, uerus deus, & secundum ueritatem naturæ ex homine hominis filius, homo uerus: ut ueritas geniti non adoptione, non gratia, non appellatione, sed in utraq; natiuitate filij nomen nascendo haberet, esset̃q; uerus deus & uerus homo unus ille filius. Non enim duo dij sunt, nõ duo filij, non duo Christi, sed deus & homo unus filius, qui propterea unigenitus appellatur. Manet enim in duabus substantijs siue naturis, sicut ei cõtulit ueritas naturæ. Non confusis naturis neq; immixtis, sicut Timothiani uolunt, sed societate unitis. Proinde deus hominem assumpsit, homo in deum transiuit, non uersibilitate naturæ, sicut Apollinaristæ dicũt, sed dei dignatione, qua factum est, ut *Cõfessio de dominicæ incarnationis sacramento.*

nec deus assumendo hominem mutatus sit in humanam substantiam, nec homo in diuinam, glorificatus sit in deum. Quandoquidem mutatio & uersibilitas naturæ, & dimi nutionem & abolitionem substantiæ facit. Ita quoq; dei filius ex homine natus est, non per hominem, id est ex uiri coitu, quemadmodum opinabatur impiissimus Hebion, sed carnem secum traxit ex illibata uirgine Maria. Neq; enim è cœlo secum illam tulit, ut nu gatur cum Eutyche Martion: Neq; phantasma fuit, ut Valentinus mendacissime dixit: Neq; sic natus est ex uirgine, ut & diuinitatis initium homo nascendo acceperit, quasi an tequam nasceretur ex uirgine deus non fuerit, sicut Arthemon, & Berillus, & Marcellius tradiderũt: sed æternus deus & homo ex uirgine natus est, qui uerum & solidum & humanũ corpus gessit, uerus homo ex uero natus homine, sicut & uerus deus ex uero genitus est deo. Quia scriptum est, Verbum caro factum est.

Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi.

De uero Christi corpore.

Qua concomitantia adhuc euidentius demonstrat Christum induisse uerum hominem: utpote qui per omnia, excepto peccato, nobis sit similis factus. Ideoq; ut carnẽ habuit sensibilem, sic animam rationalem, animam inquam non absq; sensu & ratione, ut Apollinaris aiebat, neque carnem absq; anima, cuius loco fuerit diuinitas, ut sentiebat Eunomius, sed animam tanquam uerus homo cum ratione sua habuit, & carnem cum sensibus suis, per quos sensus ueros in passione & ante passionem carnis suæ dolores, secundum Isaiæ uaticinium, sustinuit. Ideo & corpus Christi finitum & circumscri ptum & in loco cõstitutum sit oportet. Sumus enim etiam nos in loco. Ideo indoluisse, sitisse, esurisse, flesse, lassatum esse, gaudio suffusum, ira & indignatione turbatum, infirmitate (quam pro miseria semper & non pro peccato accipimus) debilitatum, deniq; & tentatum esse & mortalem factum legimus. Ideo etiam uidemus quod hunc hominem quem semel induit nunquam amisit, nunquã exuit, ne per resurrectionem quidem. Cor pus sanè clarificatum est, sed non ideo annihilatum est: mutata sunt accidentia, sed ipsa mansit substantia: nam corruptibile incorruptibilitatem induit: unde & ipsum quoque clarificatum corpus circũscriptum manfit. Solus enim deus infinitus est. At caro Christi in deum conuersa non est, quod conuerti in aliud finis sit pristini: finita igitur & loco concluſa est. Si enim à resurrectione corpus gessisset infinitum, iam ne corpus quidem fuisset, sed ne ipsa quidem nostræ carnis resurrectio aliquid esset.

Corpus Christi circũscriptum.

Videant ergo quid nugentur qui sua illa in pane corporali præsentia, & ueram Christi carnem negant, & resurrectionem carnis nostræ labefactant. Etenim si corpus Christi uerum & naturale, uere & naturaliter ubiq; est, ut incircumscriptum esse oporteat: si simul & semel in omnibus per orbem hostijs corporaliter siue substantialiter est, iam uerum Christi corpus, amplius uerum corpus nõ est. Tolle enim (ut Augustini uerbis ad Dardanũ utar) locorum spatia in corporibus & nusquam erunt: & quia nusquã erunt, nec erunt: tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint: & ideo necesse est ut non sint. Est autem corpus Christi corpus uerum, unde & loco circumscriptum, quo circa neq; per omnes singulasq; hostias naturaliter diffusum. Rursus si corpus Christi clarificatum nullo cõcluditur loco, sed per omnia se dei in morem diffundit, iam & corpora nostra ubiq; erunt: quandoquidem talis esse debet corporum nostrorum resurrectio, qualis erat Christi resurrectio. Porrò si corpora nostra ubiq; erunt, ne corpora qui dem erunt: sic neq; ipsum Christi corpus corpus fuerit. Si uero id uerum est, iam concidit fidei nostræ articulus, quo credimus Carnis resurrectionem. Resurget autẽ caro nostra, sicut Christi resurrexit. Verum de illa dicunt angeli, Surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. De hac dixit ipse etiam Christus ad discipulos, Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me uidetis habere. Proinde certũ est, corpus Christi etiam clarificatum in loco esse, & proinde uerũ corpus esse: ueram igitur fore & resurrectionem carnis nostræ, & ideo falsissimam istorum opinionem esse, qui aiunt clarificatum corpus Christi contineri in sacramẽto altaris. Cum re uera illa, quæ est in cœna Christi præsentia, non

sit sub-

fit ſubſtãtialis, naturalis uel localis, ſed potius ſpiritualis ac ſacramentalis. Fides enim abſentia loco, præſentia uidet intellectu. Sed hæc obiter.

ut miſericors eſſet & fidelis pontifex in ijs quæ apud deum forent agenda, ad expiandum inquam populi peccata.

Secunda cauſſa aſſumpti hominis.

Poſterior hic aſſignatur incarnationis cauſſa. Prior fuit, ut haberet quod pro nobis offerret, & mortem morte perimeret. Poſterior autem ut in omnibus ijs negotijs quæ mortalium generi coram deo agenda ſunt per omnem uitam, fidelem & miſericordem agere poſſet pontificem ac interceſſorem, nempe ut condonentur nobis noſtra delicta. Hinc apoſtolus Paulus ad Rom. 5. Chriſtus (inquit) pro nobis mortuus fuit, Multo igitur magis iuſtificati nunc ſanguine eius, ſeruabimur per eum ab ira. Nam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſeruabimur per uitam ipſius. Et iterum, Deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Ioannes item apoſtolus, Si quis (inquit) peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem Ieſum Chriſtũ iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantũ, ſed etiam pro totius mundi. Breuiter, oportuit incarnari Chriſtum, carnem in cœlos rapi, ſedere ad dexteram patris, ut non modo intercederet, ſed & talis eſſet à quo caro noſtra non abhorreret. Eſt enim caro Chriſti ſoror carnis noſtræ. Confidenter itaq; eum accederemus, qui noſtri ſimilis frater fratrum miſereretur.

Nam in hoc quod accidit illi tentatio, poteſt tentatis quoque ferre ſuppetias.

Non modo ſuperiorum cauſſa eſt & expoſitio, ſed & epicherema euidens, quo infirmiores maxima ui conatur attrahere ad Chriſtũ ut illi fidant, illum inuocent, illi uni hæreant. Eſſe enim illum qui per omnia tentatus miſeris ſuccurrere didicerit: eſſe præterea illum de quo Iſaias prædixerit, Deſpectus & contemptiſſimus erit omnium, qui tamen dolorum & ægritudinum peritus eſt. Solent autem qui malis exercitati ſunt promptius & citius afflictis eodemq; morbo laborantibus ſuccurrere, q̃ qui quid afflictio ſit nunquam didicerunt. Proinde non abs re aſſumpſit carnem & tentatus eſt Chriſtus: non abs re ipſe in Euangelio dixit, Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam uos. Et paulò poſt Apoſtolus, Non habemus (ait) talem pontificem, qui nõ poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia.

Diuorum inuocatio.

Hæc diligentius perpendant qui contra incarnationis dominicæ myſterium & uirtutem, diuorum iactitant interceſſionem. Quid enim cauſſæ eſt, quod diuos inuoces? Peccator ſum, inquis, Chriſtum accedere non auſim, quin hoc magis nunc adeundus erat. Verum tu cum accedere non auſis, fidem non habes, neq; intelligis cur deus hominem aſſumpſerit. In hoc autem aſſumpſit, ut miſericors in peccatorum negotijs eſſet interceſſor. Cum itaq; tu miſericordem adire nolis, creaturas autem adeas, claret quod tu huic diuinæ miſericordiæ non fidas, & proinde incarnatio Chriſti tibi nihil profit. Prodeſt enim ijs duntaxat qui uere credunt.

Epilogus.

Et hucuſq; diſſeruit de uera humanitate Chriſti, idq; miro & felici ingenio. In primis enim admirabile eſt illud, quod caput ueræ religionis, Chriſtũ uidelicet uerũ eſſe deum & hominem obiter, & aliud interim agens, adeò ſolide, adeò & abſolute tractarit, ut nihil ominus extra oleas, quod dici ſolet, non cucurrerit. Inſtitutum enim Pauli erat hortari Hebræos, ut Chriſtum per euangelij ſuſcipiant prædicationẽ. Præſtat autem eum agnoſcere, quem amplectaris, proinde ſuo loco & neceſſario tantis de Chriſto diſſeruit, ne illi incognitum per imprudentiã inſcitiámue aſpernarentur. Quid quod iſta eorũ quoq; firma ſunt fundamenta, quæ mox de ſacerdotio & ſacrificio Chriſti ſequentur? Nemo enim alius coram deo fungi potuit ſacerdotio q̃ ipſe dei filius: ſed & nullum aliud ſacrificium deo placere potuit q̃ aſſumptæ, de illibata uirgine, carnis holocauſtum: oportuit itaq; mediatorem hunc uerũ eſſe deum & hominem: quo fit ut propriſſime & commodiſſime tantis de utraq; in Chriſto natura diſſeruerit.

Proferant autem uel unum ex Cicerone, omnium oratorum principe, locum, qui sic prophanis addicti sunt, ut à sacris tanquam barbaris abhorreant: proferant inquam unum locum, qui huic Paulino possit eruditione, ui, elegantia, proprietate, perspicuitate & maiestate, cum rerum tum uerborum, conferri, quod si nequeunt, ut sanè non poterunt, discant etiam sacris suum deferre honorem.

CAP. III. Vnde fratres sancti, uocationis cœlestis participes, consyderate apostolum & pontificem confessionis nostræ Christum Iesum.

Pulchre redit ad exhortationis caput, illationemq; iterato ingerit, adhortãs ut Christum agnoscant & Euangelium non respuant. Cæterum quo magis gratiæ & fauoris & sibi & caussæ accederet auditores appellitat fratres, eosq; sanctos etiam uocat, quos alibi nominat credentes: sanctos quidem quod (ut in Corinthijs ait) sanguine Christi & sancto dei spiritu sint sanctificati. Idem dicuntur participes uocationis cœlestis, eò quod ab ipso deo, per unicũ filium, cœlitus uocati sint ad hæreditatem uitæ æternæ. Porrò filius dei ob salutiferam euangelij functionem, apostolus siue legatus cognominatur. Nam & in Romanis, Illud (inquit) dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis pro ueritate dei, ad confirmandas promissiones patrum: & ut gentes pro misericordia glorificent deum. Pontifex enim uocatur, quod intercessor & mediator sit dei & hominum: ut in 5. cap. dilucidius patebit. Quod autem filius orbi & doctor et redemptor missus sit, confessionis, hoc est, fidei & religionis nostræ summa, caput, & fundamentum est. Breuiter, hic est illationis huius sensus, Cum ergo filium cœlitus miserit deus, filius uero legationem susceperit, hominem induerit, doctorem egerit & redemptorem, itaq; ad æterna uocarit gaudia: agè præeuntem sequamur, uocantemq; non contemnamus, imò agnoscamus hunc esse uerum populi dei apostolum, ducem, & pontificem, id enim fidei religionisq; nostræ professionem decebit.

Christus apostolus.

Quod fidelis sit ei qui ipsum constituit, quemadmodum & Moses in tota domo ipsius.

Fidelitas Christi in agendo.

Auget dignitatem Christi, & urget negotiũ præsens collatione siue exemplo. Nam Mosi confert Christũ: qua collatione pulchre (ut audiemus) ad id progreditur, quo probat Christum Mose maiorem esse. Hic uero si (ait) Mosis administrationem commendauit fidelitas, diligentia & sedulitas, cur non & Christi administratio siue prædicatio nobis esset commendatissima? utpote quæ non minorem in agendo ardorẽ & diligentiam fidelitatemq; habuerit, quàm Mosis. Est autem fidelitas potissimum & maxime necessarium in docentibus ac proceribus populi donum. Nam in Corinthijs, Sic nos æstimet homo (inquit) ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ dei. Quod superest autem, illud requitur in dispensatoribus ut fidus aliquis reperiatur. Summum itaq; ornamentum & quod functionem nostram maxime commendet est fidelitas. Locus de fidelitate Mosis unde hæc sumpsit apostolus extat Num. 12. Ex eodẽ texuntur et consequẽtia.

1. Corin. 4.

Tanto enim maiore gloria hic præ Mose dignus est, quanto maiorem honorem habet is qui domum construxit, quàm ipsa domus. Omnis enim domus construitur ab aliquo: qui autẽ omnia condidit deus est.

Neq; enim hoc contentus apostolus quod Christum æquasset Mosi, quin istis nunc Mosi Christum quàm longissime præferat: ita aliud quoq; impedimentũ, quod Hebræos remorari poterat, remouens. Quemadmodum enim superiori tractatione Hebræis extorsit illam de angelorum legatione iactantiam: ita nunc quoq; eripit illis, quàm falsò in Mosen habebant confidentiam. Iactitabant enim & hic (ut etiam in argumento monuimus) se Moseos esse discipulos, cui locutus sit deus, Iesum uero istum se prorsus ignorare. Cum reuera sic essent Moseos discipuli, ut erant Christi discipuli. Vere etenim in Euangelio dixit dominus, Est qui accusat uos Moses in quo speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Ioannis 5. Ideoq; ut insolentibus cristas conuelleret

Apostolus.

Apostolus, probat Christum, ut angelis, sic Mose etiam esse maiorem: idq; allegorico quodam ænigmate ducto ex 12. cap. Numeri, quo & diuinitatem Christi obiter subindicat. Nam per domum intelligit mundum, per fabricam creationem, & per ædificantem deum conditorem. Iam ergo sic colligit: Aedificãs maior est ipsa domo, Christus autem ædificans est, ergo Christus ipsa domo maior est. Verum nullius pensi hoc fortassis argumentum fuerit, nisi intelligas ædificantem (ut monuimus) hic appellari deum conditorem. Nam Paulus, Omnis enim domus (inquit) constructur ab aliquo: sed qui omnia condidit deus est. Per Christũ uero condita sunt omnia, ergo Christus deus est, & proinde etiam Mose maior est.

Et Moses quidem fidelis fuit in tota domo illius, ueluti minister in testimonium eorum quæ post dicẽda erant. At Christus tanquam filius administrauit domum ipsius,

Argumentum hoc à comparatis ductum ad euidentiam facit superioris. Comparat enim nunc Mosen & Christum inter se, sed ita ut Christũ denuo Mosi longe præferat. Nam Mosen uocat seruum, Christum autem filium. Maxima autem est inter seruum & filium distãtia. Maximum igitur inter Mosen & Christum, si dignitatem spectes & conditionem (doctrina enim eadem) discrimen est. Nam quo dignior est filius seruo, hoc maior Mose Christus. Poterat sanè tota hæc Pauli argumentatio in hanc formam colligi, Domus minor est ædificante: minister domus minor est ipsa domo: ergo minister minor est ædificante. Et per expositionem, Moses minister est: Christus ædificans est: ergo Christus Mose maior est. Quid q̃d ipse Moses non modo de ijs quæ paulò post euangelio tradebantur testimoniũ tulit, sed & palàm toti orbi Christum proposuit uelut sydus unicum, potissimum cum post multa dixit: Futurum est, ut omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminetur à populo, Deute. 18.

cuius domus sumus nos, si fiduciam & gloriationem spei ad finem usq; firmam tenuerimus.

Clauis est quo superior allegoria referatur, Nos (inquit) si modo uere credamus, illa domus dei, de qua diximus, sumus. Nam in 1. ad Corinth. 3. cap. dicit Apostolus, Templum dei sanctum est, quod estis uos: sed si in uera fide ad finem usq; perseuerauerimus. Qui enim perseuerauerit (ut dicit in Euangelio Christus) usq; in finem, hic saluus erit. Idem asseuerat Ezech. cap. 18. Et Apostolus multo magis dixit, κρὴ τὸ καύχημα ϕ̃ ἐλπίδ῾ος, q̃ Latini assequantur. Loquitur enim de insigni illa & infallibili spe fidelium, qua certo norunt se dei esse filios. De qua spe & in Roma. Apostolus, Non solum autem hoc (inquit) uerumetiam gloriamur in deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc gloriationem assequuti sumus, Roma. 5.

Hinc uero discimus ecclesiam, quæ domus dei est, sanctorum, hoc est fidelium collectio & cœtus, quod inquam ea, ut solida in deum fide nititur, sic eadem ex fide per uerbum ueritatis nascatur. Fide item consistat & mundũ uincat: ut non frustra dixerit Apostolus, Hæc scripsi ut noris quomodo oporteat te uersari in domo dei, quæ est ecclesia dei uiuentis, columna & basis ueritatis quam dilexit Christus, & exposuit se pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbũ, ut adiungeret sibi ipsi gloriosam ecclesiam, nõ habentem maculã aut rugam, aut quicq̃ eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Huius domus & ecclesiæ caput, pastor, sponsus, uita, uis & salus est Christus Iesus. In hac Moses, prophetæ & apostoli ministri sunt. Verbum dei, uitæ regula, lumen, lex, & studiorũ institutio. Hæc domus illud ipsum ouiũ Christi ouile est unicũ, cuius ostiũ Christus est, qui dicit, Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Iccirco extra hanc uerã Christi ecclesiã nulla salus est, nulla fides, nulla ueritas, nulla religio uera. Pontificia enim ecclesia in qua ipse pontifex caput, legislator, iudex, prora & puppis, deniq; omnia unus est, cacodæmonis & schismatica ecclesia est, à uero capite Christo, à ueritate scripturarũ, & fidei unitate auulsa, suis fundata legibus, decretis, ceremonijs & humanis stultitijs: ut ab alijs copiosius disputatum est.

De ecclesia Christi.

1. Timoth. 3.

Ephes. 5.

Ephes. 2.

Ioan. 10.

Quapropter ſicut dicit ſpiritus ille ſanctus, Hodie ſi uocem eius audieritis, ne obduretis corda ueſtra, ſicut in exacerbatione in die tentationis in deſerto, ubi tentauerunt me patres ueſtri, probauerunt me & uiderunt opera mea quadraginta annis. Quapropter offenſus eram generationi huic, & dicebã, Semper errant corde, ipſi uero non cognouerũt uias meas, ſicut iuraui in ira mea, ſi ingreſſuri ſunt in requiẽ meam.

Quapropter ſiue διὸ particula nihil peculiariter infert, ſed connectendi nota eſt. Hactenus enim demonſtrauit Chriſtum etiam Moſe eſſe maiorem, ne quid ſupereſſet quo Hebræi uel gloriari poſſent, uel à cognitione Chriſti impediri: iam uero producit prophetica ex Pſalmo 94. uerba, eaq; tractat digniſſime, & ita præſenti ſuo accommodat inſtituto, ut te ſingula non audire, ſed coram contueri putes. Monet autem Hebræos, iſtis, ueluti uiuo exemplo, Chriſtum ſuſcipiant, & euangelium non contemnant: quippe qui uideant patres ſuos tanta ſeueritate eſſe punitos, quod uidelicet Moſis tantũ legationem contempſerint: ſiquidem uerisimile eſſe & ſe multo inclemẽtius fore puniendos ſi eum aſpernari perrexerint, qui etiam Moſis dominus ſit.

De exẽplo maiorum.

Vides autem quid poſſit maiorũ exemplum uel factum, ſi non ſit cum honeſto, iuſto & uero coniunctum. Si itaq; falſa uel ſcripturis aduerſa ſit patrum religio, ne imitemur, ne iactitemus. Nulla etenim ualet patrũ contra ueritatem authoritas: ueritati nulla præiudicat conſuetudo, nulla uetuſtas: quod & Lactantius diſerte perſecutus eſt Inſtitut. diuina. lib. 2. de erro. orig. cap. 7. Itaq; iſtis illam quoq; ſubruit Hebræis gloriationem, qua ut patres ſubinde iactitabant, ita ſancte aſſeuerabant, ſe, quod religionem attineret, in uiis patrum ambulaturos. Quod ſi facere perrexerint, indicat hoc loco Apoſtolus, quid ipſis certo ſit euenturum: idem prorſus quod obſtinatis maioribus, miſerabilis uidelicet interitus. Non enim Abrahæ & ſanctorum imitabãtur (ut & Chriſtus indicat) ueſtigia, ſed eorum patrum qui & deo recalcitrarunt & prophetas perſecuti ſunt.

Neq; uero dubitarim Paulum iſta non citra epanaphoram inſeruiſſe ac reſumpſiſſe. Audiuimus enim in 2. cap. initio inobedientiam patrum olim à deo horribiliter eſſe punitam. Parce uero id tunc perſtrinxit, idem ergo nunc præſenti prophetæ teſtimonio copioſius retractat & exponit. Ipſeq;, quantum præſenti ſatis eſt negotio, prophetæ uerba enarrat, ut noſtris non ſit opus interpretamentis. Sic enim ſubiungit.

Videte fratres, ne fortaſſe ſit in ullo ueſtrum cor deprauatum incredulitate, ut deſciſcat à deo uiuente, ſed exhortemini uos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur ſeductione peccati.

Incredulitas.

Hæc omnium ſumma eſt, hic ſcopus, quem ad morem Hebraicum præmittit, & conſequentia omnia ad eum dirigit. Propterea (inquit) adduxi hoc ex propheta miſerabile maiorum exemplum, ut quiſq; apud ſe probe curet ne incredulus ſit dei negotio. Incredulitas enim efficit, ut à uero, uiuo & æterno deo turpiter deficiamus. Id quod non tam ex hoc patrum liquet exemplo, quàm ex Adæ protoplaſti noſtri lapſu. Is enim cum plus crederet ſerpentinis lenociniis quàm uerbis dei, à deo & promiſſione eius excidit, calamitatis noſtræ author factus: qui proculdubio ipſi etiã peribimus, ſi euangelio per Chriſtum annunciato repugnauerimus. Quid igitur fiet? Sed exhortemini (ait) uos inuicem quotidie. Idem autem dicit quod ſupra, ſed uariata oratione per oppoſitum membrum, ſentiens conferre plurimum, ſi per hanc breuem & imbecillem, quæ adhuc ſuperſit, uitam, omni ſtudio nos inuicem ad fidendum deo & uerbis eius cohortemur, ne quis tandem incredulitatis ſcelere (id quod fieri ſolet) induretur, ut deinceps per omnem uitam nihil aliud quàm deſperate uiuere poſſit.

Chriſti participes facti ſumus, ſi ſanè initiũ ſubſtantiæ uſq; ad finem, firmum tenuerimus.

Quando

Quando uero ex pijs multi essent (uidetur enim hæc ad pientiores fieri apostrophe) qui Christi iactabant cognitionem, interim tamen parũ, aut prorsus nihil in cœpto pergerent itinere, & nonnunquã etiam in media conciderent uia, Non satis est (inquit) bene cœpisse, nisi & bene cœpta, perficiamus uita illibata & firma constantia. Perseuerãtia enim in fide in primis est necessaria, & sine qua fides nõ est fides, sed magis opinio uana. Paulus enim sanctum fidei initiũ, propterea uocauit initium substantiæ, quod fides uera, subsistentia, certa expectatio, ipsa certitudo & πληροφορία quædam sit, ut audiemus in cap. 11. Porrò de fidei augmento, cuius hic fit mentio, disseruit dilucide admodum apud Marcũ dominus, similitudine inducta seminis, quod initio herbam, mox spicam, postremo autem frumentum in spica progerminat. Discamus igitur & nos in fide constantes esse, & non modo uerbũ dei audire, sed etiam custodire illud. Tum enim sapienti uiro similes in petram ædificauimus ædificium aduersus omnes tempestatum procellas duraturum, Matthæi 7. *Perseuerantia.*

In hoc dicitur, Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione. Nam quidam cum audissent exacerbauerunt: at non omnes qui profecti fuerant ex Aegypto per Mosen.

Alij legunt, In hoc quod dicitur. Sed abundat Quod, et obscurat sensum. Paulus em scripsit ἐν τῷ λέγεσθαι, id est, in hoc dicitur, hoc est, huc iã pertinet illud, quod ex propheta citauimus, Hodie si uocem eius audieritis. Sentit enim eò spectare propheticã cohortationem, ne animũ ad Euangelij prædicationem obduremus, sed ut initium substantiæ ad finem usq; firmum teneamus. Nunc enim exponit uerba prophetæ, eaq; suo accommodat instituto, demonstrans incredulitatẽ patribus in deserto cladis & interitus fuisse caussam: præstare itaq; ne obduremus corda ad prædicationem Euãgelij, sicut in exacerbatione, id est, sicut eo accidit tẽpore, quo & ipsi Iudæi amaro præditi animo, erga deum ingrato murmure prouocarunt benefactorẽ, & ipse deus eorum murmure & ingratitudine exasperatus, obstinatis uehemẽter succenseret. Nam erant tunc quoq; (ait Apost.) qui animis admodum infestis intellectę resistebant ueritati, quanquam suo maximo malo. Erant & alij qui solida fide perstiterunt, qui & in terram promissam introducti sunt, quorum exemplum imitari præstat.

Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? Nónne his qui peccauerant, quorum membra conciderunt in deserto? Quibus autem iurauit non ingressuros in requiem suam? nisi his qui non obedierant.

Idem dicit quod iam dixerat, propter incredulitatem patres eorum esse peremptos: sed orationis habitum interrogatione figurat & uehementiorem efficit, ut nunc singula miram spirent uehementiam. Primo etenim dicit deum illis nõ modo iratum fuisse, sed etiam infensum: hoc est, incredulitatem patrum deo conciuisse nauseam. Est enim προσοχθῆμ, quo uerbo utitur Paulus, tædium & molestiam capere ex re aliqua. Secundo autem loco & aliud subijcitur ardẽtius, in hac uehementi indignatione, deũ etiam iurasse, Si introibunt in requiem meam. Quod locutionis genus, & ipsum, stomachum & apostopesin habet patheticam, cui nostra respondet lingua cum dicimus, *ia schenck ich dir das*, intelligimus enim aliquid, uel, iam male dispeream, uel aliud eiusmodi quiddam. Ita hic quoq; per indignationem iurat dominus incredulos nunquã ingressuros esse in requiem. Hanc rem satis aliâs ardentem magis adhuc incẽdit tempus, quod uidelicet quadraginta annis in deserto oberrarunt: item modus & locus, quod & in deserto hoc misere tandem conciderunt, uel peste, uel gladio absumpti, & nonnunquã terra absorpti, non nunquam uero & fulmine attacti atq; extincti: tandem uero, quod omnium erat miserrimum, ipsa etiam requie frustrati. Hęc inquam omnia deplorata certè & supra modum misera, ijs obuenere qui peccauerant, hoc est, uerbo dei, per Mosen prædicato, non crediderant: unde liquet quantum malum sit nuntio dei repugnare. Incredulitas enim omnis mali uis, seminarium, & robur est. Vnde & Samuel ad Saulem tanta constantia dicebat, *Macrobius Saturn. lib. 4. cap. 3. 4.*

Nunquid uult dominus holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci domini? Melior est enim obedientia quàm uictimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, 1. Samuel. 15.

Et uidemus quod non potuerint ingredi propter incredulitatem.

καὶ accipitur pro ergo, uel pro sicut sit uel inferentis nota, uel repetentis in hunc sensum, Sic inquã uidemus, quod illi per incredulitatem nõ potuerint ingredi in requiem. Sic etenim ad finem expositionis pulchre appendit, quid nam istis prophetæ uerbis effectum uoluerit: adeò ut clausulæ & epiphonematis speciem habeat sententia. Sed ipsam rerum summam illatione consequenti dilucidissime sic infert.

CAP. IIII. Metuamus igitur ne quando derelicta promissione introëundi in requiem eius, uideatur aliquis ex nobis fuisse frustratus.

Cum igitur (inquit) patres uestri propter incredulitatem requie pollicita sint excluſi, cauendum est uobis, ne etiam uos ab ea per inobediẽtiam excludamini. Allusit autem uerbo ὑστερῆκέναι ad eos qui comites, per torporem animi, uel inertiam corporis, in cœpto itinere assequi non possunt.

Etenim nobis id quoq; nunciatum est, quemadmodum & illis.

Promißiones ueterũ ſpiritualiter noſtræ.

Ne quis obiiceret, quid uero mea retulerit uel maiorum incredulitas, uel illis pollicita requies? Præuenit id & sibi hunc prophetæ locum contra Iudaicam uendicat proteruiam, & ait, Quod autem hortamur ut ad promissam properetis requiem, inde est quod illa requies non minus nobis quàm patribus nostris proposita est. Hinc enim Paulus significantissime euangelij uoce usus est, scribens, καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι, hoc est ut uerbum uerbo reddam, Etenim sumus euangelizati, sicut & illi: id est id beneficij de requie, non minus nobis q̃ illis nunciatũ est. Vel, hoc beneficio non minus nos donauit deus quàm illos. Valeant itaq; qui ueteris instrumenti scripta non nobis etiã sed ueteribus duntaxat scripta esse produnt. Nam uel hic locus satis coarguit ea quę spiritus fidei & charitatis sunt, prorsus non esse abrogata. Non enim nunc dicam quid alijs in locis, nempe ad Roma. 4. 15. 2. Timoth. 3. de hac re scribat idem apostolus Paulus: siquidem ad expositionem redeundum est.

At non profuit illis audisse sermonẽ, quod is non esset cum fide coniunctus, ijs qui audierant.

Alium hic tollit errorem. Sed istis (ait) non profuit promissio, propterea quod promittenti deo nuncijsq; eius non crederent, imò ipsum Mosen aspernarentur, & contra deum ipsum murmurarent. Sic ne uobis quidem profuerit audiuisse euangelium, nisi etiam fideli cordi inscribatis quod audistis. Nam & D. Iacobus, Sitis effectores (inquit) sermonis, & nõ auditores tantum. Docuit & in Corinthijs Apostolus, ueteres quidem baptizatos esse & sacris cibatos mysterijs: sed ideo non absolutos fuisse, plurimos enim ira dei concidisse in deserto. Nihil igitur & nobis profuturum sacris initiatos esse mysterijs, nisi etiam uera fide deo totis adhæreamus uiribus. Annotauit hoc loco & illud Erasmus, μὴ συγκεκραμένους, id est non contẽperatus: idem ualere ac si dixisset, non apte con-

Iacobi 2.

iunctus, ueluti anima corpori coniungitur temperatura quadam. Esse enim fidem uelut auditus uitam.

Introimus enim in requiem nos qui credidimus, quemadmodum dixit, Sicut iuraui in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam.

Quasi dicat, Iccirco fidem uerbis dei habendam doceo, quod ij duntaxat qui credũt, in ueram requiem introëunt. Nam qui non credunt, à requie excluſi sunt. Quod argumentum duxit à contrarijs. Iam enim quod superius cœperat, pergit ostendere Apostolus, prophetæ locum non modo intelligendum esse, de requie externa terræ Chanaan, sed magis de æterna quiete per Iesum, nõ equidem Naue filium, sed dei filium, paratam. Quo simul hæc duo perstringit, quæ sit uera requies: & qui nam huius sint participes.

Atq;

Atq; hic conſequentiũ ſcopus eſt. Inſtituit autem hanc diſputationem propterea, quod apud Hebræos prophetæ uerbis nihil uidebatur egiſſe, niſi ſimul & illud probaſſet q̃d ea quæ de requie à propheta erant ſcripta, ad nos quoq;, non ad ueteres duntaxat pertinerent.

Et ſanè operibus ab ipſo mundi exordio factis. Dixit enim in quodam loco de die ſeptimo ſic, Et requieuit deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis.

Ioannes Chryſoſtomus homelia in Hebræos Pauli 6. Tres (inquit) requies eſſe dicit: Vnam ſabbati, qua deus requieuit ab operibus ſuis. Secundam in Palæſtina, in quam ingreſſi Iudæi requieturi erãt ex miſeria multa & laboribus. Tertiã quæ reuera eſt requies, hoc eſt regnum cœlorum, ad quam quos peruenire contigerit, re uera requieſcũt à laboribus & difficultatibus ſuis. Harũ trium igitur mentionem facit, ut oſtendat prophetam de hac dicere. De prima enim non dixit, utpote quæ olim facta ſit. Sed neq; de ea quæ in Palæſtina fuit. Nam dixit, Non introibũt in requiem meam. Reſtat igitur tertiam hanc eſſe reliquam. Nam & Dauid poſt generationem eorum qui terram Chanaan ingreſſi ſunt dixit, Hodie ſi uocem eius audieritis ne obduretis corda ueſtra. Hinc enim clarum eſt, quia eſt quædã requies. Si enim iam acceperant requiem quæ erat in Palæſtina, quare eis iterum dicit Hodie? Quæ eſt ergo alia requies, niſi regnum cœlorum, cuius imago & umbra eſt ſabbatum? Hæc omnia Chryſoſtomi ſunt. Poterant autem hæc Pauli uerba ſimplicius etiam tractari, hoc, ni fallor, quem indicabimus, modo.

Gulielmus Budæus in doctiſſimis illis ſuis de linguæ Græcæ Commentarijs copioſe tradidit uarium apud authores huius dictionis καίτοι uſum. Hinc tranſtulere quidã Licet, alij Quanquam, alij Vero, & ſanè. Certè expoſitiua uidetur eſſe particula: uidetur & orationi ineſſe quædã ἐλλείψις, hoc eſt defectus. Nam hic eſt Apoſtoli ſenſus, Introimus in requiem nos qui credimus, & ſanè in eam quam deus iactis mundi fundamentis ingreſſus eſt. Nam ſcriptura manifeſte teſtatur deum ſeptima tandem die requieuiſſe. Et ſi hic uerus & genuinus ſenſus eſt, ut ſanè contextui non inepte innectitur, iam teſtimonium illud, Sicut iuraui in ira mea, &c. per parẽtheſim uidebitur inſertũ. Sed uideamus quomodo cohæreant cum conſequentibus. Et in hoc iterum, Id eſt ad hanc quietem dei æternam (nam & ipſa terra Chanaan iſtius quoq; typum geſſit) uocauit eos, qui duce Moſe ex Aegypto ſunt egreſſi: uerum aſpernantibus ijs oblatam quietem, iurauit iſtos nequaquam ad ſe in æterna gaudia peruenturos. Interim tamen deus uerax eſt, & quietem humano generi promiſit: ſequitur itaq;.

Poſteaquam igitur illud reliquum eſt, aliquos introire in eam, & quibus prius annunciatum fuit, non introierunt, propter incredulitatem, rurſum quendã præfinit diem, Hodie (inquit Dauid dicens) poſt tantum temporis quemadmodum dictum eſt, Hodie ſi uocem eius audieritis ne obduretis corda ueſtra. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nequaquam de alio poſthac die locutus fuiſſet.

Id eſt, ut paucis multa complectar, Ergo aliud præfinijt tempus, quo uelit denuo alios etiam uocare ad requiem æternam. Elegit enim tempora Chriſti quæ præſentia ſunt. Nunc enim omnes uocamur ad pœnitentiam & regnum cœlorum. Sed ipſe Apoſtolus oĩa fuſius tractat. Et certum eſt (inquit) ex uerbis dei, aliquot introituros in requiem. Illi autem quibus primo nunciatum eſt non introierunt: reſtat ergo quod aliqui ſint ingreſſuri, ij nimirum quibus alia per Dauidem præſcripta eſt dies. Dauid autem longo poſt Moſen interuallo hæc quæ audimus ſcripſit, & in ea terra ſcripſit quam deus promiſit: ut iam nemini dubium eſſe poſſit, quin de alia loquutus ſit & requie & terra, quàm ea fuerit in qua hæc ſcripſit. Nam ſi quis obijciat requiem eam, cuius propheta meminit per Ioſue eſſe præſtitam, fallitur. Nam ſi illa, in quam induxit Ioſue, uera fuit quies, quid opus erat alterius quietis mentionem facere eum, qui in illa terra,

in quam induxerat Iosue, erat? quid ergo? quorsum hæc omnia?

Relinquitur itaq; requies populo dei.

Ex istis itaq; constat (nam prædisputatorum conclusio est) quod uera illa, cuius meminit propheta, requies, non sit per Iosue præstita, neq; ea requies patribus duntaxat sit pollicita, sed quod per Christũ Iesum, cuius typum gessit Iosue, sit præstita, & omni populo dei parata. Intelligimus autem nomine populi dei omnes eos qui deo ex Iudæis & Gentibus nomina dederunt, imò ei sese totos dediderunt, Illi inquam ingredientur in requiem promissam.

Nam qui ingreditur in requiem eius, etiam ipse quiescit ab operibus suis, quemadmodum à suis deus.

Hanc sententiam lucis gratia postliminio & per epanaphoram adiecit. Respicit enim ad illud quod modo audiuimus in istis, Et sanè operibus ab ipso &c. Atq; ita clarius exponit quæ nam sit illa populi dei requies: nempe uitæ æternæ requies, in qua cessabit (ut prophetæ aiunt) omnis labor & dolor. Oportet enim corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem: ita enim quiescemus ab operibus nostris, sicuti deus à suis, qui est uere beatus, felix, καὶ ἀνέλγητος. Et hac clausula manifestum fit, superiorem quem annotauimus sensum genuinum esse, cassoq; labore istos se conficere, imò aliena à Pauli mente inducere, qui hoc loco multis de Sabbato disputant. Nihil enim hic disputat de feriis, nihil de otio festiuo, sed peculiariter de æterna requie & uita per Christum nobis parta, cuius hæredes sint fideles. Nunc enim capulum rei repetit & infert:

Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo.

Quasi diceret, Ista uero omnia in hoc adduximus, ut ad fidendum Christo & euangelio eius inuitaremus: huius enim auspicijs, ui & beneficijs cõsequimur uitam æternam, deniq; & miserabilem effugimus interitum, quo maiores uestri propter incredulitatem interempti sunt.

Scripturas interpretari.

Vides autem amice Lector quàm proprie quàm etiam anxie omnia retulerit ad scopum Apostolus. Nam quemadmodum prophetæ pulchro dicendi ordine omnia sua perorarunt: sic etiam Apostoli exactissima (quam spiritus suppeditabat) dicendi ratione sua proposuerunt: utpote uenusti & perspicacis ingenij homines. Errant enim toto cœlo, qui phanaticum spiritum & inconstãs in prophetis ingenium taxant. Errant qui apostolis rusticitatem tribuũt, & obscurum in eis ac desultoriũ criminantur ingenium. Nam qui uel mediocriter in eorum scriptis uersati sunt, norunt neq; ipsos prophetas, neq; Christi apostolos, temere rerum permiscuisse argumenta, sed omnia ad certum retulisse scopum, iusta & dilucida, attamen illaborata inadfectataq; dicendi ratione adhibita. Nam ut fucum oderunt superstitiosum, ita perspicuitati & rei studuerunt. Id cum multi non obseruemus, fit ut dum cõmentarios in sacra polliceamur, nihil aliud quàm Rapsodias cõcinnemus, aut locos communes coaceruemus, ipso interim orationis instituto & contextu, hoc est ipsa orationis medulla prorsus neglecta. Cum tamen præcipua interpretis functio sit, potissimum authoris annotare scopum: deinde uero quomodo ad statum hunc referantur singula, ubi ab instituto diuerterit, quæ neglecta, quæ obseruanda, quis uerborum usus, quis rerum sensus sit indicare, adeoq; & superstitiose etiam indicare: quæ sanè fieri non poterunt, nisi oratio dispersa colligatur, institutum indicetur, sententiarumq; componatur contextus siue cohæsio. Cohæsio porrò ista firmissimum est & in iudicando & in disputando munimentum, lumen in tenebris, ueritatis regula infallibilis, & hæresum præsentaneum uenenum. Surripiat enim è cõtextu sententiam hæreticus, adulteret & ad suum dogma roborandum detorqueat: adhibeatur autem iudex & uindex ueritatis cohæsio, iam abreptum locum pristino cum ordini tum nitori restituet. Eo quod introducta sententia neq; authoris instituto conueniat, neq; consequentia & præcedentia quadrent, &c. Sed redimus.

Viuus

Viuus est enim sermo dei & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinq; incidente, & pertingens usq; ad diuisionem animæ simul & spíritus compagumq; & medullarum, & discretor cogitationum & intentionũ cordis: nec est ulla creatura quæ non manifesta sit in conspectu illius: sed omnia nuda & resupinata oculis eius, ad quẽ nobis est sermo.

Virtus uerbi dei.

Subiũciuntur hæc ab Apostolo confirmationis uice. Sentit enim uerbum dei nũc quidem non minoris esse uirtutis quàm olim, adeo ut quemadmodum olim peste & gladio inobedientes perdiderit deus, sic etiam nunc idem expectãdum sit à uerbo, dei filio, orbi per prædicationem euangelij patefacto. Quippe quod uiuum sit, hoc est efficax. Subijcitur enim posterius ad explanationem superioris. ἐνέργεια enim efficacia est, quæ non tam dicere uidetur quàm ostẽdere. Hinc in Galatis Apostolus, In Christo Iesu (inquit) neq; circumcisio quicquam ualet neq; præputium, sed fides per dilectionem ἐνεργουμένη, id est efficax. Significat enim euidentem uim exerentem se in nobis, quod spiritus proprium est. Sic inquam uerbum dei uiuum est & efficax, agens & operationis uiuæ. Idem uerbum gladio comparat, quod ex Isaiæ 49. capite desumpsisse uidetur, ibi enim Messias dicit, Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meę recordatus est nominis mei: & posuit os meum quasi gladium acutum. Et mox ipse Apostolus allegoriam aperit & subdit, Pertingens usq; ad diuisionem animæ simul & spiritus compagumq; & medullarũ. Indicans filiũ & uim uerbi dei (utraq; enim mira cõmiscet Crasi) intima penetrare animi penetralia, & filiũ esse illũ καρδιογνώστην, qui hominis cognitã habeat mentem: nec mentem solã, sed totum in uniuersum hominẽ intus & in cute. Nam à partibus totum colligit, & per spiritum intima & subtilissima quæq; intelligit. Nõ enim de corpore ista carnaliter exponenda sunt, quasi hic gladius, uisibilis sit gladius: sed allegoria & hyperocha quadam adumbrare uoluit, quod clarioribus ipse mox exponit, Verbum iudicare cogitationes & intentiones cordis. Vnde facile nunc liquet nullius posse perfidiã latere, nullius hypocrisin, nec istam unquam fore inultam. Quò fortassis & illud prophetæ uidebitur spectare, Væ qui profundi estis corde, & dicitis, Quis uidet nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc nostra cogitatio, quasi si lutum contra figulũ cogitet, & dicat opus factori suo, Non feci ti me: & figmentum dicat fictori suo, Non intelligis, Isaiæ 29. Item illud Pauli in 1. ad Corinthios cap. 14. Quod si omẽs prophetetis, ingrediatur autem in cœtum uestrum indoctus, & coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, &c. Nunc enim palàm sequitur, Nec est ulla creatura quæ non manifesta sit in cõspectu illius, quæ sanè uerba absq; omni inuolucro idem nobis referunt, imò clarius exponunt, quod iamiam per figuram obscurius est positum. Dixit autem τετραχηλισμένα, resupinata, quasi tu dicas ceruicata, hoc est intus & in cute, tanquam in speculo. Græci uolunt metaphoram sumptam ab ouibus, quibus pellis à ceruice detrahitur cum excoriantur. Detracta autem pelle & resupinato corpore nudantur omnia. Deinde uero dixit, Nec est ulla creatura, pro eo quod est, nihil uspiam in ullis rebus creatis est, uel nihil prorsus est quod filium lateat. Ad finem autem affigit, Ad quem nobis sermo: quod bifariã exponi potest: uel quod deo, quem nihil lateat reddenda sit ratio. Varia enim significat λόγος. Vel quod transitum faciat ad consequentia, & dicat se nunc copiosioribus de Verbo dei, hoc est filio dei, disputaturum.

κριτικὸς est sermo dei, quia iudicat & discernit. Ioan. 9. In iudiciũ ego in mundum ueni, &c.

Epilogus.

HISCE uero absoluimus primam epistolæ huius partem, qua Hebræos hortatus est Paulus, Christum suscipiant, qui angelis & Mose maior, utpote dei filius, sit: unde negotium suum tuto contemni non possit: quando contemptus uerbi dei per Mosen prædicati, in patribus per desertum misere & palantibus & expirantibus punitus sit. Verbum etenim dei uiuum esse & penetrantius gladio ancipiti, unde & hostes nihilo segnius punire possit, atq; illa punierit Israëlitis immissa lues.

SECVNDA EPISTOLAE PARS.

INdicauimus in argumento, Sacerdotium & Sacrificium Christi, altera epistolæ huius parte tractari, idq; per collationem quandam ad sacerdotium & sacrificium Aaronicum: id quod nunc quidem auspicabitur, & ita ut & cõsequentia nectat superioribus & summã cõsequentium breuibus præmittat. Initio enim ea per epilogum repetere & colligere uidetur, quæ disputauit de diuina & humana Christi natura in capite primo & secundo. Deinde uero ijsdem illis & hunc consequentium constituit statum, Christum Iesum uerum esse sacerdotem: utpote qui deo iunxerit hominem, ut uerum coram deo pontificem agere posset. Sic enim delecto & eximio quodam ordine nunc exponit quis sit ille Christus ad quem Hebræos hactenus tanto inuitauit ardore. His iam adde ea quoq; quæ in argumento diximus, nempe quo consilio hæc faciat Apostolus: nũc enim ipsa Pauli uerba tractabimus.

CAP. V. HAbentes igitur pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium dei, teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatũ nostrarum, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem, absq; peccato.

Hoc autem dicit, Cum igitur satis constet ex præcedentibus Iesum Christum uerum esse deum & hominem, liquido etiam illud constat, quod idem apud deum uerus mediator sit ac pontifex generis humani, qui proprij corporis hostia lustrarit omnia mũdi peccata. Et sanè pontificem esse & mediatorẽ esse, prorsus in idem, quod scilicet ipsam rem attinet, incidit. Oportuit autem mediatorem dei & hominũ utriusq; naturæ participem esse: hinc est quod tanta diligentia repetit Apostolus, pontificem nostrũ dei esse filium, deum uerum: & per omnia homini assimilatum, hominem uerum. Nam & D. Ioannes Chrysostomus in epistolam Pauli ad Timotheum priorem homelia 7. Enimuero mediator (inquit) utrisq; eis debet societate coniungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, utrorumq; participem fieri, quorum fuerit mediator. Quemadmodum enim loci cuiuslibet medium utramq; partem contingat necesse est: ita & naturarum ambarum medium oportuit utrasq; naturas contingere atq; connectere. Quem admodũ igitur homo factus est, ita etiam deus erat. Homo quippe purus mediator nunquam penitus fieret: oportebat enim huiusmodi mediatorem cum deo colloqui. Deus item solus mediator esse non posset, neq; enim eum suscepissent hi, quorum mediator accederet. Hactenus Chrysostomi uerba retulimus, quibus in omnem modum ea consonant quæ & Augustinus de Mediatore scripsit libro de Ciuitate dei 9. cap. 15. Pontifex igitur noster uerus deus & homo fuit, & cœlos penetrauit: quo ad officium sacerdotum & tabernaculum allusit. Christus enim non ingressus est in tabernaculum ab hominibus constructum, sed in ipsum cœlum, ut nunc pro nobis in conspectu dei compareat. Idem & si filius esset, omnem tamen nobis exhibuit mansuetudinem, etiam nunc benignus & minime seuerus, rigidus & inexorabilis, sed fidelis & misericors: utpote qui sensu infirmitatis nostræ mouetur. συμπαθῆμ eñ est affici & moueri sensu alieni mali. Nam & tentatus, id est malis exercitatus est, exercitatus inquam per omnia, hoc est omni modo, sicut nos exerceri solemus, hoc uno dempto, quod peccatum neq; fecit neq; facere potuit. Dixit autem iuxta similitudinem, idiotismo Hebraico, pro eo quod est, prorsus eo modo quo nos tentamur, χωρὶς ἁμαρτίας excepto peccato. Etenim Exodi 25. eodem schemate scriptum legimus, Facientq; mihi sanctuarium iuxta omnem similitudinem quam ostendam tibi: id est prorsus tale quale illud est quod ostendo. Item ad Roma. 5. Regnauit (inquit Apostolus) mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos quoq; qui non peccauerant in similitudinem transgressionis Adam, id est regnauit in eos etiam qui nõ illud ipsum peccatũ peccarant quod peccauit Adam. Ita ad Philippenses 2. legimus Christum in similitudine hominum fuisse constitutum, id est uere incarnatum, ut uerum gesserit hominem, sicut nos gerimus. Ideoq; pari schemate hoc quoq; loco dixit, Christum tentatum esse per omnia, iuxta similitudinem, id est ita tentatum & malis exercitatum esse, sicuti homines exerceri solemus. Id quod tot inculcamus uerbis, ne quis imaginariam

Pontifex & mediator idem.

Iuxta similitudinem.

Christi

Christi carnem arbitretur. Hæretici enim schematum & locutionum ignari in hunc locum impegerunt, atq; putatiuum corpus Christo affinxerunt. Videant igitur quo spiritu nonnulli ab idiomatum & schematum cognitione, studio & usu adeò abhorreant. Cum interim hæc figurata locutio multo fit uiuidior & uehementior quàm Latini esse quamur. Germani fortassis exactius referimus cum dicimus, *in glycher gstalt, wyß vnd maaß.* Illo enim locutionis genere nihil omittimus quod non comprehendamus: totidem uidelicet & tanta in hoc esse quanta in illo sunt, cui hoc conferimus atq; assimulamus. *Tropi & schemata.*

Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam inueniamus in opportunum auxilium.

Dixerat, Teneamus confessionem, eò iam redit per epanaphoram, ut nihil fit obscurum, simul & illud indicans quis fit finis eorum quæ de sacerdotio Christi disputare instituerit. Nempe ut fidamus Iesu Christo dei filio, & agnoscamus hunc illum esse uerum à deo ordinatum sacerdotem, intercessorem & redemptorem, proinde talem solida fide & nihil hæsitantes accedamus. Pedibus enim ad eum non peruenimus sed fide. Nam accedentem oportet credere. Vt autem hoc liberius & audentius accedamus, illud in primis mouere debet, quod cum ad Christum supplicaturi uenimus, non seueri iudicis tribunal accedimus, sed ad clementissimi patroni thronum: qui iccirco thronus gratiæ appellatur, quod Christus petentibus sese comem paratũ & misericordem exhibet, quippe qui ad se omnes eos uocat quotquot laborant & onerati sunt, se enim adflictis omnibus requiem præstiturum pollicens. Falluntur igitur qui aiunt sese suis impediri peccatis, sed & illius terreri maiestate, quo minus ipsum adeant Christum. Nam hic audimus maiestati iunctam esse misericordiam, imò & humanum adfectum. Rursus ipsum dominum non modo dominum & dei filium, sed & gratiæ esse thronum. Confiteamur igitur peccata nostra deo, & adeamus eum, qui ut omniscius est & omnipotens, ita & nobis compati potest, & misericors est. Nam & Ioannes, Si confiteamur (inquit) peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Accedamus igitur ad Christum, accedamus inquam, ut gratiam & peccatorum remissam, deniq; & auxilium ab eo consequamur, εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, quod uerterunt, In opportunum auxilium, id est ut tunc illius sentiamus auxilium, cum ipsa postularit res. Nota enim est opportunitas uel ex ipsis Erasmi Chiliadibus. Ioãnes Chrysostomus sic exposuit, Bene dixit in opportuno auxilio. Si enim nunc accedas, accipies & gratiam & misericordiam, opportune quippe accedes. Si autem non accesseris, nequaquam: inanis quippe erit accessio tunc cum uenerit finis. Non enim erit tunc sedes gratiæ, sed iudicij. Et huic sensui magis quadrat occasio siue καιρὸς. Et hactenus præfatus, propositionem & rei summam præmisit. *Fides in Christum.* *Christus intercedit pro peccatoribus.*

Omnis em̃ pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ erga deum agun tur, ut offerat dona & uictimas pro peccatis, & qui condolere possit ignorantibus & errantibus: quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitate: & propter hanc debet quemadmodum pro populo, ita & pro seipso immolare pro peccatis. Neq; quisquam hoc honoris sibi ipsi usurpat, sed qui uocatur à deo quemadmodum & Aaron.

Nunc uero summæ rei tanquam scopo & propositioni suam adhibet probationem, quam duxit à comparatis siue similibus. Probat enim uel ipsa lege Mosaica, Christũ esse sacerdotem, ipsum demonstratiua quadam contentione conferens Mosaicis. Neq; uero hic aliud probat quàm Christum esse sacerdotem. Nam in 7. demum capite probabit Christum unicum esse sacerdotem & æternum, per quem etiam Leuiticum abrogatum fit sacerdotium. Cæterum ista quæ ascripsimus uerba sensum nõ absoluunt. Sunt enim altera tantum collationis pars, quæ non intelligetur citra posteriorem quam protinus *Vocatio et officia sacerdotis.*

ſubiungemus, ſi illud prius monuerimus, in Leuitico ea maxime cõtineri quæ hic à Paulo citata ſunt. Item Paulum in hac epiſtola Pontificis uocabulo plerunq; cõplecti totum ſacerdotij genus & ordinem: quanquam & ſuo in loco pro ſummo duntaxat uſurpet. Deniq; μετριοπαθεῖν Græcam uocem, à moderandis affectibus eſſe dictam, idemq; pollere, quod nos dicimus modice affici uel moderate ferre, nec grauiter ſuccẽſere. Talí mente Chriſtum uidemus eſſe præditum, qui ouem errantem non laniat, aut nimia cõcitus ira lacerat, ſed in caulam reducit. Iam uero cum hæc altera tantum pars ſit collationis, ſupra modum hallucinantur, qui nunc huius loci robore ſacerdotiũ ſtatuunt papiſticum. At hoc ipſo magis produnt quales ſint, nihilo uidelicet meliores ſacerdotibus Iudaicis. Quid enim intereſt inter Iudæum, qui ſubinde eaſdem offert hoſtias, & Pſeudochriſtianum qui idem imitatur? Si enim Chriſtianus eſt, fidat hoſtiæ ſemel dũtaxat immolatæ, & in ſempiternum duraturæ. Sed nunc ſubiungemus contrarium ſimilitudinis ſiue collationis membrum.

Ita & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit ut fieret pontifex, ſed is qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut et alibi dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Agnoſcis nimirum ſimilitudinis notam Ita, ut hiſce tandem abſoluatur ſenſus: nunc enim poſteriorem collationis partem primo loco reſumit, & ex Vocatione ſic argumentatur: Quemadmodum apud ueteres nemo ſacerdotij dignitatem & officium priuata ſibi authoritate uindicabat, Ita ne Chriſtus quidem ſacerdotium ſibi propria uoluntate uſurpauit, ſed à deo uocatus & conſtitutus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Prior pars cõfirmatur & ſacra lege & exemplo Aaronis & Eleazari, deniq; clariſſimis hiſce quæ extant Numeri 16. & 20. cap. pronunciatis. Poſterior uero pars probatur duplici teſtimonio. Alterum enim ſumptũ eſt ex Pſalmo 2. ut indicaui in cap. 1. Alterum uero ex Pſalmo 109. de quo plura in conſequentibus. Quod ſi infirmior uideatur argumentatio, ita diſponas licebit, Omnes ſacerdotes qui uere ſacerdotes ſunt, non ipſos ſeſe ingerunt ſacerdotio, ſed uocantur à deo. Et Chriſtus ſeſe non ingeſſit ſacerdotio, ſed uocatus eſt à deo, Chriſtus itaq; uerus ſacerdos eſt. Habes mentem Pauli.

De uocatione ad Epiſcopatũ.

Nemo igitur poſthac uel artibus malis, uel muneribus, uel alio quopiam malo imbutus adfectu, ad docendi & epiſcopatus penetret functionem: ne Simonis magi conſors, maledictionem pro benedictione reportet. Quod ſi quis uocatus ſit, uocationis ſanctæ memor, gregi dominicæ inuigilet, lectioni, exhortationi & doctrinæ attẽdat, ut ſeſe probatum deo ſtatuat, operarium non erubeſcendum, qui negotium ueritatis recte ſecet, & ſummo ſtudio in uia dei ambulet. Iam etſi Paulus ad Timotheum dicat, Si quis epiſcopi munus appetit, honeſtum opus appetit: ambitum tamen nõ probauit, ſed proculdubio ex præſuppoſito ſcripſit, Erant enim indigni (ut fit) plurimi, qui honoris & quæſtus gratia epiſcopi functionem ambirent, idq; hoc uelarent prætextu, inſtitutum eſſe honeſtum. Illis autem ſcite admodum reſpondet Apoſtolus, σωτὴρ ὁ λόγος, id ſanè citra omnem controuerſiam uerum eſt, quod qui munus appetit epiſcopi, pulchrũ & honeſtum opus appetit, ſi ſcilicet ipſam ſpectes functionem: ſed hanc Corinthum (ut prouerbio aiunt) non licet adire quibuslibet. Siquidem oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Et quæ ſequuntur. Niſi malis appetendi uerbo honeſte uti, quemadmodum eius quoq; uſus in ſcripturis non infrequens eſt: nempe, non pro ambiendi impudentia, ſed pro illo animi ardore quo eccleſiæ dei cupimus prodeſſe: item pro ſedula in rebus ſacris diligentia, qua fit ut eccleſia dei nos qui eruditioni, innocentiæ & pietati uerę inuigilamus, ultro ad eccleſiaſtica uocet officia: quæ ſanè Apoſtolus & in 1. ad Corin. 12. & ad Epheſios 4. cap. recenſuit omnia, & ita recenſuit ut nihil eorum quæ neceſſaria ſunt intermiſerit, & tamen nullibi ſacrificorum meminit, quales Romani Pontificis epiſcopi ordinauerunt. Nullus igitur nobis ſermo de ea hominum fece, quoties loquimur ſiue de ſacerdotibus, ſiue de epiſcopis eccleſiæ. Nam eccleſia non eſt epiſcoporum uel Cardinalium & prælatorum collectio, ſed ſanctorum, hoc eſt fideliũ cœtus. Huic autem eccleſiæ præfecit

1. *Timoth. 3.*

Eccleſiaſtici ordines.

fecit deus, alios quidem (ut Paulinis utar uerbis) apostolos, alios uero prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores, &c.

Iam & si sacerdotis nomen nullibi, quod equidem ego sciam, legatur apostolis & uerbi ministris palàm datum: est tamen sancte apud ueteres usurpatum, & è ueteri (ut appa ret) synagoga desumptum, quanquã longe alio respectu. Docet enim hac epistola apostolus, ibi nullam pro peccato restare hostiam, ubi plenaria (ut aiunt) sit peccatorum remissio. Talem autem esse in Nouo Testamento: unde consequens est, nec ullos in Nouo Testamento esse sacerdotes, quales constituit Romanus Pontifex. Quid quod sacerdotis uocabulum, non tantum eum, ut pleriq; falso opinantur, significat, qui hostias cædit & immolat: sed eum etiam qui rebus sacris seruit? Nam sacrificare apud Latinos est rem sacram facere. Hinc sacerdos is dicitur qui deo dicatus est, & res sacras facit. Et sacerdotium sacerdotis est officium. Iam uero Paulus in 1. ad Corinth. 4. cap. Sic nos æstimet homo (ait) ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Mysteria porrò illa (ne quis uel miretur uel aberret) sunt mysteria Christi, euangelij scilicet prędicatio: id quod probamus ex ultimo capite ad Romanos, & ex epistola Pauli ad Ephesios. Vetusti itaq; episcopos hoc significatu, & ad hunc modum dixere Sacerdotes, nempe, quod euangelio & sacris præessent precibus, non quod hostias offerrent, quales intelligit Pontifex. Huc enim plurimum facit illud Pauli ad Romanos 15. capite, Data est mihi gratia à deo, ut sim minister (λειτουργὸς) Christi in gentes, administrans (ἱερουργοῦντα) Euangeliũ dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata per spiritum sanctum. En tibi, habes in hoc testimonio sacrificum siue sacerdotem. Nam λειτουργὸν alibi uertertũt sacerdotem. Habes & oblationem. Sacrificarunt autem apostoli, quoties euangeliũ dei prædicarunt. Nam ἱερουργεῖν est fungi administratione sacrorum. Quemadmodum ergo sacerdotes Mosaici pecudes cædebant ac immolabant in odorem suauitatis deo: ita apostoli & ministri uerbi beluinos hominum affectus euangelij prædicatione cædunt & immolant in odorem suauitatis: ut nunc ipsi homines illa sint, quæ offertur, oblatio: quẽadmodum Paulus apertis uerbis in hoc explicat testimonio. Atq; hoc sensu facile concedimus apostolum Petrum primam celebrasse Liturgiam, id est primo prædicasse euangelij mysterium: id enim indicauit & Lucas Act. 2. At nostri non expendẽtes Liturgiæ uocem, Missam interpretarunt. Quemadmodum & illud de Iacobo fratre domini adulterarunt, q̃d Græci de eo scripserunt, ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, ἱεροσολύμων ἐπίσκοπον καὶ λειτουργὸς πρῶτον κατασταθέντα, id est, Iacobus ab apostolis Hierosolymorum episcopus & minister sacrorum primus est ordinatus. Hinc enim nugandi ansam sumpserunt Iacobum fratrem domini primitus apud Hierosolymitas inuenisse instituisseq; missandi ritum: id enim crassuli isti λειτουργίας uoce intelligũt: cũ interim & ex Egesippo & ex Eusebio satis constet, Iacobum primum ab apostolis Hierosolymitis datum esse episcopum, ut sacras res apud eos administraret. Quid quod Missa post aliquot annorũ à Iacobi interitu centurias, per multorum suffragia episcoporũ, successu etiam temporis constituta est? Quo modo itaq; illud agere potuit, quod nondũ cum ipse uiueret erat? Et si Petrus primam celebrauit Missam, quomodo Iacobus primo etiã celebrauit eandem? Videtis iam istos mendaciorum magistros, ueteris prouerbij esse oblitos, Mendaces memores esse oportere. Et hæc de sacerdotis nomenclatura.

Sacerdotes.

Petrus & Iacobus primi celebrarunt Liturgiam.

Episcopi uero uox officij, non dominij uox est, uigilem significans & pastorem gregis dominici, qualem describit Paulus in epistolis ad Timotheum & Titum scriptis, & in Actis, apud Ephesios & Melitonẽses presbyteros, cap. 20. Nam ἐπισκοπῶ (ut Budæus ait) est considero & ægrotum uiso, inspicio & uisito. Inde ἐπίσκοποι dicti, quorum est inspectio in præfidijs Christi & summa cura. Hi dicuntur & pastores per allusionem Ezechiel. 34. & doctores à docendo, & Euangelistæ à prædicando Euangelio. Presbyteri uero primates, legati ac seniores dicuntur: quod nomen inde tractum uidetur, quod senioribus olim, utpote prudentioribus, cõmitteretur magistratus, cura & administratio plebis. Nobis uero euangelium commissum est, non dominium, plebi itaq; uerbo ueritatis consulamus: sicut & Petrus docuit in priore epistola cap. 5. Porrò apostoli legati erant à

Episcopus. Pastor. Doctor. Euangelista. Presbyter. Apostolus.

Christo in uniuersum mundum emissi: quorum officium erat, incertis uagare sedibus, atq; Euangelij gloriam per uniuersam spargere terram. De quibus alibi. Sed qui prophetat hominibus (ut 1. Cor. 14. extat) loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Nihil igitur prophetis cõmune cum sacrificijs papisticis: quin hoc iam cõstat ex ijs quæ hactenus disputauimus, sacerdotes, presbyteros, prophetas, pastores, Euangelistas, doctores, episcopos, & seniores, aliud non esse, quàm diuini uerbi ministros, non sacrificos, sed ad dispartienda mysteria dei ordinatos, uocationem autem istis in primis esse necessariam, De qua & Cyprianus nonnulla scripsit in 1. Epistolarum lib. Epist. 4. Hæc uero per digressionem tempori nostro prorsus necessariam.

Prophetæ.

Qui in diebus carnis suę preces & supplicationes, apud eum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore ualido & lachrymis obtulit, et exauditus est pro reuerentia.

Hoc membrum posterius, superioribus ad hunc modum respondet, Sacerdotes ex hominibus eligebantur, ut homines cõpati possent hominibus. Sed & in hoc eligebantur, ut coram deo ea agerent negotia, quæ hominibus propter transgressiones erãt agenda, id est, ut pro populi intercederent ignorantijs, & pro hominũ sacrificarent delictis. Huic autẽ membro iungitur hoc pręsens, sic: Et Christus Iesus ex hominibus natus, infirmitatem nostrã assumpsit, ut homo hominibus cõpati posset. Quanquã in eo, quod pro propriis (quæ non habebat) peccatis non obtulit, Mosaicis sacerdotibus dissimilis, imò maior fit. Intercessit tamen pro populo Christus, & sui corporis hostiam pro nobis immolauit. Ex quibus sequitur, quod Christus uerus sit sacerdos. Vel breuius ad hunc modũ dispone. Sacerdotis est intercedere & offerre, Christus intercedit & offert, ergo sacerdos est. Argumentũ uero ex officio petitũ est. Nunc cætera perstringemus. Principio uerborum ordo nonnihil obscuritatis in se habet: poterit itaq; lectio ad hũc redigi modum, Qui cum in humanis & hisce ageret in terris (id enim schematismo quodam per dies carnis intellexit) ei, qui à morte poterat seruare, obtulit cum lachrymis & clamore ualido preces & supplicationes, undẽ etiam pro reuerẽtia exauditus est. In istis autẽ uideas miram uerborũ emphasim & exaggerationem. Nam δέησις oratio est, qua petimus liberari à malo: sed ἱκετηρία, uehemẽtior oratio est, qua simul & manus tẽdimus. Istis itaq; speciebus indicare uoluit ingentem Christi adfectum, & ardentissimas fuisse pro nobis preces. Quò & illud referri debet, quod dicit illũ cum lachrymis & clamore ualido obtulisse, hoc est, maximis cruciatibus corporis, & summo cum affectu, modo item omnibus modis fidelissimo & summo, sacrificium peregisse. Nam si interroges ubinam talia de Christo tradiderint apostoli? Nihil aliud quàm 17. cap. Ioan. ostendere possum, & illud quod in crucem adactus clamauit, Pater ignosce illis, quia nesciũt quid faciũt. Quod etiam si peculiariter de ijs dicatur, qui Christum crucifixerant, generaliter tamen toti humano generi aptari potest. Quia ea quæ in cruce egit, generalia erant. Sed missis istis, teneamus Apostolum uehementissimis quidem illis indicare uoluisse, Christum sacerdotij functionem summo cum affectu & absolutissime subijsse & peregisse.

Dissimile.

Porrò illud in primis uidetur nobis obseruandum, quod dicit supplicasse Christum (nam secundũ hominem loquitur) & ei supplicasse, qui potuerit à morte seruare. Hinc emm discemus, cui nos quoq; uota orationes & preces nostras immolare debeamus, Vni uidelicet sapienti, potenti, uero & æterno deo. Solus enim est omniscius, solus omnipotens, solus omnis boni fons, solus immortalis & uitam halitumq; præstans omnibus: et hanc suam solius gloriam alteri non communicat. Insaniunt igitur, qui preces suas, uota, & animi consilia, uel creaturis, uel animabus etiam beatis offerũt: quæ & ipsę nihil habent (si quid habent) quàm quod per gratiã ab hoc summo bono adepti sunt: neq; uero id à deo adepti sunt, ut dij sint, omniscij, omnipotentes, incircumscripti, qui & uideãt & audiant nos, imò ubiq; nobis adsint: id quod interim is habeat, & eum præstare, necesse est, cui oratio nostra offerenda est. Hinc cum emphasi quadam dixit in Euangelio dominus, Siquid petieritis patrem IN NOMINE MEO, dabit uobis. Sequitur, Et exauditus est pro

Cui offerri debeat oratio.

Tertull. in apolog. aduer. Gẽ. cap. 30.

est pro reuerentia. Vbi καὶ &, iterum est inferentis siue collectionis nota: ut sit sensus, Proinde exauditus est, pro reuerentia (ἀπὸ τῆς εὐλαβείας) ab ipsa inquam reuerētia, id est uel ab ipso exauditus est deo reuerendo. Vel exauditus est propter singularem sanctimoniam & religionem. Nam εὐλάβεια non modo reuerentiam, sed & pietatem significat. Cæterū si exauditus est, iam redempti & seruati sumus, iam interijt mundus, peccatum, dæmon, & quicquid nos perdere poterat. Id quod clarius subiecta docebit sentētia, Itaque perfectio factus est &c.

Et quanquam filius esset, attamen didicit ex ijs quæ passus est obedientiam,

Obscura oratio est propter idiotismū Hebraicum: id enim dixit Apostolus, Et quanquam filius esset, tamen ipsam crucem subijt, passus & mortuus est, itaq; patri se subiecit, ut inobedientiam obedientia rependeret atq; lustraret, & ut mortem morte perimeret. Idem enim hoc loco sentit, quod in Philippensium epistola ijsdem penè sed clariori bus interim uerbis dixit, Tametsi esset in forma dei, tamen humiliauit seipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. His adde, quæ idem scripsit ad Romanos cap. 5. Videtur autem in hoc istam subiecisse sententiā, ut clare intelligeremus Christum nō modo preces, sed & semetipsum sese pro nobis obtulisse: itaq; eum & dona habuisse & uictimas. Dona, quippe, preces, & uictimas, proprij corporis holocaustum. Ea nimirum quæ sacerdotem habere decebat: ficut in priori membro audiuimus. *Obedientia.*

Itaq; perfectio factus est omnibus sibi obedientibus, caussa item salutis æternæ, cognominatus à deo pontifex secundum ordinem Melchisedech.

Hæc illa epanaphora est, qua redit & docet quomodo exauditus sit, id est quis sit finis & fructus sacrificij & sacerdotij Christi, Vita æterna, peccatorum remissio & perfectio. Id uero subinde ingerit. Nam parum est, si duntaxat credamus Iesum esse sacerdotem: oportet enim ut etiā credamus Iesum nobis esse sacerdotem. Recte itaq; hoc loco iterum repetit, quod prius non semel monuit, fructū sacerdotij, imò totius negotij Christi esse uitam æternam. Nam sacrificium ita absolutum est, ut nihil in eo desideres: ita amplum & opulētum, ut nullum hominum genus non absoluat & redimat, modo credat. Nam qui credit in filium (inquit Baptista) habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Christus enim τελεωθεὶς perfectus redditus est, adeoq; perfectio ipsa, τελετὴ sacrificiū & expiatio nostra, sed & αἴτιον caussa, uis & author æternæ salutis est. Ipse enim factus est nobis à deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Neq; ulla alia salus in quoquam alio est, sed ipse omniū fidelium omniumq; temporum sacerdos est, constitutus à deo secūdum ordinem Melchisedech. De quo copiosius disputabitur in cap. 7. Hactenus enim ex uocatione & officio probauit Iesum Christum uerum esse sacerdotem.

DIGRESSIO.

De quo nobis multa forent dicenda, eaq; difficilia explicatu, quandoquidem segnes facti estis auribus. Etenim cum debebatis pro temporis ratione doctores esse, rursum opus habetis, ut doceamus uos quæ sint elementa initij eloquiorum dei.

Hic uero paululum deflectit ab instituto Apostolus, & caussa de sacerdotio Christi suspensa ad aliud digreditur. Est autem digressio alicuius rei, sed ad utilitatem caussæ pertinentis, extra ordinem excurrēs tractatio. Et tunc maxime locum habet, cum generale aliquid inuenerimus, in quod parata est uia ex re propositā, & ex quo rursus in quod digredi uolumus, facilis est accessus. Sed & utilis & propemodum necessaria est, potissimum si de tali re dicendum sit, à cuius mentione auditorum abhorreant aures, ut interposita *Digressio.*

aliqua quæ illos mouere possit re, sensim & plumbeo, quod aiunt, pede, ad id quod institueramus deducamur. Id quod hoc loco à Paulo obseruari uidemus. Nam de sacerdotio Christi dicere cœperat: ab ea autem tractatione multorum abhorrebant aures, quod uel Mosaicis nimium tribuerent, uel segnius diuina scrutarẽtur mysteria: hinc maxime necessarium erat ut aliqua interfatione, qua illi poterãt moueri excitarique præmissa, commodius de sacerdotio continuare ualeret. Ideoque expostulat nunc cũ Hebræis horumque increpat segnitiem ac tarditatem, pœnas item ni pergant in ueritate intentat. Neque enim frustra prædicari uerbum dei, sed ut fructum feramus per fidem & constantiã. Neque uero ipsum dei uerbum esse incertum, uel promissiones dubias, sed longe certissimas & iuramento dei firmatas. Quæ & si omnia dicantur per digressionem tamen ad ipsam rem maxime pertinent, id cum primis quod de ueritate dei disseritur. Hæc enim caput & firmamentum est sacerdotij Christi. Dixit enim propheta, Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Itaque priusquam de illo nouo sacerdotali dissereret ordine, uoluit ea præmittere quæ in ipso prophetæ præibant testimonio, & per hoc ipsum pulchre ad 7. cap. initiũ, eò uidelicet unde digressus erat reuerti. Ita uides omnia probe cõnecti, & nihil prorsus temere poni. Istud autem huius digressionis caput & summa est. Cæterũ ipsa Apostoli uerba satis sunt expositа. Negotiũ etenim de sacerdotio Christi, non ipsa re difficile esse dixit, sed quod parum alacri susciperetur mente. Omnem itaque difficultatem non ex ipsis oriri scripturis, sed nostra socordia. Quod in 2. ad Corinth. epistola 4. cap. planioribus ediſſerit uerbis. Segnitiem igitur istorũ increpat, eamque temporis accessu exaggerat, quasi diceret, Si quis tempus quo sacra audistis, spectet, iam alios docere debebatis, tam illiberale est, ut tot annorum discipuli nihil aliud didiceritis quàm aliorum esse discipuli adeoque pueri elementarij. Sic enim allusionis ornatu excreuit oratio. Allusit enim ad alphabetarios uel elementarios infantulos, quibus traduntur τὰ στοιχεῖα. Porrò στοιχεῖῶσαι est elementa tradere, & hominem rudimentis imbuere. Hinc στοιχεῖα rudimenta sunt & primordia, qualia sunt apud dialecticos & grammaticos Porphyrij isagoge, & Donati rudimenta. Hoc consilio uocauit etiam Paulus alibi Iudaicas ceremonias, elementa mundi, id est externas quasdam institutiones & manuductiones. Elementa inquam, non terram utique aut aërem, ignem aut aquam, sed ipsam institutionem primariam, quæ rudes adhuc rerum diuinarum paulatim prouehat ad altiora, proniores uero ad peregrinos cultus, ueluti cancellis, sepiat atque constringat. Mundana autem dicũtur, id est externa, quod externis gaudeat mundus, externis ducatur & moueatur. Concessit ergo infirmioribus quendam ritum externum, sed ut ab hac transuehatur mens ad ueram spiritus religionem. Siquidem indecorum est, si grandiusculus adhuc agat in scholis alphabetariorum. Pudendũ itaque si quis perpetuo ceremonijs addictus esse uelit. Verũ nullus hic nobis priuatus de ceremonijs sermo, loquimur enim de rudimentis doctrinæ Christianæ. De quibus copiosius in 6. Hæc autem per insertionem & occasionem dixi.

Summa.

Elementa.

Quid elementa mundi.

Factique estis hi quibus lacte sit opus, & non solido cibo. Nam quisquis lactis est particeps, is rudis est sermonis iustitiæ, infans enim est. Porrò perfectorum est solidus cibus, nempe horũ qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter & mali.

Exercitatio.

Idem dicit quod supra, sed copiosius & mutato sermonis habitu. Nam aliud simile adducit ab infantibus, quo & in Corinthijs usus est 1. Corinth. 3. Et quod prius uocauit elementa, nunc lactis nomine ueſtit. Abstrusiora uero, spiritualiora & altiora scripturarum mysteria, iustam inquam diuinarũ rerum cognitionẽ, solidiorem dixit cibum. At qui lacte alitur is est, cui adhuc traduntur rudimenta rerum Christianarũ, hic ille ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης est inexpertus inquã & inexercitatus (nam πειρᾶσθαι est periculum facere) in iusto illo dei negotio, id est in absoluta illa Christi philosophia. Nam & Latini dicimus iustam uel libri, uel hominis, uel alterius rei magnitudinem, cui nihil defit quod

ad

ad decus & neceſſitatem pertineat. Ad expoſitionem horum facit etiam alia pars ſimilitudinis, quæ eſt, Et ut adultiores ſolidi duntaxat capaces ſunt cibi, ita pro exercitatis tantum eſt penitior ſacrarum ſcripturarum enarratio. Diſcamus itaq; & nos adoleſcere in uirum (ut Paulus ait in Epheſijs) perfectum, in menſurã ætatis plene adultæ Chriſti, ut non amplius ſimus pueri qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinę, &c. Annotandum & illud, ἕξιν, quam Latinus uertit aſſuetudinem, proprie ſignificare habitum, qui opponitur ruditati. Habitũ enim (inquit Cicero in 1. de inuen. lib.) appellamus animi aut corporis conſtantem & abſolutam aliqua in re perfectionem, ut uirtutis aut artis alicuius perceptionem. Siue ut philoſophi finierunt, Habitus eſt alicuius rei ſiue in animo ſiue in corpore à natura concepta, ſed uſu corroborata & plena perfectio. Quę ſa nè finitio probe noſtris congruit: ut & illud quod in iſtum locum Ioan. Chryſoſtomus annotauit. Hæc uero oĩnia in hoc dixit apoſtolus, ut ſegniores excitaret auditores, & humi repentes ad altiora ſuſtolleret myſteria: nempe ut purgatioribus auribus & cordibus ea perciperent, quæ mox de ſacerdotio Chriſti ex ſcripturarum arcanis diſputaturus erat. Nunc enim ſequitur collectio, cur iſta hactenus dixerit.

Iccirco omiſſo illo initiali rerum Chriſtianarum ſermone, feramur ad ea quæ perfectiora ſunt, CAP. VI.

Non hæc refero (inquit) quod iſtis immorari uelim, ſed quod omiſſis iſtis, quæ iam olim didiciſſe oportuit, animos ueſtros ad abſolutiora pararem. Et ne quid obſcuritatis aut ambigui quicquam Lectorem remoraretur & ſuſpenderet, adhuc illud quoque ſubĩjcit.

non rurſum fundamentum iacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in deum, baptiſmatum doctrinæ, ac manuum impoſitionis, & reſurrectionis mortuorum & iudicij æterni.

Ex quibus iam claret quid in 5. cap. intellexerit per elementa & alimentũ lactis, nempe Locos iſtos communes rerum Chriſtianarum, quos hic maxima parte recenſet, fundamenta q; uocat, hoc eſt primordia. Nam fundamenta primo in omnibus collocantur ædificijs. Diſcimus autem ex ijs, quæ fit Iſagoge in fidem, hoc eſt, in religionem Chriſti, & quomodo apud nos etiam Chriſtiana religio commode initiari poſſit ac debeat: nimirum, ſi generaliora et maxime neceſſaria primum doceamus, nempe, quid ſit ſcriptura, quæ eius authoritas, quid ueritas, religio, deus, fides, Chriſtus, peccatum, gratia, & iuſtitia: ſed quid iſta recenſemus, cum ipſe apoſtolus potiſſima numerarit? Quæ alij in hunc ordinem redegerunt, quod candidati nominis Chriſtiani, primo inſtituti ſint de pœnitentia & fide in deum, deinde uero (de adultis loquor) baptizati, poſt baptiſmum uero de ſpiritus ſancti acceptione, item de reſurrectione & iudicio edocti. Nos autem ſingula expendemus. *Catechiſmus apoſtolorum.*

Primo autem loco poſuit pœnitentiam, hoc eſt reſipiſcentiam & uitæ mutationem, id eſt, conuerſionem à mortuis operibus, hoc eſt, à peccatis. Nam ſtipendiũ peccati mors eſt. Ideoq; plura in receſſu habet pœnitentia quàm fronte promittat. Habet enim errorum ac ſcelerum agnitionem, confeſſionem quæ deo fit, reconciliationem & uitæ immutationem. Et proinde qui pœnitentiam prædicat, non iſtam duntaxat uocem ingeminat, Pœnitentiam agite: ſed omnem protrahit impietatem, ſuperſtitionem & errorem, ſcelera item atq; peccata nudat, accuſat & obiurgat: contra uero religionem ſuadet, & ad ſanctimoniam uitæ & iuſtitiam ueram hortatur. Sic Ioan. Baptiſta, ſic ipſe dominus Ieſus, ſic apoſtoli Chriſti omnes pœnitentiam prædicarunt, & ab hac prædicationẽ ſuam orſi ſunt. In primis enim ſcire refert quid nam illud ſit, à quo auerti, & quale illud ſit ad quod conuerti debeamus: item qualis ſis, qualia etiam ſtudia tua. Nam ab ipſa hominis φιλαυτία oritur omne malum. Hinc ueteres quoq; non minimã philoſophiæ partem eſſe crediderunt, ſi quiſq; ſe qualis ſit agnoſcat. Hinc illud nobis manauit prouerbium, omnium ſapientum ore celebratiſſimum γνῶθι σεαυτὸν, Noſce teipſum, quod (ut in Char- *Pœnitentia.*

mide teſtatur Plato) pro foribus templi Delphici, ab Amphictyonibus inſcriptum, ueluti deo dignum uiſeretur. Et huc fortaſſis merito quis retulerit legem, per quã (ut Paulus ait) exiſtit cognitio peccati.

Fides. Secundus locus eſt fides in deum, hoc eſt cognitio dei, & fiducia in illum. Proximum enim eſt, ut poſtquam me qualis ſim cognorim, protinus & deum cognoſcam, ne ſuperſtitionis & ſcelerum conſcientia deſperem: quin potius norim deum eſſe benignum & miſericordem, cui fidere, & eius auxiliũ implorare, eiuſq; debeam ueritate frui. Atq; hic comprehenderit quis non immerito iuſtitiam & miſericordiam dei, ueritatem & omnipotentiam: breuiter, quid deus ſit, quid fides.

Baptiſmata. Tertio loco numerat baptiſmata doctrinæ. Id quod alij de doctrina initiali intelligũt, quod baptiſmus ſit initiato uitæ Chriſtianæ: ut ſit ſenſus, ſe loqui de ea in deũ fide quæ candidatos initiet, non de ea quæ incrementis ad iuſtam peruenit magnitudinem. Alij ſeparatim legunt, & partim iungunt doctrinam ſequentibus, & legunt, Doctrinæ manuum impoſitionis: partim nectunt præcedentibus & legunt, Baptiſmatum doctrinæ, quaſi fidem ſequatur baptiſmus aquæ, baptiſmum uero amplior doctrina de perfectione: id quod aliàs in adultis uerum eſſe nemo ierit infitias: ſed num ea ſuo dicantur in loco, iudicent lectores. Certe cum in eccleſia dei non ſit niſi unicum baptiſma, Apoſtolus autem coniunctim & pluratiuo numero dixit βαπτισμῶν διδαχῆς, baptiſmatum doctrinæ, apparet eum locutum eſſe non de baptiſmi ſacramento aut catechiſmo, ſed de traditione baptiſmatũ, id eſt generibus luſtrationum. βαπτίζω enim mergo & tingo eſt, quia uero ea mundantur quæ lauantur ſiue tinguntur, fit ut baptiſmus accipiatur pro emundatione, per metalepſim. Doctrinam igitur de purgandi generibus ideo ſubiunxit fidei, quod ipſa fides in deum, hunc unice ſpectet, ut credamus ſanguine Chriſti non modo peccata noſtra eſſe expurgata, ſed & omnia alia luſtrandi genera per hanc unam Chriſti purgationem eſſe abolita. Nam in nono capite palàm audiemus Apoſtolum baptiſmata prorſus in hanc accepiſſe partem, dixiſſeq; iſta uelut iuſtificationẽ carnis, uſq; ad tempus correctionis impoſita. Ibi tamen ſignificantius ablutiones tranſtulit interpres. Huc autem referri debet peccatorum remiſſio, redemptio, & quicquid per Chriſtum conſecuti ſumus.

Impoſitio manuum. Quartus locus eſt Impoſitio manuum, quæ ſemel in ſe complectitur totum prophetiæ munus, quo non aliud in eccleſia magnificentius: complectitur uocationem, miſſionem, docendiq; authoritatem. Illis enim imponebantur ſeniorum manus, quorum fidei committebatur eccleſiarum cura & diuini uerbi miniſterium. Nam ad Timotheum ſcribit Apoſtolus, Ne neglexeris quod in te eſt donum, delegatũ tibi ad prophetandum, idq; roboratũ eſt manuum impoſitione à ſenioribus, 1. Timoth. 4. Atq; utinã hæc poſtliminio ad nos redeat manuũ impoſitio, ritus ſanctiſſimus iuxta & utiliſſimus: quo procul dubio multa tollerentur ſchiſmata offendiculaq;, quo & iſtorum proterua refrenaretur impudentia, qui non uocati ſua ſponte & malitia ad docendi irruunt officia, homines audaciſſimi, & Chore Abironiſq; factioſiſſimi filij: qui arrogantia eò deueniunt, ut quicquid libet mox licere etiam credant. At hinc nobis in eccleſia omnis oritur rixandi hæreſum & factionum materia. Neq; uero dubitarim Apoſtolum ſub hac manuum impoſitione ſemel comprehendiſſe alios quoq; neceſſarios in eccleſia Chriſti ritus, cœtus, orationes, ferias, ieiunia, imò ipſa eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt ſignificatione & myſteriis ſaluberrima, auguſta ac ſacroſancta, Baptiſmus ſcilicet & Euchariſtia. Nam æquum eſt ut Chriſtianæ eccleſiæ ritus, & ſacra intelligamus, poſtquam conuerſi ad deum, didicimus omnem in Chriſto eſſe gratiam & plenitudinem, conciliationem, ueritatem & iuſtitiam, decus & munditiam, quam ſuæ largiatur eccleſiæ, quam regat uerbo, conſeruet ſpiritu, conſtringat baptiſmo, & excitet ſancto Euchariſtiæ monimento. Alij per impoſitionem manuum hyſterologia quadam intelligunt ſpiritus ſancti dona, 1. Corinth. 12. Quibus non adeo reclamarim.

Reſurrectio. Quintus uero locus eſt Reſurrectio mortuorum, ſpes noſtra, finis & fructus euãgelij

amœnus

amœnus & ſuauis. De quo copioſiſſime diſſeruit Paulus in 1. ad Corinth. 15. Obſeruabis autem mortuorum reſurrectionem eſſe corporũ reſurrectionem. Nam anima non moritur, corpus tantum moritur. Proinde mortuorum reſurrectio eſt corporum reſurrectio, quæ niſi certiſſima eſſet, quis oro iuſtitiæ fructus? quis eſſet probitatis & honeſtatis cultus? An nõ illud Epicureum rite celebraretur ab omnibus, Edamus & bibamus, cras enim morimur? Rurſus, ſi uere credamus reſurrectionem, quis oro ex nobis temere pol luerit corpus ſuum quod certo nouit immortalitati eſſe dicatũ? Neceſſaria itaq; eſt mortuorum reſurrectio & maxime hominibus inculcanda.

Vltimo loco ſtatuitur Iudicium æternum, hoc eſt ultimum illud iuſtiſſimi dei decretum, quo alios quidem æternis addicet cruciatibus: alios uero nunquam finiendis gaudijs, unde conſequitur æternam eſſe & uitam & mortem. Vitam inquam iuſtorum, & mortem, hoc eſt condemnationem iniuſtorum perpetuam, Ioan. 5. Matth. 25. Iſaiæ 66. & Marci 9. Et hæc quidem communia ſunt capita introductionis in religionem Chriſtianam, uerus & genuinus apoſtolorum Catechiſmus. *Iudicium.*

Atq; id faciemus, ſi quidem permiſerit deus.

Iſtis iam remouet à ſe communium locorum tractationem elementariámue inſtitutionem, ac redit ad obiurgationẽ, exitium minitans ni pergant in re cœpta, & perſiſtant. Atq; de ijs (inquit) ſatis iam olim diſputatum, ut nunc nihil ſuperſit aliud, quàm ut indies, ſpartam quam nacti ſumus, adornemus etiam. Ad quam rem perficiendam opus erit dei cõſilio auxilioq;. Nam deus is eſt qui agit in nobis & ut uelimus & ut efficiamus pro bono animi propoſito. Siquidem ipſi nõ idonei ſumus ex nobiſipſis cogitare quicquam, ſed omnis idoneitas noſtra ex deo eſt, qui & in Euangelio dixit, Sine me nihil poteſtis facere. Prudentiſſime itaq; adiecit Apoſtolus, Si quidem permiſerit deus.

Nam impoſſibile eſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintq; donum cœleſte, & participes facti fuerint ſpiritus ſancti, guſtauerintq; bonum dei uerbum, ac uirtutes futuri ſæculi, ſi excidãt, denuo renouentur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes ſibimetipſis filium dei, & ludibrio exponentes.

Nunc admouet currentibus calcaria, pœnas intentans & indignitatẽ rei proponens, ſi in ipſo curſu, aut conſtiterint ſegnes, aut prorſus exciderint. Atq; hic ille in ſpeciẽ difficilis locus eſt, re uera facilimus, quo nonnulli arbitrantur Nouatianicum dogma aſſeri, quod lapſis à baptiſmi lauacro, pœnitentiam negat. At Paulus neq; hic neq; alibi negauit lapſis pœnitentiam, & proinde Catharorum ſectam non iuuit. Id ſi à me clarius dici uelis exhibeo tibi huius epiſtolæ caput 7. 8. 9. 10. in quibus ipſe Paulus probat, Chriſtũ unica oblatione, non unicum tantum, aut certa quædam, abſtuliſſe peccata, ſed omnia. Sed & in 2. cap. clariſſime dicit, Chriſtum per omnia fratribus ſimilem eſſe factum, ut miſericordem & fidelem agere poſſet pontificem, in ijs quæ apud deum forent agenda, ad expianda inquã populi peccata. Et in 5. Accedamus igitur (inquit) cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inueniamus in opportunũ auxilium. Ideo lapſis pœnitẽtiam non negauit, qui Chriſtum interceſſorem nobis propoſuit, & ad hũc omni tempore, & quoties auxilio opus fuerit, inuitauit. Quid igitur hoc loco ſibi uoluit? Verborum & rerum amplificatione Hebræos deterrere ab inconſtãtia ſegnitie & tarditate & hortari ut conſtanter in ueritatis pergant tramite. Habet autẽ hoc dicendi genus omnia ea ſchemata quæ reddunt acrem, & ardentem orationem, adeò ut nonnunquam ipſa ſeſe amplior ſit & ſeſe uincat oratio. Quis enim neſcit quid uel una poſſit amplificatio, quid hyperbole? ſub quas proculdubio hic Pauli locus referri debet maxime, quod tanto uerborũ incremento, congerie, & delectu omnia agit, quod Chriſtum à deſertoribus iterato crucifigi, eundem & infamari aſſeuerat. Quis enim tam ſtupidus qui hic non uideat & amplificationẽ & hyperocham? Qui igitur fit, ut non obſer *Oppoſiti loci.* *Conſilium & phraſis.*

uemus & authoris consilium, & dicendi genus? quid obsecro nodum quærimus in scyr po? quin ipse protinus subiungit, Cæterum meliora de uobis pollicemur nobis, tametsi sic loquamur. Cum enim exhortatio nescio quid monentis præcipientisq;, aut etiam desperantis habeat, & quorundam ingeniorum tanta sit pertinacia, ut non nisi asperis moueantur, fit, ut post acerbitatẽ, cupiamus importunitati nostræ dari ueniam. Id quod hoc etiam loco à Paulo obseruari uidemus, ut nunc nemini dubium esse possit, quin in deterrendo exaggerationibus usus sit, inde uero dixerit Impossibile esse. Nã & Erasmus dicit hanc difficultatẽ explicari posse, si accipiamus impossibile dictum esse pro eo quod admodum sit rarum & difficile.

Contextus. Quod si etiamdum contendas, & simplicitatem orationis uel dictionem amplecti nolis, iam illud te amplecti oportebit, Apostolum à Necessitate & Impossibili argumentari, ad hunc modũ, Dixi ista nos facturos, nec temere dixi, Necessario enim qui uere credunt sancte perstant in ueritate, & subinde pergunt in synceritate. Si enim non pergant uel prorsus excidant, proculdubio credentes non erant, sed hypocritæ. Nam Ioannes, Exierunt (inquit) ex nobis, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Cum ergo fides uera sit constãtissimum dei donum, necessario sequitur quod ista facturi sitis. Vel ad hunc modum, Si possibile esset, ut quis à cognito deficeret deo, nulla illi restaret salus. Verum id impossibile est, ergo salus, si uere credatis certissima est: si inquam credatis & perfistatis in uero. Ideoq; si salus uobis cordi est, pergite in ueritate. Nam à uero excidere, est sese in ipsum auerni barathrum præcipitare. Hæc de sensu & consilio Apostoli: nunc cætera perstringemus.

Qui uere credunt peccant quidẽ, sed non excidunt. Copia autem & incremento uerborum utitur, cum dicere uult, Qui uere credũt non excidunt, sed perstant. Id enim pluribus uerbis, sed in idem recidentibus exponit, ueluti Endiadi utẽs, qua de una re loquimur ac si plures sint. Nam quid aliud est illuminatum esse, quàm donum cœleste gustasse? & quodnam illud donum cœleste, nisi spiritus sancti dotes? & quænam illæ dotes, nisi illæ, quas per salutiferum dei uerbum percipimus, quod inquam æternæ gloriæ hæredes sumus? Istud inquam qui perceperit & arrha sancti spiritus fuerit obsignatus, excidere non potest (id enim est παραπίπτω) Quod si excederit, hypocrita fuit: homo reprobus, cui non restat ulla alia hostia, quando ab ea sua sponte excidit, quæ sola purificat. Itaq; non est ut in eo renouationem expectemus per resipiscentiam. Ea enim in eo mens non est quæ resipiscere uelit, quando ab eo abhorret per quem restituendus erat. Atq; hoc ipsum in causa fuit, cur nonnulli hunc locum exposuerint de peccato in spiritum sanctum, De quo & 1. Ioan. 5. Porrò qui nomen Christi, sicut Demas Hymeneus & Philetus, professi, recidunt, & ut Petrus ait, canis in morem ad uomitum redeunt, ñ Christum denuo crucifigunt, eumq; summa afficiunt ignominia. Nam Apostolus posuit παραδειγματίζοντας pro infamantes & exemplificantes: solent autem malefici qui ob malefacta puniuntur fieri exemplum, quæ extrema inter homines ignominia est. Latinus ergo sensum reddere uolens dixit, ludibrio exponentes. Alij aliud hoc loco sequuntur: sed magis quadrat hyperocha deterrenti. In hyperochis autem nemo putat omnia reuera fieri.

Siquidem terra quæ imbrem sæpius in se uenientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam eis quorum opera colitur, recipit benedictionem à deo. At quæ produxerit spinas & tribulos, reproba est, & maledictioni confinis, cuius exitus huc tendit ut exuratur.

Fructus iustitiæ. Simile est quo idem dicit quod dixerat superius, sed clarius & apertius. Adhibentur enim similia lucis & perspicuitatis gratia. Per terram autem intellexit homines. Per imbrem fœcundans dei uerbum. Per fructus uero opera iustitiæ. Per tribulos autem perfidiam & iniquitatem. Qui ergo operãtur iustitiam, benedictionem à deo consequuntur: qui uero sectantur malitiam, maledictionem accipiunt à deo. Paria penè istis legimus apud Matthæum in 13, & Lucam in 13, Ioan. quoq; in 15, unde hæc fortassis desumpta uideri

deri poterant. Hactenus autem omni studio torporem ex Hebræorum excussit animis, cohortans ad constantiam & piam sedulitatem.

Cæterum persuasimus nobis meliora & quæ sint salubria, de uobis, dilecti, tametsi sic loquamur.

Mitigat superiora, quod ea satis fuerint aspera & importuna: quemadmodum superius annotauimus. Huic uero præmollitioni non prorsus absimilis ea est, qua apud Iudæos usus est Petrus dicens, Et nunc scio fratres quod per ignorãtiam feciſtis, &c. Actorum tertio capite.

Non enim iniustus est deus, ut obliuiscatur operis uestri & laboris ex charitate suscepti, quam exhibuistis erga nomen illius qui ministrastis sanctis & ministratis.

Causſa est cur speret salutem eorũ, sensus autem planus est: nisi quod iustitia dei hoc loco accipitur pro ueritate dei. Veritate itaq; dei hortatur, ut pergant. Certam enim fore salutem, si pergant. Sed & laudis nonnihil miscet. Porrò laus in persuadendo plurimum potest. Nam ita mortalium animos natura finxit, ut uix quisquam adeò demisso sit pectore, quin laudibus erigatur. Laudat itaq; bona eorũ opera, charitatem in primis, quod deus misericordiam uelit non sacrificium. Διακονεῖν enim, quod alij dixerunt ministrare, est inseruire & egenis suppeditare de facultatibus. Cæterum quod egeno in nomine domini impartimur, id ipsi deo impartimur, qui in Euangelio dicit, Quod uni ex istis minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Studeamus itaq; & nos similibus deo placere charitatis operibus, stultulas uero, nõ ceremonias, sed Gentiles ineptias, aspernari, & omne animi studium ac promptitudinem conuertere in egenos. Nam de misericordia habebit sermonem cum uenerit iudicare uiuos & mortuos, Matth. 25. Misericordiam exigebat & à patribus nostris apud Isaiam in 58. Misericordiæ igitur studeamus. *Vere bona opera.*

Cupimus autem ut unusquisq; uestrum idem præstet studium ad certificationem spei usq; ad finem, ne sitis imbecilles, sed imitatores eorum qui per fidem & longanimitatem hæreditatem accipiunt promissionis.

Catastrophe est & collectio. Quasi dicat, Quæ uero diximus, non eò pertinent, ut censeam uos esse spinas igni deditas, sed huc magis spectant, ut constantiam in uero apud uos obtineam, segnitiem porrò & inconstantiam pectoribus uestris excutiã. Et quo certius hoc apud eos obtineret, mox aliud quoq; argumentum ab exemplo maiorum deductum, affigit in hunc modum. Atq; ad talem constantiam in primis pertrahere debet gratissimum illud & pulcherrimum patrum uestrorum exemplum, qui constantia & longanimitate maximas res consecuti sunt. Sitis igitur & uos robusti mente, non imbecilles, pauidi, segnes, trepidi & inconstantes: sed quisq; uestrum idem præstet studium ad certificationem spei usq; in finem: id est ut ipsa spes uestra persuasa certa & indubitata sit in finem usq;. Non enim qui bene cœperint seruabuntur, sed qui in uero & bono perseuerauerint usq; in finem. *Constantia.*

Deus enim pollicitus Abrahæ, cum non posset per quenquam maiorem iurare, iurauit per seipsum dicens, Nisi benedicens benedixero tibi, & multiplicãs multiplicauero te, atq; ita cum patienter expectasset, consecutus est promissum.

Dixerat quosdam fide & constantia hæreditasse promissionem, hoc est res promissas. Est enim synecdoche: istius itaq; rei nunc singulare exemplum de Abraham producit, quo simul & ad ueritatem dei asserẽdam transit. Quod ad exemplum attinet nihil obscurum est. Abraham enim patienter & cum insigni quadã infractaq; expectauit constãtia

ac fide, iccirco id quod expectauit assecutus est. Expectemus igitur & nos, fidamus uerbis eius, scrutemur, ueterno excusso, mysteria eius, perseueremus inquam in uia eius, & proculdubio promissiones, id est res promissas, nos quoq; hæreditabimus. Quod autē ueritatem & certitudinem promissionum dei attinet, ipse deus per semetipsum iurauit, dicens, εἰ μὴν, Profecto supra modū benedicam tibi, atq; ultra quàm dici potest (id enim possunt anadiploses Hebraicæ) multiplicabo te. Et sanè εἰ μὴν, ὃ ἔστιν ὡς, re uera significat, & apponitur ferè iureiurando. Verum hæc pars de ueritate dei & de iuramento plenius intelligitur ex consequentibus.

Nam homines quidem per eum iurant qui sit maior, atq; ijsdem omnis controuersiæ finis est, si accedat iurisiurādi confirmatio. Huius rei gratia cum deus eximie uellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, uti per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset, ut mentiretur deus, ualidam consolationem haberemus.

Deus cur iurauerit. Humano more, κατ' ἀνθρώπους de iurandi ritu inducto, demonstrat cur deus iurauerit, & quàm certa sit ueritas eius. Humanus uero iurandi ritus hisce uerbis describitur apud Mosen Exodi 22. Si quis dederit proximo suo asinum uel bouem, & omne iumētum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut confractum uel captum, nullusq; hoc uiderit: iusiurandum domini erit inter ambos, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietq; dominus rei iuramentum, & ille reddere non cogetur. Ex quibus uerbis liquido constat, quomodo iuramentum dirimat litem, omnisq; controuersiæ finis sit. Nam reus iuramento dato absoluitur, & accusator iuramento accepto ita astringitur, ut accusationem ponere cogatur illiusq; accedere iuramento. Ad hunc itaq; modum cum deus humano generi certitudinem earum rerū, de quibus nonnunquam humana ambigere solet imbecillitas, demōstrare uellet, iusiurandū interposuit, ut uel sic infirmitati nostræ succurreret, qui iuramento astricti palàm uidemus immutabilia esse consilia dei, utpote iuramento & promissione firmata: nihil igitur hæsitaremus, sed firmam cōsolationem haberemus fore, ut ea certo assequeremur quæ ille promisit & iuramento firmauit. Iurauit autem fore ut ingrediamur in requiem eius, modo credamus & benignas aures uerbo eius præbeamus: iurauit item fore ut Christus sit fidelium sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedech: & proinde certo consequemur salutē, & Christo fruemur unico & æterno sacerdote. Iam enim commodissimo & natiuo transitu ad id redit, unde paulò ante digressus erat, q̄d equidē sequentibus ostēdemus, si illud prius monuerimus.

De iureiurādo. Hinc constare quod Christiano iuramentū dare & magistratui liceat accipere. Siquidem Apostolus hoc in loco palàm dicit deum ad morem iurasse humanum. Non est igitur quod nobis male sani baptistæ obijciant Apostolum loqui de prophanis: non enim prophanis rebus adaptat se deus sanctus, sed puris, sanctis & bonis. Sanctū itaq; & bonum est iuramentum. De honesto enim uero & sancto loquimur, non de periurio, blasphemia & execrabili execratione. Nam ut hæc cupimus è Christianorū consortio sublata: ita istud in summa æstimatione & reuerētia uolumus haberi, nisi nobis sordeat gloria dei qui præcepit & dixit, Dominum deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Vnde & propheta desumpsit, quod in Psalmis postea scripsit, Ille habitabit cum deo qui iurat proximo suo & non mutat, Psalmo 14. Et iterum, Et laudabitur omnis qui iurat per deum, Psalmo 62. Nam iusiurandum est contestatio dei, quod ea quæ adserimus uel negamus, prorsus ita habeāt sicut asserimus uel negamus, & adeò certa & firma sint, ut omni nos penitus dei subduxerimus auxilio, ni ita habeāt. Illa itaq; uera & iusta est iurisiurandi formula, qua ad exemplum dei, Abrahæ & sanctorum omnium, item ad præscriptum uerborum dei apud Isaiam in 45. & 65. non per alium iuramus, quàm per summū & æternum. Solus autem deus summus est, ergo per solius dei nomen iurandum est, non per creaturas, nisi eas creatori æquare uelimus. Qui enim iurant

iurant ſummum & chariſſimum ſibi & optimum bonum conteſtantur, quod aliud eſſe non poteſt quàm ipſe deus. Proinde perfidiam à ſe depellere nullo iure poſſunt, qui iuramenta uel dant uel accipiunt diuorum nomine firmata. Neq; uero exemplum pro ſe habent in ſacris ullum. Nam ut ueteres iurabant, Viuit dominus: ita uetus dei eccleſia aliud non præſcripſit iuramẽti genus quàm, Ita me deus adiuuet. Maxima autem ſemper fuit apud omnes Gentes iurifiurãdi religio. Sanctiſſima quoq; eſt eius in ſacris ſcripturis mentio: grauiſſima item pœna periurio & perfidiæ ſtatuta: quid quod in pleriſq; legibus perfidia capitalis eſt? Hoc itaq; impudentius & calamitoſius eſt præſens noſtrum ſæculum, quo adeò uilipenditur iuramenti ſacramẽtum, ut non alio æque. Nam & ipſi principes iuramenta pro libito & commodo figunt & refigunt. Populus autem nihilo impudẽtius eadem pro utilitate æſtimat. Siquidem ipſe deus nobis ſordet, ſordet omnis religio, ipſaq; fides, ipſa item ueritas ſuperas cõceſſit ad auras, In quorum ſubiere locum fraudesq; doliq;, Inſidiæq; & uis & amor ſceleratus habendi. At in hoc inſtitutum erat iuſiurandum, ut ueritatem aſſereret, inſidias prohiberet, & ſanctimoniam, iuſtitiam & iudicium conſeruaret. Ideo merito coleretur ſanctius, neq; ob quaſuis res ridiculas & leuiculas exigeretur. Nam frequens illius & prophanus uſus, contemptum parit, contemptum ſequitur pœna & excidium. Vbi uero de gloria dei & de ſalute reipublicæ ac proximi agitur, tum citra offenſionem dei & accipi & dari poteſt iuramẽtum. Sed redimus ad Paulum, ne quid nimis.

Lege Gelliũ in 7. cap. 18.

qui huc cõfugimus, ut potiamur propoſita ſpe, quam uelut ancoram tenemus animæ tum tutam tum firmã, & introëuntem uſq; ad ea quæ ſunt intra uelum, ubi præcurſor pro nobis ingreſſus eſt iuxta ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.

Hic ille ad conſequentia Tranſitus eſt, cuius ſenſus eſt, Iſta uero omnia in hoc dicta ſunt ut promiſſionibus dei credatis, utpote firmis & ſalutaribus. Id eñ ſi feceritis, Chriſtum ſuſcipietis ſacerdotem, quippe qui iureiurando ordinatus eſt ſacerdos à deo ſecundum ordinem Melchiſedech: ideoq; & purgatis etiãm ac benignis auribus de hoc Chriſti ſacerdotio audietis differentem. Iſtis uero iterum ad id redit unde in 5. cap. fuerat digreſſus. Hic tamen notandũ quod per ſpem intellexit ipſam rem quæ ſperatur. Spei uero obiectum eſt ipſe deus, ueritas eius, Ieſus Chriſtus, quem & uenuſtiſſima alluſione uocauit ancorã animæ & tutam & firmam. Nam ſub eius præſidio tuti degimus & ſolido innixi fundamẽto firmiter aduerſus omnia mala ſtamus. Eraſmus enim in Chiliad. An corã (inquit) Græci prouerbialiter uſurpant pro refugio & pro omni eo cui innitimur, cuiq; fulcimur fidutia. Sumpta à nauibus metaphora, quæ cum ancoris fultæ ſunt uelu ti defenſæ à fluctibus quieſcunt. Præterea fingit Paulus ancoram iſtam in cœlos etiam (quos per interiora figurauit) pertingere & infixam eſſe, hoc eſt ſpem noſtrã in cœleſtia fixam eſſe: in cœlos enim ſuſceptum eſſe Chriſtum, qui ſit uia, ueritas, uita & ſacerdos, per quem & ſeruentur quotquot confitentur eum eſſe illum à deo ordinatũ ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. De qua re prolixe ſatis diſſeret in conſequentibus, hucuſq; enim pertingit digreſſio. Tu interim cõmitte hæc Pauli uerba ultima ijs quæ dixerat in medio cap. 5. dum iam digredi uellet, & uidebis uenuſtum ingenium.

Spes.

REDITVS.

Προοχὴ autem & argumentum conſequentium uſq; ad cap. 9. hoc eſt, Tertio iam dixerat Chriſtum prophetæ uaticinio ſacerdotem eſſe cognominatum ſecundum ordinem Melchiſedech, ſemel itaq; explicandum erat quis ille Melchiſedech, & quis ordo (ut ſic dicam) Melchiſedechicus. Porrò ea expoſitione docemur ſolũ Chriſtũ uerum & æternum eſſe ſacerdotem unice uenerandum: quod equidem huius diſputationis caput eſt. Docemur eundem Leuitis quoq; maiorem & meliorem eſſe, utpote per quem abolita ſit lex, ipſumq; ceſſauerit Leuiticum ſacerdotiũ: cui interim pulchre confertur ſacerdotium Chriſti, ut huius uideatur perfectio, illius uero imbecillitas. At in 8. capite eadem

illa omnia breui quodam colligit repetitq; epilogo, quæ hactenus disputarat de sacerdotio, eademq; adhuc euidentiora facit ascripto Ieremiæ testimonio. Cæterum in quem finem hæc omnia de Christi sacerdotio disputentur, annotauimus in argumento epistolæ. Ipsius autem Pauli uerba hæc sunt.

CAP. VII. Hic enim Melchisedech erat rex Salem, sacerdos dei altissimi, qui occurrit Abrahæ reuertenti à cæde regum & benedixit illi, cui & decimas ex omnibus impertitus est.

Et hactenus quidem pura solaq; recensuit historiæ uerba, quæ in Genesi totidem penè uerbis extãt cap. 14. & à D. Hieronymo in epistola ad Euagrium ex Hebræo sic translata sunt, Et Melchisedech rex Salem protulit panem & uinum, erat autem sacerdos dei excelsi, benedixitq; illi & ait, Benedictus Abram deo excelso qui creauit cœlũ & terram, & benedictus deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos in manu tua: & dedit ei decimas ex omnibus. Porrò Iosephus Antiquitatum libro 1. cap. 18. Ministrauit autem (inquit) iste Melchisedech Abraham exercitui xenia, & multam abundantiam rerum opportunarum simul exhibuit, & super epulas eum collaudare cœpit, & benedicere deum qui ei subdiderat inimicos, Abraham uero dante ei etiam decimas spoliorum, munus accepit, &c. Porrò ne quis miretur, sciendum est apud Gentes & maiores nostros, reges semper fuisse sacerdotes pontificesq;, idq; ob singularem probitatem, integritatem & pietatem, qua præcellere debent qui rerum gubernaculis præfecti sunt. Sic apud Maronem legimus,

Reges etiã Pontifices.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos. Et alibi,
Iura magistratusq; legunt sanctumq; Senatum.

At in Paulo sequitur.

Qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiæ, deinde uero etiam rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neq; uitæ finem habens, sed assimilatus filio dei, manet sacerdos in perpetuum.

Quomodo Melchisedech Christum figurarit.

Iam ipse quantum præsenti seruit negotio, singula exponit, in primis uero excutit circumstantias, Nomen uidelicet rei, genus, locum & conditionem, quæ sigillatim expendemus. Primum quidem Melchisedech per etymologiam dicitur rex iustitiæ. Nam מלך significat regem, צדק autem iustitiam. Porrò de Christo tradit sanctum Euangelium, quod rex sit mansuetus & iustus, sancti populi dei, iustificans eos qui sint fidei in eum. Hunc enim Iesum illum à deo nobis factum esse sapientiam, sanctificationem, iustitiam & redẽptionem. Christus itaq; uerus est Melchisedech, unica totius orbis iustitia, quem retro per typum figurauit Chananaicus rex Melchisedech. Deinde uero audimus Melchisedech regem fuisse Salem, hoc est pacificum regem. שלום enim significat pacem. At de Christo scripsit Apostolus ad Ephes. 2. Christus est pax nostra qui fecit ex utrisq; unum, ut reconciliaret Iudæos & Gentes in uno corpore deo per crucem. Et ad Col. 1. In Christo placuit patri uniuersam plenitudinẽ inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt siue quę in cœlis. Christus itaq; uerus est Melchisedech rex Salem, uera animæ pax, uerum conscientię gaudium. Quæ autem Hieronymus ad Euagriũ de Salem contra Iosephum disputat, non est huius nostri instituti recensere. Multis enim probat Salem hanc non fuisse Ierusalem, sed oppidum quoddam iuxta Scythopolim, cuius mentio & in Genesi fiat cap. 33. & in Euangelio Ioan. 3. Siquidem parum referre Salim legas an Salem, qui ergo plura uelit, in ea quam citauimus epistola legat. Tertio quod ipsum genus Melchisedech attinet, ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ est, id est fine patre & fine matre. Id uero quomodo intelligi debeat, exponit ipse Paulus hac subiecta uoce ἀγενεαλόγητος, id est fine genere, sentiens Melchisedechi genus uel prosapiam in scripturis non esse relatam, atq; hoc quidem modo Melchisedechum esse fine patre & fine matre. Etenim diuino cõsilio factum

Salem.

esse

esse ut Melchisedechi progenies à Mose non sit recẽsita, propter Christum. Hinc & Erasmus transtulit, ignoti patris, ignotæ matris, & generis ignoti: quod equidem minus habet quæstionis, quàm si dicamus, Sine patre & sine matre. Et D. Chrysostomus, Intuere (inquit) quali contemplatione istud exposuit, Et quis hoc unquam de homine dixerit? Non re ipsa, inquit, dico: hoc est, nescimus quem patrem habuit uel quam matrem, neq; quando natus est, & quando mortuus est. Hæc ille. De industria ergo subticuit scriptura genus Melchisedech: non quod homo uerus non fuerit, sed ut typum Christi referret. Aliâs non ignoramus Hebræorum commentum, quod & D. annotauit Hieronymus, Melchisedechum ex Sem primo Noë filio esse genitum. Sed ualeant hæc. Hic enim legimus, Neq; initium dierum, neq; uitæ finem habens. Cuius quidem expositio mox sequitur, Assimilatus est filio dei: quasi dicat, non ipsa re sic fuit, sed ita de eo loquitur scriptura ut typum gereret Christi. De quo re uera scripserũt prophetæ, Generationem eius quis enarrabit? Et iterum, Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Ideoq; si diuinitatem in Christo spectes, matre caret. Nam ex patre genitus est ante sæcula. Porrò si humanitatem Christi spectes, sine patre est. Non enim ex uirili semine conceptus & æditus est, sed cooperante sancto dei spiritu ex intemerata uirgine Maria. D. Augustinus de hæresibus ad Quoduultdeum, ostendit ex hoc loco exortam esse Melchisedechianorum hæresim, qui senserint Melchisedechum hunc nostrum non uerum fuisse hominem, sed angelum siue uirtutem dei magnam. De qua re disputauit etiam Hieronymus ad Euagrium.

Sed quorsum hæc omnia? ut intelligamus quis sit ordo Melchisedechicus, nempe is quo unus & solus & semper est sacerdos. Nũc enim palàm sequitur, MANET sacerdos in PERPETVVM. Christus itaq; qui est iustitia & pax nostra, uerus deus & homo, ille in prophetis & lege promissus sacerdos est perpetuus, post quem credentes alium sacerdotem non quærunt, quod hic perpetuus sit, & successorem non habeat ullum. Hinc enim significantissime dicitur μένει, manet sacerdos, & non, est sacerdos: illud enim euidentius est. Nam si manet neq; uicario neq; successore opus habet. De quo plura in sequentibus. Ex istis uero facile liquet quis sit ordo (τάξις) modus, ratio, constitutio & dispositio sacerdotij Melchisedechici, iuxta quam credimus Christum esse sacerdotem. Et cum hæc tam sint clara & firma, & ecclesia dei non agnoscat alium ordinem quàm Melchisedechicum, non immerito miretur quis, quonam ordine constituantur in Papistica ecclesia sacerdotes, qui quotidie sacrum Christi pro peccatis corpus immolent? Fortassis secundum ordinem Bel, Achab, & Iezabel. *Ordo Melchisedechicus.*

Considerate uero quantus hic fuerit, cui etiam decimas dederit Abraham patriarcha de spolijs.

Pergit Apostolus & ex eodem Mosis loco ostendit Christum ut sacerdotem perpetuum, ita multis modis Leuitis quoq; esse maiorem & digniorem: quibus pulchre delabitur ad confutationem Mosaici siue Aaronici sacerdotij, certe ut solius Christi statuat sacerdotium. Hæc autem ueluti summa proponitur consequẽtium, Christum uidelicet præcellentiorem esse Leuitis: quanquam hæc præsentia magis pertineant ad illud quod primo sequetur argumentum. Cæterum per Melchisedech perpetuo nunc κατ' ἀντονομασίαν, id est per nominis permutationem Christum intelligit, idq; propter typum. Decimas autem uocauit xenia siue munera, propterea quod honorifica apud ueteres munera Decimæ dicerentur. ἀκροθίνια uero quæ interpres dixit Spolia, re uera frugum primitiæ sunt: sed Apostolus ea per catachresim posuit pro manubijs & opimis spolijs, & si non dubitem eum ad primitias & decimationes frugum alluisse, eo quod paulò post earum quoq; decimarum meminit. Præmissis autem istis iam ipsa subijcit epicheremata, omniaq; per collationem quandam coniungit, sic. *Christus Leuitis maior.*

Equidem filij Leui qui sacerdotio erant præfecti, mandatum ex lege habent ut decimas accipiant à populo, hoc est à fratribus suis, tametsi

et ipſi ex lumbis egreſſi ſint Abrahæ. At is qui genus ſuum ab illis non ducit, decimas accepit ab Abraham.

Ex ratione dantis & accipientis, hoc eſt, ex relatiuis, quæ Ariſtotiles uocauit πρός τι, nos uero Ad aliquid, probat Chriſtum Leuitis eſſe maiorem, ad hũc modum: Leuitæ non niſi à ſuis fratribus, qui & ipſi erant de proſapia Abrahæ, ueluti æquales ab æqualibus, accepere decimas. Sed Melchiſedech nõ à fratribus & cõtribulibus ſuis, ſed ab ipſo Abrahamo xenia accepit. Hoc ergo maior Leuitis eſt Melch. quo dignior eſt filius pater. Alij hunc locum per Soriten quæ κλίμακι, hoc eſt, gradationi confinis eſt, ſic ferè expedierunt, Chriſtus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Melchiſedech uero, quia xenia accepit maior eſt Abrahamo dante. Porrò Abrahã, quia patriarcha eſt, maior Leuitis eſt: ergo Chriſtus maior Leuitis eſt. Porrò minutius eſt illud q̃ quod ſit annotandũ, ſacerdotium accepiſſe, quod habet uulgata æditio, idem eſſe, quod ſacerdotio præfectũ eſſe, quod ego propter perſpicuitatẽ ſequi malui. Item fratres Hebræis dici contribules, qui ſunt de eadẽ familia. Et ex lumbis egredi, idem eſſe quod naſci aut genus ab aliquo ducere. Chriſtus autem genus à Leuitis non ducit, & tamen accipit decimas in Melchiſedech. De decimis lege Num. 18. & 2. Paral. 31. cap. Summi dei ſacerdoti decimas dat Abraham in teſtimonium quod omnia deo debeantur.

Et ei benedixit qui promiſſiones habuit. Illud uero citra controuerſiam eſt quod illud quod minus eſt, à præſtantiore benedicitur.

Hæc ratiocinatio plana eſt: nam talis eſt, Nemo neſcit id minus eſſe quod benedictionem accipit, maius uero quod benedicit. Accepit autem benedictionẽ Abraham, benedixit Melchiſedech: minor ergo eſt Abraham, maior Melchiſedech. Et per conſequens, ſi minor eſt patriarcha qui promiſſiones habuit & magnus coram deo fuit, certe minores ſunt etiam filij Leuitæ. Verisimile autem non eſt Melchiſedechum uirũ ſanctum & prudentem aniles præſtigias ſuper caput immurmuraſſe Abraham, ſed Apoſtolum magis alluſiſſe ad promiſſionem Abrahæ dictã & ſemini eius, In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Et quod clarius de hac benedictione ſcripſit apoſtolus in Eph. cap. 1. Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus Chriſto, hoc eſt, Laudatus ſit deus qui eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui abunde ditauit nos omnigenis dotibus, cœleſtibus & ſpiritualibus, tũ cum Chriſtum nobis exhiberet. Varius enim in ſacris huius uerbi Benedicere, uſus eſt.

Benedictio.

Atq; hic quidem homines qui moriuntur decimas accipiunt. Illic autem is de quo teſtatum eſt quod uiuat.

Tertia probatio & collatio & ipſa plana eſt, deducta ab oppoſitis, quæ Græci uocarunt τὰ ἐναντία, quanquã uita & mors reuera ſint priuantia. Porrò ſenſus eſt, In lege mortales homines accipiunt decimas: at in typo Euangelij uiuens accipit xenia. Quo itaque morte præſtantior uita, & quo immortalis mortali melior, hoc Chriſtus Leuitis maior eſt. Et quidem obſeruandum eſt quod perpetua quadam Antonomaſia uſurpat Melchiſedechum pro Chriſto. De eo enim ſcriptum eſt, In ipſo uita erat.

Et ut ita loquar in Abraham decimatus eſt etiam ipſe Leui, qui decimas ſolet accipere. Nam is adhuc in lumbis patris erat cum Abraham occurreret ipſi Melchiſedech.

Καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, Vel rei nouæ præmollitio eſt, ut ſit ſenſus, Et ut nouum et mirabilius quiddam dicam. Vel correctio eſt, quaſi dicat, Et ut auguſtius quippiã dicam, ipſi Leuitæ addecimati ſunt Melchiſedecho. Probatio. Erat enim tunc, cum Abrahæ occurreret Melchiſedech, Leui in lumbis patris ſui, quemadmodum in arbore malum eſt nondum enatum. Maior itaq; Chriſtus Leuitis. Nam Leui per Metonymiam pro omnibus ponitur Leuitis. Et hactenus locum Moſis Gen. 14. illuſtrauit, eoq; illud prophetæ expoſuit, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Ex iſtis em̃ didicimus quis ille Melchiſedech, quis ordo, quodnã ſacerdotiũ, & quàm excellens. Iam ſequitur.

Iam

Iam uero si omnis perfectio in Leuitico constituta est sacerdotio (populus enim ab hoc legem accepit) quid obsecro opus erat alium exoriri sacerdotem, qui secundum ordinem Melchisedech & non secundũ ordinem Aaron diceretur?

Propius ad institutũ suum accedit & omnia clarius dicit. Principio tamen obseruandum est Leuitici sacerdotij nomine, id quod uel illa satis coarguit parenthesis, Paulũ intelligere quicquid ceremoniarum & rituum comprehẽditur in sacerdotio illo externo. Ideo posteaquam in præcedentibus antithesi ob oculos adumbrasset Christum Leuitis esse maiorem: idem illud nunc clarioribus facit argumentis, in hoc ut uideremus & sacerdotium & legem quoad ritus, ueluti infirma cessasse per Christũ. Nam sic argumentatur, Si Aaronicum sacerdotium eo consilio à deo ordinatum erat, ut in hoc immutaretur nihil, sed unica & sola satis esset ad salutem: id quod Hebræi contendebant, iam non opus fuisset ullum alium polliceri sacerdotem quàm Aaronicum. Atqui alius per prophetam promissus est, qui secundum ordinem non Aaron sed Melchisedech sit constituendus: proinde Aaronicum sacerdotium tale non est quale Hebræi uideri uultis, sed imperfectum & unà cum lege sua abolendum. Iftis uero ancillantur & consequentia.

Translato autem sacerdotio necesse est ut legis quoq; trãslatio fiat.

Quod ex Malach. 2. cap. desumptum uidetur: ibi enim propheta, Labia (inquit) sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia nuncius domini exercituum est. Huic autem Maximæ ista subiunge, Translatum est autem sacerdotium, ergo translata etiam lex. Quod autem translatum sit sacerdotium, probatur non modo ijs quæ iamiam præcesserunt, sed ijs quoq; quæ sequuntur.

Nam is de quo dicuntur hæc, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus altari astitit. Palam est enim quod è tribu Iuda exortus sit dominus noster. At nihil locutus est Moses de sacerdotio, quod ad hanc tribum pertineat.

Lex (inquit) Leuitica à deo per Mosen Hebræis data eos duntaxat constituit sacerdotes qui sunt ex tribu Leui, Numeri 16. & 17. Christus autem non est ex tribu Leui, sed ex tribu Iuda, utpote Dauidis filius, ex quibus nemo unquam, præter infelicem Osiam, altari astitit, id est sacerdotali functione usus est. Nequaquam itaq; secundum legem Christus ordinatus est. Interim uero sacerdos est, quia de eo scriptum est, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ergo sacerdotium translatum est: translata itaq; & lex. Hæc autem omnia disseruit aduersus Hebræos, qui adeò nitebantur Leuitico sacerdotio & ceremonijs, ut ea deseruisse scelus esse crederent ineluibile: hinc etiam Christum aspernarentur, & hæc Mosaica aduersus Christianismum, ceu blasphemam sectam, allegarent, impios se fore existimantes, si discederent à legalibus. Proinde nõ temere hæc hactenus tanta ab Apostolo diligentia sunt disputata.

Exigit autem hic locus ut paucis de abrogatione legis dicamus: quod ergo alij perplexis tradunt disputationibus, id figurarum & schematũ beneficio lucidissime & breuissime exponemus. Nempe synecdocha quadam dici Legem esse abrogatã. Si enim per Legem intelligas uoluntatem dei, ut sanè Lex aliud non est quàm perpetua dei uoluntas, quis obsecro dicet uoluntatem dei, ne fiat aut prædicetur, esse abrogatam? At cum lege dei quædam pro tempore & personis externa & typica præcepta sint, fit, ut Lex abrogata dicatur, cum reuera ea duntaxat pars sit abrogata, qua tradũtur typica. Nam æquum est, ut corpori cedat umbra, & perfectiori imbecillius. Qua ratione ea legis pars uerius translata dicetur à nobis quàm abolita. Imò cum de ipsa mãdatorum lege dicimus, eam quoq; esse abolitam: non id, quod pleriq; autumant, dicimus, mandata de pietate & innocentia esse deleta: sed odium legis in cordibus nostris dicimus esse ablatum. Cum enim Christi beneficio spiritu libertatis donamur, fit, ut nunc uolentes & cũ gaudio aga

Abrogatio & usus legis.

mus, quod prius per carnis imbecillitatem ſummo etiam odio infectati ſumus. Abolita itaq; dicitur lex, id eſt legis odium, quod in carne, priuſquam ſpiritum imbiberet, erat. At quis hic tam ſtupidus, ut Metonymiam non ſentiat? Sed & eadem illa lex per Metalepſim accipitur pro eo quod lege fit & manifeſtatur. Per legem autem manifeſtatur peccatum & damnatio: itaq; pro peccato & damnatione uſurpatur. Hac autem ſignificatione tunc dicimur liberati à lege, cum per crucem Chriſti, ea nobis peccata credimus eſſe abolita, quæ indicio legis cognouimus eſſe peccata. Sic Paulus, Etenim quod lex (ait) præſtare non poterat, eo quod imbecillis erat per carnẽ, hoc deus proprio filio in carnem miſſo, præſtitit, & quæ ſequuntur. Notus eſt enim locus Pauli ad Roma. 8. Rurſus cum lex alibi pro uindicta ponatur, quam de maleficis ſumere iubet deus, Chriſtiani à lege liberati dicuntur, quod aliâs per fidem iuſti ſint, nemini noceant, & in leges iſtas non incidant. Sic Paulus dixit, Iuſto legem non eſſe poſitam. Item fit ut lex pro ipſa ponatur ſcriptura. Quis uero hic dixerit omnem ſcripturam eſſe abolitam? Rurſus quis neſciat plurima ueteris ſcripturæ, maxime promiſſiones de Chriſto, per Chriſtum eſſe completas? & proinde legem ea duntaxat parte abrogatam, aut uerius translatã, qua traduntur promiſſiones. Quæ cum multi non uideant, aut uidere nolint, fit, ut alij quidem impia quædam tradant, alij uero tam intricate de plano aliâs negotio diſſerant, ut ipſis penè alijs opus ſit interpretibus, qui quid diſputarint, exponant. Sed redimus.

Idq; totum inde clarius liquet, ſiquidem ad ſimilitudinem Melchiſedech exoritur ſacerdos alius, qui non creatur ſecundum præſcriptum mandati carnalis, ſed ſecundum potentiam uitæ indiſſolubilis, cum teſtificetur, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundũ ordinem Melchiſedech, ſanè abrogatio fit prioris præſcripti ſiue legis, idq; propter ipſius imbecillitatem & inutilitatem.

Idem tradit quod ſuperius, nempe ſacerdotium Leuiticum unà cum lege quadam neceſſitate eſſe mutatũ, ſed ſubinde clarius loquitur. Nunc enim per oppoſita ad hunc modum argumẽtatur, Lex Leuitica carnalis eſt, & carnem uarijs luſtrat ceremonijs. Porrò ſacerdos ille cuius propheta meminit, carnalis non eſt, quia ceremonijs dicatus non eſt. Oportuit ergo mutari carnalem legem. Nam ſi carnalis lex non erat immutãda aliquando, ſanè nullus alius ſacerdos, niſi ad præſcriptum carnalis legis fuerat etiam conſtituendus. Eſt autem alius conſtitutus: non equidem ad præſcriptum legis carnalis, ſed ſecundum potentiam uitæ indiſſolubilis, nempe ne aliquando moreretur aut non eſſet, aut craſſis illis ac pecuinis uictimis egeret: prorſus itaq; ipſa lex mutanda erat, per ſeſe aliâs infirma & inutilis. Quod ſi hæc ita ſe habent, ut ſanè aliter habere nequeunt, quem oro poſthac pigeat animum à ſacerdotio ſubducere Leuitico? Quis uero non geſtiat etiam ſeſe totũ Chriſti dedicare iugi ſacerdotio? Nam Chriſtus perfectio legis eſt, ad ſalutem omni credenti. In eo enim complacuit patri omnem inhabitare plenitudinem & perfectionem. Proinde ſi ſponte temetipſum ſemel tradideris Chriſto ſacerdoti, figuras autem deſerueris Moſaicas, nihil prorſus amiſiſti, ô Hebræe, niſi quod amiſiſſe quàm ſeruaſſe præſtat. Legalia enim imbecillia ſunt & inutilia. At quis non malit ſibi firmiſſima pro infirmis, & utiliſſima dari pro inutilibus rebus? Stupidiſſimi itaq; mortaliũ ſumus & nos qui hodie quoq; ſtultum & elumbe Pontificis Romani ſacerdotium, ſed & humanas traditiones defendimus, de quibus tamen ſcriptum eſt, Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum.

Hypotheticis maxime delectatus eſt Paulus.

Nam nihil ad perfectionem adduxit lex, uerum erat introductio ad ſpem potiorem, per quam appropinquamus deo.

Lex cur ſit data.

Occupatio eſt, quia enim dixerat, legem propterea eſſe abolitam quod imbecillis eſſet & inutilis, poterat quis non immerito obijcere, Ergon' legem contemnis? An inutile illud eſſe cẽſes quod tradidit deus? Reſpondet, Inutilis ſanè & infirma eſt lex. Nam ad perfectionem nihil conducit. Hoc eſt, Ceremoniæ legis, ipſum ſacerdotium & ſacrificium Leuiticum,

Leuiticum, peccata non tollunt, itaq; infirma & inutilia sunt. Cur itaq; instituta? Vt introducerent ad spem potiorem, id est, ut Christi essent figura, per quem ad deum accedimus. Nam cum is sit uia, ueritas, & uita, nemo uenit ad patrem nisi per Christũ. Monebant ergo ceremoniæ nihil elementis esse tribuendum, sed omnia futuro Messiæ. Nam de lege etiam mandatorum sic scripsit idem ille ad Galatas apostolus, Etenim si data fuisset lex quæ possit uiuificare, uere ex lege esset iustitia. Sed lex omnia sub peccatum cõclusit, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Porrò antequam uenisset fides sub lege custodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaq; lex pędagogus noster fuit ad Christum ut ex fide iustificaremur. Gala. 3.

Atq; hoc potiorem quod non absq; iureiurando res acta sit.

Hæc præcedentia & consequentia connectunt, & summam consequentium proponunt. Dixerat enim Leuiticum sacerdotium ideo esse abrogatum, quod infirmum sit & inutile, Christi uero sacerdotium substitutum, eò quod iuge sit & sempiternum: At cum ista non ab omnibus probaretur sententia, idem dilucidius & copiosius per antitheses illustrat, docens Leuiticum sacerdotium Christi aduentu cessasse, propter imbecillitatem & inutilitatem. Christi uero fidelibus, utpote perfectum & sempiternum, unice esse propositum. Cæterum ea quæ cœpimus, sequentibus absoluuntur. *Conten. demonstratiua.*

Nam illi quidem citra iusiurandũ sacerdotes facti sunt, hic uero cum iureiurando per eum qui dixit ad illum, Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. Tanto potioris testamenti sponsor factus est Iesus.

Prima antithesis est, cuius sensus est, Christus iureiurando, ut immutabili inauguratus est sacerdotio. Id uero probatur prophetico testimonio, Tu es sacerdos &c. At Leuitæ ueluti propediem immutandi citra iusiurandum sacerdotes sunt constituti. Ex illis uero iam sequitur, Mutabile, infirmum, adeoq; inutile esse Leuiticum sacerdotium: perpetuum uero perfectum & orbi unice necessarium Christi sacerdotium. Hanc autem argumentationem ingenti prosequitur spiritu, & per exclamationem quandam hoc subiũcit Epiphonematis, Tanto inquam potioris testamenti sponsor factus est Iesus. Quo significauit, nunc multo certissimam illam salutem esse, quæ Christi non Leuitarum nitatur sacerdotio, quippe quod certiore & firmiore constitum sit ordinatione. Nam testamentum pro ordinatione posuit, sponsorem pro sacerdote: quanquam nõ dubitem allusum esse ad testamẽta humana. Illud porrò augustum est quod propheta dixit, Iurauit dominus & non pœnitebit eũ. Nam pœnitere dei, est institutum mutare. Ideoq; iureiurando se astrinxit deus, sacerdotium filij sui sese nullatenus mutaturum. *Confertur sacerdotium Leuitarũ et Christi.*

Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, propterea quod per mortem non finerentur permanere. At hic quod idem maneat in ęternum, perpetuum habet sacerdotium, eò quod absolute & sine defectu saluare potest, qui per ipsum adeunt deum, semper uiuens, ad hoc ut interpellet pro illis.

Secunda antithesis est, Plures (inquit) apud maiores erant sacerdotes. Caussa, quod mortales successoribus egerent. Christus autẽ unicus & solus est sacerdos. Caussa, Aeternus enim et immortalis cum sit, successoribus minime opus habet. Ex quibus sequitur, Leuiticũ sacerdotium infirmũ esse et inutile. Sed Christi sacerdotiũ unicũ et perpetuum. Hæc expendant Romani pontificis sacerdotes, qui multitudine non modo Iudaicos superant sacerdotes, sed ipsas etiam Libycas harenas. Expendant & illud quod sequitur, Hic quod idem maneat in æternũ, &c. Nam si idem perpetuo manet sacerdos, uicarios uel successores non habet. Vicarij enim absentũ sunt uicarij, et successores discedentium sunt successores. Christus autem idem perpetuo manet sacerdos, nõ discessit, neq; sacerdotium nobis resignauit: cuius itaq; uices agitis, ô uaniſſimi homines? Quid quod mul- *Christus successores nõ habet.*

to euidẽtius ſubñ citur? ἀπρόβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην, id eſt immigrabile (ut ſic dicã) habet ſacerdotium. Siue ut alĩ tranſtulerunt, Perpetuum habet ſacerdotium. Perpetuum autem dicimus integrum, ſolidum & nunquam interruptum. Nam ἀπρόβατον compoſitum eſt ex βατέω, quod eſt uado, πρό præpoſitione, & priuatiua particula α. Tale enim ſacerdotiũ intellexit, quod ſucceſſione prorſus non poſſit tranſire ad alium quempiam. Hinc & Eraſmus in Paraphr. At hic noſter (inquit) unus eſt pro omnibus, nec eget ſucceſſore, ſed quia manet in æternum perpetuum habet ſacerdotium. Et Ioan. Chryſoſto. Ergo qui ſaluat (ait) non moritur, quia ſemper uiuit & non habet ſucceſſorem &c. Cur autem ſucceſſorem non habet? Quia ipſe (inquit Paulus) ad plenum omnes credentes ſeruare poteſt. εἰς ἀπαντελὲς, id eſt abſolute, ſine defectu, & adeò ut prorſus nihil deſiderari poſſit. Semper eñ uiuit, & in hoc uiuit (en ut perpetuo ſubñciatur quod clarius ſit & euidentius) ut interpellet pro nobis, εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν, id eſt in hoc ut conciliet, intercedat, & noſtram in ſe cauſſam recipiat. Quibus quid oro dici poſſet clarius, lætius & ſanctius? Quid itaq; ueſtra ſacerdotali functione opus, ô impudentiſſimi Romaniſtæ? Cuius quæſo ſucceſſores eſtis? An nondum intellexiſtis Chriſtũ ſucceſſorem habere nullum, ſacerdotiũ uero perpetuum, adeò ut unus pro omnibus, unus inquam & ſolus, ipſe pro nobis, ipſe inquã nunc & ſemper intercedat? Vnicus enim eſt eccleſiæ ſuę pontifex. Vnicus mediator & interceſſor, non in uno aliquo peccato, ſed in tota peccatorum multitudine: neq; uero unius ſæculi & aliquorum hominum duntaxat, ſed omnium hominum & totius mundi. Nam ſemper uiuit, ſemper inquam uiuit, & expoſitus eſt τοὺς προσερχομένους, quod locutionis genus infinitum eſt, & ad omnes ſingulosq; pertinet qui fide accedunt. Ad deum autem, non ad diuos accedũt, Et per Chriſti interceſſionem, non diuorũ accedunt. Tu enim (inquit ad deum Iſaias) es pater noſter, Abraham uero neſciuit nos & Iſraël ignorauit nos. Tu autem domine pater noſter es, redemptor noſter, & nomen tuum ab æterno eſt. Vbi ergo nunc diuorum interceſſio? Vbi ſacerdotium papiſticum? Vbi uero illud impñſſimum dogma eſt, quo ſophiſtæ nobis tradebant, Chriſtum pro aliquibus tantum, & peccatis & hominibus, perlitaſſe? Hic enim didicimus Chriſtum perpetuum ſacerdotium habere, ad plenum ſaluare, & ſemper uiuere. Quod ſi ad plenum ſaluat, quid ergo remanet in purgatorio igne luſtrandum? Viden' impoſturas? Venuſtus ſanè & fœcundus locus eſt, quem diligentius ſcrutandum diligenti relinquo Lectori, Ego enim ad textum redeo.

Iſaiæ 63.

Talis enim decebat ut eſſet nobis pontifex ſanctus, innocens, impollutus, à peccatoribus ſegregatus, & ſublimior cœlis factus.

Cõditiones ſummi ſacerdotis.

Huc iam ipſo orationis curſu delatus eſt, ut paucis ſummum illum eccleſiæ Chriſtianæ Pontificem deſcribat, ſimul & ipſa neceſſitate demonſtret, neminem in hiſce terris, ex omnibus qui uiuunt hominibus, ſacerdotem coram deo agere potuiſſe, præter unicum dei filium Ieſum Chriſtum. Siquidem deus purus eſt, ſanctus & innocens: proinde oportuit eum quoq; purũ & ſanctum eſſe, qui corã hoc deo ſacerdotali fungeretur munere. Cæterũ omnes homines, humano concepti ſemine, peccatores ſunt. Vnus Chriſtus purus & ſanctus eſt, utpote qui per ſpiritum ſanctum cõceptus & ex intemerata uirgine natus eſt. Solus itaq; Chriſtus uerus & ſanctus coram deo uero & ſancto ſacerdos eſt. Hic aũt unà cum Aaronicis penitus corruunt etiam Romani præſulis ſacrifici. Nam quis noſtrum quicquam uel impurius uel impudẽtius uidit Papiſticis ſacerdotibus? Vt enim faſtum, luxum, pocula, auaritiam, inuidiam, iners otium, & cætera tranſeam flagitia, certè ſcortationi, ſtupris & adulterio ſic polluti & addicti ſunt, ut caſtũ etiam execrentur coniugium, imò ad ſacrum hunc ſuum ordinem probos & coniugatos non admittant. Verum hic noſter (ut redeamus) pontifex, ὅσιος, id eſt ſanctus & integer eſt. ἄκακος innocens & doli expers. Impollutus quoq;, nulla inquam uitiorum aut immunditiei labe aſperſus, ſed omni parte beatus, omniq; modo purus, nitidus & à peccatoribus ſegregatus. Nam etiamſi aſſumpſerit ſpeciem hominis & carnis peccatricis, peccatum tamen nec aſſumpſit nec fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: hinc uerum coram deo ſacerdotem

dotem agere potuit, ipſis etiam cœlis ſublimior factus, id eſt in cœlum ſuper omnia exaltatus, ut ibi uelut in uero dei templo pro nobis ſemper appareat in cõſpectu dei. De quo ſequentur quædam in cap. 8.

Cui non ſit quotidie neceſſe, quemadmodum illis pontificibus, prius pro propriis peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nã id fecit ſemel, cum ſemetipſum obtulit.

Semel ſemetipſum obtulit.

Pertinent hæc quoq; ad ſuperiorem deſcriptionẽ & antitheſim. Nam Leuitę (inquit) immolabant quotidie. Chriſtus non quotidie ſed ſemel tantum. Leuitæ item primum pro ſuis proprijs, deinde uero pro alienis populiq; offerebãt peccatis. At Chriſtus cum peccatum non haberet, pro ſuis non obtulit, ſed duntaxat pro noſtris peccatis: obtulit autem non pecudes aut ſanguinem beluinum, ſed ſui proprij & puriſſimi corporis holocauſtum. Ex quibus iterum apparet legem Leuiticam non aliam ob cauſſam, q̃ ob infirmitatem & inutilitatem eſſe abolitam, Chriſti uero ſacerdotium unicum eſſe & perpetuum. Cum ergo tam clare audiamus ab Apoſtolo quotidianum reprobari ſacrificium, taleq; ſacerdotium quod & pro ſuis & pro populi immolãt peccatis, hoc eſt, quale opus habet luſtratione aliena: papiſticum uero prorſus tale ſit: conſequitur pari ratione Chriſti unico ſacerdotio, papiſticum ſicuti & Iudaicum aboleri ſacerdotiũ. Sed quid oro habetis, ò pontificij, quod uel ad hæc breuiſſima Pauli reſpondeatis? Nam id (inquit Paulus) fecit SEMEL, cum SEMETipſum obtulit. Auditis enim Chriſtum ſemel, ſemel inquam, ſemel tantum oblatum eſſe. Auditis quod non per alium q̃ per ſemetipſum ſit immolatus. Qua itaq; fronte uobiſipſis, propria arrogatis authoritate, quod ne angelorũ quidem eſt? Nam in Euangelio adhuc clarius ipſe dominus ait, Ego pono animã meam ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego ponam eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & reſumendi: hoc mandatum accepi à patre meo. Quid itaq; iteratis, ô miſeri, quod iterari non poteſt, imò non neceſſe eſt? Quid uobis uendicatis, quod immortalem incidere non poteſt?

Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuriſiurãdi, qui poſt legem eſt filium conſtituit in æternum conſummatum.

Eſt & hæc priuata quędam antitheſis, qua & hoc clarius exponitur, quod audiuimus ſacerdotes Moſaicos pro ſuis proprijs immolaſſe peccatis. In hoc autem cõſiſtit antitheſis, Lex infirmos, neq; ſemper aptos ſacrificijs ordinauit ſacrificos. Sed is qui nouum iureiurando cõſtituit ſacerdotium, filium conſtituit, qui cum abſq; peccati infirmitate ſit, ſemper ad obeunda ſacerdotis munera aptus eſt: hinc etiam uerus, ſempiternus, & unicus ſacerdos eſt, per quem ceſſauit imbecillius legis ſacerdotiũ. Recte autem monet Eraſmus τετελειωμένον, quod legimus conſummatum, perinde dictum eſſe, atq; ſi tu dicas, factum ſemper idoneum & legitimum. Neq; enim ſacerdos ſemper & ubiq; idoneus eſt ad peragendum ſacrum. Quod cum & in noſtros competat, uides non citra infignem cauſſam à nobis tantopere culpari ſacerdotium papiſticum. De ſacerdotio autem euangelico, quoad docẽdi rationem, dixi in cap. 5. Annotandũ & illud μετὰ τὸν νόμον, quod uerti Poſt legem, exponi poſſe Supra legem, quaſi dixerit pluris eſſe æſtimãdam ordinationem iureiurando firmatam q̃ legalem. Vel, Ante legem. Nam etiamſi Dauid, id uerbi, poſt legem datam ſcripſerit, ipſum tamen Melchiſedechi negotium longo temporis interuallo præceſſit. Quod ſi legas Poſt legem, ſanè & hæc lectio plurimum derogabit legi. Si enim perfecta fuit lex, quid obſecro opus erat alterius meminiſſe ſacerdotis? Hactenus autem de abrogato ſacerdotio Leuitico.

CAP. VIII.

Summariũ aũt eorum quæ diſputauimus hoc eſt, q̃ talem habemus Pontificem qui conſedit ad dexteram throni maieſtatis in cœlis, ſanctorum adminiſtrator ac ueri tabernaculi, quod fixit deus & non homo.

Caput rei. Nunc colligit ea quæ à 5. cap. hucusq; de sacerdotio Christi aduersus sacerdotium Aaronicum disseruit. Eam collectionem uocauit κεφάλαιον, nos Summariũ uertimus, aliĩ ἀνακεφαλαίωσιν dixere. De priore scribit Budæus κεφάλαιον caput & summa est. Et συνκεφάλαιον συνάγειν est summam colligere. De posteriore sic scribit Fabius in 6. Rerum repetitio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibusdam Latinorum enumeratio, memoriam auditoris reficit, & totam simul causſam ponit ante oculos. In hac quæ repetemus quàm breuissime dicenda sunt, & quod Græco uerbo patet, decurrendum per capita. Id quod hoc loco præstitit eruditissimus author noster Paulus. Nam quæ fusius huc usq; de sacerdotio (ut iam dixi) disputata sunt, ea mira breuitate hoc capite 8. repetĩt, quorum caput & summam præmittit, istam, Habere nos Pontificem uere summũ, quippe qui in cœlis ad dexteram sedeat patris, maiore itaq; & nobiliore utatur templo, ipso uidelicet cœlo, quàm Leuitæ, qui in hoc corruptibili & manibus constructo seruierint tabernaculo. Sed de his omnibus plura in 1. & 5. cap. Illud uero haudquaquam uidetur esse negligendum, quod in hæc Pauli uerba, τῶν ἁγίων λειτουργὸς, id est sanctorum administrator, annotauit Erasmus, Quod nos uulgo uocamus officium, Græci λειτουργίαν appellant. Vocem putant hinc dictam, λεῖτον olim dicebant prytanæum, hoc est locum publicum, in quo uersabantur magistratus, & ἔργον opus: unde commutatis aliquot literis, λειτουργοὶ dicti, qui in his locis magistratibus inseruiebant. Porrò genitiuus Sanctorum potest uel ad homines referri, uel ad ipsa sancta, ut dicatur administrare sancta pro nobis ueluti sacerdos, &c.

Vide quid sit liturgia.

Omnis enim pontifex ad offerendum donaria & uictimas constitui tur, unde necesse est, ut hic etiam habeat aliquid, quod offerat.

Sacerdos est Christus. Summam totius negotĩ quam de sacerdotio Christi præmisit, eandem nũc diducit. Et quia duas quæstiones proposuit tractauitq;, quarum prior Christũ esse sacerdotem, posterior uero Christum esse unicum & æternũ sacerdotem, per quem etiã ipsa lex abolita ac impleta sit, ea nunc hisce colligit ascriptis uerbis, quæ de prima quæstione disputauit. Porrò hæc est collectio, Sacerdotes pro more ueteri in hoc constituebantur, ut donaria offerrent & uictimas. Et Christus propterea assumpsit carnem, ut offerret donaria & uictimas, id est preces & proprĩ corporis holocaustum: ergo sacerdos est.

Porrò si in terra esset, iam ne sacerdos quidem esset. Cum hi qui offerunt secundum legem munera, exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium: quemadmodum oraculo responsum est Mosi cum esset absoluturus tabernaculum, Nam uide (ait) ut facias omnia secundum exemplar quod ostensum est tibi in monte.

Christus sacerdos est perpetuus. Istis autem colligit, quod de posteriore quæstione disputauit, Christum non esse sacerdotem creatum secundum ordinem Aaron, sed secũdum ordinem Melchisedech, non lege carnali, sed ordinatione perpetua & cœlesti. Carnali enim ordinari Leuitas, sed cœlesti eum qui est ex tribu Iuda, qui semper uiuat, iccirco etiam unicum & incommutabile habeat sacerdotium. Hæc omnia fusius in cap. 7. Istis porrò ueluti postliminio, annectit testimonium Mosis, desumptum ex 2. Mosis, cap. 25. Quo certius etiã euinceret, priora ista & Leuitica dũtaxat fuisse umbratica & hypodigmatica. ὑπόδειγμα autem formula est & exemplar, ad cuius præscriptum aliquid fit, quod Heluetĩ uocamus *ein muster, vorbild, formular vnd visierung.* Iam ergo obserua mihi orationis ac testimonĩ huius uim & euidentiam. Exemplar (inquit) uerum, ad cuius similitudinem hæc in terris Leuitica deformata sunt, in cœlis est. Ipsa itaq; ueritas in cœlis est: umbra in terris. Antiquius ergo illud quod est in cœlis, nuperum uero quod est in terris. Proinde qui hic egere sacerdotes, non ueri fuerunt sacerdotes, sed umbra tantum cœlestis sacerdotĩ. Christus igitur tanquam uerus & æternus sacerdos cœlos ascendit, ut uerum & unicum & perpetuum uere ageret sacerdotem. Ex quibus liquido liquet uniuersum pro peccatis offerendi sacerdotiũ in cœlos esse translatum. Hic enim in cõspectu dei is semper apparet, qui semel oblatus,

Cœleste sacerdotium.

oblatus, amplius non offertur, sed unica hostia absoluit, lustrauitq; omnes qui sanctificantur in perpetuum. Quid itaq; uos ô surdissimi Romani præsulis sacrifici, uestrum in terris, pro delictis offerendi ordinem propugnatis? An non uidetis uestro dogmate imò uanissimis nænijs, totum in ecclesiam Christi, Aaronicum siue Iudaicum introduci sacerdotium? Quin deo datis gloriam & à uestro prophano & Iudaico terrenoq; deficitis sacerdotio, ei adhærentes, cui qui crediderint non pudefient.

Nunc uero hoc excellentius sortitus est sacerdotium, quo præstãtioris testamenti mediator est, quod & in præstantioribus promissis sancitum est.

Etiam legem Leuiticam audiuimus esse abrogatam, id quod hic paucis repetitur. Per mediatorem autem, ut in 5. etiam cap. ostendimus, sacerdotem intelligit. Sed testamentum opponit umbræ legis, ordinationemq; firmam esset putat, quod cum iureiurando confirmata sit: id quod in Leuitica non item factum fit. Infirmiorem ergo Leuiticam, æternam uero Christianam. Huc iam facit & illud quod sequitur. *Lex abolita.*

Etenim si prius illud tale fuisset, ut nihil in eo potuisset reprehendi, neutiquam fuisset secundo quæsitus locus.

Quodnam prius illud testamentum? Vtiq; illud, quo leges latæ sunt de sacerdotio, ciborum delectu, genere uestium, purgatione, & si qui sunt alij ritus ad sacerdotiũ Leuiticum pertinentes. Si (inquit) illa quę præcessit constitutio ita à deo lata est, ut uel cultores purgaret, absolueret perficeretq;, uel ita lata esset, ut nihil nõ modo mutari, sed ne deside rari quidẽ potuisset: iam aliud nõ promisisset quo perficeremur. Promisit aũt aliud, ergo prius illud perficere nõ potuit: propter imbecillitatẽ itaq; et inutilitatẽ merito abolitũ est.

Nam increpans eos loquitur illis, Ecce dies ueniẽt, dicit dñs, & feriam cum domo Israël & cum domo Iuda testamentũ nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus illorum in die cum apprehenderem manum illorum, ut educerem eos ex Aegypto, quoniam non perstiterunt in testamento meo, & ego neglectui eos habui, dicit dominus.

Probatio est quod aliud testamentum promiserit, simul & uehemens authoris spiritus, quo iam disputatã, ueluti triũpho, prosequitur caussam, adscribens longe pulcherrimum ex Ieremiæ 31. cap. locum, quo nobis deus certam in Christo pollicitus est peccatorum remissionem, non utiq; per sacrificia & ceremonias, sed per gratiam in Christo. Sic aũt Ieremiæ uerba adduxit, ut appareat secutũ per omnia æditionẽ LXX. Sufficit aũt interpreti reddidisse sensum, & si uerba non appẽderit omnia. De qua re multis agit D. Hieronymus de optim. interp. gen. ad Pamachium. Quod uero ipsum attinet Pauli scopum, ipse ad finem testimonij, quantum suo satis est negotio, colliget & applicabit.

Iam uero quod testamentum attinet, de quo uaria est apud theologos concertatio, sic habet res. Testamentum in sacris aliquando accipitur pro ordinatione aliqua, metapho ra sumpta à morientibus qui testamenta condũt, id est, ita res suas disponũt, ordinantq; ut uolunt. Aliquando pro certa ponitur promissione, & per metalepsim nonnunq; pro ipsa etiam re promissa. Sic enim solemus ipsam peccatorum remissionem, testamentum uocare. Quod uero hunc attinet locum, Testamentum hoc, fœdus & illud dei pactum est, quo deus uoluntatem suam erga nos testatus est, prorsusq; nobiscum certis cõuenit conditionibus. Cæterum eas conditiones patribus nostris, Abrahæ in primis, sic præscripsit, Ero deus tuus illa rerum omnisufficientia, ero inquam deus tuus & seminis tui post te in sempiternum. Tu uero ambula coram me, & esto integer. Et hæc fœderis siue pacti conditiones sunt. Ad expositionem porrò istarum pertinent iam consequẽtia, Semen mulieris cõculcabit caput serpentis. Et, In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Item, Dabo tibi terram melle & lacte fluentem. Rursus, Vindicabo te de hostibus tuis. Et mille alia. Istis enim exponit quomodo illorũ deus futurus sit. Et iterum, Non habebis deos alienos. Ne polluueris te immunditia Gentium. Innocentiã, iustitiam, *De testamento siue fœdere.*

& æquitatem colito. Qui enim hæc faciunt integre coram deo ambulant, deum & proximum diligunt. Hæc autem de Teſtamento & fœderis ſubſtantia dicta ſint.

Vnicum duntaxat teſtamentum.

Illud uero teſtamentum incommutabile eſt, unicum & ſempiternum. Vna enim ſanctorum, & ueterum, & noſtrorum, unica inquam eccleſia eſt: unus deus, una tantum omnium ſeculorum religio uera. Vnde igitur nobis Veteris & Noui teſtamenti nomina? Nónne duo dicit, qui uetus & nouum dicit? quod ſi duo ſunt, quomodo unum eſſe poteſt? Ipſa nimirũ ſubſtantia unum eſt: ſed modo tradendi duo ſunt. Expende enim quid ipſa re Veteribus ſit traditum, & idem inuenies quod nobis. Nempe, unum eſſe deum, hunc ſolum eſſe colendum, colendum autem ſpiritu, innocentia & fide. Item unicã eſſe orbis iuſtitiam & redemptionẽ, unicum ſacerdotem & ſacrificium uerum, Ieſum Chriſtum dei & hominis filium. Sperãdam quoq; à deo animarum perpetuitatem & corporum reſurrectionem. Et hæc quidem eſt illa præclara Adæ, Noë, Abrahæ, Moſis, Samuelis, Dauidis, Prophetarum omnium, Stephani quoq;, Ioannis Baptiſtæ, Petri, Iacobi, Pauli, Athanaſij & Auguſtini religio ac fides, eritq; uſq; ad conſummationem ſæculi omnium electorum dei fides. Quod ergo fidei ac teſtamenti ſubſtantiã attinet, idem prorſus utriſq; traditum: unde conſequens eſt unicum tantum eſſe teſtamentum.

Vetus & nouũ teſtamentum.

Iam uero expende modum, quo illud nobis idemq; iſtis, traditum ſit. Hic Paulus, Veteribus (inquit) omnia contingebãt in figura. At nobis non item. Nam Chriſtum, qui legis eſt perfectio, dedit nobis deus: ut nunc ueluti præſens, præteritumq;, adeò & completum ueneremur, quod illi futurum, complendum, & in typo uelatum habebãt, imò uerius expectabant. Proinde modus tradendi diuerſus eſt, ſed res utriſq; eadem. Illi figuras habebant, nos ipſam rem. Illi externis gaudebant, nos ſpiritualibus. Nam Chriſtus omnia direxit in ſpiritum. Eò iam pertinet ſacerdotium & ſacrificium Aaronicũ, ſacerdotij & ſacrificij Chriſti figura. Huc pertinent uaria baptiſmata, uerę expurgationis per Chriſtum exhibitæ, typi. Atq; ex hac diuerſa traditione exiſtunt iam Veteris & Noui teſtamenti uoces, quæ quid ſignificẽt, ex ijs quæ diximus liquet. Siquidem ea traditio qua per typos & figuras ueteribus tradita eſt religio, dicitur Teſtamentum uetus. Sed ea qua ſine figuris atq; ipſa re nobis traditur Chriſtus, qui omnia legis & prophetarum implerit, iam omnia ſolus, Nouum dicitur teſtamentũ. Non ideo nouum, quaſi ueteres Chriſtum, gratiam, & peccatorum remiſſionem non habuerint: ſed nouum collatione ueteris, & quod ipſum corpus acceſſu ſuo aboleuerit umbram.

Biblia et Sacramenta teſtam.

Ex ijs etiam rectius intelliges quomodo Biblia nominemus Vetus & Nouum teſtamentum. Neq; enim ipſi bibliorum ſcripti libri magis ſunt ipſum teſtamentum, q̃ tabulæ ſiue literæ teſtamentales teſtamentum ipſum ſunt, & tamen teſtamentum dicuntur. Verum id nominis ex eo ſortiuntur, quod deſcribunt. Quia ergo prioribus bibliorum libris deſcribuntur ritus, traditiones ac modi uarij, quibus deus ueteres in teſtamento ſuo & uera religione deduxit, Vetus teſtamentum dici cœperunt. Sic etiam illi libri, qui poſt exhibitum Chriſtum, de eo ſcripti ſunt, quomodo in Chriſto omnia completa & innouata, nouus item populus ex Iudæis & Gentibus collectus ſit, & in teſtamẽto & uoluntate dei ductus ſit, Nouum teſtamentum appellati ſunt. Sed & ipſa ſacramenta pariprorſus ſchemate teſtamẽtum dicuntur. Nam circũciſio uocatur teſtamentum Gene. 17. Et Poculum domini apud Matthæum etiam in 26. cap. dicitur teſtamentũ. Quæ omnia fuſius fortaſſis quàm pro re annotauimus: nunc cætera perſtringemus.

Quod deus in hoc præſenti prophetæ teſtimonio dicit ſe Iſraëlitarum apprehendiſſe manum, diligentiæ eſt, & inſignis curæ nota. Notat enim inſignia illa beneficia, quæ illis exhibuerit, dum ipſos ex Aegypto eduxerit. Adijcit, Tum quidẽ ſe illis tradidiſſe legem, inijſſe fœdus, quod tamen illi uiolarint. Præceperat enim unum deum colerent, alienos deos non adorarent. Addiderat ſacra & ſacrificia, ut procliuem aliâs ad peregrinos cultus gentem, in officio & lege ſua contineret. Sed fruſtra. Illi enim contempta dei lege (id quod & Stephanus eis impingit) pactis non ſteterũt, ſed quod deo debebatur idolis impendebant, quocirca deus iſtos ueluti perduelles & perfidos neglexit. Nam ipſos ultra Damaſcum (ut Amos inquit) tranſtulit.

Nam

Nam hoc est testamentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit dominus, dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscripsi illas, & ero illis deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit quisq; proximum suum, & unusquisq; fratrem suum, dicētes, Cognosce dominum, quod omnes cognituri sint me ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usq; ad eum qui magnus est inter eos, quoniam placatus ero super iniustitijs eorum & peccatis illorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius.

Nouum testamentum.

Ista adijciuntur expositiue. Exponit enim sese quid per Nouum testamentum intellexerit. Vtiq; gratuitam peccatorum remissionem, quæ toti generi humano (id enim uoluit per maiores & minores propheta) contingat, non opera legis sacrificiorum aut ceremoniarum, sed merito Christo. Nam ubicunq; est plenaria peccatorum remissio (ut audiemus in 10.) ibi nulla supereſt oblatio pro peccato. Contigit autem nobis per Christum absoluta peccatorū remissio, ergo nullum restat sacrificium pro peccato. Proinde Nouum testamentū aliud nō est, quàm quod in filio suo deus humano generi omnem dedit perfectionem. De qua re satis superius disputatum. Porrò hoc dei beneficiū à deo nobis per Christum exhibitū, multis quidem uerbis magnifice describit, quibus tamen docendi prædicandiq; officium non tollitur. Docte enim & pie sanctissimæ memoriæ HVLDRYCHVS ZVINGLIVS, incomparabilis eruditionis, constātiæ & pietatis uir, præceptor noster fidelissimus, & mortalium charissimus, in hunc prophetæ locum, Hic non tollitur (inquit) doctrinæ beneficium, quomodo Catabaptistæ ganniunt, sed hyperocha est, Cognitionem dei uulgarem fore. Deum enim docturum & illustraturum mentes, ut sciant dei filium in hoc descendisse ut nobis sociaretur, & nobis comitatus æternam hæreditatem adiret. Hæc ille Heluetiæ nostræ apostolus.

Per hoc quod dicit nouum, antiquauit prius. Porrò quod antiquatur & senescit, in propinquo est, ut euanescat.

Redit ad statum, & edisserit in quem finem hunc prophetæ locum adduxerit, nempe ut Ieremiæ etiam testimonio euinceret, legem, quoad sacerdotium, ritus & ceremonias, prorsus esse abolitam.

Hactenus epilogū contexuit Paulus, nunc ad sacrificiū Christi tractandū transimus.

SACRIFICIVM.

Scopus sequentium.

Simili penè dicendi ordine disputat de sacrificio, quo disputarat de sacerdotio Christi. Primo enim docet Christū esse illam unicam & ueram pro peccatis totius mundi hostiam, multo maiorem & præstantiorem uictimis Aaronicis. Deinde uero probat Aaronicas inefficaces fuisse & umbram tantū, & proinde uictima Christi abolitas, qui sit unica & æterna omnium credentium hostia. Hæc summa est omnium eorum quæ sequuntur usq; in mediam partem cap. 10. Istis aūt uis & scopus euangelij tam plane, tam etiam proprie tractatur, ut nihil planius & magis euangelicum dici possit. Neq; aliud est quod Christiano homini perinde sit cognitu necessarium, uel quod prophetæ & apostoli diligentius, crebrius, maioriq; grauitate tradiderunt, quàm dei filium hostiam factum esse pro peccatis nostris. Quid enim Moses tam copiose descripsit atq; immolādi & uictimarum rationem? Quid uero istis aliud q̄ hostiam Christi præfigurauit? Isaias quidem clamauit, Nos omnes uelut oues errauimus, dominus autē imposuit ei omnes iniquitates nostras ad propitiandū. Ioan. Bap. uero dixit, Hic est agnus dei qui tollit peccatum mundi. Imò & ipse Christus, Et sicut Moses (inquit) serpentem exaltauit in deserto, ita oportet exaltari filiū hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitā æternā. Paulus quoq; dixit, Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac uictimā deo in odorē bonæ fragrātiæ. Iam uero si operibus nostris, si sacrificijs cultui & ritibus debetur iustitia, sanè Christus frustra oblatus est. Frustraneū aūt esse nō potest

Sacrificium.

quod à dei filio factum est: iccirco unicum filij dei sacrificium, omnium credentium, omniumq; sæculorũ salus est. Et hæc quidem est illa sacrosancta euangelij summa ac uis, quæ hic dignissime & copiosissime tractatur à Paulo, certè ut Hæbræos ab umbraticis abstraheret sacrificijs & unicæ Christi iungeret hostiæ. De eo autem Pauli consilio dixi in argumento epistolæ. Priusquam uero ipsum aggrediatur negotiũ præit ceu παρασκευὴν quadã, ac locum in quo ueteres suas immolabant hostias, obiter, & aliud interim agens, describit, ferè ad morem historicorum, qui insignem aliquam pugnam descripturi, prius locum in quo facta est pugna, ueluti pictura ob oculos ponunt. Sed audiamus ipsa Pauli uerba.

CAP. IX. Habuit quidem & prius illud iustificationes, cultus, ac sanctimoniam mundanam.

Quæ sanè transitionis formula est. Maximum enim orationis ornamentum est, si ue lut ansulis cohæreat, & non fit, quod de Senecæ scriptis dicebat Caligula, harena sine cal ce. Connectit itaq; orationem Paulus, ac si dicat, Et hactenus quidem de Testamẽto no uo, nunc redibimus ad uetus, indicaturi quid ceremoniarum habuerit. Quas equidem non ipsa re dixit esse iustificationes, sed cum conditione dixit, δὲ τὰ ἅγιον κοσμικὸν, Quasi diceret, quod equidem eo modo dico, quo externa sunt munditia. Ritus enim Iudaici ipsa re iustificabant neminem, sed mundana erant omnia. Mundanum autem uocamus quod externum & elementale est, ut in 5. huius epistolæ cap. indicatũ est. Ioannes Chrysostomus aliud sentit & ait, Sanctum sæculare dicit, quoniam omnibus licebat intrare, & manifestus erat ille locus in illo tabernaculo, ubi sacerdotes stabant, ubi Iudæi, ubi proselyti, & Gentiles, & Nazaræi. Quoniam ergo & gentibus accessibile erat sæculare illud appellat, &c.

Siquidem tabernaculum paratum erat & primum id erat, in quo erant lucernæ, mensa, & propositio panũ, id autem uocant Sancta. Post secundum autem uelum erat tabernaculum, quod uocatur Sanctũ sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, undiq; circumtectam auro, in qua urna aurea habẽs manna, & uirga Aaron quæ germinauerat, & tabulæ testamenti: supra hanc autem Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium, de quibus non est nunc dicendum sigillatim.

Hæc illa τοπογραφία est, loci descriptio, in quo ueteres immolabant, simul & expositio quisnam ille prioris testamenti cultus fuerit. Quæ omnia propterea præmittit, quod in cursu orationis sæpe dicetur de tabernaculo, de sacerdotibus ingredientibus Sancta, & de summo pontifice introëunte Sanctum sanctorum: ne igitur tunc remoraretur lector, paucis sacrorum locum adumbrare uoluit. Porrò nõ dixit duo ueteribus (quod tamen parum attentis uideri poterat) fuisse tabernacula. Vnicum enim fuit, sed per uelum in duas partes diuisum, tali propemodum modo, quo apud nos templa diuidũtur in Chorum & Ecclesiam siue populi stationem. Ad hæc accessit atrium à sancto direptum alio quodam uelo. Quemadmodum & nostris templis quibusdã atrium uidemus additum. Hic itaq; finge Chorum esse Sanctum sanctorum: sed Ecclesiam esse Sancta. Proinde necessum est istis Pauli uerbis, Post secundum autem uelum erat tabernaculum, inesse σύγχυσιν, id est confusionem, qua debitus uerborum ordo turbatur, qui tamen sic possit restitui, Post uelum autem erat secundum tabernaculum, id est secunda pars tabernaculi. Nam si secundum referas ad uelum, non ad tabernaculum, iam consequetur duo fuisse uela & tria tabernacula, id quod falsum est: unum enim erat tabernaculum in duas partes diuisum. Nisi fortassis ad illud uelum respexerit Apostolus, quod in introitu pendebat tabernaculi, Sancta diuidens non à tabernaculo tertio, sed ab atrio tabernaculi. De quo legis in fine cap. 26. in Exodo, Facies & aulæum in introitu tabernaculi &c. Et ipsa quidem

Tabernaculũ.

quidem loca per se neq; sancta sunt neq; prophana. Vsus autem eorũ uel sacra facit uel prophana. Sanctum fuit typicum sacerdotium & sacrificium, hinc Sanctum dicebatur locus in quo res agebatur sancta. Sed multo sanctior est intercessio & uictima Christi, hinc Sanctum sanctorum is locus dici cœpit, in quo peragebatur figura sacrosancti sacrificij Christi. Nam Christus est ille, ut Daniel ait, Sanctus sanctorum, id est omnium sacratissimus. Nam notissimæ nunc sunt illæ crebræ anadiploses Hebraicæ. Vnum uero fuit tabernaculum, quia una tantũ est ecclesia ueterum & nostra, interim tamen in duas partes, hoc est in duplicem populum & ritum diuisa. Veteris ecclesiæ formam refert ea pars quæ dicitur Sancta, in qua offerebatur quotidie. Nouę autem faciem refert interior pars, quæ fine ara, & in qua arca tantum erat, & Sancta sanctorum dicebatur. Iam uero quod quælibet partium sua habuit ornamenta, non citra insigne factum est mysterium. Nos pro uiriculis nostris singula in transcursu καὶ ἀλληγορίαμ exponemus.

Candelabrum.

De Candelabro uide Exo. 25. & obserua quod propheta dixit, Lucerna pedibus meis uerbum tuum & lumen semitis meis. Constabat autem candelabrum ex auro mundissimo, quia pura & mera debet esse ueritatis doctrina: Lucere etiam, ut omnes errorum discutiat tenebras. Calamos uero, siue lucernas, habuit septem. Porrò septenarius numerus, ut apud Macrob. in Som. Scip. extat, perfectionis est numerus. Perfectissima itaq; & absolutissima est ueritatis doctrina, ut nullis prorsus egeat legib. & scriptis subsidiarijs.

Mensa.

De Mensa lege Exodi 25. Porrò ea uideri poterat esse typus ministrorum uerbi, qui integri esse debent, sana fide imbuti, & portatiles, hoc est comes qui se ad captũ auditorum attemperent, non adulando, sed sancta uafricie, ut plurimos Christo lucrifaciãt. Alij per mensam intellexere scripturam.

Panes propositionis.

Mensæ imponebantur panes propositionis, Leuitici 24. quos alij uocarunt panes facierum: nimirum quod subinde in conspectu dei faciẽq; hominum prostarent. Cœlius tamen lect. antiq. lib. 5. cap. 35. aliud super hac re commentũ, ex egregio illo Hebræorũ nugatore R. Solomone producit, q̃d iudicio diligentis relinquo Lectoris. Certè panes illi Verbũ dei præfigurarũt homini, qui non modo pane uiuit, sed de omni uerbo q̃d egreditur ex ore dei. Hi panes infermentati sunt: unde postea Christus monuit discipulos, caueren t sibi à fermento pharisaico, quod erat hypocrisis & humana traditio. Itaq; uerbum dei purum est & sanctum & affectibus nostris neutiquam uitiandum. Illis imponebatur thus lucidissimum, in odorem deo bonæ fragrãtiæ. Verbum autem dei, si sit cum fide in pio pectore coniunctum, syncera m efficit conscientiam: porrò ex syncera conscientia effunduntur ad deum preces puræ & deo gratissimæ. Cæterum quod mensæ imponebantur mundissimæ, & à solis edebantur sacerdotibus, figurabatur, quinam participes futuri essent cœlestis sapientiæ, puræ uidelicet & sanctæ mentes. Noluit enim dominus, ut sanctum proijceremus canibus. Errauit ergo Aquinas qui peruersa huius loci allegoria lapsus, non uere cecinit, Solis presbyteris, quibus hoc conuenit, ut ipsi sumãt & dent cæteris. Siquidem analogiam cum fidei tum rei ad typum nõ obseruauit. Aliud enim censuit Apostolus in 1. Corinth. 11.

Thuribulum.

Quod Thuribulum attinet, monuit Erasmus θυμιατήριον & thuribulũ dici & aram in qua suffitus fiat, quare nonnulli permoti transtulerũt Altare aureum, sed minus proprie. Nam Exodi 30. legimus, Facies quoq; altare ad adolendũ thymiamata de lignis Setim, uestiesq; illud auro purissimo, & pones illud ante uelum, quod ante arcam pendet. At Paulus nunc eorũ meminit, quæ erant intra uelum, itaq; per θυμιατήριον non aram intellexit, sed thuribulum, quo orationes & desideria sanctorum significantur, dicente propheta, Sit oratio mea incensum coram te, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Plura Leuitici 16.

Arca testamẽti.

De Arca lege Exod. 25. Hæc dicitur Arca testamenti propter testamenti tabulas impositas, quanquam & ipsæ tabulæ sic dicantur testamentum, ut supra de Biblijs in 8. cap. an notauimus. Et primæ quidem tabulæ fractæ sunt, secundæ uero seruatæ. Nam lex spiritualis, quæ posterior est, immutabilis & sempiterna est. Hæc in arcã, hoc est, in fidelium corda imò in uniuersam dei ecclesiam posita est. Nam arca sacramentum fuit præsentiæ

diuinæ, typus Eccleſiæ dei, quæ etſi lignea ſit nihilominus deaurata eſt. Eccleſia enim nunquam à peccatis, quoad uiuit, libera, ab ijſdem tamen purgata eſt. In hac arca poſt tabulas impoſitum erat Manna, quod deus Exodi 16. ἐις μνημόσυνον iuſſerat aſſeruari. Paulus ergo hoc in loco ait id in urna aurea fuiſſe repoſitum, quod cœleſtis & ueritatis dei cibus in corde pio & bono cuſtodiatur. In eadem illa arca erat & Virga Aaron, de qua Numeri 17. Qua ſignificabatur docendi officium, ſceptrum ueritatis inſuperabile, uocatio & electio, quam ſequitur mentis uiriditas tam in docente quàm auditore, folia & fructus iuſtitiæ amœniſſimi, ſuauiſſimiq;.

Manna.

Virga Aaron.

Quid autem dicemus ad id quod 2. Paralip. 5. ſcriptum eſt, Nihil aliud in arca erat, niſi duæ teſtamenti tabulæ? Alij ergo reſpondent Regũ temporibus nihil in arca fuiſſe niſi tabulas tantum, reliqua uero ſuccedentibus impoſita eſſe temporibus. Alij dicunt excluſiuam ωλήμ, quæ legatur in æditione LXX. apud Hebræos non haberi. Poterat tamen uideri ſynecdocha, qua potiſſima recenſemus, alia ſubintelligimus. Arca enim teſtamenti à tabulis teſtamenti nomen habet, itaq; recenſitæ ſunt potiſſimum.

Supra arcam erant Cherubim gloriæ. Cherubim autem, ſi Joſepho credimus, erant animalia uolatilem habentia figuram, quæ à nullo hominũ eſt inſpecta, quæ Moſes dixit ſe in ſede dei conſpexiſſe figurata. Certè ſi etymon ſpectes, Cherubim ſignificat ſcientiæ multitudinẽ. Si uero conſyderes ſcripturæ rationẽ, iam plerunq; eorum fit mentio in ſacris, cum deus prẽſens eſſe uidetur. Ex quibus colligimus Cherubim ueluti miniſtros dei & diuinæ præſentiæ nuntios ac indices eſſe. Vnde etiam à Paulo non Cherubim tantum, ſed Cherubim gloriæ, dicti ſunt: quaſi tu dicas glorioſi dei ὑπερασπίσαι armigeri, ſatellites & prænuntij. Hi obumbrant propitiatorium, id eſt, diuina maieſtas aſſumptam Chriſti conſeruat humanitatem. Nam humanitas Chriſti, quæ per propitiatorium, authore ad Romanos Paulo, figurata eſt, pura ex illibata uirgine, gratiæ pignus, & redemptionis pretium eſt, illudq; דביר hoc eſt, oraculum, ſiue λαλήσιον, id eſt, locutorium fuit, per quod locutus eſt orbi deus. Porrò hoc propitiatoriũ, ut erat Cherubim ſubiectum, contegebat arcam, Nam Chriſtus eatenus eſt caput & protector Eccleſiæ ſuæ, quatenus deus & homo eſt. Sed hæc de iſtis omnibus annotaſſe ſufficiat, cum ipſe apoſtolus longiorem de his diſputationem à ſe commode auerterit. Ad aliud enim accelerat, nunc enim ſequitur.

Cherubim.

Propitiatoriũ.

His autem ad hunc ordinatis modum, in prius quidem tabernaculum ſemper ingrediuntur ſacerdotes, qui ſacrorum ritus peragant, in ſecundum autem ſemel quotannis ſolus pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſeipſo & pro populi ignorantijs.

Iam uero ipſam aggreditur rem & figurę adhibens ueritatem demonſtrat ſolũ Chriſti ſacrificium uerum eſſe & efficax ad expiandum mundi peccata, Veterum uero non item. Præſentibus autem uerbis typum tantummodo propoſuit alteram duntaxat Demonſtrationis partem: quæ interim duobus conſtat membris, Primum, In anteriori tabernaculo, quod Sancta dicebatur, quotidie ſacrificabant ſacerdotes. Numeri 28. Secundum, In poſterius autem, hoc eſt, in Sanctum ſanctorum, non niſi ſemel in anno, ſolus ingrediebatur ſummus ſacerdos, offerens pecuinum ſanguinem pro ſe & pro populi ignorantijs. Leuit. 16. His iam ordine ſuam cuiq; ſubiungit expoſitionem, uel ſua contraria membra, Sic,

Iſto autẽ ſignificauit ſpiritus ſanctus nondum patefactam eſſe Sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo conſiſtente, quæ erat ſimilitudo temporis tunc præſentis, in quo dona, ſacrificiaq; offerebantur, quę non poterant iuxta conſcientiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat, & potionibus, & diuerſis ablutionibus, ac iuſtificationibus carnis, uſq; ad tempus correctionis impoſita.

Hæc

Hæc iam primo membro opponũtur & respondent, quibus docet quid primo & an teriori tabernaculo præfiguratum sit, nempe Leuiticum sacrificium, quod prorsus uanum sit & inutile. Id quod tot penè argumentis firmat, quot uerbis hanc rem elocutus est. Nam si aditus ad Sanctum sanctorum, hoc est ad ipsum cœlum, etiam tum non aperiebatur, cum illi strenue admodum immolarent: certè cõsequens est Leuiticis uictimis aditum ad cœlos non parari, & proinde inutiles esse. Id quod minime obscuris uerbis mox subiungit, Ea non potuerunt iuxta conscientiã perfectum reddere cultorem. Quæ locutio hoc ualet, Leuitica sacrificia conscientiam eorum pacare non potuerũt, pro quibus offerebantur. Caussa. Nam ut omnia alia Leuitica externis tantum nituntur & constant, ita uictimæ in primis carnales sunt. Sed peccatũ non corporis labes est, sed animi, proinde Leuitica, hoc est carnalia sacrificia conscientiam à peccatis non purgant, itaque inutilia sunt, quinimo externa duntaxat iustitia sunt. Nam Paulus ad Roma. 4. Carnis uocabulum etiam usurpat pro re externa, & ait, Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum meruisse (εὑρηκέναι enim non modo inuenisse est, sed & impetrasse & meruisse) secundum carnem, id est meritis & opere siue iustitia externa? At de uarietate ciborum, potus & ablutionum siue baptismatum, lege Leuiticum in 11. item Numeri 19. Rursus cum dicit ista omnia ad tempus correctionis impositа, quis tam stupidus ut nõ animad uertat infirma & inutiliora fuisse quæ erant corrigẽda, perfectiora autem quæ correctionis gratia erant substituenda? Porrò Christus legis correctio & perfectio est. Christus itaq; uerum & æternum fidelium holocaustũ est, qui & fideli animæ satis est, cum unus & solus omnia ea habeat perfectissime quæ anima desiderare potest. De qua re dicetur in secundo membro.

Inutilia ueterũ sacrificia.

Hæc propius & iusta expendant trutina, qui Sacramentis tribuunt iustificationem. Nam si in Sacramentis res & signũ consideranda sunt, quæro cuius respectu Sacramenta conferant gratiam? Signíne an rei? Si enim respectu rei conferunt gratiam, iam solius fidei beneficio iustificamur. Planius itaq; de Sacramentis differendum erat, ne quis falsa opinione imbutus, uisibilibus tribuat rebus quod aliâs erat inuisibilium. Nam si pergamus Sacramẽtis respectu signi tribuere gratiam, iam sequetur mentitũ esse Paulum, qui hoc loco longe aliud de Veterũ tradidit Sacramẽtis. Quos aũt æquat fides, eos neq; inferiores neq; superiores faciunt Sacramenta. Sequetur & illud, Iudam iustificatum esse protinus atq; Sacramẽtum accepit. Id cum omni modo falsissimum sit, sequitur multo rectius sensisse Augustinum, qui in lib. quæst. 3. quæst. 84. de hac re sic disseruit. De Latrone non legimus quod alicubi uisibiliter sit sanctificatus, nihilominus dixit ei dominus, Hodie mecum eris in paradiso. Neq; tamen sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse atque profuisse sine uisibilibus sacramentis, quę pro temporum diuersitate mutata sunt: ut alia tunc fuerint, alia uero modo sint. Visibilem uero sanctificationẽ quæ fieret per uisibilia Sacramẽta sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum uisibile contemnendũ est. Nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius & qui cum eo erãt, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu, sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen, nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat. Hæc Augustinus, cuius sententiam illis optarem esse cognitissimam, qui hactenus magna gloria, inuitis etiam omnibus ueritatis hostibus, euicere, nulla merita, opera siue res externas, sed solam fidem iustificare: nunc uero cõtentione abducti, maximis etiam conuitijs à nobis postulare audent, Sacramentis tribuamus gratiam & iustificandi beneficium, quod q̃ alienum à ueritate sit, nemo est qui nunc non uideat. Illud etiam uidetur annotãdum nonnullos ita distinguere inter Donum & Sacrificium, ut Donum sit frugum, Sacrificium uero sanguinis & uictimarum. Verum confunduntur utraq;, & alterum pro altero ponitur in sacris.

An Sacramẽta conferant gratiam.

At Christus accedens pontifex futurorũ bonorum per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc est, non huius structuræ,

neq; per ſanguinem hircorum & uitulorum, ſed per proprium ſangui nem ingreſſus eſt ſemel in Sancta, æterna redemptione reperta.

Vnicum Chriſti ſacrificium perpetuum.

Hæc poſteriori membro reſpondent. Iſtis autem exponit quid per Sanctũ ſanctorum præfiguratum ſit, Noui uidelicet teſtamenti populus & ſacroſanctũ Chriſti ſacrificium, quod unicum & ſolum ſatis ſit ad expianda omnia mundi peccata. Quæ omnia planiora fient per ſubiectam antitheſim, qua Chriſtum ſic confert ſummo pontifici, ut longe præcellere uideamus. Nam ſummus (inquit) pontifex, ad ſacra peragenda ingrediebatur manibus humanis conſtructum tabernaculum. Oportebat igitur & Chriſtũ, quan doquidem pontifex erat, ingredi tabernaculum, Ideoq; ingreſſus eſt tabernaculũ Chriſtus, ſed quod præſtantius erat. Ille enim in terrenum duntaxat ingrediebatur immolaturus. Hic uero ipſum cœlum aſcendit. Quod futurorum bonorum eſſet pontifex, hoc eſt quod re uera eſſet pontifex, per quem illam aſſequimur benedictionem, quam expectarunt omnes ſancti patres, non temporale aliquot bonum, ſed æternũ & immarceſſibile, quod in futura gloria nobis continget omnibus. Rurſus, Cum ſummus pontifex interius ingrediebatur tabernaculum, non ſine ſanguine ingrediebatur. Oportuit ergo Chriſtum etiam cum ſanguine ingredi in ſuum illud tabernaculum. Hinc ſanguinem fudit Chriſtus. Sed longe meliorem. Nam ille inferebat ſanguinem beluinum. Hic uero proprium, humanum, & ſanctũ ſanguinem. Et pontifex quidem ſolus & ſemel in Sanctum ſanctorum ingrediebatur, offerens pro ſuis & populi peccatis. Neceſſe itaq; erat ut ſolus etiam Chriſtus pro peccatis immolaret. Et immolauit quidẽ, ſed multo perfectius. Ille enim unicam offerendi uicem quotannis ſemel repetebat, & pro ſuis & populi peccatis offerebat. Hic uero ſemel duntaxat citra omnem repetitionem, ſemel inquã, non pro ſuis peccatis, quæ nulla erant, ſed pro mũdi peccatis, ſanguinem ſuum deo fudit. Quod autem ſemel tantum ſanguinem fudit, in cauſa fuit, quod unica oblatione coram deo in-

Vide.

uenit SEMPER DVRATVRAM expiationem, pro omnibus iis qui crediderunt, credunt, & credituri ſunt. Ideoq; per unicam corporis Chriſti hoſtiam ceſſarunt non modo Iudaica, ſed omnia alia in orbe pro peccatis ſacrificia, Nam unicum Chriſti ſacrificium toti mundo ſatis eſt. Vnice ergo toti orbi proponitur uera fide uenerandum. Anathema ergo ſit qui aliud ſtatuerit ſacrificiũ, uel unicum multiplicarit. Vel dixerit, Chriſtum non omnia mundi peccata deleuiſſe. Anathema ſit, qui aliam expiationem pro peccatis præter eam quæfierit, quæ unico Chriſti ſanguine ſemel fuſo parta eſt.

Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad carnis purificationem, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum deo, purgabit conſcientiam ueſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum deo uiuenti?

Confirmat ſuperiora, argumento ducto à comparatis. Si incredibilis (inquit) res, apud uos fuit credibilis, nẽpe quod beluino ſanguine purgata ſint peccata ueſtra: quanquam ego ablutionem iſtam aliud nihil fuiſſe credam (uide ut omnia præueniat Apoſtolus) quàm externum purgandi ritum & ueritatis typum: quanto ueriſimilius eſt illud quod admodum credibile eſt, innocenti Chriſti morte & ſacro eius cruore, deleri peccata credentium: cum is uerus fuerit deus, & immaculatum ſeſe deo obtulerit? Diuus Chryſoſtomus, Si carnem (ait) poteſt mundare ſanguis beluinus, multo amplius animæ ſordem diluet ſanguis Chriſti. Ne enim audiens Sanctificat, magnum aliquid putes, mox oſtendit utriuſq; mundationis differẽtiam. Hæc ille. At de ſanguine taurorum

Obtulit ſe per ſpiritum æternum.

& hircorum lege Leuit. 9. & 16. capite. De cinere autem uaccæ lege Numeri 19. Et quod dicit Chriſtum per ſpiritum æternum immolatum eſſe, non ita intelligendum eſt, quaſi ſpiritualiter tantum, non etiam uere paſſus ſit. Petrus enim, Chriſtus (inquit) in carne paſſus, mortuus eſt ſecundum carnem, uiuificatus autem ſpiritu. Itaq; per ſpiritum æternum ueram in Chriſto diuinitatem, Notatione quadam periphraſtica, uoluit notare, &

negotium

negotium hoc Synchysi efferre, quæ tamẽ sic poterit explanari, Christus obtulit sese immaculatum deo, idq; per spiritum æternum. Hoc est, quod immaculatum sese deo obtulit, id quidem per spiritum æternum, hoc est, per deitatem stetit, qua factum est, ut nullis sordibus coinquinari potuerit Christi humanitas. Hinc ad uirginem diserte dicebat angelus, Quod ex te nascetur sanctum, filius dei uocabitur. Ioan. Chryso. aliud uidetur sensisse. Dicit enim Christum sese non per ignem, aut aliena quædam, sed per spiritum æternum immolasse. Et sanguis per se quidem, ut res externa & humana est, non lauisset animi maculas, nisi is qui lauit, sanguinemq; fudit, etiam dei fuisset filius. Hinc Ioannes, Et sanguis (inquit) Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Sic hoc loco Paulus dicit, Sanguis Christi qui per spiritum æternum se immaculatum deo obtulit, purgabit cõscientiam nostram. Quod in primis uenustum est. Nam hęc opponit præcedentibus, in quibus audiuimus, in Veteri testamento indesinenter esse sacrificatum. Sacrificia uero ista quotidiana, non potuisse cultorum perficere conscientiam. Hic uero audimus, Sanguis Christi qui semel fusus est, abluit peccata & purgat conscientiam fideliũ à mortuarijs operibus, hoc est, ab ijs peccatis, quæ extra fidem occidunt ac damnant animam, ut audiuimus ca. 6. Sed quomodo abluit peccata (inquis) itáne ut posthac libere peccemus, utpote qui didicimus sanguine Christi oñia peccata mundi esse deleta? Respondet apostolus, Minime, Sic enim purgauit, ut quod supereſt, breuissimum uitæ spaciũ, innocentiæ impendamus. De qua re copiosius disseruit ad Rom. 6. 13. & Petrus 1. Pet. 4. Ergo omnis sanctificatio hominis, uniuersaq; criminum expurgandi lustrandiq; ratio, non in Indulgentijs, Absolutionibus, Satisfactionibus nostris, siue in Igne purgatorio consistit, sed in unico Christi sanguine. Sanguis Christi, est mors & redemptio Christi. At ignis purgatorius, Indulgentiæ, & Romani præsulis diplomata, non sunt sanguis Christi: ergo non purificant, sed artes tantum sunt, quibus opes imprudentum imò & superstitiose prudentum, emungunt suasq; faciunt.

Christus expurgat peccata.

Et ideo Noui testamenti mediator est, ut morte intercedente ad redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, hi qui uocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis.

Legimus in Euangelio Ioan. cap. 12. Christum aliquando dixisse se breui pro totius mundi salute immolandum fore. Cui talia oppositerunt Iudæi, Nos didicimus ex lege, quod Christus manet in æternum, quomodo ergo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Ad quem modum & hoc loco Paulus, posteaquam ostendisset Christum Iesum dei filium uerũ Messiam immolatum esse pro peccatis nostris, ne Hebræi id quod apud Euangelistam obiecére, hi quoq; Paulo opponerẽt, prœuenit: & digressiuncula quadam, ex ratione testamenti probat Mediatorem Noui testamenti mori oportuisse. Et ob id (inquit) quod sanguinem fudit et oblatus est, Noui testamenti mediator est. Oportuit enim mortem mediatoris intercedere, ut ea peccata, quæ erant sub priori testamento, hoc est, quæ adhuc supererant Leuiticisq; sacrificijs expiari non potuerant, nunc quidem morte Christi lustrarentur, itaq; non modo ij, qui fuerant sub Veteri testamento, sed & omnes qui uocati sunt, id est, qui electi sunt & credunt, per Christum æternæ efficerẽtur consortes uitæ. Sed omnia firmiora & clariora fient consequentibus.

Oportuit Christum pati.

Siquidem ubi testamentũ est, mors testatoris intercedat necesse est: Nam testamentum in mortuis ratum est. Quandoquidem nondũ ualet, cum uiuit testator.

A communi hominum more, ueluti ex Pronunciatis, clariorem superiorum subiungit caussam, sic argumentans, Vbicunq; testamentum est, ibi testatoris mors intercedat necesse est. Sed iustitia & peccatorum remissio, testamentum est: ergo testatorem mori necesse est. Propositio probatur, Nam testamentũ (inquit) in mortuis ratificatur. Quamdiu enim uiuit testator, testamentum uigorem (ut aiunt) non habet. Quæ probatio & ipsa à communi hominum more, ueluti à pronunciatis desumpta est. Assumptio autem

Christus testator et mediator

confirmatur Ieremię teſtimonio. Proinde neceſſitate quadam ſequitur mediatorem Noui teſtamenti uerum Meſſiam, mori oportuiſſe. Deus enim teſtator eſt. At is immortalis eſt, Interim teſtator eſt, ergo mortalem fieri oportuit. Ideoq; deus, id eſt filij perſona carnem aſſumpſit ut in carne moreretur, utq; à morte teſtatoris remiſſio peccatorum omnibus daretur credentibus. Sic inquam teſtatoris mors omnino & ex neceſſitate quadam neceſſaria fuit. Mors autem non cuiuſuis hominis, ſed filij dei. Nam deus erat teſtator, & teſtatorem mori oportet. Mediator itaq; Noui teſtamenti à Paulo dictus eſt Chriſtus, quod utriuſq; naturæ eum oportebat eſſe participem.

Vnde ne prius quidem illud abſq; ſanguine dedicatum fuit. Cum enim Moſes omne præceptum iuxta legem expoſuiſſet omni populo, ſumpto ſanguine uitulorum & hircorum cum aqua & lana coccina & *Matthæi 26.* hyſopo, ſimul & ipſum librum, & totum populum aſperſit, dicens, Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit uobis deus. Inſuper autem & tabernaculum & omnia uaſa miniſterij ſanguine cõſimiliter aſpergebat.

» Et omnia ferè ſecundum legem ſanguine purificantur, & abſq; ſangui-
» nis effuſione non fit remiſſio.

Quod iam monſtrarat humana ſimilitudine, id nunc firmat ſcripturarũ robore, ipſa etiam figura probans, quod Meſſiam mori & offerri oportuerit, quodq; teſtamentum citra ſanguinem abſolui non potuerit. Verba autem trãſcripſit ex Exodi cap. 24. & adeò aperta ſunt, ſi conferantur ſuperioribus ut noſtra non egeant expoſitione. Niſi illud monendum ſit, in eo quem iam citauimus Exodi loco, nullam fieri mentionem aquæ, hyſopi, & lanæ coccinæ, & tamen eadem in Sacris creberrimè ſacræ adhiberi luſtrationi. Cuius rei teſtimonia extãt Numeri 19. & Leuitici 14. Certè id in quo rei cardo uertitur ipſe Apoſtolus in hanc breuem collegit ſententiam, Et omnia ferè ſecundum legem, ſangui- *Animaduerte.* ne purificantur, & ABSQVE SANGVINIS effuſione NON fit REMISSIO. Poſt hæc enim redit & planiſſimis uerbis, attamen ad typum aptatis, exponit myſterium Chriſti, ut cœperat, docens unicum Chriſti ſacrificiũ uerum & perpetuum eſſe ſacrificium. Infert autem ad hunc modum.

Itaq; neceſſe eſt exẽplar ipſum cœleſte, hiſce rebus purificari, ipſa autem cœleſtia potioribus quàm hæ ſint, uictimis mundentur.

Exemplar uocat rem ipſam non typum uel umbram. Nam in 8. capite audiuimus, Moſaica ſacra à cœleſti exemplare & uiſione eſſe deformata. Veriora ergo eſſe cœleſtia. Mutabilia uero & umbratica tantum, Moſaica. Iam ergo Apoſtolus ſic colligit, Cum in typo omnia fuerint ſanguine purificata, non potuit iſte ritus aliunde quàm à cœleſti petitus eſſe exemplari: quocirca neceſſe eſt ut in ipſa etiã ueritate ſanguinis effuſione mundentur omnia. Eſt tamen hic differentia quædam. Nam quo auguſtiora & præſtantiora ſunt umbraticis uera, hoc oportebat præſtantioribus uictimis & puriore & nobiliore ſanguine uera mũdari. Atq; hinc iam ducit expoſitionem de Chriſto unico & æterno ſacrificio. Sequitur enim.

Non enim in manu facta Sancta ingreſſus eſt Chriſtus deformatio uerorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc in conſpectu dei pro nobis.

Quod ante digreſſiunculam cœperat, id nunc repetendo plenius abſoluit, Chriſtum cœlos ingreſſum eſſe, uerum templum, utpote uerum ſacerdotem, in hoc ut appareat nunc in conſpectu dei, id eſt ſacerdotis munere fungatur coram deo, non ut toties offeratur, quoties peccamus, cum idem ſemper maneat & cauſſam noſtrã coram deo agat ut clarius exponetur in conſequentibus. Obſeruabis hoc in loco ἀντίτυπον aliud eſſe q̃ fit ὑπόδειγμα, quanquam interpres utrobiq; uerterit exemplar. Nam ἀντίτυπον deformatio

matio dici potest, quam Heluetij uocamus *ein contrafactur oder abmachen*, quæ figuram & habitudinem alterius rei ac corporis exprimit: ut Panis & uinum in Cœna domini, ueri corporis & sanguinis repræsentant ueritatem. Cuius rei gratia ipsa Eucharistia à Basilio Magno appellata est ἀντίτυπα. Ideoq; Antitypon hypodigmatis est antitypon, ut similitudo aut simulachrum eius rei est simulachrum à qua deformatum est, & cuius similitudinem refert.

Non ut sæpius offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur in Sancta singulis annis per sanguinem alienum. Alioqui oportuisset illum sæpius passum fuisse à condito mundo.

Expositio est superiorum, Ingrediebatur in Sancta pontifex ideo ut sacrificaret non semel quidem, sed quotannis. Iam ne quis crederet Christum quoq; cœlos ingressum esse ut immolaret quotannis, subiungit Apostolus, Non ideo cœlum ingressus est ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτόν, ut SAEPIVS OFFERAT semetipsum. Causa. Alioqui oportuisset ipsum πολλάκις παθεῖν, SAEPIVS PATI ab origine mundi. Reuersio, Sed non nisi semel mortuus est, ergo non nisi semel oblatus est. Sequitur enim, Nunc autem semel sub consummationem sæculorum, ad profliganda peccata, &c. Ex istis uero liquet idem in hoc negotio posse mori & immolari. Clarissime enim dicit, Alioqui oportuisset illum sæpius passum esse à condito orbe. Nam nota est particula Alioqui, notũ est & Pauli consilium. Hisce enim uult reddere causam cur dominus non potuerit sæpius offerri, Quia nõ potuerit nisi semel mori. Sed & superius audiuimus, Vbicunq; testamentũ est, ibi etiam testatoris mors intercedat necesse est. Item, Sacrificia celebrari ad delictorũ expiationem. Rursus, Absq; sanguinis effusione non fieri ullam remissionem. Ex quibus nunc sponte sequitur illud sacrificium quod pro expiatione peccatorum fit immolandum, sine morte & sanguine esse non posse: commode itaq; & Paulum moriendi & sacrificãdi uerbo pro eodem usum esse. Huc facit & illud quod prioris sæculi mentionem facit. Nam si unicum Christi sacrificium, uel unica Christi mors, non omnia omnium electorum expiasset scelera, iam oportuisset Christum sæpius passum esse à condito orbe. Propterea quod ab electis dei, ab exordio mundi, sæpissime peccatum sit. Peccata autem non nisi morte & effuso sanguine expiari potuerint. Hinc enim nunc sequeretur, Christum sæpius mori & sanguinem fundere oportuisse.

Vide miram antitheſim.

Mori & offerri idem.

Nunc autem semel sub cõsummationem sæculorum, ad profligationem peccati, per immolationem suĩpsius apparuit.

Reditus est. Sic enim cœptam argumentationem continuat. Sed Christus non nisi semel mortuus est, ergo non nisi semel oblatus est, ergo & unica oblatione omnia totius mundi peccata expiauit: & proinde unicum tantũ & perpetuum sacrificium est Christi sacrificium. Mirum uero est quanta emphasi singula dicantur. Primo enim dicit, Nunc autem, nempe non ab exordio mundi, sed in fine mundi semel oblatus est. Deinde uero non dicit Ad profligenda peccata, sed Ad profligationẽ peccati, id est ad euacuationem non unius peccati, sed quicquid peccati nomine censeri potest. Tertio autem dicit istam immolationem non per alium esse factam, sed per ipsum dei filium. Nemo enim mortalium immolare potest dei filium. Nam in 7. audiuimus, Talis decebat ut esset nobis pontifex, &c. Quæ ergo Erasmus in hunc præsentem Pauli scripsit locum, adeò sunt propria & elegantia, ut necessitate quadam ascripserim. Talis (inquit) fuit Christus, ut satis fuerit semel immolare semetipsum, ac semel aspersione proprij sanguinis abolere peccata omnium sæculorum usq; ad finem mundi. Idq; factum est non ab initio mundi, sed instante fine, cum omnibus constaret omnia uitiata peccatis, nec ullum esse remedium nisi à deo, ut palàm esset quàm esset efficax sacerdos, qui unica uictima, tam immẽsum acerbum peccatorum expiaret: relicto parato facilicq; remedio, ut eadem hostia in annos innumeros satisfaceret omnibus qui sese non præberent indignos. Transtulit enim in se non solum eorum peccata, qui ante multos annos spem salutis in eo posuerant, uerumetiam eorum qui multis post sæculis crediturí essent eius euangelio. Hæc Erasmus.

Solum Christi sacrificium sanctis est.

Missa. Miror autem si quid habeant infelices Missaſtæ quod hiſce Pauli tam claris pro ſacrificio Missæ opponant. Nam quod Ioannes Apocal. 13. Chriſtum uocat agnum ab origine mũdi occiſum, his Paulinis adeò non reclamat, ut magis ſuccinat. Voluit enim Ioannes indicare unica Chriſti morte & uictima omnium ſanctorũ peccata ab exordio mundi eſſe purgata. Quod uero aiunt ſe myſtice & ſpiritualiter Chriſtum offerre, nemo eſt qui nunc non intelligat iſtud commentum, uerborum duntaxat niti præſtigijs. Nos uero ex hoc Pauli loco hæc duo Missatico opponimus ſacrificio. Primum. Chriſtus amplius non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Rom. 6. ergo à nemine amplius ſacrificatur. Conſequentia præſentibus probatur Pauli uerbis. Secundum. In omni eo ſacrificio quod peccata expiare debet, neceſſe eſt ſanguinem fundi & mortem intercedere. Probatur Pauli uerbis, Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Et, Vbicunq; teſtamentum eſt, ibi mors teſtatoris intercedat neceſſe eſt, &c. Sed in Missa neq; Chriſti ſanguis funditur, neq; ipſe Chriſtus moritur. Probatur authoritate Pauli ad Rom. 6. Hebr. 9. & quod ſanguis ſemel effuſus, amplius non effunditur, ſed ſatis eſt ad delenda omnia mundi peccata. Itaq; Missa non eſt ſacrificium pro peccato.

Et quatenus illud manet omnes homines, ut ſemel moriantur, poſt hoc autem iudicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ut multitudinis tolleret peccata, ſecundo autem abſq; peccato apparebit omnibus expectantibus ſe ad ſalutem.

Similitudine docet Chriſti ſacrificium unicum eſſe & perpetuum, ut poſthac non ſit ulli ulla alia expectãda uictima. Homo enim non niſi ſemel moritur. Et Chriſtus homo fuit, ergo non niſi ſemel mortuus eſt. Proinde & ſemel duntaxat immolatus eſt, Semel inquam: obſeruabis autem quoties iam illud SEMEL ingeminarit. Homines non morimur quotidie, itaq; & Chriſtus non immolatur quotidie. Et quemadmodum poſt mortem nobis nihil aliud reſtat niſi iudicium: ita poſt unicam Chriſti mortem non reſtabit ullum aliud ſacrificium ad iudicium uſq;. Siquidem non deſcendet ad nos quotidie, ſed ἐκδύτερος, id eſt ſecũdario, altera duntaxat uice, dum uenerit iudicare uiuos & mortuos.

Aduentus Chriſti.

Matth. 24. Aderunt quidem in poſtremis temporibus pſeudoprophetæ, qui, iuxta uaticiniũ Chriſti, dicent, Ecce hic, ecce illic eſt Chriſtus: ſed ſubdit, Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſq; in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Quaſi diceret, Iccirco nolim iſtis fidẽ à uobis dari, quod præſentia Chriſti non erit ita ut aiunt inuiſibilis & obſcura. Cum enim redierit, celer & clarus, fulguris in morẽ emicabit, &c. Duo enim ſunt aduentus Chriſti ſecundum carnem. Prior in carnem, quo peccata noſtra in ſe trãſtulit & expiauit: poſtea uero cœlos aſcendit, & carnem huic mundo ſubtraxit. Poſterior in iudicium, quo iam non expiabit peccata (quod Paulus ſchemate quodam dixit ſine peccato apparere) ſed iuſtus iudex puniet omnem iniquitatem: ſalutaris nihilominus futurus omnibus ijs qui ſibi uera fide crediderunt. Recte ergo quærit D. Chryſoſtomus, Quare multitudinis ſiue multorum & non omnium ſuſtulit peccata? quia non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus eſt quantum in ipſo eſt, non autem omnium peccata abſtulit, propterea quod noluerunt.

CAP. X. Nam lex umbra exiſtens futurorum bonorum, non ipſa rerum imago ijs hoſtijs quas ſingulis annis eaſdẽ continenter offerunt, nunquam poteſt accedentes perfectos reddere. Alioqui nónne deſijſſent offerri? propterea quod ij qui ſacrificaſſent & ſemel purgati eſſent, nullam iam habuiſſent conſcientiam peccatorum.

Aduerſus ueterum ſacrificia. Poſteaquam oſtendiſſet unicum Chriſti ſacrificium uerum eſſe & perpetuum, nunc illud etiam multis iſdemq; clariſſimis argumentis demonſtrat, quod & ſupra attigerat, Veterum ſacrificia prorſus fuiſſe inutilia. Nimirum ut inenarrabili illa ſedulitate ſua, ſa- ſacrificia, baptiſmata, & alia id genus typica ſacra, tam altis fixa in Hebræorum corda radicibus

radicibus euelleret: contra uero Christum penitus insereret pijs pectoribus. Idem ergo subinde inculcat. Nam copiosa tractatione eademq; perspicaci & firma adeoq; & superstitiosa apud Hebræos pertinacissimum genus mortalium opus erat. Sensus autem eorum quæ dicit hic est. Porrò quod legali fiditis sacrificio, stulte facitis. Nam lex umbra tantum fuit uerorum bonorum. Ipse autem Christus legis corpus & perfectio καὶ ἀγα θῶν σωρὸς καὶ θάλασσα est. Iam uero quis tam stultus, qui non malit sibi ipsam rem, quàm rei imaginẽ dari? Paulus enim αὐτὸν τὴν εἰκόνα posuit pro uero & expresso, quod ipsum per sese sit & in se rem ipsam exhibeat, non specie aliqua siue typo repræsentet. Cæterũ quod umbra fuerit lex, quodq; inutilia legis sacrificia, hinc patet quod ibi sacrificia prorsus cessant, ubi perficiunt, & peccata expiant. Nam in quem finem uictimam iteret, qui uictimam habeat, quæ semel oblata, semper satis sit ad expianda omnia peccata? Leuitica autem sacrificia non cessabant. Nam eadem quotannis & continenter, fineq; omni intermissione offerebantur: itaq; peccata non expiabant, & proinde non modo inefficacia, sed & inutilia fuerunt. D. Chrysostomus hæc omnia pulchra similitudine exponit & ait, Quid autem opus erat multis, dic mihi, una sufficiente? proinde quod multæ & semper offerebantur, ostendit eos nunquam purgari. Sicut enim medicamentum quando fuerit forte & salutis efficax & ualens cunctam ualetudinem repellere, semel impositum totum operatur. Si ergo semel impositũ totum operatum fuerit, ostendit suam uirtutem, ut non ulterius apponatur: & hoc est eius opus, ut iam non apponatur. Si uero semper apponitur, manifestum indicium est, nihil illud prævaluisse. Medicamenti quippe illa uirtus est ut semel imponatur, & non frequenter. Sic etiam hic. Hæc Chrysosto. „ „

Bonorum acerus & mare.

Vos autem hic appello Missastas, uos inquam qui Missam uenditatis pro sacrificio abluente peccata uiuorũ & mortuorum. Vos inquam appello. Dicite nobis, An Missa peracta purgaueritis eius peccata pro quo obtulistis? An non purgaueritis? Si non purgastis, inefficax & inutilis est Missa uestra, & impostura est hostia uestra. Si uero purgastis, quid obsecro non iam altera uice, sed quotannis ut Iudæi, imò centies iterumq; centies offertis pro mortuis? Quid depositionis diem, septimam, trigesimam, & cõtinenter deinceps anniuersariam multiplici celebratis uictima? Sed quotidie (inquiunt) peccamus, quotidie ergo sacrificamus. Id quod pro uiuis obijciũt: nã pro mortuis nihil prorsus habent quod dicant. Atqui ad istud etiam commentũ quod pro uiuis obijciunt, hoc respondit Apostolus, Vnicum esse Christi sacrificium, & ita unicum, ut semel duntaxat immolatũ, iterari non possit, neq; necessum sit. Vnicum enim & solum semper satis esse ad omnia ea peccata condonanda, quæ in hac uita à nobis committantur.

Brendly Murer.

Atqui in istis commemoratio fit peccatorum quotannis.

Occupatio est, Nam ne quis obijceret, Si inutilia sunt sacrificia, cur oro instituta? Respondet, In hoc instituta sunt, non ut peccata abluant, sed ut peccata refricent, eosq; peccati conuincãt qui sacrificant. Id q̃d & superius in 7. de institutione legis annotauimus. Chrysostomus, Proinde (inquit) cõstitutio sacrificiorũ accusatio peccatorum fuit, non solutio. Quia fiebat accusatio infirmitatis non uirtutis ostentio. In eo enim quod offerebantur, redargutio peccatorũ: in eo autem quod semper, redargutio fit infirmitatis, &c.

Cur sacrificatum apud ueteres.

Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.

Breuibus hæc abrumpit: quasi diceret, Quid uero multis? Peccatum animi non corporis uitium est: ergo peccatũ corporea re non tollitur. Corporea autem fuere ueterum sacrificia, itaq; ea non purgarunt animi peccata.

Ideo cum ingressurus esset mundum, dixit, Sacrificiũ & oblationem noluisti, Corpus autem aptasti mihi, holocaustomata & pro peccato non cõprobasti. Tunc dixi, Ecce adsum, in capite libri scriptum est de me, ut faciam deus uoluntatem tuam.

Prophetico testimonio nunc confirmat quod hactenus disputauit, Sacrificio Christi omnes ueterum uictimas esse abolitas. Christi autem hostiam unicã esse & perpetuam.

Scriptura.

Testimonium autem sumpsit ex Psalmo 39. finxitq; hæc Christum, iam mundum ingredientem loqui. Sciendum uero in Hebraica ueritate non legi, Corpus aptasti mihi, sed, Aures perforasti mihi. Et quamuis uerba sic dissonẽt, sensus tamen idem est. Apostolus enim uoce Corporis ita utitur ut umbræ opponitur, nempe pro ipsa re quæ adumbratur typo. Iam uero propheta Aures sic usurpat, ut fidei & obedientiæ instrumentũ sunt, adeoq; & per Metalepsim Aures pro ipsa posuit obedientia. Et aures seruorum in lege perforabantur terebello, affigebanturq; superliminari in argumentum quod dominis obedientiam deberent serui, Exod. 21. At obedientia Christi illud ipsum corpus, id est illa ipsa res est quam typi figurarunt. Noluit ergo Christus umbræ seruire, sed ipsum corpus suum per obedientiam in mortem crucis tradere. Deinde uero sciendum Caput libri positum esse pro summa & scopo legis. Est autem scopus & summa legis, deo subiici & uoluntati eius obtemperare.

Roma. 5.

Superius cum dicit, Sacrificium, & oblationem, & holocaustomata, & pro peccato noluisti, neq; comprobasti quæ iuxta legem offerũtur, tunc dixit, Ecce adsum, ut faciam deus uoluntatem tuam, tollit prius, ut posterius statuat, per quam uoluntatem sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi, semel peractam.

Differentiã horum legere est apud Grammaticos.

Nunc adaptat instituto suo quod citarat testimonium. Et de industria quidem omnis generis sacrificia, ueluti sufficienti enumeratione recenset, oblationes, hostias, holocaustomata & uictimas, quæ interim omnia nolit deus. Vnde necessario sequitur, omnia ueterum sacrificia prorsus esse abolita: sola autem innocenti hostia filij sui delectari deum. Et sanè Paulus uoluntatem posuit pro beneplacito. Etenim in Christo placatus est orbi pater, qui supra caput filij testificans, ista pronunciauit, Hic est filius meus dilectus, ὡ εὐδόκησα, in quo bene complacitum est. Placatus est itaque nobis pater per oblationem corporis Christi, ut nunc sanctificati, unica Christi cõtenti simus hostia. Vera itaq; sanctificatio non constat rebus humanis & externis, sed sola dei gratia, Ephe. 2. Et hactenus quidem de inefficacia uictimarum ueterum.

Epilogus.

Et omnis quidẽ sacerdos assistit quotidie sacra peragens, & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic uero una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dexteram dei, id quod superest expectans donec ponantur inimici eius scabellũ pedum ipsius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur.

Quod Christus æterna uictima sit.

Iam uero epilogum siue anacephalæosim omnium eorum contexit quæ hucusq; à 9. capitis initio de sacrificio disputauit: contexit autem eo prorsus dicendi modo & consilio, quo in 8. cap. caussam sacerdotij collegit. Epilogus uero ipse constat, ut superiora pleraq;, Contentione demonstratiua. Totum enim negotium summi pontificis & Christi quoad sacrificium, ueluti de nouo ob oculos reuocat, & Christũ sacerdotibus sic committit. Leuitici sacerdotes nedum ipse summus pontifex easdem quotidie immolabant hostias. Christus uero unicam semel duntaxat obtulit uictimã. Porrò illi easdem sæpius obtulere hostias, quod inefficaces subinde iterarentur, & tamen peccata non abluerent. Sed cum Christi uictima semel tantũ oblata, omnium omnia expurgarit peccata, perpetua facta est: ipseq; Christus ueluti de peccato, dæmone & inferno deuicto, omniq; re feliciter gesta, triumphãs cœlos ascendit: subiugaturus hostes, & pœnas posthac de omnibus ijs sumpturus, qui eius sacrificio absolutissimo non obedierunt. His subijcitur elegans & firma admodum προσφώνησις, VNICA ENIM OBLATIONE PERFECTOS EFFECIT IN PERPETVVM, EOS QVI SANCTIFICANTVR. Proinde omnes qui sanctificantur, sanctificati sunt, & in futuro, usq; ad iudicij diem, sanctificabuntur, unica illa (obserua VNICA) Christi hostia sanctificabuntur. Quid ergo

ergo alia opus hostia? Quis Leuitica post hac curauerit sacrificia? Aut quis iteret uictimam, quæ iterari nequeat? sed & sola & semel cæsa sufficiat ad expianda peccata, imò & amplius offerri cædiq; non possit? Istis autem prorsus conculcantur omnia merita, sacrificia, missæ, & placita hominum uniuersa. Contra uero solius statuitur Christi gloria, redemptio, iustitia, & sacrificium perpetuum.

Nemo autem existimet apostolum Paulum esse unum ac primum huius dogmatis authorem quod Christus semel duntaxat mortuus unica hostia omnia mundi peccata sustulerit. Tradidit hoc ipse apud Zachariam in 3. cap. dominus priusquam nasceretur Paulus aut in mundum ipse uenisset Christus. Verba domini si quis requirat hæc sunt, Audi nunc Iehosua sacerdos magne tu & socij tui qui sedent ante te, quia uiri portenti sunt. Quoniam ecce ego adduco seruum meum Germen, super lapidem unũ oculi septem. Ecce ego aperio apertionem eius dicit dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius IN DIE VNA, &c. Ex quibus proculdubio sumpsit Apostolus quæ in præsenti de unico Christi tradidit sacrificio. Appellat in uaticinio dominus summum præcipue pontificem, deinde uero sacerdotes cæteros quos nuncupat uiros portenti, id est portendẽtes. Nam sacerdotes Leuitici omnes typum prætulere Christi. His nunciat dominus consilium suum, nempe quod statuerit orbi dare Iesum sacerdotem uerum, quem protinus triplici insignit nomine. Seruum enim uocat, id quod Isaias ante ipsum factitauit cap. 42. & Matth. in 12. Exinaniuit enim semetipsum forma serui assumpta uenitq; in mundum non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret. Germen uero appellauit & Ieremias in cap. 23. & Isaias in 11. cap. Idem in cap. 28. nominauit lapidem. Id quod Dauid, Daniel, Petrus atq; Paulus fecere. Senserunt enim omnes Christi robur & firmitatem inexplicabilem. Super lapidem uero hunc ait unum oculi septem. Et septenarius numerus perfectionis numerus est. Vnus item, hoc est solus præponitur omnibus. Dicit ergo omnium cum hominum tum ætatum oculos in solum Christum ut unicum totius mundi saluatorem intentos esse. Cæterum ista salus per mortem & sanguinis parta est effusionem. Hinc dominus, Ego, inquit, aperio apertionem eius, id est, lapidi huic infligo plagas. Nam & Zacharias hic idem, Percutio ait pastorem. Et Isaias, Dominus ait fecit concurrere in eo omnium nostrum iniquitates. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, & contritus est propter scelera nostra. Refert item Ioannes è suspẽso in crucem exanimato corpore lanceaq; aperto promanasse sanguinem & aquam. Nam morte Christi uiuificati & sanguine eius à peccatis sumus mundati. Vnde & apud Zachariam dominus, Et auferam inquit iniquitatem terræ illius in die una. Non utiq; terræ Chananaicæ tantum, sed totius etiam mundi, dicente Baptista, Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Illud autem peccatum sublatum est uno die & unica hostia, quam & ipse dominus pronunciauit per omnia esse absolutam. Notissima est enim illa uox domini, Consummatum est. Habes quid spectarit Paulus & unde petierit uocalam VNICA hostia, sed & suum SEMEL. Aequipollent enim hæc duo, Semel oblatus est & peccata expiauit: &, In uno die, Vel unica hostia expiauit peccata. Huc nimirum pertinet q̃d Petrus quoq; in priore 3. cap. Christus inquit semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, ut nos adduceret deo. Iam uero ipse Paulus postquam repetijt solum Christi sacrificium esse perpetuum, etiam illud quod sacrificiorũ abrogationem attinet, sequentibus sic colligit.

Hoc firmat nobis etiam spiritus sanctus, nimirũ cum prædixit, Hoc est testamentum quod feriam cum illis, post dies illos, dicit dominus, dans leges in corde illorum, & in mentibus illorum inscribam eas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius. Porrò ubi horum est remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato.

Quemadmodum caussam de sacerdotio Christi collegit Ieremiæ testimonio, ut audiuimus in 8. Ita caussam sacrificij Christi eodem concludit testimonio: & nunc quidem comprobat ac colligit, quę de abrogato Leuitico sacrificio disputauit. Sed dispositio uer-

Quod per Christum omnes hostiæ antiquatæ.

borum Pauli hæc est, Vbi est plenaria peccatorũ remissio, ibi nulla supereſt oblatio pro peccato. Sed in Nouo testamento est plenaria peccatorum remissio. Ergo in Nouo testamento nulla restat oblatio pro peccato. Maior clarissima est. Quorsum enim opus est sacrificia adhibere pro diluendis peccatis, quæ iamiam unica Christi morte condonata sunt? Minor probatur testimonio Ieremiæ. Quid ergo restat? unicum & solum Christi sacrificiũ satis esse ad diluenda omnia delicta mundi. Cessasse itaq; omnia in orbe sacrificia: contra uero unicam Christi uictimam fide uenerandam omnium proponi fidelium mentibus.

De sacrificijs Christianorũ.

Ergóne (inquis) ita abolita sunt omnia sacrificia, ut nihil habeat Christianorum ecclesia quod deo offerat? Respondeo, duo quidem esse sacrificiorum genera, Alterum expiationis pro peccato, Alterum uero laudis, iustitiæ, & gratiarumactionis. Iam uero nullum prorsus restat expiationis & pro peccato sacrificium quod amplius offeratur in ecclesia. Nam unica Christi hostia una pro omnibus peccatis est, & semel oblata semper satis est, & de hac hostia hactenus disputauit Apostolus. At in 13. capite audiemus de spiritualibus quibusdam Christianorum hostijs, quæ gratitudinis iustitiæ & laudis hostiæ sunt, nempe quod benefecerit deus, quod peccata nostra per cruorem filij sui deleuerit: non quod per nostras oblationes nũc primum deleat. Sed de ijs dicemus in cap. 13. Hinc uero liquet quid etiam de Cœna domini sentiendum sit, non quod Pontificij sentiunt,

Quomodo dicatur Eucharistia sacrificiũ.

in ea à sacerdote offerri reale & naturale corpus Christi, ad expianda uiuorum & mortuorum peccata. Id enim ueritati & uirtuti mortis & hostiæ Christi, plus quàm πρὶς ἅπαξ πασῶν repugnat. Sed hoc de Cœna sentiendum est quod Christus sentire iussit, qui dixit, Hoc facite in mei commemorationem. Est itaq; Cœna sancta & fidelis commemoratio mortis & sacrificij Christi semel in cruce pro nobis oblati, qua & ea symbola sumimus quæ sumere iussit, & gratias agimus, quod sub peccatum uenditos redemit. Cæterum cum commemorationi id quoq; nominis cõmunicetur, quod illud re uera habet, cuius est commemoratio. Cœna autem commemoratio fit sacrificij Christi in cruce semel peracti, fit ut apud Veteres penè omnes sacrificij nomen tribuatur Cœnæ, ipsa itaq; Cœna dicatur esse Christianorum sacrificium, non ipsa re sed nominis communicatione. Est & alia caussa cur Cœna siue Eucharistia Veteribus dicta sit sacrificiũ. Cum enim

Gratiarũactio.

gratiarumactio & laus sit Christianorum sacrificium, Eucharistia autem nihil aliud sit, etiam si etymon spectes, quàm gratiarumactio: fit ut Eucharistia à ueteribus dicatur sacrificiũ: non eo nomine quod caro & sanguis (ut Pontificij uolunt) offeratur, sed quod cœtus, concordia, charitas, unio, oratio, laus, & gratiarumactio uerum sint Christianorum sacrificium. Atq; huius rei testes uocamus uetustos omnes, Irenæum in primis lib. aduersus hæres. 4. cap. 32. 33. & 34. Deinde uero Tertullianum aduersus Iudæos, & aduersus Martion. lib. 3. & 4. ubi in illud Malachiæ, Ab ortu solis usq; ad occasum offeretur sacrificium nomini meo, mundum: clarissime dicit, Gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni, simplex oratio de conscientia pura. Testem aduoco & D. Cæciliũ Cy

Orationes funebres apud Gentiles.

prianum Epist. lib. 2. epist. 3. Idem author 4. Epist. lib. epist. 5. Sacrificij pro mortuis ficmeminit, ut palàm constet, sacrificia illa aliud nihil fuisse quàm laudes mortuorum, & gratiarumactiones deo pro beneficijs exhibitis. Testamur & Augustinum ad Bonifacium epist. 23. & in lib. de Ciuitate dei 10. cap. 4. 5. & 6.

Missa.

Nec est ut hic cristas erigant Pontificij. Non enim paucorum est hæc oblatio, sed omnium in Christum credentium, Iudæorum & Gentium, uirorum & mulierũ, iuuenum atq; senum. Siquidem non succinemus uobis, Solis presbyteris quibus hoc conuenit, ut ipsi sumant & dent cæteris. Quin potius Paulo succinemus qui uniuersæ Corinthiorum ecclesiæ sic scripsit, Quotiescũq; comederitis panẽ hunc & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciabitis donec uenerit. Non quod ordinem & honestatem interturbari uelimus in ecclesia. Nam ipsum decorum & exemplum Christi postulat, iubetq; non modo ne pueri aut mulieres sacris ministrent, sed ut aliquis præfit actioni Cœnæ & symbola distribuat: quod equidem nemo iustius faciet q̃ minister uerbi unà cum diaconis & senioribus ecclesiæ uiris. Sed tot tantaq; omnibus ex æquo uiris & mulieribus impertiat

impertiat quantū ipſe ſumit. Nam quod ſacerdos pontificius duntaxat ſacrificet, & pro aliis ſacrificet omnibus, cæteri uero non ſacrificent participando ſacramentis, imò ne illa contingere quidem audeant, ea demum ſumma eſt impietas, impoſtura, temeritas atque ſchiſma eccleſiæ Chriſti indigniſſimū. Iſtud nos omnibus modis damnamus. Iſtud demum inter nos fieri nolumus. Itē quod ſacrificus pecunias de oblatione ſuſcipit, & pro mortuis ſacrificat, cæteri uero pecunias conferunt, & participādo ſacramentis, pro mortuis non immolant. Rurſus quod ſacrificus priuata ſacrataq; ueſte ornatus ueluti Leuiticus aliquis pontifex, in cœtum prodit, pro ſe quædā, eaq; peregrina lingua immurmurat, geſticulationibus ueluti ad Chorum ſaltitat, deniq; & characteribus omnia, incantatoris in morem, circumſcribit, ipſe quoq; utraq; cōmunicat ſpecie, cæteri uero nō item, id ſanè ſtolidum, puerile, ludicrum & impium eſt, nulla parte rei tam graui reſpondens. Nihil enim tale uideas in Cœna domini, nihil tale cernas ab apoſtolis eſſe traditum.

Reſtitutio Cœnæ domini.

Nos ergo qui apud Heluetios papiſticæ ualediximus Miſſæ, melius & diuinius quippiam & quod inſtitutioni Chriſti propius & traditioni apoſtolicæ conformius, imò ipſam domini inſtitutionem, in abrogatæ Miſſæ locum, ſubſtituimus. Nam initio quidem non quotidie, ſed certis ſtatutisq; diebus Euchariſtiæ ſacra celebramus. Quotidie autem in cœtum ad preces & audiendum uerbum dei conuenimus. Cæterum cum denunciatis diebus ad illa Euchariſtiæ ſacra congregamur, de quibus Chriſtus cum libertate quadam pronunciauit, Quotieſcunq; feceritis in mei memoriā facietis, ante omnia factis ad deum communibus uotis & precibus, ea qua quiſq; à deo donatus eſt gratia, tradimus Chriſtum pro nobis mortuum et oblatum eſſe. Eam oblationem unicā ſolam ad omnia mundi peccata expianda ſatis eſſe. Hic itaq; plebem in templo publico ſumma cum humilitate & attentione circumſtantem, prouocamus ad ſui & peccatorum agnitionem, prouocamus ad fidendum deo tam benigno, prouocamus item ad laudandum deum, & gratias agēdum liberationi per Chriſtum. Addimus ſacra ſymbola à Chriſto hoc nomine eſſe inſtituta. Ea non eſſe prophana ſigna, ſed ſacroſancta. Iſtis enim repræſentari uerum corpus & ſanguinem Chriſti, adeoq; ipſa fidei conſpectu corā cerni. Explicamus mortis & ſacrificij Chriſti uirtutem & mōdum, quomodo pro nobis fractus ſit, & ſanguinem pro nobis fuderit, quomodo item hæc præſentibus exprimantur ſymbolis, & poſtremo quomodo Chriſtus ſeſe nobis totū impenderit. Hortamur ergo accedant, accedant autem fide purgati & charitate innocentiaq; ornati, cōdonet itaq; quiſq; proximo ſuo delictum in ſe, atq; ſic coëant in unum corpus, ſpiritum & populum. Neminem enim ſeparamus, neminem reijcimus, niſi eum quem ſua in deum perfidia & incredulitas recedere & ſacra noſtra contemnere iuſſit. Iſtis uero ad hunc modum propublica concione peroratis, accedit miniſter uerbi primus, qui eccleſiæ paſtor eſt, diaconis concomitatus, honeſta, ſed uulgari ueſte indutus, ad menſam, quæ mundiſſimo lino tecta, caniſtris pane infermentato refertis, & poculis uino plenis, inſtructa adſtat. Porrō nullus hic auri ſplendor aut eboris luxus irradiat, omnia tenuia, ſed tamen munda. Fidē innocentiam & charitatem docemus eſſe uera religionis ornamenta. Auro autem non deum ornandum, ſed pauperibus ſubueniendum eſſe. Poſteaquam uero communicaturi omnes ſeſe in ſua prope domini menſam receperint loca, mox præmiſſa ad deum oratione, ea quæ nobis Germana lingua eſt, ſubiūgit diaconus caput Ioan. 6. quod clara uoce prælegit eccleſiæ, ut ex ipſis domini uerbis diſcant quid ſit carnem Chriſti uere edere, & ſanguinem eius uere bibere. Deinde uero interiecta cōmuni laude dei, prælegit alius diaconus caput 11. prioris ad Corinthios, ut ex ipſa domini inſtitutione populus intelligat quid à domino inſtitutum ſit in Cœna, & quare inſtitutū. Iſta uero ueluti προασπίσματα quadam præmittuntur. Poſt hæc iam propius aggredimur rem. Nam & articulos fidei noſtræ profitemur, & peccata noſtra deo confitemur, ipſum oramus ut noſtri miſertus, nos noſtrasq; preces ſuſcipiat, ſibi uniat, fidem augeat, innocētiam tribuat, & in uitæ ſanctimonia conſeruet. Hinc uero monet primus ille uerbi miniſter, ut quiſq; apud ſe hoc negotij probe expendat, nihil ex hypocriſi faciat aut indigne, hoc eſt, ſine fide accedat, ne corporis & ſanguinis domini reus fiat. Hic ergo omnes procūbunt in genua, & ora-

Hæc illa Cœna noſtra.

tionem dominicam, quiſq; apud ſe tacite, paſtore præeũte, maxima animi deuotione dicunt. Hac abſoluta accipit paſtor panem azymũ in manus, & ſpectante coramq; audiente Eccleſia, maxima grauitate & religione, ac uoce q̃ poteſt clariſſima, & diſtinctiſſima, recitat uerba Cœnæ domini. Deinde uero panem ijs, qui circum menſam aſtant miniſtris diſtribuit: qui cum ſumma ſuſcipiunt reuerentia, et mox in calathis ac patinis per totam circumferunt Eccleſiã, ſubſequentibus alijs cum poculis, quæ ſimili, ut panẽ, modo, tradidit primus uerbi miniſter diaconis, & ſenioribus ad hoc in Eccleſia deſtinatis uiris. At ipſe populus cibum potumq; ſacroſanctũ expectans, ipſe in manus ſumit quod traditur à miniſtris, editq; & proxime aſſidenti offert quiſq; partem eius quod accepit: itaq; omnes de uno pane & uno poculo participant. Interim uero dum ſic ſacra ſumunt myſteria, prælegit lector ſcripturæ colloquiũ cœnæ, quod Ioannes aliquot abſoluit capitibus, ordiens à pedum ablutione. Aliquouſq; autẽ legit, donec calathi, crateresq; redierint omnes. Tum enim tota in genua iterũ procumbit Eccleſia, & agit gratias deo pro morte filij & peccatorũ remiſſione: deinde uero ſe totã commendat deo. Sic inquam ſanctũ domini ſacrificiũ quod ſubſtantiam non ritus ſingulos attinet in Eccleſijs noſtris, qui ſumus Tiguri, Bernæ, Baſileæ, Sangalli, Schaffhuſij, Bielæ, Mylhuſij, & multis alijs in locis, nunquã ceſſat, ſacrificium inquam Chriſti perpetuũ, huius cõmemoratio, laus & gratia rũactio. Mentiuntur enim impudentiſſime, qui nos impietatis et prophanationis ſacramentorũ, omniumq; aliarum rerum ſacrarum accuſant. Nam prophanationem ſanctarum rerũ Miſſam, abrogauimus, ſed in locũ eius ſubſtituimus ſacroſanctã domini Cœnam. Quod firmiter credamus neminem poſſe meliorem uel deo gratiorem ritum inſtituere, quàm quem Chriſtus dei filius inſtituit, apoſtoli uero Eccleſiæ dei ceu per manus tradiderunt, eccleſia autem ab apoſtolorum tempore plus quàm quingentis annis ſyncerum ſeruauit. Quid autem noſtra retulerit, quid uiſum ſit Scholaſtico, Gregorio magno, Adriano, aliſq; Romanæ Eccleſiæ præſulibus? Non enim hominum diſcipuli ſumus, ſed Ieſu Chriſti filij dei, à quo & Chriſtiani cognominamur. Sed hæc per digreſſionem. Porrò cum ipſe Paulus cauſſam ſacrificij in breuem, ut uidimus, collegerit epilogum, non eſt ut actum agamus.

Sacrificiũ non ceſſat apud Chriſtianos.

Epilogus.

HISCE VERO abſoluimus & alteram huius Epiſtolę partem, in qua opes & theſaurum religionis Chriſtianæ aperuit Paulus, Sacerdotium uidelicet & Sacrificiũ Chriſti. Vnde iam didicimus in Chriſto omnem eſſe plenitudinẽ, ſapientiam, iuſtitiam, redemptionem, reſurrectionem & uitam, imò quicquid homini ad uitam uere beatam neceſſe eſt: ut nunc nihil amiſerit qui externũ illum cultum in mundo dimiſit, omnia uero poſſideat, qui Chriſtũ fide poſſideat, qui & in Euangelio dixit, Ego ſum panis uitæ: qui uenit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam. Prudentiſſime itaq; feceris, Chriſtiane Lector, ſi Euangelicum imitatus mercatorem, omnem tuam uendideris ſubſtantiã, atq; hunc theſaurũ emeris, quo ſolo felix eſſe poſſis. Verum audi, obſecro, ipſum quoq; Paulũ te huc maximo orationis robore trahentẽ. Huc enim pertinent ſequentia.

Ioan. 6.

TERTIA EPISTOLAE PARS.

Scopus.

QVæ enim ſupereſt pars tertia & ultima, in hoc tota eſt, ut Hebræis primum, deinde toti orbi perſuadeat, Chriſtum uerum deum & hominem, ſacerdotem & uictimam ſuſcipiant, huic ſe uni totos dedicent, ab hoc non deficiant, ſed per fidem in patientia omnia aduerſa uincant. Neq; enim ſatis eſt cognouiſſe Ieſum eſſe Meßiam, niſi uni ſoliq;, omnibus neglectis adhæreamus. Nam ſine tali fide impoſſibile eſt quenquam placere deo. Fides uero niſi patientiam & conſtantiam habeat, opinio eſt. Hinc fit, ut apoſtolus de his quoq; diſſerat, qui ſuperioribus ſic infert.

CVm itaq;, fratres, habeamus libertatem introeundi in ſancta per ſanguinẽ Ieſu, ea uia, quam dedicauit nobis recentem ac uiuentem, per uelamentum, hoc eſt, per carnem ſuam: cumq; habeamus ſacerdotem magnum, præfectum domui dei,

Longum

Longum est hyperbaton, uix enim post adscripta uerba, sequenti absoluitur sententia. Sensus tamen expositus est: id enim uoluit Paulus, Cum ergo per Christum, qui factus est nobis à deo mediator, sacerdos & sacrificium, uia ad cœlos aperta sit, age Christo fidamus, ut per eum cœlos ingredi liceat. Hæc omnium summa est: sed Paulus mira copia & per enumerationem quandam singula diducit expolitq; *Via ad cœlos uera.* Porrò cum dicit nos habere libertatem, copiam & facultatem ingrediendi ad Sancta, nimirum ad illud quod in 9. cap. audiuimus respexit, Priore adhuc cõsistente tabernaculo, nondum patefactam esse Sanctorum uiam. Præsentia itaq; illis opponere uoluit. Nam morte, sacrificio & sanguine Christi prius illud tabernaculum dirutum est, ergo & uia ad Sancta aperta est. Recens itaq; dicitur ac uiuens. Recens quidem respectu illius, quod pleriq; hactenus putarunt sacrificijs, ceremonijs & externis ritibus patere ad cœlos uiam. Viuens uero quod nunc per Christum filium dei uiui aditum ad uitam uere apertum esse credamus. Nam & in Euangelio ipse dixit dominus, Ego sum uia, ueritas & uita, Nemo uenit ad patrem nisi per me. Si uero hæc est illa recta, uera & certa ad cœlos uia, iam sponte sequitur neq; per monastica uota, neq; per sacrificia, neq; per ulla alia media perueniri ad regnum dei. Nam si alia patet aditus, sanè Christus uel frustra mortuus est, uel non solus uia est. Cæterum ipsam carnem Christi merito uocauit uelamentum, Susceptа enim in cœlos carne Christi, mox apparuerunt cœlestia. Vnde ipse etiam in Euãgelio dixerat, Expedit uobis ut ego uadam. Et Paulus, Etiamsi cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Sed de Sacerdotio Christi & Domo dei, quæ hic per repetitionem innouantur, satis dictum in superioribus.

accedamus cum uero corde, in certitudine fidei, cordibus à mala conscientia purgatis, abluti item corpore aqua munda, teneamus cõfessionem spei non uacillantem.

Hisce iam absoluitur hyperbaton, sed ipsa oratio prorsus est metaphorica. Nam animo accedimus deum, non pedibus. Animus autem debet esse syncerus & minime fucatus. Nihil enim perinde odit deus atq; hypocrisim. Nam ut deus uerus est, ita ueritatem amat. Certitudinem autem fidei posuit pro certa & persuasa fide, qua purgantur corda & conscientiæ hominum. Non equidem baptismatis uarijs, quibus se indies abluebant Hebræi, sed fide, quod & Petrus censuit in Act. cap. 15. Interim Paulus orationem sic uestiuit figuris, ut externis purificationem tribuisse uideatur, quibus tamen nihil tribuit. Externis enim penetrare uoluit ad interiora & Endiadi quadam de una fide loqui, quasi de uarijs lustrandi differat generibus. Interim nihil aliud dicere uoluit q̃ hoc, Si quis magnifecerit Iudaicos purgandi ritus, eosq; minime putarit deserẽdos, is sciat non elementis, sed fide purgari corda hominum. Fidem ergo si quis habeat, ueram purgationem habeat necesse est: ideoq; teneamus posthac confessionẽ spei non uacillantẽ, id est firmam, immobilem, & non huc atq; illuc nutantem: confessionem inquam spei, hoc est ueram illam religionem de Christo, qui est spes nostra, baptismus fidelium, & expiatio, 1. Pet. 3. *Fides. Ioan. 4. Ephse. 5. Titum 3.*

Fidelis enim est qui promisit.

Veritate dei, argumento ab authoritate ducto, monet ut deo per Christum fidant. Promptius autem ad ea rapimur quæ certa & indubitata esse scimus. Sed de ueritate dei dixi in sexto.

Et consideremus nos inuicem in hoc ut prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes congregationem nostri mutuam, sicuti mos est nonnullis, sed adhortantes inuicem.

Iam ueluti ex obliquo agit argumẽta. Nihil enim est quod fidei perinde aduersum sit atq; discordia & contentio. Vt ergo fidei robur adderet, ad charitatem etiam uocat. Charitas enim longanimis & benigna est, Charitas non est præfracta, inflata uel fastidiosa. Vbi ergo charitas, ibi spes est fore, ut fides subinde gliscat, quisq; item monentẽ audiat, ab errore resiliat, melioraq; tradenti obediat. Vbi uero charitas non est, ibi fastus, pro- *Concordia.*

teruia & pertinacia eſt, Vbi uero pertinacia, ibi diſſidiorum materia inexhauſta, ſectæ, de fectio & odium ueritatis: quibus omnibus illi maxime apud Hebræos flagrabant qui pa trijs addicti ceremonijs, eccleſiam unà cum euangelica ueritate malebãt deſerere, quàm quicquam à concepta opinione cedere. Talia prorſus hominum capita, qualia plurima habent infelicia noſtra tempora, quibus adeò ſordet uera pietas & germana ſimplicitas, ut centies malint omnia in eccleſia miſceri, quàm puræ ueritati gloriam dare. Porrò de charitatis operibus, quæ uere bona opera ſunt, qui plura uelit, legat priorem Pauli ad Corinthios, & illam præclaram Ioannis apoſtoli epiſtolam. Nos quædam in ſexto annotauimus.

Idq; hoc magis quod uidetis appropinquantem diem.

Argumentatur à tempore: ſicut ad Roma. 13. Tempeſtiuum eſt nos à ſomno expergiſci. Nunc enim propius eſt nobis ſalus, &c. Ita hoc loco, Quo propius (inquit) cernitis approperare fatalem horam, hoc promptius debebatis fide amplecti Chriſtũ. Vſurpat enim ſcriptura diem illum non modo pro extremo iudicio, ſed pro fatali cuiuſuis homi nis hora. Hæc uero hactenus ad omnes initiatos fide, fideles, firmiores & infirmiores.

Nam ſi uolentes peccauerimus poſt acceptam cognitionem ueritatis, nulla alia pro peccatis reſtat hoſtia, ſed formidabilis quædam expectatio iudicij, & zelus ignis qui deuorabit aduerſarios.

Nunc uero illis, de quibus modo cœperat, deſertoribus & transfugis Eccleſiæ minatur, ut & hos reuocet & in fide officioq; contineat. Ducit autem argumentum à ſuppli-
Volũtarie peccare. cijs, eaq; omnibus amplificat modis. Interea uero ſciendum eos uoluntarie peccare, qui non ex infirmitate quadam peccant, carnisue ſuccunbunt cupiditatibus, ſed qui deſtinata malitia ueritatem in mendacio detinent: nempe qui probe norunt, quod nulla alia in orbe poſſit eſſe hoſtia pro peccatis quàm unica Chriſti, interim uero ſe iſti unicæ adeò non committunt, ut magis aſpernentur, itaq; in contemptu dei impie uiuẽdo pergunt. Iam uero cum non ſit alia, niſi una pro peccatis hoſtia: illi autem hanc unicam contemnant, certè aliam non inueniẽt ullam. Petrus enim roganti domino an & ipſe unà cum
Ioan. 6. cæteris à ſe deficere uelit, reſpõdit, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quod tu es Chriſtus filius dei uiui. Talibus ergo contemptoribus nihil aliud reſtat quàm formidabilis expectatio iudicij, id eſt uindictæ & damnationis, quæ eſt ignis, & uehemẽs & perpetua in impios ſæuitia. De qua & in prophetis & in Paulo 2. Theſſalon. 1. Hic ſanè igni per proſopopœiam tribuit zelum. Proſopopœia autem inanimatæ rei tribuit quod re uera ſenſatæ erat.

Qui uiolarit legem Moſi, abſq; miſericordia ſub duobus aut tribus moritur teſtibus: quanto putatis peioribus afficietur ſupplicijs qui filium dei conculcarit, & ſanguinem teſtamenti ceu prophanum habuerit, per quem fuerat ſanctificatus, & ſpiritum gratiæ contumelia affecerit?

Comparatione, quæ amplificandi ratio eſt, effert mulctam contemptorum Chriſti,
Deute. 17. hoc eſt uoluntarie peccantium, ac dicit, Si abſq; ulla miſeratione plectitur is qui uiolatæ legis iuſto ſtatutoq; conuincitur teſtimonio: quibus oro ſupplicijs dignus is eſſe cenſebitur, qui non Moſen aliquem, ſed ipſum dei filium conculcarit? Atq; hic denuo utitur ea hyperocha, qua uſus eſt etiam in cap. 6. Quæ enim conculcamus ea nullius momenti eſſe ducimus. Conculcant itaq; Chriſtum qui non in delicijs & inter ſuprema bona, pretium redemptionis habent: qui ſanguinem Chriſti effuſum non ſecus æſtimant, quàm ſi prophanus ſit, hoc eſt nullius priuatæ & ſingularis potentiæ ſit, nihilq; diſtet à communi uictimarum ſanguine, qui ſæpius effuſus ne tum quidem efficit quicquam. Aliud enim ſacratiusq; de morte Chriſti ſentiendum, nempe quod ſemel facta, ſemper ſatis ſit ad diluenda omnia hominum peccata. Sanctificatus autem dixit, pro ſanctificandus

candus κατ' ἐπέρασιν. Porrò Spiritus gratiæ, eſt uis diuinæ bonitatis, quæ ſe in Chriſto fidelium maximo bono, infidelium autem maximo detrimento, exeruit. Eſt enim illis in reſurrectionem, his uero in ruinam. Quo enim ſtrenuius omnis gloria uni Chriſto tribuenda prædicatione Euangelica traditur: hoc impudentius irritatioriq; mente illi redemptionis uim conuitijs inceſſunt, ſuasq; ceremonias ſtatuunt.

Nouimus enim eum qui dixit, Meum eſt ulciſci, ego rependam, dicit dominus. Et iterum, Dominus iudicabit populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus dei uiuentis.

Duplici ſententia, ex ſcripturis petita, oſtēdit quanta iſtos maneant ſupplicia, qui & ipſum Chriſtum contemnunt, & Chriſti ſtudioſos, ueritatis gratia perſequuntur. Producit autem iſtas terrifica præmunitione, ac dicit, Nouimus eum qui dixit: quod locutionis genus id prorſus pollet, quod Germanis, *wir ſöltend dennocht nun dalyme den kennen*: cum de eo loquuntur, qui aliquot uindictis ac facinoribus nomen ſuum orbi terrificum fecit. Vtraq; autem petita eſt ex Deut. 32. cap. Sed in poſteriore poſuit Iudicare pro Vindicare. Et utranq; pulcherrimo abſoluit Epiphonemate, Horrendum uidelicet eſſe incidere in manus ac uindictam dei. Nam uere admodum dicit Chryſoſtomus, Etiamſi hoſtes dei nunc quidem non recipiant pœnam, poſtea tamen recepturos: cum deus ſemper uiuat. Pios ergo in manus duntaxat hominum incidere, impios uero in manus dei. Vide Matthæum in 10. *Vindicta.*

Hic uero memores eſtote ſuperiorum dierum, in quibus illuminati ingens certamen ſuſtinuiſtis afflictionum: partim quidem, dum & probris & preſſuris affecti ſpectaculo fuiſtis omnibus: partim dum conſortes ita conuerſantium facti eſtis.

Hactenus contemptores à perfidia, pœnis & ſupplicijs deterruit: ſed & eos ad fidem uocauit, qui in biuio conſtituti, deliberabant Chriſtine an Moſis ſequerentur caſtra, hoc eſt, Chriſtúmne unicam reciperent hoſtiam, an Læuiticis hærere pergerent: nunc uero apoſtropha quadam conuertitur ad fideles, qui ſeſe totos Chriſto dedicarant domino, reliquis omnibus longo interuallo poſt tergū relictis, cuius rei gratia mire tum quidem ab impijs torquebantur. Hos autem hortatur, ut in fide perſiſtant per patientiam. Et ita ab Anteactis hortatur, ut Vergilianus Aeneas adflictos alloquebatur ſocios: *Afflictio.*

O ſocij, neq; enim ignari ſumus ante malorum,
O paſſi grauiora, dabit deus his quoq; finem.

Ita Paulus quoq; cenſet eam, quæ breuis ſuperſit, moleſtiam, nūc quoq; eſſe uorandam, cum tot tantaq; hactenus ſuperarint pericula. Ea autē in genere primo proponit, & Macrologia quadam Hebraica dicit, Ingens certamen ſuſtinuiſtis afflictionum, id eſt, multa perpeſſi eſtis mala. Deinde uero ea mala partitione quadam recenſet, Siquidē partim gratuita, quædam in proprio (inquit) perpeſſi eſtis corpore, nempe, maledictis & conuitijs ad obruti, & uarijs preſſuris adflicti, adeò ut & ſpectaculo fueritis omnibus. Fiunt autē ſpectaculum, qui in theatrum forumq; ceu facinoroſi capiteq; plectendi producūtur: itaq; ludibrium & fabula uulgi fiunt. Partim uero ſenſu alieni mali afflicti eſtis. Nam conſortes facti eſtis eorum, qui propter Chriſtum affliguntur. Solet autem ſenſus alieni mali nonnunquam pios uehementius excruciare, quàm domeſtici infortunij dolor. Iam ſequitur præcedentium expoſitio ſiue expolitio.

Siquidem & afflictionum, quæ ex uinculis meis contigerunt, participes fuiſtis:

Hoc enim exponit poſterius proximiúsue partitionis membrū. Et de uinculis quidem Pauli plura in poſtremis Actuū capitibus, in Epiſt. item ad Ephe. Philip. & poſt. ad Tim. Non poterant autem inter Hebræos compati Paulo, niſi religioſiſſimi quiq;.

& direptionem facultatum ueſtrarū cum gaudio accepiſtis: ſcientes

uos habere in uobis potiorem ſubſtantiam in cœlis ac manentem.

Direptio facultatum.

Hiſce uero exponit prius illud membrum quo audiuimus Hebræos non modo probris, ſed preſſuris etiam eſſe affectos: nunc enim exponit quæ nam illæ fuerint preſſuræ, nempe Direptio facultatum. Quibus & illud cõſolationis gratia adiecit, Scientes uos habere meliorem & permanentiorem in cœleſtibus theſaurum. De quo etiam Chriſtus Matth. 6. Nullam ergo iacturã fecit, qui amiſſione temporalium, æterna acquiſiuit. Ad lucem horum plurimum ea faciunt, quæ idem Apoſtolus de hac eadem perſecutione ad Theſſal. hiſce uerbis ſcripſit, Vos fratres, imitatores facti eſtis eccleſiarum dei quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu, quod eadem paſſi fitis & uos à proprijs cõtribulibus, quemadmodum & ipſi nos à Iudæis: qui ut & dominum occiderunt Ieſum & proprios prophetas, ita & nos perſecuti ſunt, & deo nõ placent, & omnibus hominibus aduerſantur, &c. 1. Theſſal. 2. Hæc autem omnia ſtudioſiſſime uobis commẽdo fratres chariſſimi, qui per Germaniam & Gallias impiorum tyrannide oppreſſi, conuitijs adobruti, & patrijs tandem ſedibus pulſi, hoc tantum nomine patimini, quod unico Chriſti ſacerdotio & ſacrificio nitimini, Miſſam uero, idola, diuorum cultum, & Papiſticam religionem abnegaſtis. Vobis inquam uolo hæc Paulina eſſe commendatiſſima. Vobis illud idem ingemino quod Paulus Hebræis ſuis,

Ne abieceritis igitur fiducian ueſtram, quæ magnam habet præmij retributionem.

Iſtis enim nunc abſoluitur ſenſus, & explicatur quorſum hæc pertineant quæ de afflictione dixit, nempe ut in fide perſtent, & omnia reliqua aduerſa fide frangere pergant, quandoquidem tantum malorum agmen irruperint. Pergant autem παῤῥησίαν, hoc eſt, libertate credendi, dicendi & agẽdi. Eſt enim fides Chriſtiana παῤῥησία quædam, admodum læta, alacris & libera. Addit calcar, Nam hæc habet magnam præmij recompenſationem. Nam & ipſe Chriſtus Matth. 5. Beati eſtis (inquit) cum inſectati uos fuerint homines, & dixerint omne malum aduerſus uos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis. Et apud Marcum in 8. Quiſquis perdiderit animam ſuam (ait) cauſſa mea & euangelij, hic ſeruabit eam. Similia inuenias & in 20. cap. & apud Ioan. in 12. & 16.

Nam patientia uobis eſt opus, ut ubi uoluntatem dei peregeritis, reportetis promiſſionem.

Subſidium fidei eſt Patientia: de qua apud Lucam dominus, Per patientiam ueſtram poſſidete animas ueſtras. Et alibi legimus, Nemini confertur corona niſi legitime certauerit. Sed de his copioſius in 12. cap.

Adhuc enim perpuſillũ temporis, & qui uenturus eſt ueniet, & non tardabit. Iuſtus autem fide uiuet: & ſi ſe ſubduxerit non probabitur animo meo.

Quæ dixerat de fide & patientia, nunc confirmat prophetico teſtimonio quod ſumpſit ex Abacuk cap. 2. Eſt autem ſenſus, Aliquouſq; durandũ eſſe in aduerſitatibus. Breui enim certoq; affuturum redemptorem: interea uero fide præſtolandum eſſe: fidem enim uitam eſſe fidelium, uictoriam mundi, & unicum animæ in aduerſis remedium. A qua ſi qui per deſperationem in cruce defecerint, eos demũ prorſus diſplicere deo. Nam ſine fide impoſſibile eſt quenquam placere deo.

At nos nõ ſumus qui ſubducamus nos in perditionem, ſed ad fidem pertinemus in acquiſitionem animæ.

Mitigatio eſt ſuperiorum. Verum abſit (ait) ut nos ab ea fide deficiamus quam didicimus ueram eſſe & ſalutiferam. Atq; hinc iam progreditur ad fidei præconium.

CAP. XI. Eſt autem fides ſperandarum rerum ſubſtantia: argumẽtum eorum quæ non uidentur.

Principio

Principio autem docet quid sit fides, quanta uirtus fidei, quod fide omnes ab exordio mundi Sancti patres deum coluerint, eaq; deo placuerint, mundum item fide uicerint, fide quoq; iustificati sint. Fidem ergo uerum esse cultum, ueram religionem & iusticiam. Id quod infinitis demonstrat exemplis, à primo homine iusto, usq; ad ipsa penè tempora Christi, repetitis. Quibus interim omnibus hæc duo maxime uidetur spectasse. Primum, Quandoquidem summa religionis Christianæ in unicam (ut audiuimus) fidem innitebatur, istis nimirum uoluit uirtutem fidei commendatiorẽ facere, eosq; ad fidem maiorũ exemplis trahere, quos hactenus rationibus euincere nõ potuit. Secundũ, Cum Christiani fidei nomine multis afficerẽtur malis, ipsos haud dubie præsentibus cõfirmare uoluit, ut intrepide in eo pergerent itinere per fidem & patientiã, quo uideant omnes ab exordio mundi sanctos ad cœlestia contendisse. Huc enim post multã tandem expositionem defertur, ut in 12. cap. inferat, Proinde nos quoq; cum tanta, &c. Potuit & illud spectasse Paulus, quod Hebræi pro ceremoniis suis (ut & nostri) subinde allegabant patres & fidem ueterem: quorũ opinionem stultam & falsam hisce uoluerit confutare, edi uerso aũt euangelicam fidem, quã illi ceu nouam aspernabãtur, exemplis fideq; patrum propugnare. Vt idem penè argumẽti hic tractarit Paulus, quod Stephanus in Actis, qui satis prolixa oratione Iudæis exempla cum fidei tum ceremoniarũ proponit: quibus probat quod fides ante latam legem, & à lege promulgata, non ceremoniæ, à deo præcepta quæsitaq; sit. Est autẽ ea oratio Stephani admodum elegans, ardens prorsusq; absoluta. Id quod satis subiuncta conuincit catastrophe, Duri ceruice & incircum. &c. Hæcaũt hactenus per exemplũ de consilio Apostoli: nunc de eo commentabimur quid sit fides.

Scopus præsentium.

Oratio Stephani Act. 7.

Fides (inquit) est substantia rerum sperandarum. Quo quid poterat dici breuius? quid argutius & exactius? Essentialis enim finitio est, constans (si illud forsan quis requirat) genere & differentia. Substantia enim genus est, Res sperandæ, differentia. Quod autem protinus sequitur, Argumentum eorum quæ non uidentur, per interpretationem subiicitur, Substantia uidelicet significari argumẽtum: & sperandas res, res esse inuisibiles. De quibus nos figillatim ista Lectori proponimus expendẽda. Fides (inquit) est ὑπόστασις, id est substantia. ὑπόστασιν enim dixit substistentiam, certitudinem, & id cui tuto innitimur & infallibiliter fulcimur. Sunt qui expectationem exposuerunt. Heluetij certè diceremus, *der gloub ist ein sicher, gwüß, bständig vnd wäsenlich vertruwen.* Nunc eñ per interpretationem sequitur, Fides est argumentum, ἔλεγχος enim argumentum est. Non equidem tale quale finiuit Fabius, Argumentũ esse rem quæ alterius probationi adhibeatur: sed argumentum certum indicium est, experimentum & cognitio certa, & adeò certa, ut de cogniti natura nihil prorsus dubitemus, quippe ipsa ueritate sic conuicti, ut nihil superfit quod impediat, *ein eygẽlichs wüssen vnd gruntlichs ergryffen.* ἐλέγχειν enim est cõuincere, & caussam aliquã sic protrahere, ut reo nihil superfit quo se tueatur. Sic enim ipse Christus hoc uerbo usus est, de spiritu sancto in Euangelio loquens, ἐλέγξει τὸν κόσμον, quod Latinus uertit Arguet mundum, hoc est protrahet in lucem & euincet. Et in 8. cap. Ioan. de semetipso dicit Christus, τίς ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; Quis ex uobis conuincet me peccati errorisue? Et Paulus ad Titum, Oportet (inquit) episcopum ita eruditũ esse, ut possit τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, id est contradicẽtes conuincere. Rectissime ergo Chrysostomi interpres, quod nos argumentum, ipse conuictionem uertit. Ipseq; Chrysostomus cõmode, O quàm mirabili (inquit) uerbo usus est, dicens, Conuictio eorum quæ non uidentur. Conuictio enim est in rebus admodum manifestis. Fides igitur uisio est non apparentium: cæterum ad eam satisfactionem ducit, ad quam inducunt ea quæ coram uidentur. Hæc ille. Est itaq; fides non uulgaris quædam cognitio, qua expositioni aut argumentationi alicui fidem damus credimusq;: sed substantialis quædã fiducia & cognitio est, hoc est firma, certa, persuasa & indubitata, cui innitimur & tuto fulcimur, quæ & uitalis & salutaris est. Istis autem excludimus omnem credulitatẽ & opinionem, ut hic non nisi constantissima & compertissima diuinaq; sint omnia, quorum ui etiam uiuemus & conseruabimur. Huc enim pertinent iam ea quæ diximus de Ancora in capite 6, & quæ audiuimus in 10, de confessione spei non uacillante: & quod ibidem dixit,

Quid sit fides.

überzügen.

Accedamus ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, id est in certitudine fidei, hoc est per indubitatã fidem. Nam πληροφορῶμαι est pleniſſime & compertiſſime rem ſcire: unde πληροφορία mentis dicitur certitudo & indubitata perſuaſio, puta cum tam certis argumentis fides facta eſt, ut nihil amplius deſideremus. Verum in ipſo nunc Paulo audiemus qualis ſit ea animi certitudo, & cui innitatur. Sequitur enim, Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. Igitur fides non eſt quarumuis rerum, ſed ſperandarum. Videndum ergo quid intellexerit per res ſperandas. Vtiq; inuiſibiles. Nam poſteriori membro mox per interpretationem ſequitur, Fides eſt argumentum eorum quæ non uidentur. Sed hoc æque obſcurum eſt atq; illud. Nam ſi fides omniũ earum rerum eſt quæ non uidentur, iam ex quolibet fiet quodlibet: ipſeq; lapidem præbebo & aurum me præbuiſſe aſſeram. Id ſi negaueris probabo, Credas oportet, & aurum erit. Nam etſi coram lapidis cernas ſpeciem, fidei tamen uirtute aurum latitat, ut nũc lapis aurum ſit, Fides enim eſt rerum inuiſibilium. Atquis tam ſtupidus, qui ſtropham nõ ſentiat? Aliud itaq; intellexit Paulus, nimirum per inuiſibilia, periphraſi quadam ſignificans, æterna & diuina, adeoq; ipſum deum qui eſt inuiſibilis, uerus, bonus, ſapiens, omnipotens, & Schaddai, in quo res noſtræ conſiſtunt, & in quo omnis fortuna, expectatio & ſpes noſtra ſita eſt. Nam in hoc ipſo cap. mox ſequetur, Per fidem reliquit Moſes Aegyptum, nihil ueritus ferociã regis. Perinde enim quaſi uidiſſet eum qui eſt inuiſibilis, ita obdurauit. En habes in hoc clariſſimũ exemplũ quid ſit fides, & quæ illa inuiſibilia. Itẽ ad Rom. 1. Illud (inquit) quod de deo cognoſci poteſt Gentibus manifeſtauit deus. Siquidem inuiſibilia illius, IPSA inquã æterna eius potentia & diuinitas, cum ex creatione mundi, tum ex actis operibũsue eius intelligũtur. Proinde illa inuiſibilia in quæ innititur fides æterna ſunt, adeoq; ipſe deus eſt qui fidei obiectum eſt. Nam fides uera in nullam rem uiſibilem & corpoream innititur, ſed in unicum deum qui eſt ſpes noſtra, 1. Tim. 1. Hebr. 6. qui bonorum copię cornu eſt, ſalus & uita fidelium. Rectiſſime ergo dixit Paulus fidem nõ eſſe aſſenſum aut credulitatem quarũuis rerum, ſed ſubſtantiam rerum ſperandarum & inuiſibilium. Nam ad Rom. 8. adhuc clarius dicit Apoſtolus, Spe ſeruati ſumus. Porrò ſi ſpes uideatur non eſt ſpes, Quod enim quis cernit, cur idem ſperet? Quæ ergò ſperantur non ſunt præſentia, ſed futura & æterna. Apoſtolus enim Videre pro ipſo ſenſu poſuit, quo ſenſibus corporeis corporaliter rem experimur. Et Spem in ſecundo membro pro ipſa re poſuit quæ ſperatur: ut ſit ſenſus, Certa quidẽ ſalus eſt quæ per Chriſtũ parta eſt, ſed ſpe nobis in hac uita expectanda. Si enim id iam adeſſet quod ſperamus, quomodo rem præſentem ſperare expectareue poſſemus? Spes itaq; eſt expectatio uitæ melioris & futuræ. Et proinde Res ſperãdæ hoc quoq; loco ſpirituales ſunt æternæ & futuræ. Vt nunc ipſa fides nõ nitatur rebus uiſibilibus & corporeis, ſed inuiſibilibus & futuris, æternis ac diuinis, hoc eſt ipſi deo omniũ bonorum theſauro abſolutiſſimo, qui nullis corporalibus percipitur ſenſibus: ſed ſolo ſpiritu, ſolaq; mente & anima. Ex quibus etiam diſcimus cur Chriſtus ſubinde dixerit apud Ioannem, Qui credit in me, nõ credit in me, ſed in eum qui miſit me. Nam pura caro Chriſti non eſt obiectum fidei noſtræ: ſed gratiæ pignus, & declaratio diuinæ bonitatis & iuſtitię. Ipſe uero Chriſtus quatenus unus eſt cum patre deus uerus, ſalus noſtra & fidei noſtræ obiectum eſt. Vt nunc in Ieſum Chriſtum, nõ ut hominem purũ, ſed etiam deum uerum credamus, qui carnem humanã ſibi propter redemptionis expiationisq; diſpenſationem inſeparabiliter copulauit: adeò ut niſi uerus deus & homo eſſet, ſalus & redemptio noſtra eſſe nõ poſſet. Niſi enim deus fuiſſet, neq; ſaluare neq; fidei obiectum eſſe potuiſſet. Niſi uero homo fuiſſet, nihil habuiſſet quod pro ſatisfactione peccatorũ noſtrorum offerre potuiſſet. Iſtis deniq; illorum dogma diſſoluitur, qui huius Fidei finitionis falſa intelligentia deluſi, docent, Verum & naturale corpus Chriſti fidei uirtute, carnaliter & corporaliter & tamen ineffabiliter in pane manducari. Sed hæc obiter.

Fides eſt rerum ſperandarũ & inuiſibilium.

Obiectũ fidei.

Fides in Chriſtum.

Cæterum cum iſta ſic habeant, cõſequitur hunc eſſe huius finitionis genuinum ſenſum, Fides eſt conſtãtiſſima mentis certitudo, quæ in eas res innititur, in quas omis ſpes noſtra dirigitur: nempe certiſſima cognitio rerũ inuiſibilium & æternarũ, id eſt ſalutaris expectatio deprehenſioq; ſalutis & uere beati dei, qui omnis boni fons inexhauſtus eſt.

Vide.

Talis

Talis autem fides non est ex carne & sanguine, sed ex solo deo qui spiritu suo sancto & uerbo scripturæ diuinæ, nostras transformat et illuminat mentes, ut prorsus diuina quadam metamorphosi transformati, aliq; prorsus homines simus, toti nũc ab hoc uno deo pendeamus, omnia ab hoc uno petamus, unicum colamus, omnia præ eo contemnamus: breuiter, hæc fides facit, ut totos nos ad dei tam sancti, iusti & boni uoluntatẽ componamus, nusquam ab eo deficiamus. Nam Paulus, In omnibus (inquit) superamus per eum qui dilexit nos. Certus enim sum quod neq; mors, neq; uita, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione dei quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hæc ergo illa uera sanctorũ hominũ dei fides est, de qua plurima nunc producet exempla: quibus tamen duo quædam præmittit. Primum.

Per hanc enim testimonium meruerunt Veteres.

Hæc ueluti summa omnium est. Hac fide (ait) placuerunt ueteres sancti deo. Nam testimonium mereri, posuit pro placere & probari deo. Fide ergo seruierunt deo, fide coram deo iustificati sunt, & proinde in fide constitit uera religio. Secundum. *Fides uera religio.*

Fide intelligimus condita esse sæcula uerbo dei, & quod ex non apparentibus ea facta sint, quæ nunc uidemus.

Multo quidem labore (ut in Placitis Plutarchi, Aristotele de Cœlo & mundo, Plinio quoq; & Cœlio uidere est) indagarunt Philosophi rerum principia, & an mundus finitus sit an infinitus, plurésne an unus sit mundus. At tanta est fidei uis & dignitas, ut una perfectissime tradat, quod illi, omni aliâs instructi sapientia, assequi non potuerunt, unũ uidelicet deum authorem esse istorum omnium, qui ineffabili suo uerbo uirtute & potentia ex nihilo condiderit uniuersa quæ nunc quidem uidemus, inuisibilia etiam angelos & spiritus. Fides enim tam magnifice de deo sentit, ut hæc parua illi sint, quæ Moses tradidit de creatione mundi. Ex quibus liquet Fidem ueram esse sapientiam. Iam sequuntur exempla quæ perstringemus tantum. *Fides uera sapientia.*

Per fidem uberiorem hostiam Abel obtulit deo ꝙ̃ Caim, per quam testimonium meruit quod esset iustus, testimonium perhibente de donarijs illius deo, & per hanc mortuus adhuc loquitur. *Abel.*

Hoc exemplo discimus uerum dei cultum non constare externis, hostijs, donarijs & ceremonijs, sed solida & syncera fide. Nam si externa respicias, Caim non minus obtulit hostiam deo quàm Abel. Sed Caim fidem nõ habebat, itaq; illud quod offerebat, ingratum erat deo. Nam quicquid non est ex fide peccatum est. Fide ergo cõstat uera religio. Fide iustificatus est Abel, & non sacrificio. Per fidem enim (ait Apostolus) testimonium meruit quod esset iustus. Siquidem opera non iustificant, fides tantum iustificat. Operibus tamen per communicationem nonnunquam tribuitur, quod re uera fidei erat: nihilominus sola fides est iustitia: quanquam fides sine operibus mortua sit. Nam & hic uidemus deum testimoniũ perhibere de donarijs Abel. Quod autem sequitur, Et per hanc mortuus adhuc loquitur: ijs insignem fidei uim describit, Fide uidelicet parari immortalitatem. Dixit enim, Adhuc loquitur: pro eo quod est, Adhuc uiuit, secũdum animam proculdubio: nam corpus iam olim computruerat. Etenim omnes sancti dei martyres, qui ueritatis nomine cæsi sunt, apud deum uiuunt. Moriũtur quidem carne, sed uiuunt apud deum spiritu. Huc uero pertinet illud Christi, Qui perdiderit animã suam, in æterna uita inueniet eam. Et illud, Amen amen dico uobis, qui sermonẽ meum audit, & credit in eum qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed trãsiuit de morte ad uitam. Historiam Abel lege Gene. 4.

Per fidem Enoch fuit translatus ne uideret mortem, nec fuit inuentus, propterea quod transtulerat eum deus. *Enoch.*

Superiori exemplo docuit Fide parari animæ immortalitatẽ, hoc autem demonstrat Fide constare etiam corporum resurrectionem. Totus enim Enoch anima & corpore

ſublatus eſt, totus itaq; ſeruatus eſt. Hiſtoriam lege Geneſeos 5.

Priuſquam enim transferretur teſtimonium meruerat quod placuiſſet deo. Atqui ſine fide fieri non poteſt, ut quiſquam illi placeat.

Ne quis putaret tanta aliunde contigiſſe Enoch quàm per fidē, probat fide ſublatum eſſe Enoch. Probatio autem conſtat hoc ſyllogiſmo, Quicunq; deo placent, fide placēt. Sine fide enim impoſſibile eſt quenquam placere deo. Enoch autem placuit deo. Priusq; enim trāsferretur teſtimonium habuit quod placuiſſet deo. Enoch itaq; credidit, fideq; immortalitatem conſequutus eſt. Tu interim, amice Lector, hanc ſententiam SINE FIDE IMPOSSIBILE EST QVENQVAM PLACERE DEO, imis reconde ſenſibus, & confer ei hiſtorias euangelicas.

Nam qui accedit ad deum, hunc credere oportet eſſe deum, & eſſe remuneratorem quærentibus ſe.

Alia probatio eſt quod Enoch nulla alia re præterq; fide ſublatus ſit. Eſt autem ſenſus expoſitus, Accedentem ad deum oportet credere. Acceſſit autem Enoch ad deum, igitur
Capita fidei. Enoch credidit. Obiter autem perſtringit ſumma fidei capita, quibus pia mens nititur: nempe eſſe deū, & remuneratorem eſſe. Prima enim in re quauis quæſtio eſt An ſit: proxima uero Quid uel quale ſit. Hic uero Diagoras Mileſius, Theodorus Cyrenenſis, Eumerus Tegeates deos prorſus nullos eſſe cenſuerūt: ſed & propheta, Dixit inſipiens (inquit) in corde ſuo, Non eſt deus. Contra uero ipſa ueritas & fides ſuadet, imò certo nouit eſſe deum, neq; eſſe ſolum, ſed & remuneratorem eſſe quærentibus ſe. Remuneratorem autem dixit Apoſtolus benignum, omniſcium, bonum, omnipotentem, & ſupremum bonum. Talis enim ſit neceſſe eſt qui uelit omnium quærētium eſſe remunerator. Itaq; uera fides non tantum credit eſſe deum, ſed illum deum ſuum eſſe deum credit, qui credenti bene uelit, illudq; ſit copiæ cornu, in quo affatim habeat quicquid deſideret. Et hæc fuit præclara illa non modo Enoch, ſed omnium ueterum fides religioq;.

Noë. Per fidem admonitus oraculo Noë, ea quæ nondum uidebantur uentus, apparauit arcam ad ſalutem domus ſuæ, per quam arcam condemnauit mundum, & eius quæ ex fide eſt iuſtitiæ factus eſt hæres.

Impij contemnunt cum admonitiones tum minas dei, quia potentiam, iuſtitiam & ueritatem eius neſciunt. Fides autem quæ uera eſt cognitio dei, expectatio & deprehenſio certa, uerbis dei credit, & res ſuas ad uerbi dei regulam componit. Hinc Noë cum uere deo fideret, oraculo dei admonitus arcam apparauit. Nam etiamſi nihil tale tum quidem experiretur quale futurum dixerat deus, ipſe tamen iuſtū & ueracem ſciens deum, futura ceu præſentia extimuit, & res ſuas ad præſcriptum uerbi dei compoſuit. Hac itaq; fide ſua ſeruatus eſt. Eſt ergo fidei ſeruare in aduerſis, ipſa item aduerſa præuidere, imò ipſa etiam præuenire. Illud uero in primis obſeruandum quod dixit Noë eius iuſtitiæ factum eſſe hæredem, quæ ex fide ſit: iſto enim palàm ſignificauit Fidem ueram eſſe coram deo iuſtitiam. Iudicare autem, quod Latinus uertit condemnare, poſuit Paulus pro teſtificari & conuincere ſiue arguere. Cum enim periret mundus, Noë autem ſeruaretur arca, impij fide & arca Noë ceu certiſſimis teſtibus conuicti, uidebant ſe dignas incredulitatis & contemptus luere pœnas. Hoc ſenſu dicit etiam Chriſtus futurum ut Niniuitæ iudicaturi ſint populum Iſraël. Aliâs enim ſatis conſtat ſolum dei filium conſtitutum eſſe uniuerſorum iudicem. De Noë lege Gene. 6.
Matth. 12.

Abraham. Per fidem appellatus Abraham, obedijt ut exiret in locum quem acceperat in hæreditatem, & exiuit neſciens quò eſſet uenturus.

Plura nunc ſequentur elegantia exempla de clara fide patris noſtri Abrahæ, Primum autem ſumpſit ex Gene. cap. 12. Nihil autē dulcius homini patria, domo, cognatis & amicis. Nihil contra ærumnoſius quàm exulem eſſe, incertisq; uagare ſedibus. At tanta eſt fidei uirtus, ut fidelis Abraham protinus atq; à deo patrijs euocaretur ſedibus incōtanter & alacri animo exiliret, uocantemq; ſequeretur, iuxta carnem neſciens quò duceretur.

retur. Pluris enim æstimabat illius promissionem & amicitiam, q̃ uniuersam suam sub-
stantiam omnesq; in orbe delicias. Omnia enim præ hoc deo contemnebat. Porrò hoc exemplum probe quadrabat temporibus Pauli, quibus plurimi (ut in 10. audiuimus) fidei nomine, patria pellebantur in exilium. Sed augustiora sunt quæ sequuntur.

Fide commoratus est in terra promissa tanquam in aliena, & habitabat in tentorijs cum Isaac & Iacob coheredibus eiusdem promissionis. Expectabat enim habentem fundamẽta ciuitatem, cuius opifex & conditor deus est.

Istis enim uere tandem & proprie ob oculos ponit quid fides, q̃ constans subsistentia & patiens expectatio sit. Haud enim adeò magni pendendũ erat, quod Abraham splendidis euocatus dei pollicitationibus patrias deseruerat sedes. Illud uero arduum & rarũ, quod in eum quem expectauerat locum deueniens, nihil solidi certiue comperit: unde indignatio quędam suppullulascere potuerat. At nihil eiusmodi in sancto dei uiro Abraham cõperias. Non enim responsat deo, non murmurat, non cõtemnit promissionem, eo quod in pollicita terra sub tentorijs agere, cum incolis Philistæis subinde conflictari, & nullis nõ aduersis exerceri cogeretur, sed à terrenis auertit animum pium, & omnem spem suã in æterna & inuisibilia figit, expectãs cœlestia, qui ipsa re didicerat terrena ceu fluida & mutabilia prorsus esse uiro forti aspernenda. De qua re paulò post plura.

Per fidem & ipsa Sara uim ad concipiendum ac retinendum semen accepit, & præter ætatis rationem peperit, quod fidelem iudicaret eum qui promiserat. Quapropter & ex uno prognati sunt posteri, eoq; iam annis effœto, tanto numero quãto sunt stellæ cœli & uelut arena quæ est in littore maris innumerabilis. *Sara.*

Hæc legere est Gene. 21. Maxima aũt fidei uis & laus est, quod ibi tandem fidei uirtus nullo operatur negotio, ubi semel cessauit omnis naturæ operatio. Quanquam omnis uirtus proprie fit operãtis dei: ut clare liquet in exemplo Elizabeth, de quo Luc. 1. Quod hic subiecit, Quapropter & ex uno, &c. ad amplificationem pertinet. Voluit enim eximias fidei opes ostentare, ut ipsa fidei gloria & nobilitate, auditorum mentes ad fidem pelliceret. Plura lege ad Roma. 4.

Iuxta fidem mortui sunt hi omnes, cum non accepissent promissiones, sed procul eas uidissent & credidissent salutassentq; & confessi fuissent se hospites atq; aduenas esse in terra. Nam hæc qui dicunt, declarant se patriam inquirere. Et si illius quidem memores fuissent, unde fuerant profecti, habebant opportunitatem reuertendi. Nunc autem meliorem expetunt, hoc est cœlestem. Quapropter non erubescit ipse deus uocari deus illorum, parauerat enim illis ciuitatem. *Patriarchæ.*

Veluti summa colligit omnium patriarcharũ fidem. Patres (inquit) terram promissam uere nunquam possederunt: sed quemadmodum ij qui eminus rem uident, gustum tantum rei uisæ habent: & qui hominem salutãt, tantũmodo nosce cœperunt, ita illi in terra promissa ueluti hospites & peregrini fuerunt. Nihilominus non murmurarũt ad uersus dominum, sed in fide perstiterunt, & in fide certaq; expectatione defuncti sunt, meliorem credentes ipsis terram esse à deo paratam. Hic enim à carnalibus ad spiritualia deflectit Apostolus: & quãdoquidem paulò ante cœperat demonstrare Abrahæ adeoq; omnium ueterum fidem, non in uisibilia & terrena, sed in inuisibilia & cœlestia fuisse fixam: aliam enim eos terram aliamq; ciuitatem expectasse: nunc quidem id copiosius & planius exponit, & ad hunc modum ratiocinatur, Qui fatentur se hospites esse, ij fatentur se aliam habere patriã, quàm ea sit in qua uersantur. Patriarchæ autem confessi sunt se esse hospites: ergo aliam sperarunt patriam, quàm ea fuerit in qua agebant. Iam se-

quitur confirmatio, Nam eam terram in qua erant, quomodo obsecro patriam credere poterant, cum dicerent se esse hospites? An uero quisquam in ædibus suis & patrio solo agens, dicit se hospitem esse? Sed & eam terrã unde digressi erant, si patriam suam putassent, sanè non deerat redeundi opportunitas. Cum ergo neq; Chaldæa, è qua egressi erant, neq; Chananæa in qua agebant, illa patriarcharum fuerit patria, consequens est patriarchas nullam expectasse terrenã patriam, sed cœlestem: atq; ita deum coluisse patris loco, cœlumq; expectasse patriam. Vnde ipse etiam deus illos in filios et ciues susceperit, & illorum deus uocatus sit. Ex quibus iam constat, Sola fide coli deum, fideq; iustificari orbem.

Per fidem obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum obtulit, in quo promissiones acceperat, ad quem dictum fuerat, In Isaac uocabitur tibi semen, cum illud secum perpendisset, deum uel à mortuis excitare posse, unde illum etiam resurrectionis typo reduxit.

Admirabilem & raram Abrahæ fidem mire exaggerat. Siquidem cum illud secum expendere potuisset, Vnigenitus est, quem si mactaueris, mendacem feceris deum, qui in hoc tibi posteritatem pollicitus est: sed nihil tale admittebat fides, quin potius illud ingerebat, deum qui cædem filij præceperat, uiuum esse & omnipotentem, mortuum itaque uitæ restituere posse. Quo loco iterum uidere est quanta sit uirtus fidei, & quomodo inuisibilibus nitatur. Quod autem Latinus interpres uertit, Vnde illum etiam resurrectionis typo reduxit, perspicuitatis gratia fic uertit. Nam in Græca ueritate non est, nisi, Vnde illum & in similitudine reduxit. Sentit autem Isaac typũ gessisse Christi, qui oblatus pro peccatis nostris tertia die reuixit.

Gene. 22.

Isaac. Per fidem de futuris benedixit Isaac filio Iacob & Esau.

Iacob. Per fidem Iacob moriens, singulis filijs Ioseph benedixit, & adorauit fastigium uirgæ illius.

Ioseph. Per fidem Ioseph moriens de egressione filiorum Israël memi nit, deq; ossibus suis mandauit.

De his omnibus copiosissime scripsit Moses Gene. 27. 48. & 50. cap. Benedictio autem de futuris insigne argumentum fidei fuit. Nisi enim credidissent deum esse adeoq; & omnis boni inexhaustum fontem esse, benignum & munificũ, certè nunquam prospera posteris imprecati fuissent, quæ non ipsis conferebantur præscriptis uerbis, sed à diuina tandem miseratione expectanda erant. Ita præceptum Ioseph de transferendis ossibus certissimum argumentum fuit, quod deo promittenti liberationem ex Aegypto indubitata fide adhæserit. Nemo autem miretur quod in secundo exemplo secus legit Apostolus quàm in Hebræo habeatur. Hic enim legit, Adorauit ad fastigium uirgæ illius. Hebræus autem habet, Adorauit ad lectuli caput, Gene 47. Nam מטה ambiguum est, & lectum & uirgam significans. Maluit autem Paulus posteriore uti, ut suo adaptaret negotio. Voluit enim adumbrare quod fides Iacob etiam ad regnum Christi penetrarit. Id quod & Erasmus istis expressit uerbis, Sed longius etiã prospiciebat senis fides, cũ exosculans summã uirgam filij Ioseph, ueneraretur Christũ omnibus imperaturum, cuius ille delatus ac proditus à fratribus imaginem gesserat. Quod uero superstitiosum tumulandi ritum attinet, quem multi exemplo Iosephi cõfirmant, istis diluit Chrysostomus, Quid autem dic mihi? Num ipsius Mosis ossa, Aaron, Danielis & Ieremiæ, nónne in peregrinis iacent? Apostolorum autem plurimorum ossa nescimus uel ubi iaceant, Petri & Pauli quidem & Ioannis & Thomæ manifesta sunt sepulchra. Aliorũ uero cum tanti sint, minime cognitum est ubi sint. Nihil igitur pro hac re lugeamus. Vbicunq; enim sepelimur domini est terra & plenitudo eius, scilicet quod oportet fieri efficitur, &c.

Sepultura.

Moses. Per fidem cum natus esset Moses, occultatus est menses tres à parentibus suis, propterea quod uiderent elegantem puellum, nec ueriti sunt edictum regis.

Fide

Fide parentum bono publico seruatus est Moses. Nisi autem parētes eius diuinæ providentiæ confisi, augustius quippiam de deo inuisibili sensissent, quàm de Aegyptij regis potentia, certe infantem neq; abscondissent, neq; aquæ commisissent. Historiam lege Exodi 2.

Per fidem Moses iam grandis renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo dei, quàm temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrū Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Respectum enim habebat remunerationis.

Quadrabat hoc quoq; exemplum præ cæteris Pauli temporibus, quibus magna fidelium pars malebat cum Christo exulari, quàm in errore & impietate frui delicijs. Significanter ergo dixit, Mosen maiores arbitratum diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Nam probrum Christi uocauit uitam ærumnis plenam, cōuitijsq; pessimorum hominum obiectam, qualem in hisce terris (quem spiritu uidit Moses) egit Christus, specimen exhibens omnibus cultoribus suis. De quibus & Paulus ad Timotheum, Omnes (inquit) qui pie uolunt uiuere in Christo, persecutionē patiantur oportet. Temporaria autem peccati commoda breuem illam uoluptatem dixit, quæ impios concomitari solet. Ea breuissima cùm sit, temporariam uocauit. Nam & ipse Christus, Hac nocte (inquit) animam tuam abs te repetent: hæc autem cui parasti? Lucæ 12. Et Matthæi 16. Quid profuerit homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero iacturam fecerit? Prudenter itaq; Moses respectum habuit remunerationis, id est oculos in remuneratorem fixit deum. De quo paulò ante.

Per fidem reliquit Aegyptum, haud ueritus ferociam regis. Perinde enim quasi uidisset eum qui est inuisibilis, ita obdurauit. Per fidem fecit pascha & effusionē sanguinis, ne is qui perimebat primogenita tangeret ipsos. Per fidem transierunt rubrū mare ueluti per siccam terram, quod cum tentassent Aegyptij absorpti sunt.

Supra modum uiua & elegantia exempla fidei sunt, hoc etiam euidentiora, quo sunt clariora. Nam si hæc superioribus conferas, ipsaq; Mosis uerba Exodi 12. 13. & 14. adhibeas, sed & statum in quem finem omnia dicantur obserues, iam nulla supererit difficultas. In hoc autem dicuntur omnia, ut intelligamus quæ sit fidei uirtus, &c.

Per fidem corruerūt mœnia Iericho circundata ad dies septem. Per fidem Raab meretrix non periit unà cum ijs qui non obedierant, cum excepisset hospitio exploratores pacifice. *Raab.*

Ea citra controuersiam admirabilis uirtus est, quę munitissima quæq; diruit. Non est autem sapientia, nullum consilium, aut ulla fortitudo contra dominum. Vide Iosue 6. Et de Raab Iosue 2. & comperies non æquandam mulieris fidem.

Et quid præterea loquor? Deficiet enim me tempus commemorantem de Gedeone, de Barac, & Sanſone, & Hiephtaë, nec non Dauide & Samuele ac prophetis.

Hactenus pulchra & digesta enumeratione potissima summorum uirorum recensuit exempla, nunc in genere plurimorum commiscet. De Gedeone autem lege Iud. 7. De Barac Iud. 4. De Sanſone Iud. 14. De Hiephtaë Iud. 11. De Dauide 1. Sam. 17. De Samuele 1. Samuel. 12. Cæterum ipse Apostolus nunc plura alia subijcit.

Qui per fidem expugnauerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt uim ignis, effugerunt acies gladij, conualuerunt de infirmitate, effecti sunt robusti in prælio, impressiones auerterunt exterorum.

Virtus fidei. Quid obsecro maius, dignius, admirabilius de fide dici poterat? Regna autem præter cæteros expugnarunt Iosue & Dauid belli duces fortissimi. Iosue 12. 2. Reg. 8. 1. Parali. 20. Iustitiam autem & iudicium operati sunt Samuel cum omni Israel, & Dauid cum rege Saul. Promissam terram assecuti sunt Iosue & Dauid, ut supra est annotatũ. Sanson porrò Dauid & Daniel occluserunt ora leonum, Iud. 14. 1. Reg. 17. Danielis 6. Sed Aaron & tres illi apud Danielem pueri extinxerunt uim ignis, Numeri 16. & Danielis 3. Et Helias quidem unà cum alijs nonnullis prophetis effugit aciem gladij, hoc est, acutũ gladium, ne capite plecteretur sub Iezabel 3. Reg. 19. Ezechias autem Dauidq; de infirmitate maxima conualuerunt, Isaiæ 38. & Psal. 6. Item Sangar Sanson & fortes Dauid in prælio robusti effecti sunt, Iudicum 3. 15. 1. Paral. 11. Cæterum Ionathas, Asa, & Iosaphat impressiones hostium auertêre à ciuibus. 1. Reg. 14. 2. Paral. 14. & 20. cap.

Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos.

Schema loquendi hoc potest, Mulieribus iterũ ad uiuos redierunt qui fuerant mortui. Tale enim legimus de filio Sunamitidis, quem fide in deum Elizeus ad superos reuocauit. 4. Regum. 4.

Alij uero distenti sunt, aspernati redemptionem, ut meliorem resurrectionem sortirentur.

Resurrectio. Ieremias enim tympani in morem distentus est. Ierem. 20. Sed spe melioris uitæ præsentem contempsit. Vsurpauit enim Paulus resurrectionem pro uita semper consistente, sicut & Christus Ioan. 5. Resurgent (inquit) in resurrectionem uitæ, id est, ut semper uiuant.

Alij rursus ludibrijs & flagris explorati sunt, insuper & uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt,

Ludibrijs & flagris uexati sunt complures prophetæ, uinculis quoq; & carceribus puniti, Helias, Micheas, & cæteri. Lapidabatur Zacharias filius Ioiade, & Naboth uirorum innocentissimus. De Isaia referunt ueteres, quod serra sub Manasse sectus occubuerit. Multos item sacerdotes & prophetas, & Saul & Iezabel gladio occidit.

oberrarunt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus ac speluncis & cauernis terræ.

Per ouillas & caprinas pelles, uestes intellexit laceras reiectitias & usibus humanis minime accõmodas, imò ferinas uestes. ὑστερουμένους autem dixit, destitutos omni re necessaria, cibo & potu, pressos propter undiq; imminentem tyrannorũ sæuitiã. Afflictos autẽ propter excruciantes curas, animi perturbationes & terrores. Addit ipsos in desertis oberrasse, hoc est, exules patria & ædibus, in morem ferarum, in syluis ferarumq; lustris latitasse. Mira ergo breuitate omnia penè humani generis incõmoda recensuit, ijsdemq; ostendit fideles à deo non modo morte non potuisse auelli, sed ne exilio quidem & miseria, quæ morte durior est: maximam itaq; fidei esse uirtutem. Vide.

Atq; omnes hi testimonium promeriti per fidem, non acceperunt promissionem, quod deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis consummarentur.

Illatio. Clausula est superiorum, Quasi diceret, Et hactenus quidem exempla adduximus, quibus instructi uidemus ueteres omnes fide esse probatos. Nam istis hoc negotium coperat, Per fidem testimoniũ meruerunt seniores, ideoq; idem repetendo disputationem de fide concludit. Quod autem addit ueteres promissionem non esse assecutos, sciẽdum omnium promissionum unicum esse colophonem Iesum Christum, & corporũ resurrectionem: ut nunc apostolus per promissionem non intellexerit quietẽ, sed magis Christi aduentum, & corporum resurrectionem. Illis enim absolute perficitur uniuersa sanctorum

ctorum ecclesia. Cui sententiæ adminiculantur ea quoq; quæ Petrus scripsit 1. Petri 4. In hoc mortuis quoq; annunciatum est euangelium, ut iudicentur quidem secundum homines carne, uiuant autem iuxta deum spiritu. Et hactenus de Fide uera.

Proinde nos quoq; cum tanta septi simus nube testium, deposito o- CAP. XII.
nere omni & tenaciter hærente peccato, per tolerantiã curramus in pro posito nobis certamine,

Nunc tandem deflectit ad Patientiam, à qua in fine cap. decimi erat digressus. Ad hãc autem hortatur exemplis, similibus, præmijs & pœnis. Quod sine patientia, quæ nõ est sine animi constantia, fides prorsus nihil sit. Istis uero rei summam proponit, & consequentia superioribus nectit. Et fideles quidem ceu in stadio & certamine quodam sudantes alloquitur: cum re uera hominis uita super terrã nihil aliud sit (teste Iob) quàm militia. Solent autem qui in stadio currunt, omnia impedimenta onera q; abijcere, ut hoc expeditius currant. Eò ergo alluſit Paulus, qui hortatur fideles ut socordia & curis huius mundi reliquisq; id genus cupiditatibus natura nobis insitis, & quæ à sancto retrahunt instituto abiectis, in ueritate euangelica per patientiam currant: cum uideant tot sanctorum myriades (Nubem enim uocauit ingentem uim & copiam) constanti patientia in fide ad finem usq; perseuerasse.

respicientes ad fidei ducem & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni dei considet.

Non modo à sanctorum patrum hortatur exemplis, sed & à Christi exemplo, qui fidei, hoc est religionis nostræ principium & finis, prora & puppis, id est solus omnia est. Id enim intellexit per ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, id est per principiũ & finem, ducem & consummatorem. Potuisset & ille se immunem ab omnibus aduersis præseruasse, sed maluit nostri gratia pati mortem: quem igitur posthac pigeret ueritatis & Christi nomine extrema quæq; experiri? Non retrahebat Christũ ab instituto ignominia & maledicorum hominum calumnia, iccirco etiam susceptus est in gloria. Proinde si obfirmato uultu in cœpto pergamus itinere, ut ut mũdus insaniat & nobis maledicat, perueniemus tandem cum Christo ad gloriam. *Christus exemplum.*

Id inquam reputate uobiscum, quod is talem sustinuerit à peccatoribus aduersus se contradictionem, ne defatigemini animis defecti.

Per repetitionem amplificat Christi exemplum, & ait, Exemplum autem Christi sic uelim à uobis expendi, ut simul obseruetis quanta in dei filium probra & crimina iecerint impij, quæ ille euicit patientia, ut ijs & uos instructi, conuitijs impiorum non defatigemini, & propter iniurias istorum à ueritate non deficiatis.

Nondum usq; ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes:

Extenuat incommoda præterita, ut ad maiora animet, ac dicit, Hactenus quidem probris duntaxat estis affecti, substantia uestra exuti sedibusq; pulsi: aliud porrò expectandum erat, capitis etiam supplicium, tantũ abest, ut in minutilis quidem illis nõ omnem præstetis patientiam: cum ne sanguini quidem parcendũ sit propter Christum. Hic uero per amicam obiurgationem (quæ hortationi familiaris est) subiungit.

& obliti estis consolationis, quæ uobis tanquam filijs loquitur, Fili mi, ne neglexeris correptionem domini, neq; deficias cum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus corripit, flagellat autem omnẽ filium quem recipit.

Sententiam sumpsit ex sententijs siue Prouerbijs Solomonis, quæ cum plana & dilucida sit, non est ut ei immoremur. Extat in cap. 3. Hoc interim in hac re in primis uidetur monẽdum, nos hoc loco nihil loqui de fontium & impiorum supplicijs, sed de eorum

cruce tantum, qui ueritatis nomine affliguntur. Nam & D. Petrus, Ne quis uestrum (inquit) affligatur ut homicida aut fur, &c. Cæterum ex præsenti prophetę loco nunc multa educit argumenta satis quidem perspicua.

Si castigationẽ sustinetis, ueluti filijs uobis offert se deus. Quis enim est filius, quem non castigat pater?

Ab utili sumptum est argumentum. Cui generalem subiungit sentẽtiam, Quis enim est filius, &c. Cæterum externis exemplis penetrat ad interiora. Nam fide efficimur filij dei, Ioannis 1.

Quod si alieni estis à castigatione, cuius participes sunt omnes, igitur spurij estis non filij.

A contrario ducitur argumentum. Sensus autem est. Omnes filij castigationis sunt participes. Vos non uultis castigationis esse participes: ergo filij esse non uultis. Interim Christiano nomine gaudetis, nothi itaq; & supposititi estis, qui patris geniũ nulla parte referunt. Nam & si deus cultoribus suis pacem nonnunquã concedat, eandem tamen subinde conturbat cruce. Exemplo est uita Abrahæ, Isaaci, Iacobi & Iosephi, sed & omnium sanctorum.

Itaq; cum carnis nostræ patres habuerimus castigatores, & reueriti sumus illos, an nõ multo magis subijciemur patri spirituũ et uiuemus?

Istis uero copiosius expolitione propositum diducit illustratq; sententiam. Porrò patrem spirituum, schematismo quodam dixit pro patre spirituali qui sit spiritus, hoc est deus, Ioan. 4. Nemo autem in malam partem interpretatur si à patre carnali corripiatur. Non enim in hoc corripit ut noceat, sed ut prosit. Ita cum pater cœlestis corripit, in hoc corripit ut nostræ saluti consulat. Quis ergo murmuret ad tam sanctam & utilem castigationem? Sed hæc apertius proponuntur consequentibus.

Atq; illi quidem ad paucos dies pro arbitratu suo nos erudierunt: hic autem ad commodum nostrum, in hoc ut impartiat nobis sanctimoniam suam.

A comparatis & ab utili hæc duxit, ijs superiora expolit. Patres terreni & si filios seuere castigent, amplam tamen hæreditatem relinquunt. Sed ampliorem deus, sanctimoniam uidelicet patientibus communicat, quæ quidem sanctimonia & præsentis uitæ sed magis futuræ est. Nam & D. Petrus, Nunc quidem ad breue (inquit) tempus affligimini, ut exploratio fidei uestræ (quę multo pretiosior est auro quod perit & tamen per ignẽ probatur) reperiatur in laudem & gloriam & honorẽ, tum cum reuelabitur Iesus Christus, reportantes finem fidei uestræ, animarum salutem 1. Petri 1.

Omnis autem castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij sed molestiæ. At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs qui per illam fuerint exercitati.

τυπώμη est speciem referens antipophoræ. Verum sanè (inquit) quod quis dicere poterat, facilem esse de hisce rebus disputationem, sed grauiorem actionem. Nam sicut potiones salutiferæ ægrotis uidentur amarissimæ, uulnerum quoq; cura doloris sentiatur esse pleniſſima: sic castigatio quoq; primo aggressu minimum gaudij, plurimum autem uidetur habere molestiæ. Verum non id solum quod ob oculos uersatur spectandum, sed illud magis quod futurũ est, & quid boni ex hoc malo existat. Nam sicut amara potione pellitur ægritudo, uulnerumq; sæua adustio & cõtrectatio integritatis sanitatisq; causſa est. Ita uarijs malis exercitato fideli contingit tandem non fluidum aut marcessibile aliquod præmium, sed fructus suauis & pacatus qui iustis debetur, flos scilicet immortalitatis. Nam ad Roma. 5. Gloriamur etiam (inquit Apostolus) super afflictionibus, scientes quod afflictio, &c.

Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite & curate ut gressus

greſſus pedibus ueſtris recti ſint, ne claudicatio aberret à uia, imò ſanetur potius.

Capulum rei petit & infert id cuius cauſſa hucuſq; tanta produxit in medium. Itaq; patientes (inquit) & conſtãtes in fide perſeueremus. Id uero metaphora quadam, in qua perſtat, quaq; in initio etiam cap. uſus erat, copioſius effert, alludẽs ad certandi rationẽ. Vult enim pios imitari ſtrenuos curſores & fortes pugiles, qui collectis & reſumptis uiribus, recto item firmatoq; curſu, uel colluctatorem premunt, uel recta metã properãt: certe ut uincant. Quod ſi quid ceſſatum uel erratum ſit à pijs, id monet noua alacritate ſartiant. Fit enim nonnunquam ut currentibus labaſcant nutentq; genua, & luctãtibus manus & brachia laſſeſcant. Quibus metaphoris Paulus iam non modo animi ſui conſilium dicit, ſed & ea quæ dicere uoluit ob oculos ponit. Neq; enim ſinè cauſſa metaphoram adeoq; & allegoriam uocauit Tullius ſtellam orationis. *Conſtantia.*

Pacem ſectemini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo uidebit deum:

Nunc ea etiam prodit quæ patientiam & conſtantiam maxime interturbabant & à uera fide retrahebant. Non enim ſatis eſt noſce quid facias, præſtat etiam ſcire quid caueas et quid maxime nocere poſſit. Maxima autem pietatis peſtis eſt Contentio, amaritudo animi, et Immunditia: à quibus caueri uult, ſi modo uelint ueræ pietatis eſſe cultores. De pace ſiue concordia nonnullla diximus in cap. 10. Copioſiora uide ad Rom. 12. De ſanctimonia uero dixit Chriſtus, Beati mundi corde, quoniã ipſi deum uidebunt. Porrò munditia ſiue integritas iſta animi eſt, incorruptæ fidei beneficium, quæ omnem excludit hypocriſim. *Peſtes pietatis.*

curam agentes, ne quis ſit, qui deficiat à gratia dei, ne qua radix amarulentiæ ſuppullulans, obturbet, & per hanc inquinentur multi.

Ipſe in quem finem hæc dicat exponit, nempe ut omnes curã geramus μὴ τις ὑστερῶν ne quis ſit deficiens, qui ueluti in uia deficiat, & gratiam dei, id eſt, Euangelij negotium (Euangelium enim gratiæ diuinæ teſtimoniũ eſt) aſſequi nequeat. Atq; hic protinus aliud ſubiungit malum, Amaritudinem animi, quam metaphora quadam radicem appellitat ſuppullulantem, idq; propter malorum copiam & materiam, quam hoc malum ſuppeditat. Ea enim ut hædera multa implicat, totamq; eccleſiam conturbat. De hac Iacobus, Si æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde ueſtro, nolite gloriari, &c. Notiſſimus enim eſt Iacobi locus in cap. 3. Sequitur aliud malum. *De hoc uerbo in 4. cap.*

Ne quis ſcortator aut prophanus, uelut Eſau, qui unico edulio permutauit ius primogeniti. Scitis enim quod & poſtea cum uellet hæreditario iure benedictionem aſſequi reprobatus ſit. Non enim reperit pœnitentiæ locum, tametſi cum lachrymis quæſiuiſſet eam.

Immunditia cognatum ſibi habet contemptũ rerum ſacrarũ. Quis enim apud eum ſacri reſpectus ſit, qui ſibi perſuaſum habeat uoluptatẽ rerum eſſe ſummam? Hic procul dubio totam Euangelij prædicationem minoris uendiderit, quàm Eſau primogeniti iura. Inuenias eñ qui dicant, ſe malle uini ſextariũ, quàm Euangelicam Homiliam. Sed illi aliquando dignas luent pœnas. Nam & Eſau breui uoluptatula æternam emit pœnitudinem. Siquidem cum uellet hæreditario iure benedictionem aſſequi, reiectus eſt, adeò ut nulla illi reſtitutionis ſpes fuerit reliqua. Quod equidẽ nemo intelligit de peccatorum reſipiſcentia, ſed de immutatione fortunæ. Nam liberum nõ erat Eſau reſumendi ius primogeniti, poſteaquam leuitate quadam ſemel uendiderat. Fruſtra ergo torquentur qui hoc loco diſputant, num lapſis negetur pœnitentia. μετάνοια enim Græcis & reuerſio & correctio eſt, imò & immutatio rei cuiuſuis, non tantum ea pœnitentia quæ theologis in uſu eſt. Sed & nulla nobis mentio de remiſſione peccatorum: ſed de iure primogenituræ loquimur, quantúmue mali ſit ſacra contemnere. Equidem exemplo Eſau indica- *Gene. 25. 27.*

re uoluit, optima quæq; amitti immunditia & contemptu rerum ſacrarum. Et hæc quidem de conſtanti in fide patientia.

PERORATIO.

Non enim acceſſiſtis ad contactum montem & incenſum ignem ac turbinem & caliginem & procellam tubæq; ſonitum & uocem uerborum, quã qui audierant deprecati ſunt ne ijs adiungeretur oratio. Non enim ferebant quod edicebatur: Si beſtia tetigerit montem lapidabitur aut iaculo configetur: & adeò terribile erat uiſum quod apparebat, ut Moſes dixerit, Expauefactus ſum & tremebundus.

Ita nihilominus uocat ad ſanctimoniam.

Poſt multã & uariam diſputationem colligit tandem quod per uniuerſam tractauit epiſtolam, idq; imagine quadam ſtatuit ob oculos contemplandũ. Principio autem colligit ea quæ diſputarat de legis infirmitate & inefficacia. Deinde ea quæ de euangelij dignitate & Chriſti redemptione abſoluta. Poſtremo ea quibus ad fidendum Chriſto, ſuſcipiendamq; euangelij prædicationem, in prima atq; ſecunda parte epiſtolæ cohortatus erat. Eſt autem hæc illius imago qua ſecundam epiſtolæ partem reuocat ob oculos, Fingite duos aſtare montes, alterum Sinai, alterum Sion. Priori repræſentari legem, Poſteriori Chriſtum & euangelium. Hic uero copioſe deſcribit eum montem in quo data eſt lex, idq; ex 19. Moſis ſecundi libri. At cum ibi omnia ſint terrifica & triſtia, ſignificatũ eſt, Lege adeo non perfici & abſolui cultores, ut magis terreantur & accuſentur. Non enim lege ſed euangelio confertur conſcientiæ pax. Hinc dixit, Non acceſſiſtis ad contactum montem, ſed ad montem Sion. Contactum autem dixit per antiphraſim, Nemo enim montem audebat contigere. Iam quod ſcribit Moſen dixiſſe, Expauefactus ſum, nullibi ſanè comperias in ſacris, ſed eiuſmodi locutionis genus eſt quale illud, Tam formidabilis erat hoſtiũ incurſus, ut uel ipſi duces terreri potuiſſent. Et ſanè non infrequẽs eſt, ut Dixerit ponatur pro Dicere potuerit. Sunt autẽ hæc ſub amplificationẽ referenda.

Sed acceſſiſtis ad montem Sion, & ad ciuitatem dei uiuentis Ieruſalem cœleſtem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, & eccleſiam primogenitorum qui conſcripti ſunt in cœlis, & ad iudicem uniuerſorum deum, & ad ſpiritus iuſtorum perfectorum: & ad noui Teſtamenti mediatorem Ieſum, & ad ſanguinem aſperſionis, meliora loquentem quàm loquebatur ſanguis Abel.

Iſtis colligit quod ſecunda parte fuſius docuit, Chriſti ſacrificio nos abſolutos eſſe, huius morte & ſacerdotio patere ad cœlos uiam. Atqui oĩa hæc etiam in peroratione copioſius tractat & figuris ueſtit. Et montem quidem Sion uocat Chriſtum & gratiam euangelicam. Nam ut de Sinai lex progreſſa eſt, ita de Sion uita & ſalus. Alluſit autem ad Iſaiæ 2. & Micheæ 4. cap. Ciuitas autẽ dei eſt cœleſtis Ieruſalem, id eſt uita æterna. In hac perpetuum gaudent angelorũ chori. In hac uidere eſt primogenitos, hoc eſt electos dei, omnes ſanctos patres, quos primogenitos appellauit alluſione ad primogenitos patrũ, qui dilecti & domini rerum erant. In hac item uidere eſt ipſum deum omniũ iudicem, id
1. Ioan. 2. eſt omnium potentem, ſed & omnium iuſtorum animas. Quæ res minime uulgaris eſt. Nam & ipſe Socrates moriturus, Si (inquit) mors emigratio eſt in eas oras, quas qui è uita exceſſerint incolunt, quis me beatior? cui dabitur conuenire eos qui iuſte cum fide uixerint. Quanti enim æſtimatis colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero & Heſiodo? Equidem ſæpe mori, ſi fieri poſſet, uellem, ut ea quæ dico, mihi liceret inuenire. Hæc de Socrate Plato apud Tullium Tuſc. quæſt. 1. Iam uero ſequitur per interpretationem, Acceſſiſtis ad montem Sion, id eſt, Ad mediatorẽ Ieſum, &c. His enim exponuntur ſuperiora, quod ſanguine Chriſti pateat ad cœlos uia. Aſperſionis interim meminit, alludẽs ad typum: de quo in cap. 9. Meliora autẽ loquitur ſanguis Chriſti quàm Abel. Huius enim uindictam

uindictam, Illius autem loquitur expiationem: quæ dicuntur per prosopopœiam.

Videte ne aspernemini eum qui loquitur. Nam si illi non effugerūt qui auersabantur eum qui loquebatur in terra, multo magis nos si eum qui de cœlis est auersemur.

Colligit ea quæ prima parte huius epistolæ tractarat. De cœlis autem locutus est nobis Christus doctor cœlestis, annuncians sanguine suo mundari orbem. Iam à Comparatis argumentatur. Si grauissime puniti sunt qui contemnebant Mosen terrenum hominem, sed dei interpretem: certè nos multo minus effugiemus, si filij dei salutarē contempserimus prædicationem. *Cohortatio.*

Cuius uox tum concussit terram, at nunc denūciauit dicens, Adhuc semel ego concutio non modo terram, uerumetiam cœlum. *Aggei 2.*

Obiter interserit anacephalæosim abrogatæ legis, istamq; firmat Aggei prophetæ testimonio, quod ipse in hunc modum suo applicat instituto.

Porrò quod dicit, Adhuc semel, significat eorum quæ concutiuntur translationem, eorum uidelicet quę facta sunt, ut maneant ea quæ non concutiuntur.

Facta appellat ea quæ manibus erant facta, cuiusmodi erat tabernaculum & uniuersum Leuiticum ministerium, quod per Christi perpetuum sacerdotium sublatum est, Heb. 7. Hic cum æternus sit & incommutabile sacerdotium habeat, recte Paulus ut maneant (ait) ea quæ non concutiuntur.

Quapropter regnum assumentes quod cōcuti non possit, habemus gratiam per quam ita colamus deum & illi placeamus cum reuerentia & religione. Etenim deus noster ignis consumens est.

Generalis illatio est totius negotij: quasi diceret, Cum ergo expectetis, ò Hebræi, regnum Messiæ, interim uideatis Christum Iesum uerum esse deum & hominem qui habeat sacerdotium perpetuum: agè cum talem habeamus gratiam, ipsum inquam Christum, qui gratiæ pignus est, agè inquam suscipiamus Christum fide. Agnoscamus hunc esse illum regem & sacerdotem nostrum: istius regnum, illud sempiternū esse regnum. Seruiamus huic cum reuerentia & religione, id est uera fide & cōstanti patientia. His subnectit speciosum epiphonema. Etenim deus noster ignis consumens est: quod sumpsit ex Deute. 4. & Isaiæ 33. cap. Hæc autem quæ dicuntur de regno Christi & cultu dei, diligenter pijs Lectoribus obseruanda sunt. *Hisce & 3. epistolæ pars colligitur.*

APHORISMI.

Istis autem quæ præcesserunt ordine totam absoluit Epistolam: quæ nunc sequuntur Appendicis loco adfixa sunt. Agit autem in hac uarie de rebus uarijs, eo propemodum orationis genere, quo solent tractari sententiæ. Vnde nos Aphorismos, libertate quadā, nuncupauimus. Sunt enim Aphorismi sententiæ separatæ absolutæ & breues: ut sunt sapientum Apophthegmata. ἀφορίζειν enim est separare & secernere. Nos paucis singula perstringemus.

FRaterna charitas maneat. Hospitalitatis ne sitis immemores. Per hanc enim quidam inscientes exceperunt angelos hospitio. Memores estote uinctorum, tanquam unà cum illis uincti: eorum qui affliguntur, uelut ipsi quoq; uersantes in corpore. CAP. XIII.

Charitas primum locum obtinet, quod (teste Apostolo) cōsummatio legis sit. Huic hoc loco addit epitheton fraterna. At cum ueteres Christianos appellarint fratres, fit ut charitas fraterna dicatur Charitas Christiana, nempe quę ad Christi charitatē formata *Charitas.*

est, quà opere & ueritate diligimus. Hinc subiunxit, Hospitalitatis ne fitis immemores. Hospitalitate autem synecdocha quadam omnia misericordiæ opera, quorum meminit Christus Matth. 25. complexus est. Et ut persuaderet exemplum unà cum utilitate quadam addidit, nempe sanctos olim hospitalitate angelos suscepisse, id quod de Abrahamo & Loth legimus Gen. 18. & 19. Quod si cui desit facultas, tamen si syncere diligat non deerit uoluntas. Hinc subiungit, Memores estote uinctorum, &c. Nam & Apostolus alibi, Quis (ait) infirmatur & ego non infirmor? Quis offenditur & ego non uror? Plura lege in 1. Corinth. 12. & cap. 10. huius epistolæ.

Honorabile est inter omnes coniugium & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit deus.

Castitas. De castimonia differit aduersus incontinentiam. Illius autem dignitatem laudibus effert. Huius uero fœditatem & indignitatem indicat. Coniugium quale sit docent diuinæ literæ, Gene. 3. Matth. 19. Ioan. 2. & Paulus 1. Corinth. 7. ac Ephes. 5. Honorem autem matrimonijs & apud Gentes habitum esse, liquet ex historijs, poëtis & legibus, maxime ex illa egregia Metelli Numidici sententia, qui, Si (inquit) sine uxore possemus esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo uiui possit, saluti perpetuæ potius quàm breui uoluptati consulendum est. Author A. Gellius in 1. cap. 6. Quod autem sequitur, torum coniugalem esse impollutum, id est moderatũ in connubio coitum non reputari pro peccato, id Paulus clarioribus ad Corinthios dixit, Propter stupra uitãda suam quisq; uxorem habeat, &c. Et Paphnutius in Consilio Niceno, qui Clericis connubium prohibere uolentibus restitit, honorabiles confessus nuptias, & castitatem esse dicens concubitũ cum propria coniuge. Quæ quidem extant in Socrate Constãtinopolitano apud Epiphanium lib. 2. cap. 14. Quocirca iniquum atq; impium est Pontificis Romani decretum, quo connubia sacerdotibus inhibuit, & scortationem admisit. Cæterum de scortatione & adulterio lege Exodi 20. 1. Corinth. 6. & Plutarchum in uita Lycurgi, item Gen. 20. & Iudicum 19. & senties Paulum non frustra dixisse deũm iudicare, id est punire & damnare scortatores & adulteros.

1. Timoth. 4.

Sint mores alieni ab auaritia, contenti his quæ adsunt, siquidem ipse dixit, Non te desero neq; derelinquo, ut fidentes dicamus, Dominus mihi auxiliator nec timebo quid faciat mihi homo.

Auaritia. Aduersus auaritiam duo producit testimonia, alterum extat Iosue 1. sed clarius Matthæi 6. alterum Psal. 117. & 55. Plura qui uelit legat Paulum in 1. ad Timoth. 6. aut si malit Salustium in Coniurat. Catil.

Mementote eorum qui præfuerunt uobis qui & sermonem dei locuti sunt uobis, quorum imitemini fidem, considerantes qui fuerit exitus conuersationis illorum.

Doctrina. Hic monet ut in doctrina apostolorum, à quibus Hebræi primum didicerant euangelium, perseuerent, & illorum imitentur in fide constantiam & sanctimoniam. Ex quibus claret quis sit uerus diuorum cultus, nempe imitatio fidei & innocẽtiæ sanctorum. De qua re alibi satis copiose. Quod autem hæc sic intelligenda sint conuincunt consequentia.

Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in sæcula. Doctrinis uarijs & peregrinis ne circumferamini:

Videtur autem uerbis inesse enallage quædam, nempe quod persona pro re ponatur, Iesus Christus pro salute, ueritate, redemptione & religione Christiana. Sic enim sensus erit apertissimus, Eandem apud omnes semper esse religionem Christi, eandem uim sacerdotij & sacrificij Christi. Huic enim commode iam additur, Doctrinis uarijs & peregrinis ne circumferamini: quippe cum eadem semper & constantissima sit ueritatis doctrina,

ctrina, idem Christus eademq; omnibus sæculis uirtus Christi. Varium itaq; dixit, quod aliis atq; aliis rebus fidere docet. Peregrinum autem quod ex alio quàm unico Christi & ueritatis fonte hauſtum, uel è carne uel philoſophia petitum eſt. Sed uide Paulũ ad Ephe ſios 4. & Coloſſ. 2.

Bonum eſt enim gratia conſtabiliri cor, non eſcis quæ non profue= runt iis qui uerſati ſunt in illis.

Iam exhibet Hebræis ſuis exemplum ſanæ & non ſanæ ſiue peregrinæ doctrinæ. Sa- *Delectus ciborum.*
na doctrina perhibet ſola gratia ſtabiliri cor. Peregrina eſcis ac ſacrificiis externis emun- *Acto. 15.*
dationem tribuit. Sed falſò. Nam iis nihil profuerunt ſacrificia & delectus ciborum, qui etiam ſuperſtitioſiſſimi Leuiticæ legis cultores fuerunt, id quod in 10. cap. audiuimus. Cor itaq; poſuit pro mente ſiue interiore homine, qui non purgatur uel ſaturatur niſi ſpirituali manducatione, Ioan. 6.

Habemus altare de quo non eſt fas edere iis qui tabernaculo deſer= uiunt.

Et ſuperiorum expoſitio eſt, quod nulla re externa ſed gratia confirmetur conſcien- tia, & quædam occupatio. Poterat enim quis dicere, Ergon' nullum nos ſacrificium ha- bemus? Reſpondet, Habemus equidem altare, hoc eſt ſacrificium, ſed non tale quale ue- teres. Illi enim de Altari, hoc eſt de ſacrificiis epulabantur ſplendide carnaliterq;. Nos ue- *Altare.*
ro Chriſtũ manducamus ſpiritualiter, hoc eſt fide. Hinc & Auguſtinus, Quid (ait) den- tem & uentrem paras? crede & manducaſti. Altare ergo per metonymiam poſuit pro eo quod altari imponitur. Necq; enim ſacerdotes lapidibus ueſcebantur, ære aut ligno qui- bus conſtabant aræ, ſed ſacrificiis.

Animalium enim quorum ſanguis infertur pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Quapropter & Ieſus ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum extra por= tam paſſus eſt.

Etiam typo oſtendit Chriſti ſacrificium non eſſe eiuſmodi de quo poſſit carnaliter *Altare unicum.*
mãducari. Fuiſſe enim & ueteribus ſacrificium, de quo non ederint ſacrorum miniſtri. Erat (inquit) apud ueteres uictima (ut in Numeris extat cap. 19.) quæ pro peccato expi- ando offerebatur. Ea uero tota cõcremabatur extra caſtra, ut nihil reliquũ fuerit ſacerdo tibus comedendum. Huic autem typo probe reſpondit Chriſtus, qui peccata noſtra ex- piaturus extra portam paſſus & oblatus eſt. Vnde nunc cõſequitur Chriſtum non eſſe talem aram ſiue oblationẽ, de qua poſſit participari carnaliter, ſed ſpiritualiter tantum. Iſtis autem confutantur omnia ea quæ Pontificij de Aris iſdemq; conſecrandis, de obla tionibus & carnali manducatione Chriſti nugantur. Quod autẽ hæc denuo repetiit per exemplum quæ aliâs tota epiſtola diligentiſſime tractauit, propter duritiam Iudaicę gen tis factum eſt, quibus nulla penè diligentia ſuperſtitio Leuitica poterat extorqueri.

Exeamus igitur ad eum extra caſtra opprobriũ eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Ab exemplo Chriſti obiter hortatur ad patientiam & ſequelam Chriſti, de qua ipſe *Sequela Chriſti.*
etiam Chriſtus copioſiora apud Matth. in 16. Interim ipſe Apoſtolus ſententiã qua per- ſuadeat addit, Non enim habemus &c. Siquidem peregrini ſumus, quorum cõuerſatio in cœlis eſt, Heb. 11. 2. Corinth. 5. Philip. 3. cap.

Per ipſum igitur offerimus hoſtiam laudis ſemper deo, hoc eſt fru= ctum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & com municationis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtiis delectatur deus.

Redit ad id quod ſupra cœperat, Nũquid ſupereſſet quod nos offerremus? Sanè nul- *Chriſtianorũ ſa-*
lum pro peccatis ſacrificiũ. Vna enim Chriſti hoſtia perpetua eſt. Quid ergo? Per ipſum *crificia.*
(inquit) offerimus hoſtiã laudis. Per ipſum, inquam, id eſt per Chriſtũ, aut per fidem in

Christum,qua credimus nobis Christi hostia nostra ablata esse peccata, offerimus hostiam laudis. Quæ uero hæc? Fructus utiq; non agri, sed labiorum confitentium nomini eius. Confiteri autem in sacris nonnunquam est laudare & gratias agere sicut hoc loco,& in Psal. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. De hoc laudis & gratiarum actionis quæ ex fide est, sacrificio, lege Oseam in 14. Psalm. 49.& 115. Est & aliud sacrificij genus Beneficentia & Misericordia. De hac Oseas, Misericordiam uolo & non sacrificium, Micheas quoq; in 6. Et Paulus ad Romanos 12. alterius quoq; generis meminit, quo corpora nostra offerimus sanctam hostiam deo. Hæc enim hostiarũ genera deo placent. Omnium meminere uetusti, in primis Lactantius Institut. lib. 7. De uero cultu cap. 24.& 25. Aurelius quoq; Prudentius qui in Vita Romani martyris scribit fidelium corda uera esse dei templa: in hisce astare Fidem sacerdotis loco, quæ iubeat offerre uictimas Christo & patri,

Quas scit placere candidatas simplices,
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,
Ieiuniorum parcitatem sobriam,
Spem non iacentem, semper & largam manum.
Ex his amœnus hostijs surgit uapor
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Sublatus inde cœlum adusq; tollitur
Et prosperatum dulce delectat deum.

His iunge quæ scripsi in cap. 10. de Christ. sacrificio.

Parete ijs qui præsunt uobis & concedite. Nam illi uigilant pro animabus uestris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciãt, & non gementes, nam id inutile est uobis.

Obedientia. Obedientiam docet, & addit quædam quæ ad obedientiam permoueant. Ea sumpta sunt ab eorum persona qui præsunt. Eorum enim officium est uigilare & reipublicæ inseruire, iustitiam & iudicium exercere. Nam hæc tam ad ipsum magistratum, quàm ad ministros uerbi referenda sunt. Vide Exodi 18. Ezech. 3. Maximum autem flagitium & extrema ingratitudo est, si plebs non agnoscat beneficium procerum,&c.

Orate pro nobis, confidimus enim quod omnes ij qui honeste conuersari cupiunt, bene de nobis sentiant. Magis autem obsecro uos, ut id faciatis, quo celerius restituar uobis.

Oratio. Orandum esse pro ministris uerbi, non modo hic locus docet, sed alij innumeri, maxime Actorum 4. 12. Matth. 9. Ephes. 6. Et pro restitutione sua sæpe multisq; in locis preces fieri iussit. Ad Philemonem, Spero (ait) quod auxilio precum uestrarum donabor uobis. Disce item ex hoc loco, Neminem posse placere omnibus: sufficere autem si quis placeat pijs.

Deus autem pacis, qui reduxit à mortuis pastorem ouiũ illum magnum per sanguinem testamenti æterni dominum nostrum Iesum, perficiat uos in omni bono opere ad faciendum uoluntatem ipsius, efficiens, ut quod agitis acceptum sit in conspectu suo per Iesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Opera bona. Valedictionis formula est uere apostolica & mysterijs Christi plena, sicuti ea quoq; est qua ad Romanos 16. usus est. Summa, Imprecatur integritatem & constantiam, & ut omnia illorum deo per Christũ placeant. Sunt enim ea tantum deo grata quæ per Christum fiunt, & non per nostram opinionem, sed in dei uoluntate fiunt: ea demũ uere bona opera sunt, quæ utiq; à deo sunt. Nam deus is est qui (ut Paulus ad Philip. ait) agit in nobis,

nobis,& ut uelimus,& ut efficiamus pro bono animi propoſito. Porrò deus pacis dicitur ſicut deus miſericordiæ, hoc eſt,deus miſericors & pacificus qui nobiſcum rediit in concordiam,nobis placatus eſt, & conſcientias ſerenat. Hic conſtituit Chriſtum paſtorem eccleſiæ, De qua re plura Ioan.10. At Chriſtus ſanguine ſuo æternã redemptionem inuenit.Hinc ſanguis eius dicitur ſanguis AETERNI TESTAMENTI.

Obſecro uos fratres ſufferte ſermonem exhortationis: etenim paucis ſcripſi uobis. Agnoſcite fratrem noſtrum Timotheum ad uos delegatum, cum quo,ſi celerius redierit,uiſam uos. Salutate omnes qui præſunt uobis,& omnes ſanctos. Salutant uos Itali. Gratia cum omnibus uobis, Amen.

Ciuiliter declinat à ſe omnem inuidiam & arrogãtiæ ſuſpicionem,ac Chriſtiana modeſtia lenit omnia.Commendat item Hebræis ſuum illum Timotheum, quo nimirum uſus eſt tabellione. De hoc plura Philipp.2. Debent autem fratres Chriſtiani nobis eſſe commendatiſſimi,maxime ij quorum opera utimur in ſacris. Tandem uero ſalutationibus ſuo more concludit epiſtolam,quam aiunt ſcriptam eſſe ab Italia. 2.Theſſal.3.

Hæc ſunt amice Lector, quæ in illam ſanctam & eruditã Pauli ad Hebræos epiſtolam habuimus.Ea tibi pro Chriſtiana charitate communicamus, obſecrãtes ut ſyncero animi iudicio quæq; expendas.Non enim hac opella ſpectaui aliud,quàm ut guſtũ aliquem diſputationis Paulinæ tibi exhiberem, quo delibato expeditius uerſari poſſes in reliquis etiam Pauli epiſtolis.Deinde uero uolui tibi hiſce uniuerſam Chriſti gloriam ob oculos ſtatuere, ut palàm cerneres Ieſum Chriſtum uerum eſſe deum & hominem,orbis doctorem unicum,ſacerdotem,mediatorem, hoſtiam, redemptionem & uitam unicã ueram & perpetuam,ut uel tantis rebus perſuaſus,ſoli,omnibus alijs relictis, te totum ſtabili fide committeres.Id ſi à te impetraui,aſſecutus ſum quod uolui,& deo gratias ago.

FINIS.